R. P. M. FRANCISCI
BORDONI
PARMENSIS,

RELIGIONIS TERTII ORDINIS
Sancti Francisci in Prouincia Bononiensi
Prouincialis, & S. Officij Consultoris;

OPERVM TOMVS PRIMVS.

QVO CONTINETVR

SACRVM TRIBVNAL
IVDICVM IN CAVSIS SANCTÆ FIDEI.

Adiectæ sunt explicationes omnium Bullarum, & Decretorum Spectantium ad S. Inquisitionis Officium hactenus publicatorum.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN,
& MARCI-ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXV.
CVM APPROBATIONIBVS.

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

A.7937.

INDEX CONTENTORVM TOMI PRIMI.

TITVLI CAPITVM.

Cap. I. *DE vera Christi Ecclesia.*
II. *De potestate ministrorum Ecclesiæ.*
III. *De Apostolis Ecclesiæ fundamentis.*
IV. *De Petro Ecclesiæ Pastore.*
V. *De Pontifice Ecclesiæ Romanæ.*
VI. *De Conciliis Ecclesiæ Generalibus.*
VII. *De Sacra Scriptura, & Traditione.*
VIII. *De Fide Ecclesiæ Romanæ.*
IX. *De Schismate, Apostasia, & Hæresi.*
Sect. 1. *De Schismate.*
Sect. 2. *De Apostasia.*
Sect. 3. *De Hæresi, & hæreticis.*
X. *De Suspectis de Hæresi.*
XI. *De Abiuratione Hæresis.*
XII. *De pœnis Hæreticorum, & aliorum.*
XIII. *De negantibus Trinitatem, Incarnationem, &c.*
XIV. *De libris prohibitis.*
XV. *De Impressione librorum.*
XVI. *De potestate dæmonis.*
XVII. *De superstitiosa inuocatione dæmonis.*
XVIII. *De Sortilegiis ex vana obseruantia.*
XIX. *De sortilegiis ex maleficio.*
XX. *De diuinatione, & Astrologia.*
XXI. *De pœnis contra Sacrilegos, Maleficos, & Astrologos.*
XXII. *De Abusu Sacramentorum.*
XXIII. *De Solicitatione in Confessione.*
XXIV. *De Conuersatione cum Hæreticis.*
XXV. *De Iudæis, & Paganis.*

XXVI.

XXVI. *De Blasphemis hæreticantibus.*
XXVII. *De Religiosis Inquisitoribus subiectis.*
XXVIII. *De Decreto Bullarum Inquisitionis legendo per Regulares.*
XXIX. *De offendentibus S.Officium.*
XXX. *De Edictis Inquisitorum.*
XXXI. *De denunciandis hæreticis, & de hæresi suspectis.*
XXXII. *De Captura, & Carceratis.*
XXXIII. *De testibus in causis fidei.*
XXXIV. *De Confessione reorum.*
XXXV. *De indiciis, & tortura.*
XXXVI. *De defensione reorum.*
XXXVII. *De sententiis ferendis.*
XXXVIII. *De Consultoribus Inquisitorum.*
XXXIX. *De Vicariis S.Officij.*
XL. *De Inquisitoribus, seu Iudicibus contra hæreticos.*
XLI. *De qualificatione propositionum.*

APPRO

APPROBATIONES.

HOc opus cui inscriptio, *Sacrum Tribunal Iudicum in Causis Sanctæ Fidei, contra Hæreticos, & de Hæresi suspectos*, à R. P. M. Francisco Bordono Definitore Generali, ac S. Officij Parmæ Consultore compositum ex commissione Reuerendissimi P. M. Marci Antonij Bottoni Fratrum Tertij Ordinis S. Francisci Generalis perlegi, & nihil in eo inueni, quod Fidei Catholicæ aduersetur, imò breuiter dilucidè, ac perdotè opus concinnatum. Dignum proinde censeo, quod in communem vtilitatem quamprimum typis mandetur. Bononiæ die 1. Decembris 1647.

Fr. DOMINICVS VALLA, eiusdem Ordinis S. T. Regens, ac in almo Collegio Bononiæ Doct. Aggreg.

DE Mandato Reuerendissimi P. M. Marci Antonij Bottoni Fratrum de Pœnitentia Tertij Ordinis S. Francisci Generalis legi, vidi, & attentè consideraui hoc opus inscriptum *Sacrum Tribunal Iudicum in Causis Sanctæ Fidei, contra Hæreticos, & de Hæresi suspectos*, compositum à R. P. Francisco Bordono eiusdem Ordinis Definitore Generali, ac S. Officij Parmæ consultore; & pro veritate fateor nihil in eo inueni quod Fidei Catholicæ nec bonis moribus aduersetur, imò potius omnia, quæ in hoc opere ventilantur, solida eruditione sunt plena, & censeo dignum esse quod in lucem prodeat. In quorum fidem, &c. Romæ die 1. Ianuarij 1648.

Fr. MICHAEL ANGELVS QVARTARANVS A SACCA, S.T.D. Tertij Ord. S. Franc. & in Conuentu S. Pauli de Arenula Prior, &c.

HOc opus inscriptum *Sacrum Tribunal Iudicum in Causis Sanctæ Fidei, contra Hæreticos & de hæresi suspectos*, compositum à R. P. M. Francisco Bordono Definitore Generali, ac S. Officij Parmæ Consultore, & eiusdem Ordinis duorum Patrum Theologorum iudicio approbatum; vt typis mandetur quoad nos spectat facultatem concedimus. In quorum fidem præsentes literas manu propria subscripsimus, & solito nostro sigillo firmauimus. Romæ die 1. Ianuarij 1648.

FR. M. A. B. Gener. de Pœnit. Tert. Ord. S. Francisci.

Loco † Sigilli.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatij Apostolici.

A. Sacratus Episc. Comacl. Vicesg.

Imprimatur, Fr. Hyacinthus Pandulphus, Mag. Reuerendiss. Patris Fr. Vincentij Candidi Sac. & Apost. Palatij Mag. Ord. Præd.

NOs infrascripti Doctores Theologi Facultatis Parisiensis post accuratissimam discussionem eorum omnium, quæ in tribus partibus Variarum Resolutionum Regularium pro vtroque foro, atque etiam in Praxi Criminali continentur, Authore R. admodum P. Francisco Bordono Parmensi, Tertij Ordinis S. Francisci Religioso, quondam Definitori Generali, & Sancti Officij Consultori Parmæ, nihil animaduertimus castigatione dignum, quodque impressionem & publicationem impedire valeat. Datum Lugduni 14. Augusti, An. Dom. 1664.

FR. IOANNES ROBE'.

FR. ALEXANDER RICHARD.

VIsa approbatione Doctorum, Editioni trium partium Resolutionum regularium pro vtroque foro, Authore R. P. Francisco Bordono lubenter annuimus: Lugduni die 19. Augusti 1664.

DE NEVF-VILLE, Vicarius Generalis.

PERMISSION.

VEu l'approbation cy-dessus. Ie n'empesche pour le Roy qu'il soit permis aux Sieurs Huguetan & Rauaud, Marchands Libraires de cette Ville, d'imprimer le susdit Liure, intitulè, *Tractatus Variarum Resolutionum pro vtroque foro, Authore Francisco Bordono,* auec les deffenses à tous autres en tel cas requises & accoustumées. Fait à Lyon ce 19. Aoust 1664.

VIDAVD.

SOit fait suiuant les Conclusions du Procureur du Roy, ce dix-neuf Aoust mil six cens soixante-quatre.

DE SEVE.

SACRI

SACRI TRIBVNALIS.

CAPVT PRIMVM,

DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia sumitur localiter, & personaliter.*
2. *Paganorum, & Hæreticorum Ecclesia falsa.*
3. *Hæreticorũ Ecclesia regulatur ex falsis dogmatib.*
4. *Ecclesia tempore Apostolorum ab hæreticis confundebatur.*
5. *Sinagoga fuit vera Ecclesia vsque ad aduentum Christi.*
6. *Ecclesia malignantium est Paganorum, Iudæorum, & Hæreticorum.*
7. *Ecclesia militans, & triumphans.*
8. *Ecclesia vera in quatuor differt ab illis tribus falsis Ecclesiis.*
9. *Synagoga dupliciter spectatur.*
10. *Vera Christi Ecclesia datur.*
11. *Synagoga fundata ab origine mundi.*
12. *Congregatio componitur ex duobus, vel tribus.*
13. *Christus Ecclesiam fundauit.*
14. *Supra Petrum primum lapidem.*
15. *Ecclesia publicata, & promulgata in die Pentecostes.*
16. *Per Petrum illius caput.*
17. *In ædificio tuo spectantur præparatio materiæ & constructio.*
18. *Ecclesia describitur, quod sit.*
19. *Congregatio fidelium.*
20. *Collectio Christianorum.*
21. *Conuocatio omnium.*
22. *Spiritualis, non temporalis.*
23. *Hominum non belluarum, nec Angelorum.*
24. *Baptizatorum vtriusque sexus.*
25. *Profitentium fidem.*
26. *Infans, & adultus fidem profitentur.*
27. *Ille per parentes, vel Ecclesiam.*
28. *Fides ore confitetur à Baptizato.*
29. *Veri fideles sunt sub Romano Pontifice.*
30. *Vt quis fiat de vera Ecclesia tria sunt necessaria.*
31. *Ecclesia ædificata ab Apostolis.*
32. *Apostoli sunt duodecim lapides Ecclesiæ.*
33. *Petrus primo Ecclesiam publicauit.*
34. *Apostoli propagarunt Ecclesiam.*
35. *Lex vna aliam declarat.*
36. *Prædicationis officium æqualiter competit omnibus Apostolis.*
37. *Vnitas est de ratione Ecclesiæ* 158.
38. *Ex vnitate fidei.*
39. *Quæ secum diuisionem non patitur.*
40. *Sicuti patitur opinio.*
41. *Vna est Ecclesia ex vnitate baptismatis.*
42. *Ecclesia multæ vocaliter vna in genere.*
43. *Sancta & immaculata est Ecclesia.*
44. *Catholica, & vniuersalis dicitur.* 160
45. *Catholica dicitur ex necessitate fidei omnibus.*
46. *Vniuersitas, & vniuersalitas idem.*
47. *Catholica à fide, baptismo, & capite.*
48. *Apostolica vocatur Ecclesia.* 161.
49. *Christus vocatur Apostolus.*
50. *Ecclesia est visibilis.*
51. *Lucerna non sub modio, sed super candelabrum.*
52. *Synagoga carnalis fuit, Ecclesia est spiritualis.*
53. *Ecclesia dicitur visibilis, & inuisibilis quoad diuersa,*
54. *Christus caput visibile Ecclesiæ ante Ascensionem.*
55. *Petrus caput visibiles Ecclesiæ.*
56. *Caput visibile necessarium est Ecclesiæ.*
57. *Caput dat cognoscere corpus.*
58. *Capita duo non subordinata monstrum sunt.*
59. *Papa respectu Christi vicarius, respectu subditorum caput.*
60. *Ecclesia non potest fieri acephala, mortuo etiam Papa.*
61. *Cum virtualiter in suis legibus viuat.*
62. *Dignitas nonquam moritur.*
63. *Ecclesia tota pretiosa.*
64. *Ecclesia viuit non solum corporaliter.*
65. *Sed etiam spiritualiter.*
66. *In radice charitatis, & aliis virtutibus.*
67. *Ecclesia nonquam moritur.*
68. *Mors duplex animæ & corporis.*
69. *Vita corporis, & animæ.*
70. *Similitudo in aliquo attenditur.*
61. *Vineæ assimilatur Ecclesia.* 80.
72. *Et patrifamilias.*
73. *Sagenæ comparatur.* 81.
74. *Indefectib lis est Ecclesia.* 162.
75. *Nec ad paucos reduci potest.*
76. *Ecclesia multis comparatur.*

77 *Libera est, non serua.*
78 *Permixta bonis, & malis.*
79 *Ecclesia multis comparatur:*
80 *Vineæ comparatur Ecclesia* 71.
81 *Sagenæ comparatur Ecclesia* 73
82 *Conuiuio nuptiarum.*
83 *Regno cælesti.*
84 *Viti comparatur Ecclesia:*
85 *Magnæ domui.*
86 *Ecclesia militans differt à triumphante permixtione malorum.* 109.
87 *Arcæ assimilatur Ecclesia.*
88 *Hortus conclusus Ecclesia.*
89 *Ouium nomine boni, & mali.*
90 *Filij Dei omnes homines sunt.*
91 *Vt quis dicatur esse intra Ecclesiam tria sunt necessaria.*
92 *Baptismus triplex Flaminis, Sanguinis, & Fluminis.*
93 *Quis ordo inter illos.*
94 *Eorum necessitas explicatur.*
95 *Cathecumenus contritus saluatur.*
96 *Martyrium supplet vicem baptismi.*
97 *Baptismus necessarius ad salutem.*
98 *Baptismata sanguinis, & fluminis tantum ponunt intra Ecclesiam visibilem.*
99 *Innocentes membra Ecclesiæ.* 102.
100 *Martyrium non est extra Ecclesiam.*
101 *Martyrium non est passum etiam propter Christum ab hæreticis.*
102 *Innocentes fuerunt membra præparata Ecclesiæ.* 99.
103 *In baptismo adulti tria sunt necessaria.*
104 *Baptismus nullus ex quatuor defectibus.*
105 *Nulliter baptizatus cogitur remanere.*
106 *Ab initio Ecclesiæ omnes erant boni.*
107 *Primus malus in Ecclesia fuit Ananias cum vxore sua.*
108 *Permixti semper boni cum malis.*
109 *Omnes boni in cælo, permixti in terra.* 86.
110 *Mali tolerantur propter duo.*
111 *Dictio* Multi, *&* omnes *confunduntur.*
112 *Omnis homo mendax explicatur.*
113 *Omnes inutiles facti sunt explicatur.*
114 *Patres veteris testamẽti non sunt de nostra Ecclesia.*
115 *Extra Ecclesiam non est salus.*
116 *Nullus poterat aperire portã Paradisi, nisi Christus.*
117 *Cathecumenus quis dicatur.*
118 *Nouitio regulari comparatur.*
119 *Cathecumenus est extra Ecclesiam.*
120 *Excommunicatus toleratus, & vitandus.*
121 *Vterque est in Ecclesia quoad odiosa.*
122 *Malus non debet esse melioris conditionis bono.*
123 *Excommunicati sunt extra Ecclesiam quoad bona.*
124 *Excommunicatio quibus bonis priuat?*
125 *Excommunicati sunt extra quoad bona externa.*
126 *Sunt membra mortua.*
127 *Hæretici sunt de Ecclesia quoad odiosa.*
128 *Baptismate quilibet subditur Ecclesiæ.*
129 *Hæretici exierunt de corpore Ecclesiæ.*
130 *Hæretici carent* Euangelio, *Sacramentis, & aliis.*
131 *Occulti etiam sunt extra Ecclesiam.*
132 *Mortui, & præcisi à corpore Ecclesiæ.*
133 *Hæretici validè ministrant Sacramenta.*
134 *Apostatæ sunt de Ecclesia, & extra Ecclesiam.*
135 *Schismatici sunt de Ecclesia, & extra.*
136 *Hæresis, & Schisma differunt.*
137 *Supradicti quomodo differant in esse extra Ecclesiã.*
138 *Offendens in vno quomodo dicatur reus omnium.*
139 *Quis sit membrum Ecclesiæ sine actuali professione fidei.*
140 *Infans baptizatus à Patre hæretico est intra Ecclesiam.*
141 *Infans fidẽ profitetur, & subiectionem per Ecclesiã.*
142 *Damnati desinunt esse de Ecclesia.*
243 *Quomodo credunt in inferno.*
144 *Fides infusa & acquisita.*
145 *Purgantes sunt de Ecclesia nostra.*
146 *Hæreticum est dari tertiam* Ecclesiam.
147 *Cur simplices peccatores non sunt extra Ecclesiam.*
148 *Errare non potest Ecclesia* 163.
149 *Synagoga argumentum non valet ad* Ecclesiam.
150 *Ecclesia comparatur lunæ.*
151 *Salus in Ecclesia tantum est.*
152 *Sacramenta quoad profectum sunt intra Ecclesiam.*
153 *Persecutio propter iustitiam est tantum intra Ecclesiam.*
154 *Martyrium verò solùm in* Ecclesia. 164.
155 *Miracula vera sunt tantum intra* Ecclesiam. 165.
156 *Romana* Ecclesia *vniuersalis, & localis.*
157 *Romana* Ecclesia *est vera Ecclesia, aliis exclusis.*
158 *Vnitatem habet Romana* Ecclesia.
159 *Sanctitatem.* 37.
160 *Catholica est Romana* Ecclesia. 44.
161 *Apostolica.* 48.
162 *Indefectibilis.* 74.
163 *Inenarrabilis.* 148.
164 *Martyrium in sola Ecclesia Romana.* 154.
165 *Miracula vera in sola Romana* Ecclesia. 155.
166 *Miracula fidem requirunt.*
167 *Potestas miraculorum ab Ecclesia.*
168 *Miracula non recipientes sunt* Ecclesiæ *hostes.*
169 *Vrbs vetus, & noua euanuit hæc distinctio.*
170 *Sanctus quomodo dicatur deficere à Psalmista.* 177.
171 *Homines dicuntur inutiles ad bene agendum viribus propriis.*
172 *Confusa dicitur Ecclesia ab extrinseco.*
173 *Ecclesia non est Synagoga Satanæ.*
174 *Papa vniuersalis quomodo non dicitur.*
175 *Romana Ecclesia quomodo dicatur vniuersalis.*
176 *Romana successit Apostolis in prædicatione, & Sacramentis.*
177 *Sanctus defecit.* 1. *Adam peccando.* 170.
178 *Discessionis nomine quid intelligatur.*
179 *Hostia, & sacrificium cessabit in medio hebdomadæ.*
180 *Romana* Ecclesia *Mater omnium Ecclesiarum.*
181 *Et caput earumdem.*
182 *Romana habet primatum.*
183 *Ex præcepto Domini.*
184 *Ex* Papatu *habet præeminentiam.*
185 *Episcopatus omnes pares in ordine ad Papatum.*
186 *Primatum immediatè habet à Deo.*
187 *Calcedonense Concilium de primatu Petri.*
188 *Aliquid dicitur maius alio quantitatiuè, & qualitatiuè.*
189 *Ecclesia an maior Papa, Concilio, vt scriptura.*
190 *In corpore Ecclesiæ tria spectantur.*
191 *Scriptura non est maior Ecclesia, nec Papa, nec Concilio.*
192 *Ecclesiæ diuisio in Pontificiam, & reformatam est falsa.*
193 *Præceptorum genera duo sunt in Ecclesia Dei.*
194 *Reformatio dicit mutationem, & restitutionem in pristinum.*
195 *Reformare supponit potestatem in reformante.*
196 *Romana Ecclesia sumitur tripliciter.*
197 *Destructis omnib. Romana adhuc subsistit Ecclesia.*
198 *Episcopus est sponsus Ecclesiæ.*
199 *Imperator rex Romanorum, tamen nihil habet.*
200 *Episcopus potest esse sine sponsa.*
201 *Ecclesia semper possedit bona.*
202 *Pecunia prohibita Apostolis non vbique.*
203 *Venenum cecidit in Ecclesiam, est fabulosum.*
204 *Apostoli nil proprij habebant vt personæ priuatæ.*

205 *Tribu*

205 *Tributum nulli soluit Ecclesia.*
206 *Tributi solutio signum subiectionis.*
207 *Imperator Filius Ecclesiæ subiectus.*
208 *Tributum à Christo, & Petro datum Cæsari ad euitandum scandalum.*
209 *Tributum aliud à Recognitione.*
210 *Hæreticum dicere Ecclesiam dare tributum.*
211 *De occultis non iudicat Ecclesia.*
212 *Sed tantum de publicis.*
213 *Et de internis coniunctis cum externis.*
214 *Præcedentia Ecclesiarum.*
215 *Lateranensis aliis omnibus praeminet.*

1 Ecclesiæ nomen sumitur duobus modis. Primò, pro materiali loco deputato ad diuinum cultum, de quo hic agendum non est, vnde & vocatur Ecclesia localis, à qua Episcopi denominantur, vt inter se distinguantur, v. g. Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis, Laudensis, Ferrariensis, &c. Secundò, accipitur pro personis fidelibus cultum diuinum exercentibus in Ecclesiis localibus, seu extra, vbique enim licet colere Deum, vocatur autem Ecclesia formalis ad distinctionem materialis, dicitur autem personalis, & viuens, à personis, & à vita magis spirituali, quam temporali, est ergo Ecclesia Congregatio fidelium in ordine ad diuinum cultum veri Dei sub Romano Pontifice.

2 Omitto Ecclesias Paganorum, & Hæreticorum, quæ veræ Ecclesiæ non sunt, sed falsæ, & impiæ. De Ecclesiis Paganorum, quæ in Sacra Scriptura vsitatius vocantur, Templa Deorum, Dagon, Baalim, Astaroth, &c. manifestum est, illas esse impias, & mortiferas, in quibus coluntur inanes Dij inutiles, exanimes, qui nil prodesse possunt hominibus, cum ab illis fabricentur sine inspiratione animæ. Templa Deorum ab Ecclesiis quoque hæreticorum reprobantur, & reiiciuntur tanquam sacrilega, in quibus derogatur reali cultui veri Dei. Ea pariter semper detestata fuit Synagoga Hebræorum ante, & post aduentum Christi Domini.
3 Hæreticorum Ecclesia licet ordinetur ad diuinum cultum, tamen quia regulatur ex falsis dogmatibus, & ritibus, quæ aduersantur veræ Christi Ecclesiæ, ideò semper hæc quoque reprobata fuit etiam ab ipsis Apostolis, quorum tempore hæretici conabantur veram Ecclesiam confundere Act. 19. 32. *Erat enim Ecclesia confusa*, hinc est, quod immeritò Ecclesia eorum vocatur Ecclesia confusionis ex diuersitate Doctrinarum, seu potius errorum, & falsorum dogmatum, quæ inter se continuè excitant, nullam habentes stabilitatem in rebus fidei, sicut Ecclesia sub Pontifice Romano, quæ semper constans fuit, & immutabilis in dogmatibus veræ fidei. Ecclesia demum Iudæorum dicta Synagoga ordinatur quidem ad diuinum cultum ex suo instituto in ordine ad incarnationem Filij Dei, adeò quod illa fuit vera Dei Ecclesia vsque ad aduentum Christi, exlata, exaltata, & laudata à Deo, vti gens, & populus electus in æternam hæreditatem, sed quia incarnationem Filij Dei noluerunt credere, nec eius prædicationem recipere, & quod peius est, illum crucifixerunt, ideò eorum Ecclesia à Deo reprobata fuit derelicta in dispersionem, quod euenisse, manifestum apparet omni populo, & cunctis nationibus, etiam ipsis Iudæis, qui aberrant per orbem sine duce, sine capite, sine regimine subiecti quibuscumque nationibus ex sua incredulitate, & obstinatione, id solum deberet illis aperire oculos, sed quia cæci sunt, seipsos ab hac miseria releuare non possunt. De supradictis Ecclesiis Paganorum, Hæreticorum, & Iudæorum intelligitur illud Psal. 25. 5. *Odiui Ecclesiam malignantium & cum impiis non sedebo.* Quia opponuntur veræ Ecclesiæ, quæ est tantum Romana vniuersalis, Pagana quidem ex cultu plurium Deorum, quos Romana detestatur. Iudaica vero Catholicæ Ecclesię aduersatur ex

4

5

6

negatione Verbi incarnati, quod fatetur Romana. Hæretica tandem contrariatur Ecclesiæ Romanæ ex falsis dogmatib. quibus inaniter conatur impugnare veram Christi fidem. Deus ergo dedit illas tres Ecclesias vti falsas, & impias, hoc nomine indignas, & in illis, nec cùm illis sedet per suam assistentiam, prouidentiam, & directionem, sed deserit relinquendo iusta condemnatione eas ad ignem æternum.

Restat ergo, quod vera Dei Ecclesia à Christo Domino sanguine suo fundata, sit illa, quam profitentur fideles sub Romano Pontifice legitimo Petri successore, nuncupata Ecclesia Romana, de qua agendum est. Diuiditur autem Ecclesia in Militantem & Triumphantem, illa dicitur Militans, quia homines in hac 7
vita, quæ à Iob cap. 7 1. vocatur militia super terram, continuam pugnam habent cum carne, mundo, & & diabolo, à quibus si victoriam fideles reportent, coronantur, victoribus enim trophæum debetur; se ergo debent exercere in bonis operibus, quibus mediantibus cum diuino auxilio possint lucrari vitam æternam in alia vita, quæ est Ecclesia Triumphans, cum qua post diem iudicij vnientur prædestinati in Ecclesia Militante, vt fiat vnum ouile sub eodem Pastore, testante Ecclesia viatorum, qui tunc erunt in termino, vt in æternum viuant cum Christo in patria cœlesti. De Militante autem solum agendum est, quia gratia Dei eius milites sumus.

Differt autem nostra Ecclesia ab illis tribus. *Primò,* 8
quia nostra propriè & verè talis est ex capite Christi; illæ autem tres impropriè sunt Ecclesiæ, acephalæ, & sine capite. *Secundò*, illæ sunt mortuæ vitâ spirituali, viuentes tantum vitâ naturali animæ, cum sint desertæ à Christo, qui est auctor vitæ spiritualis; Christiana verò viuit vtrâque vitâ, naturali, & spirituali, quæ omnibus per regenerationem Baptismi in Ecclesiam intrantibus confertur. *Tertiò*, illæ tres Ecclesiæ sunt malignæ, mortiferæ, & mortuæ, nullum remedium salutis afferentes suis membris, Christiana verò benigna est, viuificans suos alumnos, quos iustificatos inducit ad salutem æternam. *Quartò*, homines illarum trium Ecclesiarum prætendunt fabricare sibi bona, sed inaniter, quia carent fundamento, sine quo tota fabrica corruit; vnde Pagani ædificant ligna idolorum; Iudæi fænum infidelitatis, quod sectum à gratia Dei dispergitur, & aresit in eorum damnationem; Hæretici ædificant stipulam, quæ ab omni vento erroris circumfertur in eorum insipientiam. Christiani vero super veram Ecclesiam, quæ solido nititur fundamento Petræ, qui est Christus, ædificant aurum, vt facit summus Pontifex definiendo res fidei, argentum, vt facit sacrum Concilium, quod de rebus fidei & morum disponit, dependenter ab auctoritate Pontificum; fabricant demum lapides pretiosos reliqui prælati, Doctores, & prædicatores Catholicam Ecclesiam prædicationibus, doctrinis, exemplis, & bonis operibus instruentes, & propagantes. Argumentum huius differentiæ habes ab Apostolo Paulo scribente ad Corinth. 1. cap. 3. num. 12. his verbis. *Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos.* Ecce opus bonum Catholicorum; *ligna, fænum, stipulam vniuscuiusque opus manifestum erit.* Ecce opus inutile aliorum, qui nolunt esse membra Catholicæ Ecclesiæ, cuius opus manifestum est esse bonum, sanctum, vtile, & meritorium vitæ æternæ, aliorum vero opus constat esse malignum, inutile, & dementorium.

Synagoga demum Iudæorum spectari potest dupliciter, vno modo prout consideratur ab initio mundi 9
vsque ad Christum, cuius mysteria in vmbra, & figura profitebatur, in quo sensu Ecclesia Iudæorum fuit sancta, & bona, quia futuram tunc Christi figurabat, per cuius aduentum cœpit ægrotare infirmitate ad

mortem extincta per mortem Christi dum in cruce positus dixit: *Consummatum est*, in cuius locum successit Ecclesia nostra. Secundò spectari potest prout remansit, seu potius noua inducta fuit per incredulitatẽ Hebræorum Christi incarnationem nolentium credere; & hoc modo spectata eorum Ecclesia vana est, mortua, & mortifera, connumerata superius cum cæteris Ecclesiis malignantium. Sed vt clarius in hac materia procedamus, per quæstiones tractanda est.

Quæres igitur primò, an detur vera Christi Ecclesia, & hoc de fide sit credendum?

10 ℞. Datur vera Christi Ecclesia, & hoc de fide tenendum est, provt definitum extat in vtroque symbolo his verbis: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Christus Dominus docet modum, quo quisque debet corrigere suum fratrem peccantem Matth. 18. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corrige eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuũ, si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Id est prælatis Ecclesiæ, ex his deducitur existentia Ecclesiæ, si enim non daretur, frustra Christus dixisset: *Dic Ecclesiæ.* Christus autem non frustra, nec inaniter loquitur, sed serio, & vtiliter prouidit Ecclesiæ de ministris, qui contumaces correctionem recipere nolentes cogerent per mulctã ad emendationẽ. Quando Petrus fuit carceribus mancipatus Ecclesia sine intermissione pro illo orabat, vt liberaretur à Christo, à quo exaudita fuit Act. 12. 5 quod non euenisset, si Ecclesia non existeret, constans ergo est Ecclesia in rerum natura, quod nemo iure negare potest, nisi sit insipiens. Non est infidelis Deus, nec Christus mẽdax, sed verax, & fidelis, qui suis stat promissis, & quod fidelibus suis spondet, infallibiliter impertit; Christus Matth. 10. 18. promisit Petro se fundaturum Ecclesiam super eius humeros: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, id quod reuera, & cum effectu præstitit in sua passione per sui sanguinis effusionem, Act. 20. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Nullatenus ergo à quoquã dubitandum est de vera Ecclesiæ existentia, quam etiam dari non solum debemus credere, sed etiam cognoscere id, quod experientia rerum magistra nos docet, & aduersariorum cõtradictio demonstrat, non enim nihil impugnant, sed veram Dei Ecclesiam, ex quo & ipsi coguntur fateri existentiam Ecclesiæ, nisi more stultorum, licet alias stulti aërem verberare, vt reuera percutiunt, dicantur.

Quæres 2. An ab origine mũdi Deus fũdauerit Ecclesiã dictã Synagogã, quæ est figura Ecclesiæ Christi?

11 ℞. Deus ab origine mundi fundauit Synagogam in Adamo, vt esset figura Ecclesiæ nostræ, quam idem Deus fundauit in secundo Adamo, qui Christus est, & hoc est de fide tenendum, quod ex Sacra Scriptura apertè habetur Gen. 2. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est, quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Per hæc verba demonstratur Synagoga in Adam fundata, figura nouæ Ecclesiæ per Christum institutæ, vt dicit Apostolus ad Ephes. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum est*, loquitur de supradicto. *Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quod sermo sit de Synagoga ab initio à Deo instituta in figura Ecclesiæ, docet S. Augustin. tract. 2. in Euangel. his verbis. *Reliquit Matrem, nempe Synagogam Iudæorum, de qua secundum carnem natus est, inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit.* Ecclesia cognoscitur existere ex eo quod per eam fiunt sacrificia, & laudes Deo deferuntur; Adam autem cum filiis suis ab initio mundi hæc præstitit, nam Adam generationem filij sui Cain cognouit per Deum Gen. 4. 1. *Possedi hominem per Deum*, Deum laudauit, dum recognouit auctorem suæ prolis; eius filij Cain, & Abel obtulerunt Deo sacrificium, vt ibidem textus testificatur, in ipsis ergo Synagoga constituta fuit à Deo. Ratio postulabat, vt sicut peccatum ab initio fuit, esset quoque Ecclesia, quæ haberet remedium, & Sacramentum ad expiationem peccati. Demum Ecclesia nil aliud est, quam Congregatio fidelium, vt constabit infra q. 4. sed initio mundi erat huiusmodi Congregatio in Adamo, & Eua, ac filiis eius, ergo erat Ecclesia ex illis compacta, nam Congregatio dicitur vbi sunt duo, vel tres Congregati 12
cap. 1. de elect. deductum ex Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo, vel tres Congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Deus per suam gratiam erat in medio Synagogæ dirigens in illa suos electos. Addo verba D. Gregorij homil. 19. in Euang. *Qui habet vineam vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est.* Et D. Aug. tom. 10. serm. 11. Dom. X. post. Trinit. *Nam & in sancta Abel Ecclesia Catholica fuit, & in Noë, & in Abraham, & in reliquis vsque ad aduentum Domini Saluatoris.*

Quæres 3. A quo tempore Christus fundauit Ecclesiam suam!

℞. Christus in morte sua fundauit Ecclesiam effusione sanguinis sui, quam ædificauit super Petram, nempe Petrum Apostolum, dum illi tradidit claues regni cælorum, cuius præcepta Euangelica cum cæteris Apostolis in die Pentecostes promulgauit omni nationi Ierosolymis congregatæ. Et hæc omnia sunt de fide, vt constat ex allegandis Scripturis.

Primum de fundatione Christi probatur ex Apoc. 5. 13
9. *Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes.* Nomen *Regnum* significat nostram Ecclesiam militantem, vt docet D. Greg. Homil. 13. in Euang. illis verbis: *Sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis tẽporis Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit: Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis, in quo pax summa est, inueniri scandala poterunt, quæ colligantur.* Vocatur ergo Ecclesia Christi Regnum, quod sanguine suo redemit illud spiritualiter fundando in cordibus nostris. Clarius idem demonstratur Act. 20. 28 *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quã acquisiuit sanguine suo.* Ibi enim est initium Ecclesiæ Christi, vbi est principium actuale nostræ redemptionis, incongruum enim est dari vnum sine altero, quia in sola Ecclesia est salus, extra illam vero damnatio, & confusio, sed per passionem, & mortem Christi cæpit nostra redemptio, ex allegata auctoritate, & ad Coloss. cap. 1. 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum.* Ergo & per ipsum cæpit Ecclesia in eius morte.

Secundum, quod eam à se fundatam ædificauerit su- 14
pra Petrã. 1. Petrũ eius Vicarium in terris visibilẽ, probatur Matth. 16. 18 *Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Ante suam passionem Christus Petro promiserat ædificationẽ suæ Ecclesiæ, vt in ea esset primus lapis, qui ab eo poneretur, quam promissionem adimpleuit paulo antequam ascenderet in cælum, cum illi dixit: *Pasce oues meas*, potestate primatus, & scientia Euangelij, his enim duobus, & aliis sacris mysteriis Ecclesia Dei ædificatur, consurgit, & propagatur à Petro cum aliis Apostolis. Sed de hac re alibi, cum de Apostolis agemus.

Tertium, quod in die Pentecostes Ecclesia promul- 15
gata fuerit, & vnita sub vno capite Petri, probatur ex

Sacra Scriptura, nam antequam eleuaretur in cælum Christus, Lucæ cap. fin. num. 49. Apostolis præcepit: *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Hæc autem indutio ex alto fuit illapsus Spiritus Sancti in eos in die Pentecostes, quo lex Euangelij promulgata fuit, & Ecclesia solemnizata per illud operante Spiritu Sancto in capite, & membris eius per infusionem cælestis gratiæ Ecclesiam cõfirmantis, & consolidantis, Act. 2. *Erant omnes pariter in eodem loco & factus est repentè de cælo sonus tanquã aduenientis Spiritus, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperũt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Primus autem omnium, qui in promulgatione Euangelij, & publicatione Ecclesiæ locutus est in die
16 Pentecostes, fuit Petrus Apostolorum Princeps, & Christi Vicarius: *Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis.* Decebat illum primò loqui, quia aliorum caput, & magister erat, & legislatoris primarius promulgator.

Dices, Ecclesia erat ante passionem, & mortem Christi, nam ea omnia quæ post mortem cernebantur in Ecclesia, præexistebant eius passioni, cuiusmodi sunt sacrificium altaris, Sacramenta, Euangelium & ministri nempe Apostoli, & Discipuli sub Christo capite, nam sacrificium, & Sacramenta instituit ante mortem, Euangelium similiter prædicauit, & omnibus tanquam caput præerat, ergo ante mortem erat Ecclesia.

17 ℟. Quod sicut in ædificatione materiali duo spectantur, materia nimirum consistens in lapidibus, calce, lignis, & huius generis, quæ præparantur ad structuram ædificij fundandi, & erigendi; atque fabricæ constructio, & absolutio, quæ est materiæ in vnum coadunatio ordinatim facta per manus artificis: ita in spirituali ædificatione Ecclesiæ duo similiter considerantur, præparatio materiæ & eiusdem compositio in vnum, ex quo actu fundatur, erigitur, & completur spirituale ædificium. Christus primus, & principalis artifex ante suam mortem materiam præparauit per institutionem Sacramentorum, per prædicationem Euangelij instruendo suos discipulos, quomodo fabricã Ecclesiæ à se fundandam per mortem ædificarent, & erigerent tempore debito, quæ omnia sanguine suo quasi cemento contemperando in vnum coaptata iecit fundamenta Ecclesiæ super quæ postea Apostoli cum Petro eorum Principe ædificauerunt, superponendo Petram fidei suæ solidam, firmam, & stabilem, contra quã nunquam poterunt præualere portæ inferi. Non poterat ædificari, & stabiliri vltimo Ecclesia iuxta Christi promissionem, nisi post datas eidem claues regni cælorum, quas eidem tradidit Paulo antequam ascenderet in cælũ, cũ dixit: *Pasce oues meas* iuxta superius dicta.

Quæres 4. Quid sit Ecclesia militans?

18 ℟. Ecclesia est Congregatio spiritualis hominum baptizatorum fidem diuinam profitentium sub Pontifice Romano ordinata ad cultum diuinum.

19 Dixi primò *Congregatio*, eam sic vocauit Machab. lib. 1. c. 3. n. 13. *Congregauit Iudas Congregationem fidelium.* Eodem nomine vsus fuit Paulus ad Thesal. Ep. 1. c. 2. *Rogamus autem vos Fratres propter aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ Congregationis in idipsum.* Item 2. Machab. 2. 7. magis ad rem nostram his verbis: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus Congregationem populi, & propitius fiat.* In morte Christi filij sui Deus hanc Congregationem vniuit sub imperio
20 eiusdem, & Petri eius Vicarij. Vocatur etiam collectio fidelium cap. Ecclesia 8. dist. 1. de consecrat. Quæ duo Congregatio, & collectio indicant Ecclesiam etiam ab initio constitutam fuisse non ex vno, aut altero homine fideli, sed ex quamplurimis, vt denotant illæ dictiones, & testatur Lucas c. 2. Act. 41. *Qui ergo receperunt sermonem eius.* i. prædicationem Petri in die Pentecostes, *baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Iulius Papa Decr. 8. relatus tom. 1. Cõcil. antiq. inquit: *Ecclesia græcum nomen est, quod in latinum vertitur conuocatio, propter quod ad se vocat omnes.* Ecclesia pia Mater neminẽ excludit à gremio suæ misericordiæ, sed omnes recipit, omnes amplectitur tãquam filios carissimos, quos in visceribus Christi sũmè diligit, procurando illis salutem animæ. Conuocantur ergo ad Ecclesiam etiam omnes infideles, quia Deus vult omnes homines saluos fieri in ea, extra quam nulla salus, si annuunt bonæ inspirationi, vel prædicationi congregantur, & colligantur in vnitate fidei, spei, & Caritatis in Christo Iesu. 21

Dixi 2. *Spiritualis.* Cõgregatio hæc profana non est, nec temporalis, sed spiritualis ordinata ad cultum diuinum per sacrificia, Sacramenta, prædicationẽ, & mandatorum obseruationem in ordine ad salutem animæ, meritò igitur Congregatio spiritualis nuncupatur. 22

Dixi 3. *Hominum*, non belluarum, quia & si grex, & ouile ouiũ Ecclesia dicitur propter suã puritatẽ, simplicitatẽ, & humilitatẽ, non ideò cõponitur ex ouibus ratione carentibus, sed ex hominibus, qui per eã puri, simplices, & humiles fiunt per lauacrũ regenerationis Iesu Christi. Dicitur quoq; *Hominum* ad distinctionẽ Angelorũ, qui non sunt partes huius Ecclesiæ militãtis, sed tantũ curiæ triũphantis milites coronati, quibus electi post diẽ iudicij iũgẽtur sub vno ouili, & Pastore. 23

Dixi 4. *Baptizatorum*, quia nullus potest ingredi in hanc Ecclesiã, nec in ea describi, & illius fieri pars, aut membrũ, nisi per Sacramentũ baptismi, per quod aperitur porta, & ianua ingressus Ecclesiæ militantis; quod aperte colligitur ex Act. 2. 41. *Qui ergo receperunt sermonẽ eius baptizati sunt & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Verbũ illud *Appositæ* significat descriptionẽ in libro Ecclesiæ illorũ, qui baptizati fuerunt, effecti mẽbra eiusdem corporis Ecclesiæ, vt dicit Paulus 1. ad Corinth. 12. 13. *Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus.* Baptismũ ergo facit nos viua mẽbra corporis Ecclesiæ; ex quo sequitur omnes fideles subiici legibus Ecclesiasticis non solũ Euãgelij, verum etiã aliis à sũmo Pontifice, & aliis ministris Ecclesiæ latis, & promulgatis, vt tradũt Canonistæ in c. Maiores, de baptism. 24

Dixi 5. *Fidẽ diuinã profitentiũ.* Qui baptizantur fiunt mẽbra Ecclesiæ viua, non vt otiosi sint, sed vt se exerceant in cultu Dei, credendo, sperando, & amando Deũ, & potissimum in receptione, & administratione Sacramentorũ, prædicatione, & aliis operibus bonis, id enim est fidem profiteri, fides enim vocatur, quia fit, quod dicitur, & per eã præscribitur, fit autẽ credendo, & operando, quia fides sine operibus mortua est, Iacob 2. 10. Fides autem tribus modis profitetur, corde, ore, & opere: de primis duobus ad Rom. 10. 10. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutẽ.* De tertiò Iacobi loco citato. *Fides sine operibus mortua est.* 25

Corde fides profitetur, cum baptizaturus, si est adultus, instructione credit mysteriis fidei, & illis ex corde assentitur, post receptũ baptisma perseuerando in credendo sine vlla hæsitatione; si vero sunt infantes per Ecclesiã fidẽ profitentur corde, per quã illis infusã in sacro Baptismate dicuntur virtualiter credere, quia credunt quatenus parentes eius, qui de Ecclesia sunt, pro eis fidẽ profitentur, *cap. Paruuli 74. cap. Nihil est 76. cap. Cum pro paruulis 77. cap. Vos ante omnia 105. dist. 4. de consecrat. cap. Maiores 3. de baptism.* vbi refertur ea opinio, quod infantes credunt, non per vsum, sed per habitum fidei, non reprobata, quem per baptismũ recipiunt infusum à Deo, vnde baptismũ à S. Patribus in Tridentino sess. 6. cap. 7. dicitur Sacramentum fidei, quia in baptismate, & nõ in aliis Sacramentis, respectu quorũ supponitur in fideli, infunditur fides baptizatis. 26 27

28 Ore vero fidem homines profitentur, cum illam confitentur, vel alios instruendo in prædicatione Euangelij, vel redarguendo eos, qui illam negant. Per confessionem fidei quis non constituitur membrum Ecclesiæ, sed iam constitutus, & in ea descriptus, magis viuificatur, & corroboratur, atque per hoc Ecclesia probatur visibilis, & sensibilis.

Opere demum baptizatus fidem profitetur, cum exequitur fidelis id quod credit, obseruando diuina præcepta, viuendo iuxta leges, ritus & mores Ecclesiæ, propter obligationem contractam in receptione baptismi. Hæc professio externa fidei per opera supponit, baptizatum esse iam adscriptum intra librum Ecclesiæ, probans Ecclesiam visibilem, & sensibilem esse in rerum natura.

29 Dixi demum: *sub Romano Pontifice*, quo nomine venit Petrus, qui vt suo loco demonstrabimus est Pontifex Romanus, & eius successores; sicut enim Christus suam Ecclesiam super Petrum ædificauit, ita & illius caput voluit eum esse, cum suis successoribus; indiget autem Ecclesia capite, quia sicut corpus naturale sine capite moritur, & nihil operari potest, ita in moralibus corpus Ecclesiæ subsistere non potest, si non adhæret suo capiti. Quod Petrus, & eius successores Romani Pontifices sint eius caput, & non alij infra suis locis probatur.

30 Colligitur ex dictis, vt quis fiat membrum viuum Ecclesiæ requiruntur tria, primò quod sit baptizatus; secundò quod fidem profiteatur credendo, tertiò, quod sit subiectus Romano Pontifici, sicut membrum vnitum suo capiti, quatenus tale est.

Quæres 5. An, & quomodo Ecclesia fundata sit, seu ædificata ab Apostolis?

31 ℞. Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ tanquam duodecim lapides à Christo iacta in fundamento, quorum primus fuit Petrus Apostolus, reliqui eius coadiutores, à quibus subsequenter propagata fuit, & continuè manutenetur ab eius ministris.

32 Primum de duodecim lapidibus pro fundamento Ecclesiæ iactis probatur auctoritate Apocalyp. 21. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum Agni.* Nomine *Ciuitatis* intelligitur Ecclesia militans, de qua paulo ante sub eodem capite num. 10. dixerat: *Ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo.* Sola autem militans dicitur descendere à Deo, qui eius est conditor, de cælo ad terram ad differentiam triumphantis, quæ sursum manet, & non potest descendere, cum sit maior, & superior ad militantem, quæ ideo dicitur descendere. Chrisostomus tom. 6. serm. de Pentecoste testatur id illis verbis: *Apostoli sunt Ecclesiæ fundamenta, quia in eorum confessione fundata est Ecclesia.* Origenes homil. 1. in Matthæum. *In omnibus Apostolis fundata est Ecclesia Dei.* Lactant. lib. 4. cap. 21. de diuinis institution. *Fundamenta Ecclesiæ Apostoli vbique posuerunt.* Res est ergo certa, & de fide credendum ex allegatis auctoritatibus, & aliis in sequentibus adducendis.

Secundum de Petro primo lapide constat, tum quia illi in specie promisit huiusmodi fundationem. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,* quod præstitit cum illi dixit. *Pasce oues meas.* Tum quia cum sit caput Ecclesiæ, & illius primatum habuerit, consentaneum quoque fuit, vt ipse primus esset lapis funda-
33 menti. Tùm quia in publicatione Ecclesiæ, & promulgatione Euangelij fuit primus præco, quia in die Pentecostes, in quo Ecclesia proclamata fuit, primus omnium locutus fuit, vt dicitur Act. 2. 14 *Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis.* Necessarium fuit, vt primo loqueretur, quia erat maior. Idem de fide est.

34 Tertium de erectione, & propagatione Ecclesiæ per eosdem Apostolos probatur Act. 2. 41. *Qui ergo receperunt sermonem eius.* 1. Petri, *baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa circiter tria millia animæ* cap. 5. 14. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, & mulierum.* Prædicatione scilicet Apostolorum, de quibus Paulus Epist. 2. ad Ephes. 19. *Non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum.* Creuit ædificium super fundamentum ipsorum Apostolorum fidelium, qui sunt ciues sanctorum, & de domo Dei.

Dices, nonnulli Sancti Patres cum D. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum docent, duodecim Apostolos æqualiter fuisse fundamenta Ecclesiæ, tum quia in Apocal. loco citato dicitur, quod duodecim fundamenta sunt duodecim Apostoli sine vlla differentia. Tum quia idem Hieronymus id expresse docet: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum alio in loco super omnes alios fiat Apostolos, vt ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidaretur.* Ergo nulla est discretio lapidum, sed omnes æque pertinent ad fundamentum.

℞. Sicut in legibus humanis vna pars explicat 35
aliam, *l. Non est dubium, ff. de legib. l. qui filiabus 17. ff. de legat.* 1. Decius *consil.* 442. *num.* 3. ita vna scriptura aliam declarat, quare cum claram habeamus scripturam de Petro, qui futurus erat fundamentum Ecclesiæ, ex ore Christi, & non de cæteris Apostolis, nisi per Apocalypsim, in cuius verbis sub numero duodenario comprehenditur etiam Petrus, signum euidens est, Petrum ex illa speciali, & indiuidua expressione, meritò dicendum esse lapidem primarium. Nec contrarium voluit D. Hieronymus, illud enim verbum (*ex æquo*) re- 36
fertur ad officium prædicationis, quod à Christo illis immediate, & sine vlla discrepantia communicatum fuit, & præceptum Marci cap. fin. 15. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Æqualitas fuit in officio, quia non magis vni, quam alteri cōmittit prædicationem Euangelij. Restat ergo in sua veritate, & firmitate, quod duodecim Apostoli sint fundamenta, & priores lapides Ecclesiæ, sed in fundamento Christus prius iecit Petram principis Apostolorum, cui solum id expresse promiserat, & in consequentiam aliis, tanquam eius coapostolis, infra enim constabit Petrum in omnibus habuisse primatum, ac proinde etiam in fundatione Ecclesiæ.

Quæres 6. An Ecclesia sit vna, vel multiplex?

℞. Ecclesia est vna hoc de fide definitum in sym- 37
bolo Missæ, collectum habes ex variis locis Sacræ Scripturæ Cant. 6. 8. *Vna est columba mea.* 1. Corinth. 12. 13. *Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* Et infra num. 27. *Vos autem estis corpus Christi.* Quare sicut vnus est Christus, ita & Ecclesia Christi corpus est vna; vnde ad Galat. 3. 28. *Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Ad Coloss. 3. 15. *Vocati estis in vno corpore.* Vide extrau. de Maior. vbi plura determinantur de Vnitate Ecclesiæ. Et aliis pluribus in locis præscribitur, & commendatur vnitas Ecclesiæ, quæ omninò necessaria est, aliter destruitur, quia omne regnum in seipsum diuisum desolabitur
inquit Christus Lucæ 11. 17. Huiusmodi autem vni- 38
tatis necessitas colligitur ex tribus; primò, ex vnitate fidei, hæc enim ex sua essentia, & intrinsecis est vna, tam ab auctore, qui vnus est Deus, quam ab eius ratione formali, quæ est vnica veritas Dei reuelantis, qui ex sua omni scientia falli non potest, nec fallere, & decipere, ex sua infinita bonitate; sicut ergo fides vna est ab vnitate Dei, & ab vna eiusdem veritate infallibili, & inuariabili, cui non potest subesse falsum, ita vnitatem hanc retinere debet in sensu, & sententia, in
quam omnes conuenire debent sub eodem capite, 39
quia fidei dogmata diuersas non patiuntur opiniones, propter

propter eorum certam, & infallibilem veritatem. Confirmatur id, nam fides explicatur per collectionem articulorum, & propositionum, quæ omnes in ratione veritatis, certitudinis, & infallibilitatis conueniunt sub eadem ratione formali vnius primæ veritatis Dei reuelantis, ita quod impossibile est, quod illa possit diuidi, cum vnitas sit indiuisibilis, & implicat contradictionem, quod vna, & eadem propositio sit simul vera & falsa, si ex reuelatione diuina est realis, & vera, vtique excludit falsitatem, vnum enim ex diametro alterum expellit, non patitur ergo
40 diuisionem ex sua vnitate, sicut patitur opinio, quæ ad diuersa refertur. De hac fidei vnitate sequitur Dauid in Psal. 67.7. *Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Id est, homines fideles sub vna fide in domo Ecclesiæ.

Ecclesia secundò probatur vna ex vnitate baptismatis, per quod quisque constituitur membrũ Ecclesiæ, de qua vnitate Baptismi Paulus Apostolus cõqueritur contra nonnullos, qui volebant diuidere baptismum, quasi alius esset baptismus collatus à Petro, & ab aliis Apostolis, hos increpauit, demonstrando vnitatem baptismi ab vnitate Christi eius auctoris, ad Corinth. epist. 1. cap. 1. num. 11. *Significatum est mihi de vobis Fratres mei ab iis, qui sunt Cloes, quia conten-*
41 *tiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem apollo, ego vero cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Numquid Paulus Crucifixus est, pro vobis? aut in nomine Pauli Baptizati estis.* Sumitur ergo vnitas Ecclesiæ ab vnitate baptismatis, quia baptismatis virtus semper eadem est remittendi peccata, siue conferatur à Paulo, siue à Petro, siue à Iuda, quia semper operatur virtute Passionis Christi, ita *S August. tract. 5. in Ioannem, relatus cap. dedit. 46. 1. quæst. 1.* Eius vnitas non solum deducitur ex vnitate virtutis Christi, per quem idem omnino baptismus confertur, siue à bonis, siue à malis, in quibus diuisis adhuc retinet suam vnitatem, quia eius virtus non diuiditur per diuersitatem baptizantium? verum etiam ex vnitate irreiterabilitatis, nam ideò baptisma est vnum, quia non est reiterabile, nam esse reiterabile arguit pluralitatem, & diuisibilitatem.

Ex vnitate tandem capitis tertiò probatur vnitas Ecclesiæ, nam Christus fundator Ecclesiæ vnus fuit, & vnam fundauit Ecclesiam ad salutem omnium sufficientem, & pro suo successore in gubernatione. Eiusdem vnicum elegit Petrum, & sic successiue, vnus tantum post mortem loco alterius electus fuit, vt perpetuò Ecclesia sub vnico capite continuo tanquam sub monarcha gubernaretur. De qua vnitate capitis infra suo loco.

Tria hæc sub vnitate capitis, baptismi, & fidei probantia vnitatem Ecclesiæ Apostolus coniunxit ad Ephes. 4. 5. scribens his verbis: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, Adde vnitatem hanc colligi ex vnitate caritatis ad Colos. 3. 15. *Super omnia autem caritatem habete quod est vinculum perfectionis, & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote.* Item ex vnitate spei, ad Ephes. 4. num. 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestra.* Ab his ergo omnibus Ecclesia habet suam vnitatem, à quibus quasi recipit suam rationem formalem, & ab iis cognoscitur, quisnam sit membrum Ecclesiæ.

Dices, Ecclesia non probatur esse vna per illa tria, quælicet vnumquodque eorum in se sit vnum, tamen respectu Ecclesiæ, quam constituunt remanent tria inter se distincta, ergo non possunt tribuere vnitatem Ecclesiæ. Præterea alia est Ecclesia Romana, alia Alexandrina, alia Antiochena, alia Mediolanensis, alia Parmensis, vnusquisque enim Episcopatus propriam habet Ecclesiam ab aliis distinctam.

℞. Singula illa tria ad se inuicem comparata vnum non sunt, sed tria inter se diuersa ex propriis singulorum rationibus, comparata vero in ordine ad Ecclesiam, quam constituunt habent rationem vnius, partes enim in toto, quod ex illis coalescit sunt vnum, omne enim totum suam habet vnitatem. Neque pluralitas Ecclesiarum desumpta à denominatione locorum diuidit vnitatem Ecclesiæ, quia omnes Ecclesiæ plures, & diuersæ secundum loci denominationes, immò & secundum peculiares consuetudines non degenerant ab vnitate vniuersalis Ecclesiæ, cum qua conueniunt in ea vnitate fidei, baptismatis, & capitis, nam omnes Ecclesiæ locales, vt ita dicam, eamdem fidem, baptismum, & caput profitentur sicut facit Ecclesia Christi, vt sit, quæ est, vt ita dicam, genus generalissimum, vt loquar logicè, quod sub se habet genus, & species subalternas, & sicut in logicis genus omnia sua prædicata communicat speciebus sub se contentis, vt notum est scientibus, ita Ecclesia in genere illa tria prædicata vniformiter communicat Ecclesiis particularibus, eisdem concurrentibus, & recipientibus eadem prædicata fidei, baptismatis, & capitis. Hanc doctrinam Sanctus Cyprianus Episcopus, & Martyr lib. 4. Epist. 2. ad Antonianum, relatus cap. Nouationus 6. 7. quæst. 1. perstringit his verbis: *Cum sit à Christo vna Ecclesia per totum muntum in multa membra diuisa, item episcopatus vnus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Vna ergo est Ecclesia per vniuersum orbem diuisa in multa membra i. in plures Ecclesias particulares, & locales, quæ tamen concertant in iis, quæ tenet communis Ecclesia, concordia nimirum consistit in illis tribus, fide, baptismate, & capite, quæ Ecclesiam vt sic constituunt.

Quæres 7. An Ecclesia sit sancta, & immaculata?

℞. Est Sancta, & immaculata de fide definitum in 43
eodem Symbolo, & Apostolorum deductum ex vtroque testamento, veteri, & nouo. Cant. 5. 2. *Columba mea, immaculata mea* Ephes. 5. 27. *Vt exhiberet ipse sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Ad Corinth. 1. 3. 17. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Petrus 1. 2. 9. *Gens sancta, populus acquisitionis.* Apocal. 21. 2. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo.* Dicitur autem sancta ex multis, primo ex sanctitate fundatoris Christi Domini, & propagatorum Apostolorum, iuxta illud Leuitici 11. 44. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*, allegatum à Petro 1. 1. 16. Secundo à sanctitate, quam confert sacramentum baptismi, idem Petrus 1. 3. 21. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma.* Tertiò ex sanitate fidei & prædicationis euangelicæ, ad Rom. 1. 17. *Iustus ex fide viuit.* Ad Ephes. 1. 13. *Euangelium salutis vestra, in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Et ratione ostenditur, nam nullus adscribi potest in hac cõgregatione Ecclesiæ, nisi professione fidei in baptismo, quo baptizatus mundatur ab omni peccato, consequenter verè Sanctus, iustus, & immaculatus euadit, ergo Ecclesia ex baptizatis tantum composita non potest non esse sancta.

Dices Ecclesia vt infra patebit quæst. 18. permixta est ex bonis, & malis, ergo non est dicenda simpliciter sancta, & immaculata, sed tantum secundum quid & ex parte bonorum. Deinde, esto paruuli sancti sint per susceptionem baptismi, adulti tamen quando impediuntur in Ecclesiam solo caractere baptismatis insigniti, quod illis accidit, quando accedunt ad baptismum increduli, aut sine dolore, vel cum alio obice ad gratiam, quæ alias adultis conferretur, con

consequenter tales, quibus peccata ex eorum indispositione remissa non fuerunt, non possunt ex parte sua denominare Ecclesiam Sanctam.

℞. Primò Ecclesiam respectu suæ fundationis à Christo, & ædificationis Apostolorum sanctam fuisse, & immaculatam, quod videretur sufficere. *Secundò* denominationem sanctitatis desumit à bonis, quorum Ecclesia plena est, vt apparet ex eorum bonis operibus, & participatione Sacramentorum, ex quibus homines sanctificantur. *Tertiò* maior est numerus infantium ad baptismum, quam adultorum, ergo ab illis debet fieri denominatio. *Quartò*, pauci sunt adulti, qui increduli, vel non benedispositi veniunt ad fidem Euangelij, quorum paucitas non potest titulum sanctitatis auferre ab Ecclesia, præterquam quod taliter accedentes licet dicantur subditi, nondum tamen adscripti sunt membra viua Ecclesiæ, qualia euadunt, cum remoto obice sanctificantur, & incipiunt esse de Ecclesia in ratione viui membri.

Quæres 8. An Ecclesia dicatur Catholica,& vniuersalis?

44 ℞. Est Catholica definitum in vtroque Symbolo. Verbum hoc *Catholica*, significat Ecclesiam esse communem omnibus hominibus, qui provt peccatores sunt, non possunt iustificari nisi per ingressum in Ecclesiam extra quam non est salus, est ergo communis omnibus hominibus. Nicolaus Papa relatus tom. 5. Concil. decreto 8. ita explicat: *Catholica.* i. *vniuersalis ideò dicitur, quia per vniuersum orbem est constituta. Vel quoniam Catholica, hoc est, generalis in eadem doctrina ad instructionem.* Ecclesia Ergo dicitur Catholica & duplici capite, primò ratione loci, quia diffunditur per totum orbem, Marci cap.in num.15. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quod est vbique terrarum fundare Ecclesiam. Ad Rom.1.8. *Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Secundò dicitur vniuersalis & neces-
45 sitate fidei, respectu omnium hominum, vt per eam, quæ intra Ecclesiam solum reperitur, saluari possint. Idem vocabulum deducitur clare ex sacra Scriptura. Art.5.11. Ex *factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia.* Ad Rom. 16.23. *Salutat vos Caius hospes meus, & vniuersa Ecclesia.* Dictio autem hæc, *Vni-*
46 *uersitatis* idem est, quod ea dictio, *Vniuersalitatis* secundum interpretationem Nicolai Papæ, bene ergo Ecclesia denominatur Catholica, & Vniuersalis, quod aliis verbis explicatur, Art. 2. 5. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri Religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est.* Manet ergo probatum ex terminis, & significatione, quod Ecclesia legitimè vocatur Catholica, & vniuersalis fundata à Christo pro salute omnium hominum, qui sunt per vniuersum orbem dispersi. Dicitur Catholica, & vniuersalis ab iis, quibus constituitur nempe à fide, baptismate, & capite, nam hæc tria Catholica de-
47 nominantur, de fide tenendum, nam in Symbolo Athanasij asseritur. *Hæc est fides Catholica.* i. Vniuersalis, quia *in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est.* 1. ad Thessalon. 1. 8. Vnde Paulus scribens ad Titum 1. 4. ait. *Tito dilecto filio secundum communem fidem.* Fides est communis communicatione salutis, qua omnes homines indigent, & quia vbique prædicatur pro salute fidelium; communis, quia communem & eamdem habet doctrinam immutabilem, inuariabilem, & infallibilem. A baptismate Ecclesia dicitur Catholica, & vniuersalis, quia Sacramentum baptismi vniuersale est, & commune omnibus hominibus siue infantibus, siue adultis, siue filiis Christianorum, siue infidelium, omnes enim peccauerunt, ideò indigent lauacro regenerationis, vt saluentur. Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ex capite demum Ecclesia dicitur Catholica, Christus enim eius caput Catholicum est, & vniuersale, cum totius Ecclesiæ sui corporis caput sit, ac proinde vniuersale, & commune omnibus suis membris, in cuius regimen, & communitatem gubernationis tanquam Vicarius ab ipsomet Christo electus fuit Petrus, & in eo successores, qui omnium fidelium in vniuersum curam haberent, vt infra suis locis patebit.

Quæres 9. An Ecclesia dicenda sit Apostolica?

℞. Vtique, de fide definitum in eodem symbolo, 48
deductum ex variis locis Sacræ Scripturæ 1.Corinth. 12.28. *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos,* in qua primus lapis pretiosus in fundamento iactus, fuit Petrus: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Epist. 2.Corinth.8.23. *Siue Patres nostri Apostoli Ecclesiarum,* super quibus ædificata fuit Ecclesia, ad Ephes. 2.19. *Estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum.* i. supra Ecclesiam ab Apostolis ædificatam prædicatione Euangelij, & collatione baptismi credentibus. Ecclesia igitur vocatur Apostolica, quia ab Apostolis ædificata fuit prædicatione euangelij, & Sacramentorum collatione. Vocari etiam potest Apostolica ab illis tribus, quibus constituitur, à fide, baptismate, & capite, nam fides nuncupatur Apostolica, quia eam Apostoli docuerunt per vniuersum orbem; baptisma similiter quia Apostoli omnes credentes baptizabant, & caput ipse Christus rectè dicitur Apostolus, nam à Patre missus fuit, quod indicat vox Apostolus, vnde Chri-
stus dicit Ioan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego* 49
mitto vos. Pater Filium misit ad prædicandum Euangelium, & ad fundandam Ecclesiam pro salute fidelium, & post se misit ad idem officium discipulos à se instructos, ex qua missione nuncupantur Apostoli, ergo pari ratione Christus dicendus est Apostolus Apostolorum respectu Patris, à quo missus fuit in redemptionem generis humani, cui cooperati fuerunt Apostoli ædificantes supra Ecclesiam à Christo fundatam sanguine suo.

Quæres 10. An Ecclesia sit visibilis!

℞. Ecclesia est visibilis, & ad sensum patet, id
est de fide ex Epist. 2. ad Corinth. 8. fine: *Ostentio-* 50
nem ergo, quæ est caritatis nostræ, nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostentite in faciem Ecclesiæ. Ad Coloss. 1.18. & 24. Ecclesia dicitur habere corpus; cuius caput est Christus; & ad Ephes. 5.30. dicitur habere membra de carnibus, & ossibus capitis Christi, de quibus etiã membris ad Corinth.1.12.27. Ex quibus clarè constat, Ecclesiam esse visibilẽ, & sensibilẽ sicut sunt quæcumque habent corpus ossa, & carnem, hæc enim sunt obiecta visus & sensus. Confirmatur, tum quia Ecclesia in Apostolis fundata fuit, ergo in re sensibili. Tum quia Christus mandauit, vt incorrigibiles denuntiarentur Ecclesiæ ad punitionem, quod fieri non posset; si esset inuisibilis in suis ministris. Tum quia id deducitur ex illo Psalmi 18.6. *In sole posuit tabernaculum suum*, quod exponens D. Aug. inquit: *In manifestatione posuit Ecclesiam.* Tum quia Ecclesia comparatur lucernæ non extinctæ, sed accensæ, non sub modio abscondita, sed supra Candelabrum, vt luceat omnibus, qui ad eam accedunt, ex Matth.5.15. exponit S. August. lib. de Vnit. Eccles. cap.16, his verbis: *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum.* Tum quia ciuitas supra montem posita abscondi non potest, Matth. 5.14. sed Ecclesia est ciuitas iuxta illud Apoc. *Vidi ciuitatem Sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo.* 21.2. ergo sensibilis, neque enim videri posset nostris oculis, si non esset sensibilis. Confirmatur sensibilis, & visibilis ex illis tribus, quibus constituitur, fide, baptismo & capite, nam hæc tria sen-

sibi

sibilia esse omnibus notum est, nam fides ab omnibus in Ecclesiam intereuntibus ore, & publice exhibetur ad præsentiam ministrorum Ecclesiæ, vt ex cathecumenorum regulis constat. Similiter omne Sacramentum, ac proinde etiam baptismus ex signis sensibilibus constat. Demum caput Ecclesiæ ipse Christus, & eius Vicarij Romani Pontifices sunt sensibiles, & visibiles in conspectu omniũ, ergo Ecclesia vndequaque est perspicua, visibilis, & sensibilis adeò quod non egeat lucerna solis, vt videatur. Hanc veritatem contra Luteranos omnes Patres docent, contra quos statuit Concilium Senonense Decreto 2. extentum tom. 5. Conciliorum.

Hæretici vt destruant Ecclesiam cum capite, & membris confinxerunt eam inuisibilem, postea animaduertentes se apertè errare, & non posse deffendere, & occultare suum errorem, posuerunt duas Ecclesias, vt ac distinctione tegerent suam insaniam, vnam visibilem ex bonis, & malis constantem, alteram inuisibilem & solis prædestinatis. Probant igitur *primò* inuisibilitatem Ecclesiæ, nam per hoc
52 esse inuisibile, & spirituale differt à Synagoga, quæ visibilis est, & carnalis, vt intelligitur ex iis, quæ docet Paulus ad Hebr. cap. 12. 9. *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos.* Loquitur de Synagoga, quam reuerebatur dum erat Eccle lesiæ persecutor; *non multò magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus.* Loquitur de Ecclesia Christi, cuius caput, & Pater est Spiritualis, ac proindè inuisibilis, Synagogæ verò Pater carnalis, ac proindè visibilis, quam differentiam prosequitur Apostolus vsque ad finem capitis. *Secundò* Sacra Scriptura pluribus in locis vocat Ecclesiam spiritualem Ierem. 31. 33. *Dabo legem meam in cultoribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Lucas 17. 20. *Non venit regnum Dei cum obseruatione, neque dicent: Ecce hic; aut ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est* A. D. Petro 1. 2. 5. Ecclesia vocatur domus Spiritualis: *Et ipsi tanquam lapides viui sut ergedificamini domus spiritualis.* Si ergo Ecclesia est in visceribus, & cordibus hominum, & non potest digito demonstrari esse hic vel illic, & est quod Spirituale, quomodo potest dici visibilis? Neque enim homo videt spiritualia, neque intra viscera, aut corda aliorum hominum. *Tertiò*, esto actiones, dum quis fidem profitetur externâ oris confessione, aut dum baptizatur, sint sensibiles, & visibiles, non ideò Ecclesiam denominare possunt visibilem, quia Ecclesia manet, illæ verò actiones transeunt, ergo cum non conseruentur simul cum Ecclesia, eam denominare non possunt visibilem, neque enim Ecclesia consistit in actionibus in momento transeuntibus. *Quartò*, fides est de obiecto non viso, & inuisibili, est enim argumentum rerum non apparentium, secundum Apostolum, & veritatem; sed Ecclesiam esse credimus per fidem, vt dicitur in Symbolo, ergo est inuisibilis. *Quintò*, Ecclesia constat tantum ex prædestinatis, quorum notitiam non habemus, immò ex eadem ratione, si ponatur constare etiam ex malis, & præscitis, cum isti non cognoscantur, sicut nec illi, quia nemo scit, an dignus sit amore, an odio Eccles. 9. initio, sequitur, eam esse inuisibilem, cum componatur ex inuisibilibus.

℞. Ecclesiam persistere in sua visibilitate, & sensibilitate omnibus volentibus eam videre in professione externa fidei & sacramentorum, & capite visibili, vt supra probatum fuit. *Ad primum argumentum* de differentia Synagogæ ab Ecclesia non concludit inuisibilitatem Ecclesiæ per visibilitatem Synagogæ, nam comparatio fit inter remedia vtriusque, Ecclesiæ, siquidem lex Synagogæ data fuit in tabulis lapideis, & eius Sacramenta erant in totum sensibilia nullam producentia gratiam, sicut facit lex Euangelij, & Sacramenta nouæ legis, quæ gratiam producunt in visceribus, & cordibus fidelium, de qua differentia Ioan. 1. 17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum-Christum facta est.* Ecclesia igitur in suis effectibus est spiritualis, hoc est, in iustificatione, & gratia, quæ animæ inhæret, & non videtur; sensibilis verò est respectu actionum externarum confessionis fidei, prædicationis Euangelij, Sacramentorum confectionis, & administrationis, atque similium operationum sensibilium, ex quibus sequuntur, effectus inuisibiles gratiæ in membris corporis Ecclesiæ. Possemus etiam respondere, quod ibi fit differentia inter patrem carnalem, & spiritualem: nam carnalis docet ea, quæ pertinent ad corpus, spiritualis verò ea, quæ spectant ad animam
Ad secundum de tribus auctoritatibus respondetur eodem modo quo ad loca Ieremiæ, & Petri, nam Ecclesia quoad gratiam, & dona spiritualia est inuisibilis, quoad externas actiones visibilis, in priori sensu explicantur ea loca. Ad illud Lucæ ibi sermo est de regno Ecclesiæ triumphantis, non militantis: de qua nos loquimur esse visibilem. *Ad tertium*, Ecclesia non tantum dicitur visibilis ex actibus transeuntibus, quam ex confessione externa, & aliis spiritualibus exercitiis, quæ perpetuò continuantur in Ecclesia Dei per ministros, & subditos, immò ex illis actibus transeuntes maximè apparet sensibilitas Ecclesiæ, sine quibus non potest fieri membrum Ecclesiæ, quod videretur etiam sufficere, vt Ecclesia diceretur visibilis. *Ad quartum* respondetur sicut prius Ecclesiam quoad actus externos esse visibilem, ac proindè fictam non creditam, quoad dona supernaturalia ex illis actibus esse inuisibilem, & creditam; dupliciter ergo Ecclesia spectari potest, primò prout dicit congregationem fidelium conuenientium, in vnitate fidei, baptismatis, & capitis, quoad certos ritus, mores, & leges, quæ omnia fideles per actus externos in eadem conuenientia profitentur coram omnibus: secundo provt dicit sanctitatem, iustificationem, & huiusmodi dona supernaturalia Priori modo Ecclesia est sensibilis, & visibilis, quia omnibus se demonstrat per exercitium suæ professionis externum cunctis patens, in quo sensu non creditur, sed videtur, & palpatur, atqui argumentum non loquitur de Ecclesia in hac significatione, sed in posteriori sub quo spiritualis, insensibilis, & visibilis est, & ideò tantum creditur, quia dona supernaturalia ab illis actibus æternis prouenientia sunt omninò supernaturalia, & inuisibilia excedentia humanam intelligentiam, & ideò Ecclesia hoc modo est inuisibilis & à nobis videri non potest. Explicatur id exemplo S. Thomæ Apostoli Ioan. 20. 29. *Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ex D. Gregorio homil. 26. Vnum enim vidit. 1. Christum hominem rediuiuum, & aliud credidit, nempe Christum Deum esse. Ita Ecclesia videtur quoad externa in fidei professionem, sacramentorum exercitium, & aliorum sacrorum rituum, creditur verò, & non videtur quoad dona supernaturalia à Sacramentis inuisibiliter prouenientia.

Quæres 11. An Ecclesia habeat aliquod caput visibile, quod illi necessarium sit?

℞. Ecclesia habet caput visibile, quod est illi necessarium, & hoc est de fide credendum.

Primum probatur de capite visibili, quod est Christus, ad Ephes. 5. 23. *Christus caput est Ecclesiæ:* Ad Coloss. 1. 18. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Ratio est quia Ecclesia est corpus, vt de fide patet ad Rom. 12. 5. *Multi vnũ corpus sumus in Christo.* Ad Corint. 1. c. 10. 17. *Quoniã vnus panis, vnũ corpus, multi sumus. Si ergo Ecclesia est vnum corpus in Christo, ergo ipse Christus est*

est illius caput, inter enim membra corporis Ecclesiæ, inter quæ connumeratur Christus 1. Corinth. 12. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membrum de membro*, principale est ipse Christus, ergo ipse caput est corporis Ecclesiæ, principale enim membrum constituendum est pro capite, à quo cætera dependent in viuere, & operari.

55 Quoniam autem Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam non potuit remanere vnitus corpori Ecclesiæ suæ tanquam caput visibile, quod erat necessarium, vt caput congrueret cum cæteris membris in corpore inuisibili sensibilibus sibi subiectis, ideò in cælum ascensurus suæ Ecclesiæ corpori visibile caput iunxit Petrum, cum illi præcepit: *Pasce oues meas*, vt sui absentis in terris vices gereret, & hoc de fide tenendum est, cum expressum sit in scriptura non solum loco citato, sed alibi etiam; de qua cum agetur de Petro. Et quia Ecclesia militans duratura est indefectibiliter vsque ad finem mundi, vt probatur infra sub q. 14. & Petrus à Christo positus pro capite Ecclesiæ erat mortalis, & de facto cruci affixus fuit, & obiit, ideò eâdem ratione, quâ electus fuit caput Petrus, loquitur post eius mortem eligendum fuisse alium, qui similiter Christi vices gereret, & Petro succederet, nimirùm Pontifex Romanus, quare titulum Petrus suo sanguine dedicauit, & hunc Pontificem Romanum pro tempore existentem esse caput Ecclesiæ fuit definitum in Concilio Florent. *Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput*. De qua re suo loco, cum de Pontifice Romano verba facturus ero.

56 Secundum de necessitate huius capitis probatur. Tùm quia corpus sine capite acephalum est, & monstrum, quod dedecet Ecclesiam secundum quod dicit Apostolus ad Ephes. 5. 27. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi*. Non esset autem gloriosa, neque careret maculâ, aut rugâ, si esset sine capite, quod illam gloriosam, & ornatam reddit. *Tum quia*, Ecclesia non est corpus mortuum, quale est illud, quod capite caret, sed est viuum non tantum vita corporali, sed etiam spirituali, vt sess. 9. 13 patebit, ergo necessariò debet habere caput, quod vitam influat continuè in cæteris mẽbris subiectis eiusdem corporis. *Tum quia*,
57 corpus cognoscitur per caput, *l. Cum in diuersis, ff. de relig. & sumptib. funer.* non ergo cognosceretur Ecclesia, si capite careret, & ideò semper à Deo proprium in indiuiduo caput assignatum habet, quod est Pontifex Romanus, per quem Ecclesia Christi legitima dignoscitur ab aliis Ecclesiis, quæ sunt falsæ sectæ.

Dicunt hæretici, quod sicut in naturalibus vnicuique corpori vnicum natura dedit caput, & si aliquandò aliquod corpus nascitur cum duobus capitibus, illud est monstrum, vt cum Philosopho tradunt omnes in Physicis, ita in moralibus Ecclesia erit corpus monstruosum, non gloriosum, & carens macula, si dicatur habere duo capita, vt dicitur cap. quoniam 14. de offic. ordin. & in extr. com. de maior: concluditur ergo vnicum habet tantum caput, aut Christum, aut eius Vicarium: non est consentaneum illi adscribere Pontificem pro capite, cum reuera habeat Christum, qui primum & verum caput eius est, dicens eidem Ecclesiæ: *Ecce vobiscum sũ vsq; ad consummationem sæculi.* Frustra ergo illi adiungitur: tanquam coadiutor Pontifex, quasi Christus indigeat homine; qui eius vices in terris suppleat, cum ex sua omnipotentia totum mundum solus gubernare possit.

58 ℞. In naturalibus monstrum esse illud corpus, quod constat duobus capitibus, immò etiam in moralibus, quando vnumquodque eorum æque caput est immediatum, principale, & in solidum, quod sicut in naturalibus absurdum est, ita & in moralibus, in quo sensu allegata iura intelliguntur, & ad rem præsentem allegata extrauagans, vbi ita scribitur, *Igitur Ecclesiæ vnius vnicæ vnum corpus, vnum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus, Petrique successor.* Apertè declarat, hæc duo capita non ita se habere, nimirum, non esse ambo immediata, nec principalia, sed vnum alteri subordinari, & maioris tenere vices minorem; Christus autem est caput principale, & immediatum corporis Ecclesiæ, respectu cuius Pontifex caput non est, sed Vicarius ab eo delegatus, habens rationem capitis respectiuè non ad Christum, sed ad membra fidelium sibi subiecta in eodem corpore. Ecclesia cum sit corpus visibile, necesse quoque habet vt continuè illi inhæreat simile caput nempe visibile, quale Christus non potest perpetuò se exhibere, cum sedeat ad dexteram Patris, ideò in suum locum reliquit caput visibile Romanum Pontificem. Nonne hoc manifestum est etiam in Principibus huius mundi, qui cum non possint residere personaliter vbique in suis ciuitatibus, sed in vnica tantum visibiliter sunt, in aliis inuisibiliter & per suam potestatem imperium, & resident per Gubernatores, qui Capita Ciuitatum visibilia regunt visibiliter & Ciues. Si igitur vltrò ab hæreticis conceditur, & apud ipsos practicatur sine vlla monstruositate pluralitas Capitum subordinatorum vni tantum, cur idem negandum Ecclesiæ, quæ non solum habet Principatum, sed est etiam super omnem principatum, & potestatem? Sicut ergo Princeps sæcularis per suos ministros regit populos, & ciuitates sibi subditas, sine vlla indigentia, & imperfectione, quare Christus simili administratione, & sine dubio perfectiori Ecclesiam gubernando arguendus est de indigentia, & imperfectione? 59

Quæres 12. An Ecclesia mortuo Pontifice dicatur esse sine capite? seu acephala?

℞. Ecclesia Dei respectu Christi Capitis nunquam potest esse, nec sibi acephala, & sine Capite, quia *Christus resurgens ex mortuis*, iam *non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Remanet ergo semper cum capite inuisibili sibi coniuncto. Respectu verò Capitis visibilis mortuo Pontifice, vocari quidem potest corpus sine capite formali quia mortuus est Papa non tamen acephala, & simpliciter corpus sine capite, sed tunc cum capite virtualiter, in eo, quod Ecclesia, non obstante Pontificis morte, viuit, regitur, & gubernatur iisdem legibus, quæ sibi datæ fuerunt à Pontificibus Romanis iam mortuis, quæ eandem habent virtutem, quâ pollent viuente Pontifice. *Confirmatur*, Tùm quia absurdum est, mortuo Papa, Ecclesiam vocare acepham, vnde non prædicaretur tunc ornata, & gloriosa, si esset sine capite aliqualiter. *Tùm quia*, Ecclesia nunquam moritur, vt dicam infra hic q. 14. ergo caput habet simul visibile, etiam mortuo Papa, si non formale, virtuale saltem consistente, vt dixi, in dignitate Pontificia, dignitas enim nunquam moritur, *gl. 11. substitutum cap. quoniam 14. de off. deleg.* sedes quoque nunquam moritur, *cap. si gratiosè 5. de reform. in 6.* & legibus, per quas influit vitam spiritualem in suis membris. Vide *Turrecrem. part. 1. ad dist. 79. can. Nullus num. 6. vbi concl. 2.* dicit, Ecclesiam vocari acephalam, quia caret administratore, capite, & sponso, suadens, quod esset absurdum, eam vocare acephalam simpliciter. i. sine vllo capite, nam semper in actu habet Christum, qui nunquam moritur. Non placet modus loquendi, quia Ecclesia tota gloriosa est, carens omni macula, & ruga, ornata semper omnibus suis requisitis necessariis, inter quæ vt caput visibile, quo nunquam debet carere actuali, vel virtuali. Et ita dicendum est. 60 61 62 63

Quæres 13. An Ecclesia sit viua tam vitâ naturali, quam

quam spirituali? Præscindendo nunc, an mortui sint membra huius Ecclesiæ Militantis, de qua re infra sub q.19. modo quæritur, an hoc Ecclesiæ corpus de se dicatur vnum.

64 ℟. Ecclesia est viua composita ex fidelibus viuis non solum secundum naturam, sed etiam secundum spiritum in Christo Iesu.

Primum de vita secundum naturam constat ex Lucæ cap.20. 18. *omnes enim viuunt illi.* 1. Deo, qui est auctor naturæ, & creator omnium. Componitur enim Ecclesia ex hominibus Baptizatis, ergo Ecclesia est viua, sicut sunt homines, qui illi hanc vitam tribuunt, quam ab authore Deo acceperunt, nil enim est Ecclesia secundum hanc rationem spectata præter homines viuos, ergo per illos, ex quibus constituitur, dicitur viua. Et hoc de fide credendum est, quia horum est tantum Congregatio, non enim Ecclesia constat ex rebus insensatis, & vita carentibus.

65 Secundum de vita spirituali de fide probatur multis auctoritatibus. 1. Petri 2. 5. *Ipsi tanquam lapides viui superædificamini.* Ad Roman. 6. 11. *Viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.* Et Paulo ante sub num.8. dicitur: *Credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo.* 2. Corinth. cap. 13. 4. *Nam & nos infirmi sumus in illo, sed viuimus cum eo ex virtute Dei in vobis.* De hac spirituali vita, quâ Ecclesia viuit, multis aliis in locis Sacræ Scripturæ agitur. Consistit autem huiusmodi vita in radice
66 Charitatis, fidei, spei, & aliorum donorum spiritualium, quibus homo regeneratus viuit ex virtute passionis Christi; nam de fide dicitur sæpiùs, quod iustus ex fide viuit, *Rom.* 1. 17. *Hebr.* 8. 8. *Galat.* 3. 11. De spe dicitur 1. Petri 1. 3. *Regenerauit nos in spem viuam.* Per dona ergo supernaturalia Ecclesia dicitur spiritualiter viuere in suo capite, qui Christus
67 est. Demum Ecclesia nonquam moritur, *cap Liberti* 63. 12. q. 2. ergo semper est viua.

Hæretici negant vitam Ecclesiæ primò, quia Christus Ecclesiæ fundator, & caput non per vitam, sed per mortem Ecclesiam instituit, vnde ad Rom. 6. 3. dicitur: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ecce quod fideles dicuntur bene sepulti cum Christo per baptismum. 1. facti membra mortua Ecclesiæ proinde mortuæ, & sicut Christus post mortem resurrexit per gloriam Patris. 1. ab Ecclesia militante in morte transiuit ad Ecclesiam triumphantem, in qua sola possidetur gloria; ita fideles in Christo mortui sub Ecclesia militante transeundo ad Ecclesiam triumphantem resurgunt ad gloriam Paradisi. *Secundo*, Ecclesia comparatur vineæ, sagenæ missæ in mare, & aliis rebus insensatis, quæ non viuunt animâ intellectiuâ, ergo signum est Ecclesiam non esse viuam, alias non assimilaretur his rebus vitâ carentibus.

℟. Non solùm esse absurdum, & hæreticum dicere Ecclesiam mortuam, sed ridiculum, & assertum hominis insipientis, qui ignoret significationes verborum, luce enim clarius est, Ecclesiam viuere in fidelibus, & fideles per Sacramenta in donis supernaturalibus. Ad illud Apostoli dicitur,
68 quod duplex est mors corporis, & spiritus illa est separatio animæ à corpore, hæc verò separatio gratiæ ab anima per peccatum, nam homo peccando mortaliter dicitur mori morte spirituali, quia amittendo gratiam, per quam dicebatur spiritu viuere,
69 perdit quisque vitam spiritualem. Huic autem duplici morti opponitur duplex vita nimirum corporis, quod per animam informantem viuificatur, & Spiritus, qui per gratiam iustificantem viuificatur specialiter. In illo loco Apostolus loquitur de morte peccati, seu spirituali, quod per lauacrum baptismi consepelitur per mortem Christi, quatenus virtute passionis, & mortis eius destruitur, & sicut Christus resurrexit per gloriam. In virtutem Patris, vt intraret in gloriam æternam Paradisi, ita homo per peccatum sepultus resurgit ad vitam spiritualem receptam in baptismate ambulando in nouitate vitæ Ecclesiæ, in quam ingressus fuit per baptismum. Homo ergo moritur ad peccatum, quod per baptismum sepelitur in vndis, vt resurgere possit ad vitam intrando in Ecclesiam Dei.

Ad illas similitudines dicitur Ecclesiam comparari illis secundum certas proprietates, & affectiones illa- 70
rum, non verò qualitates omnes applicari Ecclesiæ, quæ illi non competunt, in similitudinibus enim attenditur id, in quo comparâtur, similia enim dicuntur, quæ licet in aliquo discrepent, tamen in multis concordant. *Bald. in L. Curatoris C. de negot. gest. Alex in L. Quod Nenia ff. deposit Mar. Anton. lib. 3. resol.* 71
39. *num.* 3. Ecclesia igitur comparatur Vineæ, & Sagenæ in iis, in quibus communiter conueniunt, Ecclesia autem & vinea in eo assimilantur, quod sicut vinea inutilis redditur, si non excolatur, ita Ecclesia non reddit pratum spirituale, sed inutilis remanet, si fideles non se exercent in Sacramentis, & aliis piis 72
operibus, quibus Ecclesia colitur. Pariter sicut paterfamilias mittit operarios in vineam, vt ab illis diligenter excolatur, ita Christus continuè mittit operarios. 1. Sacerdotes, prædicatores, Confessarios, Doctores, & alios in vineam suæ Ecclesiæ, vt fructus in ea dignos pœnitentiæ faciant. Ecclesia comparatur 73
sagenæ in hoc, quod sicut in sagena congregantur pisces ex omni genere; & ex ea ad littus tracta pisses boni eliguntur in vasa, mali verò foras emittuntur; ita Ecclesia vti quædam sagena recipit omnes homines, qui ad eam accedunt per fidem, siue boni, siue mali, siue prædestinati, siue rebrobi, & cum impleta est. 1. in fine mundi boni electi recipiuntur in vasa honoris, & beatitudinis, mali verò mittuntur in tenebras exteriores.

Quæres 14. An Ecclesia sit indefectibilis permansura vsque ad finem mundi. 74

℟. De fide est, quod Ecclesia sit indefectibilis, quoad suam existentiam, duratura vsque ad finem mundi. Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Christus asserit se per suam gubernationem inuisibilis assistentiæ præsentem esse Ecclesiæ vsque ad finem mundi, ergo vsque ad illud tempus durabit indefectibiliter Ecclesia, præsentia enim esse non potest, nisi duobus extremis coëxistentibus, cum sit de genere relationis, quæ coëxistentiam correlatiuorum postulat, durabit Ergo Ecclesia Militans vsque ad finem mundi, aliter inutilis esset Christi assistentia, immò impossibilis, quod coëxisteret ei, quod non est. Paulus 1. ad Timoth. 3. 15. Idem definit illis verbis *Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis.* Quæ verba important fortitudinem, & soliditatem talem, quibus resistere posset cuicumque impetui, vnde Christus ipse hanc veritatem fidelibus suis reuelauit illis verbis: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Quod prophetauit Dauid Psal. 74. 4. *Ego confirmaui columnas eius.* Loquens in persona Christi. Addo auctoritates Sanctorum Patrum, D. Augustin. in Psalm. 47. *Si Deus fundauit Ecclesiam in æternum, quid times, ne cadat fundamentum?* Hieronymus in Psalmum 78. *Ipsam Ecclesiam suam singulari virtute suâ firmauit, vt immobilis in sæcula sempiterna persisteret.* Ambros. lib. 4.

lib.4. Examer. *Ecclesia obumbrari potest, deficere non potest*, Demonstratur idem ratione. *Tum quia*, huic Ecclesiæ militanti debet succedere triumphans, ita quod ex vtraque fiat vnum ouile, & vnus Pastor Ioan. 10. 16. non posset autem fieri vnum ex his duabus Ecclesiis, si vna illarum deficeret, ergo vtraque perpetua est in successione, & vnione sub eodem Pastore, *Tum quia*, sicut matrimonium carnale est indissolubile, perpetuò durans, donec per mortem alterius dissoluatur, ita Ecclesia est indissolubilis perpetuò durans cum sponso suo, qui est Christus, qui Osee 2.19. de seipso loquens cum Ecclesia dicit. *Et sponsabo te mihi in sempiternum.* Valet enim argumentari à matrimonio carnali ad spirituale, cap. Cum societas 26. q. 2. & de translat, prælat. cap. 2. Et ita firmiter tenendum est, cum sit veritas diuina. Habes argumenta contraria resoluta q. 31. infra.

Quæres 15. An Ecclesia, licet non possit deficere, nec redigi in nihil, vt modò probatum est, saltem ita minui possit, vt eius membra reducantur ad nonnullos paucos homines, v.g. ad duos, vel tres, vt retineat nomen Congregationis?

75 ℞. Ecclesia semper manebit propagata maxima multitudine fidelium. Probatur. *Tum quia*, omnes Congregationes bene fundatæ semper in melius proficiunt, & institutionibus, & numero personarum, vt discurrendo per singulas patet, ad quod facit illud: *Debile principium melior fortuna sequetur.* Ecclesia autem est Congregatio, & inter alias sine comparatione perfectissima, de qua dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem*, ergo non potest minui, sed bene perfici multitudine fidelium. *Tum quia*, initio propagata fuit, & creuit non obstantibus persecutionibus, quibus profitebatur cultus Dei publicus, & multi ob Christi fidem martyrium subibant, ergo à fortiori debet deinceps crescere, cum iam cessauerint persecutiones, consequenter hoc augmentum perpetuo duraturum est. *Tum quia*, augmentum personarum sub quauis Congregatione arguit perfectionem, decrementum vero imperfectionem; ergo Ecclesia, quæ sine ruga, & macula est, & sine imperfectione continuè crescit in numero fide-
76 lium. *Tum quia*, Ecclesia comparatur Vineæ, Ciuitati, Regno, & Reipublicæ, quæ personis continuè multiplicantur, & augentur, vt notum est, ergo ad horum, quibus comparatur, instar, continuè augetur, & multiplicatur. Quod vinea dicatur, seu illi comparetur habes Psal. 79.15 *Vide, & visita vineam istam.* Ierem. 2. 21. *Plantaui te vineam electam.* Vocatur ciuitas Matth. 5.14 *Non potest abscondi ciuitas supra montem posita.* Apocal. 21. 2. *Ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo.* Regnum nuncupatur Apoc. 1.6. *Fecisti nos Regnum, & Sacerdotes Deo.* Deorum Reipublica dicitur *cap. Quid ergo 3. 23. q. 4. iuncta gl. 11. De Republica.*

Quæres 16. An Ecclesia præsens sit melior, & perfectior præterita?

℞. Ecclesia quoad Sacramenta, fidem, & dona supernaturalia semper eadem manet, quia hæc nec numero, nec perfectione variantur, sed semper eadem remanent. Si vero Ecclesia spectetur quoad leges, mores, & interpretationem articulorum alias dubiorum, certum est, præsentem Ecclesiam esse meliorem præteritâ, quia tot legibus, sacris ritibus, & explicatione sacrorum dogmatum quotidie magis resplendet, etiam in diuitiis, & potestate quibus suam maiestatem, splendorem, & magnificentiam demonstrat. Ab initio erat pusillus grex, nunc verò magnum ouile plenum ouibus variis virtutibus ornatis, transiens de virtute in virtutem, iuxta illud Psal. 83.8. *Etenim benedictionem dabit legislator, & ibunt de virtute in virtutem.* Augetur enim quotidie Ecclesia in sanctis martyribus, Confessoribus, Sacerdotibus, Doctoribus, & Virginibus. Ad hæc faciunt dicta in præcedenti quæstione.

Quæres 17. An Ecclesia sit serua, an libera?

℞. Ecclesia est libera, non serua, nec alicui humanæ potestati subiecta, quod de fide habetur expressum ad Galat. 4. 31. *Fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, quâ libertate nos Christus liberauit.* Item cap. 5. 13. *Vos enim vocati estis in libertatem fratres.* Iacobi 1. 25. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, hic in facto suo beatus erit.* Ecclesia ergo vocatur libera ex libertate legis Euangelicæ, per quam Christus liberauit hominem à iugo seruitutis peccati. 77

Quæres 18. An Ecclesia componatur ex malis, & bonis hominibus, tam electis, quam reprobis?

℞. Ecclesia permixta est ex bonis, & malis, de fide credendum. Probatur ex diuersis Sacris Scripturis. *Primò*, Apoc. 2. refertur improbus Nicolaus vnus ex septem diaconis, de quibus Act. 6. 5. qui hæreticus tunc ab Ecclesiæ ministris denuntiatus, quod asseruerat mulierem esse communem, & ad eam omnes posse accedere, vt notant omnes Doctores super citatis locis. *Secundò*, etiam tempore Apostolorum Ecclesia constabat ex malis, & non tantum bonis, vnus enim erat Iudas traditor, vnus Nicolaus, vt dixi, hæreticus; & Act. 19. 33. Ecclesia dicitur confusa, ergo à malis hominibus, qui tunc erant in Ecclesia, non enim à bonis confundi potest. *Tertiò*, Ecclesia multis comparatur, agro, vineæ, sagenæ, conuiuio, regno cælesti, viti, domui magnæ Dei, ergo componitur ex bonis, & malis, nam in prædictis omnibus reperitur vtrúmque bonum, & malum. *Ager* vocatur Ecclesia Matth. 13. in quo semen seminatum aliud cecidit super petrosa, aliud in spinas, & aliud in terram bonam; nomine terræ spinosæ, veniunt peccatores, petrosæ, hæretici duri in sua obstinatione, super quos verbum Dei. i. prædicatio Euangelij cadens nil operatur, quia non habent humorem diuinæ gratiæ; nomine verò terræ bonæ intelliguntur homines boni, qui verbum prædicationis in gratia Dei recipientes, producunt bonum fructum. Ita explicant Catholici contra hæreticos, & malos Christianos *Vinea* vocatur Ecclesia Matth. 20. & 21. 78 79 80
Vinea componitur ex vitibus, quarum aliæ bonæ sût, & fructificant, Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans.* Eccli. 24. 23. *Ego quasi vitis fructificaui.* Aliæ steriles sunt, & sine fructu, Isaia 24. 7. *Infirmata est vitis.* Ierem. 8. 13. *Non est vua in vitibus.* Sic in vinea Ecclesiæ erant boni, & mali, illi fructum afferentes, isti steriles vites ad ignem æternum applicandi in combustionem. *Sagena* vocatur Ecclesia Matth. 13. 47. sicuti enim in 81
sagena sunt pisces boni, & mali, ita in Ecclesia reperiuntur homines electi, & reprobi. *Conuiuium nuptiarum* vocatur Ecclesia ex eodem Matth. cap. 22. ad 82
quod conuiuium coacti fuerunt boni, & mali. *Regnum cæleste* vocatur Ecclesia militans quoad dona cælestia ex eod. Matth. cap. 25. in quo sunt decem Virgines, quarum quinque sunt prudentes oleum habentes in lampadibus suis bonorum operum, per quas resplendent in Ecclesia; aliæ quinque erant fatuæ, habentes quidem lampades, sed vacuas non relucentes ex bonis operibus, quibus carebant. Omnes igitur homines dicuntur Virgines cum Ecclesiam ingrediuntur per lauacrum regenerationis, mundantur enim ab omni inquinamento peccati, & omnes habent lampadem fidei quia oportet accedentem ad Deum credere, non tamen omnes eam habent accensam bonis operibus, omnes enim credunt, sed suæ fidei non omnes operibus bonis correspondent, & sic lampadem fidei habent mortuam, quia fides sine operibus mortua est. 83
Vitis vocatur Ecclesia in Christo capite Ioan. 15. cuius palmites sunt homines, inter quos, qui non ferunt fructum tollentur de vite, & proijcientur in ignẽ æternum, constat ergo Ecclesia etiam ex malis hominibus. 84

nibus. Demum Ecclesia comparatur *magnæ domui Dei* ad Timoth.2.2. num.21. dicit, quod in domo magna Dei, id est, Ecclesia, sunt vasa aurea, argentea, lignea, & fictilia, quædam in honorem, & alia in contumeliam, illa referuntur ad homines bonos, ista ad malos,& peruersos.

Probatur quartò permixtio malorum cum bonis in Ecclesia, nam Ecclesiarum ministri potestatem habent corrigendi, & puniendi peccatores, Matt.18. 17. *Dic Ecclesiæ*. Frustra esset in Ecclesia hæc potestas, si illa constaret tantum hominibus bonis, quia iusto lex posita non est, nec eget correctione. *Quintò*, si peccatores non essent de Ecclesia, frustra Christus dedisset Apostolis,& successoribus facultatem ligan-
86 di,& soluendi peccatores. *Sextò*, per hoc discernitur Ecclesia militans à triumphante, quia hæc componitur ex solis prædestinatis, illa ex vtrisque. Et hanc Doctrinam definiuit Concilium Constanciente sess. 15. contra hæreses Ioannis Hus asserentis, Ecclesiam esse vniuersitatem prædestinatorum.

Prædictus hæreticus cum suis sequacib. vt suum tueretur errorem duplicem assignauit Ecclesiam, vnam vocauit inuisibilem ex solis prædestinatis constantem; aliam visibilem ex bonis, & malis permixtam; priorem Ecclesiam ex bonis hominibus prædestinatis compositam volunt esse veram Ecclesiam. Quod probant multis. *Primò*, quia Arca Noë repræsentat Ecclesiam, in arca autem fuerunt tantum boni, qui nimirùm fugerunt aquas diluuij, ergo & in arca Ecclesiæ sunt tantum boni, & prædestinati. *Secundò*, in Cantica 4 12. Ecclesia dicitur: *Hortus conclusus, fons signatus, num.15. Puteus aquarum viuentium*, in hunc hortum, cum sit conclusus, illi solùm possunt ingredi, qui sunt signati signo prædestinationis, est enim fons,& puteus aquarum viuentium, id est, prædestinatorum. *Tertiò*, Ioan.cap.10. vocat membra Ecclesiæ oues, quo nomine veniunt tantum electi, ibidem. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas oues, & cognoscunt me meæ*. Distinguit oues ab hædis, prædestinatos à reprobis, Matth. 25. 33. *Statuat oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris*; ergo in Ecclesia sunt tantum electi, & prædestinati. *Quartò*, quando Christus elegit in Papam Petrum, constituendo illum caput visibile Ecclesiæ dixit ei: *Pasce oues meas*, & bis: *Agnos meos*. Ioann. 21. 15. ad 18. solùm illi commendauit Agnos, & Oues, hoc est, fideles prædestinatos, non autem hædos reprobatos, signum ergo est Petrum fuisse constitutum caput Ecclesiæ, quæ ex solis prædestinatis componitur. *Quintò*, Ioan.cap.11. num.51. dicitur: *Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*. Sub nomine filiorum Dei veniunt tantùm electi, vt colligitur ex Epist.ad Roman.8.à n.14. ad 31. *Sextò*, Paulus 1.Corinth.1.2. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis*. *Septimò*, Ecclesia vocatur sancta in capite,& in membris, iuxta illud: *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*, de cuius sanctitate dictum fuit sub q.7. *Octauò*, demum S.Gregorius homil.19. huius est sententiæ his verbis: *Qui habet vineam, vniuersalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto, vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est*. Quare Ecclesia non incœpit ab Adamo, à Cain, qui ambo peccauerunt, solus innocens Abel occisus ponitur primum membrum Ecclesiæ, signum ergo est, Ecclesiam ex bonis, & electis componi. Confirmantur prædicta, quia nullus potest ingredi Ecclesiam Dei, nisi per lauacrum regenerationis, quo omnes ingredientes mundantur, & sanctificantur, ergo ex electis tantum constituitur, & si quis reprobus admittitur, ab Ecclesia inuisibili non recipitur, sed tantum ab externa, & visibili in Sacramentis sensibilibus.

Respondetur ad singula argumenta in contrarium, & in primis ea distinctio Ecclesiæ in visibilem,& inuisibilem reiecta fuit superiùs sub q.10. vbi probaui, Ecclesiam esse tantùm visibilem prout dicit fidelium Congregationem, eius verò dona, quibus illustratur, regitur, & propagatur esse spiritualia, & inuisibilia. Præterea ea distinctio vana est, & falsa, veræ enim distinctionis, seu diuisionis lex est secundum Logicos,& secundum veritatem, ne vnum diuisionis membrum includat alterum, cum vnum de altero prædicari non possit; hic autem vnum includit alterum, siquidem Ecclesia inuisibilis prædestinationem includitur in alio membro Ecclesiæ visibilis, eo ipso, quod hæc componitur ex vtrisque bonis,& malis. Insuper, vtraque Ecclesia vel est visibilis, vel inuisibilis; neutrum concedunt, quod tamen falsum est, nam ideò ponunt Ecclesiam inuisibilem prædestinatorum, quia nobis ignoti sunt in ratione prædestinationis, quod idem dicendum est etiam respectu reproborum, quorum reprobatio ignota est, cum Deus nulli reuelauerit, quinam sint prædestinati,& quinam reprobati, ideò neque nos id Iure possumus, ad quod facit illud Eccles. 9. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit*, ideò dicendum est vnicam dari Ecclesiam bonis, & malis permixtam, eamque esse visibilem in externis actibus professionis fidei, & Sacramentorum exercitio; iuxta dicta superiùs sub q.10.

Primò argumento de comparatione Ecclesiæ 87
cum Arca respondeo. *Primò*, comparationem in eo consistere, quod sicut omnes, qui Arcam non fuerunt ingressi, mortui sunt in aquis, ita qui per baptismum non ingrediuntur Ecclesiam, pereunt in ignem æternum. *Secundò*, Cham filius Noë fuit in Arca, reprobus extitit, & malus illudendo verenda Patris sui, vt aduertit Chrysostomus *homil. 3. 9. super Genesim, apud P. Angelum Petriccam Minor. Conuent. in suo docto opere contra hæreticos libro primo, disputatione prima, Paragrapho. Hoc argumentum*. *Tertiò*, in Arca præter homines, erant etiam animalia non solum munda, sed etiam immunda, istis assimilantur mali, & reprobi, illis boni & prædestinati. Quare hoc argumentum magis pugnat contra hæreticos pro nobis, quam quod pro illis aliquid vrgeat.

Secundò respondetur, Ecclesiam dici hortum 88
conclusum, quia nullus homo potest ingredi in illum, nisi eidem aperiatur per clauem Baptismatis. Fons signatus vocatur Ecclesia notatus signo fidei, quia volentes ingredi debent se signare signo fidei credentes, secundum Apostolum: *Accedentem ad Deum oportet credere*. Vocatur Ecclesia puteus aquarum viuentium, quia in ea solùm sunt vera Sacramenta continentia & conferentia aquam viuam gratiæ iustificantis, quæ de se apta sunt viuificare quoscúmque fideles siue bonos, siue malos.

Tertiò, & quartò argumentis respondetur Christum distinguere oues ab hædis in ordine ad Ecclesiam triumphantem, agitur enim ibidem de iudicio vniuersali, in quo oues recipientur in æternam vitam, hædi verò in ignem æternum. Nec verum est nomine ouium venire solùm prædestinatos, sed bonos, & malos Psalm. 48. 15.
Sicut oues in inferno deposui, Item Psalm. 118. 89
176. *Erraui sicut ouis, quæ periit*. Adde, quod denominatio fit à parte nobiliori, ac proinde assignatis ouibus vti principalioribus accedunt hædi, siquidem curator armentorum omnium, inter quæ sunt non solùm oues, sed hædi, Agni, capræ, &c. vocatur simpliciter Pastor ouium, non aliarum bestiarum, quarum curam habet Papa

ergo est Pastor ouium, id est, omnium fidelium, siue bonorum, siue malorum.

90 Quintò, omnes homines dicuntur Filij Dei in eo, quod desiderat, vt omnes saluentur, quamvis postea non saluentur propter malum vsum liberi arbitrij; ante diluuium omnes vocabantur Filij Dei, & tamen omnes perierunt in aqua extra Arcam Gen. cap. 6. Item vocantur Filij Dei quoad naturam, quatenùs à Deo creati sunt & quoad gratiam. Ex Ioan. 1. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Veniunt autem filij iræ omnes, quos eius cælesti vocatione illuminat, & per fidem filios facit, cap. 3. ad Galat. 26. *Omnes enim Filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu,* Sed omnes tam boni, quam mali habent fidem in baptismate, ergo omnes sunt Filij Dei.

Sextò idem respondetur, vel dic vocari sanctos sanctitate fidei, & baptismi, quod omnibus siue prædestinatis, siue præscitis datur, cum ignorentur, quinam sint boni, & mali.

Septimò, omnes de Ecclesia siue boni, siue mali sancti futuri sunt quantum est ex parte Dei, quia omnibus indifferenter præparauit remedia ad salutem necessaria, si nolunt ea recipere, sancti quidem non sunt, non ex parte Dei, sed ex illorum defectu nolentium præbere assensum diuinæ illuminationi per bonum vsum liberi arbitrij.

Octauò, D. Gregorius non est huius opinionis, sed Catholicè loquitur ibi, & in homil. 13. his verbis: *Sancta Ecclesia decem Virginibus similis esse denuntiatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt, rectè similis virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur.* Ad eius auctoritatem dico, ibi ex expressione duorum bonorũ ab initio, & fine non inferri alios esse de eorum qualitate, bonos enim solùm expressit, quia loquitur ibi Euangelium de bonis operariis in vinea Domini. Siue ergo bonus, siue malus recipitur in Ecclesia Dei visibili, cuius non est iudicium ferre inter prædestinatos, & reprobatos, quod Dei iudicio relinquitur. Et ex his patet etiam ad confirmationem.

Quæres 19. Quid requiratur, vt homo dicatur esse intra Ecclesiam, & membrum illius?

91 ℞. Tria sunt necessaria, Baptismus fluminis, Professio fidei, & subiectio Papæ, vt constat ex dictis sub q. 4. in declaratione definitionis Ecclesiæ. Defectu vnius illorum trium homo intra Ecclesiam existens ponitur extra, quia sicut bonum ex integra causa; & sic esse Christianum, & intra Ecclesiam, cum sit bonum, non sufficit vnum ex illis tribus, sed illa tria simul concurrunt ad ponendum hominem intra Ecclesiam, ita ad ponendum eundem extra quando est malus sufficit vnum illorum, quia malum insurgit ex singulis defectibus. Quare defectu baptismatis Iudæi, Pagani, & etiam Cathecumeni sunt extra Ecclesiam. Defectu secundi, hæretici sunt extra Ecclesiam. Defectu verò tertij Schismatici sunt extra Ecclesiam. De singulis dicendum infra suis locis. Pro intelligentia prædictorum, & ad occurrendum difficultatibus, quæ possint obiici contra prædicta, nonnulla sunt notanda.

92 Notandum primò triplicem esse baptismum, flaminis, sanguinis & fluminis. Baptismus flaminis consistit in pœnitentia, & perfecta contritione de peccatis, de quo Lucæ 3. 3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* consistit etiam in dilectione Dei præ cæteris, Lucæ 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa*, id est, omnia peccata, *quoniam dilexit multum.* Igitur baptismum flaminis nil aliud est, quam summa Dei dilectio, & contritio de peccatis. Sanguinis baptisma est illud, quod martyrio conficitur in persona mortem patiente propter fidem Christi, de quo Marci 10. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Fluminis baptismum est Sacramentum nouæ legis à Christo institutum pro remissione peccati originalis, & aliorum peccatorum, de quo Christus Ioan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sacramentum est signum sensibile rei sacræ, aqua est hoc sensibile signum, Spiritus verò Sanctus, id est, gratia iustificationis est res sacra, quia hominem baptizatum sanctificat. De baptismo flaminis, sanguinis, & fluminis D. August. *lib. de Pœnit cap. 17. relatus à Gratiano cap. Nullus 6. dist. 7. de Pœnit. cap. Baptismi vicem 44. cap. Cathecumenum 37. dist. 4. de consecr. cap. Firmissimè 3. 15 q. 1.*

Inter hæc baptismata datur prioritas, nam prior est baptismus flaminis, sine enim dilectione, & amore erga Deum, homo non potest peruenire ad reliqua duo, baptismus sanguinis erat ante institutionem baptismi fluminis, qui à Christo in lege noua Euangelij institutionis suæ exordium habuit, ea verò erant in veteri lege, de dilectione Dei, & contritione, seu pœnitentia omnibus notum est, martyrium quoque in lege veteri commendatur in primo martyre Abel, in Machabæis, & in Innocentibus, qui moriendo Christum confessi sunt. Constat ergo de prioritate institutionis eorum. 93

Necessitas illorum in ordine ad salutem suscipientium demonstratur eo ordine, quod homini contrito, & summè Deum diligenti nondùm baptismo fluminis renato non sufficit baptisma flaminis, quandocúmque potest recipere baptismum aquæ, quia in tantum prodest homini nondùm baptizato, in quantum Deum diligit, & contristatur de suis peccatis, cum desiderio reali, & non ficto recipiendi baptismum aquæ, quando id facere poterit, quod contingit Cathecumeno, dum in fide instruitur, nam tunc accenditur in amorem Dei, & se conterit de suis peccatis cum desiderio recipiendi baptismum, quando ministri Ecclesiæ illum vocabunt ad implendum suum desiderium, qui si ante illius susceptionem moritur ita dispositus, sine dubio transit ad æternam gloriam; quia in tali casu baptismum flaminis omnes illos effectus præstat, quos produxisset baptisma aquæ, si hoc suscepisset. Nec his obstat D. August. relatus cap. cit. Cathecumenum 37. dist. 4. de Consecr. his verbis: *Cathecumenum quamvis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere non credimus.* Quia illud dictum intelligitur de illo Cathecumeno, qui non habebat intentionem recipiendi in re baptismum, vt obseruat ibi glosa, & ex eodem Augustino idem colligitur *relato cap. Non dubito 149. dist. 3.* 94 95

Martyrium in infantibus supplet vicem baptismi, *cap. Firmissimè 6. 15. q. 1. cap. Baptism. 34. cap. Cathecumenum 37. dist. 4. de consecrat.* sicut in adultis ex citatis locis, sed cum ea differentia, quod in infantibus nulla præparatio est necessaria propter defectum vsus rationis sicut in adultis vsum rationis habentibus, quibus necessaria est præparatio dilectionis: seu contritionis peccatorum, & affectus ad baptismum fluminis, quæ non sunt necessaria expressè, & singulariter, sed sufficit, quod in ipsis tormentis comprehendantur, quæ à patiente sufferuntur propter amorem Dei. De excellentia huius baptismatis S. Clemens ita loquitur: *Qui martyrium consequi meruit, gaudeat in Domino, quod tantam coronam est adeptus, & per confessionem diem clausit extremum, ac quamvis fuerit Cathecumenus, lætus discedat, passio enim, quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismum, quoniam reipsa commoritur Christo*; Ita refert Stanislaus 96

Hosius

Hosius Cardinalis Doctissimus cap. 35. vbi de suscipientibus baptismum §. Ex quibus.

97 Baptismus demùm aquæ ita necessarius est ad salutem, vt sine eo nullus, qui potest illum reciperet, & negligit, saluari possit, ex quo priora duo baptismatis genera non valeant, nisi in illis votum huius includatur, vt omnes tradunt.

98 Notandum secundò, solum baptismum sanguinis, & fluminis ponere baptizatum intra Ecclesiam, non verò baptismum flaminis, quantum pertinet ad externam Congregationem fidelium, & pro foro externo, nam Ecclesiæ constare debet ingressus per aliquem actum externum, quod solùm baptismum Martyrij, & Aquæ præstare potest, non autem baptisma flaminis, qui actibus internis mẽtis perficitur nempe dilectione, & contritione, qui cum sunt actus occulti, à nobis fieri non possunt, immò nec ab ipsis diligentib. Deũ; & conterentibus de suis peccatis, cum licet sciant aliquid suæ dilectionis, & contritionis, quæ in se experiuntur, ignorant tamen, an sint actus sufficientes ad remissionem peccatorum, quia homo non potest suo intellectu attingere eorum supernaturalitatem, à qua pendet illorũ effectus supernaturalis. Solùm ergo baptismata martyrij, & aquæ, vt quæ apparent, constituunt baptizatum intra Ecclesiam, & illius membrum faciunt. De baptismo fluminis non est difficultas aliqua, quia à S. Patribus præsertim Basilio vocatur fidei sigillum, & tessera quædam Christiani militis, teste eodem Hosio cap. 34. initio. Neq; debet esse de Martyrio, asserente S. Augustino *serm. 10. de sanctis, relatus lect. 6. diei festi sanct. Innoc.* eos esse de Ecclesia propter

99 martyrium his verbis: *Qui iure dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quadam persecutionis pruina decoxit.* Optatus Mileuitanus *lib. 3.* non admittit verum, & salutare martyrium extra Ecclesiam his

100 verbis: *Temerarium est martyrem existimare eum, qui extra bellum Christianum ceciderit.* Ergo martyrium existens extra Ecclesiam patientem ponit intra Ecclesiam, si antea non est, vt si est Cathecumenus per martyrium fit membrum Ecclesiæ. Dico: *si est Cathecumenus*, quia si est hæreticus, vel Schismaticus, ac proinde extra Ecclesiam, vt dicam infra, per martyrium non fit membrum Ecclesiæ, cum vt infidelis careat fide, nec saluari potest per martyrium etiam passum

101 propter Christum, quia non est propter fidem Christi. De martyrio hæreticorum solo nomine sine virtute & fructu Cardinalis Hosius *lib. 1. de hæresibus §. Quamvis magis etiam.*

Dices, Innocentes non sunt membra Ecclesiæ, quia eo tempore, quo interfecti fuerunt, nondum erat Ecclesia, sed vigebat adhuc Synagoga. Præterquam quod in eis, & Cathecumenis martyrium passis non video conditiones, de quibus supra, nimirùm illorum professionem fidei, & subiectionem ad summum Pontificem, quam subiectionem ponit solum baptisma fluminis, maximè in illis Innocentibus, quorum tempore nondum prædicata erat fides Euangelij, nec aderat Pontifex, cui possent esse subiecti.

102 ℟. Innocentes fuisse membra Ecclesiæ præparata sicut erant Apostoli, qui omnes suberant Christo summo Pontifici, qui nomine omnium sequentium se verbo, seu facto fidem in seipso protestabatur. Adulti Cathecumeni martyrio affecti sine dubio protestantur Catholicam fidem sub Romano Pontifice, dum illos cruciatus perferunt pro amore Christi, cuius vices in terris gerit Papa, nulla igitur ratione dubitandum, quin sint de Ecclesia.

103 Notandum tertiò in adulto baptizando tria requiri, intentionem, fidem, & dolorem de peccatis commissis: Tolet. *lib. 2. cap. 21. §. Tertiò*, & omnes Theologi, quibus positis adultus validè, & cum fructu recipit Sacramentum, & rem Sacramenti, quæ est gratia Sacramentalis, & iustificationis, si desit intentio nullum est Sacramentum. Nullitas autem baptismi in ratione signi, & caracteris, atque etiam rei contingere potest ex quatuor defectibus, ex defectu materiæ, cum corpus abluitur alio elemento, quam aqua 104
vsuali; ex defectu formæ, cum baptizans vtitur alia forma non æquiualente illi, quæ fuit à Christo tradita; ex defectu intentionis siue ministri baptizantis, siue adulti recipientis; in his omnibus baptismus est inualidus, nihilominùs talis ita nulliter baptizatus dicitur intrasse Ecclesiam, & esse illi subiectum, quia constat de facto, & tamdiu manet subiectus Ecclesiæ; 105
quamdiu non probat nullitatem recepti baptismatis, quod non est probabile nisi per ministrum ex parte suorum defectuum, ex parte verò adulti improbabile est, quia ei non creditur in propria causa, quâ vellet se eximere à subiectione Ecclesiæ. Hanc subiectionem neque infringunt defectus fidei, & doloris, & multò minus hæc duo sunt probabilia, agitur ergo ita baptizatus remanere subiectus Ecclesiæ velit, nolit, quia constat de illo actu externo ablutionis, quod sufficit, vt Ecclesia acquirat speciale dominium super illum. Et sic iste dicitur esse intra Ecclesiam quoad subiectionem, extra vero quoad fauores; & dona supernaturalia; quorum non est particeps, nisi de nouo recipiat baptismum cum debitis requisitis.

Quæres 20. An aliquando in Ecclesia omnes fideles simul sint boni, & alio tempore possint esse simul omnes mali? An verò Ecclesia semper fuerit, & futura sit permixta ex vtrisque?

℟. Certum est, & de fide, omnes fideles ab initio Ecclesiæ simul fuisse bonos, vt colligitur, *ex Act. Apost. cap. 1. 2. 3. & 4.* Nam duodecim Apostoli cum Matthia electo in locum Iudæ, & cum septuaginta duobus Discipulis, & mulieres, omnes sancti erant repleti Spiritu Sancto in die Pentecostes, cum quibus alij eodem die credentes baptizati sunt circiter tria millia cap. 2. 41. Vbi subiungitur: *Erant autem perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quæ omnia, & alia indicant eorum bonitatem, & sanctitatem. Alio autem die additus fuit credentium numerus veterum quinq; millia, c. 4. 4. Primus autem, qui in primitiua Ecclesia 107
cæpit aberrare à sanctitate fuit Ananias cum Zaphira vxore sua, propter fraudationem pretij agri venditi Act. 5. initio.

Deinceps verò Ecclesia vixit, & viuit permixta bonis, & malis, vt probatũ fuit supra q. 18 Itavt huiusmodi mixtio separari nõ possit, nõ defectu ipsius Ecclesiæ, sed fideliũ in ea existentiũ, in quantum habent vsũ liberi arbitrij ad bonum, & malum. Suadetur, *Tum quia*, Ecclesia comparatur Regno cœlorum, Sagenæ missæ in mari, vineæ, &c. in quibus semper boni, & mali reperiuntur. *Tum quia*, Matth. 13. à n. 24, in agro Ecclesiæ fuit seminatum bonum semen, creuit tamen cum tritico zizania, hoc est, mali cum bonis, & paterfamilias, qui est Christus Dominus noluit, vt eradicaretur zizania, sed perseueraret simul cum tritico vsq; ad tempus messis, id est, ad diem iudicij, vt zizania in fasciculum collecta traderetur ad comburendum igni & triticum congregaretur in horreum Paradisi. *Tum quia*, in Ecclesia multi sunt vocati, & pauci sunt electi, ergo continua permixtio bonorum, & malorum. 109
Tum quia, per hoc differunt milites Ecclesiæ triumphantis à militibus Ecclesiæ militantis, quod in ea omnes continuè, & semper sunt boni, in ista verò continuè commiscentur mali cum bonis. *Tum quia*, mali, & peccatores in hoc mundo inutiles non sunt, inquit enim D. August. super Psal. 54. ℣. 1 *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò viuit, vt corrigatur,*

110 tur, aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur. Peccator igitur non minùs continuè viuit in Ecclesia quam bonus, propter duo, vel vt ipse corrigatur exemplo bonorum, vel vt bonus per ipsum exerceatur in cultu Dei. Et ita docent omnes Theologi in specie Cardinalis Hosius lib. 2. contra hæreticos §. Facit iam deinceps. *Confirmatur*, tùm quia eodem modò, quo existit vnum contrariorum, est & alterum, secundum Philosophum, sed in Ecclesia semper sunt homines boni, ergo & mali. Tum quia Sacramenta in Ecclesia sunt, vt in ea perpetuò peccatoribus administrentur, ergo in Ecclesia semper sunt peccatores, qui Sacramentis iustificari possint, aliter frustratoria essent. Ex his infertur, non posse dari tempus, in quo sint in Ecclesia tantum boni sine malis, neque mali tantum sine bonis, hoc ipso, quod ambo sunt permixti continuè successiuè, & semper.

Dices pro bonis, aliquandò dari Ecclesiam ex solis bonis constantem, nam Paulus pluribus in locis vocat fideles sanctos, & Christus dicit: *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. Pariter pro malis, quibus solis constat Ecclesia, dicitur enim quod omnis homo mendax, & quod in Adam omnes peccauerunt; ergo ex solis malis componitur Ecclesia, in qua Dauid Propheta conquerendo asserit, se nullum inuenisse hominem bonum facientem Psal. 13. *Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*. Ecclesia ergo nedum est mixta bonis, & malis, sed solis malis constat.

℞. Pro bonis, primò omnes fideles esse bonos sanctitate baptismatis, quia per illius subreptione quotquot Ecclesiam ingrediuntur, sanctificantur. Secundò intelligitur indefinitè de illis, qui sancti sunt, nam di-
111 ctio *omnes* sumitur pro multis Aug. lib. 6. cap. 12. contra Iulianum Pelagianum, ita loquitur: *Omnes pro multis, & multi pro omnibus frequenter in sacris literis ponuntur*. Sic sumitur illud: *Multi sunt vocati*, id est, omnes vocantur ad salutem, quia Deus vult omnes
112 saluos fieri. Respondetur pro malis, omnes in Adam peccauerunt, & omnis homo mendax in hoc eodem peccato, nam originale vocatur mendacium in alio Psal. 57. *Alienati sunt peccatores à vulua, & errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa*. Manifestum enim est, Prophetam loqui de originali, quod mendacium, & falsitas vocatur; in cuius confirmationem facit Ioan. 1. cap. 1. 9. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, id est, peccatum Adæ, quod ex vtero contraximus. Huiusmodi autem peccatum originale cum omnibus aliis tollitur per baptismum, & sic homo sanctus fit ipso ingressu in Ecclesiam existens enim in peccato originali nondum est membrum Ecclesiæ, sed tale fit per ablutio-
113 nem baptismalem. Ad illud Psal. 13. quod omnes declinarunt, sunt facti inutiles, & nullus facit bonum explicatur à D. Hieronymo apud Vgonem Cardinalem de bono meritorio vitæ æternæ, respectu cuius homo inutilis est, non valens illud propriis viribus assequi, requiritur enim supernaturale auxilium gratiæ, quia ipsemet Christus dicit: *Sine me nihil potestis facere*. Sermo igitur est de insufficientia hominis ex viribus naturæ ad dignè, & meritoriè operandum, non de defectu bonitatis respectu peccati.

Quæres 21. An Sancti Patres veteris Testamenti sint membra nostræ Ecclesiæ?

114 ℞. Non, quia huius membra sunt tantum illi, qui receperunt baptismum & fidem Christi præsentis, sed ante aduentum Christi nondùm erat institutum Sacramentum baptismi, ergo nunquam fuerunt membra huius Ecclesiæ.

Obiicies duo, *primùm*, sequi, extra Ecclesiam esse salutem, quia sancti Patres salui facti sunt, & cum Christo regnant in æternum. *Secundùm* D. Thomam, qui tertia *par. q.* 8. *art.* 3. extremis verbis ita concludit. *Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus*. Alia autem ratione non possunt pertinere nisi vt illius membra, ergo S. Patres sunt membra nostræ Ecclesiæ,

℞. Extra Ecclesiam nostram non esse salutem, licet 115
enim in veteri lege sub Synagoga essent Sacramenta, & remedia pro remissione peccatorum & salute, tamen quia huiusmodi pèdebant à fide Christi venturi ita quod perfectam salutem, & consummatam Patres consequi non poterant, nisi per passionem, & actualem mortem Christi, per quam fundauit Ecclesiam, & cessauit Synagoga, ideò non in Synagoga, sed in Ecclesia tantum perfecta salus est hominis, non enim erat congruum, vt aliquis homo purus aliis aperiret portas cœli ad impediendum Paradisum, id enim reseruatum fuit Christo, quem oportuit pati, & ita glo- 116
riosum cum suis sanctis intrare in gloriam suam, vnde venerat in mundum, vt saluaret genus humanum vt reduceret illud ad suum vltimum finem, in quo perpetuò quiesceret. Et hac ratione *respondetur ad* D. Thomam, nempe ipsum intelligendum esse, Patres pertinuisse ad idem corpus Ecclesiæ, in quantum non poterant perfectam consequi salutem, nisi per mortè Christi, qui erat caput visibile corporis Ecclesiæ, in qua erant Patres in fide Christi venturi sub Synagoga, Christi verò præsentis, quoad consecutionem perfectæ salutis.

Quæres 22. An Cathecumeni sint membra Eccle- 117
siæ? Cathecumenus vocatur persona adulta habens vsum rationis, petens baptismum, in ordine ad quod instruitur circa symbolum fidei. Talis autem vocatur vsque ad receptum baptisma; & comparatur nouitio 118
regulari, qui in anno probationis instruitur in disciplinis regularibus, vt finito anno possit professionem emittere, si voluerit, & si placuerit conuentui; & sicut nouitius potest ante professionem recedere à religione, quia non cogitur proficere, cum id sit ei liberum, ita Cathecumeno liberum est recipere baptismum, quia nullus cogitur, sed liberè admittitur; est tamen differentia, quia nouitius recedere potest sine peccato, Cathecumenus verò peccat, quia non contulit saluti suæ, sed incurrit æternam damnationem.

℞. Cathecumenus nondum baptizatus est extra Ec- 119
clesiam, quia per baptismum tantum quis Ecclesiam ingreditur, vt dictum fuit, vnde alias Cathecumenus missam foris audiebat, vt refert Isidor. *lib.* 2. *de eccles. offic. c.* 21, Ecclesia in die Veneris sancti orat pro ipsis, vt renati fonte baptismatis adoptionis Ecclesiæ filiis aggregentur, nondum ergo sunt aggregati aliis fidelibus, quibus congregantur mediante baptismo. Ita S. Chrysost: *hom.* 24. in Ioan. S. Greg. Nazian. *in orat.* ad S. Laurent Cyrill. *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 50. Bellarm. *lib.* 3. *de eccles milit. c.* 3. Ricciullus *lib.* 3. *de iure person cap.* 4. *n.* 6. Concil. Bracar. 1. *n.* 35. prohibet, ne quis pro illis defunctis celebret, aut psallat.

Dixi supra sub n. 95. Cathecumenum contritum ex corde, qui non potuit recipere baptismum, saluari, & dici esse intra Ecclesiam Dei, hoc enim baptisma cum voto alterius sufficit ad salutem, sed quia Ecclesia nò iudicat de occultis, quale est baptismum flaminis, ideò hos Cathecumenos non adscribit inter membra sua. Quare dicuntur esse intra Ecclesiam respectu fori Dei, non fori externi Ecclesiæ, sic est intelligendus Nauar. *tom.* 3. *cap.* 31. *de Iubileo n.* 48. §. *sed contra*.

Quæres 23. An excòmunicatus sit membrum intra 120
Ecclesiam? Duplex excommunicatus, vnus toleratus, qui scilicet non est denuntiatus, & declaratus nominatim. Alter vitandus, qui scilicet ab Ecclesiæ iudice est declaratus talis, cuius gesta à potestate iurisdictionis pendentia, attentata, nullius sunt momenti. Est communis Doctrina.

℞. Vter

121 ℟. Vterque excommunicatus dicitur esse intra Ecclesiam, & eius membrum viuum, quod subiectionem, onera, odiosa, & professionem fidei sunt verò ambo extra Ecclesiam tanquam membra mortua, & arida quoad communionem externam, cum ea differentia, quod toleratus iudicialiter non est exclusus, cùm tanquam occultus toleretur, quamvis coram Deo sit ab Ecclesia reiectus. Vitandus verò extra Ecclesiam est iudicialiter positus, intra quam à solo iudice per absolutionem restituitur iudicialiter eo modo, quo ab ea fuit reiectus.

Prima pars, quod vterque sit intra Ecclesiam quoad subiectionem, à nullo negatur, quia hoc est commune omnibus baptizatis, vt quomodocumque excluduntur extra Ecclesiam, adhuc dicantur esse intra eandem quoad subiectionem, quia non debent esse
122 melioris conditionis mali & peccatores, quam sint boni, & innocentes, qui intra Ecclesiam sunt non solùm quoad fauores, sed etiam quoad odia, & subiectionem, malè agens igitur non debet esse melioris conditionis, *l. Non solum ff. de notal. act.* Neque malitia, & dolus alicui debet patrocinari, *cap. sedes 15. cap. Ex tenore 16 de rescr.* neque quis ex sua iniquitate commodum reportare debet, *l. Non fraudatur ff. de regul. iur. cap. Intelleximus 7. de iudic. cap. sicut suis 33. de sim.* neque pœna debet parere immunitatem, *l Relegatorum in fine ff. de interd. & releg.* Sunt ergo intra Ecclesiam quoad subiectionem. Confirmatur, quia in illis adsunt illa tria requisita baptismi, fidei, & Pontificis.

123 Secunda pars, quod ambo sunt extra Ecclesiam quoad communionem, deducitur ex ipsa definitione excommunicationis, quæ est priuatio triplicis com-
124 munionis, nimirum in suffragiis, sacrificiis, & orationum Ecclesiæ, in participatione actiua, & passiua Sacramentorum, & conuersatione ciuili, de quibus omnibus Theologi in tractatu de excommun. quare excommunicatus siue toleratus, siue vitandus huiusmodi bonis priuatus certè dicitur esse extra Ecclesiam in hoc sensu; quia non participat de bonis illius, & verbum ipsum *Excommunicatio* hoc indicat, quod excommunicatum ponit extra communionem. Ita Sancti Patres *apud Gratianum 11 q. 3. cap. Qui merito 19. cap. Nullus 42. cap. Canonica 107. cap. Cum aliquis 108. item caus. 24. q. 3. cap. Si quis 4. cap. Cum aliis 7. cap. de his 8. cap. Certum 9. & alibi sæpè.*

125 Tertia pars, quod vterque excommunicatus est membrum mortuum, & aridum, probatur, quia per excommunicationem separatur à communione corporis Ecclesiæ, cap. Nihil 33. 11. q. 3. ergo mortuum, & aridum est, cum non ampliùs viuificetur, sicut ante, quando erat vnitum. Et ita sentiunt omnes locis citatis.

126 Quarta pars, quod excommunicatus ponatur extra Ecclesiam quoad communionem externam, constat ex prædictis, quia Ecclesia iudicat de externis, ideò occultum excommunicatum tolerat in Ecclesia, non autem manifestum, quem mandat ab oneribus vitari, & ideò vitandus dicitur. Dico, *quoad communionem externam*, quia communione interna charitatis, & gratiæ excommunicatus supponitur antecedenter priuatus per peccatum mortale, sine quod non contrahitur excommunicatio, cap. Nemo 41. cap. Nullus 42. 11. q. 3.

Quæres 24. An hæretici sint intra Ecclesiam Dei.

127 ℟. Hæretici sunt de Ecclesia quoad subiectionem, & odiosa, extra verò eam quoad communionem, & fauores, siue sint occulti, siue manifesti & sunt membra præcisa ab Ecclesia; pro talibus autem non habentur exterius ab Ecclesia, nisi post declarationem.

Prima pars, quod hæretici sint de Ecclesia quoad subiectionem, colligitur ex S. Patribus, Aug. *Multi sunt intus, non exierunt, & tamen Antichristi sunt* D. Gregor. lib. 5. Moral. 5. *Multi sunt in Ecclesia, qui de æternitatis promissione diffidunt, & tamen se fideles esse, mentiuntur.* Origenes homil. 21. in Iosue. *Etiam hic in Ierusalem. i. in Ecclesia sunt quidam Ieburæi, qui ex fide, & actibus peruersi sunt.* Loquuntur Patres de hæreticis tam occultis, quàm manifestis *Confirmatur.* Tum ex illa communi ratione baptismatis, quod omnes subiicit ministris Ecclesiæ, cuius caracter ob suam indelebilitatem per abnegationem fidei non destruitur. *Tum quia*, hæretici legitimè, & iustè puniuntur à ministris Ecclesiæ non solùm pœnis temporalibus, sed etiam censuris Ecclesiasticis, quibus solùm Ecclesiæ membra plectuntur. *Tum quia*, inter baptizatum, & 128
Ecclesiam intercedit pactum ex parte baptizati seruandi legem Ecclesiasticam, & diuinam, ita quod quis non potest se eximere ab Ecclesia in his oneribus, sicut non potest Vassallus se eximere à suo Domino, nec clericus ab Episcopo, nec professus à religione, nec sponsa à sponso, seu vxore á marito. *Tum quia*, per hæresim non perdunt potestatem ordinis, ideò validè conficiunt Sacramenta, si in forma Ecclesiæ Romanæ illa conficiunt, vnde etiam in articulo mortis Sacerdos hæreticus validè absoluit, quia ad hoc non caret potestate iurisdictionis. Quare quoad hæc sunt intra Ecclesiam. Ita Castro apud Ricciull. *lib. 5. cap. 12* Caiet. *de Author. Papæ cap. 22.*

Secunda pars, quod hæretici sint extra Ecclesiam quoad communionem, & fauores, probatur *primò* ex Sacra Scriptura Ioan. 10. 26 *Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.* Oues enim Christi sunt intra Ecclesiam, sed hæretici non sunt ex ouibus Christi, ergo neque intra Ecclesiam. Idem Ioannes Epist. 1. cap. 2. n. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Loquitur de hæreticis, qui prodierunt de corpore Ecclesiæ, & dicuntur propter hæresim non esse *ex no-*
bis, idest, membra Ecclesiæ, sicuti sumus nos, inquit 129
Euangelista. Idem testatur Paulus 2. Corinth. cap. 6. n. 15. *Quæ pars fideli cum infideli.* Opponuntur infidelis seu hæreticus, & fidelis, consequenter non possunt esse membra ambo viua eiusdem corporis. *Secundò*, ex Sanctis Patribus, Aug. relatus cap. De illis 8. 24. q. 3. *Neque enim solum ad Ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius vnitate corporaliter mixti per pessimam vitā separantur.* Item cap. Cum aliquis 7. 24 q. 3. *Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à Charitate, exit de Castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minimè abiiciatur.* Hæretici ergo non pertinent ad Ecclesiam, exierunt ab eius Castris, quoad communionem & alios fauores cum cæteris fidelium membris. *Tertiò*, Hæretici non habent Euangelium, cap. Marcion 64. 130
1. q. 1. in eorum templis pro seipsis Sacramenta sunt extincta, cap. Manifestum 69. ead. dicuntur non esse cum Catholicis, nisi in baptismate, in aliis verò sunt separati, *cap. Non in nobis 43. dist. 4. de consecrat.* non sunt nominandi Christiani, Leo Papa I. pro Concilio Calced. in Epistola ad Leonem Imper. Sed qui prædictis carent sunt extra Ecclesiam, ergo & hæretici eisdem carentibus. *Quartò*, vt quis sit intra Ecclesiam in nullo ex prædictis debet deficere, sed hæreticus deficit in secundo, nimirùm in professione fide, ergo est extra Ecclesiam. *Ita Victor. Relect. 1. de potest. Eccl. n. 6.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 2.* Corduba *lib. 4. q. 1, dub. 1.* Bellarm. *lib. 3. de eccles. milit. cap. 4.* Ricciull. *lib. 5. cap. 12.*

Tertia pars, quod non solum manifesti, sed etiam, 131
hæretici occulti sint extra Ecclesiam, probatur, tum ex allegatis auctoritatibus. Tu ex aliis Patribus. S. Cy-

prianus martyr relatus cap. Si quis 70. 1. q. 1. *Si quis inquit de Ecclesia hæretica præsumptione exierit damnatus est à semetipso.* Item cap. Didicimus 31. 24. q. 1. *Didicimus, omnes omninò hæreticos, & Schismaticos nil habere potestatis, & viris.* Nota ea verba *omnes omnino*, quæ comprehendunt hæreticos cuiuscunque generis, & conditionis, tam manifestos, quam occultos. Intellige ad licitè agendum respectu occultorum, & validè quoque respectu denuntiatorum. Tum ratione, quia quando Ecclesia venit in cognitionem alicuius hæretici, procurat eius salutem, vt redeat ad vnitatem fidei, abiurando hæresim, quod est signum etiam occultum hæreticum esse separatum, & extra Ecclesiam, qui si nolit redire declaratur excommunicatus, & hæreticus, vt fideles eum euitare possint; *Turrecrem. tom. 1. in cap. Cum aliquis 24. q. 3.* dicit, quod hæretici sunt extra Ecclesiam, etiam si non eiiciantur publicè per Episcopum.

132 Quarta pars, quod hæretici non solum sunt membra mortua & arida sed etiam præcisa à corpore Ecclesiæ ad differentiam peccatorum, & excommunicatorum, qui solum sunt membra mortua, sed non separata, quia vnita sunt corpori Ecclesiæ per illas tres conditiones. Probatur tum auctoritate Patrum, cap. De illis 8. 24. q. 3. vocantur separati, & segregati ab Ecclesia Dei. Cap. Resecandæ 16. eadem dicuntur carnes putridæ, & scabiosæ oues. Cap. Clericorum 35. cum eorum Ecclesiæ non sunt verè Ecclesiæ, sed conciliabula. Ex quibus patet, eos esse membra putrida, & resecata à corpore Ecclesiæ. Ratione, quia sine fide impossibile est placere Deo, & cum eo viuere, iustus enim ex fide viuit; sed hæreticus caret fide, ergo est membrum non solum mortuum, sed etiam præcisum, quia caret principio vnionis fidei, quo possit viuificari.

Quinta pars, quod hæretici non habeantur tales, nisi post eorum declarationem, de se constat, quia quilibet per actum externum baptismatis Ecclesiæ notum fit membrum Ecclesiæ, ergo & per actum notum eidem eiicitur ab Ecclesia. Confirmatur, quia
133 Ecclesia de occultis non iudicat, sed tantum de externis, *cap. sicut 33. cap. Tua 34. de simon.* ergo hæreticos in tantum habet pro talibus, in quantum eos tales iudicialiter agnoscit. Nec est difficultas in re hac.

Dices, hæreticos esse in Ecclesia non solùm quoad odiosa, & subiectionem, sed etiam quoad fauores, nam hæretici non solùm occulti, verumetiam manifesti, & vt tales denuntiati ab Ecclesia, & ab ea præcisi adhuc conficiunt validè Sacramenta per potestatem ordinis, ab eis non auferibilem, sed perpetuò permansuram in eis respectu caracteris indelebilis, in quo residet ordinis potestas; immò hæreticus præcisus, & denuntiatus absoluere potest existentem in articulo mortis, ex communi Doctorum sententia, quos citant Barbosa *ad c. 7. sess. 14. n. 13. &* Diana *par. 4. tract. 14. resol. 233. & par. 5. tract. 3. resol. 57.* ergo hæretici simpliciter sunt in Ecclesia & quoad fauores, & quoad odiosa.

℟. Esse in Ecclesia tantum quoad subiectionem, nam argumentum non probat ex potestatis exercitio, id eis esse fauorabile, immò valdè odiosum, siquidem illicitè, & peccaminosè administrant Sacramenta in sui perniciem, & damnationem, & si aliquid est fauoris, id redundat in vtilitatem subiectorum recipientium validè Sacramenta.

Quæres 25. An Apostatæ, & Schismatici sint extra Ecclesiam?

134 ℟. De Ecclesia sunt quoad subiectionem; & punitionem, extra verò eandem quoad communionem, & fauores. Quod ambo sint intra Ecclesiam quoad subiectionem patet iisdem rationibus, quibus probatum fuit esse subiectos excommunicatos, & hæreticos, in hoc enim pari passu currunt.

De Apostata probatum quod sit extra Ecclesiam, nam Apostata dicitur ille baptizatus, qui in totum recedit à fide, vnde D. Thomas *2. 2. q. 12. art. 1.* Apostasiam vocat retrocessionem à Deo, quia sic recedens non solùm fidem, sed etiam Christum, & Deum negat, ergo in omnibus bonis se ab Ecclesia separat. Confirmatur, quia præter caracterem baptismi, quem à se reiicere non potest, nil aliud habet de Ecclesia, nec fidem, nec Sacramenta, nec caput illius recognoscit, in totum se separando à corpore ac proinde ab omnibus membris, & capite.

De Schismaticis extra Ecclesiam probatur tum ex 135
Sanctis Patribus relatis à *Graciano cap. Quoniam 25. cap. Pudenda 33. Schisma 34. 24. q. 1. cap. Clericus 35. 24. q. 3. & alibi.* Tum ratione ætymologiæ huius vocis, quæ diuisionem, & separationem dicit ab vnitate Ecclesiæ in ordine ad caput, quod non vult recognoscere. *Confirmatur id*, quia Schismaticus in capite semper est hæreticus, ergo ex hoc capite est extra Ecclesiam. Ita omnes *cum Bellarmino*, Farinac. Ricciull. *lib. 9. cap. 2. Angelus Petricca in sua Turri Dauidica, lib. 1. disp. 3. concl. 2.* vbi dicit, Schismaticos sine hæresi 136
esse membra vnita Ecclesiæ, differunt enim hæresis, & Schisma secundum D. August. super Matth. q. 11. tom. 4. dicentem: *Solet autem etiam quæri, in quid ab hæreticis distent, & hoc inueniri, quod Schismaticos non fides diuersa faciat, sed communionis disrupta societas.* Meo iudicio Schisma præcisè acceptum est recessus ab obedientia summi Pontificis, vt est caput Ecclesiæ, ac proinde semper coniungitur cum hæresi, est enim hæreticus ille, qui non credit Romanum Pontificem legitimè electum, seu pro tali habitum, quatenus est caput Ecclesiæ, vt probabo suo loco.

Quæres 26. An eodem modo excommunicati, hæretici, Apostatæ, & Schismatici sint extra Ecclesiam, an alius alio magis distet, & sit elongatus ab ea?

℟. Elongantur ab Ecclesia hoc modo, & ordine Apostata, Schismaticus, hæreticus, & excommunicatus; 137
iste minus aliis distat ab Ecclesia explicatur, & simul probatur, nam excommunicatus elongatur ab Ecclesia præcisè ratione communionis, id enim demonstrat vocabulum excommunicationis, vt dictum fuit q. 23. Hæreticus verò etiam in ratione professionis fidei, quia hæreticus discredendo vnam propositionem de fide, nulli credit, cum omnes eodem formali obiecto primæ veritatis reuelantis nitantur, quare vnum negantes articulum omnes consequenter destruunt, quia negant eos constare ex diuina reuelatione, cuius veritas sicut vna, & indiuisibilis est, ita talis esse debet respectu omnium articulorum, ex quo vno negato negatur veritas respectu omnium; ad quod propositum facit illud Iacobi 2. 10. *Quicunque autem totam legem* 138
seruauerit offendat autem in vno, factus est omniũ reus: qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &: Non occides. Ecce qui vnam veritatem negat, omnes destruit, quia ab eodem auctore proueniunt cuius veritas cum sit indiuisibilis, & infallibilis non potest diuidi, & fieri fallibilis, & falsa. Schismaticus verò propter hæresim quam coniunctam habet, aut præparationem ad ipsã, quam sibi confingit, vt dicit D. Thomas *2. 2. q. 3. in fine primi Articuli*, est extra Ecclesiam formaliter per inobedientiam, & non recognitionem Romani Põtificis, vt veri Capitis Ecclesiæ Dei, proinde ex triplici capite Schismaticus est extra Ecclesiam, ratione excommunicationis, hæresis, & abnegationis capitis. Apostata demum supra alios magis elongatur ab Ecclesia Dei, quia præter excommunicationem, hæresim ex parte recessum à capite, elongatur etiam abnegatione à Deo, & rebellione à capite, nam si possibile foret, nollet esse de numero baptizatorum, neque vllo modo vult esse de Ecclesia, sicut cæteri, qui prætendunt

tendunt esse suo modo in Ecclesia, & de Ecclesia, quam ideò non abnegant, sicut faciunt Apostatæ.

Quæres 27. An vt quis sit membrum Ecclesiæ
139 sit necessarium, quod exterius fidem profiteatur in sacrificiis, suffragiis, Sacramentis, & aliis ritibus Ecclesiasticis.

℞. Negatiué, & probatur. *Tum quia*, vt quis fiat, & sit membrum Ecclesiæ etiam visibilis sufficit, quod recipiat baptismum profitendo fidem sub capite Romano, vt sæpius dictum fuit; adultus autem fidem profiteri debet ante ingressum per baptismum, infans verò profitetur per ministros Ecclesiæ, & demum per receptionem baptismi statim fit perfectè membrum Ecclesiæ, ita quod vt tale sit non egeat illa externa professione, quamuis huiusmodi externa professio necessaria sit in genere vt Ecclesia remaneat continuò visibilis, hoc est, necessarium est, vt cultus Dei etiam externus semper in Ecclesia vigeat. *Tum quia*, prius est rem constitui in suo esse quam operari, cum operatio sequatur ad esse rei, ergo homo est priùs membrum Ecclesiæ, quam quod operetur iuxta præcepta Ecclesiæ. *Tum quia*, sicut Ecclesia prius constituitur in suo esse deinde se postea ostendit per externa opera visibilem exequendo, quæ Deus mandat fieri in Ecclesia, ita homo prius debet esse membrum Ecclesiæ per fidem receptam in baptismate, vt ea mediante operari possit, ostendendo se esse Ecclesiæ membrum per operationes conformes Ecclesiæ, nihil enim potest Ecclesiam probare visibilem, & sensibilem, nisi homo Christianus in ea militans cum armis eiusdem Ecclesiæ. *Tum quia* sequitur absurdum, nempe infantes, & amentes baptizatos non esse membra Ecclesiæ, quia fidem exterius non profitentur Nec quis dicat, eos esse membra Ecclesiæ inuisibilis, quia sic dicens incidit in errorem hæreticorum; nec valet dicere, quod isti sunt in Ecclesia quidem visibili, sed non esse de Ecclesia visibili membra, quia sequeretur Ecclesiam visibilem non esse vnam, aut qualitatem visibilitatis præcedere ipsam Ecclesiam, seu membra, quod non est verum, quia qualitas supponit subiectum cui inhæret. Concluditur ergo, quod quis euadit membrum Ecclesiæ statim ac cum fide recipit baptismum, sine alia externa operatione. Ecclesia verò dicitur visibilis per externam operationem ad regulas ipsius Ecclesiæ, nec est necesse, quod omnis homo exterius fidem profiteatur. Est simile, sicut dicitur, quod tota Ecclesia non potest errare, non quia nullus homo fidelis possit errare, quia constat multos de facto errare, sed sic dicitur, quia principalia membra illius non possunt errare; ita tota Ecclesia dicitur visibilis, non quia omnia membra necessario externè debeant operari in vinea Domini, sed quia multi in ea exterius fidem profitentur obseruatione mandatorum Dei, quod sufficit, vt Ecclesia denominetur visibilis, Adde, quod Ecclesia sufficienter se ostendit visibilem per receptionem baptismatis in suis membris, illa enim externa cæremonia, materia, & forma huius Sacramenti sunt signa sensibilia.

Quæres 28. An infantes nati ex hæreticis, & per ipsos baptizati sint membra Ecclesiæ.

140 ℞. Affirmatiuè, quia habent omnia requisita, ad hoc vt quis dicatur membrum Ecclesiæ, nam baptismum, fidem & subiectionem ad Papam habent, ergo sunt membra Ecclesiæ. Et colligitur ex Tridentino sess. 7. Can. 13. vbi loquitur de infantibus baptizatis, non distinguendo quisnam eos baptizauerit, & quorumnam filij sint; vt ideò hoc de fide tenendum est, vt ibi dicitur.

Dices, infans nullam profitetur fidem, quando baptizatur ab hæretico, maximè si sit eorum filius, nec dicitur subiici Papæ, quia hæretici nolunt recognoscere Papam, ergo ad minus est in Ecclesia quoad subiectionem & odiosa, non veró simpliciter, vt infantes fidelium.

℞. In solo baptismate reliqua duo continentur, nam primò baptisma dicitur Sacramentum fidei, quia in eo fides infunditur, & hoc sufficit respectu infantium, qui quia carent vsu rationis, non possunt exercere actum fidei ante susceptionem baptismi, sicut faciunt adulti. Secundò, hoc professionis exercitium fidei pro illis supplet Ecclesia cap. Mater 139. dist. 4. de consecr. *Mater Ecclesia os maternum paruulis præstat, vt sacris misteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem; nec ideò tamen eos quisquam fidelium infideles appellare cunctatur.* Tertiò nullatenus dubitandum est de recognitione capitis, quia sicut Ecclesia supplet actualem fidem paruuli, ita & eiusdem recognitionem erga summum Pontificem, quæ ex natura status huiusmodi consequitur baptismum.

Quæres 29. An fideles per mortem desinant esse membra Ecclesiæ Militantis.

℞. Mortui sunt in triplici differentia. Alij descendunt in infernum, & isti simpliciter desinunt esse 141
de nostra Ecclesia; cui tamen habent aliquam subiectionem. Alij descendunt in Purgatorium, & isti adhuc sunt de nostra Ecclesia quoad fauores. Alij ascendunt immediaté in cœlum, & isti desinunt pænitus esse de nostra Ecclesia, à qua transeunt ad Triumphantem.

Prima pars de damnatis probatur *Tum quia*, carent fide, spe, & Charitate, sine vlla aptitudine 142
ad illas, quia eorum status est obstinationis in malo, ideò nulla est spes euadendi, ergo neque fides, quæ est argumentum rerum sperandarum, neque ideò Charitas, quæ prædicta duo supponit. *Tum quia* sunt in termino vltimato suæ militiæ, & succubuerunt, quia fæliciter non dimicarunt in agone, & ideò indigni nomine militis Ecclesiæ. *Tum quia*, non datur regressus, vt fit excommunicatis, apostatis, hæreticis, & schismaticis, in inferno enim nulla est redemptio, dicente Iob cap. 7. 9. *Qui descenderit ad inferos non ascendet.* Lucæ cap. 16. bene dicitur. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*: ergo ibi perpetuò manere debent absque vlla spe redeundi ad Ecclesiam, à qua proinde omninò, & pœnitus exclusi sunt.

Dices, damnati credunt, & contremiscunt cum 143
dæmonibus Iacobi 2. 19. ergo adhuc sunt de hac Ecclesia, & si credunt habent spem, fides enim est in ordine ad spem, consequenter sunt etiam capaces Charitatis, quæ ad illa duo sequitur, ergo sunt adhuc de Ecclesia. *Deinde*, mortui etiam in inferno existentes declarantur excommunicati, incapaces sepulturæ, & similes actus ab Ecclesiæ ministris contra illos exercentur, quod fieri non posset, si non amplius essent de corpore Ecclesiæ *Tertio*, quodcumque peccatum, exceptis Apostasia, hæresi, & scismate non excludit quem à corpore Ecclesiæ, cum hæc sit permixta ex bonis, & malis, sed damnati in inferno non sunt priores ibi, quam essent in hoc 144
mundo, ergo si dum viuerent in hoc mundo non obstante eorum mala vita, & ingentibus criminibus erant membra Ecclesiæ, adhuc talia remanent in inferno, in quo non demerentur, vt peiores fiant.

Respondetur ad primum, nomine credulitatis intelligi naturalem cognitionem, quâ dæmones, & damnati sciunt, se illis tormentis à Deo iustè affici, tanquam malefactorum vindice. Adde quod fides duplex est infusa, quæ perditur, & acquisita, quæ remanet, quæ sicut non constituit fidelem in vita,

 ita

ita neque post mortem prodesse potest.

Ad secundum dico, per ministros Ecclesiæ exerceri actus iudiciales contra damnatos fauore viuorum, in eorum Iudicium, & ideò dixi, illos adhuc habere aliquam subiectionem ad nostram Ecclesiam, subduntur enim ratione baptismatis, de qua re vbi de potestate Ministrorum Ecclesiæ.

Tertium argumentum parum, aut nihil probat, quia ratio bonitatis, aut malitiæ non constituit quem sub Ecclesia, sed professio fidei in baptismate, quâ damnati carent, vt dictum fuit.

145 Secunda pars de purgantibus probatur, quia adhuc retinent illa tria, nempe baptismum, professionem fidei, quia credunt, quod nondum vident sperantes. Psalm. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; & sunt subiecti Romano Pontifici, qui eos soluere, & ligare potest, absoluere quidem à censuris, si inualidè ligati fuerint, aut petierint absolutionem, quæ illis data non fuit defectu temporis, vel ex alia causa sine illorum culpa, pariter illis conferri possunt indulgentiæ &c. de qua re, quia patitur difficultatem sequenti capite latiùs. *Tum quia*, sunt participes articuli de communione sanctorum militantis Ecclesiæ. *Tum quia*, sepeliuntur intra Ecclesiam, seu in cæmeteriis Ecclesiarum, quæ indicant eos adhuc esse de Ecclesia, nam pro illis orat non secus ac pro viuis, sunt enim missæ & suffragia pro mortuis, in Ecclesia sicut & pro viuis, æquiparantur ergo in eadem Ecclesia. *Tum quia*, existentes in purgatorio adhuc sunt in via, cum nondum ingressi sint Paradisum, ergo sunt de nostra Ecclesia, aliter datur tertia Ecclesia pro ipsis; quod dicere hæreticum est, cum sint tantum duæ Ecclesiæ Militans, &

146 Triumphans, & quæ immediatè coniunguntur. S. Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. idem manifestè docet his verbis! *Neque priorum animæ mortuæ separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi; alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Christi, nec aliquid prodesset ad eius in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si fortè per pœnitentiam, malamve conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est; cur enim fiunt ista, quia fideles etiam defuncti membra eius sunt.* Pertinent ergo defuncti in pace ad Ecclesiam militantem eo modo, quo viui secundum propriam indigentiam. Et sic muto opinionem, quam alias docui in Sacro Tribunali cap. 4. q. 10. n. 63.

Dices, defuncti Domino non amplius militant, cum mundum, carnem, & diabolum vicerint vt gloriosi milites expectantes præmium suorum laborum, ergo cum non amplius sint milites, sunt extra castra nostræ militantis Ecclesiæ exercitus. *Deinde* in militanti Ecclesia milites merentur, & demerentur; sed animæ in Purgatorio horum capaces non sunt. *Tertio*, homo vt compositus ex anima & corpore est membrum nostræ Ecclesiæ, vt appareat sensibilis, & visibilis; sed homo in Purgatorio est tantum secundum animam, quæ vt insensibilis, & inuisibilis non potest facere ex parte sua Ecclesiam visibilem, ergo neque eius potest esse membrum.

℞. Ad primum, & secundum militare, & mereri supponere militem iam esse in castris Ecclesiæ, vnde exercitium militiæ, & meriti sequitur ad militem iam constitutum. Deinde non est necessarium huiusmodi exercitium, sed sufficit habere arma; nam infantes habent arma fidei, sed illa non exercent defectu ætatis, & tamen sunt membra militantis Ecclesiæ. Ad tertium dico, quod sufficit hominem intrare in Ecclesiam secundum vtrumque, visibilitas enim Ecclesiæ attenditur super terram, non sub terra in Purgatorio, vbi animæ purgantur de illis peccatis, quæ fecerint vnitæ suis corporibus, ad quæ essentialem habens ordinem etiam separatæ.

Tertia pars de transeuntibus immediatè in cælum manifesta est, quia inter Ecclesiam militantem, & triumphantem non datur medium, ergo ab illa fit transitus ad hanc, consequenter definit transeuntem esse illius membrum, & fieri membrum triumphantis. Confirmatur, quia huiusmodi defuncti sunt extra omnem viam, & in termino vltimo, ergo extra præsentem Ecclesiam in cælesti.

Quæres 30. Cur excommunicati, hæretici, apostatæ, & schismatici sunt extra Ecclesiam, cuius communionem non participant, & non peccatores cum prædictis, cum omnes sint peccatores? Aut enim omnes sunt extra Ecclesiam ex conditione peccati, aut nullus eorum, cum non sit maior ratio vnius, quam aliorum.

℞. Ratio cur simplices peccatores non dicantur 147
esse extra Ecclesiam, sicut sunt alij prænominati, hæc est, quia eorum delicta hæresis, apostasiæ, & schismatis ex sua conditione, pugnant cum postremis conditionibus, professionis fidei, & recognitionis capitis. Pœna pariter excommunicationis hoc de se indicat, quia priuat fidelem illis bonis, quæ fundantur in professione fidei. Cætera vero peccata non excludunt fidelem à castris Ecclesiæ, cum huiusmodi exclusio non exprimatur, licet exclusi sint à gratia Dei. Pro peccatoribus Ecclesia quotidie orat, non verò pro excommunicatis, neque aliis, nisi in die Parasceues, pro quibus Ecclesia orat, vt redeant ad vnitatem diuinæ veritatis.

Quæres 31. An Ecclesia errare possit? Quoniam actiones sunt suppositorum, ideò de illis intelligenda est quæstio, & non de corpore morali totius Ecclesiæ vt sic. Quare quærere an Ecclesia possit errare, est quærere, an homines fideles errare possint omnes, vel aliqui tantum.

℞. Ecclesia non potest errare. 1. Papa, Concilium generale legitimè congregatum non possunt 148
errare, alij possunt errare, quare tota Ecclesia non potest errare. 1. omnes de Ecclesia non possunt errare, hoc ipso, quod aliqui sunt, qui non possunt errare illis assistente Spiritu sancto dirigente illorum operationes. Hic solùm probatur in genere conclusio, in specie, hoc est, respectu Papæ, & Concilij probabitur suis locis! Infra c. 5. q. 35.

Probatur de fide, quod Ecclesia non potest errare, Matth. 16. 17. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* 1. hæreticorum ambages non deducent eam in errorem. Ioan. 16. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Venit in die Pentecostes, & docuit veritatem Apostolos, & eorum successores quotidiè, ne errent in mysteriis fidei. Paulus Apostolus ad Timotheum 3. 15. vocat Ecclesiam Dei columnam, & firmamentum veritatis, ergo errare non potest. Et ita docent omnes S. Patres.

Lutherani, & Caluistæ dicunt, Ecclesiam permansisse in vera fide, & numquam errasse per quingentos annos, postea incepisse errare, & in erroribus permansisse vsque ad tempora Lutheri, & id probant *primò*, quia synagoga sæpe defecit à fide, quando cum Aaron adorauit vitulum Exodi 32. 4. Item tempore Eliæ, solus Elias erat fidelis 3. Reg. 9. 14. Item tempore Ieremiæ, & Iosue omnes recesserunt à Deo Isaia 1. 7. & multi alij casus referuntur in veteri testamento. *Secundò*, tempore Antichristi Ecclesia deficiet à fide, vt prædixit Apostolus 2. Thessal. 2. 3. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.* 1. Antichristus. Per discessionem intelligitur defectio à fide. *Tertiò*, Danielis 9. 27. *Deficiet hostia, & sacrificium.* Defectus refertur ad defectionem, &

& errorem Ecclesiæ. *Quartò*, Ecclesia comparatur lunæ; sed luna aliquando deficit, ergo & Ecclesia. Patet ergo ex his Ecclesiam deficere, & errare posse.

149 Respondetur ad primum dupliciter primò non valere argumentum à synagoga ad Ecclesiam, quia synagoga defectura erat, non Ecclesia cui stabilitas, & veritas promissa fuit,non synagogæ;Ecclesia est libera, ideo sine errore, synagoga serua, ideò vt imperfecta potuit errare. Vel dic secundo, quod non tota synagoga errauit, sed pars tantum illius. *Ad secundum* idem respondetur,tempore Antichristi Ecclesiam non totam sed ex parte erraturam. Adde, quod D. Hieron. Epist. 151. ad Algasiam q.11. per discessionem intelligit defectionem à Romano imperio. Idem habet Tertull. lib. de Resurrect. carnis cap 24. *Ad tertium*, interpretatur de defectione synagogæ: nam in morte Christi cessauit synagoga, & in eius locum successit Ecclesia,vt interpretantur Sancti
150 Patres. *Ad quartum*, comparatur Ecclesia lunæ non in defectionibus, sed in aliis, nam sicut luna initio exigua est, & postea crescit, ita Ecclesia in exordio suo paucis constabat hominibus, post verò multum creuit, & in infinitum propagata est. Item sicut Luna accipit lumen à Sole, ita Ecclesia lumen fidei habet à Christo, qui dicitur Sol iustitiæ. Ecclesia igitur comparanda est Lunæ in bonis qualitatibus,vnde vocatur pulchra vt Luna.

Quæres 32. An in sola Ecclesia sit salus, ita quod extra eam nullus saluari possit?

151 ℞. Salus est solum intra Ecclesiam, extra quam nullus saluari potest. Est de fide definitum in cap.1. de summa Trinit. his verbis? *Vna vero est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.* Desumptum ex Act.4.11. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* A solo igitur Christo est salus, ergo solum illi qui sunt in Ecclesia saluari possunt, nam isti soli sunt membra corporis Ecclesiæ, cuius caput est Christus. *In Concilio Cartagin. 4. celebrato anno 398. relato cap. Qui Episcopus 2. dist.23.* Ordinatur, vt Episcopi interrogentur super eodem articulo: *Si extra Ecclesiam catholicam nullus saluetur?* Si enim respondissent, saluari extra Ecclesiam, non admittebantur, sed tanquam hæretici repellebantur ab Ecclesia. Sancti Patres idem profitentur. D.Ambros. lib.14. Moral. cap.2. *Sancta vniuersalis Ecclesia prædicat neminem saluari veraciter, nisi intra se non posse, asserens, quod omnes, qui extra ipsam sunt, minimè saluentur.* D.August. lib.de Vnitate Eccles. cap.16. *Ad ipsam salutem, ac vitam æternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia.* Idem serm.181.de temp. cap.12. *Quisquis ille est, & qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi ecclesia non est.* Cyprianus in tract. de simplicit. Prælator.seu de Vnit.Ecclesiæ: *Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum discidio compaginis separari, diuulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid à matrice discesserit seorsum viuere,& spirare non poterit, substantiam salutis amittit.* Ratio est, quia extra Ecclesiam nullum Sacramentum, nullum remedium, per quod homines delere valeant sua crimina, vt saluari possint.

Hæretici affirmant vnumquemque saluari in sua fide,& Ecclesia seu secta propria. *Primo* probant auctoritate Sacræ Scripturæ Habacuc.2.4. *Iustus in fide sua viuet.* Christus quoque sæpe dixit: *Fides tua te saluum fecit.* Ergo quisque saluatur in sua fide, & Ecclesia propria, licet enim ex diuersitate dogmatum videatur fides diuisa, & non vna, reuera tamen in se vna est respectu Christi, à quo suam sumit vnitatem, diuisionem verò à fidelibus credentibus. Simile affertur in confirmationem, nam Ecclesia, quæ Romæ est affixa diuersa habet dogmata, & ritus circa missam, ieiunia, &c. ab Ecclesia Mediolanensi, & nihilominus vtraque Ecclesia vna est sine diuisione veræ Ecclesiæ sub Christo, cui omnes in vnitate fidei consentiunt. *Secundo*, ad salutem consequendam necessaria sunt Sacramenta, sed hæc suscipiuntur etiam extra Ecclesiam, & conferuntur ab hæreticis, imò à Paganis, & aliis, qui nunquam Baptismum receperunt, & Cathecumeni per Baptismum flaminis saluantur, si moriuntur antequam per Baptismum aquæ recipiantur, & connumerentur inter membra Ecclesiæ. *Tertio*, Sancti Patres, Innocentes, & latro bonus extra Ecclesiam salui facti sunt, cum tempore & cum mortis nondum esset Ecclesia, quæ successit synagogæ;ergo extra Ecclesiam salus est, & sic quisque in sua fide,& ecclesia saluari potest.

℞. Nullus saluari potest extra veram Ecclesiam, & veram fidem Christi Domini, nec hoc negant hæretici, quorum contentio est, veram ecclesiam esse eam, quam sibi confingunt contra veritatem. Ad primum argumentum facilis est responsio, nam pronomen adiectum fidei non diuidit fidem, quæ semper vna est in se in ratione veritatis, sed demonstrat subiectum, quod saluatur non per alienam fidem sed per propriam in ratione actus,quisque enim saluatur per propriam fidem, & non per fidem ab alio habitam, quin oportet accedentem ad Deum credere per seipsum, si habet vsum rationis, hæc enim obligatio credendi vnicuique est personalis, ita quod per alium suppleri non possit, sed vnusquisque propriis actibus debet se disponere ad salutem consequendam. Patet ergo ex Sacra Scriptura non esse diuersa dogmata inter se respectu fidei, sed omninò conuenire, alias in eis vera fides non est, cum hæc consistat in indiuisibili suæ vnitatis, & veritatis. Nec est simile allatum exemplum, quia vtraque Ecclesia sunt vt duæ species sub eodem genere vniuersalis ecclesiæ Christi, conueniunt enim ambæ in articulis fidei sub eodem capite, licet differant in certis ritibus, qui fidem non diuidunt, quia fidei dogmata non sunt, sed quædam, vt ita dicam, differentiæ diuersificantes duas ecclesias speciales sub vniuersali ecclesia. Ecclesiæ autem hæreticorum in nullo possunt conuenire cum vera Christi ecclesia, quia ex diametro impugnant dogmata, & articulos fidei à Christo fidelibus credendos præscripta; nec vnicum caput commune est, nam hæretici præsertim moderni caput visibile, quod Christi vices in terris gerit, agnoscere nolunt, sed omninò negant. *Ad secundum*, falsum est Sacramenta esse extra ecclesiam, 552
nam aliud est, quod potestas conferendi illa sit in hæreticis, quod conceditur, aliud est, quod prosint existentibus extra Ecclesiam, quod negatur, siquidem illorum capaces sunt solum credentes, & recipientes Baptismum aquę, quod reliquorum ianua est & ad ingressum in ecclesiam Dei, & ad recipienda dignè,& cum fructu reliqua Sacramenta. Cathecumenus per Baptismum flaminis cum desiderio lauacri regenerationis moriens antequam baptizetur, est intra ecclesiam Dei, licet exterius ignoretur ab ecclesia, quæ solum actus externos cognoscit, & iudicat, iuxta dicta superiùs sub q.19.& num.95. *Ad tertium*, responsum fuit sub q.21. illos saluos fuisse in fide Christi venturi, qui per suam passionem, quâ ecclesiam fundauit, illos traduxit secum in cælum.

Quæres 33. An ecclesia patiatur persecutionem propter iustitiam?

℞. Affirma

153 ℟. Affirmatiuè de fide Matth. 5. 11. *Beati estis, cum maledixerint vobis & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Idem cap. 10. 17. *Tradent enim vos in Conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.* Ioan. 15. 20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Act. 8. 1. *Facta est autem persecutio magna in Ecclesia quæ erat Ierosolymis.* Cæpit ergo ab ipso Ecclesiæ exordio adimpleri Christi prophetia de persecutione, quam ecclesia erat passura de qua ipsemet Paulus testatur de seipso, se fuisse magnum ecclesiæ persecutorem. Ex his constat, solam persecutionem assumptam propter testificationem fidei, & amorem Christi pertinere ad ecclesiam, ille ergo est verus Christi seruus, qui persecutionem patitur propter iustitiam, & tulit mortis martyrium propter Christum, qui martyribus suis promittit Regnum cælorum Matth. 5. 10. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hoc autem genus persecutionis, & martyrij reperitur in sola Ecclesia, vt testatur Opta-
154 tus Mileuitanus lib. 3. his verbis: *Temerarium est, martyrem existimare eum, qui extra bellum Christianum ceciderit.* Idem testatur Hosius lib. 1. contra hæreticos nostri temporis §. Quamuis magis.

Quæres 34. An in sola Dei ecclesia sint vera miracula?

155 ℟. Affirmatiuè de fide credendum, Marci extremis verbis: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Ioannis 2. 23. *Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa, quæ faciebat.* Act. 2. 43. *Multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Ierusalem fiebant.* Nomine autem signorum, & prodigiorum intelliguntur miracula, quæ solùm fiunt intra Dei ecclesiam, vt experientiâ patet, & colligitur ex eius definitione. Miraculum est opus arduum, insolitum, & sensibile, excedens vires naturæ à Deo causatum ministerio hominis in protestationem, & confirmationem verè fidei Catholicæ. *Colligitur ex citatis Scripturæ locis, & ex cap. Reuera 69. dist. 2. de consecr.* Specificantur ergo miracula per protestationem fidei, in qua reducent omnes virtutes, tanquam in fundamento. Quare vera miracula reperiuntur solum in ecclesia, quæ veram fidem profitetur, & non in aliis defectu huius rationis formalis, ita quod si fiant extra ecclesiam ab aliquo, non sunt vera miracula, sed prodigia ad alium finem, vt fuerunt miracula facta à sacerdotibus Pharaonis, à Mago, & similibus peccatoribus fide carentibus.

156 Quæres 35. An vera Ecclesia Dei, de qua hactenùs actum est, sit sola Ecclesia Romana, aliis quibuscumque exclusis, quæ cum illa non conueniunt in dogmatibus fidei? Pro resolutione est aduertendum, quod Ecclesia Romana sumi potest dupliciter. Primò localiter pro ea natione, quæ Romæ in vrbe moratur, & quæstio non est in hoc sensu tantum. Secundò generaliter, & vniuersaliter pro collectione hominum fidem profitentium sub vno, & eodem capite Petri successore, per totum orbem diffusorum, siue sint Romani, siue alterius nationis, comprehendit ergo Ecclesia vniuersalis tanquam genus omnes Ecclesias particulares, seu spaciales; dicitur autem Romana non à loco præcisè, sed à capite Petro, cui succedunt in Cathedra Romana omnes Episcopi Vrbis. Est ergo quæstio de Ecclesia Romana in genere, an sit vera Christi Ecclesia?

157 ℟. Affirmatiuè, & probatur hoc argumento. Illa est vera Christi ecclesia, cui competunt prædicata de illa probata in præcedentibus quæstionibus; sed illa competunt Ecclesiæ Romanæ tantum, & non aliis; ergo hæc est vera Ecclesia. Maior de se patet, & accipio principaliora prædicata, in quibus omnes conueniunt tam Catholici, quam hæretici, quæ sunt huiusmodi, quod sit Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Indefectibilis, Inerrabilis, Persecutionum patiens, & Miraculorum patratrix. Hæc autem prædicata conueniunt tantum Ecclesiæ Romanæ, ergo ea sola est vera Christi ecclesia. Singula prædicata sunt de ipsa demonstranda, quæ communiter vocantur signa veram ecclesiam indicantia.

Vnitatem esse de ratione ecclesiæ sub vno baptis- 158
mate, fide, & capite probatum fuit sub q. 1. Hæc autem vnitas competit Ecclesiæ Romanæ, cuius vnum est Baptisma, vna fides, & vnum caput, ergo ea sola est vera ecclesia, non enim apud hæreticos reperitur huiusmodi vnitas, nam alij negant Baptismum, alij nonnulla dogmata fidei, alij nolunt recognoscere caput, ergo sola Romana in prædictis consentiens est vera ecclesia. Confirmatur auctoritate Sanctorum, qui hanc vnitatem prædicant de Ecclesia Romana. Hieronymus epist. 81. ad Euagrium relatus cap. Legimus 124. dist. 93. *Nec altera Romanæ Ecclesia Vrbis, altera totius orbis existimanda est.* Cyprianus de vnitate Eccles. Romanæ. *Primatus Petro datur, vt vna Christi ecclesia, & Cathedra vna monstretur, & Pastores sint omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur.* Et ita omnes Sancti Patres tenent, Romanam Ecclesiam esse vnam, alias verò potiùs sectas ab eius vnitate esse diuisas, & etiam inter se diuersas.

Sanctitatem esse de ratione Ecclesiæ probatum 159
fuit q. 7. Quæ soli Romanæ competit, quia vocatur sancta ex Sacramentis, quæ partim negantur ab hæreticis, & à solis Romanis omnia admittuntur, ergo apud hos tantum est vera Ecclesia ex sanctitate. Auctoritates Patrum sunt Gelasij Papæ relati cap. Quamuis 3. dist. 21. vbi ita loquitur. *Est ergo prima Petri sedes Romana Ecclesia non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi.* Adrianus Papa relatus tom. 3. Concil. ad Carolum Magnum cap. 29. recenset de Ecclesia Romana has laudes: *Iustitiæ sedes, fidei domus, aula pudoris*, Ecclesia Romana est sancta, sed etiam Sacramenta sic denominata à Domino, teste Anacleto Papa relato cap. Sacramenta Romana 2. dist. 21.

Catholicam esse veram Ecclesiam probatum fuit 160
sub q. 8. Sed Romana vocatur à Sanctis Patribus Catholica; & vniuersalis, ad quam omnes concurrunt pro salute consequenda, ergo ea est vera Ecclesia. Ita docent Sancti Patres, Ireneus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3. *Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Ecce quod est traditio Apostolorum, quod sola Romana ecclesia est vera ecclesia, ad quam omnes fideles conueniunt. Greg. lib. 35. Moral. cap. 6. de ea ita loquitur. *Sola Ecclesia Catholica est, per quam sacrificium Dominus libenter accipit, sola, quæ pro errantibus fiducialiter intercedit.* Ergo excluduntur quæcumque aliæ, quæ huic adhærere nolunt: Augustinus epist. 170. ad Seuerinum. *Ipsa enim. 1. Romana, Ecclesia est Catholica, vnde hoc verbum Καθολική Græcè appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur.* Et in epist. 166. ad Donatistas multis probat eius vniuersalitatem. Vincentius Lirinensis in libello aduersus profanas hæreses. *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, vt id teneamus; quod vtique, quod semper, quod ab omnibus creditum, hoc est, etenim verè, propriéque*

Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit. Vigilius Papa in sua decretali registrata tom. 2. Concil. ita docet, *Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum, & forma sit ecclesiarum, à qua omnes ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat.* Lucius Papa, & post ipsum Felix primus vocant Ecclesiam Romanam matrem omnium ecclesiarum, ex quibus omnibus auctoritatibus patet eam esse Catholicam, & vniuersalem.

161 Apostolicam esse veram Ecclesiam probatum fuit supra q. 9. Sed Romana tantùm est Apostolica, ergo ea sola est vera Ecclesia. Minor auctoritate Patrum confirmatur. Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos: *Breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat.* Ibi autem declarat esse tantum Romanam, quam Anacletus Papa relatus cap. 2. dist. 22. vocat Apostolicam. Gelasius Papa relatus cap. Quamuis 3. dist. 21. *Sancta tamen Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris ecclesiis Prælata est, sed Euangelica voce Domini, & saluatoris nostri primatum obtinuit.*

162 Indefectibilitatem arguere veram Ecclesiam probatum fuit sub q. 14. huiusmodi autem indefectibilitas in sola Romana reperitur, & non in aliis, ergo hæc sola est vera Ecclesia. Probatur auctoritate Patrum, quos retuli loco citato loquentes de Ecclesia Romana, quibus adde Chrysostomum serm. de Pentecoste: *Facilius cælum exterminari potest, & terra perire, quam aliquid mali pati Ecclesia.* Idem homil. 4. de verbis Isaiæ: *Ecclesia radices in cælo fixas habet, potius quam in terra. Verum fortassis ethnicus meam despicit arrogantiam, sed maneat, donec harum rerum probationem attulero, discatque vim veritatis, quomodo faciliùs, est solem extingui, quam ecclesiam obscurari.* Concilium Toletanum 4. relatum cap. Liberti 65. 12. quæst. 2. definiuit Ecclesiam Romanam nunquam mori.

163 Inerrabilem esse veram Ecclesiam probatum fuit diuinis testimoniis sub q. 31. talem autem esse solum Romanam Ecclesiam firmant Sancti Patres. Lucius Papa. 1. in sua Decretali tom. 1. Concil. extensa ita asserit: *Hæc sancta, & Apostolica mater omnium ecclesiarum Christi ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit.* Synodus 6. Constant. Act. 4. sub Agathone Papa hæc habet: *Hæc Apostolica eius ecclesia nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est.* Hieronymus ad Damasum relatus cap. Hæc est fides 14. 24. q. 1. *Sancta Romana ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & B. Petro Apostolo opem ferente in futuro manebit sine vlla hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.* Gregorius lib. 35. Moral. cap. 6. *Ex sola Catholica ecclesia veritas conspicitur.* Si ab ea sola veritas originem trahit, necessariò infertur, eam errare non posse.

164 Persecutio, & martyrium dat cognoscere veram Ecclesiam, extra quam ea non sunt, ex probatis q. 33. sed in sola Romana ecclesia apparet persecutio, & martyrium, vt docent Sancti Patres, August. epist. 204. ad Donatum: *Foris autem ab ecclesia.* 1. Romana, *constitutus, & separatus à compage vnitatis, & vinculo charitatis æterno supplicio punireris, etiam si pro Christi nomine viuus incendereris.* Mortem ergo patiens pro nomine Christi existens extra Ecclesiam Romanam, æterno supplicio est condemnatus, quod signum est, persecutiones huiusmodi non haberi ex iustitia Dei dicentis: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Dei.* Cyprianus lib. 1. epist. 1. *Quanquam etsi aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est, quod sibi quasi in confessione nominis blandiatur, cum constet, si occisus eiusmodi extra ecclesiam fuerit; fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ.* Non est vtilis persecutio, quæ caret corona fidei. Idem in tractatu de simpl. Prælator. *Esse martyr non potest, qui in ecclesia non est, ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est derelinquit.* Persecutio ergo, passio, mors & martyrium in sola Ecclesia Romana reperitur, extra hæc patiens nil lucratur, nisi æternam damnationem corporis, & animæ.

Miracula demum nec decent veram Christi Ecclesiam, cum in ea tantum fieri possint vera miracula, vt probatum fuit q. 34. Hæc autem in sola Romana eduntur, vt docent Sancti Patres, & sacræ Historiæ. D. August. relatus, cap. *Teneamus patres mei vnitatem præter vnitatem qui facit miracula nihil est.* 56. 1. q. 1. qui non habet vnitatem cum Ecclesia Romana non potest facere miracula vtilia sibi, & aliis, sed inutilia, quæ nulli prosunt. S. Gregorius Taumaturgus volens ædificare Ecclesiam in loco minus angusto propter montem, se Deo commendans, & fide Catholica munitus alio transtulit montem, inquit Beda lib. 3. comment. in Marcum cap. 11. *Poterat ergo hic, poterat alius quis eiusdem meriti, si opportunitas exegisset impetrare à Domino merito fidei, vt etiam mons tolleretur, & mitteretur in mare.* Merita ergo, & fides necessaria sunt ad vera miracula, vnde in Euangelio Marci 11. dicitur: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, &c.* Fides non tantum in ordine ad factum mirabile, sed etiam simpliciter de articulis fidei necessaria est, quia extra Ecclesiam non sunt vera miracula, vt dicta q. 34. fuit probatum. 165

166

Potestatem enim faciendi miracula est ab Ecclesia Dei Matth. 10. *Et conuocatis duodecim Discipulis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, &c.* Hosius de Traditionibus cap. 92. § Fingamus ex Archiepiscopo Auersano nomine Guimundo antiquissimo patre inquit: *Quod si miracula non recipiunt, hostes Ecclesiæ se declarant; Ecclesia enim miraculis quam maximè propagata est, & adulta. Quod denique est aliud miracula cassare, nisi Ecclesiam, quantum in se est, auferre?* Miracula ergo vera intra solam Ecclesiam Romanam fiunt ab eius membris, ita quod asserere illa extra fieri, est Ecclesiam destruere. 167

168

Ex his omnibus firmatur argumentum insolubile. Illa Ecclesia, quæ habet huiusmodi octo prædicata seu signa, nimirum; quod sit vna, Sancta Catholica, Apostolica, indefectibilis, inerrabilis, patiens martyrium, & perpetrans miracula, est vera Christi Ecclesia: sed sola Ecclesia Romana habet prædicta prædicata, vt probatum fuit, ergo ea solum est vera Christi Ecclesia.

Confirmantur hactenus dicta, argumento accepto ab vnitate Capitis primi, & successione legitima aliorum sibi in eadem sede Romana sedentium. Illa est vera Christi Ecclesia, quæ habet successionem Capitis, quod sibi voluit succedere in posteris; sed Romana habet successionem capitis, nam primò Christus in sui locum pro Patre reliquit Petrum, cui post illius mortem successit Linus, seu Clemens, secundum omnes Historias, & deinde alij longa seriè vsque ad præsentem Pontificem Alexandrum VII. legitimum Patrem, & caput verè Ecclesiæ feliciter regnantem; ergo necessario dicendum est Ecclesiam Romanam esse eamdem, quam Christus instituit, &

& continuè visibiliter regit, & gubernat per Pontifices Romanos, quibus immediate delegat suam potestatem supremam in terris. Quomodo enim cognoscitur corpus aliquod diuersum ab alio, nisi per caput? ac proinde corpus Ecclesiæ cognosci non potest, nisi per caput, quod est Pontifex Romanus. De huiusmodi successione Pontificum à D. Petro sancti Patres. Hieronym. aduersus Lucifer. *In ea ecclesia est permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque in diem hanc successiuè durat.* Augustinus contra Epistolam fundam. cap. 4. *In ecclesia me tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum.* Vterque loquitur de Ecclesia Romana, cuius ipsi erant membra viua, & de successione capitis in ea viuificantis, & continuo influentis per suam gubernationem in membra sui corporis, quod est ecclesia. Et reuera nescio inuenire aliud argumentum melius, efficacius, & euidentius ad cognoscendam veram Ecclesiam, quam recognoscere summum Pontificem Romanum à Deo constitutum caput veræ Ecclesiæ. Quare vbi sunt fideles sub obedientia Papæ, ibi verè ostenditur esse Ecclesia Christi.

Obstare prædictis videntur nonnulla argumenta ab hæreticis inuenta. *Primò*, Duplex est Roma vetus, & noua, vetus ipsa vrbs, noua verò Constantinopolitana, ac proinde duplex Ecclesia Romana Vrbis, & Romana Constantinopolitana, consequenter Ecclesia Romana non est vna, sed multiplex, contra superiùs probata sub num. 158. Et id colligitur ex Concilio Calcedonensi Generali ex 630. Patribus coacto Can. 28. ex voto 150. Episcoporum definitum fuit, Ecclesiam Constantinopolitanam esse parem Romanæ in omnibus priuilegiis, & ecclesiasticis, quod confirmatum fuit in Synodo 6. Trullensi Can. 36. ergo neutra illarum est vera Christi Ecclesia propter huiusmodi diuisionem.

169 ℞. Illam distinctionem veteris & nouæ Romæ iam euanuisse; & ad illud Concilium conuenerunt 630. Patres, & solùm 150. consenserunt in illum canonem, consequenter nullas obtinuit vires, non enim habetur pro primo, & rato gestum à minori parte, sed tantum à maiori cap. 1. 2. 3. dist. 65. Colligitur quoque è sequenti Act. 16. §. Lucentius, illum Canonem appositum fuisse contra voluntatem legatorum Papæ, ex quo etiam capite apparet nullum. Vide infra num. 187. Neque Trullense Concilium quidquam tribuere potuit illi canoni, quia non fuit legitimè congregatum, vt suo loco dicetur. Adde, quod id non facit diuisionem, quia Ecclesia Constantinopolitana ea priuilegia recognoscebat ab Ecclesia Romana, paritas ergo erat, seu prætendebatur quoad priuilegia, sed dependenter à Romana, cui ideo non auferebatur primatus, vnde prima sedes in ordine ad alias vocatur, secunda verò post Romanam. Vide cap. 3. 4. 5. & 6. distinct. 22. Demum fit comparatio inter duas ecclesias locales, quæ sunt sub vniuersali Ecclesia Romana in genere, & ideò per hanc specialem diuisionem non tollitur generalis vnitas.

Secundò arguunt contra eius sanctitatem adducendo vtriusque testamenti auctoritates, nam in Psalm. 11. dicitur: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus*; Et in Psalm. 13. *Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Vbi ergo est sanctitas Ecclesiæ Romanæ, si neque vnus est in ea, qui bene agat? In Actis cap. 19. 32. Ecclesia dicitur confusa, vbi autem est discordia, & confusio non potest esse sanctitas. Demum Vigleph. art. 31. Prout refertur in Concilio Constantiensi, Ecclesiam Romanam vocat Synagogam Satanæ, ergo sancta non est.

℞. Ecclesiam Romanam semper esse sanctam, vt 170
superius probatum fuit, ad auctoritatem Psalmi dico, defectionem sanctitatis referri ad peccatum originale, quod omnibus hominibus fecit perdere sanctitatem, cum qua nati fuissent, si Adam non peccasset, & eius delictum non fuisset infusum in posteris; bene igitur Dauid rogabat Dominum, vt illum liberaret à peccatis, in quæ ceciderat propter originale. Vel 171
dicendum, quod omnes facti sunt inutiles ad bene agendum propriis viribus, requiritur enim speciale Dei auxilium, iuxta illud. *Sine me nihil potestis facere.* Quod scilicet habeat rationem boni meritorij. Remanet igitur Ecclesia Romana in sua sanctitate, & perfectione, quibus quisque perficitur dum per baptismum ingreditur, & fit illius membrum, in qua semper quamplurimi boni remanent. Ad illud Acto- 172
rum dico, confusionem, de qua ibi, non fuisse causatam à membris Ecclesiæ, sed à quodam Demetrio idolatra, prædicante D. Paulo, non esse simulacra Deorum adoranda, sed euertenda, qui concitauit populum cum artificibus simulacrorum ad persistendum in cultu magnæ Dianæ; consequenter Ecclesiæ confusio non à fidelibus, sed ab idolatris prouenit, non ideò tamen Ecclesia periit, nec aliquod detrimentum in sua sanctitate passa fuit, sed qui tunc erant fideles acerrimè pugnauerunt, & in fide se confirmantes, detestati fuerunt cultum idolorum, vt ex eodem capite colligitur. Confusio igitur fuit extrinseca, non penetrauit intra Ecclesiam Dei, illius auctores fuerunt idolatræ, non fideles, qui perseuerauerunt in cultu veri Dei. Demum articulus Vigleph falsus, & hæreticus damnatus fuit in eodem Concilio Constantiensi, & patet id, quia Ecclesia Romana non potest esse Synagoga Satanæ, nam omnis in- 173
trans in eam, dum baptismum recipit, abrenuntiat Satanæ cum omnibus pompis eius, impossibile ergo est, quod sit Synagoga Sathanæ.

Tertiò arguunt ad hominem Ecclesiam Romanam non esse Catholicam, seu vniuersalem, auctoritate Gregorij I. prohibentis Ecclesiam Romanam dici vniuersalem, quia neque ipse Papa, qui est illius caput, dicendus est vniuersalis, his verbis: *Et ecce in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis superbæ appellationis verbum vniuersalem me Papam dicentes imprimere curastis.* Scribit ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, epistola habetur tom. 3. Concil. c. 30.

Respondet Innocentius Papa in sua Epistola 20. 174
lib. 2. his verbis. *Dicitur enim vniuersalis Ecclesia,* 175
quæ vniuersis constat ecclesiis, quæ Græco sermone Catholica appellatur, & secundum hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est vniuersalis ecclesia, sed pars vniuersalis ecclesiæ, prima videlicet, & principalis, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit, ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Et dicitur vniuersalis ecclesia illa vna, quæ sub se continet ecclesias vniuersas; & secundum hanc nominis Romana tantum ecclesia vniuersalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata. Secundum ergo primam acceptionem intelligendus est Gregorius Papa, dum prohibet, Ecclesiam Romanam dicendam esse vniuersalem, cum sit tantum potissima pars totius corporis Ecclesiæ, consequenter Papa prohibetur dici vniuersalis respectu propriæ Ecclesiæ Romæ, non vero respectu ecclesiæ Romanæ in genere, loco non limitata, neque natione, sicut enim tota Ecclesia vocatur vniuersalis, ita eius caput dicendum est vniuersale. Papa igitur vt Episcopus Romæ non est Papa vniuersalis, sed particularis

particularis Romæ, vt vero caput totius Ecclesiæ, & omnium Ecclesiarum est Papa vniuersalis.

Quartò arguunt, Ecclesiam Romanam non esse Apostolicam, sed apostaticam, quia ea non imitatur Apostolos,& Christum,qui pauperes erāt,modo autem Ecclesia Romana diuitiis abundat, & opulentissima est in capite,& membris,vt notum est. Christus autem voluit,eam esse pauperem, ideò eam fundauit in hominibus piscatoribus, & de plebe, qui manu & arte victum sibi procurabant, vnde eisdem rigorosè prohibuit Matth. 10. 9. *Nolite possidere aurum neque argentum,neque pecuniam in zonis vestris,non peram in via, neque duas tunicas.* Quare cum Ecclesiastici omnes diuitias affectent & opulenti sint,procurantes sibi temporalia contra Christi præcepta non possunt dici esse membra Ecclesiæ Apostolicæ, neque consequenter eorum Ecclesia vocari potest Apostolica,cum non sequatur vestigia Christi, & Apostolorum. Confirmatur, quia Apostoli erant veri religiosi suæ tribus votis Castitatis,obediētiæ,& paupertatis,vt probatur suo loco, ergo Ecclesia in illis fundata nihil habebat.

176 Respondetur,Ecclesiam Romanam esse verè Apostolicam,tùm quod ad fidem & mores, semper enim imitatur Christū,& Apostolos,tùm quoad facultates, quam etiam ab initio habuit Ecclesia in suis Apostolis. Adde, quod dicitur Apostolica non à paupertate, sed à successione,nam Episcopi successores Apostolorum sunt in administratione Sacramentorum,& prædicatione Euangelij. An Ecclesia sit fundata in paupertate dicam infra q. 40. vbi ad illam auctoritatem respondebitur.

Quartò arguunt hæretici contra eius indefectibilitatem docentes cum Donatistis,Ecclesiam Romanā fuisse quidem ab initio veram Christi Ecclesiam, sed processu temporis defecisse,nempe, tēpore Ceciliani Episcopi Carthaginensis, viri,inquiunt, scelerati, ita quod eo tempore circa 358. vera Ecclesia remansit solum in Aphrica apud Donatistas, licet esset alias per totum orbem diffusa.Lutherani verò,& Caluinistæ volunt Ecclesiam veram durasse per quingentos annos,& postea defecisse in toto orbe propter crimina summorū Pontificum, deinde postea tempore suo reuixisse in ipso,& in iis, qui eum cæperunt sequi. Probant autem huiusmodi defectibilitatem ex Sacra Scriptura Psal. 11.*Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* 1.Ecclesia,vel Pontifex.Paulus ad Thessal. 2.2.3. *Ne quis vos seducat,vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati.* Apostolus docet tunc veram ecclesiam esse cæpturam desinere, & fidem discessuram esse ab hominibus, cum reuelatus fuerit Antichristus;sed his temporibus reuelatus est Antichristus,qui est Pontifex Romanus contrarius operibus Christi,& Apostolorum,vt patet ex variis eorum criminibus, ergo vera Ecclesia desiit esse à Romanis. Diuus tandem Hieronymus ad Lucifer. Dicit: *Ingemuit totus orbis,& se Arianum esse miratus est.* Quidnam est ista ingemiscentia totius orbis, nisi defectio Ecclesiæ, & fidei? Daniel quoque prophetizauit huiusmodi defectionem cum dixit: *Et in dimidio hebdomades deficiet hostia, & sacrificium.* Sed in sola Catholica Ecclesia est vera hostia, & sacrificium,ergo hæc deficere debet ante finem mundi.

Respondetur,satis supra probatum fuisse,Ecclesiam Romanam nunquam esse defecturam, sed vsque ad
177 finem mundi duraturam.Vnde ad primum dico in illo Psalmo sermonem esse de sancta. 1. de Adamo, qui à Deo in sanctitate creatus defecit,quando peccauit.Ad illud Apostoli,per illam discessionem esse intelligendam defectionem Romani imperij, à cuius obedien-
178 tia omnes discedent,vt docent Tertullianus de Resurrect.carnis c. 24. D.Hieronymus q. 11. ad Algasiam. Vanum autem omnino est, imò impium dicere Papam esse Antichristum, de qua re suo loco. Ex illo Hieronymi solum colligitur in eo Conciliabulo Ariminensi,in quo nonnulli Episcopi proclamarunt contra consubstantialitatem filij in diuinis, Ecclesiam quidem passam fuisse magnam iacturam,non ideo tamen defecisse, quia Episcopi Catholici non consenserunt,sed recesserunt,persistentes in definitione facta in Concilio primo Nicæno. Ad illud Danielis respōdetur,prophetasse mortem Christi, qui fuit vera hostia,& verum sacrificium.Vel dic loqui de defectione 179
Synagogæ. Vel dic forsan meliùs ad mentem illius textus, Danielem locutum fuisse de defectione sacrificij veteris testamenti.Vel etiam de diminutione veri sacrificij incruenti, quia in fine mundi fideles ob timorem Antichristi in criptis, & locis secretis celebrabunt, vt fiebat in primitiua Ecclesia propter metum persecutorum Christianorum, qui nomen Domini confitebantur.

Arguunt demum hæretici Ecclesiam Romanam in multis errasse,id probare conantes ex gestis diuersorum Pontificum, & Conciliorum. Sed suis locis probabitur, nec Pontificem, nec Concilia legitima errasse in causis fidei,& suorum, sed semper bene dixisse ea,quæ ad fidem spectant,& ad mores.

Quæres 36. An Ecclesia Romana sit mater, & caput,atque primatum habeat super omnes alias Ecclesias totius orbis? Sumitur hic nomen *Ecclesiæ Romanæ* non pro vniuersali Ecclesia provt est diffusa in vniuersum mundum, & in genere, sed in specie pro particulari, & præcipua parte Ecclesiæ, in qua caput residet,iuxta dicta *præcedenti q.n.* 156.*& n.*175. *Vide c.*5.*q.*7.

℞. Ecclesia Romana est mater omnium aliarum Ecclesiarum, supra quas caput est, & primatum tenet ratione Papatus, à Domino Iesu Christo constituta,de fide credendum ab omnibus.

Prima pars, quod Romana sit mater omnium 180
Ecclesiarum, probatur auctoritate Sanctorum Patrum à Gratian. relatorum cap. 1. distinct. 12. *Nulli verò dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare.* Cap. In memoriam 3.dist. 19.cap.omnes 5.3.quæst.6. cap. A recta 9.24. quæst. 1.& alibi. Mater ex duplici ratione,& quia per baptismum nos regenerat, *cap. qui* 6.12. *quæst.*2. & quia lacte fidei, & præceptis lactat, & pascit alias Ecclesias, quæ illi obedire tenentur, & ideò vocatur magistra rationis *cap. In memoriam* 3. *distinct.* 19. magistra omnium Ecclesiarum, quia cæteræ Ecclesiæ sunt illius discipulæ,& filiæ spirituales, *cap. Denique* 6. *distinctione.*21.

Secunda pars,quod sit caput omnium Ecclesiarum, 181
probatur *cap. Præceptis* 2. *dist.* 12. *cap.* 51. *quis* 4. *cap. Ad Romanum* 6. 3. *q.*6. Vnde ad eam & vt matrem, & vt caput omnes Ecclesiæ refugium appellationis habent,vt definitur locis præcitatis,& alibi. Vide integrum opus satis eruditum P. Magistri Angeli Petricea ordinis Conuentualium Minorum, probantis ab omnibus appellandum ad sedem Apostolicam.

Tertia pars,quod Ecclesia Romana habeat prima- 182
tum super alias omnes Ecclesias,deducitur ex eo,quod est mater,& caput, si mater, ergo prima est suis filiis honore,& dignitate; si caput,ergo præeminet supra cætera membra eiusdem corporis Ecclesiæ. Probatur auctoritate sanctorum Patrum,Anacletus Papa in sua epist. 3. relata c.2 dist. 22. *Hæc verò Sacramenta Romana,& Apostolica Ecclesia non ab Apostolis,sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias.* Vigilius Papa in suis Decretis extensis tom 2. Concil.fol.563. hæc habet: *Ecclesia Romana fundamentum est, & forma*

forma Ecclesiarum, *à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat.* Paulo infrà. *Romana Ecclesia eius merito Domini voce consecrata*, *& Sanctorum Patrum auctoritate roborata primatum tenet omnium Ecclesiarum.* Res ergo noua non est, Romanam Ecclesiam tenere primatum potestatis super omnes Ecclesias, sed antiquissima à Christo ipso definita. Sed qua voce? Id testatur Innocentius Papa III. relatus in cap. Per venerabilem 13. Qui fil. sint legit. his verbis: *Locus*
183 *enim*, *quem elegit Dominus*, *Apostolica sedes esse cognoscitur*, *cum enim Petrus Vrbem fugiens exiuisset*, *volens*, *eum Dominus ad locum*, *quem elegerat*, *reuocare*, *interrogatus ab eo*: *Domine quo vadis: Respondit*: *Venio Romam iterum crucifigi*, *quod intelligens pro se dictum*, *ad locum ipsum protinus est reuersus.* Fuit ergo voluntas Dei per Christum egressa, vt Petrus suam Sedem Romæ immobiliter figeret per mortem, vt ibi Ecclesia Romana præ aliis primatum dignitatis, & potestatis super omnes Ecclesias reciperet. Sed de hac sedis præfixione alibi melius.

184 Quarta pars, quod ratione Papatus Romana Ecclesia sit mater, & caput aliarum suadetur, quia Ecclesia Romana in specie spectata æque cum aliis pars est vniuersalis Ecclesiæ, singulæ enim suum caput habent, & quidem æquale, quia vnus Episcopatus non est sub alio Episcopatu; & Ecclesia Romana similiter in ratione Episcopatus S. Ioannis Lateranensis non est ab aliis dissimilis, nec maior in hoc, quia omnes Episcopatus æquales sunt in dignitate, sequitur
185 ergo Episcopatum Romanum non ratione sui, sed ratione dignitatis Papatus, quam ex necessitate diuini præcepti habet adiunctam, esse caput, & primatum cæterarum Ecclesiarum, quibus omnibus ex diuina dispositione imperat Episcopus Romanus. Et confirmatur ex sequentibus.

186 Quinta pars, quod primatum habeat immediatè à Christo, probatur non solum ex allatis auctoritatibus sub parte tertia, sed etiam ex aliis Patribus, dicente Gelasio Papa relato cap. Quamuis 3. dist. 21. *Sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est*, *sed Euangelica voce Domini*, *& Saluatoris nostri primatum obtinuit.* Et paulo infrà. *Est ergo prima Petri Apostoli sedes Romana Ecclesia non habens maculam*, *neque rugam*, *neque aliquid eiusmodi.* Nicolaus Papa XI. relatus c. 1. dist. 22. hæc habet. *Omnes siue Patriarchij cuiuslibet apices*, *siue Metropoleon primatus*, *aut Episcopatuum Cathedras*, *vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia. Illam verò solus ille fundauit*, *& super petram fidei mox nascentis erexit*, *qui beatæ æternæ vitæ clauigero terreni simul*, *& cælestis imperij iura commisit.*

Sexta pars, quod de fide sit Romanam Ecclesiam esse matrem, caput, & primatum habere supra omnes, definita fuit præcitato cap. 1. dist. 22. his verbis: *Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur*, *hic proculdubio in hæresim labitur*, *& cum ille vocetur iniustus*, *hic est proculdubio hæreticus.* Qui enim negat primatum Ecclesiæ Romanæ, negat quoque Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ, cum non nisi ex capite primatum deducat, hoc autẽ negare definitum fuit esse hæreticum in Concilio Florentino.

Hæretici opponunt contra primatum Ecclesiæ Romanæ, *primo* duo Concilia de æqualitate sedis Constantinopolitanæ cum Romana in omnibus, primum Concilium est Calcedonense, in cuius calce decernitur huiusmodi æqualitas Can. 28. Secundum est Trullense confirmans dictum Decretum Concilij Calcedonensis. Si ergo ambæ pares sunt, & æquales, non datur primatus vnius supra aliam, quia æqualitas contradicit disparitati. *Secundo*, Ioannes Wigleph relatus in Concilio Constantiensi asseruit, quod non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias. *Tertio* quod ex sanctis Patribus sub dubio profertur non potest esse de fide, quia fides est certa cognitio, non dubia; Patres autem citati sub part. 2. non vocant absolute Ecclesiã Romanam caput aliarum Ecclesiarum, sed quasi caput, ntuntur enim ea dictione *quasi* quæ improprietatem, & incertitudinem dicit, ergo id non est de fide.

℞. Esse de fide Romanam Ecclesiam habere primatum super omnes alias, & ad primum respondetur, 187
Concilium Calcedonense confirmatum fuisse à Leone I. quoad ea, quæ ad fidem spectant, & non repugnant sanctæ Synodi Nicenæ, quæ c. 6. primatum tribuit Romanæ Ecclesiæ, vt constat ex eius epist. 59. tom. 2. Concil. fol. 69. Vide Act. 16. dicti Cõcilij Calced. vbi Papæ legati defendunt primatum sedis Apostolicæ contra nonnullos Episcopos illius Concilij. Nec obstat, quod in Nicæno dicatur: *quoniam quidem. & Episcopo Romano parilis mos est*, quia interpretatur non de parilitate potestatis, sed similitudinis, & dependentiæ, qua Constantinopolitanus Episcopus suã potestatem recognoscit à Romano Pontifice. Paschasinus enim Papæ Legatus ad Concilium Calcedonense vtitur his verbis: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Interpretando decretum Nicænum. Adde, quod Papa confirmauit Concilium Nicænum, & non Constantinopolitanus Episcopus, ergo sicut ex hoc Papa dicitur esse supra totum Concilium & Episcopos omnes, nil enim sicut Concilium præter Episcopos ibi Congregatos, ita & supra Episcopum Constantinopolitanum, qui erat pars illius Concilij. Ad Trullanum Concilium communis est responsio, quod non fuit verum Concilium, coactum sine mandato Papæ. *Secundo*, Error Wigleph condemnatus fuit in præcitato Concilio. Demum illa dictio *Quasi* sumitur similitudinariè à capite naturali, nõ dubiè præterquamquod alibi sine ea dictione, quæ incertitudinem non dicit, sed similitudinem, & improprietatem cum analogia ad caput naturale, quod non obstat, quia sermo est de capite morali, non naturali, ideò bene exprimitur id cum dictione illa.

Quæres 37. An Ecclesia Romana sit maior Papa, Concilio, & Scriptura? Aliquid dicitur esse maius 188
alio dupliciter quantitatiuè, seu extensiuè, & qualitatiuè, seu perfectiuè.

℞. Ecclesia tota comparata ad Papam tanquam 189
corpus ad caput non est maior ipso Papa, sed minor. Eadem verò Papa incluso comparata ad Concilium est maior ipso Concilio. Concilium verò Papam includens est maius tota Ecclesia. Igitur Ecclesia extensiuè est maior Papa, & Concilio, minor vero eisdem perfectiuè. Res adeò est clara, vt non egeat probatione, sed tantum explicatione conclusio demonstratur. In Corpore Ecclesiæ tria spectari possunt, Papa, 190
Concilium, & subditi. Nulli dubium est, loquendo quantitatiuè Ecclesiam representatam in subditis esse secundum numerum maiorem non solum Papa, verùm etiam toto Concilio, cum istud constet membris paucioribus, licet principalioribus, reliquum verò corpus quamplurimis, & quasi infinitis, ergo Ecclesia quantitatiuè est maior Papa, & Concilio. Si verò loquamur secundum perfectionem, certũ quoque est, Papam esse maiorem cæteris partibus tùm principalibus, tùm minus principalibus, similitudine deducta à corpore physico animalis, inter cuius partes, caput longè aliis perfectius est, ergo & caput Ecclesiæ, quod est Papa, maius est reliquis. Accedit quod Papa est superior, & caput totius Ecclesiæ, cuius omnia membra, & partes subditi sunt, etiam in ratione Concilij, ergo cæteris maior est,

ex prælatione enim desumitur maioritas vnius supra alios, qui sunt subditi. Ex quo etiam patet, Concilium, excludendo Papam à comparatione, esse maius reliqua Ecclesia, cui præest in iurisdictione.

191 Ecclesia referens Papam, seu Concilium est maior Scriptura Sacra, probatur. Tum quia Scriptura est data propter Ecclesiam, nam est collectio præceptorum, quorum cognitio, & vsus ducit hominem ad salutem, iuxta illud Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Paulus c. 15. ad Roman. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Tum quia Scriptura est Regula Catholicè viuendi, qua Ecclesia vti debet tam in viuendo, quam intelligendo; Regula autem inseruit homini, non homo regulæ, ergo maior est Ecclesia, quam Scriptura. Tum quia scriptura in ratione collectionis est operatio intellectus, & rationis, opus autem intellectus non est supra intelligentem, sed infra illum, cum sit eius effectus, ergo minor est.

Quæres 38. An Ecclesia alia sit Pontificia, alia Reformata? Pro cuius resolutione notandum est ex Becano c. 5. de fide q. 4. concl. 5. Lutheranos, & Caluinistas excogitasse duas Ecclesias, Pontificiam, & Reformatam, eam, quam vocant Romanam, putant paulatim defecisse à fide in occulto, & eandem factam fuisse adulteram in hominibus adultis propter eorum crimina, & delicta, exceptis infantibus, in quibus remansit fides vti in legitimis, & veris membris Ecclesiæ Christi. Ecclesiam verò Reformatam vocat Lutherus illam, quam ipse reduxit in pristinum statum, ita quod eius tempore reuixit in ea parte Europæ, quæ illi adhærebat.

Probant hæretici Reformationem Ecclesiæ duabus auctoritatibus Scripturæ ad Roman. 12. 2. *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Ad Philip. 3. 21. *Expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ.* Ecclesia ergo est capax reformationis. *Nolite conformari huic sæculo.* 1. Ecclesiæ Pontificiæ, quæ sæculum sequitur in peccatis, *quia mundus totus in maligno positus est.* Ioan. 5. 19. ex quo cum eo adulterata fuit Ecclesia Romana. *Reformamini in nouitate sensus vestri.* Hoc præceptum inquiunt hæretici se adimplere per nouam prædicationem inductam à Lutheranis, & Caluinistis, qui expectati fuerunt vsque ad tempus præfinitum comparentes loco Christi, cuius expectatio duplex est, prima in carne, quæ habuit iam suum effectum, secunda in fine mundi erit cum venerit iudicare viuos, & mortuos; præfata autem expectatio à dictis duabus, diuersa est, dicta reformationis, quam præstat per dictos reformatores. Accedit stilus sacrorum Conciliorum, in quibus agitur non solum de rebus fidei, sed etiam de Reformatione morum, per hanc reformationem inquiunt hæretici se excitasse veram Dei Ecclesiam, Pontificiam verò vti adulteram excidisse. Quibus infra reiectis.

192 ℞. Ecclesiæ diuisio in Pontificiam, & Reformatam falsa est, vana, & inutilis. Probatur, *tum quia*, posita hac diuisione tollitur ratio veræ Ecclesiæ, quæ semper, & perpetuò retinet suam vnitatem sibi intrinsecam, sine qua subsistere non potest, ex probatis sub quæst. 6. n. 158. *Tum quia*, sequitur veram Ecclesiam defecisse, quod est impossibile *ex probatis sub q. 14. n. 162.* nam non negant hæretici Pontificiam Ecclesiam alias fuisse veram Ecclesiam, ergo nec nunc id negare possunt, cum vera Ecclesia sit indefectibilis, aliter eorum Ecclesia, quam veram ipsi putant, licet falsò, defectibilis esse poterit in eorum sententia. *Tum quia*, hæretici non possunt probare in nostra vera Ecclesia hanc defectibilitatem, hoc ipso, quod asserunt eam sensim, & occultè defecisse, quomodo enim id obseruare potuerunt: tam breui tempore, hodie enim sunt Catholici, & cras fiunt hæretici, & incipiunt obseruare huiusmodi declinationem, quam antea non aduerterant, signum ergo euidens est, illos hæc omnia imaginari sine vllo fundamento veritatis. *Tum quia*, sibi contradicunt dum volunt ex vna parte eam defecisse in malis, & ex alia remansisse in paruulis, numquid alia est Ecclesia adulterum, & alia infantium? Quid prodest Ecclesia infantium, qui non possunt prædicare sibi, neque aliis, neque Sacramenta conferre, nec recipere, nil ergo erit Ecclesia. *Tum quia*, non video Reformationem in Ecclesia Lutherana, neque aliorum hæreticorum, sed potius destructionem veræ Ecclesiæ attentis eorum prauis exemplis, & falsis doctrinis; en ne Ecclesia Reformata illa, in qua datur facultas religiosis ducêdi vxores, & explendi ad satietatem libidinis incendium contra votum castitatis promissum? Istorum Ecclesia templum est nonnisi iniquitatis, & nequitiæ, latibulum omnis turpitudinis, & lasciuiæ. Nescio, quâ ratione isti velint suam Ecclesiam esse inuisibilem, si eam componunt ex sensualitatibus, & carnalitatibus.

Ad eorum rationes respondeo, allatas auctoritates nil prodesse, sed obesse hæreticis, nam Paulus ad Romanos reprehendit illos Catholicos, qui imitabantur mundum, carnem, & dæmonem immiscentes se in peccatis, & delitiis huius seculi, præcipiendo eis, vt se reformarent in nouitate sensus 1. perceptione Sacramentorum, quæ sunt noua signa sensibilia redemptionis nostræ à peccatis. Ad Philip. verò scribens eos consolatur in spe expectationis vniuersalis iudicij, in quo reformabûtur corpora beatorum, quæ in hoc sæculo fuerint humilia subiecta variis persecutionibus, illustratione dotium claritatis, impassibilitatis, subtilitatis, & agilitatis, hæc erit vera reformatio corporum beatorum in patria post vniuersale iudicium.

In Ecclesia Dei sunt duo genera præceptorum, 193
vnum spectat ad fidem, alterum ad mores, & obseruationem mandatorum Dei; primum genus non est capax reformationis, quia à fidelibus eadem dogmata semper creduntur. Et ex hoc capite non datur Ecclesia reformata, cum articuli fidei sint immutabiles, & eodem modo credantur ab omnibus fidelibus, qui verè sunt fideles, reformatio enim dicit alteritatem, 194
& mutationem circa id, quod reformatur, & restituitur in pristinum statum, in quo ante erat. Non potest ergo ab hæreticis vera Ecclesia Christi reformari in hoc sensu, nec in alio, sed potius difformari, deturpari, & destrui ab illis. Secundum genus est capax reformationis, ideò summi Pontifices per suas leges siue in Conciliis, siue extra, omnem adhibent diligentiam tùm minis, tùm præmiis, vt fideles contineantur in obedientia, & obseruatione mandatorum Dei, & transgressores relapsos reducant in viam salutis; hoc secundo modo Ecclesia aliquando collapsa quoad mores, & in obseruationem mandatorum Dei, in dies à prælatis Ecclesiæ restituitur, & reformatur, & ideò ex hoc capite reformatio non multiplicat, nec diuidit Ecclesiam, quia reformatio non prouenit ab extraneo, sed à Ministris Ecclesiæ. Neque hæretici, quicumque illi sint Ecclesiam Romanam reformare possunt, 195
quia reformatio supponit ius, & potestatem ecclesiasticam in reformante, nam reformare est cogere subditos ad pristinam obseruationem legis, vt ab initio obseruabatur; hæretici autê cum sint extra Ecclesiam, vt probatum fuit supra q. 24. nullum ius habere possunt in ea. Deinde quis concessit illis hanc potestatem, nam quando à nobis discesserunt erant personæ priuatæ, & tales sine dubio remanserunt, non posunt ergo inducere reformationem in Ecclesia Dei, adde illos non reformare Ecclesiam sed

contaminare, & adulterare illam, nam Sacras Scripturas deprauant trahentes ad proprium sensum, relinquentes verum sensum ab antiquis Patribus Ecclesiæ manifestatum, negantes etiam Traditiones Apostolicas, & omnia confundentes, vt suos errores sustineant sub colore apparentis veritatis. Ecce qualem reformationem induxerunt.

196 Quæres 39. An si omnes Romani morerentur, & vrbs destrueretur, & desolaretur, desineret esse Romana Ecclesia? Romana Ecclesia spectari potest tripliciter. *Primò* vniuersaliter pro collectione omnium fidelium sub Romano Pontifice, à quo vocatur Romana tanquam à capite parte nobiliore, denominatio enim fit à potiori. *Secundò* specialiter pro collectione personarum fidelium Romæ habitantium. *Tertiò* specialissimè pro capite tantum, quod est Romanus Pontifex.

197 ℞. Destructis omnibus Romanis adhuc viuit Romana Ecclesia vniuersalis, & res est clara, quia à destructione speciei non infertur ad corruptionem aliarum specierum, seu generis, ex communi doctrina Logicorum, & Canonistarum, genus enim perire non potest, nisi omnibus destructis speciebus, quare destructa vnica specie ecclesiæ, quæ v.g. est Romæ, adhuc Ecclesia Romana in aliis ecclesiis conseruatur.

Ecclesia verò, quæ est Romæ destruitur, destructis omnibus fidelibus, quia hæc Ecclesia nil aliud est præter ipsos fideles, nam Ecclesia Romæ est velut species in suis singularibus Romanis; sed sublatis singularibus omnibus, tollitur quoque species existens in eis, impossibile enim est, quod species existat extra sua singularia, cum nulla alia existentia existat, nisi per existentiam singularium.

Aresius vir doctissimus professione Theatinus, dignitate Episcopus Derthonensis in Apoc. Velitan. 3. excurs. 24. rem hanc fusè tractat, & adducit argumenta contrariæ opinionis asserentium Ecclesiam Romanam adhuc permansuram destructis omnibus eius habitatoribus. *Primò*, ex vsu Pontificis, qui in locis, vbi nulli sunt fideles, eligit Episcopos, qui tamen nequeunt esse sine ecclesia, sicut non potest dari sponsus sine sponsa, vnde Episcopus vocatur sponsus suæ
198 Ecclesiæ, cum qua dicitur contrahere matrimonium spirituale, c. 2. & 3. de translat. Episc. *Secundò* ex imperatore, qui dicitur Romanorum Rex licet se habet ad Vrbem, ac si non esset Roma in rerum natura, quia nihil possidet de Vrbe, cuius absolutum dominium habet summus Pontifex, ergo dari potest vnum sine altero. *Tertiò* si non permaneret Ecclesia Vrbis, ergo
199 neque summus Pontifex, qui Vrbis est semper Episcopus, neque verus Papa creari potest, qui non, succedat in locum præmortui Pontificis Romani, quare si destruitur tota vrbis Ecclesia, etiam tollitur Pontifex Romanus, & sic eius dignitas non perpetuatur cum Ecclesia, vel sequitur illam debere succedere alteri episcopatui, quod videtur absurdum, quia Papa fixam habet sedem successionis in Episcopatu Romano.

200 Respondeo cum Aresio ad primum, non esse de ratione Episcopi quod sit sponsus, quia videmus plures Episcopos renuntiando Ecclesiæ suæ sponsæ, adhuc remanere Episcopos cum potestate ordinis, & iurisdictionis in habitu, & colligitur ex c. 10. & 11. de renunt. potest ergo dari Episcopus, cui non respondeat Ecclesia propria. Ad secundum Imperator dicitur Rex Romanorum, quia auctoritatem, quam habebat vt Imperator transtulit alio simul cum imperio. Adde, quod non est necesse, vt locum, cuius ditionem habet, possideat pedibus, & habitatione, sufficit, quod alias habuerit, & retineat saltem nomen. Ad tertium dico, destructa tota Vrbis Ecclesia etiam Papa, non sequitur Ecclesiam remanere sine capite, quia illud sibi eligere potest, & vocabitur Romanus Pontifex, & Episcopus Vrbis, eo modo, quo v.g. Ranutius Farnesius adhuc vocatur Dux Castri, licet sit demolitum Destruuntur ergo personæ, non dignitas perpetua, quæ successionem habet in aliis personis, licet non Romanis, neque enim est necesse ex Vrbanis eligere Papam, cum de qualibet natione assumi possit ad Papatum.

Quæres 40. An ecclesia semper fuerit capax dominij bonorum temporalium, & illa etiam ab initio possederit?

℞. Ecclesia Christi semper fuit capax bonorum 201
temporalium, quæ etiam ab initio possedit. Probatur vtrumque de fide Marci 6. 37. *Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.* Ioan. 4. 8. *Discipuli enim eius abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent.* Idem cap. 12. 6. & cap. 13. 29. *Loculos habebat Iudas.* Act. 2. 44. *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erant.* De eadem re ad finem *cap. 4. & initium cap. 5. De quo Clemens Papa de visu testatur relatus cap. 2. 12. quæst. 1. cap. 9. ead. & in Canonib.* Apostolorum idem supponitur Can. 40. & 41. Et licet citatis locis Scripturæ non probatur; Ecclesiam ab initio possedisse prædia, & stabilia, vt id etiam dicit Melchiades Papa relatus cap. Futuram 15. 12. quæst. 1. *Futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli prauidebant, idcirco prædia in Iudæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fouendos egentes.* Nihilominus paulo post cæperunt possidere stabilia, teste Vrbano Papa I. electo 227. Cap. Videntes 16. 12. quæst. 1. *Videntes summi Sacerdotes, & alij, atque leuitæ & reliqui fideles plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus præsidebant, Episcopi haberent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus, plura, & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quam ex pretio ipsorum, & cæperunt prædia, & agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere.* Constat ex his ab initio Ecclesiam possedisse bona mobilia, & subsequenter immobilia, ergo signum est, quod Ecclesia illorum, erat capax, ac proinde iustè possidebat ministerio Prælatorum, qui ferè omnes ineunte Ecclesia sancti erãt, & pro talibus nunc habentur, quod arguit illorum iustam, & legitimam possessionem iniquus enim possessor ius non habet ad cœlestem patriam.

Vigleph hæreticus sess. 8. Concilij Constantiensis num. 10. asserit, quod contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones; & n. 36. subiungit, quod Papa cum omnibus clericis suis possessionem habens est hæreticus, & tales esse laicos eisdem consentientes; quem secutus fuit Lutherus relato in Elencho hæreticorũ V. Luterani n. 12. *Probant primo,* quia Christus prohibuit Apostolis, ac proinde eorum successoribus Matth. 10. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Et hoc obseruauerunt Apostoli, vt legitur Act. 3. 6. de Petro. *Argentum, & aurum non est mihi.* Ergo est contra præceptum Domini, quod Ecclesia possideat. *Secundo*, quando Constantius fecit donationem Ecclesiæ, audita fuit in aëre vox dicens: *Venenum intrauit in Ecclesiam Dei:* Non intrasset autem, si legitimè potuisset acquirere, & possidere. *Tertio*, Nicolaus IV. cap. Epist. de verbor. signif. asserit, Christum cum Apostolis nihil habuisse in communi, & in particulari, ergo Ecclesia ab illis fundata fuit incapax possessionis bonorum temporalium.

Sed in his hæretici non sunt audiendi, cum luce clarius constet, Ecclesiam semper legitimè, & iustè possedisse, & possidere bona tam mobilia, quam immobilia,

mobilia præter domos, castra, ciuitates, & regna; hanc autem hæresim aliâ ratione aduersarij non inuenerũt, nisi vt principibus laicis complacerent, suggerendo illis, vt Ecclesias bonis spoliarent, excitantes antiquam persecutionem Principum, qui thesauros Ecclesiæ pro pauperibus reconditos inhiantes pro se, Laurentium Sanctum in craticula decoxerunt nolentes tyrannis ostendere bona Ecclesiæ; sic faciunt isti hæretici, vt captatâ Principum gratiâ, & amicitiâ, faciliùs introducant, & spargant suas hæreses ducti ambitione relinquendi post se discipulos, & auaritia euadendi locupletes ex bonis Abbatis ab Ecclesiis Catholicorum.

Respondetur ad primum argumentũ cum D.Chrysostomo dicente, Apostolis Christum prohibuisse bonorum possessionem non simpliciter, sed solum prædicantibus in terra Iudeæ, quia vt in patria non videbantur indigere, & quia ibi non erant moraturi, ne amore illorum desisterent à prædicatione per vniuersum orbem, ad quod melius intelligendum subiun-
202 git, Christum duas Missiones præcepisse Apostolis, vnam ad prædicandum Iudæis tantum, quod illis præcepit ante passionem suam Matth. 10.5. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israel.* In hac ergo prima missione eis prohibuit possessionem bonorum. Secunda Missio illis præcepta fuit post Resurrectionem, cum Christus illis dixit Marci vlt.15. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* In hac secunda missione eis nihil prohibuit possidere, ideò ex hoc capite Ecclesia Romana capax est bonorum temporalium, maximè cum fuerit propagata ex gentibus, respectu quorum Apostolis non fuit facta prohibitio possidendi, sed tantum respectu Hebræorum. Et ita refert Turrecr.
203 tom.2 ad cap.Expedit.12.q.1. *Ad secundum* dico, eam vocem non fuisse desuper, sed de subtus, diabolica, & fabulosa, inuenta ab idolatris, qui inuidebant profectum Ecclesiæ, quæ bonis temporalibus illustratur, &
204 munitur, vt per ipsa proficiat ad spiritualia *Ad tertiũ* dico Nicolaum IV. asserentem Christum, & Apostolos nihil proprij habuisse in communi, & in particulari, intelligendum esse, illos nil habuisse, quatenùs erant personæ priuatæ, & singulares, eosdem verò spectatos, prout erant personæ publicæ, & Prælati Ecclesiæ, habuisse bona nomine Ecclesiæ, tanquam administratores, prout definiuit Ioannes XXII. relatus in Extrau. cum inter 4. de verb. signif. asserens hæreticos, qui negassent, Christum, & Apostolos habuisse aliqua tam in particulari, quam in communi, habebant enim bona, quatenùs prælati erant, vt dixi. Ita Corduba lib.4. q.3. in respons. ad 5. argum. §. Igitur quinto; & hæc responsio multis aliis præponenda est, vti melior, & sanior nullam patiens difficultatẽ. Nonnulli referunt Ioannem Papam in extremis laborantem suum decretum retractasse. Sed de ea non constat, imò oppositum, cum in præcitato iure fuerit registrata, ergo non fuit reuocata.

Quæres 41. An Ecclesia alicui soluat tributum?
205 ℞ Negatiuè, quia tributi solutio est signum subie-
206 ctionis ex D.Paulo Roman.13.5. *Ideò necessitate sub-*
207 *iecti estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideò enim & tributa præstatis*: sed Ecclesia nulli est subiecta, non imperatori, quia iste cum aliis Regibus, & Principibus est filius Ecclesiæ non Præsul, cap. certum est, dist.10. & est subiectus Papæ etiam in iure imperij *cap. Tibi Domino, dist.63.* ergo nulli debet tributum.

Hæretici duo obiiciunt auctoritatem Christi Matth.17.16. *Vt autem non scandalizemini eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Et doctrinam sanctorum Patrum Ambrosij relati in cap. Si tributum 27. 11. q.1. & Vrbani Papæ relati in cap. Tributum 22. 23.q 8. dum agunt de tributo dando imperatori.

Sed vtrique argumento eadem repræsentatione occurritur dicendo, à Christo, & à Petro datum fuisse tributum de facto, ad euitandum scandalum, non autem de iure, & ita à Sanctis Patribus prædicatũ fuisse, vt etiam aduertit gloss. v. potestatem. Vel in signũ 208 209
gratitudinis ob beneficium collatum in Ecclesiam, aliquando Prælati recognouerunt Principes laicos, non tribuerunt, aliud enim est recognitio, quæ fit à superiore erga subditum, aliud tributum à subdito ad superiorem, vt colligitur ex gl. v. Defensare citati capitis Tributum. Dicere oppositum puto esse hæreticum, & quia Ecclesia fidei subiecta, & filia, non mater, & domina; & quia eius exemptio est de iure diuino, ex cap. Quamquam 4. de censib. in 6. & in Trid. sess.15. c.20. Demum imperatores Catholici præceperunt, ne quis auderet tributum petere ab Ecclesia Dei, cap. In qualibet 23. & seq. 23.q.8. 210

Quæres 42. An Ecclesia iudicet de occultis?

℞. Prælati Ecclesiarum iudicant de publicis, & manifestis, non autem de occultis omninò, nisi quatenùs dependent ab aliquo actu externo. 211

Prima pars, quod Ecclesia iudicet publica, & manifesta sibi nota, de se patet, quia iudicium fieri non potest sine præcognitione eius quod iudicandum est, ergo necesse est, quod sit publicum, notum, & manifestum iudici, incerta enim, & occulta non possunt iudicari cap. si quis 9. §. Incerta 30.q.5. Confirmatur ex dicendis mox, quia non iudicat de occultis: ergo tantum de notis, & manifestis.

Secunda pars, quod pœnitens occulta & independentia ab actu externo Ecclesia non iudicet, patet ex 212
1. Regum cap.16. 7. *Homo enim videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* Secreta ergo, & occulta reseruantur Dei iudicio, quæ sententia confirmatur à SS.Patrib. relatis *cap. Erubescant.11. dist.32. cap. Sicut 33. cap. Tua nos 34. de Symon. vnde cap. fin. 32. quæst.5.* dicitur, quod non habent latentia peccata vindictam; *& cap. Si omnia 76.q.1.* Si omnia in hoc seculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent; *cap. Cogitationis 14. cap. Cogitatio 20. dist.1. de Pænit.* dicitur, quod cogitationis pœnam nemo patitur, ibi glossa explicat, ab homine non à Deo, qui punit illicita cordium secreta, non sic homo, qui alterius propositum, aut mentem cognoscere non potest *cap. Deus quando 38.24.q.3.* Vide Nauar. tom.3. multa congerentem super dictis capitibus. Ita omnes sentiũt cum D.Thom. *1.2.q.100.a.9. & 2.2.q.104.a.5.* Miranda *tom.1.q.29.a.2.* Suar. *disp.4 de censur. sect.2. & de legib. lib.4 c.12.* Layman *lib.1.tr.4.c.3.n.5.* Refero exemplum in hæresi, quæ propriè in mente consummatur, & sic potest esse occultissima, hanc autem Ecclesia sic in corde consummatam, & extra nullo modo indicata, punire non potest sententia excommunicationis, aut alia pœna, vt omnes docent, quia penitus ignoratur, ideò iudex, nec legislator pœnam adiicere potest, est enim occulta de foro Dei tantum.

Tertia pars, quod Ecclesia iudicet actus internos 213
connexionem habentes cum actibus externis, probatur. *Tum quia*, connexa pro eodẽ reputantur gl. v. Annexi cap. Cum singula 32. de præbend. *Tum quia*, actus internus ratione extrinseci coniuncti fit de foro Ecclesiæ. *Confirmatur* diuersis exẽplis, nã *in Clem.1. § Verum, de hæret.* excõmunicantur ex odio omittẽtes procedere contra aliquẽ in causis fidei. Itẽ Monachi nigri, & Canonici Regulares proficiẽtes ad aulas principum animo nocendi suis superioribus, vel Monasteriis incurrunt excõmunicationem *Clem. Ne in agro § quia verò, de statu Monach.* Item est communis omnium sententia hæreticum mentalem incidere in

excommunicationem, si aliquo modo exteriùs propalet suam hæresim. Prædicti actus odij, animi nocendi, hæresis, qui sola mente consummari possunt ab Ecclesia puniuntur quatenùs coniunguntur cum actibus externis.

214 Quæres 43. De præcedentia Ecclesiarum localium.

℞. Anacletus Papa *epist 9. relata tom. 1. Concil. fol. michi* 309. Primam sedem esse Romanam Vrbis Ecclesiam cælesti beneficio talem prædicatam, de cuius primatu satis dictum fuit q. 36. Secundum locum habet Constantinopolitana, quæ locum abstulit Alexandrinæ, & Antiochenæ, *cap. Constantinopolitana 3. cap Renouantes 6. cap. Definimus 7. dist. 22.* Tertium locum Alexandrina; Quartum Antiochena; Quintum Ierosolymitana, quæ præcedentia renouata fuit in Concilio Lateranensi relata c. Antiqua 23. de priuilegiis. Supradictus Papa Anacletus secũdum locum tribuerat Alexandrinæ, postea, reiecta in tertium, propter residentiam tunc imperatorum Antiochena origine fuit prior Romana, nam Petrus primò resedit ibi, & postea Antiochiæ; demum Romæ, vbi sedem fixit ex mandato Domini, quam sanguine suo consecrauit, & ideò Romana dicitur prior prioritate dignitatis, non originis, quâ nuncupatur Antiochena.

215 Inter Romanas Ecclesias Lateranensis dicta sacrosancta Basilica habet præeminentiam, & superioritatem omnium Ecclesiarum vrbis, & orbis ex Bulla 94. Pij V. incip. *Infirma æui conditio*, renouantis, aliam Gregorij XI. incip. *Super vniuersas.* Extensam apud Tambur. tom. 1. disp. 25. q. 2. Intellige prioritate originis, non dignitatis, inquiunt nonnulli, quia sicut Ioannes erat subiectus Petro, ita Ecclesia Lateranensis subiecta est Vaticanæ S. Petri ratione dignitatis Pontificiæ. In bullis Iubileorum anni sancti hoc ordine præferuntur Basilicæ Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris ecclesiæ; vbicumque nominantur simul Petrus, & Paulus in cæteris etiam coniunguntur, & eorum Ecclesiæ dicuntur Basilicæ, ex quibus constat, Lateranensem esse priorem origine, Vaticanam verò priorem dignitate.

CAPVT II.

De potestate Ministrorum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Potentia, & potestas differunt.*
2 *Potestas sumitur pro libertate agendi, vel non agẽdi.*
3 *Potestas sanandi, faciendi miracula, & eiiciendi dæmonia.*
4 *Potestas, de qua agendum, dicitur superioritatis.*
5 *Potestas est facultas à Deo in ministro regendi populum.*
6 *Facultas tripliciter dicitur.*
7 *Pro habitu, pro libertate, & pro superioritate.*
8 *Omnis potestas est à Deo, hoc est de fide.*
9 *Abutens potestate non dicitur minister Christi.*
10 *Deus Ministros bonos eligit, malos permittit.*
11 *Potestas triplex Dominatiua, Ecclesiastica, & Laicalis.*
12 *Dominatiua potestas in tribus fundatur.*
13 *Ecclesiastica potestas quid sit?*
14 *Laicus fit clericus receptione primæ tonsuræ.*
15 *Clericatus probatur exhibitione litterarum Episcopalium.*
16 *Potestas Ecclesiastica respicit animam, laicalis corpus.*
17 *Potestas ordinis explicatur.*
18 *Potestas ordinis, & caracter indelebilia sunt ab anima ordinati.*
19 *Degradatus valide conficit, & consecrat.*
20 *Sacramentalia quænam sint?*
21 *Iurisdictionis potestas quid!*
22 *Iurisdictio ecclesiastica fori externi supponit tantum primam tonsuram.*
23 *Religiosa potestas ecclesiastica in laicis, & monialibus.*
24 *Abbatissa habet potestatem spiritualem fundatam in electione.*
25 *Laicalis potestas quid sit?*
26 *Potestas facit personam de priuata publicam.*
27 *Restringitur tantum ad subditos.*
28 *Agens contra non subditum nil operatur.*
29 *Iudex non est, qui caret iurisdictione.*
30 *Solus subditus iudicatur.*
31 *Contentiosa potestas quid?*
32 *Contentiosa habet semper adiunctam coactionem.*
33 *Contentiosa vocatur, quia exercetur inter partes contendentes.*
34 *Contentiosa loco limitatur, non sequitur personam.*
35 *In dubio confertur loco concessa.*
36 *Voluntaria iurisdictio quid sit?*
37 *Vbique exerceri potest.*
38 *Ordinaria potestas, seu iurisdictio quid sit?*
39 *Quot, & quibus modis acquiratur?*
40 *Ordinariam habens potestatem delegare potest.*
41 *Delegata potestas quid sit?*
42 *Ordinata potestas quid sit?*
43 *Absoluta potestas quid sit?*
44 *Gestum per legislatorem contra suam legem, validum est.*
45 *Agens contra suam legem sine causa peccat?*
46 *Merum imperium quid sit?*
47 *Mixtum imperium quid sit?*
48 *Quibus competat merum, & mixtum imperium?*
49 *A quo, & quibus conferatur potestas ordinis?*
50 *Potestas ordinis inuisibilis in Sacramento visibili.*
51 *Prima tonsura laicum facit clericum aptum ad ordines.*
52 *Potestas ordinis consequitur caracterem.*
53 *Christus non habuit caracterem sui Sacerdotij.*
54 *Caracter habilitat personam ad spirituale munus.*
55 *Distinctio est inter ea, quæ se habent vt priùs, & posteriùs.*
56 *Caracter est sub genere potentiæ fundamentaliter.*
57 *Tot sunt potestates, quot sunt ordines.*
58 *Baptismum etiam à laico confertur sed in casu necessitatis.*
59 *Etiam quædam alia Sacramenta.*
60 *Sacerdotium necessarium ad confectionem Sacramentorum.*
61 *Baptismus solemniter ministratur à solo Sacerdote.*
62 *Baptismus in necessitate datur etiam à Pagano.*
63 *Eucharistiæ minister solus Sacerdos, Diaconus in necessitate.*
64 *Extremæ Vnctionis Sacerdos solus minister.*

65 Sacr

65 *Sacerdotalis potestas necessaria etiam ad valorem Sacramentalium.*
66 *Actus attentatus sine requisita potestate est nullus.*
67 *Sacramentalia regulantur à Sacramentis.*
68 *Quomodo quilibet baptizatus dicitur Sacerdos.*
69 *Potestas consecrandi alia est à potestate sacramentandi.*
70 *Apostoli in cæna fuerunt ordinati Sacerdotes, sed non confessarij.*
71 *Potestas ordinis non est necessaria ad prædicandum.*
72 *Prædicare non est actus ordinis.*
73 *Potestas ordinis in omnibus est omninò eadem.*
74 *Potestas sacerdotalis non minuitur adueniente Episcopali.*
75 *Diuersæ sunt potestates Sacerdotalis, & Episcopalis.*
76 *Non Sacerdos inualidè fit Episcopus.*
77 *Vna res potest dici maior alia duobus modis.*
78 *Potestas Episcopalis maior Sacerdotali.*
79 *Maioritas arguitur ex superioritate vnius supra alium.*
80 *Potestas Ordinis Episcopalis ad tria se extendit.*
81 *Episcopus solus ordinat Sacerdotem.*
82 *Potestas iurisdictionis est illa, per quam fideles spiritualiter reguntur.*
83 *Hæc necessaria in Sacerdotibus ad absoluendum.*
84 *Iudex non est, qui caret iurisdictione.*
85 *Iurisdictio non datur sine coactione.*
86 *Absolutio Sacramentalis est actus iurisdictionis.*
87 *Iurisdictio ad absoluendum est ab Ecclesia.*
88 *Ordinaria, vel delegata de fide credendum.*
89 Accipite Spiritum Sanctum, &c. *Est potestas ordinis tantum.*
90 *Petrus distribuit cæteris prouincias ad prædicandum.*
91 *Iudex incipit esse à die data commissionis.*
92 *Arbitrium, & iudicium differunt.*
93 *Priuatus non potest conferre iurisdictionem.*
94 *Iurisdictio maior arbitrio.*
95 *Papa confessario delegat iurisdictionem, vt ab eo absoluatur.*
96 *Ius sibi dicere nemo potest.*
97 *Sacerdos quilibet in articulo mortis habet iurisdinem à Papa.*
98 Omnis, *vis huius dictionis.*
99 *Sacerdos simplex absoluit in articulo mortis, si non sit alius.*
100 *Iurisdictio necessaria pro venialibus.*
101 *Concilium de approbandis confessariis.*
102 *Approbatio, & licentia sunt diuersa in confessario.*
103 *Ad eas sequitur iurisdictio.*
104 *Sine approbatione nulla est absolutio data.*
105 *Actus gestus sine requisita forma est nullus.*
106 Non potest *negat omnem potestatem.*
107 *Dictio nisi est taxatiua.*
108 *Clementina* Dudum *reuocata contra Confessores.*
109 Quæcumque *vis huius dictionis.*
110 Quorum tenores *efficacia.*
111 Non obstantibus priuilegiis *Non tollit insertum in iure communi.*
112 *Priuilegium communicatum idem est ac si primò fuisset concessum.*
113 *Episcopus confessarium pluries potest examinare.*
114 *Episcopus non tenetur examinare, sed potest illos reiicere.*
115 *Confessarij Regulares à Papa habent iurisdictionem.*
116 *Confessariorum sæcularium, & regularium differentia.*
117 *Potestas iurisdictionis in confessario triplex.*
118 *Iurisdictionis potestas non est necessaria ad conficienda alia Sacramenta, nec ministranda.*
119 *Apostoli immediatè omnes à Christo receperunt vtramque potestatem ordinis, & iurisdictionis.*
120 *Petrus autem primò cum dependentia à solo Deo.*
121 *Potestas fori externi datur in Ecclesia, & hoc est de fide.*
122 *Potestas Ecclesiastica non fuit immediatè communicata Ecclesiæ, sed eius ministris.*
123 *Ecclesia fungitur iure reipublicæ.*
124 *Potestas immediatè inest reipublicæ.*
125 Dic Ecclesiæ, *id est, Prælatis Ecclesiæ.*
126 *Ecclesia dicitur Regnum.*
127 *Ecclesia quomodo differt à republica.*
128 Tibi dabo, *id est, Petro repræsentanti totam Ecclesiam.*
129 *Ministri dicuntur Christi, non Ecclesiæ nisi in regendo.*
230 *In electione Matthiæ plura spectantur.*
131 *De electione septem Diaconorum in actis Apostolorum.*
132 *Plebs postulat, sed non eligit sibi pastorem.*
133 *Claues Ecclesiæ.*
134 *Sceptri nomine venit potestas.*
135 *Cur vna clauis apud Hebræos, duæ apud Christianos?*
136 *Cur duæ claues Petro traditæ?*
137 *Cur clauis ligandi præponitur claui soluendi?*
138 *Clauis inferni, & mortis.*
139 *Clauis est potestas gubernandi homines.*
140 *Claues soli Petro promissæ sunt.*
141 *Clauis est spiritualis potestas ligandi, atque soluendi.*
242 *Clauis potestatis, & scientiæ ne erret in fide.*
143 *Clauis interpretandi Sacram Scripturam.*
144 *Habens auctoritatem cognoscendi, eam non habet definiendi.*
145 *Papa habet claues scientiæ, & potentiæ.*
146 *Par est potestas ligandi, & soluendi*
147 *Potestas spiritualis, & laicalis simul ab initio mundi.*
148 *Potestas laica dependet à spirituali.*
149 *Luminare maius potestas* Papæ, *minus potestas Imperatoris.*
150 *Papa dat gladium potestatis Imperatori.*
151 *Gladius est sub gladio.*
152 *Potestas Ecclesiastica maior laicali.*
153 *Anima præfertur corpori.*
154 *Lex canonica ciuilem corrigit.*
155 *Membra Ecclesiæ alij clerici, alij laici.*
156 *Clerici nomine venit primo tonsuratus, & religiosus.*

157 *Laicus incapax potestatis ordinis, & iurisdictionis spiritualis.*
158 *Prima tonsura quis redditur capax vtriusque potestatis.*
159 *Consuetudine laicus neutram potestatem acquirere potest.*
160 *Papa laico potest delegare potestatem iurisdictionis.*
161 *Iure positiuo inductum, vt solus Clericus vteretur iurisdictione spirituali.*
162 *Potestas ordinis est inde legabilis.*
163 *Potestas Sacerdotalis, & regia in eadem persona sub veteri lege.*
164 *Pariter & sub noua idem est.*
165 *Christus rex temporalis etiam vt homo* 178.
166 *Regnum quatuor modis acquiritur.*
167 *Gladius, & romphæa vtraque parte acutus.*
168 *Regnum Christi quomodo non est de hoc mundo?* 179.
169 O homo quis me constituit iudicem? *exponitur.*
170 *Christus exercuit dominium temporale.*
171 *Et hoc de fide credendum.*
172 *Papa habet à Deo vtrumque gladium.*
173 *Papa dominium directum habet in omnes.*
174 Quodcumque & omne differunt.
175 *Sensus literalis primò attenditur.*
176 *Dictio* ideò *est causalis, & illatiua.*
177 *Monarchicum regimen perfectius aliis.*
178 *Papa imperiali modo operatur.*
179 *Vtitur aliquando gladio temporali.*
180 *Electores Imperatoris numerantur.*
181 *Extrauag. Ne sede vac. de Imperio.*
182 *Imperfectum reducitur ad perfectum.*
183 *Omnes appellant ad Papam.*
184 *Temporali potestate indirectè vtitur.*
185 *Potestates duas habens alterutra vti potest.*
186 *Gladius temporalis non est medium ad spiritualem.*
187 *Pronomen* tuum *indicat dominium.*
188 *Christus est Dei filius naturalis.*
189 *Christo quomodo data omnis potestas.*
190 *Omnia de Christo dicta non competunt Petro.*
191 *Ecclesia indiget magis instructione fidei, quam miraculis.*
192 *Papatus prima dignitas.*
193 *Finis supernaturalis non tollit gladij temporalitatem.*
194 *Gladius an ratione indirectitudinis importet spiritualitatem.*
195 *Gladio temporali raro vtitur.*
196 *Argumenta hæreticorum contra gladium temporalem Papæ.*
197 *Tributum reddendum Cæsari.*
198 *Christus Dominus mundi in temporalibus.*
199 *Christus rex mundi, & quomodo eius regnum non est de hoc mundo.*
200 *Christus quomodo rex mundi, si est pauper.*
201 O homo quis constituit me iudicem? *exponitur.*
202 *Tributum ab Ecclesia datur de facto Cæsari, non de iure.*
203 *Imperator filius Ecclesiæ.*
204 *Mater non subiicitur filio.*
205 *Tributum signum subiectionis.*
206 *Auctoritas, & potestas differunt.*
207 *Appellatio gradatim facienda.*
208 Quid mihi de his, qui foris sunt, *exponitur.*
209 *Papam vtrumque gladium à Deo habere est de fide.*
210 *Christus, & Petrus vsi sunt gladio temporali.*
211 *Gladius vterque est à iure diuino.*
212 *Ius naturale, diuinum, & humanum quid.*
213 *Potestas spiritualis vocatur gratia, quia datur gratis sine pretio.*
214 *Christus omnibus Apostolis immediatè contulit omnem potestatem.*
215 *In eius tamen exercitio omnes dependebant à Petro.*
216 *Cæteri omnes à Papa potestatem iurisdictionis accipiunt.*
217 *Papa Sol, alij radij, truncus, alij rami.*
218 *Ordinis potestas immediatè à Deo.*
219 *Ideò humana potestate inauferibilis, in quo differt à iurisdictione, quæ auferri potest.*
220 *Baptismo carens incapax potestatis Ecclesiasticæ, seu spiritualis.*
221 *Baptismus fundamentum omnis spiritualitatis.*
222 *Nondum baptizatus ordinatus reordinatur post baptismum.*
223 *Baptismus confertur sine potestate à quolibet.*
224 *Baptizare se nemo potest.*
225 *Potestas ordinis remanet in hæreticis, & degradatis.*
226 *Vnde validè conficiunt Sacramenta iurisdictionem non requirentia.*
227 *Definitum de fide Baptismum collatum ab hæreticis tenere.*
228 *Potestas iurisdictionis manet in hæreticis nondum denuntiatis.*
229 *Eorum gesta valent, non vero denuntiatorum per cedulones.*
230 *Consuetudine potestas ordinis acquiri non potest.*
231 *Consuetudine acquiri potest iurisdictio.*
232 *Consuetudine laici acquirere non possunt potestatem Ecclesiasticam.*
233 *Consuetudine simplex Sacerdos iurisdictionem acquirere non potest.*
234 *Ecclesia Romana vniuersalis Monarchia regitur.*
235 *Regimen triplex Monarchicum, Aristocraticum, & Democraticum.*
236 *Forum Sacramentale iudicat etiam secreta cordium.*
237 *Forum externum non iudicat omnino occulta.*
238 *Ecclesia non iudicat de occultis.*
239 *Iudicium fieri non potest super incognita.*
240 *Ecclesia iudicat actus internos cum externis coniunctos.*
241 *Ecclesia in defunctos habet directè potestatem.*
242 *Subditus dicitur ratione originis, domicilij, contractus, & ex delicto.*
243 *Aduena delinquens citatione preuentus excommunicatur.*
244 *Declarare aliquem censuratum, & censurare eiusdem est potestatis.*
245 *Potestas in superiore eadem est respectu subditorum, nec variatur.*
246 *Indulgentiæ à Papa conceduntur etiam defunctis potestate directa.*
247 Super terram *soluere, & ligare explicatur.*

248 *Ecclesia habet potestatem condendi leges, de fide est.*
249 *Leges possunt obligare in conscientia.*
250 *Excommunicatio supponit peccatum mortale.*
251 *Quomodo nil addendum, vel detrahendum legibus diuinis.*
252 *Transgressio legis contingit quandoque sine scandalo.*
253 *Vt plurimum sine contemptu.*
254 *Interpretatio vera Scripturarum est in Ecclesia.*
255 *Papa solus auctoritatiuè interpretatur Scripturam.*
256 *Concilium dependenter à Papa interpretatur Scripturam.*
257 *Theologi habent potestatem interpretandi Scripturam.*
258 *Extra Ecclesiam non est potestas interpretandi Scripturam.*
259 *Interpretatio fidei non potest sine gratia fieri.*
260 *Sanguinis ius est in Ecclesia Dei.*
261 *Petro cur Christus prohibuit vsum gladij.*
262 *Pœnam pecuniariam potest Ecclesia imponere.*
263 *Monetas videndi potestas est in Ecclesia.*
264 *Per peccatum mortale non perditur potestas.*
265 *Existens in mortali conficit, & confert vtiliter Sacramenta.*
266 *Iurisdictio non perditur, nisi per sententiam, aut finito tempore.*
267 *Potestas non fundatur in gratia iustificante.*
268 *Nemo dat quod non habet, exponitur.*
269 *Ecclesia supplet potestatem in ministro carente illa.*
270 *Pariter pro articulo mortis.*
271 *An intrusi potestas suppleatur.*
272 *Suppletur potestas in multis casibus.*
273 *Potestas ordinis suppleri non potest.*
274 *Canonizandi potestas est in Ecclesia Dei.*
275 *Papa habet potestatem super omnes infideles.*
276 *Quot modis quis potest esse subiectus alteri.*
277 *Domicilium originis est immutabile.*

1 PRæcedenti capite actum fuit de spectantibus ad Ecclesiam in genere, vt est quoddam corpus mysticum, & spirituale, modò agendum est de potestate collata eius ministris à Deo. Constat autem Ecclesia ex hominibus baptizatis, aliis Ministris, & superioribus, aliis subiectis, & inferioribus, de potestate illorum erga ipsos agendum est, per subiectas quæstiones ordinatim procedendo, quantum fieri poterit.

Quæres 1. Quæ differentia sit inter Potentiam, & Potestatem, & quot modis sumatur Potestas?

℞. Potentia, & potestas differunt in eo, quod potentia dicitur esse in genere entis proueniens à natura, per quam ordinatur ad actus naturales, in quo sensu materia dicitur habere potentiam, non potestatem ad formas, quia ad has ordinatur naturaliter, non libere, neque ex voluntate, sed ex instinctu naturæ. Potestas verò in genere moris proueniens à voluntate, dicitur illa, quæ ordinatur ad actus in genere moris extra se, ex quo potestatis actus vocantur transeuntes in tertium, quia potestas est vnius ad alterum. Potentia non distinguit inter maiorem, & minorem, superiorem, & subditum, quia secundum naturam omnia videntur paria in ratione entis. Potestas verò distinguit, quia ab vno est super alium, & in ministris dicit quandam superioritatem, & præeminentiam super subditos, & inferiores, quorum in fauorem, vel odium operatur.

2 Sumitur autem potestas tribus modis. *Primò*, pro libertate agendi, vel non agendi aliquid, qua ratione Christus Ioan. 10. 19. de seipso dicit: *Potestatem habeo ponendi eam*, id est, animam, *& potestatem habeo iterum sumendi eam.* Similiter Pilatus ibidem cap. 19. 10. dixit Christo: *Nescis, quia habeo potestatem crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Pariter omnis homo habet potestatem, id est, libertatem fieri Filius Dei secundum adoptionem, & spiritualiter, credendo, & recipiendo baptismum Ioan. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* In his ergo, & aliis locis potestas sumitur pro libertate faciendi, & non faciendi aliquid.
Secundò, sumitur pro virtute sanandi corpora fide- 3
lium, faciendo miracula ad fauorem illorum, & similia, de qua virtute sub nomine potestatis Matth. c. 10. 1. Marci 3. 15. cap. 6. 7. Lucæ 9. pariter dedit Apostolis virtutem, & potestatem eiiciendi dæmonia, calcandi serpẽtes, & multa alia faciendi ad cõfirmandam fidẽ, Lucæ 10. 19. Huiusmodi autem potestas vsitatiùs vocatur gratia gratis data ad vtilitatẽ aliorum, quæ non dicit superioritatem, quia habens hanc virtutem potest sanare infirmum quemcunque non sibi subditum, & ipse habens sæpè est persona priuata, non habet ergo rationem potestatis superioritatis. *Tertiò,* 4
demum potestas accipitur magis propriè pro superioritate ad regendum populum, de qua hactenùs agendum.

Quæres 2. Quid sit potestas in tota sua latitudine?

℞. Potestas est facultas à Deo proueniens in Mi- 5
nistros ad regendum populum. Explicatur in singulis particulis.

Dixi primò *facultas*, à faciendo, quia habens pote- 6
statem non debet esse otiosus, sed per illam operari, & facere, quod à legibus præscribitur agendum: ista autem operatio est ad dirigendum subditos ad bonum prosequendum, & malum fugiendum. Facultas 7
autem sumitur tribus modis, primò pro habitu disponente ad arguendum ad vtramque partem, cuiusmodi est Dialectica, seu Topica Aristotelis. Secundò pro libertate agendi, & non agendi, qua ratione ego possum scribere, & non scribere pro meo arbitratu. Tertiò pro potentia faciendi aliquid mediante potestate, quâ vti possum, vel debeo ad operandum, in quo tertio sensu tantum hic sumitur nomen facultatis.

Dixi secundò, *à Deo proueniens*, id est de fide ex
Epistola ad Roman. 13. 1. *Non est enim potestas nisi à* 8
Deo, qui illam hominibus communicat in bonum, omne enim quod à Deo est, bonum est, & ab eo deriuat in ratione boni. Quare qui potestate abutuntur non dicuntur Ministri Dei, sed Diaboli, à quo omne malum, & nihil boni prouenit.

Dixi tertiò *in Ministros*, quia non communicatur à Deo omnibus hominibus, sed tantum Ministris, vt alios regant in bonum reipublicæ, ordo enim vniuersi postulat, vt inter homines, alij imperent, & alij obediant alterius imperio.

Dixi quartò *ad regendum*, quia huiusmodi potestas datur in vtilitatem subditorum, & in honorem Ministrorum *Dei enim minister est sibi in bonum* Rom. 13. 4. Hæc est differentia constitutiua potestatis, quâ Minister refertur ad subditos, quos regere habet siue quoad corpus, siue quoad animam præscribendo illis bonum prosequendum, & malum fugiendum. Hinc est, quod superior vocatur seruus, quia subditis seruit in suo ministerio, qua ratione Papa dicitur seruus seruorum Dei.

Dixi quintò demum, *ad regendum populum*, per quod restringitur potestas ad homines tantum, non enim hæc potestas est super Angelos, & beatos in Paradiso, cum isti non sint de Ecclesia militante, ad cuius membra restringitur potestas hic definita.

Dices, si omnis potestas à Deo est, quomodo Deus communicat suam potestatem malis hominibus, & ineptis ad regendum populum, non enim id videtur

conuenire Deo, quia peccatum est vocare ad officium, & ministerium personas ineptas, & inutiles ad regendum populum.

10 ℞. Potestatem tam in bonos, quam in malos ministros prouenire à Deo sed differenter, in bonos quidem Deo iubente, in malos verò Deo sinente, & permittente in castigatione malefactorũ, vt docent Sancti Patres, Hieronymus cap. Audacter 18. 8. q. 1. & Augustinus, cap. Quid culpatur 4. 23. q. 1. *Non enim est potestas, nisi à Deo, siue iubente, siue sinente.* Iussio igitur refertur ad electionem bonorum, sinitio verò ad electionem malorum. Quare duplex est potestas imperata, seu iussiua, & permissiua, seu sinitiua: ad priorem potestatem Deus concurrit positiuè, cum ab homine ministro confertur alteri homini idoneo, & apto ad regendum populum, esto etiam alias esset peccator occultus; ad posteriorem vero concurrit tantum permissiuè, se accommodando ministris, qui quandoque iniquè conferunt alteri dignitatem, & potestatem.

Quæres 3. Quotuplex sit potestas explicata.

11 ℞. Triplex est, Dominatiua, Ecclesiastica, & Laicalis. Ecclesiastica dicta etiam spiritualis subdiuiditur in potestatem Ordinis, & Iurisdictionis seu triplex est à caractere, à clericatu, & à professione. Laicalis dicta Ciuilis, Politica, & Temporalis, cum Ecclesiastica subdiuiditur primò, in contentiosam, & Voluntariam, secundò, in Ordinariam, & Delegatam, tertiò, in Ordinariam, & Absolutam; quartò, in potestatem mixti imperij, & meri imperij. De singulis aliquid agendum est.

12 Dominatiua potestas in generatione paterna, in matrimonio, & in superioritate regulari fundatur, vnde hæc reperitur in Patre erga filios, de qua re vide S. Anton. par. 2. tit. 11. cap. 2. §. 6. Palud. in 4. dist. 38. q. 4. Nauar. cap. 12. n. 63. & 64. in marito erga vxorem, Genesis 2. 16. *Sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui.* Ecce potestas dominatiua, *de qua cap. Quod Deo* 4. *cap. Manifestum* 11. 33. q. 5. & in prælato regulari erga professum, qui illi propriam subiecit voluntatem, *cap.* Monacho 2. 20. *q.* 4. istorum ergo subiectorum voluntas dependet à suo maiori, ita quod quicquid per illos agitur præiudiciale dominationi, dicitur fieri sub conditione: *Si placuerit.* Vnde si postea factum non placet, ab illis irritari potest. Hæc potestas dominatiua reperitur tantum in illis tribus generibus personarum, & non in aliis, ex quibus infertur eam reperiri in laicis, & in Ecclesiasticis, prout supra dictum fuit. Hæc autem à nulla alia dependet, licet quandoque coniuncta reperiatur modo cum Ecclesiastica, modo cum Laicali, ac proinde modo, & vt plurimum cum persona priuata, vt in Patre, & marito, aliquando cum superiore scilicet regulari, sine quo esse non potest.

13 Ecclesiastica potestas est illa, cuius capax est sola persona Ecclesiastica ordinata ad salutem animæ Christianorum. Dixi primò, *cuius capax est sola persona* Ecclesiastica, quia ab hac excluduntur laici, qui illius incapaces sunt, cap. Decernimus 2. de iudic. cap. Tua 25. de decim. nec vllus contradicit, qui est sanæ mentis. Nomine autem personæ Ecclesiasticæ

14 venit primò Clericus etiam, Prima tantum Tonsura initiatus, & non tantum Ordinibus insignitus, ita enim iura habent, quod initiatus tantum Tonsura dicatur Clericus *c. Cum contingat* 1. *de ætate gl. v. ord. & in Clem.* 2. *de Vita & honest.* vnde clericatus bene pro-

15 batur exhibitione literarum testimonialium eius Ordinarij, qui contulit primam Tonsuram, *Innoc. in cap. Super his, de accusat. num.* 10. *ibidem Felin. num.* 18. *§. Sexta conclusio*, Rota *par.* 1. *Recent. decis.* 321 *Rubeus decis.* 101. *num.* 2. venit secundò religiosus professus, quia vt infra dicam, à professis laicis exercentur quidam spirituales actus, qui solum ad Ecclesiasticam potestatem spectant. Dixi secundò *ordinata ad salutem animæ*, nam per hoc potissimum differt potestas Ecclesiastica à laicali, quod illa regulat immediatè, & 16
per se primò animam, hæc verò tantum corpus in bonum reipublicæ, vt in ea pax conseruetur, & animorum tranquillitas. Dixi demum tertiò, *Christianorum*, quia Ministris Ecclesiæ hæc potestas à Christo tributa fuit ad regendum fideles in ordine ad salutem animarum suarum, quam consequi non possunt infideles, & ideò ad illos non se extendit potestas Ecclesiastica, de quibus dixit Apostolus 1. Corinth. 5. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare.* Subintellige potestate Ecclesiastica Cornel. à Lapide hic. Hæc ergo restringitur ad baptizatos tantum. Diuiditur autem hæc potestas Ecclesiastica tripliciter, in potestatem ordinis à caractere; in potestatem iurisdictionis à clericatu; & in potestatem iurisdictionis à professione.

Potestas ordinis à charactere, quæ & Sacramentalis dicitur, quia ordinatur ad confectionem Sacra- 17
mentorum, est illa, quam in ordinatione Sacerdotali, & Episcopali, & in aliis, ordinatus acquirit susceptione caracteris, cum quo irreuocabiliter remanet in æternum impressa in anima, in ordine ad conficienda Sacramenta, & Sacramentalia. Singula sunt explicanda.

Dixi primò, quod hæc potestas vocatur Sacramentalis, quia potissimum ordinatur ad confectionem Sacramentorum, à quibus proinde recipit denominationem, sicut & vocatur potestas ordinis, quia in ordinatione tantum conferri potest, Sacramentalis ergo vocatur à suo effectu, quem producere potest, ordinis verò à Sacramento ordinis, per cuius caracteris impressionem acquiritur personæ ordinatæ. Et ita vocatur à D. Thoma *apud Monilianum de Sacram. ordinis cap.* 53. *& in* 4. *sent. distinctione decimaoctaua*, vbi de clauibus.

Dixi secundò, hanc tribui in ordine Sacerdotali, seu Episcopali, (nolo nunc disputare an sint duo ordines dicti) quia ordinati aliis ordinibus inferioribus non possunt conficere Sacramenta, neque benedicere, vt patet id ex praxi, & vsu totius Ecclesiæ Catholicæ, quod certum est argumentum, huiusmodi potestatem emanare à Sacerdotio, & ab Episcopatu respectiuè supponente sacerdotium, vt mox patebit ex effectibus, ad quos se potest extendere potestas ordinis.

Dixi tertiò, hanc ordinis potestatem perpetuò remanere in anima Sacerdotis simul cum caractere ex 18
eius indelebilitate, sicut enim caracter est indelebile, ita & huiusmodi potestas coniuncta semper cum caractere, non potest ab illo per quamcumque potentiam humanam seiungi, & destrui, cum immediatè vtrumque à Deo conferatur ordinato ministerio Episcopi. Quare non obstante quacumque degradatione, hæresi, Schismate, hæresi; aut apostasia, quibus Sa- 19
cerdos detineatur, remanet cum caractere, & potestate hac, etiam post mortem in alia vita, quia Sacerdotalis dignitas in æternum manet. Ex quo omnes inferunt huiusmodi Sacerdotem, de quo supra validè consecrare, licet indignè, prohibetur enim propter eius scelera, quia ad consecrationem validam sola requiritur potestas ordinis.

Dixi quartò per hanc potestatem ordinis confici Sacramenta, & Sacramentalia. Quare ad Sacerdotem spectat conficere omnia Sacramenta præter ordinem, confirmationem, & matrimonium, nam ordinare, & confirmare spectat ad Sacerdotem Episcopum, matrimonium verò conficitur per ipsos ministros contrahentes ad præsentiam Sacerdotis sui Parochi, ad formam Tridentini. Conficit ergo Sacramentum baptismi

ptismi solemniter,& propter eius vniuersalem neces-
sitatem confertur à quocúmque homine;conficit Sa-
cramentum Eucharistiæ, quod solius Sacerdotis sem-
per munus fuit , & similiter Pœnitentiæ, & Extremæ
Vnctionis solus Sacramenta faciendo fidelibus admi-
nistrat. Sacramentalium nomine veniunt consecratio-
nes , quæ hac potestate fiunt ab Episcopis dum alios
20 Episcopos,Abbates, Moniales,Ecclesias, Campanas,
Calices , & similia consecrant , & simplices benedi-
ctiones , quæ etiam competunt Sacerdotibus simpli-
cibus. Vide Canonistas *in cap. Quamuis 4. dist.68.
& cap. Aqua 9. de consecr. Eccles.*

In aliis quoque gradibus ordinum datur potestas
ordinis,nam Diaconus cantat Euangelium,& subdia-
conus Epistolam ex hac potestate, & similiter alij or-
dinibus minoribus initiati ex suis potestatibus exer-
cent actus suorum ordinum. Sed potestas ordinis sim-
pliciter intelligitur Sacerdotij, & Episcopatus , quia
actus aliorum ordinum etiam à non ordinatis fiunt
quandoque vt apud Doctores probatos legitur.

21 Iurisdictionis potestas à clericatu est illa, quæ or-
dinatur ad iudicandum fideles. Subdiuisa in iurisdi-
ctionem fori interni, & fori externi. Iurisdictio fori
interni ordinatur ad absolutionem peccatorum , vel
ad eorum retentionem in Sacramento Pœnitentiæ;
& hæc supponit potestatem ordinis Sacerdotalis sine
qua hoc Sacramentum à nullo,qui non sit Sacerdos,
ministrari potest. Iurisdictio vero fori externi ordina-
tur ad regendum populum pro foro externo in hu-
iusmodi actibus , qui sunt interpretari Sacram Scri-
pturam,ferre leges, visitare, punire,conuocare Con-
gregationes,& concilia, censuras ferre,condere con-
stitutiones, beneficia conferre, Ecclesias conseruare,
22 vnire,diuidere,conferre indulgentias,&c. Hæc pote-
stas iurisdictionis fori externi non necessario suppo-
nit potestatem ordinis,sed sufficit ad huius acquisitio-
nem,& collationem, quod eam recepturus sit consti-
tutus saltem in prima Tonsura. Hæc de potestatibus
ordinis,& iurisdictionis, quarum capaces sunt solum
Clerici,vnde Ecclesiastici,& spirituales vocantur, &
alias veniunt sub nomine clauium de facto ex Sacra
Scriptura,dicente Christo ad Petrum *Tibi dabo claues
regni cælorum.* Matth. 16.19. de qua eadem re amplius
infra.

23 Religiositatis potestas,seu à professione vt ita lo-
quar, est illa,quæ in superioritate professionis funda-
tur,nullo ordine præmisso, nec prima tonsura;certum
enim est superiores regulares mere laicos , id est, ca-
rentes primâ tonsurâ, & ordinibus, qui adhuc in vsu
sunt alicubi in religione S. Francisci sub prima Re-
24 gula,& inter Fratres *Fate ben Fratelli,*& inter monia-
les Abbatissas,seu alio nomine superioritas exercere
plures actus spiritualis potestatis , qui à laicis sæcula-
ribus non sunt præstabiles,vt recipere ad habitum,&
professionem regularem,præcipere in virtute S.Obe-
dientiæ,dispensare in abstinentiis,ieiuniis,& aliis re-
gularibus obseruantiis,de quibus latius dixi dub. Mo-
niali 13.& 14. citatis Doctoribus, super quibus vide
Regulam Clarissarum confirmatam ab Vrbano IV.
qui prædicta omnia concessit Abbatissæ , vt quæ illi
competentia ex officio, ita in hoc Papa non fuit vsus
plenitudine potestatis , quasi extraordinariè in hoc
procedendo potestate absoluta, sed id indulsit Abba-
tissæ ex conditione sui officij , vt debito modo posset
regere moniales sibi subiectas.

Nec his obstant nonnulli textus prohibentes laicis
etiam religiosis iurisdictionem Ecclesiasticam , *cap.
Bene quidem 1. dist. 96, cap. Laicis 24.16.q.7. cap. Cum
laicis , extr. de reb. Eccl. non alien.* in quibus dicitur,
quod istis nulla est attributa potestas de rebus Eccle-
siæ disponendi. Si enim benè considerentur,non ne-
gatur illis huiusmodi capacitas, sed tantum dicitur,
quod illis Ecclesia vsque ad ea tempora nullam iuris-
dictionem concesserat,non negat verò posse concedi
à summo Pontifice ; præterquam quod illi textus ne-
gant laicis religiosis potestatem alienandi bona Ec-
clesiastica ; istis ergo negatur potestas fundata,& ra-
dicata in clericali tonsura , non autem ea spiritualis
potestas , quæ fundatur in superioritate professio-
nis.

Laicalis potestas est illa , quæ regulat tantum cor- 25
pus , cuius capax est omnis homo vsum rationis ha-
bens,siue sit laicus,siue Clericus.

Vtraque autem potestas laicalis , & Ecclesiastica 26
in eo conueniunt, respectu ministrorum, quod hi di-
cuntur personæ publicæ in ratione officij,quod exer-
cent , referuntur enim ad publicam vtilitatem proxi-
mi ; respectu vero subditorum conueniunt etiam in 27
eo , quod ministri eas exercere non possunt nisi in
personas sibi subditas , extra quas vti spheram suæ
actiuitatis agere non possunt. Et si quid attentant
contra non subditum nil agunt,quia iudex non potest
soluere,nec ligare non subditum, *cap. Quod autem 4.* 28
*cap. omnis 2. de Pœnit. cap. Ad audientiam 3. de consuet.
cap. At si clerici 4. de iudic. cap. Nullus de Paroch.* quia
caret iurisdictione, sine qua nihil agere potest,iudex
enim non est,qui caret iurisdictione,sed persona pri-
uata censetur, *Menoch. de recuper. possess. remed.* 8. 13. 29
& 17. solum ergo subditus iudicatur, ad Roman. 14. 30
4, *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum,* D. Thomas 2.
2. q. 67. Caiet. *de auctor. Papæ tract.* 2 *cap.* 20. De præ-
dictis duabus potestatibus clericali , & laicali plura,
*cap. Cum ad verum 6. cap. Duo sunt 10. dist. 96. cap. 1.
dist. 8. cap. 2. de iudic. cap. solitæ 6. de maior. cap. Vnam
sanctam extrau. com. de maior.*

Contentiosa potestas est illa,quæ exercetur contra 31
inuitum,& nolentem,qui tenetur subire contra se iu-
dicium , siquidem adiunctam habet semper coactio-
nem,& gladium ferientem,vnde gl. v. si ergo, cap. Pa-
storalis 28. de off. deleg. per l. fin. ff. de offic. eius, cui
mand. ait, quod nulla est iurisdictio contentiosa, quæ 32
non habet adiunctam coërcitionem,redderetur enim
vana, & inutilis, iudex quoque contemneretur , nec
cuique quod suum est, redderetur. Vocatur contentio-
sa , quia exercetur inter partes contendentes inter se 33
super causa, quæ agitatur coram illo inter actorem,&
reum. Huiusmodi autem potestas non sequitur perso- 34
nas,sed loco,& territorio limitatur , *l. fin. C. Vti , &
apud cap. 2. de constit. in 6.* vbi dicitur, quod ius dicen-
ti extra territorium non paretur impune.

In dubio autem censetur hæc potestas concessa lo- 35
co,non personis, *Bart. in l. Inter eos ff. de acquir. rer. do-
min. Papon. cons.* 5. *num.* 37. Vide *Decis.* 253. *apud Ru-
beum de iurisdictione contentiosa cum coactione.*

Voluntaria iurisdictio est illa , quæ exercetur erga 36
volentem,& in illius vtilitatem,& fauorem,vt legiti-
mare,dispensare,conferre beneficia, priuilegium, gra-
tiam, ministrare Sacramenta, absoluere à peccatis, à
censuris,& aliis pœnis. Hæc autem quia non requirit
strepitum iudiciale, & certas iuris solemnitates , vbi- 37
que , & extra territorium iudicantis exerceri potest,
de communi omnium sententia ita Couar. *lib. 3. Var.
cap. 20. §. obiter vero, Pasqual q. 198. n. 9* refert Do-
ctores. Intellige,quando causa expediri potest in oc-
culto, nam si coram aliis, vt ordinare, & audire con-
fessiones, in his, & similibus casibus , petenda est li-
centia non tam ex decentia, quam ex necessitate, ne
proximus perturbetur,tunc enim ordo confunditur,si
vnicuique propria iurisdictio non seruetur *cap. Perue-
nit* 39. 11. q. 1.

Ordinaria iurisdictio est illa , quæ est perpetua, 38
competens ex officio,& munere, atque nomine pro-
prio. Prouenire autem potest ex tribus, à iure, à priui-
legio, à consuetudine. Acquiritur ergo iurisdictio 39

primò

primò per legem, *Innoc.in cap.*1.*de off.archid. Megal. lib.*3.*de censi.cap.*10. *num.*63.§. *similiter, Felin. in cap. Cæterum*, *de iudic. num.* 2. *Secundò* per priuilegium, *Bart. in l. Ambitiosa ff.de decr.ab ordin. fact. Bald. in cap.fi n.de off. ordin.* Sanch. *lib.*2. *disp.*40. *num.*14.*Sigism.dub.*121.*de elect.n.*2.*Tertiò*,per consuetudinem, cap. cum contingat 13. de foro compet. Diana *resol.* 42. *de excom. Legista in l.*1.*ff.de offic. eius*, *cui mand. Panor.& Innoc.in cap.*1.*de offic.ordin.*vbi hanc vocant ordinariam. *Quartò*,per electionem vniuersitatis, capituli, seu collegij acquiritur iurisdictio ordinaria, *gl.in cap. Cum ab Ecclesiarum*, *de off. ordin.* Rodriq. *tom.*1. *q.*51. *art.*3. *Tambur. tom.*2. *disp.*1,*q.*4.*num.*2. *Felin.in cap.Prudentiam,de off.deleg.num.*34.Supradictæ iurisdictiones dicuntur competere nomine proprio ius dicenti. *Quintò*, delegatus ad vniuersitatem causarum dicitur habere potestatem ordinariam, immò vocatur ordinarius,Felin. *in cap.Sciscitatus,de rescr.num.*23.*gl.v.delegare,cap.Super quæstionum* 27.§ *si verò,de off.deleg.*Sanch.*lib.*3.*disp.*31.*num.*1.vbi vocat hanc sententiam communissimam.Potestatem autem hanc Ecclesiasticam habent Papa per vniuersum orbem, Episcopi in suis diæcesibus, superiores Regulares in suos subditos.Laicalem vero Imperator,Reges, Principes,Duces,&c.Couar.*lib.*3,*Variar.cap.*20.omnes enim eam exercent ex officio sui gradus, & dignitatis.

40 Habentes autem potestatem ordinariam aliis eam delegare possunt, *l. More ff.de iur. om.iud.l.cognitio* §. *Cum propriam ff. de off. eius cap. fin. de off. ordin. cap. Cum Episcopus ord.in* 6. nam quæ iurisdictionis sunt aliis committuntur cap. Aqua 9. de consecrat. & ex his patet ad sequentia.

41 Delegata potestas est illa, quæ committitur à supradictis ordinariis aliis personis inferioribus, nam delegare est actus iurisdictionis ordinariæ, *ex cap.Super quæstionum* 27.§. *Porrò, de off.deleg. cap.*1.*de offic. ordin. in* 6. ideo delegatus dicitur assumi ad officium per habentem potestatem ordinariam, ac proinde ambo faciunt vnum, & idem tribunal, *cap.*2. *de consuetud.in* 6.& delegatus repræsentat personam delegantis,*ex cap.fin.dist.*99.*gl.cap.*2.*extr.com.de sepult.v. impendant*, ac proinde nihil proprij habet, sed alienam iurisdictionem exercet,non nomine proprio,sed alieno,cuius vices gerit, *cap.sane v.cap. super* 27.*ord.* vnde debet moueri eadem ratione, qua delegans ad agendum moueretur, *cap.Super literis de rescr.*consequenter delegati facultas expirat morte delegantis re adhuc integra, *cap. Licet vndique* 30. *de off. deleg.* Pariter, quando potestas delegantis suspenditur, vel cessat, suspenditur quoque delegati facultas, vt omnes tradunt cum Gutier.*lib.*1. *quæst.canon.cap.*1.*n.*83. Delegare autem alteri suam iurisdictionem est actus gratiosæ voluntatis, non necessitatis, ideo nullus tenetur suam iurisdictionem aliis delegare, quando per se illam exercere potest,*cap.fin.de off.ordin. cap. Cum Episcopus* 7. *ord. in* 6. Delegatio item fieri potest in persona non subdita, si velit acceptare, Felin. & alij *in cap. Prudentiam* §.*Adiicimus num.* 22. *arg. cap.In Archiepiscopatu* 4.*vincta gl.commiserit,de rapt.cap.sæpè* 28. 23. *q.*8. quia est actus honorificus, qui potest communicari etiam non subdito habet tamen aliquid subiectionis,& seruitij ex parte delegati, qui ex hoc dicitur minor, & inferior ad delegantem;Actus delegati sumant valorem, & robur ab eo, qui iurisdictionem dat,*l. Annua ff.de an. leg. l.quod Principi ff de legat.*2.*cap.Romana,de off.Vicar.in* 6.*Germon.de Indult.* §.*Per qua sublatis,num.*72.Demum delegatus non recipit exercitium iurisdictionis nisi à tempore receptæ commissionis, *cap. Pastoralis, in fine de rescr.Gratian. discept.* 170. *num.* 20. quia sua iurisdictio pendet ex productione rescripti,Bald.*in l.Falsus C.de furtis.*Hæc satis ad lucem delegationis.

Ordinata potestas est illa,per quas minister opera- 42
tur secundum leges. Ex hoc capite iudex dicitur vti lege validè, & licitè. Deus quoque vtitur potestate ordinaria, quando se accommodat vti causa prima cum causis secundis,concurrendo cum illis iuxta ordinem naturæ ad productionem effectuum. Item dicitur operari ordinate quando reddit vnicuique iuxta eius merita mercedem.

Absoluta potestas est illa, per quam Princeps in 43
operando se absoluit à sua lege sine causa. Seu, qua legislator operatur contra suam legem sine causa.Dico,sine causa, quia si adesset legitima causa, lex tunc non obligaret, sed cessaret,& subditos non constringeret. Quando igitur sine causa operatur contra suas leges, dicitur vti potestate absoluta à lege, ad quam alias tenetur non vi coactiua qua subditus non est,sed vi directiua. Gestum vero à legislatore contra
suam legem, validum est, quia cum inualiditas sit 44
quid pœnale,non potest afficere ipsum legislatorem, ideo neque factum affici nullitate. Vide *gloss.v.ex ratione,extr.comm.*1. *de concess. præbend. &* Sanch. *lib.*2. *disp.* 15. vbi cum Doctoribus reiicit errorem Baldi opinantis, quod potestas absoluta est plenitudo arbitrij nulli subiecta necessitati, nulliusque publici iuris regulis limitata, nulla exceptio obiici, neque aliquid opponi potest,nec dici : *Cur ita facis*? Sed certè hoc non competit homini, sed soli Deo, Iob.9. 12. *Quis*
dicere potest. Cur ita facis? Quare peccant legislatores 45
contra suas leges sine causa operantes,ac proinde repræhendi possunt; à fortiori digni sunt acri repræhensione, quando ea vtuntur contra legem Dei, & maiorum in præiudicium suorum subditorum.

Merum imperium est iurisdictio, per quam Prin- 46
ceps operatur ad publicam vtilitatem, non ad priuatam huius, vel illius personæ, & dicit coactionem in ordine ad subditos, vt potestas condendi leges, illas abrogandi, congregandi comitia, indicendi bellum, videndi monetam, confiscandi bona, imponendi tributa, & vectigalia, decidendi causas, & lites,amota appellatione,non ad instantiam partis,puniendi morte,mutilatione,perpetuò carcere,degradatione,traitione ad curiam sæcularem, excommunicandi lege, vel statuto,relegandi,&c.De quibus Bartol. *in l.*1. *& l.Imperium ff. de iurisd. om. iud. Abbas in cap.quod sedes,de off.ordin.*

Mixtum imperium est illud,quod exercetur ad pri- 47
uatam vtilitatem, & ad instantiam partis,siue sit gratia,siue iustitia,vt legitimare, dispensare,priuilegium dare, tribuere ætatis veniam, restituere in integrum, statuere tutores,concedere monitoria, sententiare,& punire ad instantiam partis. De quibus supracitati. Alij dicunt illud consistere in causis criminalibus, istud vero in ciuilibus.

Nota autem, quod merum, & mixtum imperium, 48
non solum habent Principes absoluti,vt Papa, Imperator, Reges, &c. sed etiam legati sedis Apostolicæ, Episcopi,& Superiores Regulares maiores, quatenus exercere possunt prædicta, quæque eorum statum non dedecent,*vt ex cap.*1. *de off. ord.* ex Molina *tom.* 5.*disp.*6.*&* 7.collegit Layman *lib.*1. *tract.*4.*cap.*5.*ad finem.*

Quæres 4. A quonam conferatur potestas ordinis, & quibus personis?

℞. Confertur à Christo Domino solis Clericis, de 49
fide credendum ex Sacris Scripturis Lucæ 22.19. *Hoc facite in meam commemorationem*.Per hæc verba indicatur sacra ordinatio Sacerdotalis cum potestate consecrandi, & conficiendi verum Christi corpus, vnde Episcopus ordinans exprimit huiusmodi potestatem, cum dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c, Matth. 8. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram,*

erunt

erunt ligata & in cœlo, & quæcumq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Ioan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis. Accipite Spir. S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis, retenta sunt.* Per has auctoritates significatur potestas ordinis non solū ad absoluendum à peccatis, sed etiam ad conficienda alia sacramenta; nam Christus misit Apostolos, & sacerdotes eo modo, quo ante ipse missus fuerat à Patre, vt de seipso testatur loco cit. sed Christus missus fuit cum ea omni potestate, quæ necessaria erat ad gubernandum fideles deducendos in vitam æternam, qualis præsertim est potestas ordinis, de qua tractamus, nam Matth. 28. 18. de sua potestate sibi à Patre tributa testatur his verbis. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra,* in cœlo quatenus Deus est, in terra quatenus homo est, & secundum hanc posteriorem rationem Christus communicauit Apostolis, & in ipsis successoribus ministris potestatem ordinis consecrandi, & conficiendi sacramenta, & alia necessaria ad salutem animarum. Et licet præfatæ auctoritates ligandi, & soluendi videantur potissimum referri ad potestatem ordinis necessariam ad conferendum sacramentum Pœnitentiæ, tamen apte applicari possunt etiam aliis Sacramentis ex identitate rationis, cum respectu singulorum eadem ordinis potestas sit necessaria, quando enim Sacerdos aliud conficit Sacramentum v. g. baptismum, nonne per actum ablutionis remittit peccatum originale, & soluit baptizatum à iugo diabolicæ subiectionis; idem dic de aliis Sacramentis. Confirmatur id ex natura missionis, non enim Apostoli cum aliis Sacerdotibus vacui mittuntur, sed pleni, & muniti potestate sibi necessaria ad perficiendum munus suum regendi fideles administratione Sacramentorum, quæ sine potestate ordinis confici non possunt. Adde, quod in qualibet sacramentali ordinatione siue maiorum, siue minorum ordinum assignatur propria materia, & forma, vt par sit cum cæteris Sacramentis, accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum; in forma autem cuiuslibet ordinis exprimitur potestas, per quam ordinatus potest exercere actum conuenientem, & propriū talis ordinis, si ergo in ordinatione confertur potestas ordinis, necesse est, quod Christus Dominus in ordinatione Apostolorum illis contulerit eiusmodi potestatem, neque enim Ecclesia vteretur forma exprimente hanc potestatem, si Christus id non docuisset, & vsus fuisset. Res definita est in Tridentino sess. 23. can. 1. *Si quis dixerit, non esse in nouo testamento sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Euangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.*

Duo hic definiuntur, dari sacerdotium, & potestatem, illud quidem esse externum, & visibile, quod apparet in actione ordinationis, quæ ab Episcopo fit per actus externos vnctionis, & impositionis manuū, & aliis ceremoniis, & ex hoc, quod sacerdotium est Sacramentum, non potest non esse visibile, & exter-
50 num, quod est de ratione Sacramenti consistentis in signo sensibili externo, & visibili. Potestas vero ex sua spiritualitate inuisibilis est in se, visibilis vero in actibus externis, qui per ipsam exercentur sensibiliter à Sacerdotibus.

Solis clericis, qui huius potestatis capaces sunt, confertur hæc sacramentalis potestas, quia illi tantum digni sunt, & non laici, & ideo ad hanc præparantur per receptionem primæ Tonsuræ, quæ hominem de
51 laico trahit in sortem Domini, & facit clericum, vt superius dixi sub n. 14. Et hoc de fide tenendum est, quia Christus nullum laicum immediate ordinauit, nec illi tradidit hanc potestatem, sed solis Apostolis, & Discipulis, qui omnes erant clerici, præterquamquod vt dicam infra sub q. 34. laici sunt incapaces potestatis cuiuslibet spiritualis, ergo à fortiori sacramentalis.

Quæres 5. An huiusmodi ordinis potestas sit aliquid vltra caracterem, quem sacramentum imprimit in ordinato?

℞. Est aliquid consequens necessario ad caracterē, à 52
quo est quid diuersum. Probatur. *Tum quia,* in Christo est omnis potestas ordinis, est enim Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, à quo cæteri
sacerdotes participant de eius sacerdotio, in Christo 53
autem sacerdote nullus fuit impressus caracter ex cōmuni Doctor. cum D. Th. 3. *part. q.* 63. *a.* 5. *Cartagena*
tom. 1. *disp.* 5. *de sacram. c.* 3. ratio est, quia caracter ha- 54
bilitat, & dignā reddit personā ad conficiēda sacr. qua dispositione non eguit Christus, qui ab instanti suæ conceptionis dignissimus fuit Sacerdos; & quia caracter est participatio diuini sacerdotij, quare cum idē seipsum participare non dicatur, caracter locum non habet in Christo, qui vt caput omnium fidelium tam laicorum, quam clericorū non indiguit hoc signo distinctiuo transferente illum à statu inferiori ad statū digniorem, in quo semper fuit. Quare si Christus caruit caractere, & habuit potestatem ordinis, sequitur hæc duo inter se esse distincta, & diuersa. *Tum quia,* caracter indelebiliter manet impressus in anima etiā post mortem, potestas vero ordinis non manet, quia nec in Paradiso, nec in inferno est vsus sacramentorū, ergo nec potestas ordinis remanet, inutilis enim est sine vsu. *Tum quia,* à Magistro sententiarum *in* 4. *dist.* 24. *prope finem,* definitur, quod ordo est signaculū, seu caracter spiritualis, quo spiritualis potestas traditur ordinato, quem omnes sequuntur; si ergo ordo, & caracter idē sunt, necesse est, quod potestas fluens ab ordine aliud sit à caractere, ad quem illa sequitur. *Tum*
quia, illa dicuntur diuersa, inter quæ datur prius, & 55
posterius; sed inter caracterem, & potestatem datur prius, & posterius, nā prius est aliquid esse in aliquo statu, quam quod intelligatur potens operari in illo statu, cum potentia ad operandū se habeat vt circumstantia respectu personæ positæ in eo statu; sed per caracterem homo ponitur in statu sacerdotali, & subsequenter fit potēs ad agendum in eo statu, ergo huiusmodi potestas sequitur illum statum in persona caracterizata. *Tum quia,* non obstat, quod caracter fere ab
omnib. ponatur sub genere potentiæ à D. Th. *part.* 3, 56
q. 63. *a.* 2. 3. 4. & 5. nam non sequitur ipsum esse formaliter potentiam, sed tantum fundamentaliter, quatenus sequitur potestas ordinis ad ipsum caracterem.

Quær. 6. Quotuplex sit potestas ord. hac t. explicata?

℞. Tot sunt potestates ord. quot sūt ord. & præterea 57
in sacerdotio duæ conferuntur potestates, consequenter sunt octo. Probatur illud, quia vnicuiq; ordini attribuitur propria potestas, per formā ab Episcopo prolatam in ordinatione sub his verbis, *Accipe potestatem,* &c. diuersæ ergo sunt, sicut diuersi sunt ordines, qui successiuè conferuntur, quarū etiam diuersitas agnoscitur ex diuersitate actuum singulorum ordinum. In sacerdotio vero duæ conferuntur potestates, vna conficiendi verum Christi corpus, consistens in consecratione corporis, & sanguinis Iesu Christi; altera administrandi sacramentum Pœnitentiæ fidelibus ea enim forma inspecta, quæ talib. componitur verbis: *Accipe Spir. S. quorum remiseris,* &c. Videtur restringi ad dictū sacramentum, aliis exclusis. In prædictis nullam puto esse difficultatem, quia satis manifeste patent singulæ potestates ex diuersitate formarum. Difficultas vero est de potestate ordinis respectu aliorum sacramentorum, vnde.

Quæres 7. An potestas ordinis necessaria sit in confectione aliorum sacramentorum à sacrificio, &

Pœnitentia? Item, & an necessaria in consecrationib. & benedictionibus itavt sine illa attentatæ confessiones, consecrationes, & benedictiones sint nullæ, & inualidæ? Non videtur necessaria huiusmodi potestas, quia nec Christus, nec Ecclesia de illa mentionem facit in ordinatione Et confirmatur, quia Sacramentū
58 Baptismi etiam à laico conferri potest ex cap. Firmiter §. vna, de sum. Trin. & can. 4. sess. 7. & in casu necessitatis Sacramentū Eucharistiæ, & Baptismi Diaconus confert, absente Episcopo, c. Diaconos 13. dist. 93. iuncta gl. v. Necessitas immò etiā laicus confert Eucharistiā, & Extremā Vnctionē *gl. v. Perciperes c. Capit.* 42.
59 24. *q.* 1. *gl. fin. c. Peruenit* 29. *dist.* 2. *de consecr.* Matrimonium quoque per ipsos cōtrahentes, qui sunt laici, conficitur, ergo ad Sacramentorum confectionem non est necessaria potestas ordinis.

60 ℞. Ad validam confectionem Sacramentorum & Sacramentalium necessariam esse potestatem ordinis sacerdotalis, provt infra probatur de fide tenendū. Ratio communis est, quia postulant sacerdotiū, sine quo non est potestas ordinis, vnde in Decreto Eugenij Papæ IV. definitur, quod Minister ordinarius sacramentorum est Sacerdos; ex quo in Tridentino sess. 7. can. 10. definitur: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnib sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Solis ergo sacerdotibus data fuit potestas conficiendi ex officio Sacramenta.

61 De baptismo probatur de fide cap. fin. Matthæi, & Marci: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos,* &c. Loquebatur ad Apostolos, & Discipulos, qui omnes erant sacerdotes, solis ergo sacerdotibus commisit administrationem Sacramenti Baptismi. Duo autem spectantur in hoc Sacramento, dispositio ad illud per Catechismum, *de quo cap. siue paruuli* 53. *c. Ante* 54. *&* 55. *cap. Catechismi* 57. *& seq. de consecrat. dist.* 4. & illius collatio per ablutionem verbis prolatis; sub prima consideratione spectat illius administratio tantum sacerdoti cum suis solemnitatib. & ritibus ab Ecclesia
62 commendatis. Sub secunda Baptismus à quocumque etiam à fœmina, seu pagano, aut hæretico dari potest, expresse in Decreto Eugenij, *cap.* 1. *de sum. Trin.* § *Sacramentum. Trid. can.* 4. *de sacr. sess.* 7. Quilibet ergo homo potest esse Minister Sacramenti Baptismi, Sacerdos quidem præcipuus, & ex officio semper, reliqui vero in casu necessitatis, extra quam licet validè conferant illud, non tamen licitè, quia sibi tunc vsurpant officium alienum. Catechismus vero vt dixi, ad solum spectat sacerdotē, vt id patet ex praxi, nā infantes ex necessitate domi baptizati, quando eorum mors timetur, superuiuentes deferuntur ad Ecclesiam, vt Sacerdos Catechismum suppleat. Et ex his patet ad rationem dubitandi pro parte baptismatis.

63 De Eucharistia quoad confectionem, certum est de fide illius ministrum esse solum sacerdotem, definitū in dicto Decreto Eugenij, *in c. Firmiter* §. *Et hoc vtiq; Trident. c.* 1. *&* 2. *sess.* 22. *item c.* 1. *&* 4 *sess.* 23. nā quando Christus hoc Sacramentum instituit, quod fuit in cæna Domini, allocutus fuit solis Apostolis vti sacerdotib. quos tunc ordinauit dando illis hanc potestatē conficiendi corpus Christi verum, & sanguinē. Quod verò spectat administrationem, licet solus Sacerdos sit minister ordinarius, & ex officio, nihilominꝰ vrgente mortis necessitate Diaconus potest sacram cōmunionem porrigere infirmis, Clemens *lib.* 8. *Apostolic. constit. c.* 28. *Concil. Cartagin.* 4. *can.* 38. *& in Nicano can.* 14. Diaconus etiam sibi porrigere potest. Laicis vero nec aliis clericis id nullatenus permittitur, propter reuerentiam, quæ tanto Sacramento exhibenda est, inquit *Caspens. Capucinus de sacr. tr.* 22. *disp.* 9. *n.* 91. *de communi* contra Suar. *disp.* 72. *sect.* 3. Et ex his patet ad rationem dubitandi pro hoc capite.

64 De Extrema Vnctione constat de fide solum sacerdotem esse illius ministrum, ac proinde sine ordinis potestate confici non posse, Iacobi 5. 14. *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Ex quibus verbis colligitur, hoc sacramentum dari tantum à sacerdotib. quod definitum fuit in Decreto Eugenij, *& in Tridentino sess.* 14. *can. fin. & in c.* 1. *&* 3. eiusd. sessionis cap. vn. de sacra vnct. Ex quib. patet ad obiectionem, non esse recipiendum, quod asseritur à glossa, sacram vnctionem conferri posse etiam à laico, cum iste careat sacerdotali potestate necessaria ad validam, & licitam administrationem huius sacramenti.

Demum potestatem hanc sacerdotalem esse necessariam ad valide, & licite faciendum benedictiones in Ecclesia Dei, tanquam de fide tenendum est. Deducitur ex Num. 6. extremis verbis: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron, & filiis eius sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus.* Item. *Inuocabuntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.* Notum est, Moysen, & Aaron cum filiis esse Sacerdotes, ex quo constat benedictionem dandam esse à solis Sacerdotib. & ita ad hunc textum docet S. Aug. *relatus cap.* Dictum *est* 96. 1. *q.* 1. D. Hieronym. *relatus cap. Ecce ego* 6. *dist.* 95. hoc munus benedicendi tribuit solis Sacerdotibus. Idem constat ex Ritibus Sacerdotalis, Missalis, & Breuiarij, in quibus Benedictiones diuersarum rerum præscribuntur Sacerdotibus, quod signum est, benedictionem pertinere ad potestatem ordinis sacerdotalis, ita quod ab alio peracta non teneat, actus enim gestus sine requisita potestate nullius est momenti, Bald. *in l. omne verbum, C. com. de legat.* Alex. *lib.* 4. *consil.* 52. *n.* 30. Ratio est, tū quia sacramentalia regulantur à sacramentis, quibus accedunt, ergo ab eadem potestate ordinis sacerdotalis proueniunt. Tum quia benedictio est quid spirituale, ergo prouenire debet à potestate sacerdotali, à qua procedit omnis spiritualitas, Sacerdos enim vocatur, quia sacra dat. 65 66 67

Et ex his patet ad rationem dubitandi in quæstione propositā, falsū enim est, nec Christū, nec Ecclesiā facere mentionē de huiusmodi potestate ordinis sacerdotalis, nam ea exprimitur in illis duabus scripturis in q. 4. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis,* &c. nam Christus missus fuit cum omni potestate, ergo & cum hac sacerdotali ad conficienda sacramenta, & sacramentalia. Quod idem insinuat posterior auctoritas, nō enim ea restringitur ad sacramentum pœnitentiæ, sed communis est omnib. & extenditur ad sacramentalia quoque: nam etiā alia Sacramenta remittunt peccata suo modo, vt docent omnes Theologi, hoc vel illo modo, non tollit hunc effectum, quem indicat ea forma; & probabilis quoque est sententia asserentium sacramentalia per benedictionem talia effecta remittere venialia, ergo potestas Sacerdotalis remittendi peccata refertur ad sacramenta, & sacramentalia.

Dices cum Luteranis, qui nullum agnoscunt sacerdotem, eo ipso, quod volunt, omnes fideles esse sacerdotes, ex Ep. 1. Petri 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta,* ergo frustra ponitur hæc potestas in nonnullis, & non in omnibus, cum sint sacerdotes absque illa differentia. 68

℞. Omnes fideles vocari sacerdotes non ex potestate actiua cōficiēdi sacramēta, sed ex potestate passiua, & secūdū participationē gratiæ Christi sūmi sacerdotis.

Quæres 8. An potestas consecrandi verum Christi corpꝰ se extēdat ad confectionē corporis Christi mystici, si quādo Episcopꝰ omitteret proferre super ordinatū sacerdotem secundam formā: *Accipe Spiritum S.*

℞. Potestas cōsecrādi nō se extēdit ad sacramēta, sed restringitur ad sacrificiū Missæ, nā forma limitata est ad vnicum actū cōsecrationis, ergo vltra se extendere 69

non

non potest, quia causa limitata producit limitatum effectum, *l. Age C. de transact.* Adde quod frustratoria esset alia forma, si in prima contineretur quicquid secunda exprimit. *Confirmatur*, quia in cæna Domini
70 Apostoli ordinati fuerunt Sacerdotes tantum, & non etiam confessarij, quibus hoc munus collatũ fuit post Resurrectionem, ita quod validè antea non potuissent absoluere. Quare si quis ordinatur Sacerdos expressa tantum prima potestate, vt valeat Sacramentum Pœnitentiæ conficere, necesse est, quod posterior forma ab ordinante suppleatur.

Quæres 9. An potestas ordinis necessaria sit ad prædicandum? Videtur quod sic, quia prædicationem Christus commisit Apostolis, & Discipulis per vniuersum mundum; sed illi erant Sacerdotes, ergo solis Sacerdotib. ex potestate Ordinis cõpetit prædicatio.

71 ℞. Non est necessaria, quia prædicare est actus iurisdictionis, non ordinis Toletus *lib. 4. cap. 46. num. 3. Armilla v. suspensio. Negal lib. 5. de censur. cap. 2. n. 4. cum aliis quos citaui decis. 306.* Et deducitur ex illo Apostoli: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur*, nimirum potestate commissionis, & iurisdictionis. Quia autem Laici non mittantur, sed Clerici tantum, ideò illis prohibetur prædicatio, *cap. Cũ ex iuncto 12. & c. Excommunicamus 13. §* Quia vero, de hæret. sub pœna excommunicationis omnib. etiam Clericis interdicitur exercitium prædicationis sine licentia attentatum.

Dices, in ordinatione tribuitur Diacono potestas prædicandi illis verbis: ***Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro vinis, quam defunctis in nomine Domini.*** Quæ non potest esse alia potestas, quam ordinis, nam in ordinatione ea solum confertur, & non ea iurisdictionis.

72 ℞. Confertur potestas non prædicandi, sed tantum legendi Euangelium in Missa; prædicatio enim fit extra Missam, nec pertinet ad missam. Confirmatur, quia si esset potestas ordinis, non posset quis simpliciter prohiberi à prædicatione. Adde, quod laicus prædicans adhuc validè prædicat, & tamen caret quacumque potestate ordinis, ergo actus prædicationis non est actus ordinis, cum possit aliunde prouenire.

Quæres 10. An potestas vtraq; ordinis Sacerdotalis cõsecrãdi, & cõficiendi Sacramẽta sit eiusdẽ rationis, & æqualitatis in omnibus Sacerdotibus, Papa, nimirum, Episcopis, Parochis, & simplicib. Sacerdotibus?

73 ℞. Est omninò eadem, quia prouenit ex Sacerdotali caractere, non ex gradu Papatus, vel Episcopat⁹ aut Parochiatus; sed caracter Sacerdotalis idem est, quia fundatur in ordinatione eiusdem rationis, ergo potestas ab illis proueniens est eiusdem rationis. *Confirmatur* quia illi tres gradus in nullo diuersificant huiusmodi potestatem, nam Papatus potest antecedere, & postcedere sacerdotium, quod idem euenit respectu Parochiatus, nam quandoque electus in Papam nondum est Sacerdos, neque deputatus in Parochum interdùm est Sacerdos, sed postea consecrantur tales, vt possint suis vti officiis. Episcopatus verò licet non possit reperiri sine sacerdotio, ex omnium
74 sententia Catholicorum, quod supponit, tamen potestatem sacerdotij nam minuit, nec mutat, sed relinquit in suo statu, illi solum superaddens nouam potestatem, nam Sacerdos consecratus Episcopus potest conficere Sacramenta confirmationis, & ordinationis, quod facere non poterat ante, quando erat simplex Sacerdos, additur ergo potestas noua nimirum ordinis Episcopalis potestati ordinis tantum Sacerdotalis. Sed de hac re melius in sequenti quæstione.

Quæres 11. An in Episcopo sit alia potestas ordinis dicta Episcopalis diuersa à potestate ordinis sacerdotalis huic superaddita?

75 ℞. Affirmatiuè, *Tum quia*, potestas ordinis Episcopalis supponit potestatem ordinis Sacerdotalis, nam ita cõnectitur potestas Episcopalis Sacerdotali, vt ea conferri non possit nisi existenti iam Sacerdoti, nam licet non sit essentialis subordinatio inter septem ordines, quia per saltum ordinati, validè, licet non licite, sunt initiati, tamen ante sacerdotium quis non potest 76
fieri validè Episcopus, quia est subordinatio essentialis, nam Episcopatus includit sacerdotium, præsbyteratus verò nequaquam diaconatum, vt docent communiter, *cum Becano de sacram. ordin. q. 3. n. 4. Cassens. de Sacram. ord. num. 9.* Tum quia diuersis temporibus initiantur Sacerdotes, & Episcopi. *Tum quia*, omnes actus Sacerdotales possunt fieri per Episcopum, non verò actus Episcopales per potestatem sacerdotalem, nam Sacerdos non potest ordinare, nec confirmare, sicut facit Episcopus. Et in hoc nulla est difficultas.

Quæres 12. An maior sit potestas Episcopalis Sa- 77
cerdotali? Notandum est, quod vna res potest dici maior alia duobus modis. Primò maioritate perfectionis, sic Angelus dicitur maior homine Psal. 8. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* De Ioanne dicitur Matth. 11. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Ioannes Epist. 1. c. 5. n. 9. dicit, quod testimonium Dei maius est testimonio hominum. Secundò maioritate potestatis, de qua Matth. 20. 25. *Et qui maiores sunt potestatem exercent in eos.* Ioan. 13. 16. *Non est seruus maior Domino suo, neq; Apostolus maior est eo, qui misit illum.* Adde, quod vnum dicitur maius alio extensiuè, quia refertur & se extendit ad plura.

℞. Episcopalem potestatem esse maiorem sacerdo- 78
tali illis tribus modis, nam vtraque refertur ad verum Christi corpus, & præterea Episcopalis etiam ad confirmationem, & ordinationem, ad quas se non extendit sacerdotalis, ergo illa est maior ista. *Confirmatur*, 79
quia ex subordinatione inferiorum, & superiorum colligitur maioritas vnius supra aliud, sed Episcopatus est supra præsbyteratum, cum fiat gradatim ascensus à minoribus ad maiora, ergo Episcopatus est maior præsbyteratu, consequenter potestas Episcopalis est maior potestate præsbyterali, qualis enim est ordo talis est eius potestas.

Nec obstat, quod potestas offerendi sit præcipua, & maior potestate Episcopali respectu Sacramentorum; quia cum Episcopatus includat præsbyteratum, ista comparatio non potest habere pro extremis vtramq; potestatem præcisè, sed cum adiectis, nam potestas sacerdotalis vtrique communis est æqualiter.

Deducitur idem & Tridentino 23. can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse præsbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum præsbyteris communem, &c. Anathema sit.* Alia ergo est potestas ordinis in præsbytero, alia in Episcopo, & sicut Episcopus est maior Sacerdote, ita & Episcopi maior est potestas potestate præsbyteri.

Quæres 13. Ad quæ se extendat potestas ordinis Episcopalis supra Sacerdotalem?

℞. Ad tria, ad confectionem Sacramentorum Con- 80
firmationis, & Ordinis, vt patet ex definitione Tridentini allegata superius, tertiò ad consecrationem rerum, & personarum, de quibus cap. Quamuis 4. dist. 68. cap. Aqua 9. de consecr. Eccles.

Dices, Abbates carentes potestate Episcopali conferunt ordines Minores, vt in confesso est apud omnes, & pariter consecrant calices. Similiter summus Pontifex potest committere simplici Sacerdoti collationem Sacramẽti Confirmationis, immò & confectionẽ ordinũ exceptis Præsbyteratu, & Diaconatu: ergo id non est munus solius Episcopi, consequenter ad hæc conficienda non est necessaria potestas Episcopalis.

℞. Episcopũ esse quidẽ ministrũ ordinariũ prædicto- 81
rum triũ, vt docent omnes, & de fide tenẽdũ, vt supra, solius verò eiusd Episcopi, esse ordinare sacerdotem, vt

vt colligitur ex Ep. 3. Damasi Epiphanio hæresi 75. & aliis S. Patribus, quos citat Becan. de Sacr. ord. q. 2. Quare ad hunc solum Præsbyteratus ordinem necessaria est potestas Episcopalis. In reliquis verò non est necessaria, sed sufficit sola potestas ordinis sacerdotalis, vt à posteriori colligitur ex vsu, & commissione facta à summis Pontificibus patet.

Quæres 14. Quid, & quotuplex sit potestas à clericatu iurisdictionis spiritualis?

82 ℞. Potestas iurisdictionis est illa, per quam fideles
reguntur, & iudicantur à Ministris Ecclesiæ. Et quia iudicium fieri potest duob. modis, secreto, & in foro conscientiæ, publice, & in foro externo, ideò duplex est huiusmodi iurisdictio, vna fori interioris conscietiæ per Sacramentum præsertim Pœnitentiæ, altera fori exterioris ad regendum, & iudicandum fideles. Illa supponit potestatem ordinis Sacerdotalis, hæc verò non, sed tantum ordinem clericalem, seu ad minus primam Tonsuram. Et hæc certa sunt apud omnes, & extra controuersiã, de qua re dixi supra n. 14.

Quæres 15. An potestas iurisdictionis necessaria sit in Sacerdote ad remittenda peccata?

83 ℞. Affirmatiuè, de fide credendum, & definitum in
Decreto Eugenij, & in Tridentino sess. 14. c. 7. Ratio, quia iudex non est, qui caret iurisdictione, ex Tride-
84 tino cit. tit. de foro compet. debet enim cogere subditũ
ad subeundum sententiam, vnde sine coactione iuris-
85 dictio non datur, l. fin. ff. de off. eius, cui mand. gl. si er-
go coërctionem c. Pastoralis 28. de off. deleg. sed Sacerdos in hoc ministerio fungitur officio Iudicis cap. Nullus 1. 9. q. 2. c. 1. 13. q. 1. tit. de Paroch. ergo illi necessaria est jurisdictio, sine qua lata sententia non tenet. Confirmatur ex differentia aliorum Sacramentorum, quæ sine hac iurisdictione validè conferuntur, licet quandoque illicitè non petendo licentiam eorum,
86 à quib. est petenda. Demum absolutionem Sacramen-
talem esse actum iudicialem definiuit Tridentinum sess. 14. can. 9. ex quo patet prædicta esse de fide. Vide Suar. *de Pœnit. disp. 16. sect. 3. n. 4.* Ita sentiunt omnes sine vlla discrepantia.

Quæres 16. A quonam conferatur hæc iurisdictionis potestas Sacerdotibus ad absoluendum?

87 ℞. Potestas iurisdictionis ad absoluendum Sacer-
dotib. immediatè confertur per Ecclesiæ Prælatos, nimirùm, Papam, Episcopum, & alios superiores ordinarios.

Probatur primò, quia per ministros Ecclesiæ aufertur, vt notum est, ergo & per eosdem confertur, nam institutio & destitutio pari passu currunt, vt patet ex titulo de Instit. non enim maior facultas necessaria est ad vnum, quam ad alterum, vnde vnumquodque destruitur eo modo, quo inductum fuit, *l. Nil tam naturale ff. de reg. iur. c. 1. eod.* res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, ac proinde destructio requirit easdem solemnitates, quas postulat factio, *l. Hæredes palam, § si quid post ff. de testam.* Quare cum manifeste constet, destitutionem confessarij fieri ab Ecclesiæ Ministris, signum est, quod eorundem institutio quoad potestatem iurisdictionis, dependet omninò à Ministris Ecclesiæ, Confirmatur id ex differentia potestatis ordinis receptæ in ordinatione, quæ à nullo Ministro, nec per Papam auferri potest, sicut aufertur potestas iurisdictionis, quæ differentia oritur ex duplici capite, nimirum ex modo quo datur, & ex conditione rei datæ, nam Deus est, qui immediatè confert potestatem ordinis indiuisibiliter consequentem ad caracterem Sacerdotalem, cuius conseruatio est solùm sub diuina dispositione, ideò auferri per hominem non potest, nam datum à superiore auferri non potest ab inferiori *cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de maior.* sicut aufertur iurisdictio, quod signũ est dari ab homine. Conditio potestatis ordinis ea est, vt sequatur qualitatem caracteris, cum quo necessariò connectitur ac proinde cum caracter per humanã potestatem sit indestruibilis, consequens est, vt potestas illi annexa sit omnino indestruibilis. Potestas verò iurisdictionis cùm non pendeat à caractere, licet illum supponat, necesse est quod ab homine tantum proueniat, ac proinde, quod per illum sit destruibilis.

Secundò, Sacrum Concilium Tridentinum sess. 14. can. 11. de fide decernit, Episcopum habere ius reseruandi sibi casus, & prohibendi Sacerdotibus, ne ab illis absoluant, ergo de fide est, potestatem absoluendi consistentem in iurisdictione esse sub dispositione Episcoporum, qui possunt dare, & auferre potestatem Sacerdotibus. Et cum hoc ius reseruationis competat Episcopis de iure, & ex officio, necesse est, quod in eis fuerit ab origine Ecclesiæ; id autem insinuat idem Concilium, dum eadem sess. 14. cap. 7. decernit: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse, Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Supponitur ergo à Patribus hic Sacerdotem in ordinatione non recipere iurisdictionem, sed illi aliunde prouenire, si enim Sacerdos effectus iurisdictionem consequeretur ex vi ordinationis, omnis Sacerdos haberet iurisdictionem, ita quod nullus eã careret, quod aduersatur Tridentino, & Decreto Eugenij decernentis idem: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos habens* 88
auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Nemo negabit hanc auctoritatem ordinariam tradi à Pontifice Episcopis, & ab Episcopis institutis Parochis, qui supponuntur, Episcopi quidem ante Sacerdotes, Parochi verò vt plurimum præcedũt in Sacerdotio curam animarum, ergo hanc auctoritatem recipiunt extra ordinationem, de delegata verò, seu commissa nulli potest esse difficultas, eam non communicatur nisi existentibus iam Sacerdotibus, consequenter hæc extra ordinationẽ acquiritur. Confirmatur, quia casus accidere potest, quod quis nondũ Sacerdos habeat potestatem iurisdictionis, vt cum scilicet Clericus nondum Sacerdos promouetur ad beneficium curatum, licet non possit munus suum actu exercere, quia caret Sacerdotali potestate necessaria ad soluendum, & ligandum in foro Sacramentali; hæc autem traditur extra ordinationem, ergo per Ministros Ecclesiæ.

Sententia est, D. Thomæ *2. 2. q. 39. a. 3.* vbi distinguit duplicem potestatem spiritualem, vnam Sacramentalem, quæ per aliquam consecrationem confertur, aliam iurisdictionalem, quæ ex triplici iniunctione hominis confertur, Scoti *in 4. dist. 19.* Bonauenturæ *art. 3. q. 1.* Scoti *dist. 18. q. 4. art. 2.* cum multis aliis, quos pro se citat. Suar. *disp. 16. de Pœnit. sect. 3. n. 7.*

Aliorum opiniones in hac re referendæ sunt cum suis auctoribus, & fundamentis infra resoluendis, quæ in re conueniunt, asserentes, potestatem iurisdictionis conferri in ipsa ordinatione, & in re esse eandem cum potestate ordinis, quarum fundamentum accipitur ab auctoritate Sacræ Scripturæ. *Accipite Spiritum Sanctum,* &c. Nam reuera per ea verba Sacerdotes constituuntur actu iudices, non enim datur iudex sine iurisdictione. Explicatur autem id diuersis modis.

Modus primus explicandi est Armacani lib. 11. de quæstion. Armen. cap. 1. vbi vult eam iurisdictionem simpliciter conferri in ordinatione Sacerdotali, adeò quod statim ac quis est Sacerdos possit quoscumque indifferenter absoluere sine aliis requisitis, quia ex ordinatione constituitur iudex ex illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum.*

Contra primò, quia simplex Sacerdos nondũ approbatus attentando quẽquam absoluere, nullũ facit Sacramen

Sacramentum, in omnium ſententia, & hoc non niſi defectu iuriſdictionis. *Secundò*, ex hac opinione tollitur ius reſeruationis ab Epiſcopis contra definitionem Concilij, ex ſupradictis, nam reſeruatio limitat poteſtatem iuriſdictionis Sacerdotibus reſpectu certorum peccatorum, ergo iuriſdictio hæc non prouenit ex ordinatione, ſed ex humana poteſtate, aliter nec tolli, nec moderari poſſet.

89 Ad auctoritatẽ illam dico, ſub ea comprehendi tantum poteſtatẽ ordinis, ſeu Sacramentalem, non autem iuriſdictionis, quã Chriſtus noluit conferre Sacerdotib. ſed eam reliquit ſub diſpoſitione Prælatorũ Eccleſiæ diſtribuendã Sacerdotib. iuxta multitudinẽ fideliũ, & cum tunc Eccleſia cæpiſſet naſcere, nulla neceſſitas erat tribuendi immediatè omnib. hanc iuriſdictionis poteſtatem, ſed totam reliquit arbitrio Pontificis, vnde Clemens in Epiſt. 2. dicit: *Petrus non ſolum dicitur Princeps Apoſtolorũ, ſed etiam eorum ordinator.* Id eſt, ordinando, & præſcribendo illis poteſtatẽ ad abſoluẽdũ illos à peccatis, quib. eſſent prædicaturi; D. Thom. in 4. diſt. 24. q. 3. a. 2. q. 1. ad primum, idem dicit his verbis: *Quamvis omnib. Apoſtolis data ſit poteſtas ligandi, & ſoluendi, tamen ſoli Petro data eſt, vt hæc poteſtas in alios deſcendat.* Loquitur de poteſtate iuriſdictionis, aliter falſum diceret, quia Chriſtus, non Petrus Apoſtolis dedit poteſtatem ordinis. Adde, quod ſicut Chriſtus dedit omnibus Apoſtolis officium prædicationis, tamen diſtributionẽ Prouinciarũ non dedit, ſed hanc

90 reliquit Petro, vt teſtatur Turrecr. in c. Ita Dominus 17. diſt. 19. his verbis: *Petri auctoritate facta eſt diuiſio Prouinciarum, vbi Apoſtoli erant prædicaturi.* Idem ante ipſum dixerunt Archid. & Hugo ſuper dictum cap. his verbis: *Quilibet Apoſtolorum confirmationem, & auctoritatem prædicandi habuit à Petro*; ita & ab eodem Petro cæteri Apoſtoli habuerunt iuriſdictionem abſoluendi vltra poteſtatem ordinis ſibi collatam illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. Confirmatur, quia quã ratione ſummi Pontifices Calixtus relatus, *cap.* 1. 9. *q.* 2. Dionyſius *relatus cap.* 1. 13. *q.* 1. *Vrbanus* II. *relatus cap. Placuit* 3. *diſt.* 6 *de Pœnit.* & Generale Concilium, cap. omnis 12. de pœnit. potuiſſet prohibere, ne quis Sacerdos præſumeret iudicare alienum Parochianum? ſecuti ergo ſunt exemplum Petri cum illo diſtribuẽtes Prouincias, & Parochias cum expreſſa prohibitione, ne quis alienum, & ſibi non ſubditum iudicaret, abſoluendo, vel ligando. Et ſicut neceſſaria fuit Epiſcopatuum, & Parochianum diuiſio, & diſtributio, ne confuſio generaretur inter fideles, ita neceſſarium fuit, vt iuriſdictionis poteſtas emanaret ab humana poteſtate in Sacerdotes, ne vnus in alterius ſegetem falcem extenderet, vnicuique enim propria iuriſdictio ſeruanda eſt, ne confundatur ordo, *cap. Peruenit* 39. 11. *q.* 1.

Ad rationem dico, aliquem dici reuera iudicem, & talem conſtitui & tamen non poſſe iudicare, & ferre ſententiam ex defectu alicuius requiſiti neceſſariò ad valorem iudicij, & ſententiæ, vt quando ſunt dati plures iudices, qui ſimul iudicare debent, vnus ſine alio non poteſt ferre ſententiam, cap. Cum cauſa 22. de offic. delegat & tamen ſunt omnes conſtituti iudices. Pariter delegatus eſt iudex conſtitutus, & tamen non

91 recipit exercitium iuriſdictionis ſuæ, niſi à tempore præſentatæ, & receptæ commiſſionis, *cap. Super eo* 12. *de appellat. cap. Paſtoralis, de reſer. gl. v. ſi dicat. cap* 6. *debitus* 59. *de appellat. Gratian. diſcept.* 170. quia eius iuriſdictio pendet ex productione reſcripti, Bald. *in l. Falſus, C. de furtis. Gratian. loc. cit.* Applica prædictæ rationi. eſto per ordinationem Sacerdotalem præsbyter à Deo recipiat officium, & conſtituatur iudex ad abſoluendum, nihilominus id non ſufficit, ſed debet eſſe munitus cæteris requiſitis ad validè iudicandum, inter quæ neceſſaria eſt iuriſdictio conferenda à ſuperiore extra ſacram ordinationem, nam ſicut diſtributio Epiſcopatuũ, & Parochiarũ eſt in poteſtate maiorũ, ita & iuriſdictio, ſecundũ quam ligandi ſunt, vel abſoluendi ſubditi ſinguli à Miniſtro ſibi deputato.

Secundus modus eſt Nauar. *c.* 4. *n.* 2. *&* 3. *& in cap. Placuit diſt.* 6. *de Pœnit.* aſſerentis, Sacerdotem in ordinatione accipere iuriſdictionem habitualem, actualem vero ab Eccleſia, dum Epiſcopus v. g. alicui confert beneficium curatum, vel alias Sacerdoti committit officium confeſſarij aſſignando illi perſonas, quas iudicare debet. In eius autem poteſtate eſt aſſignare materiam, hoc eſt pœnitentes, qui confiteantur, & abſoluantur à Sacerdote, ac proinde prohibere poteſt Prælatus, ne Sacerdos exerceat iuriſdictionem ſibi ex ordinatione collatam. Hæc autem prohibitio, inquit ille, facta fuit per Vrbanum II. dum prohibuit cuilibet Sacerdoti, ne reciperet ad Sacramentum fidelem ſibi non commiſſum, dicens ante dictum Pontificem, Sacerdotes habuiſſe iuriſdictionẽm etiam actualem ſuper quoſcumque fideles.

Contra eſt primò, quia eadem iuriſdictio eſt, quæ de habituali fit actualis per exercitium, idem enim de potentia tranſit ad actum, nã dicitur habitualis quatenus habetur, ſed ſine exercitio, cui adiũctũ fit actualis, quare tota hæc iuriſdictio aut eſt ex ordinatione, quod dicendum non eſt, quia non eſſet limitabilis, aut ab Eccleſia, quod nos concedimus. *Secundò*, hæc habitualis iuriſdictio aut de ſe eſt perfecta, & ſic non eget cõſortio actualis, vt exeat in eſſe, aut imperfecta egẽs cõpleri ab Eccleſia, quod videtur abſurdũ, vt Eccleſia Dei factum imperfectum ſuppleat, & compleat, præterquamquod, id eſt, contra diuinam Scripturam, quæ proteſtatur, omnia Dei opera eſſe perfecta. *Tertiò*, ex ſupra probatis conſtat ante Vrbanum II diuiſas fuiſſe Parochias, ac proinde iuriſdictionẽ, conſequenter nec potuiſſe quẽlibet Sacerdotẽ curatum fidelẽ iudicare, ſed tantũ ſuũ Parochianũ. *Quartò*, quando Papa creat Epiſcopum talis ciuitatis, & Epiſcopus Curatum talis Parochiæ, intelligitur primò ius acquiſitum Epiſcopale, & Parochiale includẽs iuriſdictionem eiuſmodi, per quod referũtur ad ſuos ſubditos, ergo prius intelligitur eſſe iuriſdictio in illis, & deinde per illam reſpicere populũ ſibi creditũ virtute poteſtatis huiuſmodi.

Tertius modus eſt Caiet. tom. 1. opuſc. tr. 7. vbi ait, ex parte principij actiui, quod eſt poteſtas ordinis per ſe remiſſiuum peccati, nil aliud requiri, iuriſdictionẽ verò aliã ratione nõ requirit, niſi vt applicantẽ materiã, quæ applicatio cõtingit per voluntariã ſubiectionem pœnitentis coram Sacerdote, qui vti reus, & actor ſe poteſt voluntariè ſubiicere, & quaſi iudicem arbitrum eligere Sacerdotẽ, qui ex parte ſua non habet iuriſdictionẽ, ſed eam acquirit à partib. litigãtib. quæ ſibi illum voluntariè eligunt. Quare iuriſdictio ex parte ſacerdotis nõ eſt neceſſaria, cum habeat poteſtatem ordinis, ſed tantum ex parte pœnitentis, quia Sacramẽtalis abſolutionis principium non eſt iuriſdictio, ſed poteſtas ordinis. Vide Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 3. *n.* 10. *Becan. de ſacr. ord. q.* 7. *Caſpenſ.* de ſacram. pœn. q. 5. ſect. 2.

Contra eſt primò, quia ſupra probatum eſt, propter poteſtatem ordinis, Sacerdotem habere etiam aliam poteſtatem, quæ vocatur iuriſdictionis, & ſe tenet immediatè ex parte Sacerdotis, in quo requiritur hæc iuriſdictio ante quẽlibet pœnitentẽ, vt apertè definitur in decreto Eugenij, & Tridentino. *Secundò*, inconueniens eſt, & omnino improbabile, quod Sacerdos in vſu Sacramentalis abſolutionis recipiat iuriſdictionem à pœnitente, & ab eo dependeat. *Tertiò*, abſurdum eſt, quod iuriſdictio in confectione huius Sacramenti proueniat à laicis, vt proueniret ex Caietano, ſi Sacerdos à pœnitentibus tanquam arbiter eligeretur, nam arbiter totam iuriſdictionem à partibus accipit. *Quartò*, arbitrium, & iudicium lege 92

differunt, secundum *gl. v. Nisi de his, cap. Cum dilectus 6. de arbitr.* absolutio autem Sacramentalis importat veram rationem iudicij, vnde *sess.* 14. *can.* 9. de fide
93 definitur esse actus iudicialis, ergo hæc iurisdictio non potest tribui confessario sub nomine arbitrij, si non habet rationem veri iudicij. *Quintò*, arbiter non
94 habet propriè iurisdictionem, l. Prætor ff. de iudic. quia nullus priuatus, cuiusmodi sunt litigantes, potest conferre iurisdictionem, *l. Priuatorum 3. C. de iurisd. om. iud.* vnde iurisdictio est maior arbitrio, *gl. fin. cap. Cum 41. de off. deleg.* Sacerdos ergo hoc modo comparatus arbitro nullam acquirit iurisdictionem à pœnitentibus, quæ est necessaria ad validam absolutionem; non sufficit autem quælibet iurisdictio analoga, sed debet esse propria, & vniuoca cum actu, quem producit, si enim actus absolutionis Sacramentalis est propriè iudicialis, vt definit Tridentinum, talis quoque debet esse iurisdictio illum producẽs. *Sextò*, arbitrium est inter reum, & actorem personas distinctas coram arbitro, quæ distinctio non datur in pœnitente, qui vnica est persona coram sacerdote, respectu cuius habet solum rationem rei, & nulla ratione actoris, cum alium extra se non accuset; sed seipsũ reprehendit, vt sibi prosit, & nulli noceat. *Septimò*, applicare materiam, seu se subiicere Sacerdoti in hoc foro non est dare iurisdictionem, cum is sit actus superioritatis, non subiectionis; & id esset iudicare seipsum ministerio tertij, qui aliunde non haberet potestatem nisi à iudicato. *Octauò*, sequitur simplicem Sacerdotem posse quemlibet absoluere, si illi se subiiciat, si ex hac subiectione statim resultet iurisdictio in Sacerdote, vt vult Caiet. consequenter frustratoria, & nulla esset Ecclesiæ prohibitio. *Nonò*, iurisdictio hæc proueniens à pœnitente vocatur passiua, ergo illi correspondere debet actiua ex parte Sacerdotis, secundum Philosophos, non enim datur vna sine alia, præterquamquod omnis potestas seu iurisdictio habet rationem actiui ex productione sui effectus. *Decimò*, sequitur pœnitentem aliquo modo sibi ipsi remittere peccata, cum sine ea iurisdictione in hoc foro remitti non possint, si se habet vt arbiter conferens potestatem.

Dices, tota potestas abluendi à peccatis tribuitur Deo, qui Sacerdotibus illam confert in ordinatione, vnde bene dicitur: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius*, &c. Nequaquam verò dicitur auctoritate Ecclesiæ, neque Pontificis, ergo omnis potestas necessaria ad absoluẽdũ est à Christo.

℞. In absolutione potestatem Ordinis ex parte Dei, & iurisdictionis ex parte Ecclesiæ esse necessariam, non esse tamen necessariam expressionem Ecclesiæ, sed sufficere expressionem Christi Domini licet non requiratur ad valorem Sacramenti, sed tantum ex præcepto Ecclesiæ, *Primò*, quia Sacerdos non repræsentat personam Ecclesiæ, sed Christi Domini, cuius nomine absoluit. *Secundò*, exprimitur non de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ præscribẽtis, formam, qua omnes Sacerdotes vti debent, non vt indicet à solo Deo omnem, & vtramque potestatem. *Tertiò*, quando concurrunt duæ causæ superior, & inferior sufficit nominare maiorem ex præeminentia supra aliam inferiorem.

95 Quæres 17. A quonam recipiat potestatem iurisdictionis Sacerdos electus à Papa in confessarium?

℞. Papa ratione Sacerdotis habet potestatem absoluendi ordinis, quatenus verò Papa habet iurisdictionem amplissimam, & generalissimam ad quæcumque ac proinde etiam in foro Sacramenti sibi per Christum immediatè communicatam, quam delegat confessario à se electo.

Prima pars de se patet, quia si est Sacerdos, par est aliis in ea potestate, cum omnibus Sacerdotibus ex vi ordinationis conferatur, si nondum est, initiatur, & cum non debeat esse deterioris conditionis, sed melioris, sine dubio à Deo recipit potestatem ordinis.

Secunda pars probatur, quia electo legitimè Pontifici à Deo immediatè confertur omnis potestas ad regendum totum mundum, vt infra patebit, ergo & hæc iurisdictionis potestas, vt possit sacramentaliter ligare, & absoluere fideles. Confirmatur, tum quia omnis potestas ab eo deriuatur in omnes Sacerdotes, & alios ministros, cap. Ita Dominus 7. dist. 19. sed omnes Sacerdotes electi in confessarios habent ab illo, vel eius ministris Episcopis, & aliis, eiusmodi iurisdictionem, ergo multo magis illam Papa habet, quia nemo dare potest, quod non habet, si ergo dat, signum est, quod illam prius habet in se. Tum quia sicut alij Parochi habent eam iurisdictionem, ita & Pontifex, qui est Parochus Parochorum habens pro sua Parochia totum mundum, & vniuersum orbem. *Barbatia de præstant. Cardin. par. 1. q. 2. Probus ad Monachum in proem. l. b. 6. n. 77. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. §. 1. proœmial. n. 7.*

Tertia pars probatur, quia alia ratione Sacerdos à Papa electus non potest dici absoluere ipsum Pontificem, nisi per iurisdictionem sibi collatam, cum alia assignabilis non sit, nisi hæc, nam dici non potest Confessarium Papæ, si sit alias Episcopus, vel Parochus, aut alio titulo confessarius, absoluere eundem Pontificem, vno ex dictis titulis, quia in eo casu iurisdictio spiritualis non tota emanaret à Pontifice in fideles, si ipse absolueretur à Sacerdote iurisdictione non propria, sed aliena, vti faciunt alij fideles; præterquamquod sequeretur vera, & stricta subiectio in Pontifice ad Confessarium, quod dicendum non est, propter eminentiam suæ dignitatis, quæ non patitur, vt aliena potestate, & iurisdictione humanis indigeat, sicut omnes alij vti illius subditi, tam clerici, quam laici, quorum potestas à Pontifice Romano dependet.

Dices, nemo sibi ius dicere potest, nec in seipsum 96
iurisdictionem exercere, l. vn. C. Ne quis in sua causa, l. Iurisdictioni ff. de iurisd. omn. iud. neque seipsum absoluere, ergo neque dare alteri facultatem, vt absoluatur, cum id sit seipsum absoluere, nam debet esse distinctio inter absoluentem, & absolutum, sicut inter iudicem, & reum; constat autem hanc distinctionem non posse verificari inter confessarium electũ, & Papã eligentem, quia pro eadem persona reputantur in iure delegans, & delegatus, nam is repræsentat personam delegantis, *ex cap. fin. dist. 93. cap. 1. dist. 94. gl. v. Impendant, extr. com. 2. de sepult.* ideò faciunt vnum tribunal, *cap. 2. de consuet. in 6.* vnde delegatus nihil proprij habet, sed alienam exercet iurisdictionem *ex gl. citata.* Nauar. *consil. 8. de off. deleg.* Quare ex his Papa eligendo nondum confessarium videtur seipsum absoluere exercitio, & ministerio alterius, si nullam habet iurisdictionem, nisi sibi à Papa collatam.

℞. Prædicta non obstare, quando ius dicitur in seipsum voluntariè ministerio tertiæ personæ, quia hic spectantur duo actus, primus communicatio potestatis, secundus executio eiusdem consistens in absolutione, vterque igitur accidit inter personas distinctas, quod sufficit, ne quis dicatur in seipsum exercere iurisdictionem, nam exercitium est ab vno in alium, non in seipsum, respectu cuius patiens circa se exercitium non spectatur vt communicans iurisdictionem, sed vt recipiens beneficium proueniens à persona, cui iurisdictio fuit communicata; nam Papa vt absoluitur reus est, vt communicat iurisdictionem Sacerdoti Papa est, & superior.

Colligitur hinc alterius rationis esse potestatem iurisdictionis collatam summo Pontifici à iurisdictione collata aliis Ecclesiæ Ministris in ordine ad causam illius productiuam, nam iurisdictio Pontificis imme

immediatè emanat ab omnipotente Deo, aliorum verò Sacerdotum habetur à Prælatis Eccleſiæ. Ex quo etiam patet, verius eſſe, eam eſſe Eccleſiaſticam, & non Sacramentalem inchoatam perficiendam aſſignatione, vel applicatione ſubditorum, quia nemo eſt, qui Pontificem poſſit alteri ſubiicere, neque eius poteſtatem perfici ab aliquo eius ſubdito.

Quæres 18. A quonam Sacerdotes ſimplices habeant iuriſdictionem abſoluendi in articulo mortis?

97 ℞. Habent ab Eccleſia. 1. à ſummo Pontifice, vt colligitur ex Tridentino ſeſſ.14. cap.7. fine: *Verumtamen piè admodum, ne hac occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Neceſſitas, ne quis pereat, certo omnibus perſuadet, quoſlibet Sacerdotes pro articulo mortis habere iuriſdictionem abſoluendi ab Eccleſia: *In eadem eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit.* Ideſt Papa, qui eſt paſtor, & caput Eccleſiæ, ſemper dedit hanc facultatem omnibus ſacerdotibus, aliter non prouideret ſufficienter ſaluti ouium ſibi commiſſarum. Poteſtas hæc competit omnibus Sacerdotibus ſimplicibus, ſiue bonis, ſiue malis, ſiue doctis, ſiue indoctis, fidelibus, ſiue hæreticis, ſchiſmaticis, ſeu

98 apoſtatis, & degradatis, vt inſinuat dictio illa, *omnes*, quæ omnes Sacerdotes includit cuiuſcumque ſint qualitatis, & conditionis *l.1.ff.de legat.*1. Decius *conſil.*597.*n.*1. Surd. *conſil.*73.*n.*62. & magis intenditur propoſitio definita ſigno vniuerſali, quam illo carente, iuribus allegatis docet Nauar. *conſil.9. de iis, quæ vi. n. 5. conſil. 5. de ſtatu monach.* atque tantam vim habet vt includat, quæ alias non comprehenderentur, Bart. *in l.Cum rem C.com.de legib. n.*1. Quare ex ea vniuerſali bene infertur, Sacerdotes omnes, qui licet illis qualitatibus affecti alias excluderentur ab hoc munere Sacramentali, habere iuriſdictionem fauore fidelium in extremis laborantium. Ea quoque dictio, *Quoslibet*, quæ eſt vniuerſalis, indicat, eiuſmodi iuriſdictionem procedere tantum à Sũmo Pontifice, qui omnium eſt paſtor, & rector per vniuerſum orbem, per quod apparet cunctis fidelibus fuiſſe prouiſum, circa ſalutem animarum in tam extremo periculo, qualis eſt articulus mortis; ſi enim hæc poteſtas proueniret tantum ab Epiſcopis, non abunde, non ſufficienter prouiſum fuiſſet, quia Sacerdos vnius Epiſcopatus non poſſet abſoluere fidelem in extremis laborantem alteriùs Epiſcopatus, quilibet ergo Sacerdos quemlibet fidelem in quolibet loco abſoluere poteſt in articulo mortis.

99 Supradicta intelligenda ſunt, vt ſimplex Sacerdos valeat abſoluere exiſtentem in articulo mortis, quando non adeſt copia Sacerdotis alias approbati, & Confeſſarij, nam ſi adeſt, non poteſt ſimplex Sacerdos nondum Confeſſarius id munus exercere, quia in Eccleſia id ſemper cuſtoditum fuit, vt nempe ſimplex etiam Sacerdos poſſit quemlibet exiſtentem in articulo mortis abſoluere, eo fine, *ne aliquis pereat*, inquit Tridentinum, aliquis autem perire non poteſt defectu Confeſſionis, quando habet copiam Confeſſarij, in quo caſu ſimplex Sacerdos nullam habet iuriſdictionem, quæ illi intelligitur communicata ſolum defectu confeſſariorum. Rem hanc, fusè tractaui Reſol.36.à n 58.

Quæres 19. An iuriſdictio neceſſaria ſit reſpectu venialium, & mortalium aliàs ritè remiſſorum?

100 ℞. Affirmatiuè, quia omnis actus iudicialis requirit iuriſdictionem, aliter attẽtatus inualidus eſt, *l.*132. *ff.de reg.iur. & in 6. reg.*26. etiam actus abſolutionis Sacramentalis ex Tridentino *ſeſſ.*14.*cap.*7. Sed actus abſolutionis Sacramentalis eſt actus iudicialis, de fide definitum ibidem Can.9. ergo poſtulat in Sacerdote iuriſdictionem. Validum eſt argumentum, vt quod fundatur quaſi de fide, in Tridentino.

Sed quis reſpondebit, illud procedere reſpectu peccatorum mortalium, non venialium, reſpectu quorum quilibet Sacerdos ſimplex poteſt ab illis abſoluere poteſtate iuriſdictionis delegatæ ab vniuerſa Eccleſia, hoc eſt, à Pontifice, ita quod nullus illi inferior eam tollere poteſt à Sacerdotibus, vt docet Suar. *diſp.*26. *de Pœnit.ſect.*5. *num.*5. & 10. Sotus autem *diſt.* 18.*q.*4. *art.*2. *ad* 2. dicit, Sacerdotem nulla egere iuriſdictione, quia non poteſt cogere pœnitentem ad Confeſſionem venialium, nec ligare ad ſatisfactionem ſubeundam, conſequenter fruſtratoria eſt talis iuriſdictio, nullo modo igitur eſt neceſſaria. Alij dicunt, neceſſariam eſſe eiuſmodi iuriſdictionem, quam Sacerdos habet à pœnitente voluntariè ſe ſubiiciente Sacerdoti, Caiet. ſupra allegatus. Alij dicunt habere illam iure diuino in ordinatione, loquendo conſequenter ad opiniones ſupra relatas, & reiectas.

Contra eſt, quia allatum argumentum eſt generale, primo quidem, quia abſolutio Sacramentalis data ſuper venialibus non minus eſt iudicialis actus, quam collata ſuper mortalibus; nam abſolutio reſpectu venialium refertur ad duo, ad remiſſionem peccatorum, & ad ſubeundam pœnam eis debitam, ad quam tenetur pœnitens ſaltem ſub veniali, & ideo illa legari poteſt à Sacerdote, ergo is indiget iuriſdictione cogente. Adde quod ſi accedat indiſpoſitus non poteſt abſolui à venialibus in hoc foro, conſequenter poteſtate hac iudiciaria intimatur à Sacerdote legatus remanere in foro Sacramentali. Quare abſolutio data, vel non data ſuper venialibus ex indiſpoſitione pœnitentis eſt vere, & propriè actus iudicialis; ex quibus patet ad rationem Soti. *Secundò*, dum Tridentinum ea ſeſſ. 14. Can.9. definit, abſolutionem eſſe actum iudicialem, non diſtinguit, neque explicat, reſpectu quorum peccatorum ſit actus iudicialis, ergo neque nos diſtinguere debemus reſtringendo actum iudicialem ad mortalia, imò illa definitio comprehendit non ſolum mortalia, ſed etiam venialia, quia in cap.5. vbi agitur de hoc Sacramentali iudicio, fit mentio non ſolum de peccatis mortalibus, quæ ex neceſſitate ſubiiciuntur clauibus Eccleſiæ, verum etiam de venialibus, quæ taceri poſſunt in hoc foro, ac proinde non niſi voluntariè ſubiici poſſunt huic iudicio, ergo ſi ſubiiciantur huic foro, non poſſunt iudicari niſi actu iudiciali præſtando per Sacramentorum abſolutionem. *Tertiò*, ad abſoluendum à venialibus, & mortalibus alias rite remiſſis licet neceſſaria ſit iuriſdictio, eam tamen ab vniuerſa Eccleſia prouenire non eſt neceſſe, quia cum aliis remediis expiari poſſint venialia, vt dixit Tridentinum citato cap.5. nulla ratio dictat, Eccleſiam debere hanc iuriſdictionem communiter indulgere omnibus Sacerdotibus, ſiquidem ſi omnibus Sacerdotibus eam facultatem tribuit in articulo mortis, ex eodem Tridentino ſeſſ. 14. capite 7. reſpectu mortalium, ad hoc neceſſitatur facere, ne fideles in peccato mortali pereant, quæ ratio cum non militet reſpectu venialium, per quæ à gratia Dei non excluduntur fideles, qui eadem aliis remediis delere poſſunt, ideò nulla ratio ſuadere poteſt, Eccleſiam ſimplicibus Sacerdotibus communicaſſe eam iuriſdictionem pro etiam venialibus, eſt enim fruſtratoria, cum extet vbique copia confeſſariorum, qui ſuper vtraque peccata tam mortalia, quam venialia poteſtatem habent. Quare cum ex probatis conſtet abſolutionem non ſolum mortalium, ſed etiam venialium eſſe actum iudicialem, qui ex ſua natura poſtulat iuriſdictionem, ſequitur Sacerdotem ſimplicem abſoluere non poſſe à venialibus, nec mortalibus rite alias

remissis, nisi habeat iurisdictionem, quam constat non habere ab vniuersa Ecclesia cum id non sit necessarium, sed superuacaneum ex probatis attenta differentia mortalium in articulo mortis, & venialium, quæ huic articulo non sunt subiecta, eo quod aliis remediis semper paratis ex parte venialiter peccantis, tolli possunt; nec practicari apud Episcopos, & alios prælatos, non enim legitur, nec nunquam auditum fuit quemquam ex illis dedisse simplicibus Sacerdotibus licentiam absoluendi à solis venialibus, aut mortalibus alias ritè remissis. *Confirmantur* prædicta ex Tridentino sess. 23. c. 15. vbi dicitur, quod quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem obtineat. Hæc approbatio, quæ præter potestatem ordinis, includit iurisdictionem, ea enim posita resultat iurisdictio in approbato, refertur ad Presbiterum eam habentem potestatem ordinis, ac proinde super non tantum mortalia, sed etiam venialia, quia sine ea nullus omninò absoluere potest nec etiam à venialibus de fide definitum in supradictis locis, ergo sicut approbatio refertur ad vtrumque ita & iurisdictio consequens approbationem. Quare simplex Sacerdos absoluens præcisè, & solum à venialibus non approbatus punitur ab Episcopo, licet alias constet absoluisse tantum ab illis, quia caret approbatione, & iurisdictione, consequenter etiam nulla & data sententia absolutionis.

Quæres 20. Quid dicat approbatio præscripta à Concilio Tridentino sub sess. 23. c. 15. his verbis.

101 *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & consuetudine quâcumque etiam immemorabili non obstantibus.*

102 ℞. Approbatio est licentia ad audiendas confessiones regulata per iudicium idoneitatis factum in ordine ad id munus, ad quam necessario sequitur iurisdictio. Sine huiusmodi approbatione obtenta, attentata absolutio nulla est, etiam respectu quorumcumque Regularium.

Prima pars de approbatione quod sit licentia, & quid condistinctum à iudicio idoneitatis, & à iurisdictione, multis probata fuit *à me Resolut. 36. quæst. 5. à num. 29.* Et confirmatur, tum quia approbatio hæc mediat inter iudicium, & iurisdictionem, ergo neutrum illorum est, sed quid tertium inter illa extrema, consequentia hæc tenet, & quia medium refertur ad extrema alia ab ipso, ne idem referatur ad seipsum; & quia mediator ponitur inter duos, Paulus ad Galat. 3. *Mediator autem vnius non est.* Antecedens suadetur, quia iudicium præcedit approbationem, quam sequitur iurisdictio, neque enim licentiatur persona ignota licentianti, ergo necesse est, quod iudicium idoneitatis ad id munus, ad quod approbatur quis; præcedat approbationem, & cum approbatio sit ad aliquod munus obeundum postulans iurisdictionem, vt requirit Sacramentalis absolutio quatenus est actus iudicialis, ex probatis supra, necesse quoque est, vt illá sequatur iurisdictio, sine qua hoc munus exerceri non potest, mediat ergo mediatione ordinis approbatio inter illa duo, nam iudicium est dispositio ad approbationem, & approbatio conditio, sine qua non confertur iurisdictio Sacerdoti non iudicato, non approbato. *Tum quia* in concursu beneficiorum, qui bene responderunt iudicantur idonei, & tamen ex hoc non possunt excipere confessiones, nisi approbentur. Pasqual. q. 197. de Iubilæo ex Ludouico à Cruce. *Tum quia,* in literis Episcoporum huiusmodi approbatio vocatur facultas, & licentia concessa confessariis. *Tum quia,* iurisdictio procedit à voluntate. 1. iudicium. ff. de iudic. cap. Super quæstionum §. Intentionis, §. Porro, de off. deleg. non ab intellectu, nisi regulante antecedenter per iudicium idoneitatis, ergo licentiâ hæc aliud est à iudicio, quod supponit.

Secunda pars, quod iurisdictio necessario sequatur ad approbationem, probatur. *Tum quia,* frustratoria esset approbatio, quia per eã Sacerdos non posset fungi officio suo, si non haberet iurisdictionem, necesse ergo est, quod ad eam sequatur *Tum quia,* expressa voluntas licentiantis Episcopi est, vt actu approbatus excipiat confessiones, ergo & vt habeat iurisdictionem, sine qua nulla est absolutio ex Tridentino sess. 14. cap. 7. *Tum quia*, inseparabilis est iurisdictio ab approbatione, cum illa sit eius effectus formalis, quamdiu enim durat approbatio cum ea perseuerat iurisdictio. 103

Tertia pars de nullitate absolutionis sine approbatione probatur. *Tum quia*, actus gestus sine requisita forma est ipso iure nullus, Dec. *in l. Factum* 132. *ff. de reg. iur.* Felin. *in cap. cum ordinem de rescr.* latè Becc. *consil.* 12. *n.* 17. maximè quando simul confertur cum iurisdictione, ex eodem Felin. *in cap. Ex parte de constit.* cum aliis Bonac, *l.* 7. *de legib* §. 5. *num.* 17. sed approbatio est præuia forma ad iurisdictionem exercendam in foro Sacramentali, vt patet ex Tridentino, ergo absolutio data sine illa nulla est, tanquam data à Sacerdote carente illa. Tum quia negatio præposita verbo potestatis continet decretum irritans actum contra præscriptam formam gestum, Lopez apud Sanch. *l. b.* 6 *cap.* 11. *n.* 44. Nam clausula: *Non potest* aufert potestatem cui negatur, Decius *in cap. Decernimus de iudic. n.* 8. *per l Gallus, de liber. & posth.* Sed in illo decreto Concilij adest similis clausula: *Nullum etiam Regularem posse, &c.* idem enim est, ac si dixisset: *omnem non posse.* Ergo carens approbatione nullo modo potest absoluere, nec licitè, nec validè. Tum quia S. C. approbantibus Summis Pontificibus Gregorio XV. & Vrbano VIII. in B. N. sub Bulla 18. Gregorij XV. declarauit sub dub. 8. Confessiones factas per moniales coram superioribus electis, seu deputatis, aut confirmatis post publicationem Bullæ Gregorij XV. & scientiam eiusdem, non obtenta Episcopi approbatione, esse nullas, & irritas, ergo defectu approbationis absolutio nulla est; & hæc conclusio intelligenda est simpliciter, etiam respectu quorumlibet confessariorum, & pœnitentium, quia cum responsio S. C. sit legis interpretatio, huiusmodi declaratio super nullitate absolutionis datæ per carentem approbationem Episcopali comprehendebatur subobscurè in prædicto capite Tridentini nunc per dictam declarationem manifestata, ergo absolutio data per carentem approbatione, simpliciter est nulla. Confirmatur ex ea dictione *nisi* quæ taxatiua est, *l. Consulta C. de testam.* Couar. *de sponsal. cap.* 4. *part.* 2. §. 1. *num.* 8. formamque inducit, Osasch. *decis.* 174. *num.* 2. Felin. *in cap. In causis, de testib. n.* 10. Marc. Ant. *lib.* 1. *de resol. fin. casu* 42. §. *Pro Episcopo,* facit quoque dispositionem conditionalem, *l.* 2. *ff. de in diem addit.* Ant. Monach *decis. Lucens.* 67. *num.* 35. & operatur vt si desit conditio, nullus sequatur effectus, Tambur. *tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 12. *num.* 6. Quare in Tridentino inducit conditionem, & formam, ac proinde, si illis Sacerdos caret; inualidè absoluit. Est communis doctrina, & sæpius respondit S. C. Sacerdotem non

(margin: 104, 105, 106, 107)

non approbatum ab Episcopo extra articulum mortis inualide absoluere. Prædicta confirmantur per Bullas Pontificias quas afferam sub sequenti quæstione continentes decretum irritans.

Dixi, absolutionem datam à Sacerdote etiam Regulari non approbato esse nullam, & irritam, vt docent Suar. *disp.* 28. *de Pœnit. sect.* 1. Vasq. *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. *Regin. in praxi tom.* 1. *c.* 16. *q.* 5. Caspensis *cum aliis de Pœnit. disp.* 5. *sect.* 8. Sed quia res controuertitur in sequenti quæstione difficultas resoluetur.

Quæres 21. An priuilegia regularium, etiam inserta in corpore iuris excipiendi confessiones secularium cum sola præsentatione facta illos, coram Episcopo nolente eos admittere ad confessiones secularium, adhuc habeantur pro admissis? Consequenter possint id munus exercere sine approbatione, & contra voluntatem Episcopi? Pro resolutione.

Notandum est, Bonifacium VIII. in sua extrauag, incip. *Super Cathedram*, sub tit. de sepult. volentem diuersis priuilegiis exaltare ordines Prædicatorum, & Minorum, præter alia indulsit eorum superioribus, vt certum numerum Sacerdotum eligerent pro audiendis secularium confessionibus subditorum Episcopis, coram quibus illos præsentarent, & peterent licentiam, vt hoc munus confessionis exercerent, nolentibus autem Episcopis licentiam concedere, Papa ex tunc eisdem Fratribus præsentatis, & reiectis concedit licentiam audiendi confessiones subditorum illorum Episcoporum, qui negauerũt licentiam. Quod priuilegium deinde reuocatum fuit per aliam extrauag. Benedicti XI. incip. *Inter cunctas*, sub tit. de Priuileg. & demum renouatum per Clem. *Dudum* 2. *de sepult.* cassando, & annullando illam Benedicti præfati, Attenditur ergo Clementina *Dudum*, quæ in terminis est ipsamet constitutio Bonifacij VIII. & dicitur constitutio Conciliaris, quia edita fuit in Concilio Viennensi, & ab eodem approbata.

108 ℞. Quæcumque priuilegia etiam in corpore iuris inserta, vt præcedens, & quæcumque consuetudines immemorabiles per illud Tridentini Decretũ, in causa audiendi cõfessiones secularium, omnino sublata sunt, Prout hoc idem multis probaui tom. 1. Resol. 36. à num. 6. & *Confirmatur*, primò ex Bulla 94. Pij IV. incip. *In Principis*, in qua Summus Pontifex reuocat omnia, & quæcumque priuilegia quatenus aduersantur statutis, & decretis Tridentini, in specie confessionalia ibi: *Et vt vocant confessionalia.* Et infra: *Indultorum, confessionalium, maris magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque.* Omnia ergo, & quæcumque priuilegia reuocantur, ergo & illud Clementinæ de confessariis Minorum, & Prædicatorum; nam ea vniuersalis dictio, *quarumcumque*,

109 comprehendens est omnia quæ alias non venirent, Aymon. *consil.* 294. *gl. in clem. de decim.* Rota *vol.* 1. *decis.* 368. *num.* 5. includit etiam maiora expressis, Roland. *vol.* 1. *consil.* 5. *num.* 44. Beccar. *consil.* 79. *num.* 9. Turrett. *vol* 1. *consil.* 48. *num.* 21. M. Anton. *lib.* 2. *resol.* 59. *casu* 12. §. *Cæterum.* Ergo per eas dictiones intelliguntur reuocata quæcumque priuilegia etiam ea, quæ exprimuntur in dicta Clementina.

110 Bulla subiungit clausulam. *Quorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & plenè insertis habentes.* Quæ tantæ est efficaciæ, vt operetur indiuiduam omnium expressionnm, ac si singula priuilegia nomine proprio enumerata fuissent ad verbum, Butr. *cons.* 2. *alias* 49. Felin. *in cap. Nonnulli num.* 6. Gomin. *consil* 65. *n.* 22. Aymon *consil.* 126. Afflict. *decis* 220. *num.* 10. Rubeu *part.* 4. *singul. claus.* 658. Feder. *consil.* 47. *num.* 2. Alex. *lib.* 2. *consil.* 216. *num.* 26. Mochadanus *decis.* 1. *de reser.* Cassador. *decis.* 28. *num.* 2. In materia priuilegiorum. Reuocantur ergo priuilegia regularium de confessione expressa in Clem. *Dudum*, & maximè cum in ea nulla sit derogatoria derogatoriarum, aut alia efficacior clausula, per quam non ita facilè valeant reuocari.

Confirmatur 2. ex Bulla 153. Pij V. incip. *Romani Pontificis*, in qua decernit, & declarat, Regulares cuiuscumque Ordinis etiam Mendicantes, Lectores, aut in Theologia graduatos non posse audire confessiones secularium, nisi sint prius approbati ab Episcopo, apponendo nullitatem, si secus factum fuerit, ergo signum euidens est, Tridentinum derogasse omnibus priuilegiis, etiam Clementinæ *Dudum*, quibus indulgebatur administratio pœnitentiæ absque approbatione Episcopi. Bulla autem hæc emanauit ad declarandum dictum Tridentinum, ac proinde sub illis verbis, *Non obstantibus priuilegiis*, comprehendi Clementinam, *Dudum.*

Confirmatur 3. Ex Bulla 155. Clem. VIII. incip. *Quicumque*, mandatis, Sacerdotes regulares non posse absoluere confratres, & non tantum seculares, nisi prius sint approbati ab Episcopo ad præscriptum Tridentini, & consequenter sub clausula illa comprehenditur Clementina. Continet autem Bulla decretum irritans, ac proinde nullæ sunt absolutiones datæ à quocumque regulari non approbato.

Confirmatur demum 4. Ex Bulla 92. Vrbani VIII. incip. *Cum sicut accepimus.* Qui omnia priuilegia audiendi confessiones sine præuiis examine, & approbatione Episcopi concessa etiam per viam communicationis reuocauit, quia per illa Regulares facile euertunt decretum Tridentini super hoc editum. Ex quibus deducitur, Regulares post Tridentinum nunquam potuisse nec licite, vel valide excipere confessiones secularium sine examine, & approbatione Episcopi, certum argumentum, per illud fuisse derogatum quibuscumque priuilegiis circa materiam confessionis Sacramentalis, ac proinde etiam Clementinæ. Continet decretum irritans, consequenter absolutiones attentatas esse nullas.

Oppositam sententiam valde probabilem inquit, Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 11. *num.* 4. docent Nauar. *cap.* 27. *num.* 264. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 59. *art.* 2. & 10. Miranda *tom.* 1. *q.* 45. *art.* 6. & 8. Finellus *cap.* 3. *de casibus reseru. num.* 3. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 4. Nimirum Sacerdotem regularem præsentatum ad formam Clementinæ Dudum, doctum, & idoneum, sed reiectum ab Episcopo, censeri approbatum, & habere iurisdictionem à Papa, ita quod illum priuilegium Clem. non est reuocatum per decretum Tridentini: *Priuilegiis non obstantibus*, quia per hanc clausulam 111
non derogatur priuilegiis insertis in corpore iuris, gl. 11. omni priuilegio *in Auth. Qua in Prouincia C. Vbi de crimin.* Felin. *in cap. Nonnulli, de reser. n.* 26. Sarnen. *in proœm. reg. q.* 5. *col.* 2. *Vers.* Et ista ratione, Rebuff. *consil.* 15. *num.* 34. Roman. *consil.* 498. *n.* 15. *& alij, quos citat.* Rubeus *part.* 4. *singul. claus.* 496. *num.* 4. Ratio, quia oportet vera iuribus concordare, *cap. Cum expediat* 29. *de elect. in* 6. *l. vn. C. de inoff. dot.* Vitandæ enim sunt eorum correctiones, quantum fieri potest, *l. Præcipimus, C. de appellat.* Leges enim, & statuta ita debent intelligi, vt nec iuri communi, nec priuilegio derogetur. *Cap. Cum dilectus* 8. *de consuet.* Neque enim credendum est, Romanum Pontificem, qui vita tuetur, quod alias excogitatum est multis vigiliis, & inuentum, vno verbo subuertere voluisse, *cap. Ecclesia vestra* 57. *de elect. ad finem.* Constat autem bene iura concordari si dicamus, clausulam: *Non obstantibus* tollere non priuilegium hoc iuris, sed alia vrgentia extra ius, nam cum illud priuilegium Clementinæ excogitatum non semel fuerit, sed multis vigiliis, & in Concilio Viennensi coram Sanctis Patribus ventilatum fuerit, & approbatum

batum magna consultatione,& deliberatione,non est verisimile, quod Tridentinum vnico verbo voluerit illud destruere, nulla mentione in indiuiduo facta de illo, maximè cum vsum fuerit plurali indefinita, non vniuersali, quæ maiorem habet efficaciam, volendo per eam indefinitam significare, non reuocari Clementinam editam tam studiosè in Concilio, & præterea approbatam à duobus summis Pontificibus.

Sed hæ rationes generales non multum vrgent, quia facilis est responsio ad eas,& puto hanc sententiam temporibus nostris,ne dicam præteritis, censendam esse minus probabilem, ne dicam improbabilem, pace tantorum virorum, qui eam sequuntur, quia religiosi sunt, & possunt notari de interesse.

Respondetur,per illam generalem obstantiam tolli priuilegium insertum in corpore iuris, quando fit reuocatio per viam iuris, Calder. *cons.*11. *col.*2. *Vers. Nec obstat, de priuileg.* Felin. *ab illis citatus de Reser. num.*4.*Vers.Fallit autem prædicta, & in cap. Accedentes, de præscript. num.*5. Gamb. *lib.*8. *de legat. tit. de potest. legat.in legib. & stat.cond. num.*41. Gonzal. *in Reg.*8. *Cancell.gloss.*36.*num.*31. *quos pro se citat.*Rubeus *clauf.*496.*num.*13.maximè,quando priuilegium insertum in corpore iuris non habet derogatoriam Anchar. *consil.*355. *num.*2. Cæsar de Grossis *decis.*4. *de præbend. num.* 8. Constat autem Concilium Tridentinum legem esse iuris communis, ac proinde posse reuocare legem alterius Concilij sibi aduersantem, qualis est lex Clementinæ *Dudum*, imò ex hoc, quod illud Decretum Tridentini est lex,& constitutio generalis,Romanus Pontifex,inquit cap.1.de constit. in *6.* qui iura omnia, ergo etiam Conciliaria,in scrinio pectoris sui censetur habere,constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare noscitur posteriori contrarium; Clementina autem huic Tridentinæ est contraria, ergo illa censetur sublata sine alia expressa derogatione, non enim legislator simul, & semel intendit condere legem contrariam priori, & non tolli veterem, cum id sit absurdum ab omnibus euitandum, maximè in legibus, *l.Nam absurdum,ff.de bonis libert. cap. Ex ore,de priuileg in 6.* Quare ad glossam, & doctores pro contraria parte citatos,respōdetur locum habere in Rescriptis, & constitutionibus extra corpus iuris, non verò in conciliaribus contra alias Conciliares. Ex quibus etiam patet, oportere iura iuribus concordare & euitare correctiones legum,quādo concordari possunt, vt dicitur in præcitato cap. Cum expediat ibi: *si sustineri valeant,* Nauar.consil. 14. de temp. ordin. in casu autem præsenti non possunt concordari,quia Clem. negat examen,& approbationem, quæ ambo ponit Tridentinum, præterquamquod sequeretur absurdum, nullum Sacerdotem regularem esse subiectum decreto Tridentini, non solum de ordine Prædicatorum,& Minorum,pro quibus loquitur Clementina, verum etiam cæterorum Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, quia omnes Regulares habent communicationem inter se priuilegiorum, & præcipuè huius iuris communis & cum priuilegiorum communicatio idem operetur, ac si priuilegium communicatum primò, immediatè, & principaliter fuisset, & æque pri-
112 mò concessum communicanti in priuilegiis, nam communicationis priuilegiorum natura in eo consistit, vt ex ea censeantur concessa religioni, cui communicantur, Rodr. *q.*8. *art.*4. *& q.*55. *art.*21. *confect.tit,*1. *cap.*5. Ita quod priuilegium primò concessum vni religioni, & postea alteri communicatum non habet maiorem vim respectu illius, quam istius, cum sit vtrique principaliter concessum, ex allegatis à Megal. *cons.*76. *num.*9. Sequitur priuilegium Clementinæ dici proprium cuiuscumque ordinis, ac proinde, si non est sublatum per Tridentinum respectu Prædicatorum,& Minorum,neque respectu aliorum Regularium, qui illud idem participant non minus,quam Minores, & Prædicatores. Demum,quod in hoc Tridentinum reuocauerit quæcumque priuilegia etiam huiusmodi Clementinam,sufficienter colligitur ex allatis constitutionibus quatuor Summorum Pontificum Pij IV. & V. Clementis, & Vrbani VIII. Nam vt videre est in Bulla 133. Pij V. expressam mentionem facit de Magistris, & Ministris,qui dicuntur, illi quidem de ordine Prædicatorum,isti verò de ordine Minorum, non volentes exponere Sacerdotes suos ad audiendas confessiones secularium, nisi ad formam Decreti Tridentini, ergo contra priuilegium Clementinæ;quibus verbis: *Magistris,& Ministris,* vtitur etiam Vrbanus VIII. reuocando omnes concessiones audiendi confessiones secularium sine approbatione Episcapali insinuando per hoc ex Decreto Tridentini intelligi sublata quæcumque priuilegia, ac proinde etiam illud Clementinæ concessum Magistris, Ministris, Prioribus, & Guardianis, quæ nomina competunt Minoribus & Prædicatoribus, quibus nominatim fuerat conceptum priuilegium Clementinæ. Non est ergo probabile vigere adhuc illud priuilegium, sed omninò sublatum fuit tum à Tridentino, tum à Pontificibus Romanis per illas Bullas.

Quæres 22. An in potestate sit Episcopi pluries examinare, & approbare Regulares Sacerdotes in confessarios?

℞. Quando Episcopus confessarium approbauit 113
simpliciter, & absolutè sine aliqua limitatione temporis, loci, & personarum, in eo casu non potest illum reuocare iterùm ad examen; si verò approbatio facta fuit ad tempus,locum,& personas limitata,tunc potest iterum sic approbatum vocare ad examen, iuxta oppositam limitationem. Hæc responsio supponit, Episcopum posse approbare Regulares limitate, licet alias idonei simpliciter admitti possent.

Hoc vltimum quod sit in potestate Episcopi limitare confessariis tempus,locum, & personam, probatur. *Tum quia*, in eius potestate est negare examen 114
huic, vel illi Sacerdoti, quia hoc munus examinandi non est obligatorium, sed tantum facultatiuum,ergo & concedere limitate, nam pendet ab eius arbitrio facultatiuo.*Tum quia*, quisque in re sua apponere potest conditionem, & pactum *l. In traditionibus, ff. de pact.* cum vnusquisque in re sua sit moderator,& arbiter *l.In re mandata C.Mandati,*in terminis *gl.v.concessa Clem. Dudum, de sepult.* Episcopus autem habet potestatem, & in iure suo dandi licentiam ad audiendas confessiones, ergo ei adiicere potest conditionem & pactum, ac proinde limitare ad tempus, personas, & loca. Prædicta sunt intelligenda,vt Episcopus possit limitare approbationes confessariis Regularibus ad tempus, loca,& personas, quando Religiosi non sunt vsquequaque idonei, vt limitatione temporis, & personarum, studendo fiant magis idonei,aliter si sunt idonei, & docti approbandi sunt sine temporis limitatione, vt sæpius respondit Sacra Congregatio, cuius responsa Refert authentica Caspensis *disp.*5. *de Pœnit. sect.* 9. Nihilominus Ordinarij locorum passim Regulares siue multum doctos,siue parum doctos approbant per annum, vel per sex menses,& finito tempore, aut eos iterum examinant, aut prorogant approbationem. Vnum apud me certum videtur, qualiscumque sit huiusmodi temporis limitatio,siue licita, siue illicita,tempore finito,Regulares,& quoslibet alios Sacerdotes sic limitatè approbatos, inualide prosequi administrationem huius Sacramenti, quia carent iurisdictione, quæ non potest subsistere sine approbatione, præterquamquod ipsamet

ipsamet approbatio est conditio, sine qua non potest Sacerdos validè absoluere.

Potissima difficultas de reuocatione ad examen tollitur, dicendo, prout supra, Religiosum simpliciter approbatum non posse iterum examinari. Ita decreuit Pius V. Bulla 133. incip. *Romani Pontificis* illis verbis: *Volumus tamen, eos, qui semel ab Episcopo in ciuitate, & Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt.* Ratio est. *Tum quia*, quod semel placuit amplius displicere non debet, neque enim semel approbatum reprobandum est Reg.21. in 6. *Tum quia*, qui certus est, amplius certiorari non debet, Reg. 31. in 6. Episcopus autem certus est de sufficientia eius confessarij, quem simpliciter approbauit, ergo nulla ratio suadet, illum esse iterum examinandum. Dico *simpliciter*. 1. sine vlla temporis limitatione, ideo Episcopi ferè omnes approbationem limitant, vt occasione exurgente possint illos subiugare examini, licet alias fuissent admittendi simpliciter, oportet habere patientiam, quia datum est contra stimulum calcitrare.

Quæres 23. A quonam Confessarij Regulares approbati habeant iurisdictionem, ab Episcopone, an à summo Pontifice?

115 ℞. Posita approbatione ad præscriptum Tridentini statim intelligitur concessa iurisdictio à Summo Pontifice. Probatur tum ex Clem. Dudum ibi: *Si vero iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones audiendas electis, huiusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentium libere, licitèque audire valeant.* Non possunt autem audire sine iurisdictione, ergo signum est, si valent audire, habere eam ab illo, qui dixit illis posse audire. *Tum quia*, Concil. Lateran. in Bulla 22. incip. *Dum infrà*, adiungendo Regularibus subiectionem examinis, ita disponit: *Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes constitutioni, quæ incipit: omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur.* Ergo data eis absolutio per Regulares etiam indebite recusatos, valida fuit, ergo iurisdictio in illis immediatè emanauit à Summo Pontifice, & nullatenùs ab Episcopo, si reiecit il-

116 los ab hoc munere. *Tum quia* id clarius colligitur ex diuersitate, qua excipiuntur aduenæ apud Regulares, & seculares confessarios, nam confessarius secularis per approbationem sibi datam à proprio Episcopo potest solum audire subditos Episcopi, cum Episcopus suam approbationem, & iurisdictionem solum super subditos extendat, & non vltra, cum nullus agat vltra sphæram suæ actiuitatis, Regulares verò quoslibet ad se accedentes etiam forenses non subditos Episcopo approbante, audire possunt, & absoluere, & hoc non nisi, quia iurisdictionem habent à Summo Pontifice, qui omnium fidelium est Episcopus supremus. Quod si aliquando Sacerdos secularis audit aduenas, hoc non facit, ex iurisdictione habita à suo Episcopo, sed ex electione, quia peregrinans de licentia saltem interpretatiua sui Episcopi habet electionem confessarij, ac proinde electione posita Episcopus peregrinantis censetur concedere iurisdictionem extraneo Sacerdoti electo. Id autem non accidit Regulari confessario, qui quoslibet ad se accedentes, siue Diœcesanos, siue aduenas, audit, & absoluit potestate pontificia. Vide *Resol.* 36. *quæst.* 5. vbi rem hanc fusè tractaui *sub num.* 32. Et ex hac vltima ratione qua Regulares confessarij habent ampliorem potestatem respectu pœnitentium etiam forensium, vt dixi, occurritur tacitè obiectioni, quâ aliquis potuisset instare, dicendo priora duo argumenta, probare, illos tantum Regulares recipere à Papa iurisdictionem, quibus ab Episcopis negatur facultas excipiendi confessiones secularium, non autem aliis, quibus conceditur; quia respondetur, vtrisque à Summo Pontifice concedi immediatè facultatem, & iurisdictionem audiendi confessiones non solum subditorum Episcopi approbantis, sed etiam extraneorum, vt bene colligitur ex dictis Bullis.

Quæres 24. Quotuplex sit potestas iurisdictionis Sacramentalis?

℞. Triplex, ordinaria, delegata, & ex electione, seu ex iure. Toletus lib.3 cap.13. §. Necessaria. 117

Ordinaria iurisdictio est illa, quæ alicui competit ex eius officio, vnde & acquiritur acquisitione officij Papatus, Episcopatus, & Parochiatus. Hæc igitur potestas iurisdictionis ordinariæ est in Papa sibi immediatè à Deo collata, in cæteris confertur ab Ecclesia, dum enim Papa eligit, & confirmat Sacerdotem in Episcopum, tribuit illi huiusmodi iurisdictionem, eadam ratione, Episcopus creando Sacerdotem, Parochus communicat iurisdictionem illi, vtrique enim. 1. Episcopo, & Parocho necessaria est ad regendas spiritualiter oues sibi commissas, ergo in eorum vocatione eisdem confertur iurisdictio. Idem proportionaliter applica in superioribus Religionum, eo enim ipso, quod quis confirmatur in Generalem, Prouincialem, & Locale prælatum, statim acquirit iurisdictionem administrandi Sacramenta suis subditis. Et quod hæc potestas sit ab homine transfusa per supradictam vocationem, res clara est, quia data causa, ab illis aufertur efficaciter, quod fieri non posset, si immediatè à Deo conferretur. Excipiendus est Summus Pontifex, qui illam à Deo immediatè accipit, sicut quamlibet aliam potestatem, hinc est, quod à Pontifice nulla potestas humana potest auferre potestatem, quia nullus est supra Deum, neque supra Pontificem, est enim actus iurisdictionis auferre alicui potestatem.

Delegata iurisdictio est illa, quæ à supradictis Prælatis communicatur aliis Sacerdotibus, quibus non ex officio, non nomine proprio sed alieno confertur, vt scilicet gerant vices Prælatorum, a quibus eam receperunt. Hanc tribuunt solum Papa, Episcopus, & Prælati Regulares, dum suas vices aliis committunt. Et sicut nullo iure coguntur suas vices aliis committere, quando per se agere possunt fauore suorum subditorum, ita liberè, & gratiosè huiusmodi delegatam iurisdictionem aliis communicant, consequenter cum certis conditionibus, & limitationibus possunt illam communicare Sacerdotibus, vt de Religiosis dictum fuit n.113. Certum autem est, Parochum non posse iurisdictionem conferre simplici Sacerdoti, vt suas oues audiat, obstante Tridentino, vt supra dictum fuit, quia id est munus Prælatorum, & maiorum habentium quasi potestatem Episcopalem. Solum autem potest Parochus suos licentiare ad Sacerdotes, qui habent iurisdictionem ordinariam, seu delegatam, vt eligantur in confessarios. Est autem hæc doctrina communis, nec vllus doctus contradicit.

Iurisdictio ex electione acquiritur vel ab homine, vel à iure; ab homine non quouis, sed ab eo tantum, qui habens potestatem ordinariam iurisdictionis illam communicare potest aliis, cuiusmodi sunt Papa, Episcopus, Generalis, Prouincialis, & qui potest confessarios instituere, ij omnes possunt concedere iurisdictionem ex electione. Quamuis autem vtraque iurisdictio ex electione, & delegata conueniant in eo quod ambæ perueniunt à superiore ordinario, ac proinde dicantur quoque delegatæ ex gratia, tamen differunt in eo, quod prior immediatè communicatur Sacerdoti in eius honorem, & vtilitatem proximi, posterior vero ex electione non dicitur immediate communicari Sacerdoti, sed mediante electione, in

puncto

puncto etiam electionis, iurisdictio acquiritur electo, confessario, ius ergo est à Prælato in Sacerdotem transiens per factum pœnitentis confessarium eligentis, non communicatur ergo iurisdictio nisi per factum eligentis confessarium. Huiusmodi autem communicatio iurisdictionis per electionem faciendam à pænitente intelligitur de Sacerdote alias approbato ab ordinario, loquendo respectu secularium, Papa enim & Episcopi semper intelliguntur concedere huiusmodi gratias ad formam Tridentini, nisi Papa aliter se explicet. Respectu verò Regularium potest fieri electio simplicis Sacerdotis, quia in hoc non subduntur decreto Tridentini, & in hoc omnes conueniunt; verum quidem est, quod inspiciendus est tenor priuilegij, vt iuxta illum est agendum. Confirmantur prædicta, quia in omnibus Iubilæis etiam amplissimis electio confessariorum restringitur ad approbatos per locorum ordinarios, quod signum est, omnes eiusmodi electiones referri tantum ad confessarios approbatos per ordinarium, esto etiam non fieret mentio huius restrictionis.

Iure communi Pontifex cap. Ne pro dilatione fin. de pœnit. & remiss. permisit Episcopis, & aliis superioribus, nec non minoribus prælatis, vt sine licentia sui superioris possent sibi eligere prouidum, & discretum confessarium. De hoc iure satis dixi Resol. 34. q. 10. Ideo illuc remitto lectorem.

Quæres 25. An hæc iurisdictionis potestas Sacramentalis requiratur ad conficienda, & conferenda alia Sacramenta?

118 ℞. Ad conficienda, & conferenda alia Sacramenta validè nulla est necessaria iurisdictio, sed sufficit potestas ordinis iuxta dicta q. 7. ad licitum vero vsum illorum aliqua licentia, seu consensus necessarius est fundatus in iure naturali, & diuino, ne perturbetur ordo in Ecclesia Dei, vnuquemque enim Parochum suas oues oportet adducere, non alienas; non requiro iurisdictionem, sed simplicem consensum, quia videmus in Ecclesiis Sacristam etiam laicum dare consensum, seu rogare Sacerdotem extraneum vt celebret, vt fideles communicet &c.

Quæres 26. A quonam Apostoli receperunt potestatem iurisdictionis à Christo, an à Petro?

119 ℞. Omnes Apostoli à Christo immediatè receperunt hanc potestatem iurisdictionis, Petrus quidem primò, & sine vlla limitatione, cæteri verò cum dependentia ad Petrum vti Principem, & Pastorem cæterorum & omnium fidelium.

Probatur, quia actus absolutionis semper fuit actus iudicialis, ergo semper fuit coniunctus cum potestate iurisdictionis, consequenter Apostoli dum fuerunt constituti iudices in foro Sacramentali, receperunt à Christo potestatem iurisdictionis, quæ illis concessa fuit à Christo post Resurrectionem, cum illis dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, id est, potestatem iurisdictionis ad remittenda peccata. Simul ergo & semel Christus Apostolis omnibus contulit potestatem vtramque necessariam ad validam administrationem Sacramenti pœnitentiæ.

120 Quod hæc potestas iurisdictionis Petro primum, & absolutè data fuit, constat ex eo, quod Christus illi singulariter loquebatur in promissione, & traditione potestatis, nam promisit illi soli, & singulariter claues regni cælorum Matth. 16. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Et Ioan. 21. 17. *Pasce oues meas*, sub quo nomine clauis, & pabuli venit etiam potestas remittendi peccata, quam potestatem Christus voluit illi singulariter communicare, tanquam capiti, vt cæteri Apostoli agnoscerent, se illam habere à Christo dependẽter à Petro, iuxta cuius dispositionẽ, & arbitrium operarentur. Quod auctoritate Sanctorum Patrum demonstratur, nam S. Leo in serm. 3, de Anniuersario suæ assumpt. ita loquitur: *Si quid cum Apostolis Christus Petro voluit esse commune, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negauit.* Sanctus Thomas in 4. dist. 24. q. 3. art. 2. quæst. 1. ad primum testatur de huiusmodi dependentia his verbis: *Quamuis omnibus Apostolis data sit potestas ligandi, & soluendi, tamen soli Petro, data est, vt hæc potestas in alios descendat.* Manifesta ergo est, dependentia Apostolorum in vsu suæ potestatis à Petro.

Hactenùs actum est de potestate Ordinis respectu omnium Sacramentorum, & de potestate iurisdictionis in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, subsequenter tractandum est de potestate iurisdictionis fori externi, quæ duplex est Ecclesiastica, & laicalis, illa subdiuiditur in Sacramentalem, de qua hactenus fuit actum, & in potestatem fori externi, de qua restat agere.

Quæres 27. An potestas hæc iurisdictionis Ecclesiastica fori externi detur in Ecclesia Dei? Quæ sint eius munera dictum fuit sub q. 3.

121 ℞. Datur, quod alia ratione non probatur nisi auctoritate Sacræ Scripturæ, quæ præcipit, peccatores, & malos Christianos esse accusandos, seu denuntiandos Ecclesiæ, id est, eius ministris, vt corrigantur emendentur, & puniantur, Matth. 18. 17. *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ.* Ad quid diceretur Ecclesiæ si in ea nulla esset potestas iudicandi, & puniendi malefactores. Paulus Apostolus hanc potestatem exercuit, quando excommunicauit illum fornicarium. Act. 20. 28. Idem Apostolus hortatur Episcopos per hanc iurisdictionem fori externi regere Ecclesiam Dei. Hæc potestas significatur Petro illis verbis: *Tibi dabo claues Regni Cælorum. Pasce Agnos meos, & oues meas.* Et per illa verba: *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Lucæ 22. 38, Petrus ad Iesum dicit esse hic duos gladios, id est, in Ecclesia, qui significant potestatem hanc fori externi. Demum Christus Dominus testatur Matth. 28. 18. Sibi datam fuisse eiusmodi potestatem in cælo, & in terra, in cælo per æternam generationem, & in terra, per temporalem, quam communicauit Petro, & per illum cæteris Apostolis, dum illis commisit prædicationem Euangelij per vniuersum orbem, quod fieri non poterat per ipsum sine huiusmodi potestate, quare alio in loco dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Nimirum cum eadem potestate deinceps regendi Ecclesiam, cum qua hactenùs rexi vos. De fide ergo tenendum est in Ecclesia Dei esse potestatem fori externi regendi fideles in ordine ad salutem eorum.

Quæres 28. An potestas Ecclesiastica immediatè communicata fuerit toti Ecclesiæ, à qua deinde descenderit in eius ministros?

122 ℞. Christus Dominus potestatem non dedit immediatè toti Ecclesiæ, sed Ministris eius nempe Petro, & cæteris Apostolis, & per hos reliquis omnibus successiue confertur.

Probatur de fide, quia non Ecclesiæ, sed Petro dixit Matth. 16. 18. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Et Ioan. 21. 17. promissum adimpleuit cum dixit: *Pasce oues meas.* Omnibus Apostolis immediatè dedit potestatem soluendi, & ligandi Matth. 18. 18. *Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ioan. 20. 23. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex his auctoritatibus apertè colligitur Christum immediatè dedisse Apostolis omnem potestatem Ecclesiasticam,

sisticam, loquitur enim cum secundis personis, præsentibus, audientibus, & consentientibus potestati sibi traditæ, tota autem Ecclesia non poterat esse præsens nec audire, nec consentire, ergo nec immediate fieri particeps potestatis Ecclesiasticæ. Confirmatur. *Tum quia*, Christus eo modo tradidit potestatem Ecclesiæ, quo Deus eandem sibi communicauit, parificantur enim in hoc, quia fideles pertinent ad Ecclesiæ corpus, vt eius membra, sicut & Christus, qui est eius caput, & membrum de membro. 1. Corinth. 12. 27. Caput enim dicitur membrum principale corporis; sed Deus soli Christo capiti Ecclesiæ tradidit potestatem, & non ipsi Ecclesiæ, dicitur enim Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas.* Si data fuit *Mihi* inquit Christus, ergo non alteri, quia duo insolidum simul & semel eiusdem rei Domini esse non possunt, secundum humanas leges, ergo à Christo data est potestas immediatè Apostolis, & non Ecclesiæ, sed Ministris de Ecclesia. *Tum quia*, sicut Deus misit Christum filium suum cum potestate sibi immediatè communicata, ita & cum eadem eodem modo traditionis Christus misit Apostolos Ioan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Non omnes autem missi fuerunt ad docendum, ad prædicandum, ad soluenda peccata, alioquin nullus esset, qui doceretur, cui prædicaretur, & cuius peccata soluerentur, missio ergo cum potestate fuit certarum personarum, vt esset segregatio Ministrorum ab iis quibus esset ministrandum. *Tum quia*, Christus ad hanc spiritualem potestatem nominatim elegit duodecim, vt dicitur Ioan. 6. 71. Electio autem est ex multis aliquorum assumptio ad officium, ergo electio eiusmodi ad totam Ecclesiam non potest referri contra naturam electionis. *Tum quia*, Ecclesia regitur regimine Monarchico, vt infra patebit, non generico, & per modum reipublicæ, à qua potestas descendit in Senatores, & antianos. *Tum quia*, in lege veteri Sacerdotium immediate à Deo datum fuit Moysi, & per ipsum Aaron, & aliis successiuè de tribu leui, non autem tribu vt sic, ergo eodem modo Christus Petro, & Apostolis tradit Ecclesiasticam potestatem, & non toti collegio in genere, quia illud in ratione Apostolatus non erat duraturum. *Tum quia*, te testatur D. Paulus 1. Corinth. 12. 29. ibi: *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes prophetæ.* Ad Ephes. 4. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas.* Si ergo non omnes de Ecclesia habebant hanc, vel illam potestatem, sed nonnulli carebant aliqua, ergo toti Ecclesiæ non fuit communicata potestas. *Tum quia*, si potestas toti Ecclesiæ fuisset communicata, sequeretur electionem Ministrorum faciendam esse a tota Ecclesia congregata, quod est impossibile, præterquamquod constat Ministros eligi ab aliis ministris maioribus sine aliorum concursu vnde Papa creat Episcopos, & Cardinales, Episcopi vero Parochos, &c. ergo potestas est ab vna persona ad aliam personam, & non à communitate. *Tum quia*, Anacletus Papa in sua Epistol. 2. Idem docet his verbis: *Apostolis omnibus immediatè à Christo vniuersam Ecclesiam gubernandi potestas, & iurisdictio data est.* Tum quia nulla ratio cogere potest ad credendum Christum dedisse hanc potestatem Ecclesiæ immediatè, vel enim illam dedit toti Ecclesiæ, vel Ecclesiæ selectæ & congregatæ, non primum, quia vnusquisque potest hanc potestatem cuique communicare indifferenter, quod nonnisi absurdum importare potest, & ideò subsistere nullatenus valet, & quod illud sequatur constat eo eo, quia ex suppositione, quod quisque habeat à Deo immediatè potestatem quis prohibere potest illius communicationem expediendam indifferenter, cum supra Deum nulla sit potestas. Quod si dicitur à Deo potestatem fuisse traditam Ecclesiæ, vt per eam rite, & ordinate conferretur, quibus est de iure communicanda, & non per singulos, neque singulis. Hinc sequitur, traditam fuisse non Ecclesiæ vt sic, sed illius Ministris, quibus tantum inest modus rite, & legitime conferendi illam aliis. Neque dici potest, eam fuisse immediate traditam Ecclesiæ congregatæ, seu Concilio, quia hoc dependet à Summo Pontifice, à quo procedit potestas in Concilium, vt suo loco dicetur. Remanet ergo, potestatem fuisse traditam immediatè Ministris Ecclesiæ. Et hoc de fide tenendum est, ex allegatis auctoritatibus, præterquamquod sequeretur Papam non esse supra Ecclesiam, & supra Concilium, quod negare hæreticum est, ne ergo hæresis ex hæresi sequatur, dicendum est, Summum Pontificem Romanum esse a Deo immediate habere potestatem cum suis Ministris ab eo dependenter, & non ab Ecclesia vt sic, & in genere spectata.

Hæretici contendunt, potestatem immediatè traditam fuisse toti Ecclesiæ in communi, ac proinde omnes indifferenter ea vti posse, & esse Sacerdotes, consequenter ad clerum, & populum spectare ordinationem clericorum. Id autem probant *primò* ex Matth. 18. 17. Illis verbis: *Dic Ecclesiæ.* Quæ habet potestatem, qua per hunc, vel illum ministrum Ecclesiæ punit malefactores. Vnde D. Augustin. tract. 101. in Ioan. dicit: *Quod vero addidit: Et iterum modicum, & videbitis me, vniuersæ promisit Ecclesiæ, sicut vniuersæ promisit: Ecce vobiscum sum atque ad consummationem sæculi.* Quando igitur Christus promittit aliquid, aut illud tradit, immediate communicationi Ecclesiæ, non autem huic, aut illi de Ecclesia, quia quilibet ab Ecclesia accipere habet. *Secundò*, In Apocalyps. 1. 6. Omnes vocantur Sacerdotes: *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo*, quod explicatur capite 5. 10. quia omnibus fidelibus à Christo datum fuit Sacerdotium Ecclesiæ, vt per eam deinde descenderet in Ministros eiusdem. *Tertiò*, Ecclesia fungitur iure 123
reipublicæ, *gloss. v. iure minoris, cap. 1. de integr. restitut. per cap. quid ergo 23. quæstione 4. & in cap. quæstionem 59. 13. quæst. 2. gloss. v. census, per l. Vt inter diuinum Cod. de sacros. Eccles.* Sed potestas rei- 124
publicæ immediate residet in tota republica, per quam communicatur deinde ministris electis, ergo idem dicendum est de potestate Ecclesiæ. *Quarto*, Cardinales habent potestatem eligendi Papam, non à seipsis, nec ab aliquo Papa, ergo à tota Ecclesia & merito, quia Papa futurus est Pastor totius Ecclesiæ, ergo à tota Ecclesia eligendus est per compromissum in Cardinales. *Quinto*, quando Christus dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum*, hoc non promisit singulari personæ Petri, sed illi vt vices gerebat Ecclesiæ, vt docet D. Augustin. tractat. 124. in Ioan. ergo claues immediatè datæ fuerunt toti Ecclesiæ. *Sexto*, Episcopi & alij dicuntur Ministri Ecclesiæ, non Domini, vt videri potest 1. Corinth. 3. Item 1. Petri 5. 3. Ergo ministerium à Christo receperunt dependenter ab Ecclesia. *Septimo*, tota Ecclesia elegit Matthiam, & Barnabam, & Stephanum, vt colligitur ex actis Apostolorum. *Octauo*, Cyprian. libro octauo Epistol. 4. inquit, *Plebs maximè habet potestatem eligendi Sacerdotes, & indignos recusandi, quod & ipsum videmus de diuina auctoritate descendere.* Ecce palam est, potestatem Ecclesiæ esse immediate in tota republica Christiana, aliter plebs non haberet potestatem eligendi Sacerdotes diuinâ auctoritate.

125 Primo respondetur argumento hæreticorum, *Dic Ecclesiæ*. Explicari pro prælato eiusdem Ecclesiæ, secundum Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, & alios Patres apud Cordubam libro quarto, quæstione quarta, §. Quod autem hæc, nomine enim *Ecclesia* bene venit Prælatus *gloss. v. Ecclesiæ, cap. Cum clerici* 19. *de verb. signific.* Bene vocatur Ecclesia, quia instruit fideles de Ecclesia, & quia Christus in eo loco docuit modum faciendi correctionem fraternam, & contumaces puniendi, necessarium fuit iudicem in communi assignare non explicando à quonam in indiuiduo contumaces essent castigandi, ideò merito dictum fuit *Dic Ecclesiæ*, id est, Ministris Ecclesiæ. Auctoritas D. Augustini non facit ad rem, quia non est ibi sermo de potestate, sed de re communi toti Ecclesiæ.

126 Secundò, Ecclesia dicitur Regnum in Apocalypsi ad similitudinem Regni terreni, in quo sicut tria sunt genera personarum, Rex, Ministri, & subditi, ita in Regno Ecclesiæ hæc triam sunt, Rex, qui est Christus Dominus, cuius vices gerit vnicus Pontifex Romanus eius Vicarius, ideò in singulari dicitur Regnum; Ministri huius Regni sunt Sacerdotes, & Prælati simul cum Rege Pontifice gubernantes Regnum Ecclesiæ nempe subditos. Itaque licet omnes fideles sint membra huius Ecclesiæ, non tamen omnes sunt Ministri, & Sacerdotes, quia nullus esset subditus, qui illis pareret, aut egeret illorum ministerio.

127 Tertiò, Ecclesia comparatur reipublicæ, quod sicut ius publicum est in Magistratibus reipublicæ, ita ius publicum est in sacris, & Sacerdotibus, vnde sicut furtum reipublicæ vocatur peculatus, ita eodem nomine vocari potest furtum de rebus Ecclesiæ factum, *ex cap. Quid ergo* 3. 23. *quæstione* 4. Deinde sicut in republica est coordinatio Ministrorum, & subditorum, ita quod alij præcipiunt, alij obediunt, ita Ecclesia habet coordinationem Ministrorum, & subditorum. Est verò differentia in eo, quod Respublica in se habet potestatem per conuentionem subditorum, quam legitimè communicat Ministris à se electis. Ecclesia verò à suis membris potestatem non accipit, sed immediatè à Christo tributa fuit Petro, & ab eo dependenter à cæteris Apostolis, & Prælatis, quam potestatem à se abdicare non possunt ea ratione, vt eam transferant in communitatem Ecclesiæ. Deinde in Republica exercentur actus ordinis naturalis, & in genere moris humani, qui non excedunt vires ipsius Reipublicæ, cum & ipsa sit eiusdem ordinis, vnde mirum non est, si apud eam immediatè residere potest potestas accepta à suis membris illam constituentibus; in Ecclesia verò res aliter se habet, nam exercentur actus spirituales, & supernaturales, ideò per talem potestatem præstari debent, quæ non dependeat à populo, qui tantam vim non habet eleuandi potestatem ad actus spirituales, & superioris ordinis. Demum Ecclesia regitur Monarchia, non Aristocratia, seu Democratia, vt faciunt Respublicæ populi. Vide Sotum *Relect.* 2. §. *Ad secundum.*

Quartò, Cardinales iure diuino eligunt Pontificem, in modo verò eligendi dependent à iure humano Pontificio, quod probabitur sub capite de Romano Pontifice.

128 Quintò Becanus de Sacrament. ordin. quæstione 5. numero 13. Respondet, illa verba: *Tibi dabo claues*, ideò dici Petro in persona totius Ecclesiæ, quia Petrus in commodum, & vtilitatem totius Ecclesiæ claues accepit. Similiter illa: *Quæcumque alligaueritis* dicuntur Ecclesiæ, id est, Prælatis Ecclesiæ, Ecclesia enim dicitur habere potestatem soluendi, & ligandi, quia Prælati Ecclesiæ illam habent. Ita Becanus. Diuus Augustinus eo tractat. 124. Ita loquitur: *Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claues regni cælorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris, super terram, erit solutum, & in cælis: Vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diuersis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, vnde & Petrus nomen accepit.* Paucis verbis interiectis subiungit: *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi, soluendique peccata.* Petrus à Diuo Augustino spectatur dupliciter, vt persona priuata, ratione cuius ibidem paulo ante dicitur: *Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus*; & vt persona publica, Pontifex, & Pastor ouium, in quo sensu repræsentabat totam Ecclesiam variis ærumnis, & peccatis subiectam, ideò Christus illi non vt personæ singulari, sed vt publicæ, ac proinde totam representanti Ecclesiam, dedit claues, quibus posset peccatores soluere à peccatis. Potestatem erga non dedit Ecclesiæ, sed Petro immediaté, quatenus illam repræsentabat, non enim ipse per se illis indigebat, sed magis pro vniuersa Ecclesia, cuius Pastor erat; repræsentabat ergo Ecclesiam in ministerio, non in potestate.

Sextam obiectionem ponit Becan. pro tertia, respondendo, Episcopos dici Ministros Ecclesiæ, non quod obediant Ecclesiæ, sed quia hanc regunt, & præsident, Act. 20. 28. *Posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed ego non inueni in textu 1. Corinth. 3. 5. Ministros dici Ecclesiæ, sed è contra dici Ministros Christi, ibidem: *Ministri eius, cui credidistis.* Cui crediderunt nisi Christo? Ergo & Christi Ministri ibi dicuntur. Idem Paulo infra sub numero nono. *Dei enim sumus adiutores.* Ne verbum quidem vocabuli Ecclesiæ reperitur in illo toto capite. In prima Epistola Petri, cap. fin. num. 3. dicitur: *Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quod significat, Sacerdotes, & Episcopos non debere esse dominatores, sed pastores gregis, non percutientes, neque tyrannicè regentes, sed vt humiles pastores, verbo, & exemplo pascere oues cælesti patibulo. Nil ergo in prædictis locis habetur, quod faueat aduersariis. 129

Septimò, in electione Matthiæ tria spectari possunt, propositio eligendi, oratio præparatoria ad electionem, & ipsemet actus electionis per sortem? primum, & tertium per Apostolos executum fuit, nam Petrus proposuit totum negotium necessitatis eligendi alium Apostolum in locum Iudæ præuaricatoris: *Exurgens Petrus in medio fratrum* Act. 1. 15. Infrà sub num. 3. *Statuerunt duos.* Infrà 25. *Et dederunt sortes eis.* Has functiones fecerunt Apostoli cum Petro, cæteris præsentibus, & videntibus, qui omnes simul cum Apostolis executi fuerunt, nempe orauerunt, vt Deus illis concederet bonum Apostolum in locum Iudæ præuaricatoris ibi: *Et orantes dixerant* numero 24. Oratio ad omnes spectabat, propositio verò, & electio à solis Apostolis facta fuit tanquam munus proprium. Idem fere dicendum est de electione Stephani, de quo Act. capite 6. Nam duodecim Apostoli conuocauerunt Discipulos, nempe illos septuaginta duos, qui erant personæ Ecclesiasticæ, seu Clerici, & illis commiserunt, vt quærerent personas fideles aptas ad munus Diaconatus, inter quas elegerunt septem, 130 131

ptem, inter quos erat Stephanus, & hos omnes
Apostoli ordinauerant. Plebs ergo, & omnes de Ec-
clesia non interfuerunt huic Electioni, sed tantum
Discipuli cum Apostolis. Difficultas est circa ordi-
nationem Barnabæ, & Sauli, quia ex capite de-
cimotertio, colligitur nullum Apostolum interfuis-
se illi ordinationi, quæ fuit in Episcopos, quia
textus habet, quod in Ecclesia Antiochiæ tunc
erant solum Prophetæ, & Doctores. Respondet
Cardinalis Vgo, quod Magister Historiarum, nar-
rat, eos fuisse missos per Discipulos ad Petrum,
Iacobum, & Ioannem, qui Ierosolymis erant, a
quibus fuerunt ordinati in Episcopos, ibidem in
Margine citantur *cap. Cum beatus distinctione* 45. *&*
cap. Quod Christus 23. *quæstione quarto*. Sed ni-
hil ad propositum. Sed concedamus etiam fuis-
se ordinatos ab aliis Discipulis, nil contra nostram
conclusionem, quia Spiritus sanctus mandauit ta-
lem ordinationem, non plebi, non toti Ecclesiæ, sed
Ministris Ecclesiæ.

132 Octauò auctoritas, S. Cypriani intelligenda est,
quod plebs habeat potestatem non eligendi imme-
diatè, sed mediatè postulando scilicet, & expectendo
ad electionem faciendam ab Episcopis, & clericis;
aliter exponendo aduersatur Sanctis Patribus, qui
dicunt laicos nullam habere potestatem ad eligen-
dum, vt videre est *distinctione* 62. per totam, sed
tantum ad postulandum, vt sibi prouideatur de Re-
ctore, capite Nulla ratio 1. distinctione 62.
ibi: *Nec à plebibus expetiti*. Populus ergo petit
sibi Pastorem, quia illo indiget, non tamen sibi il-
lud eligit. Quandoque Principes, & Potestates sibi
elegerunt Prælatum, non iure proprio, sed vel ex
permissione Episcoporum, vel de facto, non potentes
Episcopi excludere illos propter eorum iniquam &
resistentem potentiam.

Quæres 29. Quid sint claues Ecclesiæ? De his
agit Magister sententiarum *in* 4. *dist*. 18. *&* 19. ibi
eius commentatores.

133 Notandum est, quod in Sacra Scriptura fit men-
tio clauium pluribus in locis. Iudicum 3. 25. *Tu-*
lerunt clauem, & aperientes inuenerunt dominum
suum in terra iacentem mortuum. Sermo hic histori-
cus est, ac proinde clauis nomen hic accipitur ma-
terialiter, ad cuius similitudinem, & metha-
phoram potestas in Ministris Ecclesiæ residens à
Christo vocata fuit clauis, quia sicut clauis ferrea
portam claudit, & aperit, ita clauis potestatiua
aperit paradisum dignis, & illum claudit indignis.
Isaias cap. 22. 22. Loquitur de claui potestatis his
verbis: *Et dabo clauem domus Dauid super hume-*
rum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, &
claudet, & non erit, qui aperiat. Hæc clauis data
fuit Christo Domino, vt testatur *Ioannes in Apoca-*
lyp. 3. 7. Et sic translata fuit potestas Ecclesiastica
de synagoga in Ecclesiam per Christum; quod
etiam significatur per illud Genesis 49. 10. *Non au-*
ferretur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius do-
nec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expecta-
134 *tio Gentium*. Per sceptrum indicatur potestas, quæ
translata fuit in Christum, qui est expectatio
Gentium, quia Gentiles soli Christum receperunt,
quem Iudæi noluerunt agnoscere, vt suum Re-
demptorem, ideò ab eis clauis, Sacerdotium, &
sceptrum sublatum fuit in Christum, & ab eo in
Pontificem Romanum, cum Matth. 16. 18. Dictum
fuit Petro, & in ipso eius successoribus in Episco-
patu Vrbis: *Tibi dabo claues regni cœlorum, &*
quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in
cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum
& in cælis. Hæc promissio adimpleta fuit, cum Ioan.
cap. fin. num. 17. dixit: *Pasce oues meas*. Id docet
Cyrillus Alexand. in lib. Thesauri his verbis: *Sicut*
Christus accepit sceptrum Ecclesiæ gentium à Patre
dux ex Israel egrediens super omnem Principatum, & 135
potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cun-
cta curuentur, sic & Petro, & eius successoribus ple-
nissimè commisit, & nulli alij; quam Petro Christus,
quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Cur dixit:
Claues in numero plurali, cum clauis a Dauid trans-
lata in Christum vnica fuerit? nunquid vnam sibi
Christus retinuit, per quam intraret in Paradisum
& alteram tradidit Petro? Christus locutus fuit in
plurali, ad indicandum ampliorem, & efficacio-
rem potestatem collatam fuisse Ministris Ecclesiæ
Euangelicæ, quam haberent Ministri Synagogæ,
nam clauis illa claudebat tantum non aperiebat por-
tam Paradisi, nam Sancti Patres in symbolo man-
serunt vsque ad Resurrectionem Christi Domi-
ni, qui per suam mortem sibi, & omnibus ape-
ruit Ianuas Paradisi; ideò clauis fuit singularis &
vna, quia vnicum præstabat effectum, clausam
enim tenebat ianuam Cæli, & si aliquem effectum
habebat circa aperitionem, erat in terra tantum.
Claues verò, quas Christus habuit, & Petro tra-
didit, quia & ligabant, & soluebant non solum
hic, sed etiam in cælo per diuinam acceptatio-
nem, ideò vocantur numero plurali. Sed loquen- 136
do absolutè Christus duas claues tradidit Petro, *pri-*
mò, quia in Ecclesia sunt duo gladij, vtroque
enim nomine clauis, & gladij significatur pote-
stas, *Secundò*, quia in Pontificio sunt duæ pote-
states ordinis, & iurisdictionis. *Tertiò*, quia cla-
uium duo sunt actus, vnus ligandi, seu clauden-
di, alter soluendi, & aperiendi: tunc Papa ligat,
quando suis legibus obligat fideles, & infideles
quoque, vt suo loco dicetur, claudit per cen-
suras ianuam Ecclesiæ tùm militantis, tùm trium-
phantis; soluit verò cum remittit peccata, cum
absoluit, censuris, cum dispensat in legibus, & sic
tollendo huiusmodi impedimenta aperire dicitur
ianuam Paradisi, quatenus tollit impedimenta,
quibus claudebatur indignis. *Quartò*, duplicem
Papa habet clauem, potestatis scilicet, & scien-
tiæ, sed de hac claui scientiæ dicam infra. De cla-
ui scientiæ dicitur Lucæ 11. 52. *Væ vobis legisspe-*
ritis, quia tulistis clauem scientiæ. Sed cur clauis li- 137
gandi præponitur claui soluendi? Quia ordo na-
turæ est, vt non soluatur nisi ligatus, ergo sicut
in naturalibus porta prius intelligitur clausa, &
sic ligatâ vecte, deinde aperitur, ita in morali-
bus homo prius intelligitur ligatus peccatis, vt
postmodum ab illis solui possit, & ideò ligamen
præponitur solutioni. Ioannes in Apocalyp. assignat 138
aliud genus clauis nimirùm Abyssi, seu inferni,
& mortis, 1. 18. *Habeo claues mortis, & inferni*.
Item capite 9. 1. *Data est ei clauis putei Abyssi*,
id est, Stellæ, id est, Angelo cadenti, id est,
descendendi de cælo, vt colligitur ex capite 20.
Initio: *Et vidi Angelum descendentem de cælo ha-*
bentem clauem Abyssi. Obserua, quod primo lo-
co assignantur duæ claues, vna mortis, altera in-
ferni, per clauem mortis æternæ aperitur por-
ta inferi damnatis, per alteram ita clauditur, vt
non possit aperiri, quia ab inferis non datur
regressus, ideò in sequentibus locis fit men-
tio tantum de vna claue claudente, & non ope-
riente, cùm ea sit clauis tantum inferni. Sed
de hac claue hic agendum non est, sed de clau-
ibus Petri.

Notandum secundò, clauem in genere moris in 139
tota sua latitudine esse potestatem gubernandi ho-

mines in ordine ad regnum cœlorum. Explicatur; ex supradictis patet, in Ecclesia esse triplicem potestatem; ordinis, quæ & Sacramentalis dicitur, quia per eam conficiuntur Sacramenta, & Sacramentalia; iurisdictionis item Sacramentalis, seu fori conscientiæ, quo administratur à Sacerdote Sacramentum Pænitentiæ; & iurisdictionis fori contentiosi, per quam feruntur leges, censurantur subditi, & cætera præstantur in bonum reipublicæ. Si clauis spectetur respectu potestatis ordinis, & iurisdictionis Sacramentalis, vocatur spiritualis, & Sacramentalis, cuius actiuè solum est capax Sacerdos, passiuè solum fideles Christiani, quia agitur de Sacramentis, quæ solum intra Ecclesiam Romanam sunt. Si verò spectetur respectu fori contentiosi, vocatur spiritualis in ordine ad gubernandos fideles, & Ecclesiastica, in ordine verò ad infideles, Iudæos, & Paganos dicitur temporalis, sicut & quando respicit merè temporalia. Omnis autem potestas ex supradictis, siue Sacramentalis, siue spiritualis, & Ecclesiastica, siue temporalis ordinatur principaliter ad salutem animarum, vnde rectè dictum fuit, per clauem gubernari homines in ordine ad Regnum cælorum, quicquid enim Ministri Dei agunt, & disponunt, ordinant tandem ad salutem animarum.

140 Notandum tertiò, claues, de quibus supra fit mentio in Euangelio Matthæi promissas Petro, & eidem traditas à Christo illis verbis: *Pasce oues meas*, propriè & præsè importare tantum Pontificiam dignitatem, supremam in Ecclesia. *Tum quia*, illi soli, & eius successoribus promissæ, & datæ fuerunt. *Tum quia*, si ex germana & propria significatione referantur ad quamlibet potestatem ex supradictis, iam omnes Sacerdotes essent pares, quod est absurdum. *Tum quia*, potestas fori externi, seu contentiosa omnibus Apostolis indifferenter data fuit, & eorum successoribus, per alia verba, de quibus in sequenti Cap. 18. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcumque solueritis super terram erunt soluta, & in cælo.* Ergo claues soli Petro dantur, cum ille solus nominetur, & in ipso eius Sacerdotes. *Tum quia*, ita docent Sancti Patres Anacletus relatus *cap. In nouo* 2. *distinctione* 21. *& capite* 2. *distinctione* 22. S. Cyprian. apud Thomam Bozium *lib.* 2. *de iure natur. & diuin. capite* 7. §. *Videamus* D. Thom. *de Regim. Princip.* 3. *capite* 8. *opusc.* 20. referente eodem Bozio *lib.* 1. *capite.* 13. Nullus contradicit, quin propriè ea verba dicta sint de Patre.

Nihilominus Sancti Patres vtuntur iisdem auctoritatibus, & nomine clauium ad ostendendam potestatem tùm ordinis, tùm iurisdictionis in omnibus Sacerdotibus, & Episcopis, vnde ad hoc Scholastici definiunt, quod clauis est spiritualis
141 potestas ligandi, atque soluendi; quâ Iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet à regno cælorum. Quam definitionem Papa Ioannes XXII. Approbat in cap. *Quia quorumdam* 5. de verb. signific. extrauag. eiusdem. Eodem Clauium vocabulo vsa sunt Sacra Concilia, *Later. Constant. & Tridentin. sess.* 14. *cap.* 6. *&* 8. *& Can.* 15. Itaque Christus pro solius Petri indicanda potestate Pontificia vsus fuit nomine Clauium, Sancti verò Patres, & Concilia illud vocabulum extenderunt ad significandam potestatem ad remittenda peccata.

142 Notandum quartò Christum non vnam clauem, sed duas dedisse Petro, & in ipso eius successoribus; per vnam significatur potestas spiritualis, per alteram potestas temporalis, vt supra insinuaui de duobus gladiis. De qua re infra. Præterea duæ fuerunt datæ Claues Petro, vnam potestatis se tenentis ex parte voluntatis, & potentiæ executiuæ ad imperandum subditis; alteram scientiæ se tenentis ex parte intellectus, qui illuminatur in intelligendis sacris dogmatibus, & decidendis circa fidem controuersiis. Vtramque Clauem Christum dedisse Petro, & eius successoribus probatur, & quidem de claui potestatis non est dubium, quia conceditur, forsan non de altera, probatur, inquam, ex Luca capite 22. 32. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sicut Petrus obtinuit clauem potestatis, ita & clauem scientiæ, cum duas habuerit claues. Quod clauis scientiæ, spectat ad fidem, suadetur, quia bene erudito in rebus fidei non potest deficere fides, siquidem illius habet scientiam, si eruditus est; sed Petro non potest deficere fides ex veraci, & fideli promissione Christi, ergo supponitur habere clauem scientiæ fidei, ergo Petrus in receptione clauium, per quod confirmatus fuit Papa, Pontificij possessionem recepit, nam clauium prædictione rei acquisitæ possessio obtinetur, *l. clauibus ff. de controu. empt.* Decius *consil.* 56. *numero secundo*, Couar. *lib.* 3. *Var. capite decimosexto, numero decimotertio.* Duo à Christo Domino habuit, potestatem nimirum gubernandi Ecclesiam, significatam per vnam clauem, & scientiam, seu cognitionem circa fidei dogmata, quibus regitur Ecclesia, circa mysteria fidei. *Confirmatur*, Tum quia Papa non est inferioris conditionis Moyse imò maioris, cui à Deo data fuit non solum clauis potestatis, sed etiam scientiæ, ad educendum populum Dei de manu Pharaonis; Exodi 4. 10. *Non sum eloquens*, numero 12. *Ego ero in ore, doceboque te quid loquaris*, num. 15. de Aarone eius fratre: *Pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis.* Habuit ergo Moyses à Deo vtramque clauem, & potestatem educendi cum eloquentia, & doctrina Israel de Ægypto, ergo & Petrus duplicem habuit potestatem regendi Ecclesiam Dei imperando, & docendo mysteria fidei hominibus. *Tum quia*, Apostolis simul congregatis sine vlla discretionis differentia Christus dedit clauem scientiæ ad interpretandas sacras Scripturas, Lucæ cap. fin. numero 45. *Tunc* 143
aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Illuminauit ergo Christus mentem discipulorum ad intelligentiam Scripturarum, & eosdem Spiritus sanctus in die Pentecostes docuit omnem veritatem, *Ioan.* 16. 13. *Act.* 2. 4. *&* 17. Ista doctrinæ infusio ad intelligenda fidei mysteria fuit communis omnibus Apostolis, ac proinde etiam Petro communicata, quia cum illis Apostolus erat, & præterea illorum Princeps, Pastor, & Summus Pontifex, sicut ergo specialiter à Christo renuntiatus fuit Pontifex per traditionem clauium, ita etiam specialiter habuit clauem scientiæ significatam in illa clauium pluralitate, & in illis verbis: *Pasce oues meas* per claues imperij, & scientiæ. Non potuit ergo deficere fides Petri, quia habebat clauem sapientiæ per quam sciebat discernere veritatem à falsitate circa mysteria fidei.

Prædictis videtur obstare extrauag. Quia quorumdam 5. de verb. significat. ibi: *Adhuc secundum illos, qui ponunt vnam clauem spiritualem esse scientiam, & secundum illos, qui auctoritatem discernendi inter lepram, & lepram esse asserunt clauem, & aliam potestatem ligandi, atque soluendi, noscuntur euidenter errasse: Supponunt enim per claues huiusmodi circa ea,*

quæ

quæ fidei sunt, & alia posse per constitutionem aliquam definiri, claues autem, quæ in Sacerdotali conferuntur ordine ad talia minimè se extendunt, alias sequeretur, quod circa præmissa possent constitutionem Sacerdotes simplices facere, quod falsum est euidenter. Si autem intendant claues istas extendere ad generalem potestatem attributam Beato Petro, suisque successoribus in personam eiusdem in commissione officij Pastoralis, per quam vtique videtur euidenter ipsis omnia concessisse, sine quibus Pastoralis vniuersalis conuenienter cura nequit, seu officium expediri. Ad hoc claret etiam ipsos errare; dicunt enim alium effectum habere illa, quæ per clauem scientiæ, & alium illa, quæ per clauem potentiæ statuuntur, supponentes, alia per clauem scientiæ, & alia per clauem potentiæ statui, seu etiam definiri. Quod euidenter est falsum, per clauem enim scientiæ, siue per auctoritatem discernendi, seu cognoscendi inter lepram, si ipsam dixerimus esse clauem, nil aliud per ipsam illi cui datur, tribuitur, nisi auctoritas cognoscendi; si autem cui da-
144 *tur auctoritas de re aliqua cognoscendi, de illa definiendi non intelligitur esse data. Quare restat, quod ad conuenienter statuendum, seu aliquid definiendum, vtraque clauis, scilicet cognoscendi, & definiendi necessariò requiratur, vel quod soli claui potentiæ statuere competat, & etiam definire; sed sicut lumen materiale clauigerum in vsum clauis materialis dirigit, & quasi quantum ad hoc obtineat scientia vicem lucis. Et hoc saluator noster in promissione clauium facta Beato Petro sensisse videtur expressè, cum post illam immediatè subiunxerit: Et quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, nulla de scientia habita mentione.*

Ex dictis formatur argumentum probans in Petro non dari huiusmodi clauem scientiæ: primò, quia omnis clauis confertur in ordinatione, ergo omnis Sacerdos haberet eam clauem, ac proinde posset per illam statuere, & definire, quod falsum est, quia habens auctoritatem cognoscendi, non ideo habet auctoritatem definiendi. Secundò, quando Christus promisit claues Petro, nullam mentionem fecit de scientia, ergo nulla ei tradita fuit clauis scientiæ.

Respondetur, mens summi Pontificis non fuit destruere clauem scientiæ, sed negauit per eam Sacerdotes simplices posse statuere, præcipere, & imperare, vt perperam nonnulli volebant subsequenter Pontifices decreta per clauem scientiæ non possunt mutare, nec reuocare; vtique verò posse mutare, & reuocare, quæ prædecessores statuissent per clauem pœnitentiæ. Inuehitur ergo P[illegible] contra hanc explicationem Clauis scientiæ, d[illegible] rando esse errorem dicere, quod per clauem [illegible] tiæ ordinentur, & definiantur mysteria fi[illegible] alia per clauem potestatis, quia si illud esse [illegible] omnes Sacerdotes, qui in sua ordinatio[illegible] recipiunt, possent super prædictis definire [illegible] omnino falsum est, ergo & id esse mun[illegible] scientiæ, ita quod hæc clauis scientiæ n[illegible] Petro, neque eius successoribus tradita [illegible] sensu statuendi, & definiendi, quia [illegible] uator dixit Petro. Quæcumque liga[illegible] nullam mentionem fecit de scientia, neque enim per eam quis absoluitur, aut ligatur, sed tantum per clauem potestatis. Nos autem superiùs diximus, & probauimus sub nomine clauium à Christo traditarum Petro comprehendi clauem non solum potestatis imperandi, statuendi, & definiendi, sed etiam scientiæ cognoscendi, & dirigendi, quomodo sit imperandum, statuendum, & definiendum, clauis ergo scientiæ illuminat, docet, instruit, & detegit; non verò imperat, statuit, ordinat, nec definit, quia id est munus alterius clauis, quæ dicitur potestatis. Summus ergo Pontifex Ioannes XXII. Petro, & successoribus suis non negat clauem scientiæ ad cognoscendum, sed ad definiendum. Ex hactenus notatis, & discussis tanquam præmissis infertur conclusio responsiua ad quæstionem.

℟. Claues Ecclesiæ sunt duæ, vna scientiæ, 145
alia potentiæ. Clauis scientiæ confertur à Deo immediatè Pontifici Romano in sua electione, sicut collata fuit primum Petro non solum sub nomine alterius clauis, sed etiam cum illi dictum fuit: *Fides tua non deficiet.* Hæc clauis scientiæ nulli alij confertur extra Romanum Pontificem, vnde Sacerdotes in ordinatione sua accipiunt tantum clauem potestatis ligandi, & soluendi, scientiam verò debent propriis viribus acquirere. Collata autem fuit omnibus Apostolis ex supra allata auctoritate: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Clauis potentiæ simul cum claui scientiæ promissa Petro, data fuit quoque simul illis verbis: *Pasce oues meas*, doctrina, & imperio. Clauis autem potentiæ comprehendit sub se potestatem ordinis, potestatem iurisdictionis fori conscientiæ, & potestatem contentiosam fori externi. Hæc omnia patent ex supra dictis, & magis patebunt in sequentibus.

Quæres 30. An par sit potestas ligandi, & absoluendi?

℟. Pari passu currunt ligatio, & solutio, vn- 146
de qui potest absoluere potest etiam condemnare, & è contra, qui non potest absoluere, neque condemnare *l. qui condemnare 3. de re iud. l. Nemo 38. ff. de reg. iurisd. cap. Inferior distinctione 21. & cap. Cum inferior 16. de maior.* Doctores assignant quatuor regulas. *Prima*, Qui potest condemnare, potest absoluere. *Secunda*, Qui potest absoluere, potest condemnare. *Tertia*, Qui non potest condemnare, nec potest absoluere. *Quarta*, Qui non potest absoluere, neque condemnare. Ratio horum desumitur ab alia regula, quæ habet, quod contrariorum eadem est disciplina, *Institut. de iis, qui sunt sui, vel alieni Aristot. 1. Topic. & 4. Æthic. cap.* Procedit primò in materia Sacramenti Pœnitentiæ, confessarius enim absoluens simul ligat, absoluitur enim pœnitens à peccatis, & ligatur, atque obligatur ad acceptandam, & exequendam pœnitentiam, vnde ad hoc propositum dixit Diuus Ambrosius relatus cap. Verbum distictione 1. de Pœnitent. *Dominus par ius & soluendi esse voluit, & ligandi.* Procedit secundo pro foro externo, maximè respe[illegible] dinariæ, nam iudex censurans à [illegible] luere potest. Item legislator ab [illegible] potest subditos, quos ligare [illegible] amur respectu potestatis dele[illegible] procedit regula, quia delegans [illegible] vnum sine alio, potest præscribe[illegible] xcommunicationis, & sibi reti[illegible] em, & è contra committere [illegible] sine legatione, vt patet ex [illegible] ent. excom. vbi omnes confessa[illegible] excommunicatione non reseruata, & tamen excommunicare non possunt; in iis enim quæ à delegante pendent, stat pro ratione voluntas, sicut lege aliquando committuntur secundum ligationem tantum, & non secundum absolutionem, nam Episcopus degradare potest sess. 13. cap. 4. non tamen absoluere restituendo in pristinum degradatum.

Quæres 31. An antiquior sit potestas Ecclesiastica

Neu Prē
uardi, e Maestri
A Capucci

mines in ordine ad regnum cœlorum. Explicatur; ex supradictis patet, in Ecclesia esse triplicem potestatem; ordinis, quæ & Sacramentalis dicitur, quia per eam conficiuntur Sacramenta, & Sacramentalia; iurisdictionis item Sacramentalis, seu fori conscientiæ, quo administratur à Sacerdote Sacramentum Pænitentiæ; & iurisdictionis fori contentiosi, per quam feruntur leges, censurantur subditi, & cætera præstantur in bonum reipublicæ. Si clauis spectetur respectu potestatis ordinis, & iurisdictionis Sacramentalis, vocatur spiritualis, & Sacramentalis, cuius actiuè solum est capax Sacerdos, passiuè solum fideles Christiani, quia agitur de Sacramentis, quæ solum intra Ecclesiam Romanam sunt. Si verò spectetur respectu fori contentiosi, vocatur spiritualis in ordine ad gubernandos fideles, & Ecclesiastica, in ordine verò ad infideles, Iudæos, & Paganos dicitur temporalis, sicut & quando respicit merè temporalia. Omnis autem potestas ex supradictis, siue Sacramentalis, siue spiritualis, & Ecclesiastica, siue temporalis ordinatur principaliter ad salutem animarum, vnde rectè dictum fuit, per clauem gubernari homines in ordine ad Regnum cælorum, quicquid enim Ministri Dei agunt, & disponunt, ordinant tandem ad salutem animarum.

140 Notandum tertiò, claues, de quibus supra fit mentio in Euangelio Matthæi promissas Petro, & eidem traditas à Christo illis verbis: *Pasce oues meas*, propriè & presè importare tantum Pontificiam dignitatem, supremam in Ecclesia. *Tum quia*, illi soli, & eius successoribus promissæ, & datæ fuerunt. *Tum quia*, si ex germana & propria significatione referantur ad quamlibet potestatem ex supradictis, iam omnes Sacerdotes essent pares, quod est absurdum. *Tum quia*, potestas fori externi, seu contentiosa omnibus Apostolis indifferenter data fuit, & eorum successoribus, per alia verba, de quibus in sequenti Cap. 18. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcumque solueritis super terram erunt soluta, & in cælo.* Ergo claues soli Petro dantur, cum ille solus nominetur, & in ipso eius Sacerdotes. *Tum* [illegible] cent Sancti Patres Anacletus relatus [illegible] *distinctione 21. & capite 2. distin*[illegible] prian. apud Thomam Bozium *lib.* [illegible] *diuin. capite 7. §. Videamus* D. [illegible] *Princip. 3. capite 8. opusc. 20.* refe[illegible] zio *lib. 1. capite. 13.* Nullus contrad[illegible] priè ea verba dicta sint de Patre.

Nihilominùs Sancti Patres vtun[illegible] ctoritatibus, & nomine clauium [illegible] potestatem tùm ordinis, tùm iurisdict[illegible] nibus Sacerdotibus, & Episcopis, vnde [illegible] Scholastici definiunt, quod clauis est spiritualis

141 potestas ligandi, atque soluendi; quâ Iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet à regno cælorum. Quam definitionem Papa Ioannes XXII. Approbat in cap. *Quia quorumdam* 5. de verb. signific. extrauag. eiusdem. Eodem Clauium vocabulo vsa sunt Sacra Concilia, *Later. Constant. & Tridentin. sess. 14. cap. 6. & 8. & Can. 15.* Itaque Christus pro solius Petri indicanda potestate Pontificia vsus fuit nomine Clauium, Sancti verò Patres, & Concilia illud vocabulum extenderunt ad significandam potestatem ad remittenda peccata.

142 Notandum quartò Christum non vnam clauem, sed duas dedisse Petro, & in ipso eius successoribus, per vnam significatur potestas spiritualis, per alteram potestas temporalis, vt supra insinuaui de duobus gladiis. De qua re infra. Præterea duæ fuerunt datæ Claues Petro, vnam potestatis se tenentis ex parte voluntatis, & potentiæ executiuæ ad imperandum subditis; alteram scientiæ se tenentis ex parte intellectus, qui illuminatur in intelligendis sacris dogmatibus, & decidendis circa fidem controuersiis. Vtramque Clauem Christum dedisse Petro, & eius successoribus probatur, & quidem de claui potestatis non est dubium, quia conceditur, forsan non de altera, probatur, inquam, ex Luca capite 22. 32. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sicut Petrus obtinuit clauem potestatis, ita & clauem scientiæ, cum duas habuerit claues. Quod clauis scientiæ, spectat ad fidem, suadetur, quia bene erudito in rebus fidei non potest deficere fides, siquidem illius habet scientiam, si eruditus est; sed Petro non potest deficere fides ex veraci, & fideli promissione Christi, ergo supponitur habere clauem scientiæ fidei, ergo Petrus in receptione clauium, per quod confirmatus fuit Papa, Pontificij possessionem recepit, nam clauium prædictione rei acquisitæ possessio obtinetur, *l. clauibus ff. de controu. empt.* Decius *consil. 56. numero secundo*, Couar. *lib. 3. Var. capite decimosexto, numero decimotertio.* Duo à Christo Domino habuit, potestatem nimirum gubernandi Ecclesiam, significatam per vnam clauem, & scientiam, seu cognitionem circa fidei dogmata, quibus regitur Ecclesia, circa mysteria fidei. *Confirmatur*, Tum quia Papa non est inferioris conditionis Moyse imò maioris, cui à Deo data fuit non solum clauis potestatis, sed etiam scientiæ, ad educendum populum Dei de manu Pharaonis; Exodi 4. 10. *Non sum eloquens*, numero 12. *Ego ero in ore, doceboque te quid loquaris*, num. 15. de Aarone eius fratre: *Pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis.* Habuit ergo Moyses à Deo vtramque clauem, & potestatem educendi cum eloquentia, & doctrina Israel de [illegible] ergo & Petrus duplicem habuit potesta[illegible] Ecclesiam Dei imperando, & docen[illegible] fidei hominibus. *Tum quia*, Apostolis [illegible] tatis sine vlla discretionis differentia [illegible] clauem scientiæ ad interpretandas sa[illegible] Lucæ cap. fin. numero 45. *Tunc* 143 [illegible] *illorum, vt intelligerent Scripturas.* Illu[illegible] Christus mentem discipulorum ad in[illegible] Scripturarum, & eosdem Spiritus san[illegible] tecostes docuit omnem veritatem, [illegible] *Act. 2. 4. & 17.* Ista doctrinæ in[illegible] intelligenda fidei mysteria fuit communis [illegible] Apostolis, ac proinde etiam Petro communicata, quia cum illis Apostolus erat, & præterea illorum Princeps, Pastor, & Summus Pontifex, sicut ergo specialiter à Christo renuntiatus fuit Pontifex per traditionem clauium, ita etiam specialiter habuit clauem scientiæ significatam in illa clauium pluralitate, & in illis verbis: *Pasce oues meas* per claues imperij, & scientiæ. Non potuit ergo deficere fides Petri, quia habebat clauem sapientiæ per quam sciebat discernere veritatem à falsitate circa mysteria fidei.

Prædictis videtur obstare extrauag. Quia quorumdam 5. deverb. significat. ibi: *Adhuc secundum illos, qui ponunt vnam clauem spiritualem esse scientiam, & secundum illos, qui auctoritatem discernendi inter lepram, & lepram esse afferunt clauem, & aliam potestatem ligandi, atque soluendi, noscuntur euidenter errasse: Supponunt enim per claues huiusmodi circa ea, qua*

quæ fidei sunt, & alia posse per constitutionem aliquam definiri, claues autem, quæ in Sacerdotali conferuntur ordine ad talia minimè se extendunt, alias sequeretur, quod circa præmissa possent constitutionem Sacerdotes simplices facere, quod falsum est euidenter. Si autem intendant claues istas extendere ad generalem potestatem attributam Beato Petro, suisque successoribus in personam eiusdem in commissione officij Pastoralis, per quam vtique videtur euidenter ipsis omnia concessisse, sine quibus Pastoralis vniuersalis conuenienter cura nequit, seu officium expediri. Ad hoc claret etiam ipsos errare; dicunt enim alium effectum habere illa, quæ per clauem scientiæ, & alium illa, quæ per clauem potentiæ statuuntur, supponentes, alia per clauem scientiæ, & alia per clauem potentiæ statui, seu etiam definiri. Quod euidenter est falsum, per clauem enim scientiæ, siue per auctoritatem discernendi, seu cognoscendi inter lepram, si ipsam dixerimus esse clauem, nil aliud per ipsam illi cui datur, tribuitur, nisi auctoritas cognoscendi; si autem cui datur auctoritas de re aliqua cognoscendi, de illa definiendi non intelligitur esse data. Quare restat, quod ad conuenienter statuendum, seu aliquid definiendum, vtraque clauis, scilicet cognoscendi, & definiendi necessariò requiratur, vel quod soli claui potentiæ statuere competat, & etiam definire; sed sicut lumen materiale clauigerum in vsum clauis materialis dirigit, & quasi quantum ad hoc obtineat scientia vicem lucis. Et hoc saluator noster in promissione clauium facta Beato Petro sensisse videtur expressè, cum post illam immediatè subiunxerit: Et quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, nulla de scientia habita mentione.

144

Ex dictis formatur argumentum probans in Petro non dari huiusmodi clauem scientiæ: primò, quia omnis clauis confertur in ordinatione, ergo omnis Sacerdos haberet eam clauem, ac proinde posset per illam statuere, & definire, quod falsum est, quia habens auctoritatem cognoscendi, non ideo habet auctoritatem definiendi. Secundò, quando Christus promisit claues Petro, nullam mentionem fecit de scientia, ergo nulla ei tradita fuit clauis scientiæ.

Respondetur, mens summi Pontificis non fuit destruere clauem scientiæ, sed negauit per eam Sacerdotes simplices posse statuere, præcipere, & imperare, vt perperam nonnulli volebant subsequenter Pontifices decreta per clauem scientiæ non possunt mutare, nec reuocare; vtique verò posse mutare, & reuocare, quæ prædecessores statuissent per clauem pœnitentiæ. Inuehitur ergo Papa contra hanc explicationem Clauis scientiæ, declarando esse errorem dicere, quod per clauem scientiæ ordinentur, & definiantur mysteria fidei, & alia per clauem potestatis, quia si illud esset verum omnes Sacerdotes, qui in sua ordinatione claues recipiunt, possent super prædictis definire, quod omnino falsum est, ergo & id esse munus clauis scientiæ, ita quod hæc clauis scientiæ neque Beato Petro, neque eius successoribus tradita fuit in hoc sensu statuendi, & definiendi, quia quando saluator dixit Petro. Quæcumque ligaueris, &c. nullam mentionem fecit de scientia, neque enim per eam quis absoluitur, aut ligatur, sed tantum per clauem potestatis. Nos autem superiùs diximus, & probauimus sub nomine clauium à Christo traditarum Petro comprehendi clauem non solum potestatis imperandi, statuendi, & definiendi, sed etiam scientiæ cognoscendi, & dirigendi, quomodo sit imperandum, statuendum, & definiendum, clauis ergo scientiæ illuminat, docet, instruit, & detegit; non verò imperat, statuit, ordinat, nec definit, quia id est munus alterius clauis, quæ dicitur potestatis. Summus ergo Pontifex Ioannes XXII. Petro, & successoribus suis non negat clauem scientiæ ad cognoscendum, sed ad definiendum. Ex hactenus notatis, & discussis tanquam præmissis infertur conclusio responsiua ad quæstionem.

℞. Claues Ecclesiæ sunt duæ, vna scientiæ, alia potentiæ. Clauis scientiæ confertur à Deo immediatè Pontifici Romano in sua electione, sicut collata fuit primum Petro non solum sub nomine alterius clauis, sed etiam cum illi dictum fuit: *Fides tua non deficiet.* Hæc clauis scientiæ nulli alij confertur extra Romanum Pontificem, vnde Sacerdotes in ordinatione sua accipiunt tantum clauem potestatis ligandi, & soluendi, scientiam verò debent propriis viribus acquirere. Collata autem fuit omnibus Apostolis ex supra allata auctoritate: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Clauis potentiæ simul cum claui scientiæ promissa Petro, data fuit quoque simul illis verbis: *Pasce oues meas*, doctrina, & imperio. Clauis autem potentiæ comprehendit sub se potestatem ordinis, potestatem iurisdictionis fori conscientiæ, & potestatem contentiosam fori externi. Hæc omnia patent ex supra dictis, & magis patebunt in sequentibus. 145

Quæres 30. An par sit potestas ligandi, & absoluendi?

℞. Pari passu currunt ligatio, & solutio, vnde qui potest absoluere potest etiam condemnare, & è contra, qui non potest absoluere, neque condemnare *l. qui condemnare 3. de re iud. l. Nemo 38. ff. de reg. iurisd. cap. Inferior distinctione 21. & cap. Cum inferior 16. de maior.* Doctores assignant quatuor regulas. *Prima*, Qui potest condemnare, potest absoluere. *Secunda*, Qui potest absoluere, potest condemnare. *Tertia*, Qui non potest condemnare, nec potest absoluere. *Quarta*, Qui non potest absoluere, neque condemnare. Ratio horum desumitur ab alia regula, quæ habet, quod contrariorum eadem est disciplina, *Institut. de iis, qui sunt sui, vel alieni Aristot. 1. Topic. & 4. Æthic. cap.* Procedit primò in materia Sacramenti Pœnitentiæ, confessarius enim absoluens simul ligat, absoluitur enim pœnitens à peccatis, & ligatur, atque obligatur ad acceptandam, & exequendam pœnitentiam, vnde ad hoc propositum dixit Diuus Ambrosius relatus cap. Verbum distictione 1. de Pœnitent. *Dominus par ius & soluendi esse voluit, & ligandi.* Procedit secundo pro foro externo, maximè respectu potestatis Ordinariæ, nam iudex censurans à censura quoque absoluere potest. Item legislator ab eadem lege absoluere potest subditos, quos ligare potest. Si verò loquamur respectu potestatis delegatæ, non semper procedit regula, quia delegans potest committere vnum sine alio, potest præscribere fulminationem excommunicationis, & sibi retinere illius absolutionem, & è contra committere tantum absolutionem sine legatione, vt patet ex cap. Nuper de sentent. excom. vbi omnes confessarij absoluunt ab excommunicatione non reseruata, & tamen excommunicare non possunt; in iis enim quæ à delegante pendent, stat pro ratione voluntas, sicut lege aliquando committuntur secundum ligationem tantum, & non secundum absolutionem, nam Episcopus degradare potest sess. 13. cap. 4. non tamen absoluere restituendo in pristinum degradatum. 146

Quæres 31. An antiquior sit potestas Ecclesiastica

stica ciuili? Ecclesiastica est illa, quæ competit solis Ecclesiasticis, & ordinatur ad animam. Ciuilis, seu laicalis, quæ omnibus communis est tum Clericis, tum laicis, ordinatur præcisè ad corpus.

147 ℞. Simul eodem tempore ab initio mundi vtraque potestas à Deo data fuit Adamo, & in ipso eius posteris. Probatur, quia homo ab initio mundi non solùm fuit capax, sed etiam indigens regimine, & gubernatione tam quoad corpus, quam quoad animam, cum propter peccatum natura sit deprauata, & deordinata, ergo Deus homini ab initio prouidit simul de vtraque potestate, spirituali ad regendum animam, & temporali ad gubernandum corpus. Confirmatur, quia secundum Philosophiam correlatiua sunt simul natura in relatione, secundum quam se respiciunt; sed homo simul fuit quoad animam, & corpus, nihil enim est præter hæc in sensu physico, & secundum vtrumque in ratione subiectionis, & gubernationis passiuæ simul est in ordine ad potestatem, ergo vtraque potestas ab initio à Deo data fuit homini. Deinde ab initio fuit Dei cultus etiam exterior quoad sacrificia, ergo & potestas spiritualis ad illum regulandum, & exercendum, vnde legitur, quod Caïn, & Abel obtulerunt munera Domino, ille quidem potestate irregulata, iste verò potestate ordinata, ideò sacrificium Caïn Deo displicuit, Abel verò placuit, vnde de isto in Missa dicitur: *Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Et hæc de fide esse colliguntur ex Sacris Scripturis.

Quæres 32. An potestas laica dependeat à potestate Ecclesiastica?

148 ℞. Potestas laica, & ciuilis dependet à potestate spirituali, & Ecclesiastica, à qua dependenter deriuatur in Principes laicos. Probatur *primò*, ab vnitate ab omnibus, & in omnibus seruanda, ea enim in omnibus commendatur *cap. In apibus* 41. 7. *quæst.* 1. Et dependentia vnius ab alio attenditur, nam Deus in Creatione hominis primò masculum formauit Adam, deinde fœminam Euam dependentem ab illo, nam ex huius ossibus produxit illam, vt legitur Genes. cap. 2. 21. Pariter, quando Deus voluit liberare populum suum de manu Pharaonis constituit ducem Moysen, Exod. 3. Et dedit ei dependenter in coadiutorem Aaron Fratrem eius, non enim Deus elegit Aaron per seipsum, sed mediante Moyse, vt colligitur ex capite 4. 15. Illis verbis: *Loquere ad eum*, id est, ad Aaron, *Et pones verba mea in ore eius & ego ero in tuo, & in ore eius.* Ecce, quod Deus immediatè dedit potestatem Moysi liberandi populum Israel de Ægypto, mediatè verò ministerio Moysi fratri Aaron, quem voluit ab eo dependere; ex quo idem concludendum est in casu nostro, quod Deus immediatè communicando potestatem spiritualem Ecclesiæ suæ in Adamo, simul & semel eidem dependenter à spirituali tradidit temporalem, quia simul erat Sacerdos, & Rex; Sacerdos, vt per cultum diuinum animum Deo ordinaret, Rex verò vt per cultum temporalem corpus subiiceret animæ, vt tandem vtrumque ad Deum vti ad vltimum finem dirigeret.

149 *Secundò* hæc dependentia probatur *ex cap. Solitæ 6. de maior.* ex subordinatione duorum luminarium cæli, maioris, quod est Sol, & minoris, quod est Luna, nam sicut Luna subordinatur soli, & illa tanquam luminare minus ab hoc, quod dicitur luminare maius, *Genes.* 1. 16. Lumen recipit, ita potestas regalis, seu imperatoria figurata in luminari minore subordinatur, & dependet à potestate Ecclesiastica figurata in luminari maiore, quod dat, & communicat potestatem regiam Principibus secularibus per traditionem gladij, nam Papa tradit gladium Imperatori, & hic illi fidelitatem iurat, cap. Tibi 150
Domino 33. distinctione 63. Quod indicat dependentiam potestatis laicæ à potestate Ecclesiastica. *Tertiò* Imperator, Reges, Magistratus & cæteræ potestates vocantur in suis regiminibus filij, & discipuli Ecclesiæ, & eius sponsi, & magistri, qui est Pontifex Romanus, *cap. Quis dubitet* 11. *distinctione 96.* Sed filij dependent à patre, & discipuli à Magistro, ergo Principes vti filij, & discipuli suam potestatem debent recognoscere vti dependentem ab Ecclesiastica, de qua dependentia, cap. Duo 12. distinctione 96. Ibi: *Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.* Probatur *quartò*, quia in Ecclesia sunt duo gladij, Lucæ 22. 38. *Ecce duo gladij hic*, id est, in Ecclesia, inquit Bonifa- 151
cius VIII. Qui rem hanc definit relatus in extr. com. de maior. ibi: *Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati.* De hoc duplici gladio. *Gloss. v. cælestis cap.* 1. *de distinctione* 22. Vbi diuersa iura ad hoc referuntur. Potestas igitur imperatoria dependet ab Ecclesiastica, docent Bartholomæus, *in l.* 1. §. *Præsides, ff. de requir. reis num.* 4. *Abbas in cap. Nouit. de iudic. num.* 11. *& in cap.* 1. *de probat.* Nauar. *tom* 4. *super dictum cap. Nouit. num.* 19. *&* 20. Gonzal. *in in proœm. Reg.* 8. *Cancell. glossa* 1. *num.* 13. S. Thomas *opusc.* 10. *lib.* 3. *cap.* 10. Dicit, quod imperium, & omne Dominium temporale essentialiter dependet ab Ecclesiastico; vnde ius ciuile id agnoscens, declarauit aditum patere à tribunali laico ad Ecclesiasticum, *l. Episcopale C. de Episcop. audient.* De hac re sermo redibit, cum agetur de potestate temporali summi Pontificis.

Nec prædictis obstant, quæ referuntur ex diuersis glossis & Doctoribus, vt *in gloss. v. Discreuit, cap. quoniam* 8. *distinctione* 10. Vbi dicitur, quod ex discretione potestatis Sacerdotalis, & regalis, *& in cap. Duo* 10. *distinctione* 96. Argumentum desumitur, quod imperium non habetur, nec dependet ab Ecclesia, & quod Papa non habet vtrumque gladium, & imperium à solo Deo habetur, *cap. Quæsitum* 23. *quæst.*4. alioquin si ab eo haberetur, licitè appellaretur in temporalibus ab eo ad Papam. Nam subsequens glossa oppositum probat, quia Papa est moderator cælestis & terreni imperij, cap. 1. distinctione 22. Et imperator iurat Papæ fidelitatem *cap. Tibi Domino dist.*63. Et Papa deponit imperatorem, *cap. Alius* 15. *q.*6. & imperium transtulit de oriente in occidentem, *cap. Venerabilem, de elect.* Patet ergo ex his distinctionem vnius potestatis ab alia non arguere independentiam temporalis à spirituali, sed solum diuersitatem illarum dicere, in exercitio, & opere atque in habentibus potestatem, qui sicùt sunt diuersi in prædictis, ita & potestas discernitur ex illis, & non tollitur dependentia, quæ supponit diuersitatem. Neque ex illo cap. Quæsitum, colligitur, potestatem laicam à Deo immediatè datam fuisse Principibus, nam ibi dicitur: *Meminerint enim à Deo potestates has fuisse concessas*, quod non negamus, quia de fide est Roman. 13. sed huiusmodi concessio fuit ministerio summi Sacerdotis, cuius est disponere de omnibus potestatibus, cum solus potissimum in tertij vicem Dei gerat, *cap.* 3. *de translat. Episc. cap. vt nostram, vt Eccles. benef.* Quare Imperator accipit gladium signum imperatoriæ potestatis à Pontifice Romano? nisi

niſi quia regalis poteſtas dependet à ſacerdotio. Cur nunc nouus Rex Portugalliæ quærit confirmationem à Papa? Niſi quia regia poteſtas dependet à ſacerdotali?

Quæres 33. An poteſtas Eccleſiaſtica ſit maior, & præſtantior poteſtate laicali, & ciuili?

152 ℞. Affirmatiuè. *Tum quia* maius præponitur minori, cum illud præſtantius hoc, & quod eſt propter aliud, eſt minus, quam id, ad quod eſt; ſed anima præponitur corpori, hoc enim eſt propter animam, *cap.*
153 *ſedulò* 12. *diſt.* 28 *l. ſancimus, C. de ſacroſ. Eccleſ. Ariſt.* 1. *de Anim.* dicente, corpus animi cauſa conſtitutum eſt, ergo ſicut anima præponitur corpori, ita poteſtas ſpiritualis præfertur laicali. *Tum* ex fine vtriuſque poteſtatis, nam laica regulat corpus, & ſpiritualis animam; ſed anima eſt dignior, & præſtantior corpore, cap. Infirmitas 13. de pœnit. ergo & poteſtas ſpiritua-
154 lis maior eſt, & præſtantior poteſtate temporali. *Tum quia* illa poteſtas eſt maior, quæ alteri dominatur, & illius factum deſtruere poteſt, ſed lex canonica condita per ſpiritualem poteſtatem moderatur, & deſtruit legem ciuilem, ſi opus eſt, *cap. conſtitutiones* 4. *diſt.* 10. *cap. Filius* 5. *cap. Cum eſſes* 10. *cap. Relatum* 11. *de teſtam.* ergo maior eſt poteſtas ſpiritualis laica. Tum quia, cap. ſolitæ 6. de maior. poteſtas ſpiritualis comparatur ſoli, laica vero lunæ; ſed ſol eſt maior luna, ergo. Tum quia gladius temporalis ſubeſt gladio ſpirituali, extr. com. de maior. Tum quia *cap. ſuſcipitis* 6. *diſt.* 10. multo perfectior eſt principatus ſacerdotij principatu imperij, & habetur *cap.* 1. *de ſacr. vnct.* §. Vnde, quare magis obediendum eſt Papæ, quam imperatori, *cap. Reprehenſibile* 18. 23. *q.* 8.

Quæres 34. An poteſtatis Eccleſiaſticæ ſint capa-
155 ces laici? Noto Membra Eccleſiæ immediatè diuidi in Clericos, & laicos, illi dicuntur, qui ſi nullo ordine ſunt inſigniti, tamen ad minus habere debent primam Tonſuram, vel ſunt religioſi hæc igitur hominem baptizatum transfert de ſtatu laico ad ſtatum clericalem. Laicus vero dicitur, qui caret primâ tonſurâ, & ordinibus, neque eſt religioſus.

156 Quare vt quis de non Clerico fiat Clericus requiritur prima tonſura, *cap. Cum contingat* 12. *de ætat. gl. v. eod. clem.* 2. *de vita*, quod etiam colligitur *ex c.* 1. *diſt.* 21. vbi licet clerici vocentur, qui aliquo ordine ſunt inſigniti, etiam Sacerdos, non hinc tamen excluditur inſignitus primâ tonſurâ, quamvis non ſit ordo, quia ab ipſa nomen clerici accipitur, nam Κλῆρ græce vocatur latine ſors, & hæreditas Domini, vnde quando Epiſcopus tonſurat aliquem vt dignus, & aptus ſit ad ordines, profert huiuſmodi verba cum perſona, quæ tonſuratur: *Dominus pars hæreditatis meæ*, ad inſinuandum nomen clerici proximè accipi ab actione tonſurationis, dum Epiſcopus ſcindit ſuperfluitatem capillorum. Hoc duplex genus Chriſtianorum refert D. Hieronymus *relatus cap. Duo ſunt* 7. 12. *q.* 1. vbi nomen clerici extendit ad deuotos Dei, id eſt, ad conuerſos, id eſt, religioſos, qui carent tonſurâ clericali, in religionibus inſeruientes clericis regularibus, hos tanquam verè non clericos diſtinxit Innocentius II. *relatus cap. Si quis* 29. 17. *q.* 4. dum fulminauit excommunicationem contra iniicientes manus violentas in clericum, vel Monachum. Conuerſi ergo religioſi meliùs vocantur perſonæ Eccleſiaſticæ, quam clerici, cum nullo ordine, nullâ tonſurâ ſint inſigniti. Vide quæ dixi *Reſol.* 54. *num.* 41. *& à num.* 90. vbi nomen clerici extendi ad tonſuratos more religioſorum, licet nondum habeant tonſuram communem, quæ dicitur præparatio ad ordines.

℞. Laici ſunt incapaces poteſtatis ordinis, & iuriſdictionis clericalis. Poteſt tamen Papa de iure abſoluto poteſtatem iuriſdictionis illis communicare.

Primum de incapacitate vtriuſque poteſtatis probatur, quia poteſtas vtraque ſupponit ſtatum clericalem, ſuper quem fundatur ſpiritualitas vtriuſque poteſtatis, & contradiſtinguitur à ſtatu laicali, ex diametro, ergo laicus eſt incapax vtriuſque poteſtatis, cum careat fundamento clericatus, ſuper quo fabricatur vtraque poteſtas; neque enim forma etiam moralis introduci poteſt in aliquod ſubiectum, niſi illud ſit proximè diſpoſitum ad illam; clericatus autem eſt diſpoſitio ad vtramque poteſtatem, ergo neceſſe eſt, 158
quod homo per illum diſponatur via ordinaria. Quod laici non poſſint exercere actus ordinis præſertim ſacerdotalis celebrandi, abſoluendi, &c. eſt de fide definitum in Tridentino, & Florentino, contra Luteranos, qui indifferenter contendunt quemlibet hominem baptizatum eſſe Sacerdotem, quod impium eſt aſſerere, & ex natura rei colligitur iſtius falſitas, ſi enim omnes ſunt ſacerdotes, cui Sacerdos inſeruiet, niſi Sacerdoti? quod eſt expreſſa confuſio ſine vllo ordine, inter fideles ergo alij Sacerdotes, alij non ſacerdotes eſſe debent, vt vnus ſacra det, & alter ea recipiat. Idem omninò dicendum eſt de poteſtate iuriſdictionis, vt deducitur ex diuerſis ſummorum Pontificum decretis, *cap.* 1. *diſt.* 96. *cap. Eccleſia, de conſtit. cap. contingit, de arbitr. cap. Cum laicis, de reb. Eccl. non alien. cap. Decernimus, de iudic. c. Tua, de decim.* Adeóque incapaces ſunt, vt nulla conſuetudine ſibi eam 159
acquirere poſſint, nec præſcribere. *Panorm. in cap. fin. de conſuet. Sayr. lib.* 1. *de cenſ. cap.* 5. *num.* 14. *lib.* 1. Diana *par.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 65.

Secundum, quod Papa poſſit delegare puro laico 160
poteſtatem iuriſdictionis, probatur, quia iure Eccle- 161
ſiaſtico inductum fuit, vt ſolus clericus vteretur iuriſdictione Eccleſiaſtica, vt doceat omnes cum *gl. v. Præter Romanum diſt.* 96. *Sayro lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. Ordi- 162
nis autem poteſtas eſt indelegabilis, cum à ſolo Deo conferatur in ordinatione facta per Epiſcopum.

Quæres 35. An poteſtas regia & ſacerdotium ſimul fuerint in eadem perſona ſub veteri lege?

℞. Sub eadem perſona Eccleſiaſtica erat poteſtas 163
ſacerdotij, & regia, vt colligitur ex Sacra Scriptura, nam cap. 14. Geneſ. 18. dicitur: *At vero Melchiſedech rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi, benedixit ei.* Refertur pariter ad Hebr. cap. 7. initio, & in Canone Miſſæ, vbi dicitur ſummus Sacerdos. Moyſes pariter fuit Sacerdos, rex, & dux ad liberandum populum Dei de manibus Pharaonis, vt legitur Exodi 3. 4. 13. 28. & Pſal. 98. dicitur: *Moyſen, & Aaron in ſacerdotibus eius.* Clemens *lib.* 2. *conſtitut. Apoſtol. cap.* 29. *cap.* 1. *diſt.* 1. *de conſecr.* Turrecr. *tom. in cap. Decretis diſt.* 21. *num.* 10. Similiter Samuel erat ſimul Sacerdos, & dux, ſeu iudex populi 1. *Regum cap.* 2. 7. *&* 8. Salomon quoque fuit ſimul Sacerdos, & rex, legitur *lib.* 2. *Paralipom. cap.* 7. Conſtat ergo ex his in veteri lege, eandem perſonam populum gubernaſſe in ſpiritualibus, & temporalibus, conſequenter, vtramque poteſtatem fuiſſe in perſona non laicali, ſed Eccleſiaſtica, nam ſupra probatum fuit, perſonam Eccleſiaſticam eſſe capacem vtriuſque poteſtatis, non vero laicalem, cuius eſt ſæcularia tantum gubernare.

Quæres 36. An in lege Euangelica vtraque poteſtas collata fuerit eidem perſonæ, ſicut conferebatur in veteri?

℞. Affirmatiuè, nam Chriſtus nouæ legis conditor, 164
& totius Eccleſiæ caput fuit ſimul Sacerdos, & rex, quod de fide tenendum eſt, nam de ſacerdotio: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Sæpè in Sacra Scriptura vocatur Summus Sacerdos, magnus Pontifex. Chriſtus Rex eſt, princeps, & Imperator totius vniuerſi, Ioan. 1. 49. *Tu es Rex Iſraël.* Apoc. 19. 16. *Rex regum, & Dominus dominantium.* Ideò bene de ſe teſtatur Matth. 28. 18. *Data eſt mihi*

omnis potestas in cœlo,& in terra. Si omnem habet potestatem, ergo sacerdotalem,& regalem,spiritualem, & temporalem, nullo loco coarctatam, cum sit Dominus cœli, & terræ, ergo vbique dominatur. Pro ampliori intelligentia huius responsionis, super qua nonnulli dubitant negantes Christo homini Dominium temporale, instituenda est sequens quæstio.

Quæres 37. An Christus habuerit dominium temporales provt homo?

165 ℞. Christus vt homo fuit rex temporalis, & habuit potestatem, & dominium temporale. Probatur auctoritatibus Sacræ Scripturæ Isaiæ 9. *Paruulus natus est nobis,& filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis,Consiliarius,Deus fortis,Pater futuri sæculi,princeps pacis,multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis:super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio,& iustitia amodo,& vsque in sempiternum?* Prophetia hæc secundum omnes est de Christo,qui vocatur Rex sedens super solium Dauid, & regnum eius;certum autem est Dauid fuisse Regem temporalem, ergo & Christus dum sedit super illius solium, de quo testatur Angelus ad Mariam Matrem, & Reginam Lucæ 1. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius,& regnabit in Domo Iacob in æternum.* Magi Reges,viri Doctissimi,qui ab oriente venerunt adorare, & recognoscere illum in Regem super se, confessi sunt Regem:*Vbi est,qui natus est Rex Iudæorum.* Marcus cap. 11. *Osanna benedictus, qui venit in nomine Domini, benedictum, quod venit regnum Patris nostri Dauid.* Idem testatur Lucas cap. 19. *Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister increpa discipulos tuos:quibus ille ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Pharisæi ex inuidia nolebant, vt à Discipulis Christus nominaretur Rex,quibus respondit Christus,si Discipuli mei impediantur,lapides, & insensibilia me Regem acclamabunt. Nonne Pilatus appellauit eum Regem,cum dixit:*Regem vestrum crucifigam?* & in signum veritatis voluit,vt titulus crucis,in quo exprimebatur Rex, permaneret, non obstante Iudæorum contradictione. Paulus ad Philip. 1. Christus fatetur Regem temporalem his verbis:*Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Flexio genuum dicit subiectionem, si ergo omne genu flectatur illi,ergo habet dominium temporale, quia non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter debetur huiusmodi subiectio.

Sancti Patres hoc temporale dominium in Christo agnouerunt,Sanctus Gregorius: *In propria venit, & sui eum non receperunt: In propria non natura,neque gratia, nec religione, sed potestate,* S. Iustinus Martyr inquit:*Christus est Rex,Sacerdos, Deus,Dominus, Angelus, Homo, Imperator. Scriptura dicente. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,etenim regibus omnibus, Christisque ex eius consortio,Reges, Christosque vocari contigit, quemadmodum, & ipse à Patre accepit,vt esset Rex Christus,Sacerdos, & quicquid simile habet,vel habuit.* Magi in adoratione obtulerunt Christo tria munera, aurum, thus, & myrrham, in quibus illum agnoscunt Regem, & sacerdotem,dicente Ecclesia: *In auro vt ostendatur Regis potentia, in thure sacerdotem magnum considera,& in myrrha Dominicam sepulturam.* Ratio horum omnium sit, quia Christus homo, & in quantum homo est Filius Dei naturalis, Lucæ 1.35. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Rom. 8. 32. *Qui proprio filio non pepercit,*&hoc habet ratione hypostaticæ vnionis, in qua fundatur ius filiationis, & ius ad hæreditatem paternam, sed Deus est Rex, Sacerdos, & Dominus omnium, ergo & Christus eius filius, quem constituit hæredem vniuersorum tam temporalium,quam spiritualium, vnde in Psalmo 2.dicitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Idem prophetauit Daniel 7.13. *Et dedit ei potestatem, & honorem,& regnum.* Christus ergo Rex temporalis est,& non tantum spiritualis,cum sit vt homo verus, & proprius Dei Filius, ergo & verus Rex temporalis.Hanc responsionem tenent plerique cum S.Antonino,Turrecremata,Hostiense,Panormitano, Nauar. & aliis apud Valent. *de Incarnat.q.*22.

Plures Patres ex Societate Iesu,Bellarminus,Becanus *de iustitia cap.* 3. q. 7. tenent Christum hominem non fuisse Regem temporalem, nec habuisse dominium,aut iurisdictionem temporalem in hoc mundo. Quod hâc ratione probat, quia regnum temporale potest acquiri quatuor modis,seu titulis,primò hæreditate, secundò electione populi, tertiò iure belli, 166 quartò donatione superioris.Christus nullo ex his titulis fuit Rex. Non primò, quia licet natus sit ex familia Dauid regia,tamen regnum ablatum fuit ex ea familia,antequam Christus nasceretur,Ierem.22.30. Nec secundò,quia noluit acceptare electionem suam in Regem,Ioan.6.15. Cum cognouisset,quia venturi essent,vt facerent eum Regem,fugit iterum in montem solus. Nec tertiò, quia bellum nunquam gessit cum aliquo principe.Nec quartò,quia Pater dedit illi regnum tantum spirituale, Lucæ 1.32. *Dabit illi Dominus Deus sedem Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum,* Matth.28.18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Hæc & similia loca, inquit,accipienda sunt de potestate spirituali,vt ipsemet Christus se explicat,dum Ioan.18.36.dicit:*Regnum meum non est de hoc mundo.* Confirmatur, *Primo,* quia hoc dominium non erat Christo vtile ad eum finem, per quem venit in mundum, ad redimendum nempe genus humanum. *Secundò,* Christus requisitus Lucæ 12.super diuisione cuiusdam hæreditatis, respondit:*Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos,* ex quibus constat, Christum non fuisse Regem, nec Iudicem temporalem in hoc mundo, ideò noluit ferre sententiam diuisionis in ea hæreditate.

Respondendum est,Christum fuisse verum regem temporalem non solum iure hæreditario, quia est Dei Filius naturalis vt homo, verum etiam titulo donationis exprimente ius hæreditatis, & ex parte Virginis successiuè in regnum Iudæorum. Hæc tria deducuntur ex auctoritatibus, & rationibus superius adductis. Nam de iure hæreditario constat, quia est Filius Dei naturalis,*quem constituit hæredem vniuersorum,* inquit Apostolus ad Hebr.1.2.titulo donationis. *Donauit illi nomen,quod est super omne nomen,vt in nomine Iesu omne genu flectatur,cœlestium, terrestrium,& infernorum.* Esto potestas super cœlestia sit spiritualis, tamen temporalis erit super terrestria, & inferiora: Respectu matris, cui successit in regno Iudæorum fuit Rex,vt testatur Angelus,dum eam salutauit:*Dabit illi Dominus Deus sedem Patris eius,*nomine Patris venit Rex Dauid, cuius regnum hæreditauit Christus, de quo Apostoli: *Sperabamus, quod ipse esset redempturus Israël;* & mater filiorum Zebedei rogabat Dominum, vt eius duo filij sederent vnus ad dexteram,alter ad sinistram in regno suo,id est,Iudæorum, quod vsurpauerat Herodes.

Ad auctoritatem Ieremiæ 22. *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur,neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid,& potestatem habeat vltra in Iuda.* Respondetur. *Primò,* Iechoniam,de quo ibi est sermo,sterilem fuisse in regia potestate, quia nullus ex eius filiis, & descenden

deſcendentibus fuit Rex, vt docet D. Hieron. *Secundò*, Chriſtus cum non fuerit de ſemine Iechoniæ, ſed de ſemine Virginis Mariæ, quæ fuit de radice Ieſſe, iuxta illud Iſaiæ: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Non poteſt intelligi hæc prophetia de Chriſto, quod non ſedebit ſuper ſolium Dauid, præſertim cum Lucæ 1. 32. *Dabit illi Dominus ſedem Patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Quare cum Iſaias loquatur de deſcendentibus à Iechonia, à quo non deſcendit Chriſtus, qui à ſola Virgine deſcendit, & hæc ex radice Ieſſe, ſequitur ibi nullam mentionem fieri de Chriſto. Tertiò, *non erit vir*. i. purus homo, qui ſedeat ſuper ſedem Dauid, Chriſtus autem non eſt purus homo, ſed Deus, & homo, & ideò prophetia non loquitur de ipſo.

Secundò, Chriſtus noluit acceptare electionem de ſe faciendam in Regem, Tum quia iam Rex erat à Deo proclamatus, ideò fugit electionem hominum. Tum quia erat Rex natus à Deo, & illis competebat regnum iure hæreditario, ideò noluit fieri Rex ab hominibus. Tum quia illa gens nullum habebat ius eligendi illum in Regem, ideo nolendo conſentire in eorum minus legitimam electionem, fugit ab eis.

Tertiò, quod ait illas auctoritates intelligi de donatione regni ſpiritualis, falſum omnino eſt. Nam illa prior auctoritas ab Angelo prolata: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius*, intelligitur liberaliter de ſede, & dominio temporali, nam Chriſtus fuit filius naturalis, verus, & proprius Mariæ Virginis, quæ erat de ſtirpe Dauid, ergo per ſedem Dauid intellexit Angelus ſedem regiam dominij temporalis, omnes enim Sancti Patres cum Eccleſia confitentur Virginem Mariam eſſe ex ſtirpe Dauid, ac proinde talem eſſe Chriſtum eius filium, ergo ea verba intelligenda de regia naturali, de ſede, & poteſtate temporali, & non de ſpirituali, ſi volumus percipere verum ſenſum litteralem, qui non repugnat huic textui.

Ad illud: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Reſpondetur eſſe intelligendum de vtraque poteſtate ſacerdotali ſimul, & regia. Vtraque poteſtas
167 ſignificatur à Ioanne in Apocal. *cap.* 1. 16. per illum gladium vtraque parte acutum, qui exibat de ore Chriſti, de quo iterùm fit mentio *cap.* 19. 15. pariter *cap.* 2. 12. dicitur habere rompheam vtraque parte acutam, quod certè indicat vtramque poteſtatem, nam nomen gladij importat poteſtatem, duplex verò illius acumen ſignificat coercitionem, & punitionem, non enim datur poteſtas, & iuriſdictio ſine coercitione, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, vnus autem eſt gladius, vna tantum romphæa, quia à Chriſto eſt omnis poteſtas tanquam ab vno principio, à quo deinde deſcendit in homines.

Ad aliud Pſalmi 2. *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo.* Dico non bene interpretari de Sacerdotio, ſeu poteſtate ſpirituali, nam Sacra Scriptura vtramque poteſtatem ſuis terminis ſufficienter explicauit, vt notum eſt, nulla ergo ratio confundendi terminos, & eorum ſignificationes ſine cauſa. Et ibidem ſermo eſt de Rege ſecundum dominium temporale nam textus ſequitur: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Poteſtas ſpiritualis eſt benigna, & in ædificationem animæ, non ergo eſt virga ferrea, quæ confringit, quod percutit, intelligitur ergo de dominio temporali, quod corpus percutit, & confringit, quando opus eſt.

168 Ad aliam auctoritatem ore Chriſti prolatam. *Regnum meum non eſt de hoc mundo* Reſpondetur. *Primò*, Regnum meum non eſt de hoc mundo, id eſt, à me acquiſitum iure mundano, quia à Deo eſt immediatè mihi traditum. *Secundò*, regnum meum non eſt de hoc mundo, id eſt, mundus non vult me recognoſcere in Regem. *Tertiò*, regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, eo modo, quo regnant impij reges iniquitatem facientes, ex D. Auguſt. tractat. 115. in Ioannem. *Quartò*, regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, quia Chriſtus non tenuit militiam armatam, ſicut habent reges mundi, Cyrillus lib. 12. cap. 12. *Quintò*, regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, quia regna huius ſæculi tranſeunt à dominio vnius ſub dominio alterius, Chriſtus autem dominium habet immutabile, & perpetuum, vt dixit Angelus ad Mariam Virginem: *Et regni eius non erit finis. Sextò*, regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, quia Reges huius mundi ſunt temporales, & quandoque tyrannicum habent dominium, non ſic Chriſtus regnum habet tyrannicum, ſed iuſtum, & legitimum perpetuò permanens in eo.

Ad confirmationem, ex eo, quod regnum temporale non erat neceſſarium, nec vtile ad conſequendum regnum cœleſte, non ſequitur Chriſtum caruiſſe dominio temporali, ſed tantum illud habuiſſe abſolutè, & ſimpliciter tanquam ſibi debitum iure hæreditario, quia Dei Filius erat naturalis. Sanctus verò Thomas in opuſc. 20. cap. 15. ait: *Quamvis enim temporaliter eſſet Dominus orbis directè, tamen ad ſpiritualem vitam, vt habeant, & abundantius habeant*. Chriſtus ergo Rex temporalis nos perduxit ad regnum ſpirituale, vt per temporalia non duceret ad cœleſtia.

Ad auctoritatem Lucæ: *Homo quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos.* Reſpondeo *primò*, 169
Chriſtum non negaſſe ſe iudicem, & diuiſorem, ſed tantum ſe declarat, nolle facere diuiſionem, quia ex ea vt plurimum diſcordia naſcitur. *Secundò*, illi duo fratres putabant, Chriſtum eſſe factum iudicem ab homine aliquo ſuper ſeipſos, ideò Chriſtus reprehendit dicendo. *Quis homo me conſtituit veſtrum diuiſorem?* Noluit ergo exercere illum actum diuiſionis non quia non poterat, ſed ne daret occaſionem aliis procurandi in familia diuiſionem, quæ eſt cauſa, qua familiæ depereunt.

Quæres 38. An Chriſtus exercuerit dominium temporale, dum vixit in hoc mundo?

℟. Chriſtus exercuit dominium temporale, vt colligitur ex actis eius apud Euangeliſtas, nam *primò* 170
Lucæ 8. immiſit dæmones in porcos, quos fecit præcipitare in mare. *Secundò*, Matth. 21. fecit areſieri ficulneam, nullo habito reſpectu ad dominos illarum rerum. *Tertiò*, Ioan. 2. eiecit de templo vendentes, & ementes, euertendo etiam menſas numulariorum, & percutiendo funiculis rebelles, & contumaces. *Quartò*, iuſſit Lucæ 19. ad ſe adduci pullum aſinæ, ſuper quem ſedit, dum reguli honore exceptus fuit in Ieruſalem, & nemo auſus fuit dicere diſcipulis, nolite pullum ſoluere, quia Dominus operam eius deſiderat, habebat ergo Chriſtus dominium directum quarumcúmque rerum. *Quintò*, Lucæ 22. mandat diſcipulis, vt emant gladium, is eſt actus iuſſionis temporalis, non ſpiritualis, conſtat ergo ex his, Chriſtum in hoc mundo exercuiſſe dominium temporale, præfiguratum à Dauid Pſal. 44. 4. *Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſimè.* Pater ergo Filio ſuo accinxit gladium, non vt eſſet otioſus, ſed vt illo vteretur, prout vſus fuit.

An de fide ſit credendum, Chriſtum habuiſſe dominium temporale, & illud exercuiſſe?

Reſpondetur affirmatiuè cum Ioanne Turrecrem. 171
lib. 2. ſumma cap. 7. & S. Gregorio *homil.* 10. loquentibus de auro à Magis tributo Chriſto Domino homini vti Regi temporali. Ratio eſt, quia ex allegatis Scripturis in præcedentibus quæſtionibus colligitur,

eum

eum esse verè Regem non tantum spiritualem, verum etiam temporalem. Confirmatur, quia potestas, qua exercuit dominium super creaturas, non est spiritualis, cum de prædictos actus nullam habeat proportionem, erit ergo temporalis, cum multam habeat conuenientiam cum prædictis actibus mere temporalibus, nam immittere dæmones in porcos, illos suffocare in aqua, arefacere ficulneam, vti pullo ad sedendum, nullam spiritualitatis speciem præseferunt ergo vt meri actus temporales habent esse à potestate temporali.

Quæres 38. An Christus vtramque potestatem, contulerit Petro cum illum constituit suum Vicarium?

172 ℞. Affirmatiuè. Itaque Petrus fuit simul Sacerdos, & Rex, vtramque habuit potestatem, vtrumque gladium illi contulit Christus, cum dixit: *Pasce oues meas*. Iterum infra cap. 5. q. 42.

Probatur primò ex citata authoritate: *Pasce oues meas*. Duplici pabulo indiget homo, spirituali & temporali, illo pro anima conseruanda, vt in mandatorũ Dei obseruatione iugiter occupetur, quod consequitur administratione Sacramentor. per potestatẽ spiritualem & si aliquando recedit à lege illius violatione per eandem potestatem mediantibus pœnitentiis, & censuris spiritualibus reducitur ad id, à quo deuiauerat; isto verò pro vita humani corporis sustentanda, quod præstatur per officium potestatis temporalis. Et id comprobatur ex historia, quæ habetur Act. 6. vbi Petrus cum cæteris Apostolis constituerunt septem Diaconos, quos super temporalia negotia posuerunt cum temporali potestate, ipsi verò curam spiritualem sibi reseruarunt exercendam, ibi: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*. Apostoli ergo pascebant animas, Diaconi verò corpora fidelium, potestate ab eis accepta temporali.

Probatur secundò ex duplici gladio Lucæ 22. 38. *Ecce duo gladij hic*. Vnus demonstrat potestatem spiritualem, alter vero indicat temporalem, duo enim eandem significare non possunt, quia superfluitatem indicat, vnde Sacra Scriptura ad Rom. 13. 4. loquens de potestate temporali dicit: *Non enim sine causa gladium portat*. Significando laicum ministrum vnius tantum potestatis esse capacem, temporalis scilicet, respectu verò Ministrorum Ecclesiasticorum loquitur in plurali insinuando Ministros Ecclesiæ habere duplicem potestatem Sacerdotalem, & regalem. Subiungitur aduerbium *hic* ad significandum, quod hæc potestas non est extra Ecclesiam, sed intra, non ab aliquo principe laico, sed à Deo immediatè communicata Petro, & cæteris Apostolis ab eo dependenter. Bonifacius VIII. extr. 1. de maior. hanc duplicem potestatem sub figura gladij bene explicat his verbis: *In hac*, id est, Ecclesia, *eiusque potestate duos esse gladios spiritualem scilicet, & temporalem Euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce duo gladij hic in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur non respondit Dominus, nimis esse, sed satis*. ante illum Gregorius IX. incip. *Cum iuxta* in Bullario Nouo, de hoc duplici gladio in Ecclesia luculenter agit. Non est ergo superfluus duplex gladius in Ecclesia, sed satis, & necessarius, vt si fideles vnum non timerent, alterum saltem expauescerent. Differunt autem isti duo gladij, nam vnus est visibilis, & visibiliter ferit, quod visibile est corpus, & cum hoc Petrus amputauit auriculam Malcho. Alter verò est inuisibilis, qui animam ferit vulnere inuisibili euaginatione censuræ Ecclesiasticæ. Vterque gladius est in Ecclesia, & in potestate Petri, & eius successorum, ad quos spectat illos dispensare, & distribuere, spiritualem quidem Clericis, Laicis vero temporalem, quinimmò vtrumque Clericis, quia vterque est in Ecclesia, & in Clericis. Dixit autem Dominus Petro postquam amputauit auriculam Iudæo: *Conuerte gladium tuum in vaginam* Expressit *gladium tuum*, quia solius Petri est suprema potestas vtriusque gladij, quos aliis ministris delegat. Et quamvis isti duo gladij in Ecclesia sint coniuncti, tamen æquales, nec pares sunt, sed vnus ab altero pendet, & sub eo est, nempe temporalis, vt qui est inferior, & minor de necessitate debet superiori, & maiori subesse, vt postulat ordo, quod bene declarat loco citato Extrauag. de maior. Bonifacius VIII. his verbis: *Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati; nam cum dicat Apostolus: Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema, nam secundum beatum Dionysium, lex diuinitatis est, infima per media in suprema reduci. non ergo secundum ordinem vniuersi omnia æque, ac immediatè, sed infima per media & inferiora per superiora ad ordinem reducuntur*. Nicolaus Papa relatus, *cap. Auctoritatem* 2. 15. *q*. 6. vtrumque gladium exercere voluit Archiepiscopum Treuirensem contra malignos fautores. S. Bernardus ad Eugenium *lib. 4. de considerat*. vtramque gladium dicit esse in Ecclesia his verbis: *Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est, ille Sacerdotis, & militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris*. Gladius ergo temporalis est sub gladio spirituali hoc solus Sacerdos vtitur, illius autem vsus & est apud Sacerdotem, & à Sacerdote communicatus aliis.

Probatur tertiò ex traditione Clauium: *Tibi dabo claues regni cœlorum* Matth. 16. 19. Non dicit clauem, sed claues ad indicandum duplicem potestatem iam explicatam, vtraque enim aperit, & claudit, aperit viam ad bona tam spiritualia, quam temporalia, cum exercet officia charitatis, & iustitiæ; claudit verò viam ad malum impediendum, ne fiat tam in detrimentum animæ, quam corporis. Vnde ad propositum bene dixit Nicolaus Papa relatus cap. 1. dist. 22. *Qui beato æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit*, vbi glossa *V. Cœlestis*, deducit argumentum, quod Papa vtrumque habet gladium temporalem, & spiritualem.

Bellarm. lib. 5. de Romano Pontifice *cap*. 5. animaduertens ex sententia Nicolai Papæ sequi Romanum Pontificem ex æquo habere vtrumque gladium, negauit illa verba esse Papæ Nicolai, vt suam opinionem de potestate indirecta temporali Papæ astrueret, vnde ea verba, ait, importare vtrumque ius ligandi scilicet, & soluendi spiritualiter, alias, inquit, Nicolaus secum pugnat, qui in Epistola ad Michaëlem Imperatorem diserte docet, Christum distinxisse actus, officia, & dignitates Pontificis, & Imperatoris.

Respondeo primò, allatam sententiam: *Qui beato æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit*. Non esse Nicolai I. qui rexit Ecclesiam ab anno 858. ad 867. cuius est Epistola insignis ad Imperatorem Michaëlem; sed alterius Nicolai Papæ II. electi anno 1059. vt videre est in codice Gratiani emendati iussu Gregorij XIII. & illa verba scribebat ad Mediolanenses per Damianum legatum suum, hic est ille Sanctus Petrus Damiani Cardinalis ordinis S. Benedicti. Lege eius vitam initio eius operum inscriptam. Et ex his sublata est pugna asserta à Bellarmino. *Secundò*, licet Nicolaus I. in fine suæ Epistolæ ad dictum Imperatorem Michaëlem dicat: *Sed cum ad verum ventum est eundem Regem, atque Pontificem vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium vsurpauit*, quoniam

quoniam idem mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, tom. 3. Concil. fol. 924. circa finem. Tamen ex hoc inferendum non est, gladium temporalem etiam quoad vsum non esse in Ecclesia, finis enim Papæ Nicolai est ibi probare, non licere, nec posse Imperatorem sibi vsurpare vtrumque gladium, esse scilicet, regem, & Sacerdotem, sicut in lege veteri legimus factum, & patet supra, quia post aduentum veri Regis Christus Dominus discreuit vsum vtriusque potestatis, ita quod voluit, quod Petrus, & eius successores conuerterent gladium suum scilicet temporalem in vaginam, & illo vterentur per Imperatorem, Reges, & Principes, & raro per seipsos, ne exercitium huius impediret vsum alterius scilicet spiritualis in ordine ad salutem animarum. Fuit ergo discretio in vsu, & exercitio, non in potestate vtriusque gladij, quasi temporalis non sit immediatè in Ecclesia, & ab Ecclesia in laicos, hoc enim Papa non dicit. *Tertiò*, illa explicatio non repugnat sensui illorum verborum de duplici potestate spirituali simul, & temporali, sed illi maximè congruit, licet demus, quod vtraque allegata auctoritas *cap.* 1. *dist.* 22. & *cap.* 2. 5. *q.* 6. *tit. eiusdem* Nicolai 1. vt vult codex allegatus Conciliorum, nam secundo loco expresse loquitur de vtroque gladio his verbis ad Archiepiscopum Treuirensem. *In mandatis damus, vt spirituali simul, & materiali gladio tandiu malignos filios, eorumque fautores insequatur.* Papa non daret directè gladium materialem, si illum immediatè in se non haberet, & quoad habitum, & quoad actum; discreuit ergo Christus inter Papam, & Imperatorem exercitium, regulariter loquendo, non tamen illi gladium temporale abstulit etiam quoad vtrumque.

Probatur quartò à ratione iudicij, Paulus 1. Cor. 2. 15. *Spiritualis autem iudicat omnia.* Et ne quis restringeret ad spiritualia subiungitur 6. 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia?* ergo in Ecclesia Dei est potestas temporalis, cum spiritualis non sit nisi ad spiritualia. Nomine autem spiritualis venit Sacerdos, cuius proprium officium est tendere ad spiritualia, & temporalia, per hæc enim proficit in spiritualibus, *cap. Fundamenta* 17. §. *isti de elect. in* 6. vbi dicitur Pontifex Romanus Dominus vniuersi etiam in temporalibus. Vnde Marcellinus *Epist.* 2. *relata tom.* 1. *Concil. fol.* 436. & apud Gratianum *c. Quæcumque contentiones inter Christianos ortæ fuerint ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur* 7, 11. q. 1. cui decreto volens obedire imperator Theodosius omnibus præcepit, illud obseruandum, vt refertur, *cap. Quicumque* 35. 11. *q.* 1. cum sequentibus, & confirmatur à Constantino piissimo imperatore, cuius verba referuntur cap. sequenti, & in calce Concilij tertij Valentini *tom.* 3. *fol.* 893. quod certissimum est argumentum, potestatem temporalem primò esse ab Ecclesia, & ab ea emanare in alios quoscumque. Et licet Gratianus, seu glossator ibidem dicat, quod hæc lex Theodosij fuit abrogata, id non tollit vim argumenti; & quia ea lex aliquando fuit; & quia conformis fuerit canoni Marcellini; & quia non de iure, sed de facto, & violentia laicorum fuit irrationabiliter derogata. Nec placet, quod dicit Bellarminus illum canonem, *Quæcumque*, habere incertum auctorem, constat enim esse Marcellinum. Præterea non ex pietate, sed ex debito Theodosius Ecclesiam recognouit patronam, & iudicem omnium contentionum, non enim rem hanc consuluit, sed præcepit, ibi: *illicò sine aliqua dubitatione dirigatur.* Dicere autem hunc vel illum canonem in Gratiano esse incerti auctoris, aut sub palea, non facit pro veritate, neque pro Ecclesia, aliter donatio, vt aiunt, Constantini vera, nec constans fuisset, quia sub Palea ponitur: videant ergo & recogitent isti Catholici dialectixantes, quâ ratione his subtilitatibus fucatis, & nullius indaginis velint subtrahere Ecclesiæ.

Probatur quintò auctoritate Sanctorum Patrum, & Doctorum, S. Ignatij ad Smyrnenses. *Ego autem dico honorare quidem Deum vt auctorem omnium, ac Dominum, Episcopum verò tanquam Principem Sacerdotum imaginem Dei ferentem, principatum quidem secundum Deum, sacerdotium verò secundum Christum.* Principatus refertur ad gladium temporale, & Sacerdotium ad spirituale S. Epiphanius hæc habet. *Thronus igitur Dauid, & Regia sedes est sacerdotium in Sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam simulque Pontificiam simul coniunctam largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ translata in eam throno Dauid non deficiente in æternum.* Habet igitur sacerdotium duplicem potestatem Pontificiam, & Regiam. S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus ita reliquit scriptum. *Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ Gentium Dux ex Israël ingrediens super omnem Principatum, & potestatem super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur, sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij, quam Petro Christus.* Nullus dubitat de potestate Christi quæ simul spiritualis, & temporalis, quia Christo homini data fuit omnis potestas in cœlo, & in terra, quam Petro, & eius successoribus commisit in terra, vbi gerere habent eius vices. S. Bernardus in sermone ad Pastores congregatos in Synodo: *Duplex est dominium Prælatorum, habent enim claues Ecclesiæ, quibus claudunt, & nemo aperit, aperiunt, & nemo claudit; habent & regalia, quia Domini sunt vrbium, & oppidorum; nec solum Episcopatus, sed & consulatus habent.* Sanctus hic distinguit claues regni cœlestis à regalibus, non quod potestas temporalis non possit & ipsa venire sub nomine clauium, vt dixi *in* 3. *argum.* sed quia ita placuit distinguere, etenim etiam regia potestas venire potest sub nomine clauium, dicitur enim vulgariter Clauis regia, quæ & ipsa quoque spectat ad animam, & regnum cœlorum, quia temporalia sunt propter spiritualia, ad quæ illa ordinantur. S. Thomas in 2. dist. 44. q. 9. art. 2. *Sicut in Papa, qui vtriusque potestatis apicem tenet, spiritualis scilicet, & sæcularis, hoc illo disponente, qui est Sacerdos, & Rex.* Sufficiant hæ auctoritates, relinquo alias quamplures.

Probatur sextò auctoritate Scholasticorum, Franciscus Mayronus ordinis Minorum *in* 4. *dist.* 19. *q.* 4. inter alia sic concludit. *Plenitudo potestatis secundum vtramque iurisdictionem concurrit in eandem personam. Quod patet auctoritate Christi dicentis: Quodcumque ligaueris.* Est signum vniuersale indicans quodcumque ligabile siue potestate spirituali, siue temporali. Tartaretus *in* 4. *dist.* 18. *q. vn. Omnem auctoritatem habet Ecclesia à Christo etiam in bonis temporalibus, duos, enim gladios habet* Ioannes Bacconus Magister Carmelitanum *in prologo* 4. *sent. q.* 11. *art.* 4. hæc reliquit: *Christus omnia iura prædicta temporalia transtulit in Petrum, vbi causa subest, nam in Euangelio dicitur: Quodcumque solueris super terram.* Paulò infra. *Deus est Dominus vnus omnium tam in temporalibus, quam in spiritualibus ergo lex Christi est dominatiua super omnibus:* Sequitur ergo quod Papa, qui loco Christi est iudex, & executor legis Euangelicæ, sit Dominus in temporalibus, & spiritualibus. Henricus Gandauensis Doctor Sorbonicus, *Quolib.* 6. *q.* 23. ait *Iste Hierarcha primus post Christum super vniuersalem Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit, sic vt regimen vniuersalis Ecclesiæ tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad ipsum pertineret.* Item ibidem. *De iure diuino, & naturali sacerdotium supereminet imperio, & penes ipsum residet vtraque iurisdictio, & super spiritualia, & super temporalia, &*

similiter eius immediata executio, vnde in tempore legis naturæ simul currebant regnum, & Sacerdotium, & omnes primogeniti Regum erant Sacerdotes, & Reges, & iurisdictionem in temporalibus exercebant.

Hæc sententia est communissima Sanctorum Patrum, Theologorum & Scholasticorum fere omnium quos magno numero refert Thomas Bozius Eugubinus Præsbyter Congregationis oratorij *in suo opere inscripto. De iure status.* Paulus Rubeus *ad decis. 2. à n. 26. part. 3. Nouissim.*

Quæres 39. Cum certum sit Pontificem Romanum habere dominium etiam temporale super omnes gentes, controuertatur verò, an id habeat directè, & immediatè, an verò mediatè & indirectè, relatiuè ad bonum spirituale animarum. Quæres inquam, quid sit sentiendum?

173 ℞. Papa habet potestatem directam gladij temporalis super omnem gentem in toto orbe terrarum.

Probatur primo ex allatis auctoritatibus in præcedentibus, quæ cum non distinguant, intelligendæ sunt simpliciter, & id suadetur ex modo loquendi, nam cum Christus tradendo potestatem Petro dixerit: *Pasce oues meas*, non distinxit de pabulo temporali, aut spirituali, nec vnum ab alio seiunxit. Neque dum locutus fuit de clauibus, aut gladiis in traditione vnum anteposuit alteri, sed vtrumque directè, & immediatè consignauit Petro, & in eo eius successoribus, cum subordinatione tamen vnius ad alterum, temporalis ad spiritualem vti minoris, & inferioris, ad maiorem, & superiorem atque perfectiorem, & excellentiorem. Pasce ergo Petre *oues meas*, fideles quidem vtroque gladio spirituali per absolutionem, & ligationem, quia oues meæ sunt per creationem secundum naturam, & recreationem secundum gratiam; *oues meas* scilicet infideles, qui sunt oues meæ per creationem, pasce ergo eas per vnicum gladium scilicet temporalem, non spiritualem, cuius pabuli incapaces sunt, cum non sint oues sanguine meo redemptæ earum defectu, dum nolunt fidem meam recipere. Intelligi ergo possunt ea verba de vtroque gladio, & quidem directè, quia dum punitur Gentilis, & infidelis, gladius temporalis non ordinatur ad gladium spiritualem, cum isti incapaces sint illius bonorum spiritualium.

Secundò id deducitur ex illo loco: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ligat enim vterque gladius alter independenter ab altero, ligare enim respicit condemnationem, & pœnam tam temporalem, quam spiritualem; soluere verò dicit liberationem à pœna, & respicit præmium, & beneficium à principe collatum, siuè illud sit spirituale, siuè temporale. Deinde, quod ibi sermo sit de re quacumque non solum spirituali, sed etiam temporali, constat ex modo loquendi sine vlla exceptione, &

174 generaliter, nam illa vox. *Quodcumque* terminus vniuersalis omnia includit, & nihil excludit, *l. A procuratore C. Mandati*, Craueta *vol. 2. consil. 294. §. Ad idem adduco*, Ruin. *vol. 2. consil. 98. n. 11.* Roland. *vol. 4. consil. 12. n. 40.* cum aliis Barbosa *dict. hac 317. n. 1. & 2.* qui *n. 15.* ex Tiraq. *de Retractatu lign. tit. 1. §. 2.* Glossa *1. n. 26.* dicit terminos *Quodcumque* & *Omne* in hoc differre, quod ille latius patet isto; & in terminis nostris *cap. Solitæ 6. de maior* prope finem dicit Innoc. III. *Quodcumque ligaueris, &c. nihil excipiens, qui dixit Quodcumque.* Demum, quoties sensus literalis non infert absurdum in sacris literis amplectendus est ex

175 Doctrina Sanctorum Patrum, cum ille potissimùm in eis attendatur; sed explicare ea verba tam ad spiritualia, quam ad temporalia, nullum infert absurdum, immò maximè commendat, & extollit Pontificiam dignitatem, ergò supradictus sensus locum habet in prædicto loco Sacræ Scripturæ;

Tertiò, Ecclesia id expresse docet in officio Sanctorum Apostolorum die 29. Iunij in Responsorio sextæ lectionis illis verbis, *Tu es Pastor ouium, Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, & & ideò tibi traditæ sunt claues regni cœlorum.* Hic fit mentio de traditione duplicis regni mundi, & cœli, ergo de duplici potestate, temporali ad gubernandum regnum mundi, & spirituali clauium regni cœlorum, vt illuc introducat homines, quos in regno huius mundi gubernat, Summus Pontifex per vtramque potestatem. Et si enim illa sententia non reperitur expresè in Sacra scriptura, tamen tantæ est auctoritatis, vt negari nequeat sine magna temeritate, cum ab Ecclesia sit solemnizata pro veritate. Illa autem dictio, *Ideò*, quæ est causalis, & illatiua, vt docet Nauar. *tom. 3. in cap. Falsas n. 22.* per Bartol. *in l. Demonstratio §. quod autem ff de condit & demon.* denotat 176
necessariam connexionem vtriusque potestatis in Summo Pontifice, spiritualia enim connectuntur cum temporalibus, sicut anima rationalis cum corpore in ea paritate, quod sicut anima perficit, & viuificat corpus, ita potestas spiritualis perfectionem addit temporali potestati, quæ sine religione est sicut corpus sine anima; potestas autem temporalis inutilis non est coniuncta spirituali, quia Summus Pontifex vniuersi Dominus constitutus à Christo fuit, vt illa adiutus proficiat in spiritualibus, *cap. Fundamenta 17. §. Isti, de elect. in 6.*

Quartò, quia inter tria regimina Monarchiæ, Aristocratiæ, & Democratiæ, perfectior est Monarchia, 177
& melior reliquis duabus optima, & perfectissima quando omnis potestas & dominium ab vno tantum descendit, vt Plato lib. de Regno post medium dixit his verbis. *Vnius dominatio bonis instructa legibus illarum omnium optima est*; de qua re Doctores, quos allegat Peyrinus de Prælato initio, ergò Papæ concedenda est etiam potestas temporalis directa, vt cum spirituali iuncta, constituatur perfectissimum regimen Monarchicum, à quo tanquam ab vno, & solo capite procedant, & dependeant omnes potestates, imperia, regna, & dominia totius mundi. Id quod confirmatur ex illo Ezechiel. *cap. 37. n. 22. Et faciam eos ingentem vnam in terra montibus Israël & rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.* Intellige quoad caput super illa dominans, in quo vtraque potestas vnita est; & licet ille locus intelligatur, quod post diem iudicij non amplius duo regna erunt Ecclesiæ militantis, & triumphantis in vnum coacta, iuxta illud. *Fiet vnum ouile, & vnus pastor*; adhuc tamen saluari potest sine vllo absurdo sensus à nobis allatus de summo Pastore in Ecclesia militante vniente sibi duas potestates regni spiritualis, & temporalis in vnum regimen Monarchicum. Facit illud Ieremiæ *c. 1. n. 10. Constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, ædifices, & plantes.* Per gentes intelligit subditos, per regna, Imperatorem, Reges, & alios principes, omnes indistinctè tam in temporalibus, quam in spiritualibus subiectos Summo Sacerdoti, hæc enim suprema, & omnimoda potestas infertur ex illis pluribus actis, quibus contra omnes præcedere potest. Eam sententiam applicari Summo Pontifici asseruit Bonifacius VIII. *in extrau. com. 1. de maior.*

Quintò, antiquitùs idem erat simul Pontifex, & Rex vt exempla habemus de Moyse, Melchisedec, & Samuële, vnde imperatores Romani vocabantur Pontifices, *cap. 1. dist. 21.* consequenter idem dicendum est de nostro Pontifice, quod directè habeat vtramque potestatem eidem sacerdotio vnitam, vnde à D. Petro *Epist. 1. cap. 2. n. 9.* vocatur *Regale sacerdotium.*

Ex

178 Ex quo Papa dicitur aliquid imperiali auctoritate conſtituere *cap.1 de iuram.calum.* Et in Precib. ferialibus ad Laudes,& Veſperas nomine Regis in eo verſiculo. *Domine ſaluum fac regem.* venit Papa, vt docet Gauantus in Rubr. de Precibus *ſect.5. cap.17. num.6.* Legitur 1. Regum *cap.15.* Samuëlem materiali gladio occidiſſe regem Agag.Item Eliam 3.*Regum cap.18.* interfeciſſe quatercentum prophetas Baal.Iſti erant ſummi Sacerdotes & habebant vtrumque gladium, & occaſione accepta non tantum ſpirituale, verum etiam temporale adhibebant, ergò idem dicendum eſt de Summo Pontifice Romano, cuius illi erant figura. Facit Gloſſa, *ver. Ad Regem. c.Cauſam 7. qui fil.ſint legit.*

179 Sextò, probatur poteſtas directa gladij materialis Papæ, quo ſæpius vſus fuit etiam contra Imperatores, & Reges, nam imperium ex Græcis ad Germanos tranſtulit, apud Baron. ad annum 800. cap. *Venerabilem, de elect.* Clement. *de iureiuran.* Bellarmin. *de tranſlat. imper lib.1.cap.4.* Innocentius I. Federicum Imperatorem diſpoſuit, Zacharias Pipinum ſubrogauit Childerico Regi Francorum depoſito *cap.Apoſtolicæ 2. de ſent.& re iudic. cap.Alius 3. 15. quæſt.6.* Gregorius V. tradidit formam eligendi Imperatorem de qua re bene Albertus Crant. *lib.1. cap.4. lib.4. cap.25.* illis verbis. *Eam fecit Imperatoris electione ſanctionem, quatenus huc vſque per annos*
180 *quinque centum ſeruatam videmus, ſolum licere Germanis, qui inde electores ſunt dicti, Principem delegare; ſuntque hi electores Moguntinus, Treuirenſis, Colonienſis Archiepiſcopi; Palatinus Rheni Comes Dux Saxoniæ, Marchio Brandeburgenſis, Rex Boæmiæ,* qui in votis paribus abſoluit electionem. Adrianus VI.Regnum Indiarum ab infidelibus ablatum tradidit Regibus Luſitaniæ, Solorzan. *lib.2. de iure Indiar. c.24.* Prædicta exempla & alia clare demonſtrant Summos Pontifices ſupradictas diſpoſitiones, tranſlationes, conceſſiones, & electiones egiſſe non gladio ſpirituali, ſed temporali, cum ad ſui exequutionem non neceſſariò poſtulent poteſtatem ſpiritualem,ſed ſufficiat temporalis, quæ non poteſt dici formaliter ordinata ad ſpiritualem in dictis factis, cum ad illa præſtanda Summus Pontifex non ſemper motus fuerit ex ſalute animarum, ſed quandoque ex aliquo fine temporali, honeſto tamen, & conuenienti ſtatui rerum.

Septimò, de hac re extant diuerſæ literæ Apoſtolicæ, nam Clem.VI. Carolum Regem Romanorum ſcribens hæc habet. *Romanus Pontifex, cui Rex æternus, & ſummus in perſonam B. Petri Apoſtoli Clauigeri Cœleſtis ſimul, & terreni iura imperij, & plenitudinem poteſtatis conceſſit ſupra cunctos fideles ſuæ curæ commiſſos, inuigilans & intendens circa ea, quæ fidelibus ipſis ampliora pacis, & iuſtitiæ commoda afferre exiſtimat, poſt multam, &c* colligitur *ex c.1. diſt.22.* Bonifacius VIII. apud Aufrerium in repetitione Clem. 1. *de off. ordin.* Longum in ſuo Breuiario in vita eiuſdem, Lauorium *tit.4. de elect. cap.4. n.51.* Scripſit Philippo Pulcro Regi Francorum in hæc verba: *Deum time, & mandata eius ſerua. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus, & temporalibus nobis ſubes; beneficiorum, & prabendarum ad te collatio nulla ſpectat; & ſi aliquorum vacantium cuſtodiam habes; fructus eorum ſucceſſoribus reſerues, & ſi qua conſuluiſti, collationes tales irritas decernimus, & quantum de facto proceſſerunt, reuocamus. Datum Laterani nonis Decembris Pontificatus noſtri anno primo.*

De hoc vtroque gladio in Eccleſia exiſtente habes ex eodem Bonifacio *in Extrauag. comm. de maior.* Hunc autem gladium materialem rarò Papa adhibet, ſed Imperatoribus, & Regibus, ac aliis Principibus delegat, & committit, dum Imperator ante incoronationem præſtat iuramentum fidelitatis, accipit enim in ea à Summo Pontifice gladium poteſtatis, vt ex duobus inſtrumentis publicis Henrici IV. & Caroli IV. in Vaticano conſeruatis, inter alia proferendo hæc verba: *Gladij poteſtatem ab Eccleſia Romana accepimus,* quod notat etiam Gloſſ. *V.Diuinitas cap. Si Imperator. 11. diſt. 96.* Nulli dubium eſt Imperatorem,& Reges habere directè, & abſolutè gladium temporalem,ergo illud idem a fortiori poſſidet Papa,eo ipſo,quod illum aliis delegat.

Octauò probatur per Extrauag.præcitatam.Ne ſede vac. ibi: *Sane in noſtram, & fratrum noſtrorum deductum eſt, fama diuulgante, notitiam, quod licet de iure ſit liquidum, & ab olim fuerit inconcuſsè ſeruatum, quod vacante imperio ſicut & nunc per obitum 9. Henrici Romanorum Imperatoris vacaſſe dignoſcitur, cum in illo ad ſecularem iudicem nequeat haberi recurſus, ad ſummum Pontificem, cui in perſona Beati Petri terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura Deus ipſe commiſit, imperij prædicti iuriſdictio, regimen, & diſpoſitio deuoluuntur.* In affectione vtriuſque poteſtatis expreſſæ illis verbis, *Terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura*, nulla ponitur differentia, quod vna ſit propter aliam, ſed vtraque æqualiter a Deo in perſona Petri collata fuit Pontificibus Romanis, quod ſignum eſt, hoc ius temporaliter regendi ad ipſum directè, & abſolute ſpectat. Quod confirmatur ex ratione deuolutionis, per quam perſona, ad quam poteſtas deuoluitur, radicem eius in ſe habet abſolutè, ſimpliciter, & perfectè ſine relatione ad aliam poteſtatem, quod enim in vno indirectè, & mediatè, ſupponitur in alio eſſe directè,& immediatè, ad hoc enim illud conſequitur, imperfectum enim, ſeu minus perfectum reducitur ad perfectum;& cum deuolutio nunquam contingat à maiori, & ſuperiori ad minorem, & inferiorem, ſed è contra; ſequitur poteſtatem temporalem directè, & immediatè, atque abſolutè eſſe in Pontifice, aliter non deuolueretur ad ipſum ſede vacante, ſed ad alium, qui diceretur habere directè, & perfectiori modo poteſtatem deuolutam. Quare cum nemo neget in Imperatore poteſtatem hanc directam, multo minus debet eam denegare in Pontifice, à quo emanat, vt ſupponitur per huiuſmodi deuolutionem. 181 182

Nonò probatur argumento accepto ab appellatione, nunquam omnes tam pro cauſis merè temporalibus, quam ſpiritualibus appellare poſſunt ad ſedem Apoſtolicam, vt probatur ſuo loco in hoc opere, ergo in eius Pontifice reſidet non ſolum poteſtas ſpiritualis, ſed etiam temporalis directè, & per ſe, proximè, & originaliter. Conſequentia probatur ex fine appellationis, cuius eſt impedire grauamen inferendum, vel iam illatum remouere *l. Præfecti ff. de minor. cap. Suggeſtum 15. de appellat.* Grauamen autem æquè, & indifferenter locum habet in cauſis tam temporalibus, quam ſpiritualibus, & independenter ab inuicem, vt notum eſt, ergo exercet poteſtatem appellationis temporalem independenter à poteſtate ſpirituali, ſicut vna cauſa eius eſt independens ab alia. Igitur ſicut appellans in cauſa temporali ad Pontificem, quærit ab eo iuſtitiam ſecundum exigentiam cauſæ temporalis ſine vllo ordine ad bonum ſpirituale; ita Pontifex appellatus temporaliter miniſtrat illi iuſtitiam ſecundum exigentiam cauſæ, ac proinde ſine vllo ordine ad bonum ſpirituale. Irrationabile quoque eſt dicere, Papam in cauſa appellationis exercere iuſtitiam per poteſtatem indirectam, dum directè intendit remouere grauamen temporale tantum. 183

Nec dicas, grauamen referri ad malitiam iudicis inferioris, ac proinde tolli potestate temporali per Pontificem sed indirecta dum ordinatur ad bonum spirituale iudicis malè iudicantis. Nam respondetur per ablationem grauaminis non tolli iniquitatem iudicis, sed auferri grauamen à subdito vti malum temporale.

Hanc sententiam de potestate directa temporali Pontificis Romani etiam sine vllo ordine ad bonum spirituale tradunt. *Paramus libro tertio de orig. inquis. quæstione prima Bouadilla tom.1. Politic. libro 2. cap. 17. numero tertio, Solerzanus de iure Indiarum lib. 2. capite 22. & 23.* quos citat *Carena de offic. 5. Inquisit. par. 1. tit. 1. de summo Pontifice num.* 53. asserens esse communem Legistarum, & Canonistarum. *Comitolus in tract. Apologet. cap. 3. Pereyra, Marta par. 1. de iurisdict. cap. 18. & seq. vbi rem hanc latissime probat, Pesantius de Potest. Pontif. disp. 2. Valenzuola in defens. Monitor. Pauli V. par. 7. num.* 45. quos Diana *part. 1. tract. 1. resol.* 121. contra se citat. S. Thomas *in 2. dist. 44. q. 2. art. 3. & tom. 7. opusc. 20. lib. 3. de Regim. Princip. cap.* 10. quem citat Vericellus contra se *de Apostolicis Missionibus tit. 13. de Indorum debellat. q. 182 sect. 5. vbi num.* 36. pro hac nostra sententia refert 29. Theologos ex grauioribus, & 50. & solemnioribus Iurisperitis, qui ponit multa argumenta id probantia, sed ipse oppositum tenet *sub num.* 54. vbi refert pro se triginta Theologos, & triginta vnum Iurisperitos. Mirùm, quod laici excedunt Ecclesiasticos, ideò horum verior sententia censenda est, cum sine interesse dicatur stabilita, solent enim laici esse clericis infesti, & molesti, *cap. Laici* 14. 2. q. 7. Vide etiam Barb. *de Episc. part. 1. tit. 3. cap. 2. n. 19.*

Sententia igitur est istorum Doctorum virorum, Pontificem Romanum extra suum statum Ecclesiasticum non habere directè gladium potestatis temporalis, sed in consequentiam, & in ordine tantum ad bonum spirituale animæ. Multis autem id solet probari.

184 Primò sic, quia Reges ante Christi aduentum erant supremi in sua iurisdictione temporali, ergo tales sunt etiam hodie; nec eorum iurisdictio est imminuta, ergo Papa in eorum regna non habet directam potestatem temporalem. *Secundò*, consequentia patet, quia in eodem ordine temporalis potestatis non possunt duo esse supremi Principes, nam contradictoria præcipientibus alteri esset parendum, ergo non esset supremus ille, cui non esset obediendum Et id confirmatur illo communi axiomate, quod non potest dari simul in solidum, & eisdem respectibus duo Domini eiusdem rei.

Prima quoque consequentia probatur, quia potestas suprema regalis est ex natura ab electione populi, & sic ex naturali ratione, potestas vero Pontificia ex gratia Domini; gratia autem non destruit naturam, ergo potestas Papalis non imminuit regalem. *Confirmatur* ex D. Th. 2. 2. q. 10. art. 10. ibi: *Dominium, vel prælatio introducta sunt iure humano, distinctio verò fidelium, & infidelium est de iure diuino: Ius autem diuinum, quod est ex gratia non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione, ideò non tollit dominium infidelium supra fideles.* Ergo si non tollit dominium Principum infidelium, multò minus tollit, aut minuit illud fidelium Principum.

℞. Ante aduentum Christi vtramque potestatem fuisse in eadem persona, & sacerdote, vt probaui supra *quæstione* 35. & Christus habuit vtrumque dominium vti homo, ac proinde illud transtulit in Petrum, & eius successores, vt probaui *quæstione* 37 & paulo superiùs & infra *cap. 5. q. 42.* Cum ergo argumentum illorum supponat distinctionem dominij, & potestatis ex distinctione personarum, quod erat probandum, nihil per illud probatur. Ad posteriorem consequentiam patet responsio, non esse duos in solidum supremos imperantes, sed vnum, nimirum Papam habentem à Deo potestatem temporalem immediatè sibi communicatam, & subsequenter delegatam Regibus, & Principibus, illa ergo est simpliciter ordinaria, hæc vero delegata, licet & ipsa dicatur ordinaria, quia simpliciter concessa, & communicata in ordine ad vniuersitatem causarum temporalium, & ideo non dicitur esse in eodem ordine, & respectu, sed in diuersis; & cum Papa de iure regulato intelligatur concedere eam iurisdictionem simpliciter, non sequitur, quod vni sit obediendum, & non alteri, sed obeditur illi cui potestas fuit delegata, dum delegans à se abdicauit eius exercitium.

Ad secundam consequentiam dico denominationem, & deputationem Regis esse à populo, potestatem verò in eum deriuari à Pontifice; cuius est examinare electionem, inungere, consecrare, & coronare, *capite. Venerabilem* 34. *de elect.* per quos actus potestas à Papa communicatur Regi approbato per ipsum, non per populum, qui illum designat, sicut Cardinales Papam eligunt, & à Deo recipit potestatem, non à Cardinalibus.

Et ex his patet etiam ad allatam auctoritatem Sancti Thomæ, nam dominium est de iure humano, hoc est, homines promouent personam ad dignitatem sed aliunde super eam descendit potestas per actus scilicet humanos eius, à quo omnis potestas in alios deriuatur. Ius diuinum non tollit ius humanum, sed illud conseruat, seu permittit, si iniquum sit; & sicut omne ius humanum à Deo quoque est, quia non est potestas nisi à Deo, Ad Roman. 10. 1. ita quodlibet ius humanum in suo Vicario est, & ab ipso communicatur cæteris. Inquit Sanctus Doctor; quod ius diuinum est ex gratia intellige ex liberalitate Dei, non ex debito.

Secundò probant primò ex capite. Per venerabilem, Qui filij sint legit. *Cum Rex superiorem in temporalibus non recognoscat.* Secundò ex capite. Nouit, de Iudic. *Non putet aliquis, quod iurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendimus:* Et infra. *Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, & cum iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare vellemus?* Tertiò ex capite. Nos si incompetenter Paragrapho Notandum, 2. q. 7. dicitur: *Sicut Ozias à Domino percussus est, quia sacerdotum officia vsurpare non debuit, sic sacerdotibus, & Prophetis Regum vsurpare non licuit.* Quartò ex capite. Tuam, de ordine cognit. vbi Papa Honorius III. fatetur, se non esse legitimum iudicem in causa de successione Reginæ Cypri, sed ad Regem Francorum spectare iudicium. Quintò Alexandrinus III. *in capite. Si duobus, Paragrapho, Denique, de appellat.* interrogatus an teneret appellatio à iudice sæculari ad Papam, respondit his verbis: *Tenet quidem in iis, qui sunt temporali nostræ iurisdictioni subiecti, in aliis vero secundum iuris rigorem credimus non tenere, & si ex consuetudine Ecclesiæ teneat* Præterea. *Sextò*, idem Alexander *in capite Lator, & in capite causam* 2. Qui filij sint legitimi sic scribit: *Nos attendentes, quod ad Regem, non ad Ecclesiam pertinet de talibus possessionibus iudicare* Item *Septimò* in capite Imperium, distinctione decima dicitur: *Noli te præiudicium Dei Ecclesiæ irrogare, illa quippe nullum imperio vestro præiudicium infert.* Item *Octauò in cap. Cum ad verum, distinctione nonagesima sexta,* sic decerni

decernitur. *Cum ad verum peruentum eſt, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoris vſurpauit. Quoniam idem mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit.* Ex his manifeſte apparet Pontificem non habere poteſtatem temporalem ſupremam, & pro ſuo libito in omnes etiam extra ſtatum Eccleſiaſticum.

Reſponderi poteſt primò ſingulis in vniuerſum, dictas auctoritates non probare intentum, nam aliud eſt nolle exercere iudicium, aut tale iudicium, ſeu cauſam non ſpectare ad ipſum Pontificem, & aliud non habere poteſtatem temporalem circa negotia temporalia, quamvis hic, & nunc non exerceat ſuper illis ſuam poteſtatem; in priori ſenſu procedunt recenſitæ auctoritates, non in poſteriori, de quo procedit præſens quæſtio. Secundò ſingulis peculiariter reſpondetur.

Primæ, ea verba: *Cum Rex ſuperiorem in temporalibus non recognoſcat* intelliguntur de Rege Franciæ, qui in temporalibus non recognoſcit Imperatorem, quod non excludit Pontificem Romanum, de quo paulò ante in textu eodem dicitur: *Præſertim, ſi præter Romanos Pontifices inter homines ſuperiorem alium non cognoſcant.* Cognoſcitur ergo à Rege per hunc textum temporali etiam ſubiectione. Et Gloſſa v. Minime recognoſcat, explicat hæc verba de facto, non de iure, quo Rex ſubeſt imperio ex iuribus ibi allegatis. Regem Franciæ non ſubeſſe Imperatori plures docent allegati à Barb. *in hoc textu n.21.*

Secundæ *ex capite. Nouit de iudic.* reſpondetur, nullatenus colligi negatiuam poteſtatis temporalis, ibi enim Papa præcisè dicit, quod non intendit perturbare, aut minuere iuriſdictionem Regis Francorum. Quod autem aſſerta iuriſdictio Regis ſit à Pontifice Romano, vel non illi delegata, nihil dicitur, neque enim conueniens eſt, vt delegans perturbet poteſtatem alteri delegatam ſine cauſa, & maximè re cœpta, *cap Venerabili 37. de Offic. deleg.* Maiorem difficultatem ingerunt ſequentia verba: *Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat iudicium*, Sed euaneſcit difficultas, quia ex quo iudicium ſpectat ad Regem, non tollitur quin iudicet poteſtate dependente à Pontifice Romano, cum enim cauſa feudi cœpta fuerit à Rege inter Vaſſalos, ab eo expedienda eſt, Gloſſa v. Ad ipſum ibidem, iudicium enim terminandum eſt ab eo, à quo cœptum fuit, *l. Vbi cœptum 30. l. Si quis 7. Digeſtis de iudic.* Conſequenter ex illis verbis non negatur Papæ poteſtas temporalis, quam non intendit tunc exercere in cauſa illa, relinquendo illius iudicium ad Regem. Magis videntur vrgere ſequentia verba. *Cum iuriſdictionem propriam non ſufficiamus explere, cur alienum vſurpare vellemus?* Ergo poteſtas temporalis ad eum non ſpectat, ſi aliena eſt. Reſpondetur, reuera ea verba non haberi in præcitato textu cap. Nouit. impreſſionis Auguſtæ Taurinorum 1588. Ad quæ nihilominus dicas, eam iuriſdictionem dici alienam quoad exercitium, non quoad radicem, cum illi fuerit communicata iure Pontificio.

Tertiæ reſpondetur, ea eſſe verba Gratiani, quæ ſolum probant Sacerdotes, & prophetas non debere vſurpare officia Regum, & verum dicit, quia non ſunt ſupra Reges in temporalibus, ſicut ſupremus Sacerdos, de quo hic nulla mentio; & ſi enim Papa eſt Sacerdos, non venit ſub numero plurali, ſed ſingulari tantum, S. Cyprian. *lib. 1. Epiſt. 3.* inquit: *Neque enim aliunde hæreſes ortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod* Sacerdoti Dei *non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus* Sacerdos, *& ad tempus* Iudex *vice Chriſti cogitatur.* Nulli dubium eſt, hic nomen *Sacerdotis* importare Romanum Pontificem, cum ſchiſmata oriantur per receſſum ab eius obedientia, & non ab aliis ſacerdotum inobedientia, vt probo infra *c. 9. ſect. 1.*

Quartæ auctoritati *ex cap. 3. de ordine cognitionum* reſpondetur ibidem decerni, quod pendente cauſa natalium coram Eccleſiaſtico iudice, quæſtio hæreditatis ex ea dependens per ſæcularem iudicem inchoari non debet; ne verbum quidem, quod Papa non ſit legitimus iudex in cauſa ſucceſſionis Regiæ Cypri, vt falſo aſſerit Aduerſarius.

Quintæ, quod deciditur *in cap. 7. de appellat.* nimirùm, non tenere appellationem à iudice laico ad Papam de iure, niſi in terris Papæ, aut etiam de conſuetudine, reſpondetur, non obſtare concluſioni noſtræ, nam aliud eſt, appellationem non tenere, aliud Papam non habere poteſtatem temporalem in laicos etiam extra ſtatum Eccleſiæ, nam ex illo hoc non infertur, ſiquidem appellatio gradatim facienda eſt, & immediatè à iudice inferiori ad eius iudicem ſuperiorem, aliter eſt nulla maximè de iure ciuili, *libro primo, Digeſtis. Quis, & à quo appellat. lege finali, Codice de iudic. l. præcipimus, Paragrapho. Hæc ſi, Codice, de appellat.* Doctores citat Barboſa *ad caput. Dilecti 66. de appellat. vbi numero tertio*, excipit appellationem ad Papam, ad quem poteſt recurri omiſſo medio. Non tenet ergo appellatio à iudice laico ad Papam omiſſo intermedio de rigore iuris ciuilis, vt ibidem dicitur, non quia Papa non poſſit ſe ingerere in cauſis temporalibus, ſed quia gradatim, nec ſeruato iuris ordine in ea non proceditur.

Sextæ *ex cap. 5. & 7. Qui filij ſint legitimi*, quod ad Regem, non Eccleſiam pertineat de talibus poſſeſſionibus iudicare, reſpondetur ea verba nil inſinuare, niſi quod ad Regem cauſa illa immediatè pertinet ratione exercitij, non ad Eccleſiam, quæ per delegationem à ſe abdicauit illius exercitium, neque enim ratio patitur, contendentes recurrere pro iuſtitia immediatè ad ſupremum iudicem, ſed tunc ſolùm cum alij iuſte non exequuntur ſuum officium, patere debet aditus. Ex his verò non ſequitur Papam non habere poteſtatem temporalem ſuper Reges, & alios.

Septimæ auctoritati, quod Eccleſia nullum præiudicium infert imperio, reſpondetur id veriſſimum eſſe, licet ſe ingerat in imperium, quando opus eſt non ſolum ob bonum ſpirituale, ſed etiam temporale. Poſt hæc legi verba Codicis Gratian. quæ ſunt hæc: *Imperium veſtrum ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debet eſſe contentum, non vſurpare, quæ ſacerdotibus Domini ſolum conueniunt.* Quæ nihil habent ex allatis ab Aduerſario.

Octauæ demum de diſcretione poteſtatis inter Papam, & Imperatorem per Chriſtum Dominum facta reſpondetur dictam diſcretionem non eſſe indiſcrete intelligendam, nam ibidem Nicolaus Papa I. redarguit Michaëlem Imperatorem, qui iniquè Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum damnauerat, ex hoc inquiens, quod Chriſtus Dominus officia inter ipſum, & Imperatorem diſcreuerat in eo, quod Imperator non potera ſibi vſurpare iura Pontificialia, & agere cauſas Clericorum, qui ſoli ſubſunt Romano Pontifici; hæc ergo diſcretio poteſtatum eſt excluſiua reſpectu Imperatoris, non verò reſpectu Pontificis vtramque includentis, vt etiam ſupra dixi.

Tertiò probant, quia ſi ſuprema temporalis po-

testas directa esset in Papa per vniuersum orbem, non posset distingui à suprema potestate regia, contra text. in capite. Duo sunt 96. distinctione. *Duo sunt Imperator Auguste, quibus hic mundus regitur, auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Secundò Leo Papa in cap. Nos si incompetenter, Paragrapho Notandum 2.q.7. *Duæ sunt personæ, quibus mundus iste regitur, Regalis scilicet, & Sacerdotalis, sicut Reges præsunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei.* Tertiò, Innocent. III. in capite. Solitæ, de maior. *Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus illos, qui ab eo temporalia suscipiunt, sed Pontifex in spiritualibus antecellit quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori.*

Sequela huius argumenti nulla est, nam nemo negat in Pontifice Romano Potestates Pontificiam, & Regiam in toto statu Ecclesiastico esse diuersas, & distinctas in eadem persona? quâ igitur ratione negabitur in eodem Pontifice discretio harum potestatum respectu totius orbis?. Discernuntur ergo hæ duæ potestates licet sint in eodem supposito personæ Pontificis, & etiam supposito, quando spectantur in diuersis personis, Papæ nimirum, & Regis, eadem ergo persona simul est Pontifex, vt patet, atque Rex, habens vtrumque gladium, nam illa verba: *Saluum fac Regem*, intelliguntur de Pontifice Romano, vt notaui supra numero centesimo septuagesimo octauo. *Ad primam auctoritatem* dico, verum esse duas dari auctoritates, quibus totus mundus regitur, & æquè vnitas in Pontifice, qui per Reges totum mundum temporaliter gubernat. *Ad secundam* patet, Papana per te totum vniuersum spiritualiter regere, temporaliter vero per Ministros. *Per tertiam* non negatur potestas temporalis directa Pontifici, dum solum refertur differentia vnius ab alia, & excellentia potestatis spiritualis super temporalem.

Quartò probant, nam si Papa haberet supremam & directam potestatem in temporalibus in omnibus regnis, sequeretur, quod omnes Reges. qui eo inscio, aut inuito, eligerentur à populo, aut à Papa non inuestirentur, non essent legitimi Reges, sed Tyranni, quod est absurdissimum.

Respondetur. Non est tyrannus, qui liberè à populo eligitur. Deinde verè tyrannus, qui sibi regnum vsurpat carens dominio, & titulo, Papa resistente, talis sine dubio remanet, nec id absurdissimum est ex parte Pontificis, sed ex malitia ipsius vsurpatoris.

Quintò probant, quia huiusmodi potestas data Papæ est à iure naturæ, vel à iure diuino, vel à iure humano. Non à natura, nec ab homine, vt probat Suarez *libro tertio in Regem Angliæ capite 5. numero vndecimo & duodecimo.* Neque iure diuino, quia licet ea verba: *Pasce oues meas*, apta sint comprehendere etiam iurisdictionem temporalem ex illo 2. Regum 5. 2. *Tu pasce populum meum Israël.* Tamen prima restringuntur ad pabulum spirituale per alia verba: *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* Non dixit. *Et Regni terræ.* Quare rectè notauit Cabrera *parte tertia, quæstione vigesima secunda, disputatione vnica, Paragrapho sexto, numero septuagesimo tertio & septuagesimo quarto*, quod quamuis Christus sæpissimè vocetur in scriptura Rex, & Sacerdos, Pontifex, tamen nullibi vocatur Rex, sed tantum Pastor, Sacerdos, Pater, Episcopus, &c.

Respondetur verbum illud *Pasce oues meas* referri ad vtrumque pabulum, & gladium, vt probaui hic *sub numero septuagesimosecundo & capite quarto, quæstione decima, & capite quinto, quæstione quadragesima secunda*, ac proinde Papa vtramque potestatem habet de iure diuino. Neque ea restrictio attendenda est, quia ibi fit mentio non vnius clauis, sed clauium ad indicandam collationem duarum clauium potestatis scilicet spiritualis, & temporalis, non obstante quod dicantur Claues Regni cœlorum, quia denominatio desumitur à nobiliori, in quo comprehenditur etiam minus nobile, quod postea expressit illis verbis: *Qui beato æternæ vitæ Clauigero terreni simul, & Cœlestis imperij iura commisit.* De quibus satis dixi supra *in probat. 3. Paragrapho Respondeo & capite quinto infra quæstione quadragesima secunda.* Obseruatio Cabreræ non probatur, quia Papa imbibit omnes denominationes honorificas, & si vocetur Imperator, vt notat Gonzalez *Glossa prima super Reg. 8. Cancellar. numero vigesimosecundo*, à fortiori dicendus est Rex, quod etiam videtur insinuare Petrus Damianus Epistola quinta cum dixit: *Christus sublato Rege de medio, totius Imperij Romani iura permisit Pontifici Romano.* Et id patet ex dictis supra *numero* 178. dum Ecclesia orat in precibus pro Pontifice Romano illis verbis: *Saluum fac Regem*, id est, Papam, de eo enim solo illa verba sunt intelligenda, non verò de aliquo Rege temporali, quia plures sunt Reges, & non est maior ratio rogare pro vno, & non pro alio, conquereretur enim Rex Francorum, si Ecclesia specialiter oraret pro Rege Hispaniarum, & non pro se, maximè cum Apostolus 1. ad Timothæum 2. 1. obsecret, vt orationes fiant pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt; instruit ergo Paulus Ecclesiam, vt oret non pro hoc, aut illo Rege, sed pro omnibus, dum loquitur pluraliter, ne sit partialis. Quare euidenter patet, sub nomine Regis venire Pontificem Romanum. Et licet ea verba desumpta sint ex vltimo versu Psalmi 19. vbi intelliguntur dicta de Christo; nihilominus prout resumuntur in Precibus debent intelligi de Papa, non de Christo, qui non indiget saluatione, cum iam sit passus, & resurrexit, cui passio, nec mors amplius dominabitur.

Sextò probant, quia cui committitur aliquid, intelliguntur eidem concessa ea omnia media, per quæ peruenitur ad consequutionem illius, quod habet rationem finis, quia habens ius ad aliquem finem, potestatem etiam habet disponendi media ad illum finem. Et iurisperiti aiunt, quod quando alicui conceditur aliqua iurisdictio, subintelliguntur concessa ea omnia, sine quibus iurisdictio exerceri non potest, *l. 2. Digestis de iurisdict. om. iud. cap. Præterea 5. cap. Prudentiam vigesimoprimo in fine, Paragrapho sexto, de off. deleg.* Sed Papæ est concessa à Deo potestas spiritualis in ordine ad finem supernaturalem, super omnes etiam Imperatorem, & Reges, ergo & eidem subintelligitur concessa potestas temporalis quatenùs est medium ad consequutionem finis supernaturalis. Hoc argumentum supponit potestatem temporalem esse medium ad consequutionem finis, quem Summus Pontifex non potest obtinere per solam potestatem spiritualem, quod tamen absolute acceptum, Auctores primæ sententiæ dicerent falsum esse, quia gladius temporalis comparari potest, vel ad gladium spiritualem, cui dicitur subordinari, & ab eo dependere, vti corporale à spirituali, hoc enim illo perfectiùs est, in quo sensu, gladius materialis habet rationem medij, & adminiculatur gladio spirituali, temporali enim Papa adiutus proficit

ficit in spiritualibus, *cap. Fundamenta decimoseptimo, de electione in sexto*, in ordine ad consequutionem finis, in quantum subditus, qui gladium spiritualem non timuit, temporali perterrefactus redit ad obedientiam Matris Ecclesiæ; vel comparari potest ad finem naturalem, quod est bonum pacis, & concordia hominum inter se in beneficium corporis politici, in quo sensu Papa vtitur gladio temporali, sine vllo respectu ad gladium spiritualem, cuius non dicitur esse medium, sed est principale instrumentum in suo ordine specificatum ab obiecto materiali; & id corroboratur ex diuerso fine legis Canonicæ, & ciuilis, nam illius finis est hominem dirigere non solum in bonum & commodum corporis, verum etiam & præcipuè in bonum animæ, & ad salutem, vt valeat consequi suum vltimum finem, qui est Deus, atque vt ad hunc finem dirigat hominem Summus Pontifex vtitur gladio spirituali contra inobedientes, & proteruos, quandoque illo non proficiente adhibet temporale gladium, non tamen hinc sequitur, huius vsum habere solummodo in ordine ad hunc supernaturalem finem, sed interdum etiam eo vtitur in commune bonum corporis, vt faciunt Domini temporales per exequutionem suarum legum, per quas intendunt communem quietem, & pacem inter suos subditos. Deinde quando iudex habet duas
185 potestates per quas potest procedere contra subditum modò cum vna, modò cum altera, non ita subordinantur ad inuicem, vt vna dicatur per se, & directa, altera per accidens, & indirecta, sed ambæ ex æquo, & propriis rationibus in eodem dignoscuntur esse, ex eo, quod iudex in vna parte processus potest procedere per vnam ex illis, & in alia parte per alteram, vt docet Innocent. *in capite cum ex officij, de præscript. numero tertio.* Hostiens. Ioann. Andr. Cardin. & Abbas ibidem, nisi se arctet iudex ad vnam, Rota *volum. vigesimoprimo resolutione secunda, decisione* 108. *numero secundo*, quia voluntas agentis colligitur ex forma, & modo procedendi, Roman. *consil*, 369. *numero septimo*, Alexandrinus *libro quinto, consil.* 55. *numero octauo* ex eadem Rota immò in dubio præsumitur vti efficaciore, vt actus valeat, ex Panormit. & Felino tradit Nauar. *tomo secundo, quæstione tertia de Reddit. Eccles.* Monit. 3. *numero tertio.* Si ergo duæ potestates exempli gratia in Episcopo Spirituales reperiri possunt, ordinaria ratione Episcopatus, & delegata à Sede Apostolica, & inter se distinctæ ex propriis rationibus, & ex modo operandi earum, non obstante, quod tendant ad eundem finem salutis animæ, & sint sub eodem genere spiritualitatis; cur & in eodem Pontifice non debent concedi duæ potestates, quæ ambæ ex æquo dicantur per se, & directæ, & à fortiori, cum inter se non conueniant in se proximo genere, ac proinde magis differant inter se, quam illæ in Episcopo coniunctæ, cum
186 ambæ sint spirituales? Igitur gladius temporalis non est medium gladij spiritualis, sed in se, & ex propria ratione præsefert propriam potestatem, iuxta ostensionem Lucæ *capite vigesimosecundo, numero* 38. *Ecce duo gladij hic, at ille dixit eis: satis est.* Duo sunt, quia vnus non dicitur esse per alium, sed ambo tales sunt ex propriis rationibus: *Hic* sub dignitate Pontificatus, quibus Papa exercere habet suum ministerium; vniuntur autem sub vnitate vnius Pontificatus, & euadunt vnus ex vtraque parte acutus, quia ab eodem non separatur illa duplex potestas spiritualis, & temporalis.

Septimò, probant, quia secundum Surd. *consil.* 349. obseruantia subsequuta declarat, quid in concessione veniat, & omnem tollit dubietatem, ex Carena *citat. num.* 72. Perpetuus autem vsus Ecclesiæ semper fuit, quod Papa in ordine ad finem spiritualem semper vsus fuit potestate in temporalibus, vt colligitur exemplis superius allatis in sexta ratione. Respondetur non tam ad finem supernaturalem, quam etiam naturalem, Summus Pontifex vtitur potestate temporali ex allatis exemplis in Ratione quinta, & sexta; atque id ostenditur, nimirùm sua potestate tendere etiam in finem naturalem, nam Papa legitimando; & personam non capacem successionis in bonis temporalibus reddit capacem, & habilem, non intendit aliquid spirituale, sed merum temporale, commodum personæ cui facit gratiam, id autem facere posse in toto orbe terrarum, habetur ex cap. *per venerabilem*, qui filij sint legit. & rem hanc bene tractat. Sanchez *libro octauo disputatione septimo de matrimonio.* Deinde finis spiritualis nihil habet distinguere inter gladium spiritualem, & temporalem in eo quod gladius temporalis sit in consequentiam tantum gladij spiritualis, ita vt etiam per se non spectetur, quia etiam Principes sæculares in vsu suæ potestatis, quæ sine dubio temporalis est, pro fine habent salutem animarum, & honorem Dei, & non tantum aliquid temporale, & tamen ex hoc fine gladius non exuitur sua temporalitate, cum Princeps laicus spiritualis potestatis incapax sit; lege *cap.* 13. ad Romanos, vbi habes potestatem etiam laicalem ordinari ad bonum conscientiæ. Siue ergò gladius ordinetur ad finem spiritualem, siue ad temporale commodum retinet propriam rationem gladij, & potestatis.

Octauò, probant ex capite. Per venerabilem decimotertiò. Qui filij sint legit. ibi: *Verum etiam in aliis regionibus certis casibus inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus.* Illud verbum. *Casualiter* denotat Papam habere potestatem temporalem per accidens, & indirectè, quando ius dicit extra Patrimonium Sancti Petri, ex Anguiano, & Barbosa apud Carenam loco citato. Sed non est facienda vis in dictione, *causaliter*, quæ non specificat gladium temporalem, quasi veniat in consequentiam, cum, cum supponatur in esse connexus gladio spirituali, sed tantum indicat vsum illius in eo casu sibi contigisse ex reditione vsus gladij in re graui aliis delegati, vt colligitur ex sequentibus verbis eiusdem textus. Præterea licet illa dictio iniiceret aliquam ansam asserendi Papam habere gladium temporalem tantum in consequentiam, tamen ea tollitur per alium textum in extrauag. comm. de maior. illis verbis. *In hac eiusdémque potestate, duos esse gladios, spiritualem videlicet, & temporalem Euangelicis dictis instruimur; nam dicentibus Apostolis. Ecce duo gladij hic, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male attendit verbum Domini proferentis; Conuerte gladium tuum in vaginam.* Ex quibus manifestum est, reperiri in Ecclesia duos gladios formaliter, & illos sufficere, non superfluere, eorum distinctio cognoscitur, quia Christus Petro præcepit, vt temporalem conuerteret in vaginam, ergò propriam gladij rationem habet, nulla mentione facta alterius gladij, vno igitur quandoque vtitur sine altero. Pondera illud pronomen *tuum* indicans proprietatem & directum illius dominium, ad quod facit D. Bernardus *libro quarto, de consider.* illis verbis. *Conuerte gladium tuum in vaginam tuus ergo est ipse, tuo forsitan nutu si non tua manu euaginandus.*

Nonò rationes probantes Christo competere Regium in temporalibus, non competunt Papæ, quia 187

Regnum hoc competit Christo ratione vnionis hypostaticæ vti filio Dei, vnde in Sacra Scriptura dicitur Rex terræ,& heres vniuersorum;Papa autem nec Dei Filius, neque Rex, aut hæres in Scripturis, sed tantum pastor,Sacerdos,pater, &c.ergò ex potestate Christi non bene infertur ad potestatem eius Vicarij. Hoc argumentum destruit primum ex nostris in opinionem aduersariorum, quod tamen verum non est, quia esto Christus secundum communicationem idiomatum sit in esse naturæ etiam humanæ Filius Dei Lucæ *cap.* 1. *n.* 35. *Quod nascetur ex te sanctum*
188 *vocabitur Filius Dei.* Item Roman. 8. *numero* 32. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; quæ loca sine dubio intelliguntur de Christo, vt homo est; atque etiam hæres vniuersorum, ac poinde Rex, & hæc non competunt Summo Pontifici, non tamen hinc sequitur, Christum non communicasse illi Regiam potestatem gladij materialis, sed solum inferri potest, prædictam potestatem in ratione naturæ à Christo non habuisse, sicut à Deo naturaliter communicata fuit Christo secundum naturam per communicationem idiomatum. Ex quo dupliciter intelligitur communicari alicui potestas, vno modo secundum esse naturæ ex eo quod filius succedit in omnia iura paterna, sic potestas diuina Christo communicata fuit per vnionem hypostaticam; habes simile in primogenitis Regum, Ducum, &c.qui secundum naturam succedunt patribus suis; in hoc sensu Christus nihil communicauit Summis Pontificibus, & ideò argumentum de potestate Regia in hoc sensu loquens non facit contra nos. Altero modo secundum esse moris per successiuam electionem,& traditionem potestatis,hâc ratione potest intelligi illud Matth.*cap. fin.n.*18. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo,& in Terra,* non per ratio-
189 nem in esse naturæ quia per generationem eam accepit, sed per traditionem in esse moris, vt eam posset communicare vt homo suis successoribus in terra.

Decimò inquiunt, non esse necesse, omnia quæ dicuntur de Christo, prædicari etiam de suo Vica-
190 rio, nam Christus habet potestatem faciendi miracula, creandi gratiam, instituendi noua Sacramenta;hæc autem non competunt Summo Pontifici; ergò non successit in omnem potestatem, quam Christus habet. Dico prædicta non fuisse necessaria ad gubernationem Ecclesiæ, & ideo Christus vtrumque solummodo gladium conferre suis Vicariis; non instituere Sacramenta, quia iam sufficienter instituta erant necessaria ad salutem; non creare gratiam, nisi virtute Sacramentorum eam conferre ministerialiter, & hoc commune omnibus Sacerdotibus, qui vt Christi ministri in virtute Dei operantur cum Sacramentis remissionem peccatorum; virtutem miraculorum illis non communi-
191 cauit habitualiter, cum Ecclesia potius indigeat instructione in fide, & vsu Sacramentorum, quam miraculis, nihilominus data occasione eisdem confertur virtus faciendi miracula, & Petro, aliis Apostolis, & Sanctis Pontificibus multis ex temporum opportunitate datur potestas faciendi miracula. Pro gubernatione igitur Ecclesiæ ex parte capitis prædicta in specie non sunt necessaria nisi ex occasione, sicut vterque gladius, & ideo hos duos confert gladios omnibus Summis Pontificibus, & non potestatem faciendi miracula.

Vndecimò, dicunt Monarchiam Papæ esse perfectam cum vnico gladio spirituali, cui omnes subduntur in ordine ad finem spiritualem. Non placet id, *Tum quia*, sic dicentes excludunt pœnitus gladium temporalem, & spiritualem extendunt ad finem temporalem, quod est dicere nullum gladium temporalem neque directè, neque indirectè reperiri in Ecclesia, nisi virtualiter, in quantum per iurisdictionem spiritualem Papa se extendit casualiter ad temporalia in ordine ad spiritualia. *Tum quia*, Papatus est prima dignitas, ergò omnes alias 192
excedere habet, & sibi subiicere, atque continere, vt Monarchia sit perfectissima in Pontificatu. *Tum quia*, Imperatoria eo quod inter mundanas habet primatum reliquas omnes sub se habet; papalis vero super omnes mundanas primatum tenet, ergò quæcumque mundana ab illa deriuat, & dependet.

Duodecimò, ad Sextum dicunt, vsum gladij temporalis in casibus ibi expressis & in aliis similibus intelligi respectu potestatis indirectè, quia Papa in illis semper motiuum habebat in ordine ad finem spiritualem, vt ad extirpandum hæreses, ne succrescerent, vel vt conseruaretur pax religionis Christianæ, vel vt aliquis remoueretur à peccatis. Sed superius probaui finem supernaturalem non 193
tollere rationem temporalitatis gladio, ac proinde Summos Pontifices, illo vsos fuisse in temporali.

Confirmatur ex illis verbis Christi: *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Sermo ibi est de gladio materiali, & temporali, qui non erat ordinatus ad spirituale bonum, sed ad recisionem auriculæ: Gladius autem ille figurans potestatem temporalem Petri, & eius successorum, non erat communis omnibus Apostolis, sed erat proprius Petri, vt denotat pronomen possessiuum. *Tuum* vnde ad rem hanc dixit Sanctus Bernardus supra relatus: *Tuus ergo est ipse, tuo forsan nutu, si non tua manu euaginandus.* Cur Christus illi prohibuit vsum gladij, dico infra n.261.

Quærunt, an gladius iste ratione suæ indirectitudinis importet potestatem spiritualem, an tem- 194
poralem? Carena *titulo primo de Romano Pontifice numero nonagesimosecundo* bene vocat temporalem, id enim expresse dicitur *capite. Per venerabilem, qui filij sint legit.* Anguianus vocat mediam, temporalem ratione materiæ, spiritualem ratione finis. Suarez *par.* 3. *disputatione quadragesimaoctaua tractatu secundo*, dicit simpliciter spiritualem, quod videtur non posse subsistere, cum Papa multis in locis supracitatis distinguat gladium in spiritualem, & temporalem, provt reperiuntur distincti ex Sacra Scriptura per numeri discretionem: Ecce *duo gladij hic*, scilicet in Ecclesia, vt demonstrat illud aduerbium locale, non essent duo, si temporalis esset idem, quod spiritualis; sed illo non vtitur, nisi 195
per manum Regum, vt dixit S. Bernardus superius allatus.

Argumenta, quibus hæretici omnem potestatem 196
temporalem Pontifici Romano negant sunt sequentia desumpta ab auctoritate Sacræ Scripturæ ab illis male intellectæ.

Primo, Matth. 20. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* *Secundo.* Act. 6. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* *Tertio* 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* *Quarto*, Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.* *Quinto* Christus non habuit dominium temporale, ergo neque potuit illud communicare Petro, nemo enim dat alteri, quod non habet nec plus iuris in alium quis transferre potest quam sibi competere dignoscitur. *Sexto* namque dicitur Ioan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo si ex hoc mundo esset regnum meum ministri mei vtique decertarent, vt non traderem Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc.* Denique. *Septimo*, Lucæ 12. 14. *Quis me constituit iudicem inter vos.*

Primò

Primò respondetur, ibi sermonem esse de dominio crudeli, & tyrannici, quo vti non debent Prælati Ecclesiæ, qui vti Patres, & Pastores debent esse erga suos subditos clementes, vnde dicuntur Patres non Domini. Vide supra n.168.

Secundò, ex illis verbis magis confirmatur dominium, & potestas temporalis, quam Apostoli proponunt nolle exercere in rebus vilibus, & parui momenti, ideò hæc relinquunt inferioribus ministris.

Tertiò, ibi sermo est de mercatura, à qua clerici prohibentur, non autem de dominio, & potestate, ideò nil contra superiùs determinata.

197 Quartò, Christus iussit, reddi Cæsari tributum, quia erat imperator non ideo tamen sequitur ipsum in suo dominio non dependere à Petro, à quo gladium potestatis recipit Imperator, & sicut Imperator & alij Principes recognoscunt Romanum Pontificem in suum superiorem tam in temporalibus, quam in spiritualibus, ita horum subditi tenentur obedire, & reddere illis, quod suum est.

198 Quintò, Christus habuit dominium temporale, nam interrogatus à Pilato: *Tu es Rex Iudæorum? Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum.* Ioan. 18.37. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Apocal.19.16. Et de seipso testificatur Matth.28.18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Data est à Patre potestas Filio, quia Pater omnem suam essentiam cum perfectionibus, & attributis communicauit in generatione Filio, *in cælo* per æternam generationem; *& in terra* per temporalē generationem; *in cælo.* i. potestatem spiritualem, in terra. i. temporalē. Christo igitur data est omnis potestas, ergo non solum spiritualis, sed etiam temporalis. Vide id fusè tractatū suprà q37. Et hanc vtraque ascensurus in cælum Petro, & in persona illius successoribus communicauit ad regendum populum in spiritualibus, & temporalibus

199 Sextò, quomodo Christus dicitur esse Rex Israël, & postea ipsemet dicit, eius regnum non esse de hoc mundo? Christus verus fuit, & est Rex mundi, non tamen quales sunt alij Reges regnum acquirentes titulo, potestate, vsurpatione, limitatione, & aliis subiecti, Regnum Christi non est de hoc mundo in prædicto sensu, quod acquisiuit æterna, & temporali generatione, & modo excellentissimo sine vlla limitatione, aut vsurpatione, Vide supra *sub num.* 168. alias responsiones; aliis citatis docet Mendoza *in lib.* 1. *Regum cap.* 2. *Annot.* 15. *sect.* 3. *à num.* 18. Qui rem hanc doctissimè prosequitur vsque ad finem Annotationis, tribuendo illi imperium, & dominium, illud ad præcipiendum, hoc vero ad disponendum de rebus eorum, quibus imperatur.

200 Sed quomodo Christus est Imperator & Rex, si pauper semper in hoc mundo fuit? Imperator enim, & Rex sunt diuites in imperio, & dominio. Dico, quod Christus habuit vtriusque paupertatem, & imperium cum dominio rerum totius vniuersi neque enim pugnant ad inuicem, quia Christus fuit pauper spiritu, & animo, abdicauit enim à se vsum rerum omnium neque voluit de illis disponere, quamuis potuisset, præterquamquod de ratione Imperij, & dominij non est habere proprietatem rerum in actu exercito, sufficit enim imperare, & posse de illis disponere, neque enim necessaria est actualis earum dispositio.

201 Septimò, Christus arguit illum hominem, qui putabat illum fuisse constitutum iudicem ab aliquo homine: *O homo quis constituit me iudicem, aut diuisorem inter vos?* Nullus homo me fecit vestrum iudicem, sed ego sum iudex constitutus à Deo Patre, non ab aliquo homine, cum omnium hominum sim iudex.

Probant aduersarij secundò auctoritate Sanctorum Patrum summum Pontificem non habere imperium, neque dominium. Nam D. Ambrosius relatus cap. *Si tributum petit imperator, non negamus, agri Ecclesiæ soluunt tributum; si agros desiderat imperator potestatem habet vindicandorum.* 27.11. q.1. *Secundò,* Hosius in Epistola Athanasij ad solitariam vitam agentes, ait Imperatori. *Tibi Deus imperium, nobis autem ea, quæ sunt Ecclesiæ Christus commisit. Tertiò,* Imò hoc idem apertius habetur in Sacra Scriptura, quod imperium temporale habent reges immediatè à Deo, nam *Daniel.* 2. 37. De Rege Nabuchodonosor interpretando illi somnium dixit: *Tu Rex Regum es, & Deus cæli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedi tibi. Quartò,* Id est conforme, quod Fedéricus Imperator condendo leges contra hæreticos, quas approbauit Innocentius IV. In sua prima Bulla incip. *Cum aduersus.* Dixit his verbis: *Commissi nobis cælitus cura regiminis & imperialis, cui dante Domino præsidentes fastigium dignitatis, materialem, quo diuisim à Sacerdotio fungimur, gladium aduersus hostes fidei, & in exterminium hæreticæ prauitatis exigunt exercendum.* Imperator proprio vtitur gladio diuisim à gladio Sacerdotis, ergo illo vtitur iure proprio, & non accepto à Pontifice. *Quinto,* Gelasius Papa relatus *cap. Duo sunt dist.*96. inquit: *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas Sacra Pontificum, & regalis potestas. Sextò,* Alexander relatus *cap. Si duobus de appell.* Respondet: *Tenet quidem in his appellatio, qui sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti, in aliis vero secundum iuris rigorem credimus non tenere. Septimo,* in cap. Cum causam, qui fil. sint legit. dicitur: *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus iudicare. Octauò,* Ex D. Bernardo lib. 2. de consideratione his verbis probatur: *Apostolis interdicitur dominatus, id est, ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicum dominatum. Forma Apostolica hæc est: Interdicitur dominatio, interdicitur ministratio. Nono,* Papa non est Dominus infidelium, quia non sunt eius oues, vnde 1. Corinth. 5. 12. dicitur: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? nam eos, qui foris sunt iudicat Dominus.* Papa igitur non habet potestatem temporalem in infideles, cum non possit eos iudicare. *Decimò,* ex donatione Constantini constat, Papam non habere à se potestatem temporalem, sed à Constantino, qui Ecclesiæ donauit Vrbem cum circumuicinis ciuitatibus, vt nomine eius exerceret potestatem temporalem. Donatio autem Constantini registratur *cap. Constantinus* 14. *dist.*96. *& tom.*1. *Concil. fol.* 475. *Vndecimo,* ratione probatur imperium, & dominium temporale non pertinere ad Petrum, quia potestas suprema spiritualis in Pontifice à Christo instituta est ad gubernandos fideles secundum legem Euangelicam in supernaturalibus, & quatenus ad illa est etiam opus in naturalibus, ita quod hæc spiritualis potestas primò, & immediatè ordinatur ad regendos homines circa spiritualia, & supernaturalia animæ, secundariò, & mediatè, atque indirectè se extendit super naturalia, & temporalia, in quantum horum gubernatio & directio necessaria est ad conseruanda spiritualia, vnde quandocumque. Principes seculares ita malè agerent, vt fideles, & subditi eorum male exemplo subuerterentur quoad animam, & fidem, tunc Papa contra illos agere posset, immo deberet, deponendo Principes, qui suo malo exemplo essent perniciosi reipublicæ Catholicæ. *Duodecimo,* in cap. Inter hæc 6. 32. q. 3. expresse dicitur. *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem. Et cap. Si duobus* 7. *in fine de appell.* dicitur, quod à laicis ad sedem Apostolicam de rigore iuris non appellatur, ergo caret Papa gladio temporali.

Primò argumento in contrarium dico, D. Ambro- 202

 sium

sium à glossa v. potestatem explicari, tributum reddi Cæsari de facto, non de iure, Imperator ergo de iure non habet potestatem, & ius tributandi Ecclesiam, imperator enim est filius Ecclesiæ, *cap. Si imperator* 11. *dist.* 96. Vnde contra naturam est, vt filius si-
203
204 bi subiiciat suam matrem, *Et erat subditus illis*; nam tributum est signum subiectionis ad Rom. 14.6. *Ideo*
205 *enim tributa præstatis.* Adde, quod D. Ambrosius locutus fuit exactè, & cautè, ne resistendo quoad temporalia, profectum spiritualem, quem sperabat in persona Imperatoris, perderet.

Secundò, ibi Hosius loquitur de discretione vsus & exercitij, non de separatione vnius gladij ab alio independenter, ius enim vtriusque gladij est in Pontifice, qui sibi reseruauit etiam vsum, & exercitium gladij spiritualis, exercitium verò potestatis temporalis communicauit, & delegauit Principibus laicis.

Tertiò, quod dicatur in Sacra Scriptura, Deum dedisse regnum Nabuchodonosori, non arguit, potestatem regiam esse independentem a Sacerdotio, nam omnis potestas à Deo primo est, & independenter, deinde in aliis dependenter à Deo per Papam omnibus Principibus, & Magistratibus communicatur.

Quartò, verum est, quod Imperator gladio temporali vtitur diuisim à Sacerdotio, quia vti laicus non est capax gladij Sacerdotalis, sed tantum materiali sibi à Papa communicato, & illo vtitur mediante Pontificis delegatione facta.

Quintò, nota modum loquendi Gelasij Papæ, nam nomen auctoritatis latius patet nomine potestatis, indicare volens potestatem temporalem, & spiritualem retineri sub nomine auctoritatis, per quam temporalis vsu & exercitio segregari potest, & communicari Principi laico; nomen siquidem auctoritatis importat independentiam vti ab Auctore, potestatis vero nomen, dependentiam, & originem ab alio di-
206 cit, quia potestas ab aliquo dicitur dari; & facit ad rem illa clausula: *Auctoritate nostra*, quæ importat delegationem, ac proinde dependentiam delegati ad delegantem, Barthol. *in l. Et quia, ff. de iurisd. omn. iud.* Ioann. de Imola *in Clem. de supplend. neglig. prelat.*

207 Sextò, ad illum textum dicimus, quod à laico iudice non sit appellandum ad Papam, non infert Papam carere potestate temporali, sed vult dicere, quod in appellationibus procedendum est gradatim à iudice inferiori ad iudicem superiorem, & ab hoc ad alium maiorem ordinem, & tandem ad summum Pontificem vti ad supremum, & vltimum iudicem omnium hominum, appellatio enim gradatim fit à minori ad maiorem, *cap. Dilecti 66. de appellat.* Imò ibidem in textu subiungitur, quod appellari potest de consuetudine, si non de rigore iuris, quod vult, vt appellatio fiat ordinate & gradatim.

Septimò, ad illum textum dico, iudicare de possessionibus pertinere ad Regem, non ad Ecclesiam, quod intelligendum est, sequendo subordinationem iudicum, nam incongruum est, sine causa legitima maiorem iudicem auocare ad se causam minoris, quia vnicuique seruandum est proprium ius, siue sit ordinarium, siue delegatum, cum ergo Rex ius delegatum à Papa habeat iudicandi, ad ipsum spectat iudicare, non ad Ecclesiam, nisi in causa appellationis, & recursus. Demum Papa non negat spectare illud ad sedem Apostolicam, sed decernit non spectare ad particularem illam Ecclesiam, de qua ibi.

Octauò, S. Bernardus supra in secunda probatione relatus apertè asserit duplicem gladium in Romano Pontifice. Vnde cum non sit verisimile sibi contradicere, hic loquitur de potestate spirituali, per quam temporaliter dominari non potest, nec debet mere laicos crudeliter, & tyrannicè imperando, sed paternè, & benignè vti pater, & bonus pastor.

Nonò, qui sunt extra Ecclesiam ab Ecclesia non 208
iudicantur, intellige potestate spirituali, neque per censuras, quia soli fideles hac potestate iudicantur, *gloss. v. Fornicarij cap. Multi corriguntur 18.2 quæst. 1. gloss. v. Publicus cap Sæpe 12.28. quæst. 1. Tridentinum sess. 4. cap. 2.* Royas *de hæret. part. 1. num.* 563. ex illo Catena *part. 2. tit. 14. num. 7. §. Ad primum.* Papæ igitur non negatur potestas temporalis etiam contra eos, qui foris sunt, quia sicut Romæ potest temporaliter iudicare Iudæos, & Paganos, si qui sunt, ita & per vniuersum orbem existentes, quia totus mundus est territorium Papæ, cap. Cuncta per mundum 17. & 18. 9. q. 3.

Decimò, ad donationem, vt aiunt, Constantini, 209
respondet Margo in tom. 1. Concil. fol. 475. in hæc verba: *Iure quidem semper tenuit Papa hunc Principatum, quem habet à Deo, sed sanxit Imperator pro sua auctoritate, vt etiam agnosceretur, illique obsequium præsentaretur.* Hoc idem insinuat textus donationis, ibi: *Vrbem Romam, & omnes totius Italiæ, & occidentalium reginam prouincias, loca, & ciuitates, præfato beatissimo Pontifici nostro Syluestro vniuersali Papæ concedimus, atque relinquimus & successorum ipsius Pontificum potestati, & ditioni.* Constantinus ergo Papæ relinquit, ac restituit Italiam suæ potestati, & ditioni, nempe temporali, quæ iam erat in Ecclesia, per quam posset Italiam regere, & dominari suâ potestate temporali, & propriâ, quam Papa à Deo habebat immediatè, & non ministerio imperij. Hanc esse restitutionem multi tenent apud Sotum *Relect. 5. de Indis §. Circa hoc,* Albanum ad Iulium III. Gloss. *in cap. Nouit. de Iudic.* cum Iacob. Butrig. in proœmio *Cod. Alex. vol. 1. consil.* 11. aiunt, quod potius fuit resignatio, quam donatio, & Turrecr. *lib. 2. cap.* 41. dicit, quod Papa habet dominium temporale à Deo immediatè, executoriè, seu declaratiuè à Conciliis, à Constantino promulgatiuè, apud Marcum Antonium Mazzaronium in suo libello de tribus coronis Pont. Max. *fol.* 114.

Vndecimò argumento respondeo, illud solum probare potestatem spiritualem esse maiorem temporali dependente ab ea, cum gladius sit sub gladio, sicut corpus subest animæ. Ratio autem dictat, quod sicut vtraque potestas est inter se distincta ex natura rei, ita & in quocumque reperitur, retinere eandem distinctionem. Quare Papa non potestate spirituali, sed politicâ, & temporali sibi diuinitùs, & immediatè tradita agit temporaliter in Principes, & pro Principibus, quando occasio se offert. Est quoque argumentum valdè infirmum dicere, quod Papa indirectè habet potestatem temporalem, quando deponit aliquem Principem, & quando priuat vnum iure dominandi, & alteri tradit imperium, & dominium, vt fecit Alexand. VI. Bulla 2. incip. *Inter cætera*, qui nouum orbem Indiarum donauit Regi Hispano, quod ante ipsum fecerant Martinus, & Nicolaus V. Calixtus III & Sixtus IV. Rebellio de obligat. referente. Nam huiusmodi actiones donandi, transferendi deponendi &c. sunt res magni momenti, imò maximi, ratio consequenter dictat, eas dependere à perfectissima potestate, & plenissima, non vero à potestate indirecta, ac proinde à potestate simpliciter temporali de se radicata in agente, cuius est super disponere. Vide suprà *q.* 32.

Duodecimò respondet ibi glossa non habere vsum gladij, quia illum tradidit Principi laico; & quod dicitur *in cap. Si duobus*, intelligitur in appellationibus gradatim esse appellandum, non quod denegetur appellatio à laicis ad sedem, vt probaui suprà, & infrà *cap. 5. q* 44.

Quæres

Quæres 40. An de fide credendum ſit Papam habere vtrumque gladium ſpiritualem, & temporalem? De gladio ſpirituali nemo ſanæ mentis dubitat. De temporali nonnulli titubant, vt Imperatori, & Regibus complaceant, non curantes diſplicere Deo in detrimentum animarum ſuarum.

Reſpondetur eſſe fide, quod Papa habeat à Deo vtrumque gladium. De gladio ſpirituali conſtat ex illo: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Traditio autem facta fuit per illa verba: *Paſce oues meas.* Et id declaratum fuit in Concilio Florentino *ſeſſ. fin. tom. 4. Concil. fol.* 883. De qua re latius ſuo loco.

De gladio temporali colligitur ex illo Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, &c.* Non ſolum ſermo eſt de ligamine & ſolutione ſpirituali, ſed etiam temporali propter illius verbum vniuerſale. *Quodcumque* referendum ad quoduis iudicium ſiue ſpirituale, ſiue temporale. In cuius negotij veritatem conſtat ex hiſtoriis, pleroſque ſummos Pontifices Romanos decreta feciſſe directè tangentia negotia præcisè ſecularia; nempe deponendi Imperatores, priuandi Reges, caſtigandi Principes, transferendi Imperium, inſtituendi Reges, donandi Regna, & ſimilia exequendi, quæ ſolum ſpectant ad poteſtatem ſupremam temporalem, ergo neceſſariò eſt inferendum, in Pontificibus eſſe radicatam hanc poteſtatem gladij temporalis, aliter eorum decreta fuiſſent nulla, & iniqua vt quæ facta ſine iuriſdictione, & geſta per ipſos omnino fuiſſe inualida, & iniuſta, atque reipublicæ Catholicæ valde pernicioſa. De fide ergo credendum eſt, Papam habere gladium temporalem non delegatum, non mutuatum ab aliquo, ſed à Deo immediatè acceptum in bonum vniuerſi. Ita docent Bartolus, Antonius de Roſellis, cum aliis apud Nauar. *in cap. Nouit. de iud. à num.* 21. *ſub notab.* 3. Adolphus Sculcherius *in Apolog.* pro Cardinali Bellarm. *cap.* 5. *fol.* 256. Adamus Tannerus *in defenſ. Eccleſ. libert. lib.* 2. *cap.* 8. quos pro ſe citat. Diana *par.* 10. *in tract. de poteſtate Exaut. Reges reſ.* 8.

Quæres 41. An Chriſtus, & Petrus vſi fuerint aliquando gladio temporali?

210 ℞. Affirmatiuè, De Chriſto conſtat *Lucæ* 8. dum immiſit dæmones in gregem porcorum in mari ſuffocatorum. *Matth.* 21. dum areſecit ficulneam, nullo reſpectu habito ad ſingulares dominos rerum illarum. *De Petro*, qui recipiebat pretia agrorum venditorum & defraudatores morte puniebat Ananiam, & Saphiram eius vxorem *Act.* 5. Conſtituit pariter cum aliis Apoſtolis, qui miniſtrarent menſis Act. 6. hæc & ſimilia ſpectant ad poteſtatem temporalem.

Quæres 42. An vtraque poteſtas ſit in Eccleſia de iure naturali, an diuino, vel humano? Vide *cap.* 5. *num.* 202.

211 ℞. Vterque gladius à ſolo iure diuino eſt in Eccleſia. Probatur ex definitione iuris. Nam ius naturale eſt illud, quod à Deo ſit inſitum naturæ cuiuſlibet rei dum concipitur, quæ iuxta naturam ſibi à Deo

212 inditam operatur. Ius vero diuinum eſt illud, quod Deus ponit extra naturam hominis, in quantum cum homine non concreatur, ſed illi à Deo proponitur vti regula, ſecundum quam debet operari. Ius verò humanum eſt illud, quod ab homine ponitur. Neuter autem gladius prouenit à natura, neque illi concreatum eſt, vt clarum eſt, quia nemo concreatur cum poteſtate ſiue ſpirituali, ſiue temporali, ſed acquiritur aliquo titulo; hæc autem à Deo immediatè infertur Papæ eo ipſo, quod eſt electus à Cardinalibus, ergo hæc poteſtas eſt in Eccleſia de iure diuino, & hoc de fide credendum, quia Chriſtus dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Quod præſtitit, cum dixit: *Paſce oues meas.* Non ſolum id verum eſt reſpectu ſupremæ poteſtatis, ſed cuiuſlibet alterius poteſtatis ſpiritualis, vt expreſsè dicitur ad Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia.* 1. poteſtas ſpiritualis, cum ſine pretio detur, ideò dicitur gratia, *ſecundum menſuram donationis Chriſti.* 1. prout illi donata fuit à Deo Apoſtolis communicanda, *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, &c.* Ergo omnis Eccleſiæ poteſtas eſt de iure diuino, & non ab aliquo homine tradita. 113

Quæres 43. An vtraque poteſtas ordinis, & iuriſdictionis à Deo immediatè collata fuerit omnibus Apoſtolis, an ſolum Petro immediatè, & reliquis mediante Petro?

℞. Chriſtus Apoſtolis immediatè tribuit vtramque poteſtatem, ea tamen conditione, vt in vſu earum dependerent à Petro, à quo deinde poteſtas omnis iuriſdictionis, & vtriuſque gladij deſcenderet in reliquos omnes; ordinis vero poteſtas ſemper à Deo confertur omnibus miniſtris cum dependentia à Petro, quoad vſum, & exercitium.

Prima pars, de immediata ordinatione, & collatione poteſtatis facta à Chriſto, de fide conſtat, Lucæ 6. 13. *Et elegit duodecim ex ipſis.* Ioan. 6. 71 *Nonne ego vos duodecim elegi.* Item 15. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Ioan. 20. 21. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Alias auctoritates habes ſub quæſtione 4. 214

Secunda pars, quod Apoſtoli dependerent in vſu ſuæ poteſtatis à Petro, probatur ſupra *ſub q.* 26. *n.* 120 & infra *in cap. de Apoſtolis.* 215

Tertia pars, quod cæteri omnes à Papa poteſtatem iuriſdictionis accipiant, probatur. *Tum quia*, in Eccleſia eſt hierarchia Prælatorum, & Miniſtrorum, qui ſubordinantur ad inuicem vnus alteri, minor maiori, & tandem omnes reducuntur ad vnum principalem, qui eſt caput, à quo cæteri dependent, & mouentur in ſuis operationibus, ſicut riuuli fluunt à fonte, & membra viuificantur à capite, cum ſubordinantur, ſed Papa eſt caput huius Hierarchiæ, à quo cæteri miniſtri recipiunt virtutem operandi, ergo ab eo habent poteſtatem iuriſdictionis. *Tum quia* Papa in Eccleſia ſe habet vt Sol, reliqui miniſtri, vt radij eius Solis; item comparatur Papa radici arboris, cæteri verò ramis eius, vt bene diſcurrit D. Cyprianus *relatus cap. Loquitur* 18. 24. *q.* 1. Sed radij à ſole ſuam habent virtutem illuminandi, & rami vireſcunt ex humore arboris, & radicis, ergo Miniſtri Eccleſiæ operantur virtute iuriſdictionis ſibi communicatæ à Summo Pontifice. *Tum quia* id expreſſe dicitur *capite* 1. *diſtinct.* 22. Et in hoc omnes Catholici conueniunt. 216 217

Quarta pars, quod poteſtas ordinis immediatè ſit à Deo, probatur ex differentia vtriuſque poteſtatis, nam Papa, & cæteri conferentes poteſtatem iuriſdictionis, ita ſibi propriam faciunt, vt eam pœnitùs ab illis, quibus commiſerunt, auferre poſſint, nulla in eis remanente reliquia, adeo quod quicquid attentant facere, nulliter agant; eam verò, quæ eſt ordinis, licet impedire poſſint ex cauſa, non tamen auferre, vt patet ab effectu eius, qui degradatus poteſt adhuc, ſi non licitè, ſaltem validè conſecrare, benedicere & cætera facere, quæ tantum pendent à poteſtate ordinis quoad ſuum valorem, quod eſt ſignum poteſtatis voluntate humana inauferibilis. Et ita docent omnes Canoniſtæ *cum gloſſ.* 1. *in cap.* 2. *de cler. excom. min.* & Theologi. Pendet verò quoad vſum, quatenùs faciens contra prohibitionem illicitè agit, licet validè. In his nulla controuerſia. 218 219

Quæres 44. An non baptizatus, vti Iudæus, Paganus, & quilibet alius infidelis ex carentia baptiſmatis, ſit capax poteſtatis Eccleſiaſticæ?

℞. Certum eſt nullum hominem carens baptiſmate

te esse capacem potestatis spiritualis, siue sit ordinis, siue iurisdictionis fundatæ in charactere, aut primâ tonsurâ, seu in superioritate extra omnẽ ordinem, & primam tonsuram. Probatur, quia Baptismus fluminis est fundamentum generale, & remotum, sine quo
221 nullus homo est capax potestatis spiritualis, siue sit ordinis, ideo baptizatus denuo ordinari debet, *cap.* 1. *de Presbytero non baptiz.* Quia caruit baptismate, quod est fundamentum cæterorum Sacramentorum, cap. Veniens 3. eod. super quo deficiente nihil ædificari potest; siue iurisdictionis, quæ nulli communicari, neque inesse potest, qui careat spiritualitate baptismatis, nam id vitæ spiritualis principium, Da-
222 mascen. *lib.* 4. *fidei orthodoxæ, c.* 10. Dixi, Baptismum esse fundamentum remotum, quia ad recipiendos ordines, & potestatem iurisdictionis illud non sufficit, sed præterea homo ad hæc disponitur per alia requisita proximè necessaria vnicuique potestati, vt rite, & quandoque validè conferri possit; nondum autem baptizatus ab his valde remotus est, consequenter si per Baptismum non disponatur, & alia requisita non approximetur, continuo remanet incapax, & perpetuo inhabilis.

Dices, nondum baptizatus Paganus, seu Iudæus valide baptizat, si proferat verba necessaria, & habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Romana, *cap. Romanus* 23. *cap. A quodam Iudæo* 24. *dist.* 4. *de consecr.* ergo in hoc dicitur habere potestatem spiritualem iurisdictionis, aut superioritatis, per quam confert hoc Sacramentum.

223 ℞. Ad conferendum hoc Sacramentum nulla potestas siue ordinis, siue iurisdictionis est necessaria, sed sufficit solum ministerium, sic dictante eius necessitate, cum enim nemo seipsum baptizare valeat, ex
224 *cap. Debitum* 4. *de baptis.* etiam in articulo mortis, ideò si quis adultus habeat responsum mortis, & nullus adsit, præter Paganum, ab hoc petere potest Baptismum, eius enim valor pendet ab intentione Ecclesiæ, à verbis, & à materia, & non à potestate, quæ nulla est in hoc casu. *Confirmatur* id, quia alia baptismata flaminis, & sanguinis contingunt esse sine vlla spirituali potestate, ergo & hoc, maximè illud sanguinis, & martyrij, quod fit cum summa iniquitate Ministrorum Diaboli.

Quæres 45. An in Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis ordinatis ab Ecclesia præcisis remaneat potestas Ecclesiastica, & ea vtantur validè?

℞. In istis siue occultis, siue vitandis remanet indelebiliter potestas ordinis, quâ licet non ritè, validè tamen conficiunt Sacramenta, & Sacramentalia, quæ ad sui valorem non petunt potestatem etiam iurisdictionis. Potestas verò iurisdictionis adhuc in iisdem remanet nondum per cedulones declaratis, secuta vero declaratione ipso iure carent eadem iurisdictionis potestate.

225 Prima pars de potestate ordinis remanente cum suo effectu efficaci probatur, quia hæc fundatur in charactere animæ, quod ab ea deleri non potest per quamcumque potestatem humanam, iuxta illud Psalmi: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quod de Christo dictum intelligitur de omnibus aliis Sacerdotibus, quorum Christus caput est, & quibus communicat characterem, & potestatem, quam nemo inefficacem reddere potest, ergo potestas ordinis cum sua efficacia remanet in hæreti-
226 cis, schismaticis, apostatis, & aliis degradatis. Confirmatur, quia valide conficiunt Sacramenta, ergo ex potestate ordinis, quæ in illis remansit. Antecedens, quod Sacramenta ab illis collata teneant, & valida sint, est Catholica doctrina à Sanctis Patribus tradita *cap. Si iustus* 30. *& seq.* 1. *q.* 1. lege ibi glossam v. si iustus, vbi eam explicat de Sacramentis in genere, *cap. Corporalia* 49. *cap. Per Isaiam* 98. 1. *quæst.* 1. De Baptismo *cap. Dedit* 46 *cap. Sicut* 47. *cap. Etiam* 48. *cap. Hi qui.* 51. 1. *q.* 1. De ordinatione habetur *cap. secundum* 8. *dist.* 19. *cap. si qui* 40. *cap. si quis* 41. 1. *q.* 1. De sacrificio Missæ *gloss. v. sacrificio, & v. Additio cap. Dominus* 87. 1. *q.* 1 Est communis doctrina Catholicorum, & de Baptismo sic definitur Can. 4. sess. 7. *Si* 227
quis dixerit, Baptismum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum. Anathema sit. Quicquid olim S. Cyprianus in Concilio Prouinciali Carthaginensi cum octoginta Episcopis decreuerit esse rebaptizandos, qui fuerant baptizati ab hæreticis, nam postea se retractauit instante Stephano Papa, vt refert Campanilis in diuers. iur. canon. Rubr. 1. n. 103.

Secunda pars de potestate iurisdictionis remanente adhuc in hæreticis nondum denuntiatis probatur 228
ex communi doctrina Catholicorum ponentium hanc differentiam inter excommunicatos quoscumque non vitandos, & vitandos ita declaratos per cedulones, quod occulti, & nondum declarati retinent potestatem iurisdictionis; vitandi vero cedulone exposito, statim perdunt iurisdictionem, illi autem adhuc retinent potestatem non ratione sui quasi Ecclesia illos foueat, eos enim omnino detestatur, & abhorret, sed propter commune bonum animarum Christi fidelium, qui ab illis recipientes Sacramenta præsertim Pœnitentiæ, quorum delicta ignorant, non deducantur in discrimen æternæ damnationis, quod dici non potest de vitandis, qui vt tales ab Ecclesia omnibus notificantur, vt nullum cum illis commercium aut ciuile, aut spirituale habeant. Confirmatur id ab effectu, quia in omnium sententia apud Sayr. *lib.* 2. *cap.* 6. Bonac. *de censur. q.* 2. *p.* 5. §. 2. *num.* 3. Gesta per ex- 229
communicatum nondum vitandum valida sunt, per vitandum vero attentata nullius sunt valoris, ergo signum est in illis remanere potestatem, ab istis verò auferri.

Quæres 46. An potestates ordinis, & iurisdictionis, atque superioritatis acquiri possint consuetudine.

℞. Potestas ordinis nullo modo consuetudine acquiri potest. Potestas verò iurisdictionis pro foro externo consuetudine acquiri potest à solis clericis, non verò à laicis.

Prima pars de potestate ordinis probatur. *Tum* 230
quia, hæc acquiritur verbo, non facto, sine enim forma verborum expressa, character non imprimitur, nec proinde potestas illud consequi potest; consuetudo autem consistit non in verbo, sed in facto, ergo consuetudine acquiri non potest. *Tum quia*, quod excedit vires humanas non potest consuetudine induci, hæc enim pendet ab homine; potestas autem ordinis excedit vires humanas, cum à solo Deo homini ordinato ministerio Episcopi conferatur character, & potestas. *Tum quia*, sequeretur, quod quis facto proprio seipsum posset ordinare, quod absurdum est.

Secunda pars, quod potestas iurisdictionis pro foro externo acquiri possit consuetudine, probatur, 231
quia hæc non excedit vires hominis, sed ab homine confertur, ergo consuetudine humana, acquiri potest, & id in iure clarum est, *cap. Duo* 9. *cap. Irrefragabili* 13. *de offic. ordin. cap. fin. de offic. Archid. cap. Cum contingat.* 13. *de foro compet. cap. Cum auditis* 15. *cap. Cum olim* 18. *de præscript.*

Necesse autem est, quod persona duobus resulgeat requisitis, & quod constituta sit in ordine, & quod sit persona publica in officio constituta, vt colligitur ex citatis iuribus, in quibus agitur de consuetudine censurandi & absoluendi à censuris, *cap. Romana* 5. *de sent. excom. in* 6. Item Abbas consuetudine potest acquirere

acquirere potestatem concedendi indulgentias, *cap. Accedentibus* 12. *de excess. prælat. iuncta gloss. fin.*

132 Quare laica nulla consuetudine hanc potestatem lucrari possunt, ex eorum incapacitate, & defectu illorum duorum, quod probaui supra *quæstione* 34. *num.* 159.

133 Dixi pro foro externo, quia loquendo de potestate absoluendi Sacramentaliter, nulla consuetudine induci potest, vt simplex Sacerdos excipiat confessiones extranei, cap. 2. de Pœnit. in 6. *Nulla quoque consuetudine potest introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere, aut ligare.* Quamuis consuetudo non possit conferre hanc potestatem non habenti, tamen eam ampliare potest, & extendere in habente illam, vt obseruat Floronus *part. 3. de casibus reseru.* §. 3. *n.* 6. *Valerus v. Consuetudo, differ.* 1.

Dices, Sacerdos simplex fingendo se Parochum, seu confessarium, stante errore communi, & dictis titulis validè absoluit, quia ex illa communi regula, *l. Barbarius* 4. *ff. de offic. prætor. l.* 3. *de supellect.* Gratian. *in cap. Infamis* 1. 3. *q.* 3. §. *Tria, vbi glossa refert alia iura*, gesta à putato errore communi officiali tenent, & ita docet in casu nostro Sanch. *lib.* 3. *disp.* 22. de simplici Sacerdote putato confessario, ergo consuetudine acquiri potest iurisdictio Sacramentalis.

℞. Non dici talem Sacerdotem acquisiuisse eam potestatem consuetudine, sed Ecclesiam vti piam matrem supplere in eo casu potestatem, ne pænitentes decepti periclitentur. De qua suppletione infrà *quæst.* 56.

Quæres 47. Sub quanam potestate regatur Ecclesia?

134 ℞. Ecclesia vt sic sub vno capite visibili regitur Monarchia; spectata vero in Conciliis Generalibus, in Congregationibus Cardinalium, in Archiepiscopalibus, Episcopalibus Aristocratia. In Parochialibus gubernatur Democratia. Singula probantur ex definitione singulorum.

235 Nam Monarchia est regimen, quo per vnum supremum caput, quod est Pontifex Romanus tota gubernatur Ecclesia, sine alterius auctoritate, aut consortio auctoritatiuo, qui sua suprema auctoritate a solo Deo accepta vniuersam regit Ecclesiam independenter à potestate humana; omnia enim membra Ecclesiæ etiam principaliora, ex probatis supra, habet potestatem regendi Ecclesiam dependenter à Papa, à qua eam recognoscunt, ergo Ecclesia Papali Monarchia regitur, quod etiam patet ex conditione ipsius Papatus, qui consortium alicuius collegæ non admittit, quia soli Petro, & in eo successoribus illius dictum fuit: *Pasce oues meas.* Quod Ecclesia ex aliis principalioribus membris regatur aristocraticè probatur ex definitione Aristocratiæ, quæ est regimen, quo respublica à capite regitur consilio, & consensu personarum selectarum, & non cuiuscumque conditionis, & dicuntur collegæ eiusdem potestatis in congregatione cum capite deputato à Monarcha, vel ab alio de eius mandato: sed Concilia, & aliæ congregationes componuntur ex Prælatis, & personis selectis, & non ordinariis, vt notum est, ergo Aristocraticè reguntur. *Demum* Synodi, & aliæ Congregationes ad quas vocantur personæ non graduatæ, aut mixtæ ex his, & aliis cuiuscumque conditionis dicuntur regi Democratia, quæ est regimen personarum cuiuscumque status, & conditionis inferioris. Et in his nullam puto esse difficultatem, attentis prædictis definitionibus.

Quæres 48. An potestas Ecclesiæ se extendat ad actus internos? seu, an Ecclesia iudicet de occultis?

℞. Ecclesia iudicat de occultis, & merè internis in foro tantum Sacramentali Pœnitentiæ. In foro autem externo non iudicat de merè occultis, & actibus internis. Vtique verò si spectentur in ordine ad actus externos, cum quibus coniunguntur, & complentur. Ita docent omnes.

Primum de foro Sacramentali patet, quia Ecclesia præcipit confessionem omnium peccatorum tam internarum cogitationum, quam externorum actuum, 236 licet cum istis cogitationes non sint coniunctæ, ergo pro hoc foro ius habet super omnes actus, qui vt iudicentur à Confessario, qui super illis potestatem habet, manifestandi sunt eidem, vt sententiam legitimam ferre possit.

Secundum, quod pro foro externo Ecclesia internas cogitationes non iudicet, probatur. *Tum quia,* 237 238 iudicium non potest fieri circa aliquam rem, nisi prius illa cognoscatur, quo genere iudicij sit terminanda, non enim incerta, & incognita iudicantur, *cap. Nomen* 12. 2. *q.* 1. *cap. Si quis* 9. §. *Incerta* 30. *q.* 5. *cap. fin. dist.* 33. Sed cogitationes, & actus interni non sunt cognoscibiles ab aliquo homine, ex 1. Reg. c. 16. num. 7. *Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Et solus Deus est cognitor, & iudex secretorum, vt dicitur cap, Erubescant 11 dist. 32. ergo Ecclesia merè occulta non iudicat. *Tum quia,* est commune axioma, quod Ecclesia non iudicat de occultis, *cap. Sicut* 33. *cap. Tua nos* 34. *de simon. Vnde cap.* 239 *fin.* 32. *q.* 5. dicitur, quod non habent latentia peccata vindictam; *& cap. Si omnia* 7. 6. *quæst.* 1. in hoc seculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent. Facit *cap. Cogitationis* 4. *cap. Cogitatio* 20. *dist.* 1. *de Pœnit.* Vbi dicitur, quod cogitationis pœnam nemo patitur, ibi glossa explicat ab homine, non à Deo, qui punit etiam secreta cordium illicita, non sic homo, qui alterius propositum, & mentem cognoscere non potest, *cap. Deus quando* 38. 24 *quæst.* 3. Vide *Nauar.* multa congerentem super dictis capitibus. Ita omnes Theologi cum D. Thoma 1. 2 *q.* 100. *art.* 9. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 29. *art.* 2. Suar. *disp.* 4. *de censur. sect.* 2. *& lib.* 4. *de legib. cap.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. Refero exemplum in hæresi, quæ propriè in errore mentis contra fidem consistit, & in corde consummatur, hoc enim crimen in mente retentum vti actum merè internum Ecclesia iudicare non potest, neque lege præcipiente, neque facto puniente censura aliqua, quia vti actus merè mentalis, neque lege, neque pœna aliqua iudicari potest per humanam potestatem, cum vt sic non sit cognoscibilis, ac proinde nec subiicibilis legi pœnali. Concluditur ergo, quod actus merè internus non potest esse materia legis, neque proinde iudicij.

Tertium de actu eodem interno cum externo coniuncto, quod sit materia legis, & iudicij probatur. 240 *Tum quia*, cadit sub cognitionem humanam, ergo subiicitur legi, & iudicio. *Tum quia*, actus internus ratione coniuncti extrinseci fit de foro externo. *Tum quia*, connexa pro eodem reputantur, *gloss. v. Annexi cap. Cum singula* 32. *de præben.* Confirmatur id exemplo hæresis mentalis coniunctæ cum actu externo, nam hæreticus mentalis euadit excommunicatus, si aliquo signo, voce, nutu, exteriùs prodit suum errorem, etiam nullo audiente, vel vidente, vt docent communiter omnes, quod signum est, actum mentalem & internum connexum cum externo fieri cum ipso materiam subiectam legi Ecclesiasticæ.

Quod si dicas, solum actum externum inducere censuram, præscindendo à mentali, nam Ecclesia solum illum externum scit, non hunc, quem cognoscere non potest in seipso. Contra est, quia proferens hæresim solo ore, habens rectam mentem, licet in foro externo præsumeretur excommunicatus, tamen in foro animæ talis non esset habendus, ergo bene infertur ad incurrendam hanc censuram pro foro externo ab Ecclesia latam, vtrumque actum esse necessarium,

rium, ergo Ecclesia in hac lege pœnali pro materia habet vtrumque actum simul coniunctum.

Confirmatur, quia *in Clem.* 1. §. *Verum, de hæret.* excommunicantur, qui ex odio vel amore omittunt procedere contra aliquem in causis fidei. Item Monachi Nigri, & Canonici Regulares proficiscentes ad aulas Principum animo nocendi suis superioribus, vel monasteriis incurrunt excommunicationem. Ex his patet Ecclesiam habere potestatem super actus internos coniunctos cum externis, quibus perficitur, & completur actus mentalis in ordine ad crimen subiicibile legi pœnali.

Quæres 49. An potestas Ecclesiæ tam fauorabilis, quam odiosa se extendat super mortuos directè, sicut afficit viuos? occasionem dubitandi tribuit auctoritas Sacræ Scripturæ, dum Christus Petro apud *Matth.* 16.19. Promittit claues, limitando vsum illarum his verbis: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis:* Quæ verba in numero plurali *seq. cap.* 17. 18. Repetit loquens omnibus Apostolis, concedendo illis, vt clauibus vtantur tantum super terram. Itaque difficultas consistit, ad quæ referantur illa verba *Super terram.* Doctores communiter dicunt, per ea verba, Papam, & alios Prælatos, & Iudices posse iudicare solū homines viuentes, quia isti tantum sunt super terram, defuncti verò non amplius sunt super terram, sed infra terram vel extra terram, vt beati in cælo. Vnde nolunt, defunctos absolui ab excommunicatione, & aliis censuris, nec condemnari, his pœnis directè, & auctoritatiuè, sed tantum declarari condemnatos, seu absolutos indirectè, non fauore proprio, sed pro vtilitate fidelium, vt sciant, quibus suffragari possint, vel non possint. Pariter volunt Indulgentias illis concedi non auctoritatiuè, sed tantum per modum suffragij, soluendo scilicet aliquid de Thesauro Ecclesiæ, quâ solutione facta, Deus animam è Purgatorio, pro qua solutio facta fuit, liberat ab illis pœnis.

241 ℞. Papa, & alij Ecclesiæ ministri habent directè, & auctoritatiuè potestatem tam gratiosam, quam odiosam super defunctos existentes in Inferno, & Purgatorio quoad tria tantum. *Primò*, quoad declarationem, eos incidisse in pœnas censurarum excommunicationis, & interdicti. *Secundò*, quoad absolutionem a dictis censuris. *Tertiò*, quoad concessionem Indulgentiarum animabus in Purgatorio existentibus. Verum quidem est, quod defunctus non potest excommunicari, quia hoc supponit contumaciam, & inobedientiam, cuius defunctus non est capax, cum sit extra terminum meriti, & demeriti. Vide *cap.* 28. *de sent. excomm.* vbi Barbosa cum aliis.

Primò probatur in genere, quia defuncti quoad illa tria spectantur non secundum quod sunt mortui, sed secundum illas actiones, propter quas inciderunt in illas pœnas; sed illas actiones peccaminosas perpetrarunt vti olim subditi, quare cum pœnam in hac vita contractam non deleuerint, neque iudici satisfecerint, adhuc remanserunt subiecti, & sub potestate eiusdem iudicis, qui potest eos absoluere, vel ligare mortuos, sicut viuos iudicare poterat.

242 Secundò, quia aliquis dicitur subditus non solum ratione domicilij, originis, aut habitationis, sed etiam ratione delicti, cap. fin. de foro compet. Defuncti autem olim erant subditi ratione loci, & tales etiam remanent post mortem ratione delicti, licet locum dimiserint, siquidem & ratione delicti contracti, & ratione pœnæ ex eo inflictæ, rei facti sunt, dum viuerent, quam subiectionem delicti, & pœnæ non perdiderunt per mortem, ergo adhuc subiecti sunt potestati Ecclesiasticæ, sicut ante.

Tertiò, quia defuncti comparantur aduenis, qui directè sunt subiecti potestati iudicis in cuius territorio deliquerunt, licet discesserint post perpetratū crimen, præuenti tamen citatione, vt tradunt Canonistæ *in præcitato cap. fin. de foro compet.* Vnde aduena duobus concurrentibus, delicto nimirum, & citatione 243
antequam discedat, excommunicatur, Megalius *lib.* 1. *de cens. cap.* 3. *num.* 50. Diana *resol.* 36. *de censur.* Constat autem defunctos censuris iam irretitos decedentes vtrique esse obnoxios, delicto ante mortem perpetrato, & citationi siue legali, siue iudiciali, ergo directè sunt subiecti potestati Ecclesiasticæ.

Quartò, fur non solum dum viuit, sed etiam mortuus condemnatur ad restitutionem, vnde fit executio super illius bonis, quæ adiudicātur proprio Domino. Pari ratione defunctus obnoxius censuris declaratur talis, vel liberatur, potestate auctoritatiua, sicut facit Iudex laicus, qui mortuum adhuc sententiat ad supplicium mortis capitis decolatione, aut suspensione in patibulo, & hoc facit directè, & auctoritatiuè contra defunctum adhuc propriè subditum ratione delicti contracti dum viueret, & ratione loci, in quo delictum commisit, ergo hoc idem ius potestatis Ecclesiæ non est denegandum.

Quintò, quia defuncti siue in Inferno, siue in Purgatorio adhuc sunt de nostra Ecclesia, damnati quidem secundum subiectionem odiosam, purgantes verò secundum gratiosam, iuxta dicta præcedenti cap. q. 29. Quare cum adhuc sint membra Ecclesiæ militantis subduntur potestati Ecclesiæ.

Sextò, quia non suffragatur, quod dicunt Doctores contrariæ partis asserentes, quod quando Papa excommunicat defunctos, aut absoluit, non propriè, & directè illos excommunicat, aut absoluit, sed declarat eos excommunicatos, & sic directè prohibet viuis, ne orent pro illis, consequenter actus iurisdictionis directè cadit in viuentes, indirectè verò in defunctos. Similiter è contra cum absoluit defunctos ab excommunicatione liberat viuentes ab onere, quo non poterant antea pro illis orare, vt docet Faber *disp.* 38. *de Pœnit. n.* 245.

Nam quod spectat ad actum declarationis, dico, 244
quod non minùs est actus iurisdictionis directæ declarare aliquem defunctum incidisse in excommunicationem, quam aliquem excommunicare, cum vterque actus eodem modo pendeat à potestate Ecclesiastica, nam ad eum spectat declaratio, ad quem pertinet fulminatio excommunicationis tanquam illud accessorium ad hoc principale, & facit illud legale. Eius est interpretari, & declarare, cuius est condere, nam legislator eâdem potestate, & auctoritate directâ, per quam legem condit, interpretatur, & declarat, cum circa idem versetur eodem iure legali. Currunt ergo pari passu excommunicare, & declarare, quare vterque actus eiusdem est potestatis eodem modo auctoritatiuo tendentis in excommunicationem & eiusdem declarationem.

Deinde eodem iure absoluitur, vel ligatur defunctus, quo viuens, nam in vtroque spectatur patiens ratione sui, & comparatiuè ad alios fideles; sed viuens directè, & immediatè condemnatur, aut absoluitur ratione sui, & subsequente fauore aliorum, ergo & defunctus, huic enim multum prodest absolutio, ea enim data, fit capax cōmunionis fidelium, & viuētes pro eo orant, quibus interdicebatur suffragium propter excommunicationem, ergo absolutio illi directè prodest, ergo illi data fuit potestate directa. E contra declaratio, quod inciderit in censuram directè multum illi obest & quidem immediatè, quia priuatur suffragiis, quæ pro illo fideles ampliùs offerre non possunt, ergo huiusmodi actus declarationis & absolutionis, seu condemnationis immediatè, principaliter, & directè tangunt patientem defunctum, ergo

vt

vt tales proueniunt à potestate Ecclesiastica propriè, & auctoritatiuè exercita ab illius ministris in defunctos, neque enim Ecclesiæ Minister noua potestate superueniente mortuum ligat, aut absoluit, quia hæc non est assignabilis, nec à Reo concessa, ergo antiqua, & eiusdem entitatis cum potestate Ecclesiastica, qua viuentes iudicantur, diuersitas ergo, si qua excogitari potest erit in subiecto, quod vnus viuit, alter non, non in ministro agente, cuius potestas non variatur ex subiectis, cum supponatur in suo esse antequam exerceatur circa illos.

Præterea, prius est aliquid esse in se, & gratia sui, quam alterius, nam absolutum supponitur ad relatiuum, & hoc fundatur in illo, sed huiusmodi actus declarationis, absolutionis, seu condemnationis prius sunt in iudicato, quam in viuentibus, quibus manifestatur an orare possint pro defunctis iudicatis, ita quod à subiecto iudicato deriuantur secundum aliquem effectum proportionatum in viuentes, ergo primariò, & directè spectantur in defuncto, secundario, & indirectè in viuentibus, ergo ab his specificari non potest auctoritas in ratione indirecti, cum primarium suum effectum iudicandi sortita fuerit in defunctum.

Adhuc idem probatur, quia à iudice per actum absolutionis directè adiuuatur defunctus in suffragiis hac enim ratione absoluitur, & per actum condemnationis declaratoriæ immediatè, & directè vendicatur, & punitur reus defunctus, non solum per huiusmodi sententiam, sed etiam in eo, quod condemnatus priuatur suffragiis viuentium, & in eo, quod absoluitur, fit capax suffragiorum, quibus à fidelibus iquetur. Ecce igitur, quod isti actus iudiciarij semper directè referuntur in defunctum, subsequenter in viuentes, vt illi suffragia offerantur, vel non offerantur.

Adde illos male loqui, qui asserunt, defunctos declarari absolutos, non verò absolui, nam cum declaratio supponat datam absolutionem, quæro ab istis, quis absoluit hos decedentes in excommunicatione? Si dicas, istos reuera non fuisse excommunicatos, neque proinde quærendum, quis eos absoluerit. Respondeo, si excommunicatio manifestè nulla est, benè currit responsum, sed tunc non dicuntur declarari absolutos, sed non incidisse in excommunicationem, nihilominùs in foro Ecclesiæ semper absoluuntur, quia pro excommunicatis habentur ab Ecclesia, quæ factum externum considerat, ideò & ab Ecclesia dicuntur directè absolui, cum huiusmodi absolutio principaliter cedat in eorum vtilitatem. Si ergo aliquis defunctus reuera fuit excommunicatus, & pœnitentia ductus non potuit absolui viuens, certè mortuus reuera absoluendus est, quia declaratio, quod absolutus est, non est absolutio, sed hanc supponit fuisse ab aliquo positiuè datam, quia per mortem non tollitur, sed per solam absolutionem.

245 Demum ex eo, quod iudex Ecclesiasticus non habet adæquatam potestatem extensam super omnes actus defunctorum, sicut habet super viuos, non ideò sequitur, illum non habere directè, & formaliter potestatem iurisdictionis super defunctos respectu certorum actuum, quia hic, vel ille actus, seu omnium actuum adæquatio iudicem non constituit in sua formali ratione potestatis, sed hæc supponitur in illo ad operandum. Et id confirmatur exemplo Episcoporum, qui directam iurisdictionem in religiosos habent in nonnullis, & cum limitatione, ex qua tamen non sequitur eos indirectè iudicare religiosos, sed directissimè sicut suos clericos seculares, extensio enim, sicut limitatio potestatis se habent vt magis, & minus, quæ non variant entitatem potestatis, sed semper eadem remanet respectu viuorum, & mortuorum.

Et ex his patet, Papam potestate ordinaria, & directa concedere posse Indulgentias etiam defunctis, vt docent omnes Sancti Patres, & est de fide tenendum quoad concessionem præcisè, non quoad modum concedendi. Probatur adhuc in specie Indulgentias concedi potestate directa, & iudiciaria etiam defunctis remittendo illis pænas in Purgatorio luendas absolutione, & relaxatione earum per applicationem cælestis thesauri. *Tum quia*, hæc potestas colligitur ex illis verbis: *quæcumque solueritis super terram, &c.* ibi autem sermo est de potestate iudiciaria, & propriè accepta. *Tum quia* Tridentinum in fine sess. 25. sic ait: *Cum potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque huiusmodi potestate sibi diuinitus tradita antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit, &c.* Non discernendo de potestate respectu viuorum, aut mortuorum, certè non facit differentiam, sed vnam & eandem potestatem vult esse in Ecclesia concedendi Indulgentias tam pro mortuis, quam pro viuis. *Tum quia* non est facienda vis in verbis *absoluere*, & *soluere*, quia pro eodem actu iudiciario accipienda sunt, neque enim Sacra Scriptura alio vtitur vocabulo, quam *solutionis*. *Tum quia* quod aiunt in Papa concedente indulgentias duo spectari, primò potestatem iudiciariam absoluendi à pœnis delictorum iam remissorum; secundò solutionem factam alicuius rei ad satisfaciendum pro debito; ratione primi & secundi Papã concedere Indulgentias viuis, nam applicando Indulgentiam, & soluendo aliquid de thesauro Ecclesiæ liberat hominem viuum à pænis suorum peccatorũ. Respectu vero mortuorũ, non vti potestate iudiciaria directè liberando, sed tantum satisfactione, soluendo, & offerendo Deo aliquid de Thesauro Ecclesiæ, vt dignetur detentum in Purgatorio liberare ab illis pænis quod est per modum suffragij concedere Indulgentias mortuis. Soluit ergo Papa, inquiunt, non absoluit, animas Purgatorij, quod est potestatem Ecclesiæ indirectè extendere ad animas Purgatorij. Non est id verum, quia eadem potestate scilicet iudiciaria, qua aperit Thesaurum pro viuis, vtitur etiam pro defunctis, cum vna & eadem potestas sit iudicatiua, quæ ex subiectis non diuersificatur, sed eadem remanet; & quod respectu tam mortuorum, quam viuorum sit iudiciaria probatur etiam ex eo, quod aliquando liberat animam talem ab omni pæna, interdum à tot pænis, ergo eadem auctoritate qua aperit, iudicat, & liberat à tot pœnis, & non plus, nec minus iuxta intentionem suam, non enim iudicaret, si non posset limitare Indulgentias iuxta earum diuersitatem.

Respondendum modo est ad illa verba *Super terram* Primò, referuntur ad ipsum iudicem existentem in terra, nam Christus hanc potestatem Apostolis contulit limitando eis tempus, vt scilicet eã vterentur, dum in terra, & in hoc mundo viuerent in anima, & corpore, separata enim anima à corpore, neque in hoc mundo, neque in cælo, neque in Abyssis iudicare potest, ideo Christus se declarauit, eam per ipsos esse exercendam super terram, & non alibi; & hæc responsio quadrat interpretationi S. August. relati *cap. Quodcumque 6. 24. q. 1.* vbi ea verba *Super terram* exponit *Quæ in terra ligantur in cælo ligantur*: quam repetit *cap. Si habeas 1. 24. quæstione 3.* Illa ergo verba limitantur in ordine ad locum, non ad personas. Fuit autem necessaria ea limitatio, *super terram*, quia cum caracter Sacramentalis ordinis, in quo fundatur Ecclesiastica potestas, sit ab anima indelebilis, etiam post mortem in 247

ea remanens irreuocabiliter, quis potuisset non irrationabiliter dubitare, an post mortem anima separata potuisset fungi hoc officio ligandi, & soluendi, ideò Christus huic dubitationi occurrens, expresse docuit, Apostolos, & alios Ecclesiæ Ministros vti solum posse hac potestate dum viuerent super terram, in qua illam exercerent vti homines viuentes in anima,& corpore.

Secundò illud *super terram* accipitur provt contra distinguitur ab alio dicto *In cælis*, hoc est, ligaueritis, & solueritis omnes, qui sunt in hoc mundo sublunari, non extra illum existentes,hoc est, in Paradiso, quia isti non egent absolutione, neque ligatione, neque enim subiecti esse possunt Beati hominibus in Ecclesia militante, quia Deus in Paradiso solus Dominus solus iudex esse vult, in eo enim vnum ouile, & vnus Pastor tantum est, & erit post diem iudicij. Nomine ergo terræ venit quicquid contra distinguitur à cælo, & in eo continetur, vnde *super terram* idem significat quod continetur à superficie, & infrà eandem; ad quod probandum facit illud Ieremiæ 23. 24. *Cælum & Terram ego impleo.* Dominus implet secundum suam substantiam, præsentiam & operationem totum mundum diuisum in duas partes, quarum prima sub nomine terræ continet omnia sublunaria, ac proinde Purgatorium, & Infernum, quæ infra terram sunt, & de terra sunt cum aliis elementis. Secunda sub nomine cæli continet Paradisum, & cælestia.

Quæres 50. An in Ecclesia sit potestas ferendi leges per vniuersum obligantes omnes in foro animæ, seu in conscientia respectu fidelium, & infidelium?

℞. Affirmatiuè, in Papa, in Conciliis, Episcopis, aliisque Prælatis, & Principibus tùm Ecclesiasticis, tùm secularibus. Papales & ex eo Conciliares leges vbique, & quoscumque obligare possunt Christianos etiam hæreticos, & schismaticos quoad animam, & corpus, alios vero subditos Paganos, vel Iudæos, & nondum baptizatos obligant quoad pœnas corporeas, & reales. Ratio communis est, quia Papa est vniuersalis dominus supremum habens imperium vtriusque gladij tam temporalis, quam spiritualis super vniuersum orbem vt probaui *sub q.39.* hic. Ideò ad propositum tantum duo probabo; vnum, in Ecclesia esse potestatem ferendi leges; alterum eas posse obligare in conscientia.

248 Primum tanquam de fide ex variis locis Sacræ Scripturæ probatur. Prouerb. 8. 15. *Per me Reges regnant, & legum conditotores iusta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Hæc sententia varia esset, & falsa, si in Ecclesia Dei non esset potestas condendi leges,quod hic supponitur. Neque tantum intelligitur, quod Principes decernunt iustitiam. 1. cogunt subditos ad obseruandam legem diuinam tanquam illius executores, verum etiam nouas leges condere possunt, cum ibidem expresè vocentur *legum conditores.* Habent igitur Principes duplex ius, vnum cogendi subditos ad obseruationem legis naturalis, & diuinæ, respectu cuius dicuntur executores, alterum faciendi nouas leges ab eisdem denominatas humanas, ratione cuius vocantur legislatores. Illud verbum *per me* indicat causam efficientem supremi ordinis, nempe Deum, à quo omnia bona procedunt, & à quo legislatores dependenter mouentur ad operandum, immediatè quidem Pontifex Romanus, per quem deinde in reliquos omnes tam Ecclesiasticos, quam laicos deriuantur. *Tum quia*, loquendo in specie de Potestate Pontificia etiam in ordine ad leges constat ex traditione clauium per ea verba: *Pasce oues meas* pabulo doctrinæ legum Ecclesiasticarum. *Tum quia*, Act. 15. num.41. dicitur: *Custodite præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Item Corinth. 1. cap.11. 2. *Sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Et alibi sæpius. De qua re nullus sanæ mentis dubitat.

Secundum de lege in conscientia potente obligare, probatur de fide ex Sacra Scriptura ex Deuteron. 17. 12. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Intelligi 249
potest de vtraque morte corporali, & spirituali animæ, quod est peccatum mortale. Nomine *imperij* venit tam præceptum ore tenus factum,quam lege registratum, legis enim est imperare, *l. Virtus ff. de legib.* Deinde *ad Rom.* 3. apertè colligitur, transgressionem legis humanæ esse peccatum, ac proinde eam obligare in conscientia, ibi: *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et iterùm infrà numero quinto. *Ideò necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Illud refertur ad coactionem superioris, hoc ad timoratam conscientiam, subditi. Paulus ad Thessalon. 2. capite 3. 14. *Quod si quis non obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Excommunicandus est inobediens, vt indicant illa verba, *Hunc notate* & denuntiate, vt ab omnibus euitetur, vt insinuant sequentia verba, *Et ne commisceamini*; certum autem est, neminem excommunicari, nisi propter peccatum mortale, *cap.* 250
Episcopi 8. *cap. Nemo* 41. *cap. Nullus* 42. 11. *quæstione* 3. Nam pœna grauissima cuiusmodi est excommunicatio priuans contumacem omnibus bonis spiritualibus Ecclesiæ censurátum, postulat culpam grauissimam, quale est peccatum mortale, igitur lex humana obligare potest in conscientia; non dico, quod de se obliget,cum in sententia multorum leges humanæ præsertim pœnales videantur excludere culpam contentæ solâ pœnâ,ne subditi multum grauentur in anima.

Hæretici nonnulli cupientes viuere in spiritu maligno libertatis, vt effugiant humanum iudicium, diuinum enim, quo ligati sunt, euadere nequeunt, impie asseruerunt, nullam potestatem esse in Ecclesia condendi leges, & conditas non posse quemquam obligare neque ad culpam, neque ad pœnam, & conantur probare *primo* auctoritate Ierem.10. 3. dicentis: *Leges populorum vana sunt*, ergo nulla potestas condendi leges si conditæ non valent, nisi ex defectu potestatis, *Secundo*, in morte Christi omnis lex cessauit, ac proinde etiam humana, ita quod deinceps nulla remansit potestas condendi illas, vt dicitur per Ezechielem 7. 26. *Lex peribit à Sacerdote.* 1. à Pontifice, nam sub singulari numero ille solus venit, vnde Isaias 33. 22. bene prophetauit: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster.* Aliæ ergo leges non inueniuntur, nisi quas Dominus dedit. *Tertio*, Deus prohibet suis legibus addi alias leges, Deuteron. 4. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Quare nonnulli, qui voluerunt, ambitione, & temeritate ducti proprias addere leges diuinis, à Deo seuerè puniti fuerunt, inter quos 4. *Reg* 16. numeratur Achaz, qui addidit templo Dei aliud altare, & sequenti capite 17. Refertur punitio eorum, qui à Rege Babylone translati fuerunt in Samariam, vbi coluerunt Deum nouis cæremoniis à Deo non præceptis: Pariter *capite* 21. narratur, peccasse Manasse Regem, quia in templo

aras

aras contraxit, quod Deus non præceperat. Ex his igitur patet, Deum abominari leges humanas, & nolle, vt ſuis addantur, vnde Marci 7. 7. dicitur: *In vanum me colunt, docentes præcepta hominum.* *Quartò*, quando Chriſtus miſit Apoſtolos per vniuerſum orbem ad prædicandum Euangelium, præcepit eis *Matth. vltim.* Vt docerent ſeruare omnia præcepta non cuiuſlibet, ſed propria ipſius Domini illis verbis: *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Ergo Papa, & Epiſcopi, quibus illa præcepta fuerant in perſonis Apoſtolorum, quibus ſucceſſerunt in prædicatione Euangelij, noua præcepta inducere non poſſunt, ſed debent tantum procurare obſeruationem mandatorum Dei iuxta Euangelium. *Quintò*, de ratione legis eſt ſibi ſubiicere obſeruatores illius; ſed Chriſtus liberauit homines à ſeruitute hominum eis præcipiendo, ne fierent ſerui hominum, vt legitur 1. Corinth. 7. 23. *Pretio empti eſtis nolite fieri ſerui hominum*, ergo per hoc reprobantur leges humanæ, quæ homines ſibi ſubiiciunt, *Sextò*, quia conſcientia ſpectat tantum ad forum Dei, qui ſcrutatur ſecreta cordium, ad quæ pertinet conſcientia, ergo homo à ſolo Deo in conſcientia obligari poteſt. *Septimò*, quia ſequeretur graue damnum in hominibus, qui non ſeruantes leges humanas damnarentur ad infernum, ac proinde leges huiuſmodi nil proſunt, ſed perniciosæ ſunt ad ſalutem, atque occaſionem dant perdendi animas,

Primo reſpondetur, Ieremiam ibi locutum fuiſſe de legibus idolorum, vt aperte id inde colligitur ſub numero 2. *Hæc dicit Dominus, iuxta vias Gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Dominus inſtruit Hebræos ne addiſcant ſuperſtitioſas leges, cæremonias Gentilium ad idola ſpectantia, quia vanæ ſunt, & inutiles deducentes hominem in perditionem, ad differentiam legum Hebræorum, quæ ſanctæ ſunt, & vtiles dirigentes hominem ad ſalutem.

Secundò, Ezecliel ibi loquitur de ſummo Sacerdote Iudæorum, à quo lex periit, cum Chriſtum condemnauit ad mortem, tunc enim lex vetus, & Sacerdotium ceſſauerunt, quibus ſucceſſit lex noua Euangelij, & nouum Sacerdotium in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vnde ab Iſaia bene vocatur Iudex noſter, Legifer noſter, qui poteſtatem leges ferendi, & iudicandi communicauit Petro ſuo Vicario, & aliis miniſterio ipſius cum dependentia ab eodem.

251 Tertiò, illa prohibitio addendi, vel detrahendi non excedit Iudæos, ideò nihil obſtat Chriſtianis, & Bellarminus *libro quarto, de Pontifice Romano capite decimoſeptimo, in fine*, affert diſparitatem, cur id prohibitum fuerit Iudæis, quia lex vetus illis tantum data fuit ad tempus, & ideò potuit ita determinari in ſpecie, vt amplius non egeret additione, aut detractione, ſicut lex noua Euangelij, quæ non vni populo tantum, ſed omnibus nationibus per vniuerſum orbem diffuſis, data fuit, & quia hæ nationes inter ſe ſunt diuerſiſſimæ, & Euangelium vſque ad conſummationem ſæculi duraturum eſt, atque proinde omnia in ſpecie determinari non potuerint, ideò Summo Pontifici, & aliis Principibus, & Prælatis Chriſtus non prohibuit additionem nouarum legum ſuis legibus, quod fuit neceſſarium, vt perficerentur, explicarentur, & in obſeruationem propagarentur, mediantibus humanis legibus. Deinde eſto ea prohibitio eſſet communis, & comprehenderet etiam Chriſtianos, reſponderi poteſt, illam referri ad opus præceptum, à quo aliquid non poteſt detrahi, aut eidem addi, minui, aut alterari exempli gratiâ, præcipiebatur manducatio Agni Paſchalis, alter non erat addendus, nec vnica tantum pars manducanda, altera abiecta. Quare inferendum eſt non prohiberi additionem præcepti ad præceptum, perfectionis ad perfectionem, ſed interdici tantum additionem corruptiuam, contrariam, & deſtructiuam legis Dei. Vel dic: Non addatis, non detrahatis, dicentes addictum, vel detractum eſſe à Deo, cum non ſit Deus alterationis auctor, vt faciunt hæretici, qui Sacram Scripturam, quam deprauant, ad ſuos ſenſus, quos Spiritus ſanctus non intendit, captiuantes trahunt. Huiuſmodi additio prohibetur quoque in lege noua, nam in Apocalyp. cap. fin. extremis verbis dicitur. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto; & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta.* Prohibitio ergo in eo conſiſtit, vt non adulteretur verbum Dei, non vero quod legibus humanis obſcurum declarari poſſit, & alias leges ſuperaddi, quæ diuinis non aduerſentur.

Ad illa tria exempla dico, illos non fuiſſe punitos propter additionem, ſed propter idolatriam, vt clare colligitur de Achaz 4. Reg. 16. 2. *Non fecit quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui, ſicut Dauid pater eius, ſed ambulauit in via Regum Iſraël, inſuper & filium ſuum conſecrauit, transferens per ignem ſecundum idola Gentium, quæ diſſipauit Dominus coram filiis Iſraël, immolabat quoque victimas, & adolebat incenſum in excelſo, & in collibus, & ſub omni ligno frondoſo.* Igitur non quia addidit altare in templo. Dei, ſed quia idolatra fuit, dicitur feciſſe, quod non erat placitum Deo. De filiis Iſraël translatis aperte eadem refertur cauſa caſtigationis, idolatria eodem capite 17. 7. ibi: *Coluerunt deos alienos.* De Manaſſe adhuc res clarior eſt capite 21. vbi referuntur ea, quæ fecerat in honorem, & cultum idolorum. Itaque illorum facta diſplicuerunt Deo ratione idolatriæ, non ratione additionis ceremoniarum ad templum Dei. Ad illud Marci, clarum eſt ibi Chriſtum reprehendere Iudæos, qui relictis Dei præceptis adhærebant falſis traditionibus, & vanis circa cultum Dei. Demum Deus præceperat Iudæis, vt ea tantum facerent, quæ pertinent ad cultum diuinum, non verò vt falſas obſeruationes idolorum miſcerent in cultu veri Dei, quia hoc eſt impium, & ſumma iniquitas.

Quartò ex eo, quod Chriſtus mittendo ſuos Diſcipulos ad prædicandum, & docendum, quod baptizati per ipſos deberent ſeruare Euangelium, non bene infertur, quod non potuiſſent illis etiam inſinuare proprias leges, & mandata ab eiſdem ſeruanda, quia ex hoc non colligitur aliqua prohibitio. Vnde Paulus 1. *Corinth.* 7. 12. inquit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Quaſdam leges de matrimonio dat, quas Dominus non dederat, ſignum ergo eſt per illud præceptum miſſionis non prohibuiſſe Apoſtolis leges ferre conſeruatiuas legum diuinarum. Bellarminus *libro quarto, de Pontifice capite* 17. *initio* reſpondet in iis, quæ mandauit Dominus, illud etiam eſſe, vt ſeruentur præcepta Prælatorum, ait enim: *Qui vos audit me audit.* Præcepta ergo & leges Miniſtrorum Dei ſunt mandata ipſius Dei, à quo procedunt miniſterio Prælatorum.

Quintò agitur de libertate, qua nos Chriſtus liberauit non quacumque ſed tantum de ea, per quam nos liberauit à peccato, & iugo ſeruitutis legis Moſaicæ, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 3. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto factus pro nobis maledictum.* 1. Suſtinendo pro nobis in cruce male-dictionem

dictionem pœnæ æternæ, à qua nos redemit per suam mortem. Nulla ergo est mentio de liberatione à lege humana, qua legislatores Euangelici possunt subiicere homines ad obseruantiam humanarum legum, vnde Paulus præuidens huiusmodi hæresim, iussit omnes obedire, cum dixit Hebr. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris.* Ad ea ergo verba: *Nolite fieri serui hominum.* Respondetur, subiectione peccati obediendo hominibus contra præcepta Dei, vnde gloss. ibi dicit: *Hi sunt serui hominum, qui humanis se subiiciunt superstitionibus.* Subiectio autem quoad debitam obedientiam legibus etiam humanis non est superstitiosa, sed sancta, humilis, & deuota de iure debita à subditis superioribus.

Sextò, conscientia spectat ad forum Dei respectu eorum, quæ spectantur quoad actus purè internos, & independenter ab actibus externis, in quo sensu leges humanæ nil sunt, nec possunt obligare, quia Ecclesia non iudicat de merè occultis, vt probatum fuit hic *q* 48. Respectu verò eorumdem cum actibus externis coniunctorum, & ratione ipsorum externorum conscientia spectat etiam ad hominem, & dicitur fori externi, quia vnus homo alteri obligari potest, vel lege publica, vel priuata, vt notum est.

Septimò, lex humana quantum ex se est non obligat in conscientia, nec ad mortem condemnat, eius enim finis principalis est dirigere hominem in bonum, imperando bonum, & malum prohibendo. Obligatio verò ad pœnam æternam non intenditur neque à lege, neque à legislatore, sed subditus illam incurrit ex sua propria voluntate nolens obedire mandatis, vnde per legis etiam humanæ vitiosam transgressionem homo iusto Dei iudicio ex eius iniquitate condemnatur, & fit ex propria culpa reus æternæ mortis, vt dicitur Deuter. 17. 12. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio morietur homo ille.* Ecce, quod imperium Sacerdotis obligat sub morte æterna, non ex se, neque ex mente legislatoris humani, sed ex ordinatione Dei posita inobedientia subditi, quod adhuc clarius dicitur Rom. 13. 2. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Id est, qui nolunt obedire, ipsimet sunt auctores propriæ damnationis.

Respondent hæretici, esto leges humanæ permittantur, non ideò tamen obligare possunt ad æternam damnationem, quando extra contemptum, & superbiam violantur, quod prætendunt probare auctoritate superius adducta: *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio morietur homo ille.* Vide Bellarminum *libro quarto, de Pontifice capite decimosexto.*

252 Contra, quia in transgressionibus humanis inducentibus peccatum mortale non semper adest scandalum, superbia, & contemptus, sed vt plurimum illæ contingunt sine istis, vt patet respectu scandali, quod abest, quando qui solus in occulto humanam legem violat, nullus enim tunc scandalizatur. Quando quis ex propria gulæ libidine indulgendo frangit ieiunium, vel quid simile facit, vt sibi complaceat, tunc certè transgressio est sine superbia, nec adest altercatio in absentia legislatoris, cum quo nemo contendit, quando leges eius transgreditur, numquid dicitur superbire, aut contemnere, qui attentat vxorem ducere in gradibus interdictis, aut manducat carnem diebus quadragesimæ, ille enim habet alium finem vel habendi adiutorium, vel explendi libidinem, iste vult indulgere gulæ, non su-
253 perbire, aut contemnere. Contemptus autem in eo consistit, quod subditus non vult obedire, quia legem, aut eius auctorem parui pendit, inquit Nauar. *capite* 23. *numero* 42. ex Diuo Thoma 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 9. Pauci autem sunt, qui hoc modo superbiunt, sed alio fine leges violantur ab hominibus, vt notum est.

Quæres 51. An in Ecclesia Dei sit potestas interpretandi Sacras Scripturas;

℞. In Ecclesia Dei est potestas legitima interpretandi Sacras Scripturas, & hæc spectat auctoritatiuè ad Pontificem Romanum, & Concilium Generale dependenter ab eo, & non aliis nisi doctrinaliter; extra verò Ecclesiam Romanam nulla est legitima potestas interpretandi scripturas.

Prima pars, quod in Ecclesia Dei sit hæc potestas 254
de fide credendum, probatur, quia hæc à Christo data fuit Apostolis Lucæ cap. fin. num. 27. *Et incipiens à Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Et infra sub n. 45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Non est ergo dubitandum de vera intelligentia Sacræ Scripturæ relicta Apostolis, qui prædicaturi erant & explicaturi Sanctum Euangelium omnibus gentibus, in vero, & reali sensu, quo illam intendebat Spiritus sanctus. Vnde Tridentinum *sess.* 4. *in Decreto de Editione libr.* definit hanc vnitatem illis verbis: *Contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum.* De hac igitur re nullatenus dubitandum est, cum id sit luce clarius.

Secunda pars, quod hæc spectat auctoritatiuè ad 255
Papam, probatur de fide. *Tum quia,* id colligitur ex illis verbis: *Dabo tibi claues regni cælorum.* Cuius executio facta fuit ab ipsomet Christo per illa verba: *Pasce oues meas.* Duas promisit claues, duas contulit, potentiæ scilicet, & scientiæ, illa ad regendum populum, hac ad erudiendum illum in intelligentia Sancti Euangelij. *Pasce oues meas* pabulo doctrinæ interpretando illis Sacras Scripturas, de qua re dixi fusè supra sub numero 142. Nam Ierem. capite 3. 13. dicitur: *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* Scientia fidei, & interpretatione diuinarum literarum. Ita arguunt Lucius Papa I. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, Felix I. ad Benignum, Leo IX. ad Petrum Antiochenum, Agatho relatus *in synodo* 6. *Act.* 4. *Tum quia* ad interpretandam legem diuinam oportet, quod interpres sit fidelis, ne in errorem possit inducere, quos erudire intendit; Petro autem, & eius successoribus dictum fuit Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua,* ergo ad Pontificem Romanum spectat interpretari Sacram Scripturam. Demum Anacletus Papa in fine Epistolæ primæ sic decernit. *Si difficiliores ortæ fuerint quæstiones ad sedem Apostolicam referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussu Domini Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad sedem referantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Zepherinus in sua prima Epistola ad Episcopos Sicilienses idem statuit, quod clarius habes cap. Quoties 12. 24. quæst. 1. *Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror, omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum.* 1. *sui nominis, & honoris auctoritatem referre debere, veluti nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus prodesse.* Interpretatio igitur auctoritatiua Sacræ Scripturæ, & definitiones fidei ex ea acceptæ spectant ad Summum Pontificem, cum enim in his agatur de summa rerum, quæ spectant ad salutem animarum, necesse est, quod earum iudex sit ille,

nempe,

nempe Papa, qui omnium est supremus superior. In hoc nullus sanæ mentis, & fidei contradicit.

256 Tertia pars, quod Concilium Generale interpretetur, & definiat dependenter à Papa, probatur *Tum* auctoritate Sacræ Scripturæ Lucæ 22. 32. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Fratres Petri erant Apostoli, quos in fide confirmabat, quando in Conciliis eius nomine congregatis dabat instructionem, & facultatem interpretandi diuinas litteras in dubiis occurrentibus, confirmatio igitur hæc duo dicebat, & facultatem congregandi Concilia ad interpretationem Euangelij, & instructionem circa ea, quæ agenda erant in quibus omnibus à Patro dependebant. Romani autem Pontifices successerunt in locum Petri, & Episcopi in locum Apostolorum, ergo eadem auctoritate Pontifex Romanus instruit, & dat potestatem Concilium congregandi, per quod Sacra Scriptura interpretatur, & explicatur in controuersiis occurrentibus. *Tum quia*, Concilia congregantur in nomine Petri, qui vices gerit Christi, Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nom ne meo ibi sum in medio eorum.* Congregationis nomine venit Concilium, quod non potest Congregari nisi in nomine meo. 1. auctoritate mea. 1. Papæ, qui Christi Vicarius est; Congregatur autem vt controuersias fidei interpretetur, & dirimat dependenter à Romano Pontifice, cuius nomine fuit Congregatum, ergo signum est, quod ipsum Concilium habet potestatem interpretandi Sacras Scripturas, ad quid enim Concregatur, nisi ad hunc effectum? *Tum quia*, illi habent potestatem interpretandi Sacram Scripturam, quibus Spiritus sanctus os explicationis aperuit; sed Apostolis, Discipulis, & Episcopis Deus aperuit os cum suis successoribus, ergo isti omnes, ex quibus Concilium congregatur habent potestatem interpretandi Sacras Scripturas.

257 Quarta pars, quod Doctores Ecclesiæ, qui sunt Theologi, & alij periti habeant potestatem interpretandi legem diuinam, probatur, quia hæc facultas illis conceditur ab Episcopis, dum creantur Magistri in Sacra Theologia. Confirmatur id ex toto titulo de Magistr. Et in Tridentino *sess.* 5. *capite primo, ordinatur*, quod in Ecclesiis Metropolitatis, Cathedralibus, Collegiatis, & Monasteriis prouideatur de Theologo, & interpre Sacræ Scripturæ, qui fidelibus Christianæ fidei documenta explicet. Eorum autem interpretatio facienda est secundum Catholicum sensum, quem sancta tenet Ecclesia, non auctoritatiua, sed tantum doctrinalis dicitur.

258 Quinta pars, quod extra Ecclesiam non sit potestas interpretandi legem diuinam, probatur de fide iuxta illud Matth. 18. 20. *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Qui sunt extra Ecclesiam, vt hæretici, Iudæi, & alij non possunt congregari in nomine Christi, dum eius fidem negant, neque in medio eorum Spiritus sanctus est, quem à se expellunt per suam infidelitatem, carent ergo potestate legitima interpretandi Sacram Scripturam. *Tum quia*, eorum Scriptura non est legitima, neque eam, quam Christus tradidit, habent, sed adulterata ab eis est, ergo nullam legitimam interpretationem facere possunt, si carent fundamento veræ doctrinæ. *Tum quia*, Spiritus sanctus illis semper resistentibus nunquam aperuit os ad veram intelligentiam & sensum Euangelij, cum non successerint.

259 Apostolis. *Tum quia*, non sine gratia habitus fidei potest Sacra Scriptura interpretari 2. Corinth. 4. 13. *Habentes autem eundem Spiritum fidei sicut Scriptum est: credidi, propter quod locutu. sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Ex eo, quod homo credit, & in se habet habitum fidei loquitur interpretationem Scripturarum Ad Thessal. 1. capite 2. 13. *Quoniam cum accepistis à nobis verbum Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Infideles in se non habent verbum Dei, ergo in illis nihil operari potest ad interpretationem, neque enim verè loqui possunt, quod non credunt. *Tum quia*, ex Isaia 7. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis*, ex Diuo Augustino, *Epistol.* 105. Hæretici autem non credunt, ergo nec intelligere possunt. *Tum quia*, superbos, & ambitiosos Deus non illuminat ad intelligenda mysteria fidei, quia hæc reuelat paruulis. 1. humilibus, non ambitiosis & superbis, Matth. 11. 25. Tales autem sunt infideles, & hæretici, qui elati sunt, tenaces, & obstinati in suis erroribus, vt docet Diuus Augustinus, *Epistol.* 162. *& libro* 8. *de ciuit. Dei capite* 15. Ergo apud illos non potest esse vera cognitio, & interpretatio Euangelij.

Hæretici negant hanc potestatem Papæ & Concilio, asserentes interpretationem accipi ab ipsis Sacris Scripturis, quas faciunt iudices controuersiarum fidei auctoritate Isaiæ capite 8. 20. *Ad legem magis, & testimonium.* Ioann. 1. 39. *Scrutamini Scripturas.* Actor. 17. 11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent* Igitur in quæstionibus fidei non est recurrendum ad Papam, aut Concilium, sed ad ipsam Scripturam, quæ verax est. Alij dicunt, omnes homines etiam mulieres, & personas idiotas posse Scripturas declarare, eo quod illæ sint luce clariores ex illo Psalmi 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis*, dicentes omnes filios Israël à Deo esse doctos Isaiæ 54. 13. *Vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem palam filiis tuis.* Quare omnes indifferenter sint docti à Domino, non est opus, quod selectæ tantum personæ dicantur habere potestatem interpretatiuam.

Ridiculum est dicere, quod Scriptura ipsa sui ipsius sit iudex, & seipsam interpretetur, obscurum enim scriptura dulucidare non potest, sed ab alio recipit claritatem, nam iudex est solum homo viuus & peritus in iudiciis terminandis Psalm. 2. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Scriptura autem nec homo est, nec viuit, nec scientifica est, ergo id præstare non potest, quod ad solum hominem pertinet. *Confirmatur*, quia Scriptura cum plures habeat sensus, & illos obscuros, & difficiles, ne dum amputat differentias, sed potius occasionem præbet litibus, & discordiis, quomodo ergo ea potest esse iudex in controuersiis, si materiam litibus subministrat? Allatæ igitur auctoritates nihi probant pro hæreticis, sed faciunt pro Catholicis, qui in decidendis quæstionibus debent recurrere ad Scripturam, & iuxta eius verum sensum definire, & terminare quæstiones. Quare ad locum Isaiæ respondetur, ibi hominem doceri modum sciendi euentus futuros, consulendo scripturas, non magos. Ad illud Ioannis, *Scrutamini scripturas*, si non vultis inquit, credere mihi, quod Christus sit filius Dei, nam illæ clare id testantur. Ad tertium Actor. dicitur, quod Beroënses quotidiè reuoluebant Scripturas vt inuenirent in eis, si verum est, quod Diuu Paulus illis prædicabat de Resurrectione Domini.

Quod verbum Dei sit lucerna, & lumen, quasi declaratione non egeat, non est bene intellectum, nam falsum est, quod scriptura de se sit clara, cum valde obscura sit. Petrus 2. c. 3. 16. *In quibus sunt quædam difficilia*, vnde eget declaratione, vt testatur propheta Psalm. 118. 109. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & dat intellectum.* Verbum igitur Dei eget declaratione, ita quod non declaratum non potest illuminare intellectum, sicut nec lucerna illuminare non potest, nisi ascendatur lumine aliunde accepto, & sicut lucerna sub modio posita esto sit accensa illuminare non potest, ita verbum Dei licet intus contineat id, quod est declarabile, tamen si non constat aperte declaratio, adhuc dicitur Scriptura esse sub modio obscuritatis. Demum verba Isaiæ nil probant pro hæreticis, sed tantum pro Catholicis faciunt, nam omnes filij Israël, qui modo sunt Christiani docentur à Domino mysteria fidei, teste Ioan. 16. 13. *Docebit vos omnes veritatem.* Filij igitur Israël de se non erant nati docti, sed à Domino Iesu Christo instruendi erant, vt fierent docti, sed noluerunt doceri, ideò remanserunt sub tenebris ignorantiæ.

Quæres 52. An in Ecclesia sit potestas sanguinis.

260 ℟. In Ecclesia est ius sanguinis in Summo Pontifice, cum ab eo omnia iura laicalia, polytica, Ecclesiastica, & spiritualia prodeant, & dependeant. Probatur. *Tum quia*, Petrus primus Pontifex iudicium sanguinis exercuit, cum ante eius pedes ceciderunt mortui Ananias, & Saphira eius vxor Act. 5. *Tum quia*, Papa habet vtrumque gladium ex probatis quæstione 39. *Tum quia*, in cap. fin. de Pœnis in 6. infligitur pœna mortis contra occidentes Cardinales. *Tum quia*; hanc eandem pœnam infligit Pius V. Contra monetarios per suam Bullam incip. *Cum nihil magis* confirmatam, & extensam ad omnes Ecclesiasticos per Vrbanum VIII. in sua incip. *In suprema.* Res ergo est certa & de fide tenenda.

Dices, Christus *Matth.* 26. 52. Petro, postquam amputauit auriculam Malcho, præcepit, vt conuerteret gladium suum in locum suum, quod insinuat, non esse munus Prælatorum Ecclesiæ habere potestatem gladij, quod indicat ius sanguinis & vindictæ iuxta illud Roman. 13. 4. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ergo in Ecclesia non est ius sanguinis, si gladium iubetur tenere in vagina, & non vti illo ad puniendum malefactores. *Confirmatur*, quia ius commune causam, & iudicium sanguinis prohibet Ecclesiasticis, *cap.* 1. 15. *q.* 4. *cap. Sæpe* 29. 23. *q.* 8. *cap. in Archiepiscopatu de rapt.*

261 ℟. Christum Petro prohibuisse vsum gladij, quia tunc illi non licebat exercere hanc potestatem, nondum enim à Christo constitutus fuerat Pontifex, & Princeps orbis terrarum, promissas claues potestatis nondum receperat, quia Christus erat adhuc caput visibilis, post verò Resurrectionem antequam cælum ascenderet Petrus potestatem recepit vtriusque gladij declaratus Summus Pontifex, & torius orbis Princeps, cum illi dictum fuit: *Pasce oues meas.* Non licebat igitur illi tunc vti gladio vt Pontifici, quia nondum erat Minister constitutus. Vide infra *capite quarto, quæstione quinta.* Ad iura allegata respondetur, prohiberi vsum gladij sanguinis à Summo Pontifice cæteris Ministris, sibi autem non interdixit, quod eidem Christus concesserat. Vnde si Episcopi, & alij Prælati in suis Diœcesibus habent iura sanguinis, deputare debent iudicem laicum, qui curam habeat agitandi causas sanguinis, gloss. v. Præcipiant cap. His à quibus 30. 23. *quæstione* 8. *cap. Clericis* 5. *cap. Sententiam* 9. *Ne cleric. vel non. cap. Ex literis* 10. *de excessib. prælator.* Dixi de hac re *Decis.* 291. Vide Rodriguez *tomo secundo, quæstione* 62. *articulo* 8. Couarruuiam *pract. capite quarto*, Baldum *in cap. Solitæ, de maior.* Tambur. *tom.* 3. *disputatione* 12. *quæstione* 1.

Quæres 53. An in Ecclesia sit potestas imponendi pœnas pecuniarias?

℟. Affirmatiuè *cap. Si quis* 3. 21. *quæstione* 4. *vbi glossa citat alia iura, & in cap. In antiquis* 7. 12. *quæstione* 2. *verbo Multiplicatione.* Nec obstat *cap. Licet, de pœnit.* Vbi prohibetur pœna pecuniaria, quia illud intelligendum est, quando pæna à iure statuta est contra aliquod delictum, tunc enim loco eius iudex non potest imponere pænam pecuniariam, vt docent omnes cum glossa v. Pænam pecuniariam. Hæc igitur habent locum in pænis arbitrariis, & hisce temporibus facile arbitrantur, etiam magnæ summæ pro leui delicto. 262

Quæres 54. An Ecclesia habeat potestatem cudendi monetas?

℟. Affirmatiuè, quia hoc ius pertinet ad Principem, & ad rempublicam, *lib.* 1. *ff. de contron. empt. Aristot. libro quinto, Æthic. capite quinto, & libro primo, Polit. capite sexto.* Ecclesia autem habet Principem, & Respublica est in Pontifice Romano, ad quem immediate ius percutiendi monetam, spectat iure gladij temporalis cum dependentia à spirituali. In aliis vero hæc potestas non est, nec ab illis exercetur iure Ecclesiastico. 263

Quæres 55. An per peccatum mortale perdatur potestas, à quolibet ministro, & iudice tam laico, quam Ecclesiastico?

℟. Existens in peccato quocumque mortali potestatem, quam habet non perdit, siue sit ordinis, siue iurisdictionis Ecclesiasticæ, aut secularis. Probatur id de fide respectu potestatis ordinis in casu Petri, qui Christum negauit, & tamen adhuc remansit Apostolus, Sacerdos, & Episcopus: & Iudæ, qui peccator pessimus, & traditor Iesu Christi, retinuit eandem ordinis potestatem, quam ante habebat, seu tunc consecutus fuit, exercebat enim officium Sacerdotis baptizando inquit Augustinus relatus *cap. Dedit* 46. 1. *q* 1. Et in eadem causa Gratianus refert plures Sanctorum Patrum auctoritates, per quas probatur Sacramenta à malis Sacerdotibus ministrata tenuisse, & vtilia fuisse recipientibus dignis. Quare in Tridentino *sess.* 7 *can.* 4. definitur. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum. Anathema sit.* Et Canone 12. de Sacramentis idem definitur respectu cuiuslibet peccatores. *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent seruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum. Anathema sit.* Et de Sacramento Pænitentiæ sess. 14. Canone 10. Definitur idem. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & soluendi non habere. Anathema sit.* Patet ergo de fide Sacerdotem peccatorem per peccatum potestatem ordinis, & iurisdictionis Sacramentalis non perdere, aliter Sacramenta non conficeret, vt reuera conficiunt, ex quo arguitur illos non carere potestate requisita. 264 265

Respectu potestatis iurisdictionis in ministris Ecclesiasticis & aliis probatur. *Tum quia*, Scribæ & Pharisæi peccatores erant, & tamen sua exercebant officia in synagoga, de quibus Christus Matth. 22. Dicit:

Super

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum vero eorum opera nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Præcepit ergo Christus, vt omnes obedirent Ministris quantumuis malis. *Tum quia*, de Regibus Israël res notissima est, fuisse malos, & pessimos, nam Dauid fuit reus adulterij, & homicidij, Salomon, Saul, Roboam, Abias, Nadab, Nabuchodonosor, &c. quid mali non fecerunt? Et tamen suam potestatem semper retinuerunt. *Tum quia*, rem hanc definiuit Petrus in sua prima Epistola cap. 2. 18. *Serui subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. Tum quia*, potestas ordinis ita cum caractere est impressa indelebiliter in anima, vt nulla potestate humana auelli possit ab ea, ergo neque per peccatum tolli, quod est actus humanus, seu ab humana actione. Potestas verò iurisdictionis licet procedat ab homine per illius factum, vel per legem aut vniuersitatem, tamen ita radicatur in subiecto, cui fuit communicata, vt ab eo auferri
266 non possit, nisi per terminationem temporis, aut sententiam iudicis propter aliquod eius delictum depositione dignum, itaque delictum est quidem causa, vt quis per sententiam iudicis deponatur ab officio, & potestate sua, non ideo tamen hoc de se habet delictum, & peccatum, vt eo perpetrato, ipso facto cesset potestas in delinquente, vt id etiam constat in excommunicato, qui nondum denuntiato retinet iurisdictionem, quam habet, & valide gerit suum officium, vt omnes docent.

Hæretici malè docent per peccatum perdi potestatem, cum quibus sentit Vigleph art. 4. *Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Item art. 8. *Si Papa est præscitus, & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fideles, nisi forte à Cæsare.* Item art. 1 c. *Nullus est Dominus ciuilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.* Eadem mendacia sequutus fuit Ioannes Hussius.

Probant auctoritate, & ratione. *Primò*, Ioann. 20. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis.* Ex quibus manifestè paret ad remittenda peccata in Sacerdote requiri Spiritum Sanctum, hoc est, quod sit in gratia Dei, sine peccato mortali, quod non potest stare cum Spir. Sancto. *Secundò*, peccatores & hæretici non possunt cõferre gratiam quam non habent, Eccli. 34. 4. *Ab immundo quis mundabitur?* & n. seq. 30. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio ipsius.* Et in Psalmo 140. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Quomodo ergo peccatores, qui carent gratia Dei possunt per sacramenta aliis illam conferre, nemo enim dat, quod non habet *Tertiò*, potestas fundatur in gratia tanquam in titulo, est enim donum Dei, vt dicitur Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo*; Sed Deus dona sua sicut non dat peccatoribus, sed iustis, ita neque in illis factis peccatoribus conseruat gratiam, & donum potestatis, quod corruit corrupta gratia per peccatum; vnde Oseæ 8. 4. dicitur. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes exierunt, & non cognoui.* Ecce quod peccatores nec gratiam, nec potestatem recipiunt, & si iusti illam recipiunt mediante Dei gratia cum fiunt peccatores, non cognoscuntur à Deo cum potestate, quia eam amplius non habent.

267 Contra est, quia hæretici supponunt potestatem fundari in gratia, aut gratiam esse, in qua tanquam in titulo fundetur, quod tamen falsum est, ex probatis, non solum respectu potestatis laicæ, quod notissimum est, cum ea reperiatur in Paganis, & Iudæis ad regendos homines sibi subiectos, qui nullius gratiæ in eo statu sunt capaces; & in malis Principib. Catholicis ex allatis exemplis Regum; verum etiam respectu potestatis spiritualis collatæ à Christo Iudæ proditori, & Petro negatori, ex quibus constat, quod sicut potestas in fieri non pendet à gratia, ita neque in conseruari ea indiget. Ad cuius corroborationem sciendum est, quod gratia alia dicitur iustificans, gratum faciens, seu sanctificans, hæc emundat peccatorem bene dispositum à suis peccatis, & de hoc genere gratiæ non est potestas, sed alterius, quod vocatur Gratia gratis data, quæ est in fauorem, & vtilitatem aliorum, quæ datur non solum iustis, sed etiam peccatoribus ad profectum fidelium, ergo non est conueniens, quod hæc perdatur in præiudicium aliorum, in quorum fauorem tertio datur, iniquum enim est, quod vnus puniatur pro alio præsertim in rebus spiritualibus. Si enim Minister malus perderet per peccatum potestatem, incertæ essent collationes Sacramentorum, quia Ministri passim peccant, sicut faciunt non ministri, nemo enim sine crimine viuit, Christus non prudenter prouidisset Ecclesiæ suæ dando illi Ministros subiectos peccatis non minus quam cæteri fideles, quibus Sacramenta conferenda sunt. Si per peccatum Ministri perdunt potestatem, cum per contritionem, aut absolutionem sacramentalem remittitur peccatum, numquid tunc simul cum gratia restituitur potestas? Non, quia nullibi legitur Contritioni, aut absolutioni attributam esse hanc facultatem restituendi amissam potestatem, neque enim verba hanc virtutem habent, cum tantum significant remissionem peccatorum, & non restitutionem potestatis.

Respondetur ergo *ad primam* auctoritatem, ea verba: *Accipite Spiritum Sanctum*, non significare gratiam Spiritus Sancti, sed importare potestatem conficiendi Sacramentum Pœnitentiæ collatam ministerio Episcopi ordinantis. *Ad secundam* dico Sacerdotem immundum non propria virtute mundare immundum, sed virtute Dei operante, cuius vices gerit minister licet peccator; & sic intelligitur illud Iob 14. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Solus igitur Deus Christus, qui solus mundus est cum immaculata Conceptione suæ Matris, immundos potest facere mundos virtute propria, Sacerdos verò virtute Dei, à quo mouetur ad operandum per potestatem sibi desuper traditam. *Tertia* auctoritas truncata fuit ab hæreticis, nam in textu sic legitur: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius.* Significat rebaptizationem nihil prodesse, quia sacrilegium est repetere Baptismũ, quod est irreiterabile, & Sacerdos rebaptizans iam vere baptizatum vocatur mortuus ex peccato mortali; quod committit rebaptizando. *Quarta*, per oleum peccatoris Iacobus de Valentia intelligit adulationem cum Vgone Cardinali, & ideò non facit ad rem pro hæreticis. Nemo dat quod non habet, peccatores carent gratia, ergo eam conferre non possunt, inquiunt hæretici. Verum est, quod peccatores carent gratia iustificante, non vero gratia gratis data, quæ est potestas conferendi Sacramenta. *Nemo dat quod non habet*, cap. Daibertum 268
25. 1. q. 7. *cap. Quomodo* 41. *dist. 4. de consecr. Arist. 2. Elench. explicat Thomasetus reg.* 191. nemo dat, quod nõ habet per se, dat vero auctoritate legis, seu ex officio, Nauar. *consil.* 10. *de maior. n.* 41. Dic habere gratiã non formaliter, sed causaliter, & virtualiter ex ministerio suæ potestatis. Hæreticis opponi potest contrarium axioma: *Nemo aufert, quod non dedit.* Sed peccatum nulli dat potestatem, ergo neque auferre potest, res enim per quas causas nascitur per easdem dissoluitur. Demum illud Oseæ non intelligitur de Principibus, & Regibus peccatoribus legitimè promotis ad Regimen, sed de illis, qui non vocati seipsos intruserunt, isti enim non sunt ex Deo, neque Deus illos agnoscit in Ministros, quia illos non approbauit.

Quæres 56. An Ecclesia suppleat potestatem iu-

risdictionis tam in foro sacramentali, quam in foro externo? Non dubito de potestate ordinis, quam constat nulla auctoritate humana suppleri posse, cum ea sit de iure diuino, quam Ecclesia non supplet. Remanet ergo difficultas pro iurisdictione, quam Ecclesia conferre potest, an etiam supplere possit in sacerdote, aut alio Ministro fingente illam habere, quâ tamen reuera caret. Casus in ordine ad absolutionem, immò & ligationem censurarum potest examinari tripliciter. *Primò*, an Ecclesia, hoc est, Papa omnibus Sacerdotibus nondum confessariis in articulo mortis tribuat potestatem iurisdictionis absoluendi constitutos in eo articulo? *Secundò*, an Papa suppleat hanc potestatem in illis sacerdotibus, qui se intrudunt in officio confessarij, cum potestate careant, nihilominus confessiones audiunt, putati errore communi confessores veri? *Tertiò*, An Papa suppleat hanc iurisdictionem in eo verè confessario, qui cum opinione probabili absoluit pœnitentem, quem forsan non poterat absoluere defectu iurisdictionis ex alia opinione magis probabili?

269 ℞. Ecclesia, id est, Papa supplet iurisdictionem non solùm in foro externo, quando non verè iudex talis putatus exercet officium, sed etiam pro foro conscientiæ, & sacramentali in prædictis tribus casibus, nimirùm in articulo mortis, in opinione minus probabili, & in errore communi, licet absit titulus coloratus.

Prima pars respectu fori externi tam in iudicibus laicis, quam Ecclesiasticis conceditur ab omnibus. *Tum quia*, error communis dat iurisdictionem non habenti, commune axioma deductum ex l. Barbarius 3. ff. de offic. prætor. *Tū quia*, id expedit reipublicæ ob bonum publicum, ne tumultus, & scandalum in ea sequatur in grauissimum præiudicium multorum. *Confirmatur*, quia iurisdictio acquiritur non solùm ab homine per eius factum, sed etiam à iure sic disponente in vtilitatem fidelium *arg. eorum*, quæ Doctores colligunt ex citata lege, *& l. 3. ff. de suppellect. & in cap. Ecce ego 6. dist. 95. ibi: Præteriti temporis error non potest iam reuocari.* Quia iurisdictionem consulit Princeps, vt maneant illibata errore communi gesta, ne populus perturbetur, & detrimentum patiatur.

270 Secunda pars de potestate in articulo mortis colligitur *ex sess. 14. cap. 7.* Confirmatur, nam vbicumque in iure communi, & constitutionibus Apostolicis reseruatur absolutio auferendo habentibus iurisdictionem super delictum reseruatum, tunc excipitur articulus mortis, ergo cum in hoc casu non auferatur potestas cuiquam sacerdoti, euidens est argumentum, hanc potestatem habere ipso iure quemlibet sacerdotem. Et in hoc omnes conueniunt.

Dispusans hic, an hæc potestas absoluendi in articulo mortis sit collata omnibus sacerdotibus indifferenter etiam præsente confessario aliquo, vel Parocho, siue simplex Sacerdos sit, hæreticus, aut degradatus, &c. Affirmant quamplures, quos pro se citat Diana *par. 8 tract. 1. resol. 90. §. Itaque* contra Suarez *Vasquez de Lugo, & alios. Vide Barbosam ad cap. 7 sess. 14. n. 12. & 23.* vbi congerit Doctores pro vtraque parte. Ego *resol. 36. num. 59.* tenui, locum non habere Tridentinum, quando adest copia confessarij.

Tertia pars de iurisdictione collata ab Ecclesia confessario opinanti minus probabiliter se posse absoluere, seu habere potestatem sibi denegatam per aliam opinionem magis probabilem; Suadetur. *Tum quia*, conflictus opinionum, quæ tot numero sibi inuicem inualuerunt in Ecclesia Dei, postulant aliquod spirituale remedium, ne animæ fidelium contra charitatem remaneant deceptæ, dum bonâ fide, & cum omnibus requisitis ex parte eorum accedunt ad confessarios approbatos; id autem consistit in suppletione iurisdictionis, quam in similibus Ecclesia concedere potest, ergo dicendum est, Ecclesiam supplere in illis potestatem necessariam ad valide absoluendum, ne parum prouidens, aut minus pia dicatur, & sicut tot tolerat opiniones, quæ in discrimen ponunt iurisdictionem confessarij, ita videtur supplere eandem reddendo certam fauore animarum pœnitentium. *Tum quia*, confessarius operando secundum opinionem probabilem prudenter se gerit, & pœnitens ex parte sua bene dispositus meretur absolutionem, ergo verisimile est, quod Papa suppleat potestatem confessarij, si illa careat. *Tum quia*, Papa supplet iurisdictionem in eo Sacerdote, qui illa malitiose caret, vt probatur vnice, ergo à fortiori hanc supplet in Sacerdote, qui probabiliter putat illam habere. Ita Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 63. Sanch. lib. 3. disp. 20. n. 2.* cum aliis communiter, *quos pro se citat Diana part. 8. resol. 93. tract. 1.*

Quarta pars, quod Papa suppleat potestatem in Sacerdote se fingente confessarium, quando id communiter ignoratur, Probatur, quia non est credibile, Ecclesiam, quæ cum tanta diligentia, & prudentia assiduè per summum Pontificem regulis saluberrimis dirigit, & pascit gregem suum, illum relinquere destitutum in tali casu de remedio tam necessario ad salutē animæ, ergo certo tenendū est, Ecclesiam supplere huiusmodi defectum iurisdictionis. *Cōfirmatur.* Tum quia potestas laica suppletur in ordine ad quietē corporis ex citata *l. Barbar.* ergo & spiritualis in ordine ad salutem animæ, quod magis vrget, quam salus corporis. *Tum quia*, Ecclesia reis prouidit de refugio, ne capiantur à Ministris iustitiæ, quamuis alias digni sint castigatione, ergo à fortiori eisdem prouidit pro emundatione peccatorum, ne capti detineantur à Diabolo sine eorum culpa.

Inter Doctores non est dissensio, nisi in eo, quod multi requirunt in sacerdote duo, errorem communem, & titulum coloratum. Cardinalis de Lugo *tom. 2. de iust. disp. 37. sect. 3. n. 13.* dicit apud Dianam *par. 8. tract. 1. resol. 94.* communem sententiam requirere vtrumque, quia ex opposita sententia sequuntur maiora inconuenientia, & in praxi durissima, qui exemplificat in legato Papæ ficto, & in fingente se Episcopo, cum nullus illorum sit verè, neque titulum coloratum habeat à legitimo superiore, est enim absurdissimum, quod isti habeant eandem iurisdictionem, quam habent veri officiales, id enim est fouere nequissimos simulatores in suis fraudibus. Necessarius ergo est titulus saltem præsumptus, & apparens, & assignat rationem differentiæ, quin in casu suo Ecclesia, aut potestas superior est, quæ proponit populo illum Ministrum, & eo ipso tacitè hortatur populum ad illum recipiendum; idcircò superior, quicumque ille sit; ne videatur cooperari deceptioni, & detrimento populi, supplet defectus occultos, quantum satis est, ne populus patiatur detrimentum ex illo vitio occulto. Quando vero quis seipsum intrudit, ac proinde sine titulo à superiore recepto, tunc superior intrusum nullo modo proponit populo, nec cooperatur detrimento, quod sequitur, sed intrusus est causa deceptionis adæquata, non est ergo mirum, si in hoc casu, deficiente titulo, superior non suppleat iurisdictionem, quam supplet in priori casu, in quo datur titulus. 271

Nihilominùs mihi videtur dicendum, Ecclesiam supplere iurisdictionem etiam in casu, quo deficit titulus, & ratio est, quia idem motiuum, quod persuasit Ecclesiam ad supplendam iurisdictionem in casu, in quo non deest titulus, induxit eandem ad supplendam in hoc etiam casu defectus tituli, siquidem motiuum fuit, vt occurreretur periculo tot animarum, quæ potuissent perire ex inualiditate Sacramenti, si iurisdi-

iuriſdictio non ſuppleretur, loquendo in ordine ad ſacramenta, pariter pro foro externo, vt hac ſuppletione impediretur futura perturbatio in republica; ita quod Eccleſia oculum ſuæ prouidentiæ non direxit primò ad modum, & malitiam, quibus officialis, & Miniſter carentes iuriſdictione, vſi ſunt cum non minùs noceat reipublicæ, & ſaluti animarum habens titulum coloratum, quam intrudens ſe ſine titulo, vterque enim caret iuriſdictione, ac proinde vterque officialis, quantum eſt ex defectu poteſtatis par detrimentum allaturus eſt, neque enim habendus eſt reſpectus præiudicij allati ſuperiori, ſine cuius licentia exercuit intruſus alienum officium, quia licet offendatur perſona publica, hæc tamen eſt vna, cui non multum præiudicatur, reſpectiue ad eos, qui beneficium abſolutionis, aut alterius rei ab intruſo receperunt nulliter in detrimentum notabile. Quare ſuppletionem iuriſdictionis induxit commune detrimentum, quod reſpulica pati poteſt, non vero iniuria ſpectanda eſt facta ſuperiori per intruſionem, qui fauore animarum huiuſmodi iniuriam poſtponere debet. Confirmatur, quia hoc ſupplementum non redundat in honorem, nec vtilitatem officialis, non præiudicat multum ſuperiori, à quo non fuit petita licentia, ſed præciſè refertur ad commune bonum reipublicæ, & animarum fidelium, parum ergo refert carere titulo, aut illum habere, cum ex vtroque caſu ſequatur par damnum in ſubditos, cui occurritur per ſupplementum iuriſdictionis.

Falſum eſt primò, ſequi maiora incommoda ex intruſo quam ex licentiato, nam non ita facilè intruduntur Legati, & Epiſcopi hæretici, cum ſint duo officia, & dignitates magni momenti, quæ palam expediuntur, ac proinde notiſſimæ ſunt quoad modum ſuorum promotionum, vt vix dari poſſit caſus intruſionis, conſequenter tot mala non poſſunt ſuccedere, ſicut in vocatis, in quibus poteſt facile accidere defectus iuriſdictionis, & cum omnes vocentur in omnibus poteſt eſſe is defectus cauſatiuus tot malorum. *Secundò*, intruſi cum principio legitimo ſui eſſe careant, facile deprehenduntur in ſua malitia, licentiati verò difficilius diſcooperiuntur propter titulum, qui aufert omnem occaſionem dubitandi, ergo in his occurrunt maiores difficultates, & pericula quam in intruſis. *Tertiò*, non eſt abſurdum, quod ficti officiales habeant eandem iuriſdictionem, quâ gaudent veri Miniſtri, quia paritas poteſtatis non menſuratur pro vtilitate officialium, ſed fauore ſubditorum, vt decepti non remaneant ex aliorum malitia, nam officiales non ſunt propter ſe, ſed referuntur ad commodum, & vtilitatem ſubditorum. *Quartò*, eadem abſurda, quæ ſequuntur ex licentiato, ſequuntur etiam ex intruſo, quia radicem ſuam habent ex defectu iuriſdictionis, qui in vtroque ex æquo reperitur, ergo æquum eſt, vt Eccleſia prouideat de remedio in vtroque caſu, & non magis in vno, quam in alio. *Quintò*, quia receptio populi facta de vocato ne quicquam prodeſt, quia populus non dat iuriſdictionem carenti, præterquamquod eadem receptio probatur à populo reſpectu intruſi, & illa tacita exhortatio eſt tantum ſpeculatiua vel inferens, cum non det iuriſdictionem. *Sextò*, quia ſuperior eligens inualide officialem ex eius defectu occulto, nullo modo dicitur cooperari deceptioni, & detrimento, cum penitùs ignoretur, neque id poteſt præſumi, cum non occurrat cauſa excitatiua præſumptionis. *Quare* cum huiuſmodi deceptiones intruſiones, damna, & mala non proueniant à promotore, ſed ex malitia promoti, ſiue ex licentia, ſiue ſine licentia, dicendum eſt, Eccleſiam ex æquo ſupplere iuriſdictionem in vtroque caſu.

272 Colligitur ex dictis, Eccleſiam in multis caſibus ſupplere poteſtatem ſacerdotum tam intruſorum, quam licentiatorum carentium poteſtate, immò etiam verò non confeſſariorum, ſtante errore communi populorum, etiam ſine vllo titulo, vel cum perdito, *Primò*, quidem ſuppletur in vero confeſſario, quando abſoluit iuxta probabilem opinionem à reſeruatis, à quibus forſan in re non poterat abſoluere. *Secundò*, quando etiam ſcienter abſoluit ab illis, à quibus ſcit, ſe non poſſe abſoluere, nam ſi Eccleſia ſuppleat poteſtatem in ficto Confeſſario propter vtilitatẽ animarum, à fortiori credendũ eſt id fieri in vero Confeſſario, qui ſcienter abſoluit eum, quem ſciebat non poſſe abſoluere. *Tertiò*, quando abſoluit non ſubditum, vt contingit Parocho, quatenus habet ſolum iuriſdictionem ordinariam ſuper ſuos Parochianos, nam tunc in abſoluente extraneum ſine priuilegio ſuppletur poteſtas. *Quartò*, à Parochia remotus, & nullam aliam habens poteſtatem proſequitur excipere confeſſiones, vtitur tunc poteſtate ſuppletionis. *Quintò*, quando ſimiliter finita licentia confeſſarius delegatus proſequitur audire confeſſiones, tunc abſoluitur, ſupplente in eo Eccleſia poteſtatem, quâ caret. *Sextò*, quando electus Parochus, vel confeſſarius non recipit poteſtatem propter aliquem defectum occultum impedientem. *Septimò*, quando quis non electus, non vocatus, inſcio omninò ſuperiore ſe intrudit ad exercendum officium, quod non habet, iſte dicitur carere titulo, non verò procedens, quem habet fundatum in electione, vocatione, examine, aut approbatione, ſed ſine iuriſdictione impedita. In his ergo & ſimilibus caſibus, qui caret iuriſdictione, adhuc validè operatur, ſupplente Eccleſia poteſtatem, dummodo, vt dictum fuit vigeat error communis, id eſt, ſi populus ignorat miniſtrum eſſe fictum, vel intruſum.

Neceſſe eſt autem in prædictis caſibus, quod Miniſter ſacramentorum ſit Sacerdos habens vſum rationis, & operetur cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; hæc enim tria ſupponuntur, vt deinde Eccleſia poteſtatem iuriſdictionis ſupplere poſſit, ea enim ſola eſt in ſua poteſtate, & non illa tria, nam poteſtas ordinis non ſuppletur, cum in ſola ordinatione conferatur, vſus verò rationis, & intentio ita ſunt perſonaliſſima Miniſtri, vt nullo modo humana poteſtate ſuppleri poſſint. 273

Quæres 57. An in Eccleſia Dei ſit poteſtas canonizandi ſanctos? De Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum dixi Controuerſia 13. vbi ſuppoſui dari in Eccleſia hanc poteſtatem.

℞. In Eccleſia Dei eſt poteſtas canonizandi ſanctos, quæ reſidet in Petro ex illis verbis. *Paſce oues meas* paſtoris enim ſupremi tanta eſt poteſtas, vt nullam patiatur exceptionem circa ea, quæ ſunt ad propagationem fidei, & ad cultum diuinum, declarare enim aliquem beatum ſeu ſanctum eſt in eo laudare ſpeciali modo Deum, iuxta illud Pſalmi: *Laudate Deum in ſanctis eius*. Vt igitur in ipſis laudetur, & colatur Deus, neceſſe eſt, quod in ſua Eccleſia reliquerit eam poteſtatem, vt ex definitione huiuſmodi quiſque fidelis ſciat, quem honorem poſſit tribuere Deo in ſanctis eius. Quod autem ſpectet ad Petrum immediate conſtat ex eo, quod huiuſmodi materia habet pro obiecto aliquid fidei, cuius definitio ſpectat ad ſummum Pontificem, vt dicam ſuo loco, ergo & canonizatio, pari enim paſſu quoad hoc currunt definitio fidei, & morum vniuerſæ Eccleſiæ inter quos connumeratur canonizatio. Vide quæ ibi dixi de hac re. Id expreſsè habes in Conſtitut. Apoſtol. ſcriptis per Clementem Romanum *lib.* 5. *cap.* 7. & 8. vbi ſit mentio de honorandis Iacobo, & Stephano, honor autem contingit per beatificationem, & canonizationem ſeruorum Dei. Paſcitur ſecundum honorem ſeruus Dei, dum eius opera illuſtria narrantur fidelibus, per quas veneratur in terris. Vide Dianam 274

par.

par.11.de infallibil. Decret. Romani Pontif. à Resol.15. multa congerentem.

Quæres 58. An Papa potestatem & dominium habeat super infideles? Quæstio non procedit quoad potestatem spiritualem, quia per hanc non potest illos absoluere, neque ligare, quia incapaces sunt, & non pertinent ad pastorem animarum, secundum D. Paulum. 1. Corinth. *c.5.* in fine. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? nonne de iis, qui intus sunt, vos iudicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.* Silu. *ver. Papa n.7. 8. & 9.*

275 *Resp.* Papa habet potestatem temporalem super omnes infideles Iudæos, Gentiles & Paganos, quod explico, & probo simul, nam quis in præsenti negotio potest intelligi subiectus potestati, & dominio alte-
276 rius multipliciter. *Primò*, ratione delicti, e.g. Regiensis delinquens in territorio seu ducatu Parmensi subditur iudici Parmensi, quamuis alias non sit Parmensis, neque habeat domicilium in hoc territorio, in quo casu dicitur fieri subditus ratione delicti, *cap. fin. de foro compet.* ibi Glossa *v. Ratione delicti*, quod iurisdictionem dat non habenti, & hoc procedit quoad actuale iudicium, vt si quis aduena perpetret delictum in alieno territorio, ibi etiam capi, iudicari & puniri potest *cap.1. de raptor. Secundò*, quis dicitur subditus ratione rei, de qua contra possessorem causa mouetur, nam res decidenda est coram illo iudice, in cuius territorio res est, per *cap. Sane 3. cap Ex parte 15, de foro compet. l.1. Cod. vbi in rem act.* Et procedit licet sit res mobilis mensura in loco secundum Panor. in *cap. fin. de foro compet. Tertiò*, quis dicitur subditus ratione contractus excit. *cap. fin.* Gloss. *ver. seu contractus*, extendit ad omnes contractus, vnde contrahentes tenentur seruare leges loci, vbi celebratur contractus, Brunor. à sole *ver. Forensis per l. Quod si volit, §. qui assidua, ff. de ædil. edict. Quartò*, quis dicitur ratione domicilij, quod quis habet intra fines iurisdictionis eius in cuius territorio habitat, *cap. Vbicumque §. Quia ergo, 13. q. 2. cap. fin. de foro comp. l. fin ff. de iurisd. om. iud.* Domicilium autem acquiritur per actualem habitationem cum animo perpetuò manendi, Glossa *ver. larem, l. Ciues, Cod. de incolit*, Ioann. Andr. *in cap. 15 qui, de sepult in 6.* Nauar. *consil. 4. de constit. num. 4.* Subditus autem ratione domicilij spectari potest dupliciter, vno modo provt est perfectè subditus, nempè habitu, & actu simul, quatenus scilicet habitat personaliter in suo domicilio; altero provt est talis tantum habitu, non autem actu, eo quod secundum personam reperitur extra territorium vbi habet domicilium, in qua secunda inspectione, non punitur delinquens extra, impune enim alicui non paretur extra territorium *cap. 2. de constit. in 6. Quintò*, aliquis dicitur subditus ratione originis, vbi quis natus est, Gloss. *in cap. 1. de vsur. in 6. ver. Alienigenas, l. Qu ex vico, ff. ad municip.* ex parentibus ibidem domicilium habentibus, Doct. *in cap. Rodulphus, de reser.* Rota Rom. *volum. 1. decis 327. num. 3.* M. Anton. *lib. 1. resol. fin. casu 33. §. & facit* elicitur etiam vbi quis baptizatus est, Bald. *consil. 183. Rebuff. de pacif. possess. notab. 217.* Gonzal, *Super Regal. 8.* Cancell. Glossa *9. §. 1. num. 105.* ex illis *Piasec. tit. de subdit. ordin. num. 9.* Huic renuntiari non potest *l. origine, Cod. de municip & orig. lib. 10.* Alex. *vol. 5. consil. 34.* Roman. *volum. 1. consil. 34.* quia est naturale Gloss. *v. oriundus cap. Nullus, de temp. ordin. & immutabile l. Assumptio, ff. ad municip.* Bursat. *vol. 1. consil. 74. num. 113.* vbi dicitur domicilium inamissibile, & principalius M. Anton. *l.b. 2. resol. 50. casu 10. §. Et domicilio* vnde non tollitur per domicilium habitationis, Nauar. *consil. 6. de testam. num. 4.* ac proinde huic præfertur, *l. Cum quædam puella, ff. de iur. om. iud.* ista autem prælatio attenditur in quantum est immutabile quoad honores, & munera, non quoad iurisdictionem, quæ perditur acquisitione noui domicilij, Menoch. *lib. 6. præsumpt. 42. num. 5.* in dubio venit domicilium habitationis, quod attenditur magis quam illud originis, Gloss. *ver. Vnam dietam, cap. Statutum de reser. in 6.* Franc. Domin. ibid.

Ista multiplex diuersitas subiiciendi alicuius iurisdictioni oritur ex limitata potestate secundum locum, & personas, nam hæc (loquor de contentiosa) cohæret loco, & personis in loco, *l. fin.* vbi Bartol. *Cod. vbi*, & apud quos. Ita quod Superior extra proprium territorium illam exercere non potest, non solum in extraneos, vt hoc certum est, verum neque etiam in subditos existentes in alieno territorio, si ibi delinquant, immò neque in proprio delinquentes, corporaliter puniri possunt aufugientes, *cap. 2. de constitut. in 6. cap. Statutum 11. §. Cum vero, de reser. in 6.* Tres priores modi non faciunt propriè quem subditum; sed occasione rei, contractus, aut delicti non subditus, & extraneus dicitur sortiri forum illius iudicis, in cuius territorio delictum, res, aut contractus actum fuit. Quartus verò, & quintus modi propriè quem constituunt subditum ex conditione domicilij originis, aut habitationis, qui extra vagantes habitu tantum & non actu subditi dicuntur, nam ad plenam rationem subiectionis requiritur præsentia personalis & in actu in proprio domicilio territorij sui iudicis.

Deducitur hinc superiorum potestatem ampliari, & restringi ex latitudine, & restrictione territorij super quod dominatur; ex quo patet Deum habere amplissimam, infinitam, & immensam potestatem, quia eius territorium non continetur certis limitibus, cum sit totus mundus, cœlum, & terra, Ierem. *c. 23, num. 24. Cœlum, & terram ego impleo.* Consequenter Papa, qui est Dei Vicarius in terris amplissimam habet potestatem, & iurisdictionem nullis terminis, & limitibus restrictam, cum pro territorio suo totum habeat mundum, *cap. Cuncta per mundum 17. & 18. 9. quæst. 3.* & ideo eius potestas dicitur immensa, *c. Ad honorem de auctor, & vsu pallij*, quod procedit non solum respectu dominij in spiritualibus quod nemo negat, sed etiam in temporalibus ex supra probatis, licet hoc posterius per seipsum non exerceat, sed solum per laicos principes suos delegatos, & coadiutores.

Colligitur ex dictis, non esse necesse, quod quis dicatur fieri subditus Summo Pontifici illis modis de quibus supra, quia sunt proprij illorum dominorum, qui territorium habent limitatum, quo enim plures sunt in populis dominantes eo minus, & restrictius habent territorium; Papa vero quia in dominando vnus est ex intrinseca ratione dignitatis suæ non compatiens parem, neque superiorem in terris, totam dominatur terram, vnde eidem omnes de mundo subditi sunt ratione domicilij originis, & habitationis tantum. Quare aduena Hispanus, Gallus, Indianus Romæ delinquens punitur tanquam subditus proprius, & non tantum vt subditus ratione delicti.

Ad rem nostram redeuntes, concludimus Summum Pontificem in Iudæos, Gentiles, & alios infideles habere potestatem in temporalibus, ita quod illos in terris actu sibi subiectis, & in aliis per totum orbem per delegatos principes punit, & subdit legibus quoad ea, quæ concernunt eorum statum & conditionem communem cum fidelibus, & Christianæ fidei insultantes punire potest pœnis corporalibus, suorum bonorum confiscatione, ac etiam mortis supplicio.

Probatur ergo responsio primò ex allatis modis, quibus aliquis fit subditus, si alias non est.

Secundò, quia Papa habet vtrumque gladium scilicet temporalem, & spiritualem, ex probatis hic q. 39. per hunc solos Christianos regit, per illum etiam infideles coërcet, & ferit, quando opus est.

Tertiò

Tertiò ex Ezechiele cap. 37. num. 22. *Et faciam eos in gentem vnam in terra montibus Iſraël, & Rex vnus erit omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.* Duæ hic nominantur gentes diuiſæ in duo regna, nempe gens infidelis, & ſine baptiſmate, vti ſunt Pagani, & Iudæi, & gens fidelis, qui ſunt Chriſtiani cum baptiſmate; hæ duæ gentes vna gens ſunt in eo, quod vnus eſt eorum Rex, nempe Papa illis imperans. Et ſi enim ea verba referantur poſt diem iudicij, à quo tempore duo regna militantis ſcilicet Eccleſiæ, & triumphantis in vnam gentem ſub vnico Rege tranſibunt, in eo quod tunc fiet vnum ouile, & vnus Paſtor, tum noſtra accommodatio nullum continet abſurdum, ideò huic propoſito accommodari poteſt. Vide idem ſupra ſub n. 177.

Quartò ex Ieremia cap. primo, num. 10. *Conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, ædifices, & plantes.* Bonifacius VIII. *in extr.* 1. *de maior.* ea verba accommodat Pontifici Romano, inſinuando eius poteſtatem eſſe ampliſſimam tam intenſiuè, quam extenſiuè ſuper omnes creaturas rationales huius mundi. Deus Pontificem Romanum conſtituit *ſuper gentes*, hoc eſt, ſuper quoſcumque homines tam fideles, quam infideles, quatenus rationem habent ſubiectionis; & *ſuper regna*, id eſt ſuper Imperatorem, Reges, & quoſcumque alios dominos, & ſuperiores aliorum hominum. Euellit, deſtruit, diſperdit, & diſſipat Iudæos, & Infideles, dum eos caſtigat, & punit, fides vero ædificat, & plantat, quia eos punit, vt reſipiſcant in ædificationem, & plantationem animæ, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 5. *Iudicaui tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus ſit.* Quæ intelligi non poſſunt de infidelibus, qui ſe ſubtraxerunt, vel nunquam fuerunt quoad animam Pontifici ſubiecti regeneratione baptiſmatis, ideò eos diſſipat, & diſperdit, fideles verò plantat, confirmando in rectitudine mandatorum Dei.

Quintò ex Pſalmo 8. *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.* Loquitur de Chriſto, cuius pedibus Pater ſubiecit omnia, hoc eſt, omnes creaturas tam intellectuales, quam carentes intellectu, ſpecificat poſtea cum dicit *oues, & boues vniuerſas*, id eſt, animas ſanctas explicat hic D. Auguſtinus. Iacobus de Valentia Epiſcopus Chriſtopolitanus ſuper dictum Pſalmum ad rem noſtram inquit: *Nam per oues intelligit populos, & ſtatus inferiores hominum; & per boues intelligit Reges, Principes, & maiores; & per pecora campi intelligit gentes barbaras, quæ ad modum pecudum viuunt.* Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius id eſt Chriſti inquiunt omnes interpretes, quatenus homo eſt imperium, & dominium habet omnium Chriſtus Dominus, ergo hanc eandem poteſtatem habet Papa ſibi à Chriſto communicatam, aliter non diceretur eius vices gerens, niſi reſpectu omnium haberet communicatam poteſtatem ſuper omnes gentes fideles, & infideles, Iudæos quoque & Paganos.

Et ita docent Marius Muta *ad cap. Regni Sicil. vol.* 2. *cap.* 112. *& ex eo Carena par.* 2. *tit.* 14. *§.* 3. *cum aliis ab eo citatis part.* 1 *tit.* 2. *§.* 5. *n.* 53. *qui n.* 68. id admittit modificando poteſtatem, quam habet Papa ſuper vniuerſum orbem, ſcilicet indirectam in ordine ad peccatum compeſcendum, quam ſupra impugnauit. Ciarlinius par. 1. cap. 42. n. 50. vbi refert iura de hac re.

Ad rationem dubitandi communiter reſpondetur, ad Eccleſiam non ſpectare de his, qui foris ſunt, quoad ſpiritualem poteſtatem, cuius exercitij, & paſſionis ſunt incapaces, infra vero ſunt quoad poteſtatem temporalem, ita reſpondent omnes cum Ciarlinio *dicto c.* 42. *n.* 65. cum multis aliis ab eo allegatis.

CAPVT III.

De Apoſtolis Eccleſiæ fundatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Apoſtoli alio modo ſumitur ab Eccleſia, quam in iure.*
2 *Nomina duodecim Apoſtolorum.*
3 *Andreæ acta.*
4 *Iacobi Fratris Ioannis Zebedei vita.*
5 *Ioannis prædicti acta.*
6 *Philippi vita.*
7 *Bartholomæus idem quod Natanaël.*
8 *Thomæ Didymi vita.*
9 *Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.*
10 *Iacobi Alphæi vita.*
11 *Iacobus Frater Domini alter à prædictis duobus.*
12 *Thaddæi Apoſtoli, ſeu Iudæ vita.*
13 *Simonis Chananæi vita.*
14 *Matthææ Apoſtoli vita.*
15 *Apoſtolus & Diſcipulus non important idem.*
16 *Paulus par fuit aliis Apoſtolis.*
17 *Barnabas cur vocatur Apoſtolus.*
18 *Philippus, qui baptizauit Eunuchum, fuit vnus ex ſeptem Diaconis.*
19 *Galilæi fuerunt omnes Apoſtoli.*
20 *Piſcatores ferè omnes fuerunt.*
21 *Nobilitas ſanguinis, & virtutis.*
22 *Apoſtoli omnes nobiles virtute.*
23 *Apoſtolatus eſt dignitas.*
24 *Apoſtoli ſunt fundamenta Eccleſiæ.*
25 *Petrus eſt primus lapis.*
26 *In quo conſiſtat officium Apoſtolatus.*
27 *Religioſi ſub tribus votis fuerunt Apoſtoli.*
28 *Solemnitas ab initio Eccleſiæ non faciebat religioſum.*
29 *Apoſtoli erant pauperes.*
30 *Paupertas quid ſit?*
31 *Vxores habuerunt Apoſtoli.*
32 *Petrus habuit filiam Petronillam ex vxore.*
33 *Perpetua martyre.*
34 *Paulus erat vxoratus.*
35 *Abſtinuerunt omnes à copula.*
36 *Mendicauerunt Apoſtoli.*
37 *Hæretici prædicta impugnant.*
38 *Chriſtus diues, ſed voluntate pauper.*
39 *Chriſtus Filius Dei naturalis.*
40 *Chriſtus vt caput Eccleſiæ habebat loculos.*
41 *Apoſtoli domos habebant quoad vſum.*
42 *Status matrimonij ſine copula ſtat cum monachatu.*
43 *Copula ſtatui religioſo repugnat.*
44 Creſcite, & multiplicamini *eſt præceptum naturæ, non perſonæ.*
45 *Matrimonium nulli præcipitur in particulari.*
46 *Mendicitas non laudatur.*
47 *Paupertas neceſſitatis, & voluntatis.*
48 *Mendicitas religioſorum nulli nocet.*
49 *Mendicare non eſt actus vilis ſed honeſtus.*
50 *Vigleffi error refellitur.*
51 *Votum obedientiæ non tollit liberum arbitrium.*
52 *Chriſtus religioſus verus, & caput aliorum.*

53 *Carnem manducabant Apostoli.*
54 *Apostoli erant ante vocationem peccatores.*
55 *Confirmati in gratia post Resurrectionem.*
56 *Fugerunt omnes in passione Christi.*
57 *Fugiendo non peccauerunt.*
58 *De incredulitate Apostolorum.*
59 *Incredulitas Apostolorum non arguit perdidisse fidem.*
60 *Baptismum Apostoli receperunt.*
61 *Cur baptizati, si iam illis deletum erat originale?*
62 *Confirmationis Sacramentum illis collatum.*
63 *Confirmare nemo potest, nisi Episcopus.*
64 *Communicauit illos sub vtraque specie.*
65 *Sedentes non genuflexi communicati.*
66 *Pœnitentia Sacramentum institutum in octaua Paschæ.*
67 *Non legitur Christum Apostolos absoluisse sacramentaliter.*
68 *Sacerdotium illis collatum in cœna sine potestate absoluendi.*
69 *Matrimonia Apostolorum eleuata in Sacramentum.*
70 *Extrema vnctio Sacramentum.*
71 *Hoc Sacramentum nullus Apostolorum recepit præter Ioannem.*
72 *Martyres omnes fuerunt Apostoli.*
73 *Ordinati fuerunt omnibus ordinibus.*
74 *Sacerdotium, & Episcopatus an distincti ordines.*
75 *Episcopi omnes ordinati fuerunt.*
76 *Iacobus frater Domini ab Apostolis ordinatus.*
77 Ordinare *quid importat?*
78 *Apostolis Christus contulit Apostolatum, Præsbyteratum, & Episcopatum.*
79 Spiritus Sanctus *quid significet?*
80 *Gratia spiritus Sancti triplex missa Apostolis.*
81 *Officia Apostolatus, Præsbyteratus, & Episcopatus.*
82 *Canones & constitutiones editæ ab Apostolis.*
83 *Symbolum triplex.*
84 *Symbolum paruum ediderunt Apostoli.*
85 *Pauli Apostoli vita.*
86 *Concilia quatuor ab Apostolis coacta.*
87 *Tria ex illis colliguntur necessaria in Conciliis.*
88 *Diaconi ab Apostolis ordinati fuerunt septem.*
89 *Gentiles conuersi non cogebantur circumcidi.*
90 *Conciliis prædictis interfuerunt omnes Apostoli.*
91 *In quibus certum omnes habebant decisiuum.*
92 *Apostoli in illis Conciliis dependebant à Petro in decisionibus.*
93 *Petro tantum competit indicere Concilium.*
94 *Definiendi de fide Apostoli non habuerunt potestatem.*
95 *Scripturas interpretandi potestatem habebant.*
96 *Canonizandi potestas soli Petro data.*
97 *Indulgentias dandi non omnes potestatem à Christo habuerunt.*
98 *Miracula faciendi potestatem à Christo receperunt.*
99 *Nullum fecerunt ante Pentecostem.*
100 *Miracula Petrus primum omnium fecit.*
101 *Potestatem præsente Christo non exercuerant nisi baptizando.*
102 *Diuisio Apostolorum ad prædicandum facta fuit à Petro.*
103 *In quibus locis singuli Apostoli prædicauerint.*
104 *Vtrique per totum mundum prædicauerunt.*
105 *Saltem per suos successores Episcopos, & Religiosos.*
106 *Missiones duas Christus commisit Apostolis.*
107 *Melius aliis Apostoli didicerunt Euangelium.*
108 *Sensus Scripturæ sunt quatuor ab Apostolis prædicati.*
109 Litera occidit *exponitur.*
110 *Tria sunt genera præceptorum legis veteris.*
111 *Legalia post mortem Christi seruata fuerunt per aliquot tempus.*
112 *Potestatem Apostolatus, Præsbyteratus, & Episcopatus omnibus dedit.*
113 *In exercitio potestatis Apostoli subiecti erant Petro.*
114 *Vbi est paritas non potest esse dependentia, neque superioritas.*
115 *In quibus Apostoli fuerint pares cum Petro.*
116 *Petrus quatuor dignitates habuit.*
117 *Apostolorum potestas ordinaria fuit, non delegata.*
118 *Apostoli cæteris sanctis maiores.*
119 *Etiam Ioanne Baptista.*
120 *Hæretici quid dixerint contra Apostolos.*
121 *In suffragiis commemoratio S. Ioannis Baptistæ præfertur Apostolorum.*
122 *Festa duodecim Apostolorum sunt de præcepto.*
123 *Vigilias cum ieiunio singuli habent præter tres.*
124 *Cur Missa Apostolorum votiua dicatur Feria quarta.*
125 *Compositores dicuntur Hymni Angelici.*
126 *An Apostoli essent Episcopi particularium Ecclesiarum.*
127 *Erant Doctores & Theologi.*
128 *Apostoli erant Inquisitores.*

Apud Legistas nomen Apostoli significat litteras dimissorias, in quibus exprimitur causa appellationis, quam facit grauatus appellans à minori iudice ad maiorem, ad quem mittitur cum Apostolis, id est, litteris testificantibus de appellatione, cap. 1. de appellat. in 6. Clem. 2. eod. iunctis gloss. Apud verò Ecclesiam nomen *Apostolatus* importat missionem ad prædicandum Dei Euangelium, *Apostolus* verò idem est quod Missus ad idem prædicationis officium exercendum, quod Christus imposuit duodecim Apostolis suis Marci vlt. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Christus autem fuit primus prædicator Euangelij, quod docuit verbo, & opere missus à Patre, ad cuius prædicationem consummandam deinde Christus missus Apostolos misit, vt dicitur Ioannis 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* De Apostolis igitur, super quibus à Christo fuit Ecclesia fundata vti primis lapidibus in fundamenta iactis, agendum est per sequentes quæstiones. 1

Quæres primò, quot numero sunt Apostoli, & quomodo vocentur.

℞. Sunt duodecim, quos Christus specialiter elegit, vt post ipsum prædicarent Euangelium per vniuersum orbem, hoc de fide est expressum Lucæ 6. 13. *Elegit duodecim ex ipsis quos, & Apostolos nominauit.* Matth. 10. numerantur hoc ordine. *Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedei, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphei, & Thadæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes.* 2

Quoad præcedentiam, & ordinem numerandi, Euangelistæ variant in multis, in hoc solum conueniunt, quod primũ locum tribuunt Petro, postremum vero semper Iudæ proditori, is enim vocatione vltimus fuit, ideo nihil profuit. Duodecim tantum elegit, vt excitaret capita duodecim tribuum Israel, quas vniuersum orbem repræsentantes iudicaturi sunt duodecim Apostoli in fine mundi, vt legitur Matth. 19.

19.28. *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* De quibus fit mentio in Genesi cap. 21. 16. Exodi cap. 24. Apocal. cap. 7. & alibi. De singulis Apostolis aliquid dicendum est hic præter Petrum, de quo specialiter plura in sequenti cap.

Andreas frater Petri natus in Bethsaida vico Ga-
3 lileæ fuit primo Discipulus Ioannis cum fratre à Christo vocatus, post eius resurrectionem prædicauit in Scythia, Epiro, Thracia, & Patras, Achaiæ, cuius prædicationi resistens Ægeas proconsul Patras misit in carcerem, & cruci affigi mandauit anno 62. Christi die Martij 30. Nouembris, eius corpus Constantinopolim, deinde Amulphim translatum fuit, caput eius in Basilica S. Petri collocatum fuit à Pio II.

Iacobus maior Zebedei filius, frater Ioannis Apo-
4 stoli germanus Galilæus fuit, cum fratre vocatus ambo Boanerges à Christo, prædicauit in Iudæa, & Samaria, postea in Hispania, reuersus Hierosolymam, postquam conuertisset Hermogenem magnum, & paraliticum sanasset, ab Herode Agrippa damnatus securi percussus fuit circa festum Paschæ anno Christi 44. quo Pascha incidit in diem quintum Aprilis, eius memoria celebratur 25. Ialij festum translationis eius Corporis Compostellam, & fuit primus Apostolorum, qui pro Christo sanguinem fudit.

Ioannes Iacobi frater Apostolus, & Euangelista
5 Euangelium scripsit rogatus ab Asiæ Episcopis contra Cerintum, & alios hæreticos, & Ebionitas, qui dicebant Christum non fuisse ante Mariam, vnde incepit à generatione æterna eiusdem à Patre. In feruentis olei dolium Romæ missus fuit anno 92. die Dominica 6. Maij, à quo illæsus exiuit. Relegatus à Domitiano in insula Patmos scripsit Apocalypsim, totas Asiæ Ecclesias fundauit, senio confectus obiit in Domino anno 68. post mortem Christi & 191. ab eius natiuitate Ephesi, die lunæ 27. Decembris anno ab Incarnatione Domini 101. Erat 22. annorum quando vocatus fuit ad Apostolatum, & sic obiit annorum 93 secundum Baronium.

6 Philippus Bethsaide natus Apostolus Nathanaëlem deduxit ad Christum, totam fere Scythiam ad fidem conuertit, & Hierapoli Phrygiæ cruci affixus lapidibus obrutus fuit die mercurij primo Maij, anno 54. Christi in Basilica SS. duodecim Apostolorum Romæ veneratur. Est alter Philippus, qui fuit vnus ex septem Diaconis infra n...

7 Bartholomæus Apostolus Galilæus prædicauit in India citeriore aduentum Domini iuxta Euangelium Sancti Marci, postea venit in Armeniam maiorem, vbi Polymam regem, & eius coniugem cum duodecim ciuitatibus conuertit ad fidem, ex quo Astiagis frater regis ira accensus pellem ab eo crudeliter detrahi iussit, capite obtruncato, die Dominico 24 Augusti 105. excoriato præcedenti die, primo quieuit Albæ in maiori Armenia, vbi passus fuerat, deinde in insula Lipari, postmodum Beneuenti, demum in insula Tiberis in propria Ecclesia Vrbis veneratur 25. Augusti.

Nonnulli, cum quibus sentit Ganantus ad calcem sui Thesauri, tenent idem esse Nathanaëlem, & Bartholomeum, ita quod ille sit nomen, hoc verò cognomen à Patre, qui forsan vocabatur Tolomæus, Bar namque significat filium. Id probat ex quibusdam coniecturis, quarum præcipua est, quod in Matthæo 10.2. in Marco 3.16. in Luca 6.13. in numeratione Apostolorum post Philippum, qui vocauit ad Christum Nathanaëlem Ioann. 1. *num.* 45. *ad* 50. vbi quinquies nominatur, & semel *cap.* 21. 2. immediate recensetur Bartholomæus.

8 Thomas Didymus Galilæus Spiritu Sancto accepto prædicauit Euangelium Parthis, Medis, Persis, Henanis, & Bactris, Indos in fide erudiuit, à Rege illius gentis damnatus telis confixus Calamine occubuit, die lunæ 21 Decembris anno 78. Christi.

Matthæus Leui de Canna Galileæ Apostolus, & 9
Euangelista à Christo vocatus de telonio Capharnai in Iudæa Euangelium suum hebraice scripsit, postea in Æthiopia illud prædicauit, vbi filiam Regis ad vitam reuocauit, ex quo Rex cum tota Prouincia ad Christum conuersus fuit. Hirtacus eius successor qui regiam filiam Iphigeniam petebat in vxorem Sancti exhortationem virginitatem promittentem, obtinere non potuit, ideo ad altare celebrantem iussit occidi die mortis 21. Septembris anno 90. Christi, Salerni colitur.

Iacobus Alphæi filius, cuius mater vocatur Maria 10
Iacobi Minoris, *Marci* 15.20. de qua Maria cum Iacobo filio fit mentio Matthæi 27. 56. *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph Mater, & Mater filiorum Zebedei.* Iterum Marci 3.18. vbi Apostoli numerantur cum duobus Iacobis, altero filio Zebedei, altero filio Alphæi, qui iterum recensetur Lucæ 6.15. iterum 24.10. Act. 1.13.

Disputant hic an his Iacobus dictus Minor ad dif- 11
ferentiam Iacobi Maioris filij Zebedei, sit Iacobus dictus frater Domini, nuncupatus Iustus, de quo *Act.* 12.2. *ad Galatas* 1.29. primus Ierosolymorum Episcopus, vbi martyrium è pinnaculo templi præcipitatus sumpsit, cuius festum celebratur primo Maij, in cuius postrema lectione Breuiarij dicitur auctor Epistolæ Catholicæ beati Iacobi intitulatæ, ideo secundum Baronium, & Breuiarium sunt duo tantum Iacobi, ita quod Iacobus Alphæi, & Iacobus frater Domini est vnus tantum personaliter. Sed in contrarium sunt multi, negantes Iacobum Alphæi esse fratrem Domini, sed alium tertium propriè Apostolorum, nam is expresse numeratur inter Apostolos locis citatis, qui pro se duo habet inexpugnabilia testimonia, Euangelium locis prædictis citatum, & auctoritatem S. Clementis Romani Pontificis qui distinguit Iacobum fratrem Domini à Iacobo Alphæi lib. 6. cap. 12. Constitutionum Apostolic. vbi agitur de Concilio *Act.* 15. cui ambo interfuerunt, illis verbis. *Visum est nobis Apostolis,* dicit Petrus, *& Iacobo Episcopo,* ergo Iacobus Episcopus erat extra numerum Apostolorũ; quod euidentius asserit sequenti cap. 14. *Propter quæ, & ipsi nunc in vnum congregati, Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes filij Zebedei, Philippus, Bartholomæus, Thomas, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Lebbeus cognomento Thaddæus, Simon Chananæus, & Matthias, qui loco Iudæ in numerum nostrum electus est, & Iacobus frater Domini, idemque Ierosolymitanus Episcopus, item Paulus Doctor gentium, ac vas electionis, omnes inquã in vnum congregati scripsimus vobis.* Res est clara, non eget voluntaria explicatione, & tergiuersatione in contrarium, & confirmatur, quia *lib.* 8. *c.* 4. iterum distinguitur vterque Iacobus, & quisque illorum facit propriam constitutionem, Iacobi enim Alphæi constitutio registratur sub cap. 23. & duorum filiorũ Zebedei sub cap. 12. Vide Turrianum in dictum *lib.* 6. *ad c.* 12. *tom.* 1. *Concil.* vbi hoc idem luculenter demonstrat. Iacobus autem frater Domini, non Apostolus, sed tantum Episcopus, vnde missum non constat fuisse ad prædicandum ex actibus eius, fuit frater Domini in secundo gradu consanguinitatis, vt colligitur ex S. Patrib. & insinuat Chrysologus *serm.* 49. *Epistolæ Iacobi*, videtur esse auctor potius Iacobus Minor, aut Alphæi, & non frater Domini, quia Anacletus Papa in prima sua Epistola citans Iacobum eius auctorem, vocat simpliciter Iacobum Apostolum, & in secunda nominans non Apostolum vocat Iacobum cognomento Iustum, & fratrem Domini Episcopum Ierosolymorum. Aduersarij dicunt, constitutiones Apostolicas Clementis esse apocriphas, infra il-

lis satisfiet *sub quæstione* 33.

12 Thaddæus cognomine, sed nomine Lebbeus, secundum Clementem *præcitato lib. 6. constit. cap.* 14. secundum Breuiarium 28. Octobris idem est Thaddæus, qui & Iudas Iacobi vocatur in Euangelio Lucæ 6.16. Act.1.13. vnam Epistolam ex Catholicis edidit, prædicauit in Mesopotamia, deinde in Perside occubuit pro fide Christi 28. Octobris.

13 Simon Chananæus, qui & zelotes vocatur, prædicauit in Ægypto, deinde cum Thaddæo in Perside, vbi ambo martyrium passi sunt 28. Octobris.

14 Matthias demum duodecimus Apostolus suffectus fuit in locum Iudæ proditoris, vt legitur Act. 1. erat vnus ex septuaginta duobus Discipulis Christi, prædicauit in Iudæa, & Æthiopia, lapidatus, & decollatus fuit anno 60. Christi die lunæ 24. Februarij, cuius corpus translatum fuit Romam, vbi colitur in Basilica S. Mariæ Maioris.

Quæres 2. An idem sit Discipulus, quod Apostolus?

15 ℞. Non est idem, quod probatur Tum ex institutione, nam Christus quadam solemnitate vocauit, & elegit Apostolos, quos voluit esse tantum duodecim, quosque specialiter misit per vniuersum mundũ prædicare Euangelium; De electione vero speciali septuaginta duorum Discipulorum non constat, sed tantum de designatione eorum Lucæ 10. *Post hæc designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus.* Tum quia non constat de suppletione Discipulorum in locum defunctorum, aut hæreticorum, sicut de Matthia electo pro Iuda proditore. Tum quia loco Apostolorum successerunt Episcopi, loco vero Discipulorum Præsbyteri, sunt ergo Apostoli in maiori officio, & dignitate, quam Discipuli. De hac re vide *Damatum Epist.* 3. *Anacletum Epist.* 2. *Augustinum in Psal.* 44. *Leo Epist.* 88. Sunt ergo Apostoli maiores Discipulis. Scio apud Euangelistas vtrumque nomen pro eodem vsurpari, hoc est, sub nomine Discipulorum venire Apostolos qui Discipuli vocabantur, quia à Christo instruebantur in disciplina Euangelij, dicebantur verò Apostoli, quia missuri erant à Christo ad prædicandum Euangelium, quod didicerant tanquam Discipuli.

Quæres 3. An Paulus par, & æqualis sit aliis Apostolis in electione, & Missione.

16 ℞. Sic, quia & ipse immediatè à Christo electus fuit, speciali modo, miraculo, & cælesti illuminatione quamuis 1. *Corinth.* 15.9. Ex humilitate se vocet minimum Apostolorum, quia vltimo loco promotus fuit à Christo 25. Ianuarij anno Christi 35. suæ ætatis 34. Die Martis ex littera Dominicali B. quæ eo anno 35. currebat. Postea autem ordinatus fuit Sacerdos, & Episcopus, quod à Christo iussum fuit Apostolis Act. 12. 2. *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos: tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque manus, dimiserunt illos.* Dicit. *Segregate*, id est, separare ab aliis Paulum iam à me assumptum ad Apostolatum, *imponentesque manus* ordinauerunt illum Sacerdotem, & Episcopum, *dimiserunt* scilicet ad prædicandum.

Quæres 4. Quâ ratione Barnabas vocatur Apostolus? cum non fuerit vnus ex duodecim?

17 ℞. Barnabas Leuites genere Cyprius agri venditi, vt legitur *Act.* 4. *in fine*, pretium obtulit Apostolis, se illis coniunxit, & de speciali mandato Dei ordinatus fuit ab Apostolis iam à Domino electus Apostolus in sacerdotem, & Episcopum simul cum Paulo, vt dictum fuit *Act.* 13. 2. c. 14. 13. vbi vocatur Apostolus. Hæc igitur est ratio, cur cum Paulo vocetur Apostolus supra duodecim.

Quæres 5. An Philippus, de quo *in Act.* 8. qui baptizauit Eunuchum Reginæ Candacis sit idem, qui fuit Apostolus, de quo supra.

℞. Non est personaliter idem Philippus Apostolus, 18
quia in eo capite dicitur, quod persecutio magna facta in Ecclesia Ierosolymis dispersi fideles per regiogiones Iudeæ, & Samariæ præter Apostolos, inter eos autem, qui fugerunt, erat iste Philippus, vt ibidem dicitur, ergo non fuit Apostolus, sed fuit vnus ex septem Diaconis enumeratis in eisdem Act. 6. 5. Vt expresè dicitur cap. 21. 8. *Et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum.* Est ergo iste Philippus ab alio, qui est Apostolus, diuersus, & dicitur Euangelista à prædicatione, non à Scriptione, quia non fuit Scriptor Euangelij.

Quær. 6. An omnes Apostoli natione fuerint Galilæi? 19

℞. Affirmatiuè, colligitur Act. 1. 11. *Viri Galilæi quid statis aspicientes* cap. 2. 7. *Nonne omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt.* Sermo est de Apostolis, qui in die Pentecostes Spiritu sancto profusi prædicabant. Christus Galilæus erat 26. 69. Matth. *Et tu cum Iesu Galilæo eras?* ergo conueniens fuit, quod Discipulos assumerat de sua natione. Hoc autem constat esse de fide ex allatis Scripturis.

Quæres 7. An artem piscationis exercuerint ante vocationem ad Apostolatum?

℞. Affirmatiuè, de Petro: & Andrea fratribus, de 20
Iacobo maiore, & Ioanne eius fratre filiis zebedæi res clarè patet *Matth.* 4. *à num.* 18. *ad* 23. *Marci* 1. 16. *ad* 21. De Thoma, & duobus aliis *Ioan.* 21. 2. vbi exprimitur Natanaël, quem sub num. 7. diximus esse Bartholomæum ex Gauanto. Constat ergo saltem supradictos fuisse piscatores, & in consequentiam alios eiusdem fuisse exercitij, quos ideo omnes fecit piscatores hominum, *Matth.* 4. 19. *Marci* 1. 17. Et hoc de fide est saltem respectu eorum, quorum nomina sunt expressa.

Quæres 8. An Apostoli fuerint nobiles? Duplex 21
nobilitas, naturæ, seu sanguinis, & nobilitas virtutis, illa non laudatur in persona, sed in generatione, cum ab alio deriuetur, per naturalem generationem sine actibus heroïcis, ista verò extollit, & superexaltat personam, quia hanc acquisiuit propriis actib. De hac re plura dixi *Resolutione* 56. *n.* 23.

℞. Apostoli fuerunt nobiles nobilitate virtutis, 22
quia sunt Principes vrbis terrarum, sunt iudices Angelorum, & Hominum; sunt vera mundi lumina, sunt clauigeri regni cælestis; sunt moderatores totius orbis; sunt fundamenta Ecclesiæ, & lapides pretiosi; sunt Prædicatores verbi Dei, & doctores mundi; sunt demum repleti omnibus virtutibus, quibus totum vniuersum illustratur, & nobilitatur. Si verò loquamur de nobilitate sanguinis, Paulus, & Bartholomæus tantum fuerunt nobiles, vt inquit *Glossa v. Non multos cap. Venerabilis* 37. *de præbend.* Tiraquel. *de nobilitat. c.* 20. *n.* 14. *Viuius de commun. opin. lib.* 2. *opin.* 87. *Catalogus Glor. Mundi part.* 8. *considerat.* 28. §. *Mihi*, probat alios Apostolos, filios zebedæi, & Simonem fuisse nobiles, quia erant consanguinei Mariæ, ac proinde de stirpe regia, consequenter nobiles, Petrum, Andræam piscatores ex victu, & arte, Matthæum ex telonia constat fuisse sanguine ignobiles. Sed parum refert, tempus conterere circa eorum nobilitatem sanguinis, cum constet de eorumdem nobilitate virtutis, quæ omnem sanguinis ambitionem excedit.

Quæres 9. An Apostolatus sit dignitas, ac proinde Apostoli fuerint à Christo constituti in dignitate?

℞. Apostolatus fuit dignitas, quod probatur ex de- 23
finitione dignitatis, quæ est officium, seu gradus, cui in persona adiuncta est administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione ordinaria fori externi, est ergo dignitas administratio Ecclesiastica cum

cum iurisdictione fori externi. Ita colligunt Canonistæ *ex capite Decernimus de Iudic. Rota decis. 4. apud Tambur.tom.3.* vt quis dicatur in dignitate constitutus requirit tria. Primò, quod habeat speciale nomen dignitatis cum suis prærogatiuis in Ecclesia; secundò, quod habeat administrationem cum iurisdictione fori externi; tertiò, quod ex consuetudine Ecclesiæ illud officium habeatur pro dignitate. Hæc omnia competunt Apostolis, qui in suo officio adiunctam habent administrationem cum iurisdictione eis traditam à Christo illis verbis: *Quæcumque alligaueritis super terram.* Item. *Ecce mitto vos, sicut me misit Pater,* Deus autem misit Filium cum potestate, ergo & Christus suos Discipulos, & ita reputatur apud omnes Catholicos.

Obiicies, officium prædicandi, quod proprium fuit Apostolorum, non est dignitatis, sed laboris, & oneris, ergo per Apostolatum non dicebantur constituti in dignitate, sed tantum missi ad labores. Item sequeretur omnes Prædicatores esse in dignitate constitutos, quia æquè exercent officiū prædicationis ac si essent Apostoli, quod tamen non esse verum constat.

℞. Apostolos cum prædicatione coniunctam habuisse administrationem, & iurisdictionem, per quam vniuersum mundum gubernarunt, in quo differunt ab aliis prædicatoribus, qui simpliciter verbum Dei prædicant sine potestate, Apostoli fuerunt Principes mundi, Psal. 44. 17. *Constitues eos Principes super omnes terram.* Et ex his patet ad vtramque obiectionem.

Quæres 10. An Christus in Apostolis fundauerit Ecclesiam?

24 ℞. Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ, primus lapis à Christo iactus fuit Petrus, subsecuti fuerunt alij, vt fabrica exurgeret, & erigeretur, atque ab eisdem propagaretur.

Primum, quod omnes Apostoli sint fundamenta Ecclesiæ, de fide colligitur ex illo Apocal. 21. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum Agni.* Nomine ciuitatis venit Ecclesia militans, de qua paulo ante dixerat idem Ioannes num. 10. *Ostendit mihi ciuitatem Sanctam Ierusalem descendentem de cœlo à Deo.* Sola autem militans dicitur descendere ad differentiam triūphantis, quæ sursum manet, & nunquam descendit, cum non sit inferior, sed superior, & maior militante, quæ ideò dicitur descendere S. Paulus 2. Ephes. 19. *Non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum superædificati supra fundamentum Apostolorum.* Ecclesia à Christo per suum sanguinem fundata fuit super Apostolos, supra quos tanquam supra fundamenta iam firma, & stabilita, deinde alij sancti Episcopi successores superædificarunt fabricam eleuantes, & in immensum propagantes S. Chrysostomus tom. 6. ser. de Pentecoste id testatur illis verbis: *Apostoli sunt Ecclesiæ fundamenta, quia in eorum confessione fundata est Ecclesia Dei.* Origenes homil. 1. in Matth. *In omnibus Apostolis fundata est Ecclesia Dei.* Lactantius lib. 4. cap. 21. de diuinis institutionibus. *Fundamenta Ecclesiæ Apostoli vbique posuerunt.* Certa res est de fide ex allatis auctoritatibus Sacræ Scripturæ.

25 Secundum, quod Petrus sit primus lapis in hoc fundamentum Ecclesiæ à Christo iactus, probatur de fide, Christo illi dicente Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Per hoc autem non exclusit lapides aliorum Apostolorum à fundamento fabricæ, sed illum specialiter nominauit, quia futurus erat primus lapis in fundamentum iaciendus, vnde S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum dicit: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum alio in loco super omnes fiat Apostolos, & ex æquo super omnes Apostolos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* In quantum omnibus indifferenter præcepit Marci cap. fin. 15. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Æquale omnibus fuit præceptum quoad onus prædicationis, cuius operatione potissimum fundatur Ecclesia in Apostolis, & propagatur in eisdem, & eorum successoribus, qui quotidie mittuntur. Ad quod facit Anacletus Epist. 2. illis verbis: *Apostolis omnibus immediatè à Christo vniuersam Ecclesiam gubernandi potestas, & iurisdictio data est.* Intellige cum dependentia à Petro primo lapide, & Pastore cœlorum. De qua re Coccinus in Cæsargust. Cathed. 1. Martij 1630. apud Rubeum tom. 5. decis. 353. num. 26. 31.

Quæres 11. Quid dicat dignitas Apostolatus, & an cum ipsis fuerit extincta, an transierit ad eius successores?

Respondetur, officium Apostolatus importat fundationem Ecclesiæ per prædicationem, & scriptionem sacrorum librorum, in prædicatione omnes laborarunt, in scriptione solum quatuor Euangelistæ Ioannes, Matthæus Apostoli, Marcus, & Lucas Discipuli, qui scripserunt Euangelium Christi, eiusdem verò Epistolas Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes, & Iudas. Officium prædicationis illis dedit ante mortem Marci 3. 14. *Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* Duodecim Apostoli *cum illo*, non numeratur Christus cum illis vti Apostolus, sed dicitur *cum illo* vti membra cum capite, & sub capite, quia Christus eorum caput missus fuit primus prædicator, qui verbo, & opere cœpit præparare materiam cum qua posset initium ponere per suam mortem, vnde post passionem suam antequam ascenderet in cœlum dedit illis præceptum exequendum cum dixit eis: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Fundata igitur Ecclesia per Christum in Apostolis, & scriptis per illos Canonicis libris, non amplius indigebat fundatione, nec scriptione Euangelij, quia idem bis non fundatur, neque scribitur, cum tota fides in libris ab ipsis scriptis sufficienter, & adæquate compleatur, & absoluatur, ideò defunctis Apostolis per martyrium pro fide Iesu Christi, cum ipsis Apostolatus quoad fundationem, & scriptionem extinctus fuit, & Ecclesia vltimò consecrata fuit per illorum martyrium; Ecclesia ergo perfecta per Apostolos solum indigebat propagatione, & manutentione in esse per simplicem prædicationem, interpretationem, & Sacramentorum administrationem, & aliorum, quæ præstantur per Episcopos, & Sacerdotes, qui successerunt eisdem Apostolis vti Sacerdotibus, & Episcopis, quod indicat Augustinus super Psalm. 44. relatus cap. Quorum vices 6. distinctione 68. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, quid est, pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis nati sunt tibi filij, constituti sunt Episcopi.* Loco igitur Apostolorum successerunt Episcopi in officio prædicationis, & ordinationis, Sacerdotes eisdem in officio administrationis Sacramentorum, *cap. Absit 14. 11. q. 3.* Religiosi ratione status regularis in obedientia, castitate, & paupertate, quæ vigebant in primitiua Ecclesia præsertim tempore Apostolorum, *cap. Ex auctoritate 24. 16. q. 1.* Iterum infra q. 61. vbi probatur habere successores Episcopos secundum quod.

Quæres 12. An Apostoli fuerint religiosi sub tribus votis essentialibus constituentibus profitentem in statu Religiosatus?

Respondetur. Affirmatiuè, Probatur auctoritate Sacræ Scripturæ de voto obedientiæ Matth. 10. 38. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me non est me dignus.* Item capite decimosexto, vigesimoquarto, *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

(Margin numbers: 26 beside "Respondetur, officium Apostolatus"; 27 beside "Respondetur. Affirmatiuè")

Sequela hæc indicat votum obedientiæ, secundum Diuum Augustinum *Epistola* 89. *& lib.*17. *de Ciuit. Dei cap.*4. Ille enim dicitur vouere obedientiam alteri, qui abnegando propriam voluntatem se subiicit imperio alterius. Promiserunt votum Paupertatis, vt expresè dicitur Matth. 19. 26. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Loquitur Princeps Apostolorum pro omnibus, non dicit: *Ecce ego reliqui omnia.* Sed *Nos* supple *omnes Apostoli* per votum paupertatis omnia à nobis abdicauimus, vt expeditius obedire possemus Christo, quem sequimur. Demum Castitatis votum deducitur Lucæ 14. 26. illis ex verbis: *Si quis venit ad me, & non odit vxorem, non potest meus esse Discipulus.* Dixit *non odit vxorem*, odio scilicet copulæ carnalis, à fortiori votum fuit ab omni actu luxurioso non licito. De communi vita, quod est proprium religiosorum, quam degebant Apostoli cum cæteris fidelibus in primitiua Ecclesia, narratur in Act. Apostol. 2. 44. *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.* Ecce vita regularis religiosis tradita per Apostolos, de qua communitate Clemens Papa de visu, & experientia testatur relatus cap. *Dilectissimis* 2. 12. *quæstione* 1. Est sententia communissima Sanctorum, D. Thomæ 2. 2. *q.* 88. *articulo quarto ad tertium & quæstione* 188. *articulo* 7. *Pontij libro septimo, de imped. voti capite secundo, Tambur. tom.*1. *disputatione* 25. *quæstione* 1. *num.*38. alios citantium.

Si quis obiiceret, illa vota erant simplicia, & non solemnia, vnde quis potuisset validè tunc contrahere matrimonium, & inire validè etiam contractus, quia votum simplex, sicut facit solemne, non reddit vouentem incapacem dominij, & libertatis ad vxorem, ergo Apostoli propriè non fuerunt religiosi, quia eorum vota carebant solemnitate postmodum
28 inducta ab Ecclesia. Respondeo, status monachatus ante constitutionem Ecclesiæ, de qua cap. Vnico de voto in 6. consistebat in solis votis simplicibus sine solemnitate, postmodum adiuncta, ne deinceps auderent frangere vota Deo promissa.

Quæres 13. An Apostoli fuerint pauperes? Intelligi id potest respectu duplicis eorum status, nempe ante vocationem Christi, & post vocationem, quando à Christo electi fuerunt Apostoli?

29 ℞. Apostoli erant necessitate pauperes ante vocationem, pariter post voluerunt esse pauperiores ex voluntaria renuntiatione eorum omnium, quæ possidebant, ita quod in particulari, & vt personæ priuatæ nil habebant, vt verò Ministri Ecclesiæ habebant bona in communi, vt sibi, & aliis pauperibus in necessariis prouiderent, & sic proprietas, & dominium horum bonorum erat immediatè pœnes Ecclesiam militantem, & viuentem.

30 Primum de eorum paupertate ante vocationẽ probatur, quia ille dicitur esse pauper, qui proprio labore victum sibi quærit quotidianum, Rota *vol.*4. *decisione* 409. *coram Litta*; sed Apostoli ita viuebant ex suis laboribus, nam de Petro dicitur à D. Hieron. lib. 3. in Matth. cap. 19. *Cibos manu, & arte quærebat.* De Andrea eius fratre dicitur in Respons. 2. *Mox vt vocem Domini prædicantis audiuit beatus Andreas, relictis retibus, quorum vsu, actuque viuebat.* Ratio communis est, quia omnes erant piscatores ex q. 7. ac proinde ex suis laboribus viuebant, ergo erant pauperes, Crysologus de eorum paupertate agit serm. 28.

Secundum de eorum paupertate voluntaria post vocationem, patet ex præcedenti quæstione, quia fecerunt votum paupertatis, quod est abdicatio proprietatis, vnde in executionem huius voti præcepit eis Matth. 10. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via.* Sciebat enim Christus, quod si Apostoli affectum applicassent ad diuitias cumulando aurum, & argentum, officium prædicationis non potuissent rectè exercere, vt ergo essent alieni à rebus terrenis, quæ possent prædicationem impedire, prohibuit illis possessionem bonorum, quæ homines solent auertere à rebus spiritualibus, & à seruitute Dei.

Est ergo de fide, quod Apostoli reliquerunt omnia Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*, quæ alias sibi propria erant, quæcumque ea essent, siue pauca, siue magna; communis autem est Sanctorum Patrum traditio, non fuisse diuites, sed pauperes, cuius rei certum est argumentum subdita renuntiatio bonorum, qui enim sunt multum diuites, non ita facilè, vt Apostoli fecerunt, bona sua dereliquerunt, vnde ille iuuenis, qui Christum interrogauit, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? audita responsione his verbis: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Abiit tristis, erat enim habens multas possessiones.* Diuites ergo difficulter renuntiant suis bonis, quia illa nimium amant; Apostoli ergo libenter renuntiantes, censendi sunt magis pauperes, quam diuites fuisse, ac proinde illa paucula bona prompte reliquisse, & Christum secutos fuisse, vt ab eo tum corporaliter, tum spiritualiter alerentur. Siue ergo pauperes, siue diuites fuerunt, vocatio illorum fuit efficacissima, quæ etiamsi diuites, & superabundantes fuissent in diuitiis huius sæculi, potuisset suauiter eos disponere ad derelictionem bonorum, quia Spiritus Sanctus, vbi vult spirat, & nescis, vnde venit.

Tertium, quod vti personæ publicæ, & Ministri Ecclesiæ, habebant bona in communi, probatur ex allatis *cap.*1. *q.*40. *à num.*201. vbi respondi sufficienter obiectionibus.

Quæres decimoquarto. An Apostoli habuerunt vxores?

℞. Aliqui vxores habuerunt, vt legitur 1. Corinth. 31
cap. 9. 5. *Numquid non habemus potestatem, mulierem, sororem circunducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* De quo dicitur *Matth.* 8. 14. *Marci* 1. 30. quod Socrus Simonis, id est, mater vxoris Petri tenebatur magnis febribus, cuius filia dicebatur Petronilla cuius festum colitur 31. Maij, eius 32
mater vocabatur Perpetua, quæ pro Christo martyrium subiit secundum Clementem Alexandrinum, ad 33
quod Petrus illam his verbis: *Heus tu memento Domini*, fortiter animauit. Corpus Petronillæ requiescit in proprio Altari in Basilica Sancti Petri, quam Paulus V. erexit in eius honorem. Apostoli ergo circunducebant suas vxores non vt vxores amplectendo, sed vt sorores alerent de mercede prædicationis, inquit Leo Papa relatus *capite omninò* 11. *distinctione* 31. vbi refert ea verba protulisse D. Paulum, ergo fuit vxoratus contra Bellarminum *de Monachis capite* 34. asserentem vxorem non habuisse, & 34
probat 1. Corinth. 7. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic remaneant, sicut, & ego,* Et in Act. 7. 58. vocatur adolescens quod indicat, vxore caruisse. Hæ duæ auctoritates non vrgent, nam in prima Diuus Paulus comparatur cum viduis, factus & ipse viduus post Apostolatum, quia continuit ab vxore, ac si viduus esset morte vxoris. In secunda status adolescentiæ non opponitur statui vxoratus, cum quo potest esse; & Gauantus ex Oecumenio in calce sui Thesauri probat Saülum tenentem vestimenta lapidantium S. Stephanum fuisse tunc ætatis suæ triginta trium annorum.

Verum quidem est, quod effecti Apostoli, & 35
subsequenter religiosi cum voto castitatis, non amplius vxores suas cognouerunt carnaliter, sed continuò cum illis seruauerunt continentiam salutarem

quod

quod colligitur ex Euangelio Lucæ 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit vxorem suam, & filios non potest meus esse Discipulus.* Apostoli autem venerunt ad Christum, & eius fuerunt veri Discipuli, ergo oderunt vxores,& filios,id est, non cognouerunt eas, neque proinde ex illis deinceps filios genuerunt, fuit ergo in illis odium copulæ carnalis, non inimicitiæ, aut vindictæ. Baronius ad annum Christi 64. probat, Petronillam non fuisse filiam legitimam, & naturalem, sed tantum spiritualem; tùm quia Petrus ante Apostolatum caruit hoc nomine illi indito à Christo; occurritur dicendo hoc nomine vocatam fuisse in regeneratione. Tum quia non est verisimile Flaccum nobilem Romanum velle ducere ignobilem puellam filiam piscatoris in vxorem, ergo non erat filia naturalis Petri sed potius alicuius nobilis Romani nomine petronij, à quo Petronilla. Sed hæc ratio tollitur dicendo,non esse nouum nec indignum nobilis ducere in vxores ignobiles, vt eas suâ nobilitate illustrent. Vide F. Franciscum Biuarium ad Cronicon Flauij Dextri anno 34. comment.4.

Quæres 15. An Apostoli mendicauerint quærendo Eleemosynas?

36 Respondetur. Affirmatiue. Probatur de fide, Lucæ 10. 7. *In eadem autem domo manete edentes, & bibentes,quæ apud illos sunt.* Et seq. num.8. Manducate quæ apponuntur vobis. Act. 4. 18. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Concurrebant ergo omnes fideles ad faciendum Eleemosynas Apostolis, qui ex illis viuebant cum eisdem offerentibus. Ratio est, quia cum illis à Christo fuisset prohibita possessio auri, & argenti, fuit illis necessaria mendicitas,& receptio Eleemosynarum oblatarum.

Hæretici conantur impugnare, quæ asseruimus de Paupertate, Religiositate, & Mendicitate Apostolorum probantes multis supradicta à nobis esse falsa.

37 Primò, quia Christus non erat pauper, sed diues, quia Dominus totius orbis, siquidem in Psal.2. 8.dicitur: *Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* & in Psal. 8. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Item Psalm. 71. 8. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Item Psalm. 15. 2. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quare ex his cum Christus diues fuerit, infertur etiam Discipulos fuisse diuites, Christum enim imitati sunt, sufficiebat ergo illis, si diuites fuerunt sic ille,non enim est Discipulus supra magistrum.

38 Respondetur, reuera Christum fuisse diuitem, & Dominum totius orbis terrarum cum omnibus bonis in eo contentis, erat enim filius naturalis Dei ex vnione hypostatica, ideò illi debetur dominium omnium rerum, & imperatoria potestas; est enim omnium Theologorum sententia de fide tenenda, Christum esse naturalem Dei Filium, non adopti-
39 uum, ex D Thoma *par.3.quæst.23.art.4.* Scoto *in 3. dist.10.q.1.* Id autem non aduersatur supra stabilitis de paupertate Apostolorum, quia sicut Christus fuit ex se diues, voluntariè tamen elegit paupertatem, ita & eius Discipuli, esto alias fuissent diuites, quod negamus, voluntariè se pauperes fecerunt, relictis omnibus, secuti sunt pauperes Christum pauperem. Christus autem de sua paupertate voluntaria testantur multis in locis, Ierem. 12. 17. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* In Psalm. 24. 16. Item 39. 18.Item 68. 30. Item 69. 60. Item 85. 1. Item 108. 22. dicitur pauper, inops, & egenus à iuuentute sua. Christus ergo secundum generationem, & suitatem diues, & locuples fuit, quem Pater constituit hæredem vniuersorum, Hebr.1. 2. Secundum vero voluntatem fuit pauper, quia elegit ita viuere, vt ad hoc genus viuendi suo exemplo perduceret Apostolos. Adde, quod Christus spectari potest duobus modis, vno modo vt talis persona, &
sic voluntarie à se proprietatem bonorum abdicauit, 40
altero vt Caput, Prælatus, & Pastor Ecclesiæ, & sic habuit cum sua Ecclesia in Discipulis dominium eorum, quæ necessaria erant ad constructionem, fundationem, conseruationem, & propagationem Ecclesiæ, Beda lib. 4. cap. 54. in capite 12. Lucæ: *Cum & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuens.* Responderi etiam potest, allatas auctoritates ab hæreticis, intelligendas reuera de dominio iurisdictionis, non proprietatis, potest enim quis habere potestatem iurisdictionis, & esse pauper voluntarius, vt id certum est in Prælatis regularibus, qui ex voto pauperes sunt, diuites vero in potestate imperandi suis subditis.

Secundò dicunt, quod Petrus habebat domum, Matth.8. 14. Item legitur Matth. 9. 10. Matthæum pariter habuisse domum, in qua Christus cum suis Discipulis manducauit, & sedebat ad telanium, quod arguit,eum fuisse diuitem,Bartholomæus erat nobilis, ergo diues.

Respondetur primò ex habitatione non arguitur 41
dominium domus in habitante, quia etiam conductor dicitur habitare, sed non habere proprietatem domus. Secundò, esto domus proprietatem haberent ante vocationem, postmodum vero per voluntariam derelictionem dominij dicebantur carere illa, remanente tantum vsu apud ipsos, proprietate redacta sub dominio Collegij Apostolici. Non valet arguere: Est nobilis, ergo diues. Experientia enim constat, multos nobiles redactos fuisse ad inopiam præterquam quod Equites Maltenses omnes sunt nobiles,& tamen professione sunt pauperes,proprietate, & dominio.

Tertiò, Petrus cum nonnullis aliis habebant vxo- 42
res, ergo non erant religiosi, isti enim duo status simul stare non possunt. Immò non solum ab initio mundi fuit vniuersale præceptum coniugij Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, renouatum post diluuium ore ipsius Dei,sed etiam in primitiua Ecclesia ad euitandum fornicationem confirmatum fuit à Christo 1.Corinth,7.2. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* Non solum sæculares, sed etiam clerici, Sacerdotes, & Episcopi, ad Timoth. Epist.1.cap.3.dicuntur vnius vxoris viri,& *can.6. Apostol.* prohibetur Episcopis, & Præsbyteris, ne prætextu religionis abiiciant suas vxores. Vnde Paulus 1.ad Timoth.4.scribens dicit,quod in nouissimis temporibus,quidam discedent à fide prohibentes nubere, quare Ecclesia prohibens nuptias clericis,& religiosis à fide discedit. Colligitur ex his non esse verisimile, Apostolos abstinuisse à suis vxoribus,ne aduersarentur diuinis præceptis de matrimonio.

Respondetur, status matrimonij non est impos- 43
sibilis cum statu religionis, vnde coniugati de mutuo consensu valide ambo profiteri possunt religionem, vt patet ex tit. de conuers. coniugat. deinceps se abstinentes à coniugali copula, quæ præcisè non compatitur in eodem illos duos status castitatis, & vsus copulæ: constat autem ex præcedentibus, Apostolos post professionem abstinuisse ab vxoribus, quas circunducebant vti sorores, non vt vxores, quas neque repudiarunt, sed aluerunt tanquam sorores. Ad illud: *Crescite, & multiplicamini,*

44 dico, neminem in particulari cogere, quia præceptum conseruatiuum speciei humanæ, ad cuius obseruationem sufficit, quod alqui ducant vxores, ita quod nullus in singulari cogitur. In tantum præterea hoc præceptum obligat, in quantum terra est vacua, ibi. *Replete terram.* Terra autem semper est repleta hominibus, non vrget ergo præceptum. Ad illud Apostoli dico, non omnes exhortari ad matrimonium ad fugiendam fornicationem, sed tantum laicos, & nondum in sacris constitutos, sicut enim istis licet coniugium, ita ad illud exhortari possunt, exhortatio enim pro obiecto habet aliquid bonum, & non prohibitum. Ad alterum de viro vnius vxoris respondeo, ibi decerni quod laici vxorati non omnes, sed tantũ, qui cum vnica, & virgine contraxerunt matrimonium, siue viuente, siue defunctâ; possint promoueri ad ordines, modo à copula abstineant, *cap. omnino* 11. *cap. Lex* 10 *cap. Tenere* 4. *cap. Sacerdotibus* 2. *dist.* 31.

45 Prohibetur ergo promoueri bigamus, Bellarminus *de clericis cap.* 23. Græci Præsbyteri non abstinent à suis vxoribus, sicut Latini, quorum vxores ingrediuntur monasterium nostris temporibus, *cap. Aliter* 14 *dist.* 31. vnde Græci canonem Apostolorum fuerunt interpretati, quod vxores non sunt abiiciendæ quoad copulam, & alimenta; Romani, quod nonsunt abiiciendæ nisi quoad copulam, in reliquo habendæ vt sorores. Demum ex his patet, præceptum continentiæ in clericis, & religiosis non prohibere nuptias, de quibus loquitur Apostolus, quia nullum est præceptum de continentia, nisi post voluntariam subiectionem, vnde nullum est præceptum contra nuptias, sed tantum præscribit Ecclesia volentibus ascendere ad ordines, quod eorum relinquitur arbitrio, his statibus adiunctam esse continentiam, consequenter ante receptum statum ordinis, aut religionis, ad quem non coguntur, posse nubere, & sic illis nullatenus prohibentur nuptiæ, sed voluntariè ab illis se abstinens.

46 Quartò, in sacris litteris mendicitas, & paupertas prohibetur, & detestatur, & est causa peccati, Deut. 15. 4. *Et omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.* Eccli. 27. 1. *Propter inopiam multi deliquerunt.* Vnde in Psal. 108. 10. *Nutantes transferantur filij eius, & mendicent.* In pœnam mendicitas illis data fuit. Mendicitas ergo non est bona, ideo nec Christus illam exercuit, nec suis Discipulis illam consuluit.

47 ℞. Paupertas, & mendicitas duplex est, vna necessitatis, qua quis destituitur bonis fortunæ contra suam voluntatem, de qua sermo est in præallegatis auctoritatibus; altera voluntatis, qua quis à se sponte abdicat bona, & hæc apud omnes Catholicos laudatur, & commendatur, de qua Christus Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu,* id est, voluntate, *quoniam ipsorum est regnum Dei.* Hanc secundam Christus cum Apostolis professus fuit. Adde, quod prior auctoritas intelligitur hoc modo: *Mendicus non erit in nobis,* id est, Pauperibus benefacietis, itavt apud vos non esuriant, nec patiantur. Seu. Ita apud vos abundantia erit, quod nullus erit pauper. Vide Bellarminum de Monach. cap. 46.

Quintò, religiosi mendicantes ex sua paupertate voluntaria damnum inferunt pauperibus ex necessitate, quibus subueniendum est, non religiosis, Christus enim Lucæ 14. 13 decernit: *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris.* Eleemosyna ergo danda est pauperibus, non quibuscumque, sed debilibus, claudis, & cæcis, qui tales sunt necessitate, & non religiosis sola voluntate pauperibus.

48 Respondetur, mendicitatem religiosorum nullum inferre damnum pauperibus, quia vtrisque Deus prouidet piis fidelium largitionibus iuxta conditionem, & statum singulorum. Ad locum Scripturæ dico Christum præcepisse Eleemosynam vtrisque pauperibus ex voluntate, & necessitate, nam sub nomine pauperum veniunt religiosi tales ex voluntate, sub aliis verò vocibus veniunt pauperes ex necessitate; sumuntur enim illæ voces diuersimode, vt apparet *ex cap.* 14 *num.* 21. vbi repetuntur: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Nihil ergo valet commentum hæreticorum. Copulatiua enim ex sua natura ponitur inter diuersa, Alex. *vol.* 5. *consil.* 168 *n.* 10. *Paris. vol.* 1. *consil.* 39. *num.* 21. *Gozadinus consil.* 33. *n.* 17. & alij communiter.

Sextò, data religiosorum voluntaria paupertate adhuc non debent mendicare, cum sit quid sordidum, & vile indecens statum religiosum, vnde Paulus 1. Corinth. 4. 12. præcepit pauperibus Discipulis, vt manibus operarentur. Idem Ephes. 4. 28. dicitur, & ipse laborabat scenofactoria arte *Act.* 18. 3. Petrus post resurrectionem Christi ad piscationem rediit, vt sibi victum quæreret, inquit Gregorius Papa *homil.* 24. de qua piscatione testatur Ioannes *c.* 21. *à n.* 3. Apostoli ergo non mendicabant. 49

Respondeo, falsum esse, mendicare esse actum sordidum, & vilem, quia Christus mendicus fuit, Psal. 39. 18. *Ego mendicus sum, & pauper.* Hunc actum nobiles putant heroïcum, & laude dignum, dum quandoque Eleemosynam quærunt pro pauperibus tùm laicis, tum religiosis, tum monialibus, tùm pro construendis Ecclesiis. Nec exemplum Apostolorum, qui suis manibus laborabant, conuincit, actum mendicandi esse vilem, & non esse mendicandum, quia vtrumque fieri potest, & vnum non destruit alterum, quod præstiterunt Apostoli, modo laborando, ne grauarent benefactores, modo mendicando sibi victum, provt opportunitas temporis dictabat.

Septimò, Ioannes Vigleph art. 20. dicit. *Conferens Eleemosynam Fratribus est excommunicatus.* Et ex hoc artic. 24. subiungit: *Fratres tenentur per labores victum quærere, & non per mendicitatem.* Quod probatur per August. *de opere Monach. cap.* 17. asserentem, religiosos teneri laborare, nec excusari per occupationem in exercitiis spiritualibus. 50

Respondetur, impium Vigleph, quia religiosi eius errores refellebant, putasse vindictam de illis reportare, irrationabiliter asserendo, illos esse excommunicatos, qui Fratribus Eleemosynam porrigerent, hac impietate conabatur auertere fideles à bonis operibus, sed ipsum fefellit insana eius mens. Vellem ab ipso scire, in quo iuris codice, & Bulla Pontificia inuenit huiusmodi pœnam; seu à quo iudice huiusmodi pœna vnquam inflicta fuit contra facientes Eleemosynam. Quod subdit, Fratres teneri suis manibus laborare ex D. Augustino, verum est, si Regula præcipiat hoc, præterquamquod labor, & mendicitas se compatiuntur; nostris temporibus labor religiosorum sunt orationes in choro, & prædicationes cum administratione Sacramentorum.

Octauo de medio tollunt votum obedientiæ, quia inficit liberum arbitrium, quod magnum, inquiunt, esse absurdum, quia voto hoc posito, quicquid agit religiosus ex necessitate operatur, cum agat iuxta voluntatem alienam contra propriam; consequenter in hoc statu homo non poterit mereri, neque demereri, ex quo etiam non dicetur esse constitutus in statu perfectionis, opera enim tam mala, quam bona, vt demeritoria, vel meritoria sint, voluntarie facienda sunt secundum omnes Theologos ex illo Psal. 53. 8. *Voluntariè sacrificabo tibi.* Et peccatum non est, nisi fundetur in radice liberi arbitrij ex communi Doctrina cum S. Augustino *cap.* 14. *de vera relig.* Sequitur ergo ex his Apostolos, & quoslibet religiosos non posse peccare, neque benefacere, quia per actum 51

obedientiæ

obedientiæ habent ligatum liberum arbitrium, & quicquid agant, aliena voluntate, non propria operantur.

Respondetur, omnino falsum esse per votum obedientiæ tolli liberum arbitrium, experientiâ enim manifestum est, hominem post votum habere voluntatem adhuc liberam agendi, vel non agendi omne illud, quod ante votum facere, vel non facere poterat, in eo vero solum est differentia, quod religiosus post votum, omnia operatur dependenter à voluntate superioris, quod tamen non tollit à religioso libertatem, quia dependentia hæc supponit indifferentiam, vt indeterminationem in voluntate subditi ad agendum, & à nullo alio determinatur, nisi à propria voluntate, quæ vult operari iuxta obligationem, quam sibi voluntariè imposuit; vel etiam facere contra votum resistendo superioris præcepto, ex quo magis apparet libertas in nullo læsa. Et sicut hæretici non dicuntur proprium lædere arbitrium, quando aliis se obligant siue spiritualiter, siue corporaliter, ita neque religiosi promittentes obedientiam suo superiori. Remanet ergo religiosus liber tam libertate contradictionis, seu quoad exercitium actus, vt volo legere, non volo legere quam contrarietatis, seu quoad speciem actus, vt si exduobus vnum eligo.

52 Nonò, si Apostoli fuerunt religiosi promissione trium votorum, sequitur Christum pariter eisdem votis se constrinxisse, de qua re non constat, neque id facere potuit, quia votum obedientiæ, & subiectionis nulli facere poterat, quia indecens erat, quod Christus obediret alicui inferiori se. Sequela probatur, quia quicquid perfectionis Chistus alios docuit, prius ipse in exemplum opere perfecit, vt dicitur. Act 1. *Quæ capit Iesus facere, & docere.* Si ergo Christus non fecit se religiosum, nec discipulis suis, ea persuasit.

Respondetur, Christum fuisse verè religiosum, & caput omnium aliorum, quibus præbuit exemplum, & ostenditur, nam de eius paupertate voluntaria patet supra in resp. ad 6. De voto Castitatis, seu Virginitatis, quam Deo obtulit, non est dubitandum. De voto obedientiæ Patri constat de fide pluribus in locis Matth. 26. 42. *Fiat voluntas tua* Ioan. 4. 34. *Vt faciam voluntatem eius.* Ad Philip. 2. 8. *Factus obediens vsque ad mortem.* Et bene vsque ad mortem, quia professio emittitur cum limitatione vsque ad mortem, quia vltra non est religio. Ad Hebræos 5. 8. *Didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam.* Christus ergo fuit verus religiosus, & omnium religiosorum pater, caput, & Prælatus, nulli subiectus, sed soli Patri, cui obedientiam promisit.

Quæres 16. An Apostoli carnem manducauerint.

53 ℞. Neutrum in Sacra Scriptura legitur, deduci tamen potest, quod aliquando carnem manducabant, Suadetur, *Tum quia*, non habebant prohibitionem. *Tum quia* non constat, abstinentiam à Carnibus fuisse à Christo in consilium datam, cum non legatur in Euangeliis. *Tum quia*, Christus cum discipulis suis singulis annis manducabat Agnum Paschalem iuxta ritum Mosaicum. *Tum quia*, licet Paulus *Roman.* 14. 21. dicat, quod bonum est, non manducare carnem, non hinc tamen infertur, esse Christi consilium; præterquam, quod ibi non datur consilium, sed indicitur abstinentia à carne ex necessitate ad euitandum scandalum, vt explicatur 1. Corinth. 8. 13. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Tum quia dicitur Lucæ 10. 7. *Edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt*, Et sub num. 8. *Manducate, quæ apponuntur vobis.* Ergo manducate carnes, si vobis appositæ fuerint. Nec valet responsio quorundam dicentium, Christum in illis locis, locutum fuisse tantum cum septuaginta duobus, quia omnes etiam Apostolos instruebat de modo tenendi in prædicationibus, vt colligitur ex aliis Euangelistis, regulam dabat omnibus prædicaturis Apostolis, & Discipulis communem. Tum quia *in Canone* 44. *Apostolico* deponitur ille Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui diebus festis se abstinet à carnibus, & vino, ergo & ipsi Apostoli carnes manducabant, legislator enim Euangelicus primo faciebat, & postea docebat, non enim est credibile, quod Apostoli hanc legem fecerint, & non obseruauerint, quia hunc canonem condiderunt ad extirpandam hæresim quandam, & postea ipsi carnem non manducarent, quod fuisset signum approbatiuum illius hæresis.

De hac quæstione fusè Vicentius Cosentinus ex ordine Minimorum in suo erudito opere *Crux omnium Religionum* tract. 6. per totum multis rationibus, & auctoritatibus conatur persuadere, nullum ex Apostolis carnes manducasse nec ante, nec post vocationem. Ex dictis à nobis responderi potest eius rationibus, seu potius coniecturis.

Quæres 17. An Apostoli peccauerint ante, & post vocationem ad Apostolatum?

℞. Affirmatiuè, quia Christus dixit Matth. 9. 13. *Non veni vocare iustos sed peccatores.* Christus autem vocauit ad se Apostolos Marci 3. 13. *Et ascendens in montem vocauit ad se, quos voluit ipse*, Lucæ 6. 13. *Et cum dies factus esset vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis.* Et licet hæc sit secunda vocatio, quæ vocatur electiua, nam ex multis præstantiores elegit. Ad Apostolatum, supponit tamen primum qua vti peccatores vocatione emundauit à suis delictis in seculo commissis. Confirmatur, quia erant homines sicut cæteri, vnde Petrus Christum negauit, & cum aliis fugit, & post resurrectionem erant increduli. 54

Quæres 18. Numquid post Resurrectionem confirmati fuerunt in gratia?

℞. Affirmatiuè, ita quod ampliùs non peccarunt saltem mortaliter, inquit Viguerius de lege antiqua *cap.* 15. *Vers.* 14. *col.* 4. in die Pentecostes, quod colligitur tum ex Psal. 74. 4. *Ego cōfirmaui columnas eius.* Columnæ Ecclesiam sustentantes fuerunt Apostoli, quos Christus confirmauit, ne declinarent modo ad vnum, modo ad alterum peccatum Clarius Lucæ cap. fin. 49. *Vos autem sedete in ciuiate quoadvsque induamini virtute ex alto.* Quod intelligitur de indusione Spiritus sancti, quem abunde susceperunt in die Pentecostes, & sic in gratia confirmati fuerunt, ne amplius peccarent, per superuenientem abundantem Spiritum sanctum profusum in eorum cordibus, decebat enim, vt illi, qui cæteros ad fidem venientes erant sanctificaturi, sancti in conspectu Ecclesiæ perseuerarent sine peccatis. Melius ad Roman. cap. 8. 35. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi*? Et infrà. *Certus sum enim quia neque mors, neque vita &c poterit nos separare à charitate Dei.* Paulus loquitur de se, & cæteris Apostolis, quibus contulit talem gratiam, à qua non poterant excidere. 55

Quæres 19. An omnes Apostoli in passione Christum dereliquerint?

℞. Omnes quidem fugerunt, vt de fide credendum est Matth. 25: 56. *Tunc discipuli omnes, eo relicto, fugerunt.* Nullus tamen eorum peccauit per fugam, quia à Christo licentiati fuerunt, Ioan. 18. 8. *Sinite hos abire.* Fugerunt, ne eum negarent, inquit Petrus Chrysol. serm. 133. de S. Andrea, ibi: *Fugit ne negaret.* Fuga illa ordinabatur ad conseruationem propriæ vitæ, quam nemo tenetur pro alio ponere, licet magna sit charitas. Neque tenebantur Christum defendere, quia tunc moriturus erat, vnde futu- 56

ram mortem aliquando reuelauit Apostolis præsertim Petro illum exhortante ad eam euitandam, quem ipse Christus increpauit, vocando Satan *Matth.* 16. 23. volebat enim Petrus, vt in hoc declinaret voluntatem Dei per fugam mortis.

Quæres 20. An Apostoli fugientes in Passione Christi, vel ipsum negantes, seu credentes in eius resurrectionem fidem perdiderint? De Petro, qui Christum negauit, dicam suo loco, vbi de Petro Pastore Ecclesiæ, & cum nullus præter Petrum negauerit Christum, difficultas consistit in fuga, & incredulitate resurrectionis.

57 ℟. Primò circa fugam, constare ex mox dictis, illos non peccasse, quia non tenebantur defendere magistrum, qui illos licentiauit à sua defensione, & subiectione in causa mortis.

58 Respondeo secundo, non solum ex discipulis, sed etiam ex Apostolis nonnulli fuerunt circa Resurrectionem Christi, res est clara ex pluribus locis Sacræ Scripturæ referendis; Matth. cap. fin. 16. *Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.* Marci cap. fin. *Et illi audientes, quia viueret, & visus esset ab ea,* Id est à Maria Magdalena, *non crediderunt.* Et sequenti num. 12. & 13. subdit textus. *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam, & illi euntes nuntiauerunt cæteris, nec illi crediderunt.* Et sequenti num. 14. subiungitur: *Nouissime recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant, eum resurrexisse non crediderunt* Lucæ eod. cap. fin. num. 11. *Et visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista, & non crediderunt illis.* Christus autem redarguens incredulitatem illorum duorum discipulorum, quorum vnus vocatur Cleophas *cap.* 24. 18. *Lucæ*, alter secundum S. Ambrosium vocatur Almeon, quem Leandulphus asserit filium Rufi, ait num. 25. *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt Prophetæ.* Et paulo inferius sub num. 38. dixit vndecim congregatis: *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra, videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut videtis me habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes, adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus, præ gaudio dixit: habetis hic aliquid, quod manducetur.* Ex his locis apertè deducitur incredulitas Apostolorum, & Discipulorum, hæc veritas occultari, nec tergiuersari potest.

Difficultas est, an omnes fuerint increduli præsertim vndecim Apostoli? Id ex supradictis Scripturis colligi non potest, licet enim direxerit suam increpationem ad vndecim, non tamen sequitur, quod omnes fuerint increduli, quia increpatio, & reprehensio tangit tantum eos, qui dubitarunt, licet dirigatur ad omnes concomitanter ratione societatis, cum enim Concionator reprehendit aliquod vitium dirigit quidem suam prædicationem ad omnes, quia omnibus prædicat verbum Dei, non ideò tamen omnes increpat, sed tantum laborantes eo vitio, sic Christus omnibus suam Resurrectionem persuadebat, solum vero incredulos redarguit. Et qu[illegible] non omnes Apostoli fuerint increduli dixit textus allatus sub Matth. cap. fin. 16. *Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.* Loquitur de vndecim, quorum maior pars credidit eo, quod illum adorauerunt, & ex hoc confessi sunt eius Resurrectionem, actus enim adorationis eam insinuant, eum enim non adorassent, si non credidissent resurrexisse. Qui autem fuerint creduli ignoratur, tamen dici potest eos fuisse Petrum Ioannem, qui de seipso dicit 20. 8. *Ioannes vidit, & credidit,* Andream, & alios, quibus Deus plura mysteria reuelauerat ante suam mortem,

Respondeo tertio, per incredulitatem fidem non perdidisse, quia aliud est, incredulitas, aliud infidelitas, ideò Christus illos nunquam vocat infideles, sed tantum, incredulos, Thomam verò, qui pertinax fuit postquam sciuit articulum Resurrectionis Christus increpauit, & vocauit infidelem, quo defectu alios nunquam notauit. Præterea Ioan. 20. 9. dicitur: *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat, eum à mortuis resurgere.* Huic tamen textui videntur repugnare alij plures *Matth* 16. 21. *cap.* 17. 22. *cap.* 20. 19. In quibus locis expresè omnibus Apostolis Christus manifestè euangelizat post suam mortem Resurrectionem, ergo illam non poterant ignorare. Interpretes concordant dicentes, Christum ante suam mortem reuelasse quidem mysterium Resurrectionis suæ non omnibus modis, sed tantum quoad substantiam, non vero quoad modum, quo resurrexit in carne impassibili cum cæteris dotibus, secundum ergo Ioannem loco citato nondum sciebant oportere eum resurgere his modis. Vel dic forsan melius, Christum narrasse Discipulis suis mortem suam, & resurrectionem suam; sed textus *Lucæ* 18. 34. subdit: *Et ipsi nihil horum intellexerunt.* Ignota ergo erat illis adhuc Resurrectio, ergo eorum incredulitas vitio infidelitatis carpenda non est. Et ex his tolluntur obiurgationes hæreticorum, qui dicunt Apostolos in his grauiter errasse. Vide Bellarminum *lib.* 3. *de Eccles. milit. cap. fin.* vbi respondet hæreticis, quia nondum erat fundata Ecclesia nostra, quæ cæpit in die Pentecostes. 59

Quæres 21. An Christus omnia Sacramenta contulerit suis Apostolis? Pro responsione suppono duo, primum Sacramenta esse septem à Christo Domino instituta de fide definitum *sess.* 7. *can.* 1. quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Ordo, & Matrimonium Secundum, in Sacramentis duo spectari, Institutionem, & eorum Collationem, hæc illam supponit, prius enim est, aliquid esse, deinde eius vsus, & operatio, quia secundum Philosophum, prius est esse rei, quam eius operari, consequenter Christus primo Sacramenta instituit, deinde illa contulit Apostolis. Pro singulis autem Sacramentis singulares instituas quæstiones, sit ergo in ordine.

Quæstio 22. An Christus baptizauerit Apostolos; 60
Instituit autem Christus hoc Sacramentum ipso die, quo fuit baptizatus à Ioanne in Iordane. Ita Magister *sent. in* 4. *dist.* 3. ibi D. Thomas *& part.* 3. *quæst.* 66. *art.* 2. Scotus *ibidem quæst.* 4. Suarez, *disp.* 19. *sect.* 2. §. *Communior.* Et totum illud tunc instituit quoad materiam, & formam, ex eo id constat, quia cum eo Apostoli cæperunt baptizare, Lucæ 3. 22. *Factum autem est cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato.* Ioann. 3. 22. & 4. 1. Ergo tunc totum institutum fuit. Prius autem voluit baptizari, & postea prædicare, fuit autem baptizatus à Ioanne in aquis Iordani, Matth. 3. 14. Marci 1. 9. Lucæ 3. 21. die 6. Ianuarij Epiphania Domini ex traditione Ecclesiæ, quæ hac die canit: *Hodie in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit, vt saluaret nos.* Cæperat autem Iesus introire in annum trigesimum suæ ætatis, vt dicitur Lucæ 3. 23. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Illius anni dies tredecim ab eius natiuitate, eo autem anno currebat litera Dominicalis A, secundum Lucidum, ideo baptizatus fuit die veneris, sed secundum me currebat G, ideo baptizatus die Sabbati; & statim post baptismum secessit in desertum, vbi ieiunauit Matth. 4. 1. Lucæ 4. 1. Marci 1. 12. Hæc satis de institutione.

℟. Omnes Apostoli baptizati sunt ante passionem, imò paulò post ipsius Christi baptismum, aut ad plus post ieiunium quadraginta dierum. Petrus autem solus à Christo baptizatus fuit, reliqui à Petro, & ab aliis, & Apostoli iam baptizati de mandato Domini aliis

aliis Baptismum contulerunt eo præsente.

Primum, quod Apostoli fuerint baptizati, de fide colligitur 1. Corinth. 12. 13. *Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles.* Id est in corpore Christi, cuius membra fiunt homines per receptionem Baptismi. Confirmatur, quia Lucæ 3. 21. dicitur, quod omnes baptizabantur: *Factum autem est, cum baptizaretur omnis populus*; ergo à fortiori omnes Apostoli, qui alios debebant baptizare, incongruum enim fuisset, quod illi non baptizati alios baptizarent. Hoc testatur D. August. relatus *cap. quando* 147. & *cap. Si eos* 148. *dist.* 4. *de consecr.*

Secundū, quod Petrus solus à Christo, alij ab aliis, à Petro Andreas, Iacobus, & Ioannes fuerint baptizati, affirmat Euodius Episcopus successor Petri in Ecclesia Antiochena, referentibus Euthimio *in cap.* 3. Ioan. Nicephoro, *lib.* 2. *cap.* 3. Bellarmino *lib.* 1. *de Pontifice cap.* 23. *Auersa de Sacram. quæst.* 66. *quæst.* 1. *de Baptismo.* Et id, quod Petrus solus à Christo baptizaretur conueniens fuit, quia futurus erat Pastor totius gregis, ergo dignus erat hac speciali prærogatiua, vt à Christo baptizaretur.

Dices, Apostoli non indigebant Baptismo, per quod deletur peccatum originale, quo iam liberati fuerant per Circuncisionem, remedium tunc temporis contra peccatum oginale, quod tollebat, sed non aperiebat Paradisum, vt modo facit Baptismus, de Circumcisione remittente peccatum originale Theologi cum D. Thoma *part.* 3. *quæst.* 70. *art.* 4. Scoto *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 6. Bonauentura *quæst.* 3. *Aquilano quæstione* 4.

61 Respondetur primò esto in illis deletum esset originale, erant baptizandi, vt adimplerent legem nouam Christi Ioann. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Item num. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Neque enim à peccato originali emundati poterant sine Baptismo intrare in Paradisum. *Secundò* per Baptismum quis fit membrum Ecclesiæ, vt saluus fiat, quia extra Ecclesiam non est salus. *Tertiò.* Baptismus deleuit in illis peccata actualia. *Quartò* loquendo de Beata Virgine, dicunt aliqui fuisse priuilegiatam, quia in Conceptione sua præseruata fuit à peccato originali, vnde ex hoc capite indiguit baptismate. Sed esto ponamus eam baptizatam à Christo, vel à S. Petro, non obstat immunitas Immaculatæ Conceptionis, tum quia Christus voluit baptizari, qui sine vllo peccato originali, & actuali fuit, tum quia Baptismus, vt dixi, constituit baptizatum membrum Ecclesiæ, & aperit Paradisum omnibui baptizatis, qui illo sunt digni.

Quæres 23. An Christus contulerit Apostolis Sacramentum confirmationis, & quando? Hoc Sacramentum institutum fuit à Christo Domino, vt colligitur Ioan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Hæc verba insinuant hoc Sacramentum, quod imprimit caracterem, ideo dicitur manere in æternum, quod Apostolis promissum à Christo ante suam passionem datum fuit eis in die Pentecostes Act. 2. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cæperunt loqui.* Quod nomine Paracliti, seu Spiritus sancti veniat Sacramentum Confirmationis cum sua gratia, colligitur ex Act. 8. 15. *Miserunt ad eos.* 1. Samaritanos, *Petrum, & Ioannem, qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu, tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Certum est, quod baptizati recipiunt Spiritum, *nisi quis ex aqua, & Spiritu sancto renatus fuerit, &c.* Quo nomine vocatur gratia huius Sacramenti, & tamen hic dicitur, quod Spiritus sanctus nondum venerat in Samaritanos, quamuis essent iam baptizati, ideo hic nomine Spiritus sancti venit gratia Sacramentalis Confirmationis. Et ita docent omnes Catholici cum Diuo Thoma *part.* 3. *quæst.* 72. *art.* 1. Scoto *in* 4. *distinctione* 7. *quæst.* 2.

℞. Christum per missionem Spiritus sancti in die Pentecostes Confirmationis Sacramentum contulisse suis Discipulis, vt per ipsum confirmarentur, corroborarentur in prædicatione Euangelij, & confessione fidei. Hæc omia patent supra. 62

Nota vnum, de fide definiri in Tridentino sess. 7. Can. 3. *Sancta Confirmationis ordinarium Ministrum esse solum Episcopum.* Et id colligitur ex citata auctoritate Act. Vbi ad confirmandos Samaritanos, qui iam Baptismum receperant, ierunt Petrus, & Ioannes Apostoli, & Episcopi. Confirmationis igitur datio est actus ordinis Episcopalis, qui nec à Sacerdote simplici, nec abbate dari potest, nisi ex priuilegio Pontificio. Ita omnes, quos magno numero citat Barbosa sess. septima, de Confirmatione. 63

Quæres 24. An Christus omnes Apostolos communicauerit sub vtraque specie? Sacramentum Eucharistiæ Christus instituit in vltima Cæna, die Iouis immediatè ante suam passionem, de quo singuli Euangelistæ & Tridentinum *sess.* 13. *capite primo.*

℞. Omnes Apostoli sacram communionem sub vtraque specie à Christo receperunt in ea vltima cæna, Matth. 26t 26. *Deditque discipulis suis, & ait: accipite, & manducate. Bibite ex hoc omnes.* Marci 14. 24. *Et biberunt ex illo omnes.* Idem *Luca* 22. 19. Omnes ergo communicauit sub vtraque specie etiam Iudam, *cap. Aduersitas* 48. §. *Hoc tunc, in fine*, 7. *quæstione* 1. Licet enim Christus sciret, Iudam esse indignum, nihilominus noluit illum præterire, ne manifestaret futuram proditionem omnibus occultam. Sacram hanc refectionem sedentes receperunt, non genuflexi, quia tunc Christo Sacramentaliter spectato non debebatur maior cultus, quam considerato, vt se illis corporaliter exibebat, Bellarmin. *de Eucharist. cap.* 30. Prædicta sunt de fide quoad communionem sub vtraque specie. Vide Suarez *ad quæstione* 73. *partis* 3. *disputat.* 41. *sect.* 3. Vbi idem probat de Iuda contra nonnullos asserentes Iudam non interfuisse Cænæ institutionis huius Sacramenti, præcedenti sectione secunda, distinxit duas, aut tres Cænas, Vnam legalem Agni, alteram institutionis huius Sacramenti, & tertiam vsualem. 64 65

Quære 25. An Apostolos Christus aliquando Sacramentaliter absoluerit? vel, an id inter seipsos fecerint, & cum aliis?

Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino post Resurrectionem suam instituit, vt decernitur in Tridentino capite primo, sess. 14. his verbis, *Porrò nec ante Aduentum Christi Pænitentia erat Sacramentum, nec est post Aduentum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentum Pænitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflauit in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20. 23. Et in can. 3. eiusdem Sessionis definitur de fide, verba illa: *Accipite Spiritum sanctum*, esse intelligenda de potestate dimitmittendi peccata, & illa retinendi in Sacramento Pœnitentiæ. Et in hoc nullus sanæ mentis dubitat. 66

℞. Non

67 ℞. Non legitur, Apostolos aliquando fuisse confessos sacramentaliter sua peccata, vt modò fit, vnde verisimile est, quod non omnes hoc Sacramentum receperint. *Tum quia*, id constat, illud non recepisse ante Resurrectionem, quia nondum erat institutum, si quod habuerunt peccatum per Pœnitentiam contritionis illud deleuerunt, *Tum quia*, non credendo Resurrectionem non videntur peccasse, quia hoc mysterium illis adhuc erat ignotum, vt dixi q. 20. *Tum quia*, solus Thomas erat pertinax in sua incredulitate, cui dixit Christus Ioan. 20. 29. *Quia vidisti me Thoma credidisti.* Non habet meritum fides ex visu, sed ex auditu tantum, ideo sequitur textus: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Nulla facta mentione de benedictione Thomæ Concludamus ergo, Christum absoluisse sacramentaliter eos, qui habebant peccata actualia, solus autem Thomas videtur peccasse grauiter non credendo pertinaciter Resurrectionem Christi, ac proinde à Christo fuisse absolutum, cum fuit confessum suum peccatum Ioan. 20. 23. dicendo: *Dominus meus, & Deus meus.* Petrus verò cum Christum negauerit ante mortem, per contritionem, ibi: *Fleuit amare* suum peccatum deleuit, nondum enim erat Sacramentum Confessionis: *Fleuit amare* Fletus ex amore Dei indicat contritionem, volenti contritionem oportet amare creatorem.

68 Notandum est, Apostolos fuisse ordinatos Sacerdotes, vt dicam infra q. 29. in Cæna Domini, sine potestate absoluendi sacramentaliter, quia vt patet hic hæc facultas illis collata fuit octauo die Resurrectionis, vt colligitur Ioan. 20. 19. ad 23. Christus ergo separauit has duas potestates consecrandi, & absoluendi. Postmodum vero Ecclesia vtramque coniunxit sub eadem ordinatione, vt ex modo ordinandi constat.

Quæres 26. An per institutionem Matrimonij in ratione sacramenti coniugia Apostolorum, & aliorum Christum sequentium eleuata fuerint in Sacramentum hoc?

69 ℞. Matrimonium, quod à Deo institutum fuit in Paradiso, quando Adam, & Euam coniunxit in officium generationis dicendo illis. *Crescite, & multiplicamini*, à paucis dictum Sacramentum veteris legis, seu status innocentiæ contra communem, de qua re Barbosa *sess.* 24 *n.* 3. ad Cantores à Christo eleuatũ fuit in Sacramentum nouæ legis conferens gratiam sacramentalem, vt faciunt alia Sacramenta à Christo instituta. Colligitur autem Christi institutio ex is, quæ refert *Ioan.* 19. *Marci* 10. *Ad Ephes.* 5. *cap. Ad abolendam* 9. *de hæret. definitum Can.* 1. *sess.* 24. his verbis: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, neque gratiam conferre. Anathema sit.*

Dici potest, matrimonium Apostolorum, quod carebat ratione Sacramenti eleuatum fuisse in Sacramentum à Christo in ipso actu institutionis, si fuit institutum post institutionem baptismi, neque enim verisimile Christum voluisse Apostolos non esse participes hac gratia in suis matrimoniis perfectis per hoc Sacramentum. *Confirmatur*, quia matrimonium amborum fidelium conuersi per baptismi susceptionem eleuatur in Sacramentum indicans spiritualem vnionem Christi cum Ecclesia. Aliqui requirunt nouum consensum, vel approbationem matrimonij. Alij absolutè negant eleuari Vide Becan. *cap.* 44. *quæst.* 4. *num.* 7.

Quæres 27. An Apostoli Extremæ Vnctionis Sacramento ab aliquo perũcti fuerint? Extrema Vn-
70 ctio est vnum ex septem Sacramentis à Christo Domino institutum, Marci 6. 13. his verbis: *Vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur*, insinuatum, & à D. Iacobo 5. 14. his verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccato sit, remittentur ei.* Publicatum, vt tradit Tridentinum *cap.* 1. & *definit can.* 1. *sess.* 14. Aliam Sacræ Scripturæ auctoritatem non habemus, & cum D. Iacobus testetur de remissione peccatorum per huiusmodi Sanctam Vnctionem, oportet dicere à Christo fuisse institutum id vti Sacramentum, quia sola Sacramenta remittunt peccata.

℞. Apostolos à Christo inunctos non fuisse, quia 71
nullus eorum fuit infirmus eo tempore, quo cum Christo conuersabantur. Neque ab aliquo alio hoc Sacramentum receperunt in re, quia Apostolis martyrio coronatis negabantur à persecutoribus Sacramenta, ideo sine Sacramentis in re decedebant, quæ tamen in voto, & desiderio recipiebant per martyrium. De Ioanne senio confectus dicimus, quod pie credimus inunctum fuisse, si enim alios vngebat dedit exemplum de se aliis, vt hoc Sacramentum receptione venerarentur.

Quæres 28. An omnes Apostoli fuerint Martyres? De Martyrio egi *Controuers.* 13. *n.* 32. Romæ typis excussis anno 1651.

℞. Omnes mortui sunt martyres pro confessione 72
Iesu Christi, excepto Ioanne. *Petrus* 29. Iunij cruci affixus fuit. *Andreas* ab Ægea proconsule carceratus, cæsus, demum in cruce biduum pendens animam Deo reddidit 30. Nouembris. *Iacobus* prope festum Paschæ ab Herode Agrippa decollatus frater Ioannis, colitur 25. Iulij. *Philippus* cruci affixus, & lapidatus fuit Hierapoli primo Maij. *Bartholomæus* à barbaris decoriatus, iussu Astiagis Regis capitis detruncatione die 24. Augusti compleuit. *Matthæus* in Æthiopia passus fuit 21. Septembris. *Thomas* iussu Regis lanceis transfixus occubuit die 21. Decembris. *Simon, & Iudas* in Perside martyrium consummarunt 28. Octobris. *Matthias* passus est pro Christo 24. Februarij. Demum Ioannes frater Iacobi in feruentis olei dolium missus euasit illæsus 6. die Maij, deinde relegatus in insulam Pathmos senio confectus obdormiuit in Domino, vnde vt dicit D. Hieron. relatus in eius nona lect. 6. Maij, bibit calicem passionis, ex quo martyr dicitur, cui licet in fine martyrium defuerit, non defuit tamen animus illius martyrio, quod subire paratus erat pro Christi amore, & prædicatione Euangelij.

Quæres 29. An Christus ordinauerit suos Apostolos immediate per seipsum conferendo illis ordines tam minores, quam maiores cum Sacerdotio? Notandum est, Sacramentum Ordinis institutum fuisse à Christo Domino in vltima Cæna pridie quam pateretur, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem fuisse traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem eius, necnon & peccata dimittendi, vt de fide in Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 1. *can.* 1. 2. & 3.

℞. Christus in sua Cæna omnibus Apostolis con- 73
tulit septem ordinis Sacramenta, ac proinde eos Sacerdotes ordinauit cum potestate consecrãdi, & offerendi corpus Christi, & ministrandi alia Sacramenta, præter potestatem absoluendi à peccatis, quibus contulit eam post Resurrectionem, vt probaui sub q. 25. Probatur, *Tum quia*, illis præcepit, vt celebrarent eius sacrificium incruentum ibi: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Tum quia Dei omnia opera sunt perfectissima *Deuter.* 32. 3. ergo & opus ordinatio, qua ordinauit Apostolos, consequenter si eos insigniuit Sacerdotio, antecedenter illis contulit alios ordines maiores, & minores gradatim, vt nunc fit, hunc enim modum ordinandi didicit Ecclesia à Christo,

Christo, vt Sacerdotium conferatur carentibus cæteris.

74 Quæres 30. An Christus Apostolos ordinauerit in Episcopos? Scio, esse magnam controuersiam inter Theologos, & Canonistas de Episcopatu, an sit ordo? illis negantibus esse ordinem distinctum à Sacerdotio, & eundem omninò extensum, ita quod caracter Sacerdotij extenditur, & perficitur in Episcopatu. Istis verò asserentibus, esse ordinem distinctum, proprio non tantum nomine, sed etiam caractere, & potestate. Reuera in constitutionibus Apostolicis, & ab omnibus Patribus referuntur Presbyteratus, & Episcopatus vt duo diuersa in seipsis. Et Tridentinum *sess. 23. can. 7.* anatematizat asserentes, Episcopos non esse superiores Presbyteris, vel non habere potestatem Confirmandi, & Ordinandi, vel eam, quam habent, esse cum Presbyteris communem. Ecce secundum fidem, Episcopi distinguuntur à Presbyteris in superioritate, & potestate, ergo Episcopatus facit ordinem distinctum à Presbyteratis. Dici potest, quod in ratione Sacramenti non differt ab aliis, quia non auget numerum septenarium.

75 ℞. Apostoli omnes etiam Iudas ordinati fuerunt Episcopi in Cæna à Christo Domino post Sacerdotium illis collatum. Ratio est, quia in Ecclesia erat necessarius iste ordo pro conficiendis, & conferendis Sacramentis Confirmationis, & Ordinis, & alia præstanda, quæ à solis Episcopis fiunt, ergo dicendũ est ad hoc ordinatos fuisse Apostolos in Episcopos. Confirmatur, quia alij Apostolorum successores, qui Ecclesiã regebant primitiuã erant Episcopi Act. 20. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiã Dei.* Iudas fuit Episcopus à Christo Ordinatus, de quo dicitur in Psal. 108. 8. Act. 1. 20. *Et Episcopatũ eius accipiat alter:* à fortiori alij Apostoli, qui boni erant, & Magistro accepti à Christo ordinati fuerunt Episcopi. Ordinatio hæc, vt dixi, contigit in Cæna Domini, vt videtur res definita in Tridentino sess. 22. can. 2. *Si quis illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum Anathema sit.* Res clara est de ordine Sacerdotali, de Episcopali deducitur, quia huius ordinatio supponit Sacerdotium, & constat ex allatis verbis de Iuda, Apostolos fuisse ordinatos ante mortem Christi, ergo eos ordinauit Episcopos in Cæna.

76 Dices, Iacobus frater Domini secundum carnem Ordinatus fuit Episcopus Ierosolymæ à Petro, Iacobo, & Ioanne, teste Anacleto *in sua Epistola 2. sub initium relata Cap. Porrò 2. dist. 66.* ergo saltem iste à Christo non fuit ordinatus immediatè in Episcopum.

℞. Primò, nihil contra nos, quia vt probaui sub num. 11. Iacobus, frater Domini non fuit vnus ex duodecim, quos Christus immediatè ordinauit. Secundò, non ordinauerunt, sed præfecerunt Ecclesiæ Æliæ iam ordinatum Episcopum à Christo Domino, si ponatur vnus ex duodecim. Vnde illa verba: *Est ordinatus*, quæ in Epistola prædicta habentur, referuntur ad ordinationem electionis in tali Ecclesia, non ad collationem ordinis Episcopalis, qui supponitur ad præfectionem Ecclesiæ. Et id confirmatur ex vsu

77 vocabuli *ordinare*, quod importat electionem cap. fin. *16. quæst. 7.* id est, prouidere, *cap. Super eos 11. de elect. cap. Eam te 22. de iurepatr.* Vtraque ergo expositio facit ad rem.

78 Colligitur hinc, Christum Dominum Discipulos suos tribus dignitatibus sublimasse, Apostolatus, Presbyteratus, & Episcopatus, vt nihil illis deesset, quod necessarium erat ad fundationem, & propagationem Ecclesiæ; nam per Apostolatum habebant officium promulgandi legem nouam Euangelij, prædicandi illam, secundum quod in seipsis posuerunt fundamenta Ecclesiæ. Per Sacerdotium celebrabant sacrificium Missæ, & Sacramenta conficiebant, & ministrabant fidelibus; per Episcopatum denique ordinabant fideles in Ministros Ecclesiæ suos coadiutores, & successores post mortem illorum.

Quæres 31. Quid significet Spiritus sanctus datus Apostolis in ordinatione, & promissus in die Pentecostes, super quos descendit in forma ignis?

℞. Spiritus sanctus quadrupliciter dicitur. *Primo*, essentialiter pro omnibus tribus personis in vnitate essentiæ, & deitatis, Genesis 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* 1. Deus. *Secundo* personaliter pro tertia persona in diuinis Ioan. 15. 26. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Tertio*, pro potestate spirituali absoluendi à peccatis, aut ea retinendi, Ioan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis,* &c. *Quarto*, pro dono spirituali gratiæ, quod confertur fidelibus, duo enim accommodantur Spiritui sancto, Amor, & Donum, Amor importat dilectionem, qua diligimus Deum, per gratiam sanctificantem nobis inhærentem, & proximum per gratiam gratis datam; Donum verò significat, illam gratis, & sine debito vllo tam ex parte Dei, quam nostri dari nobis, quia Deus ex nullo debito obligatur ad dandam nobis illam, neque ex parte nostra vllum est meritum, quo Deus debeat eam nobis conferre, sed ex sua mera liberalitate nullis præcedentibus meritis donum hoc confert suis fidelibus. Mittitur ergo Spiritus sanctus in ratione amoris, cum nobis per Sacramenta confertur gratia sanctificans, & iustificans. Mittitur vero in ratione doni, cum nobis confertur gratia, & potestas spiritualis in vtilitatem propriam, & aliorum. 79

Itaque gratia Spiritus sancti ad nos missa triplex 80 assignari potest, gratia sanctificans, quæ in Sacramentis, & per Sacramenta confertur in remissionem peccatorum, hominem Deo carum, & gratum faciens. De quo Ioan. 6. 64. *Spiritus est, qui viuificat.* Act. 1. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Vocat *donum*, ne quis existimet sibi deberi gratiam ex illa dispositione, & susceptione Baptismi, tanquam ex merito. Act. 8. 16. *Qui cum venissent orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum.* 1. gratiam Sacramenti Confirmationis, quod hominem sanctificat.

Gratia illuminatiua est illa, qua quis instruitur pro se, & pro aliis ad intelligentiam Scripturarum, & aliarum veritatum, quæ pertinent ad veritatem fidei. De qua pluribus in locis, præsertim Matth. 10. 19. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Illuminantur ergo martyres, vt valeant respondere veritatem persecutoribus, & confiteri fidem pro nomine Iesu. Act. 15. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Hinc habes assistentiam Spiritus sancti per gratiam illuminatiuam in Conciliis respectu Pontificis, vt non possit errare edocti veritatem, quæ gratia illuminatiua immediata data fuit omnis Apostolis in die Pentecostes Congregatis in vnum. Ioan. 16. 13. id testatur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nomine ergo Spiritus sancti venit illud donum, & gratia, quibus intellectus illuminatur, illustratur, & docetur ad intelligentiam mysteriorum fidei.

Demum gratia auxiliatiua à Deo hominibus confertur sub nomine Spiritus sancti, qua vocantur, & adiuuantur cooperantur ad bonum amplexandum

dum,& malum fugiendum, de quo dicitur Ioan.3.8. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat.* Ad Rom.8.26. *Spiritus adiuuat infirmitatem vestram.* Et alibi sæpius.

Quæres 32. An, & quando Apostoli receperint potestatem iurisdictionis fori externi? Nam potestate Sacramentali constat supra sub q.25.

81 ℞. In Apostolis tres dignitates spectantur, Apostolatus, Sacerdotij, & Episcopatus prout dixi supra sub num.78. Ratione Apostolatus discipuli à Christo receperunt potestatem fundandi Ecclesiam,quod duobus executi fuerunt,compositione Sacrarum Scripturarum dictante Spiritu sancto, quæ reperiuntur in libris Canonicis approbatis in Tridentino sess.4. hæc omnia redigendo in scriptis, vt eorum certa memoria extaret, ne ab hostibus Christiani nominis defraudarentur, & corrumperentur; & prædicatione Euangelij in illis Scripturis sanctis contenti Matth. cap.fin.19. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Primò igitur illos elegit nominando, vt suo tempore mitteret ad prædicandum. Marci 3.16. *Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* Tempus verò prædicationis exercendæ designauit post Resurrectionem suam ex allatis auctoritatibus, præsertim Lucæ cap. fin.49. *Vos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Dedit illis mandatum prædicandi,non statim, quia præcepit eis, vt sederent, & nondum inciperent, quia prædicatio facienda erat non sedendo, sed eundo per vniuersum orbem, inceperunt autem prædicare in die Pentecostes,quo ex alto induti fuerunt virtute Spiritus sancti, qui illos illuminauit & docuit omnem veritatem, quam prædicaturi erant omnibus hominibus.

Ratione Sacerdotij eis collati in Cæna habebant potestatem consecrandi & offerendi corpus Christi, & eius sanguinem, pariter conficiendi Sacramenta, & illa conferendi fidelibus, de qua potestate dicta ordinis sufficienter dictum fuit *sub q.25.& 29.*

Ratione Episcopatus collata fuit illis potestas conferendi aliis Sacramenta Confirmationis,& Ordinis. Quoniam autem potestas fori externi etiam contentiosa necessaria erat Apostolis in fundanda Ecclesia, & alia præstanda,ideò eisdem collata fuit potestas iurisdictionis fori externi, tam contentiosi, quam gratiosi regendi Ecclesiam per seipsos, & per ministros à se deputandos, instituendo eos in ordinibus, præscribendo leges, & constitutiones, quibus Ecclesia regi, & gubernari posset, castigando,& puniendo, ligando,& absoluendo, iuxta exigentiam dispensando, & alia faciendo, quæ erant necessaria in Ecclesia Dei. Et hæc omnia patent in præcedenti cap.q.27.& colligitur ex Matth.18.17. *Dic Ecclesiæ.* i. Ministris Ecclesiæ infra num. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo.* Per quæ verba designat eorum potestatem fori contentiosi.

Quæres 33. An Apostoli fuerint conditores Canonum,quos vocant Apostolorum,& pariter constitutionum Apostolicarum.

82 ℞. Affirmatiuè. Id enim testantur multi Patres cum Epiphanio, Athanasio, citatis à Turriano in principio tomi primi Conciliorum, vbi extensi sunt libri Constitutionum Apostolicarum per Clementem Pontificem Romanum Scriptarum.

Plerique tamen vti apocriphas reiiciunt primo, quia si essent Apostolorum, recensendi forent inter libros canonicos, cum non minus Apostoli fuerint compositores horum, quam Canonicorum librorum. *Secundo*, clemens in illis libris refert multa falsa, nimirum, quod Apostoli loquantur, & tunc erant mortui. *Tertiò* in lib.8. cap.33. præcipitur abstinentia ab operibus die Sabbathi, quod est iudaizare. *Quarto* à Gelasio Papa hi libri prohibentur vti apocriphi,c.3. dist.15. *Quinto*, ibidem Canones Apostolorum recensentur vt apocriphi. *Sexto*, Concilium Trullanum can.2. vtrumque opus reiicit.

Occurritur prædictis *Primo*, Canones,& Constitutiones Apostolorum non sunt computandi inter Canonicos, quia non fuerunt dictati illis à Spiritu sancto,vt verbum Euangelicum,sed fuerunt propriæ eorum leges, vt modo sunt, quæ à Pontificibus Romanis, & Conciliis fiunt pro vniuersa Ecclesia. *Secundo*, nihil falsi continent,quia in persona Apostolorum,& per ora eorum scribebat ad verbum, quæ ipsi loquuti fuerant. *Tertio*, non est mirum, quod Apostoli præceperint obseruationem Sabbathi, nõ vt imitarentur Iudæos,sed vt hac ratione facilius eos traherent ad fidem. Nonne Apostoli nonnullos ritus permiserunt Hebræis, vt illos hac via Christo lucrifacerent, vnde mirum non est, si hæc à Clemente in scriptis redacta fuerunt. Obseruationem Sabbati induxerunt, seu conseruauerunt ad extinguendam hæresim Simonis Magi,qui asserebat,Deum non quieuisse à creatione mundi, vnde Concilium Laodicense, cui Deo fauente constabat illius extinctio cap.29.remouit obseruationem Sabbati. *Quarto*, Gelatius non damnat Apostolicas constitutiones à Clemente scriptas,sed *Itinerarium nomine Petri,quod appellatur sancti Clementis libri decem apocriphum.* Quæ verba nullatenus indicant libros constitutionum, qui sunt octo tantum. *Quinto*, Gelasius Canones Apostolicos vocauit apocriphos non simpliciter,sed quantum ad numerum eorum. *Sexto* demum, notum est sextam Synodum apud Trullum factam quoad Canones non fuisse legitimam,vti congregatam sine licentia Papæ, de qua re cum de Conciliis.

Quæres 34. An Apostoli composuerint Symbolum paruum? Symbolum triplex,Apostolorum, quod 83
dicitur Paruum,Ecclesiæ,quod dicitur magnum compositum in Conciliis, & Athanasij, quod legitur in prima diuini officij Est autem Symbolum regula fidei Christianæ continens plures articulos,in quibus omnes,qui fidem Christi profitentur,conueniunt, necessariò credendum ab omnibus, vt dicitur in Tridentino *sess.3.*

℞. *Credo* Apostoli simul congregati composuerunt antequam diuiderentur per orbem ad prædicandum Euangelium, post electionem Matthiæ loco Iudæ, qui propriam sententiam vti vltimus Apostolorum apposuit postremo D.August. *serm.115.de temp.* Nomina eorum singulis sententiis apposita recenset Scotus *in 3.dist.25.* Viguerius in testem vocat D.Clementem, qui erat tempore Apostolorum, inter quos non numeratur Paulus,quia nondum erat Apostolus, de quo in sequenti. 84

Quæres 35. An,& quando Paulus fuit à Christo vocatus ad Apostolatum? Gauantus ad calcem sui Thesauri totam eius vitam succincte refert, nonnulla ne hoc opusculum de Apostolis sit mancum,referam.

℞. Saülus anno secundo à natiuitate Christi natus vixit 68. annos, Tarsi in Cilicia natus de tribu 85
Beniamin didicit sub Gamaliele vna cum Stephano, & Barnaba,Græcis quoque doctus, anno Christi 34. interfuit Martyrio S.Stephani. Anno 35. suæ ætatis 34.die 25.Ianuarij à Christo vocatus fuit; anno 36. iuit in Arabiam, rediit anno sequenti Damascum; & Ierusalem videre Petrum, cum quo mansit quindecim dies,& ab eo consecratus fuit in Sacerdotem, & Episcopum; anno 43. perexit Antiochiam;anno 44. vidit arcana Dei; anno 46. conuertit Sergium proconsulem; anno 47. Iconis Theclam Christo desponsauit; anno 48. Lystris claudum ab vtero rectificauit; anno 49. Antiochiæ per singulas Ecclesias

Presbyteros

Presbyteros ordinauit, & postea recessit, anno 50. rediit, anno 51. orta lite super Circumcisione cum Barnaba missus fuit Ierosolymam; anno 52. Dionysium conuertit, scripsit primam ad Thessalonicenses; anno 53. scripsit secundam; anno 54. excipitur ab Ephesiis, & Galatis, anno 55. Ephesi docuit in synagoga per tres menses, anno 56. ibidem demonia eiecit; anno 57. Ephesi reliquit Episcopum Timotheum, scripsit primam Epistolam ad Corinthios, Titum creauit Cretæ Episcopum anno 58. In via versus Nicopolin scripsit ad Titum; ibidem hyeme scripsit secundam ad Corinthios; ad Galatas, & Romanos; anno 59 Romam peruenit ingressus mense Maio ex Baronio, vel sexta die Iulij feria quarta ex Iosepho Vicecomite, id tamen est euidenter falsum, quia eo anno erat in vsu litera G, affixa primo Iulij indicans feriã sextã eo die, primo habitauit vbi nunc est S. Maria in via lata; anno 60. scripsit Romæ ad Philippenses, & Colossenses, ad Philemonẽ, & ad Hebræos; anno 61. à Roma proficiscitur in Hispaniã, hoc anno Lucas absoluit librum Actorum in Ædibus S. Mariæ in via Lata, anno 68. Romã reuersus mittitur in carcerem Mamertinum cum Petro, demum anno 69. decollatur cum Petro crucifixo 29. Iunij eiusdem anni.

Quær. 36. Quot Cõcilia facta fuerint ab Apostolis?

86 ℞. Recensentur quatuor Concilia ab Apostolis coacta, & celebrata, quæ referuntur ad principium primi tomi Conciliorum.

Primum Conciliũ inter Ascensionẽ, & Pentecosten à Petro congregatum Ierosolymis fuit Patrum 131. computatis vndecim Apostolis pro electione duodecimi Apostoli in locum Iudæ proditoris, propositis duobus, Iosepho Barrabas, & Matthia, & super hunc cecidit sors, & connumeratus fuit cum vndecim Apo-
87 stolis. Hæc fusius leguntur c. 1. Actorum. Colliguntur hinc tria, primum congregare Concilium spectare ad Papam, nam hoc Petrus Papa iam constitutus à Christo coegit; secundum recurrendum esse ad orationem, & inuocandum Spiritum S. vt dignetur assistere illuminando mentes Patrum, vt omnia rectè fiant; tertiũ ad electionem faciendam sufficere propositionẽ duorum idoneorum, aliis tamen positiuè non exclusis.

Secundum pariter Ierosolymis per Petrum congregatum fuit pro electione septem Fratrum, qui fue-
88 runt Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmena & Nicolaus Antiochenus, electi vt ministrarent mensis, vt Apostolis à curis temporalibus expediti, cõmodius incumbere prædicationi possent, isti septem Ministri præsentati fuerunt à multitudine Discipulorũ coram Apostolis, qui eis imponerent manus, & ordinarent Diaconos. Id totũ colligitur Act. 6.

89 Tertium Conciliũ Ierosolymis pariter Congregatum fuit ad decidẽdam quæstionem, an Gentibus conuersis ad fidem pro salute animarum suarum necessaria esset Circuncisionis, & legis obseruatio, prout volebant nonnulli, qui de hæresi vocabantur de secta Pharisæorum, vt legitur c. 15. Act. Ex in eo primum locutus fuit Petrus, qui illud congregauerat, decidendo, quod fratres saluari potuissent per gratiam Domini Iesu Christi sine Circuncisione, & lege Mosaica. Deinde locutus fuit Iacobus laudando sententiam Petri, cui subscripsit, addendo, scribẽdum esse Fratribus, vt abstineant à contaminationibus simulacrorum, à fornicatione, à suffocatis, & sanguine. Petrus autem cum cæteris Apostolis fecit decretum in hæc verba: *Visum est enim Spiritui S. & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quã hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Hoc Decetum in formam Epistolæ à Petro cum Concilio missum fuit per Paulum & Barnabã, adiunctis Barnaba, & Sylla Fratribus in Antiochia, Sina, & Cilicia, in quibus orta erat quæstio. In hoc Concilio acto anno 51. Christi primo locutus fuit Petrus, deinde Paulus, & Barnabas, postea Iacobus, vt expresse hoc ordine recẽsentur, deinde alij suam sententiam protulerunt, non esse onerandos Gentiles ad fidem accedẽtes, nisi in expressis in præfato Decreto.

Quartum Concilium pariter Ierusalem coactum fuit, vt legalia ad aliquot tempus permitterentur Iudæis conuersis, vt hac ratione facilius conuerterentur ad fidem. Colligitur *Act.* 21. 22. & 23. secundum Bedam, & Carthusianum coactum anno 58. in eo præsidente Iacobo de mandato Petri. Sed satis est obscurus textus super hac re à n. 20. ad 24.

Quæres 37. An in his quatuor Conciliis interfuerint semper omnes Apostoli? & quis ea conuocauit tanquam caput?

℞. In primo Concilio interfuerunt omnes Apo- 90
stoli, qui recensentur c. 1. *Act. n.* 13. Pariter in secundo omnes interfuerunt non ad eligẽdum illos septem, sed tantum ad duo præstanda, vnum est, quod mandãte Petro, omnes conuocatione indixerunt Concilium committendo multitudini Discipulorum, vt ex iuris boni testimonij ex seipsis septẽ eligerent; alterũ, quod illos septem electos Apostoli ordinauerunt Diaconos. In tertio, de quo c. 15. pariter omnes Apostoli interfuerunt, licet fiat mentio, locutos fuisse Petrum, & Iacobum, ratio autem cur tantum hi duo in textu exprimantur locuti, esse potest, quia Petrus erat caput, & Iacobus ibi Episcopus, ideo hi duo tantum nominantur, nihilominùs alij etiam locuti fuerunt, quia in Concilio non erant statuæ, dormientesque ministri, in eo etiam locuti fuerunt Barnabas, & Paulus narrantes, quanta Deus fecisset signa in Gentibus. Nonnulli errant dicentes in hoc Concilio solum Petrum, & Iacobum fuisse, nam sub n. 4. apertè constat interfuisse Paulum, & Barnabam; sub n. 6. *Conuenerunt Apostoli* sub n. 22. *Tunc placuit Apostolis*, ergo omnibus præsentibus. In quarto demum Concilio in quo fit mẽtio de Iacobo, & Paulo, an alij interfuerint, ignoratur.

Quæres 38. An Apostoli in illis Conciliis habuerint votum decisiuum?

℞. In illis Conciliis omnes Apostoli habebant 91
votum decisiuum. Probatur in primo Concilio Act. 1. 23. *Et statuerunt duos.* Statutum autem spectat ad decisionem negotij. In secundo Concilio *Act* 6. 2. Apostoli omnes, his verbis: *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Definierunt, & deciderunt. In tertio Act. cap. 15. Petrus definit Gentiles saluari sine legalibus. Iacobus iudicat, illos non esse inquietandos. Demum sub num. 28 apparet definitio, & decisio omnium illis verbis: *Visum est Spiritui S. & nobis*, i. singulis Apostolis. In cõstitutionibus Apostolicis in codice Clementis leguntur similia verba: *Ego dico, Ego constituo, Esto statuo.* Quæ indicant non consultationem, sed decisionẽ, & definitionẽ negotiorum.

Quæres 39. An in his Conciliis Apostoli dependerint à Petro in definiendo, ita vt Petro resistente, nulla fuisset aliorum decisio?

℞. Affirmatiuè. Probatur *Act.* 15. 7. illis verbis: *Viri* 92
Fratres, vos scitis, quoniã ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire Gentes verbũ Euangelij, & credere. Ecce dependentia *Per os meũ* aliorũ Apostolorũ ab ore Petri in prædicatione, & definitione difficultatũ. Dicit *in nobis*, quia prædicatio præcepta fuit omnibus Apostolis, sed cũ dependentia à Petro, *Per os meũ* Petrus enim disponebat, quid agendũ erat, potestas data fuit omnibus sed eius exercitiũ cum dependẽtia à Petro. Vnde ad hoc bene dicit Leo IX. in Epist. ad Michaëlẽ imperatorẽ c. 17. *Solus Petrus sua auctoritate onus Circuncisionis remouit.* Quomodo *solus Petrus*? cum etiã Iacobus locutus fuerit per verbum, *Iudico*, & omnibus aliis idem visum fuerit? ergo omnes remouerunt Circuncisionem à Gentibus, & nõ solus Petrus. Cõsidera bene verba Leonis: *Solus Petrus suã auctoritate.* Reuera ipse tantum habebat auctoritatem

independentem, alij in decisione ab illo dependebant. Confirmatur auctoritate Concilij Ephesini cap. 15. *Totus fidei, ac omnium Apostolorum caput beatus Petrus extitit.* Si Petrus est caput, ergo cæteri membra ab eo dependentia in decisionibus fidei, cuius interpretatio tota est apud Petrum, cui soli dictum fuit: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Quare Paulus, vt legitur ad Galat. 2. suum Euangelium obtulit Petro approbandum, aliter nullius fuisset momenti, ex quo Ansel. ibidem dicit: *Alias Ecclesia Paulo omnino non crederet.* Itaque de supradictis non est dubitandum.

Quæres 40. An quilibet Apostolus à Christo habuerit potestatem propriam Cõgregandi Concilium, an verò id munus fuerit proprium solius Petri?

93 ℞. Soli Petro hæc potestas competit. Probatur, quia ex tenore prædictorum Conciliorum patet, Petrum solum illis dedisse initium conuocationis, & locutionis, ergo id munus illi soli competit. Confirmatur *Tum quia*, alias Ecclesia non regeretur monarchice, si æqualiter potestas in omnibus Apostolis fuisset. *Tum quia*, ad eum spectat indictio Concilij, ad quem spectat decisio auctoritatiua controuersiarum fidei, hæc autem spectat ad solum Petrum, vt dictum fuit in præcedenti quæstione. *Tum quia*, alias potuissent singuli Apostoli definire sine Petro, si potuissent auctoritate propria singuli indicere Concilium, quia eadem auctoritate deciditur, qua indicitur.

Quæres 41. An Apostoli à Christo habuerint potestatem propriam definiendi res fidei sine Petro?

94 ℞. Negatiuè. Probatur, quia ille solus potest definire res fidei, qui non potest errare in fide, sed soli Petro dictum fuit: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua* ergo aliis Apostolis non fuit data hæc potestas. *Confirmatur*, quia eidem Petro dicitur à Christo: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres suos.* Fratres autem Petri fuerunt Apostoli, ergo ad eum spectabat confirmare illos in fide, non ergo à Christo habuerunt potestatem propriam definiendi, sed in hoc dependebat à Petro. *Tum quia*, non obstat Lucæ capite fin. 45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas*; Nec Ioann. 6. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hæ enim auctoritates referuntur ad gratiam illuminatiuam, non ad auctoritatem definitiuam quæ solius est Petri.

Quæres 42. An Apostoli habuerint potestatem interpretandi Scripturas?

95 ℞. Affirmatiuè, & patet ex auctoritatibus in præcedenti quæstione allatis, de qua re etiam præcedenti cap. 1. 51.

Quæres 43. An Christus dederit illis potestatem canonizandi?

96 ℞. Soli Petro datam esse, non autem cæteris Apostolis, eo quod illis dictum non fuit: *Pasce oues meas*, neque promissa indefectibilitas fidei, quæ duo necessaria sunt ad canonizationem, iuxta dicta præcedenti cap. quæstione 57. *Confirmatur*, quia si quandoque Episcopi hanc potestatem exercuerunt, id fuit ex Apostolica delegatione, ergo idem dicendum est respectu Apostolorum, si ex Sanctis Patribus, aut aliis tribuatur hæc potestas Apostolis, nimirum ex delegatione illis facta à Petro. Lege quæ dixi de Episcopis Controuers. 13. à numero octauo ad 12.

Quæres 44. An Apostoli habuerint à Christo potestatem dandi Indulgentias?

97 ℞. Negatiuè, quia est munus solius Petri. Probatur. *Tum quia*, Indulgentias concedere spectat ad eum, qui habet claues regni cælorum, quia concedere illas est dispensare Thesaurum regni cælestis, qui continet satisfactiones Christi, & Sanctorum, sed soli Petro promissæ fuerunt Matth. 16. 19. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, prout reuera illi datæ fuerunt, ergo solus Indulgentias concedere potest. *Tum quia*, id est proprie pascere oues, quod soli Petro datum fuit. *Tum quia*, Petrus habebat solus à Christo potestatem confirmandi fratres Apostolos non solum in fide, sed etiam in concessione indulgentiarum illis, ergo à solo Petro est ius Indulgentiarum. Quæ in contrarium afferri possunt, resoluuntur dicendo delegatos fuisse à Petro ad hoc munus.

Quæres 45. An Apostoli habuerint à Christo virtutem faciendi miracula?

℞. Affirmatiuè, cum Matth. 10. dixit: *Et conuocatis duodecim Discipulis dedit illis potestatem, Spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Idem repetitur *Marci* 3. 15. & *Lucæ* 10. 19. Non legitur, quod ante Pentecosten aliquod miraculum fecerint, nisi quod subiiciebant sibi dæmones, *Lucæ* 10. 17. vnde Matth. 17. 15. *Non potuerunt curare eum.* i. Lunaticum, & numero 18. *Quare nos non potuimus eiicere illum.* i. Dæmonium. Nec obstat, quod Marci 6. 13. *Et dæmonia multa eiiciebant*, quia eiectio hæc refertur ad tempus prædicationis eorum post Pentecosten. Primus vero inter Apostolos, qui legitur fecisse miraculum, fuit Petrus, vt legitur *Act.* 3. qui claudum sedentem ad portam Speciosam templi rectificauit, deinde ipse, & alij quamplurima perpetrarunt miracula ad confirmandam fidem. 98 99 100

Quæres 46. An Apostoli in terra cum Christo conuersantes potestatem tibi traditam exercuerint?

℞. Negatiuè, præter quod sibi subiiciebant dæmones *Lucæ* 10. 17. & de speciali mandato Christi baptizabant, *Ioann.* 4. 2. Aliud potestatis exercitium non legi apud Euangelistas. Ratio est, quia non erat decens, quod præsente Magistro potestate ab eo accepta tunc vterentur, nisi ex speciali mandato Dei. *Tum quia* Christus illis potestatem dedit exercendam tempore præscripto, nimirum incipiendo à die Pentecostes, præcepit enim eis *Lucæ cap. fin.* 49. ne quicquam facerent ante illum diem his verbis: *Vos autem sedete in ciuitate quoadvsque induamini virtute ex alto.* Debebant enim prius indui, & corroborari Sacramento Confirmationis per superuenientem Spiritum sanctum visibiliter in formam ignis, per illapsum gratiæ cælestis, qua muniti fortiter, & intrepidè in prædicatione Euangelij permanerent. Sederunt ergo in ciuitate, non otiosi, sed orantes, & se præparantes ad recipiendum tam magnum, & grande Sacramentum in festo Pentecostes. 101

Quæres 47. An diuisio Apostolorum ad prædicandum Euangelium facta fuerit iubente Petro?

℞. Affirmatiuè, colligitur ex cap. Ita Dominus 7. dist. 1. vbi Archid. & Hugo id expressius dicunt: *Quilibet Apostolorum confirmationem, & auctoritatem prædicandi habuit à Petro.* Turrecremata ibidem: *Petri auctoritate facta est diuisio Prouinciarum, vbi Apostoli erant prædicaturi.* Petrus sibi elegit Pontum, Galatiam, Capadociam, Bithiniam, & Romam. *Andream* fratrẽ misit in Scythiam Europæ, Epyrum, Thraciam, & Patras Achaiæ. *Thomã* ad Parthos, Medos, Persos, Hircanos, & ad Indos. *Philippum* in Scythiam, & Hierapolim, *Iacobum* Ierosolymæ reliquit. *Ioannem* in Asia fundauit septem Ecclesias, quæ sunt Ephesum, Smirna, Perganium, Thiafira, Sardis, Philadelphia, & Laodicea, & insulam Pathmos. *Bartholomæum* in Indiam 102

Indiam citeriorem, & Armeniam maiorem *Iacobum* Zebedæi in Iudæam, Samariam, & Hispaniam. *Matthæum* in Æthiopiam *Simonem* in Ægyptum, & *Iudam* in Mesopotamiam, & ambos in Persiden *Matthiam* in Iudæam & Æthiopiam. *Paulum* cum Barnaba, ad Antiochenos, & Tharsenses, & alios.

Quæres 48. An vbique Apostoli prædicauerint?

104 ℞. Affirmatiue, Marci cap. fin. extremis hisce verbis: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante.* Deus assistit specialiter prædicationi illuminando illos, & dando fortitudinem ad resistendum viriliter persecutoribus Catholicæ fidei. Prædicatio Apostolorum per vniuersam orbem prædicta fuit per Dauid in Psalmo 18. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quem locum ad propositum explicat Paulus *ad Rom.* 10. 18. Circa hanc prædicationem per totum mundum variant Doctores, nam D. August. apud

105 D. Thom. 1. 2. *q.* 106. *art.* 4. *ad* 4. dicit, Euangelium per Apostolos vbique fuisse prædicatum, sed sine pleno effectu. i. non omnes credidisse, quibus fuit promulgatum, in fine autem mundi ab omnibus acceptabitur. D. Chrysostomus dixit prædicatum fuisse vbique, cum eo D. Thom. *ad cap.* 10. *Roman.* Alij negant Apostolos vbique per se prædicasse, & ad tuendam veritatem Euangelij, quod vbique prædicauerint, quia Christus eis præcepit, vt per vniuersum mundum irent prædicare, respondent, prædicationem continuè compleri per eosdem Apostolos in suis successoribus Episcopis, clericis, & religiosis, qui quotidie mittuntur à sede Apostolica ad prædicandum Iesu Christi Euangelium infidelibus.

Quæres 49. Quot commiserit Christus Missiones Apostolis?

106 ℞. Christus duas Missiones prædicandi suis præcepit Apostolis, primam prædicandi Iudæis tantum, quod Apostolis mandauit ante suam passionẽ Matth. 10. 5. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israël, euntes autem prædicate.* Secundam Missionem eis dedit post suam Resurrectionem, cum Marci vlt. 15. dixit: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Prima Missio respicit solum Iudæos, hic erat populus Dei electus, ideo merito Apostoli primum missi fuerunt ad oues Israël, sicut à Patre Christus ad illorum conuersionem missus fuit, sed quia Messiam noluerunt recipere, sed occiderunt, ideò post Resurrectionem nouam illis Missionem præscripsit, vt scilicet non solum Hebræis, sed etiam Gentibus Euangelium prædicarent, quoniam autem, vti dicitur Act. 13. 46. Iudæi prædicationem Euangelij reiecerunt, Apostoli se conuerterunt ad conuersionem Gentilium, fides enim omnibus necessaria est.

Quæres 50. An Apostoli Euangelium melius, & perspicacius aliis intellexerint?

107 ℞. Affirmatiuè. *Tum quia* Christus aperuit illis sensum Scripturarum, Lucæ vlt. 45. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Quod aliis sic immediatè concessum non fuit. Ioan. 15. 15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Idem 16. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Non potest haberi perfectior, & clarior notitia Euangelij, quam ea, quam Christus per os suum docuit, de qua gloriatur Apostolus 2. Corinth. 3. 6. *Idoneos nos fecit Ministros Noui Testamenti non litera, sed Spiritu.* Habuerunt pro Magistro Christum, & Spiritum sanctum, ergo perfectiori modo præ cæteris didicerunt doctrinam Euangelij.

Quæres 51. An Apostoli Euangelium prædicauerint secundum quatuor sensus? Quatuor sensus comprehenduntur hisce duobus versibus.

Litera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas; quid speres Anagogia.
} De quibus dicam c. 7. q. 13.

℞. Euangelium ab Apostolis prædicatum fuit per omnes illos quatuor sensus. De literali patet, quia vbique prædicauerunt acta Christi, & eius generationem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, & cætera huiusmodi, quæ pertinent ad sensum literalem, & historicum. De aliis tribus sensibus, qui vocantur Spirituales testatur Paulus 2. *Corinth.* 3. 6. his verbis. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui idoneos nos fecit Ministros Noui Testamenti, non litera, sed Spiritu, litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* 108

Prædicauerunt ergo Apostoli Euangelium secundum quatuor sensus. Nec obstat, quod *litera occidit*, quasi literaliter non prædicauerint, quia certum est, prædicasse actiones Christi, quas litera Euangelij docet, *non litera.* i. non tantum literaliter, sed etiam spiritualiter illud prædicauerunt, *litera occidit.* i. sensus literalis praue, & male intellectus occidit, qua ratione Apostoli hunc non prædicauerunt, vt dicitur in textu allato. Adde, quod *litera occidit*, sumitur pro lege veteri, quæ licet præciperet quod bonum est, non tamen præbebat auxilium ad implendam legem, ideo vti litera potius occidebat, ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 98. *art.* 1. *ad* 2. *q.* 99. *art.* 2. *ad* 3. *q.* 106. *art.* 2. *in corpore*, subdente, quod lex noua occideret, nisi gratiam contineret ex D. August. qui *lib.* 1. *q.* 1. *ad Simplicium* ita scribit. *Lex enim tantummodo lecta, & non intellecta, vel non impleta, vtique occidit, tunc enim appellatur litera.* Idem serm. 22. dicit, quod sola litera sine gratia, quæ est Spiritus, occidit, litera ergo simul cum Spiritu viuificat, & non se sola. 109

Quæres 52. An Apostoli post mortem Christi legem veterem seruauerint? Notandum est in lege veteri contineri tria genera præceptorum Iudicialium, Ceremonialium, & Moralium, in morte Christi prima duo genera cessauerunt, tertium perseuerauit, quia est secundum naturam, cum qua insertum est à creatore. *Consummatum est*, inquit, *Ioan.* 19. 29. id est, vetus Testamentum accepit finem quoad sui obligationem respectu Iudicialium, & Ceremonialium, remanentibus solum moralibus, vt omnes sancti Patres exponunt. 110

℞. Apostoli post mortem Christi seruauerunt per aliquot tempus legalia, nam Paulus Timotheum suũ discipulum gentilem circuncidit Act. 16. 3. ipse vero cum Iudæis se purificauit Act. 21. 26. Petrus iudaizabat, quem redarguit Paulus ad Galat. 2. c. 5. prædicabat illis, quod Circuncisio illis nihil proderat. Hoc autem fecerunt non ex obligatione, quia in morte Christi legalia abrogata fuerunt, sed eo fine, vt Iudæos paulatim traherent ad fidem Christi cum Gentilibus, vt hoc modo Synagoga cum honore sepeliretur. 111

Quæres 53. An omnes Apostoli à Christo omnem receperint potestatem, & nullam à Petro?

℞. Christus omnibus Apostolis immediate dedit potestatem Apostolatus, Presbyteratus, & Episcopatus cum iurisdictione vtriusque fori tam gratiosa, quã contentiosa. Hoc de fide probatur quoad Apostolatum Matth. 10. 5. *Hos duodecim misit Iesus.* Marci 3. 14. *Et fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare.* Lucæ 9. 1. & 2. *Conuocatis autẽ duodecim Apostolis dedit illis virtutem, & potestatem super omnia demonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare.* Ioan. 15. 16. *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Quoad Presbyteratum Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, quod & de Episcopatu intelligitur. De potestate absoluendi Sacramentaliter, *Accipite Spiritum sanctum.* De potestate fori externi: *Quæcumque alligaueritis* 112

super terram. Hæc omnia latius patent supra sub q.21. ad 33. Ex quibus locis manifestè colligitur huiusmodi potestates Christum Apostolis immediatè contulisse, & fecisse illis proprias iure ordinario. Confirmatur auctoritate S. Anacleti Papæ Epist. 2. his verbis. *Apostolis omnibus immediate à Christo vniuersam Ecclesiam gubernandi potestas, & iurisdictio data est.* Idem relatus, *in cap. In nouo 2. dist.* 21. rem clarius dicit: *Cæteri vero Apostoli cum eodem.* 1. Petro, *pari consortio, honorem, & potestatem acceperunt.* Subintellige à Christo Domino.

Quæres 54. An Apostoli quoad vsum, & exercitium suæ potestatis Apostolatus, Presbyteratus, & Episcopatus fuerint subiecti Petro? Dico quoad vsum, quia quoad collationem, soli Christi erant subiecti, nihil enim à Petro acceperunt, vt constat ex præcedenti quæstione.

113 ℞. Affirmatiuè. Probatur auctoritate Scripturæ Lucæ 22.32. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Loquitur Christus ad Petrum, præcipiendo illi, vt confirmet cæteros Apostolos fratres suos in suis ministeriis, quod insinuat Apostolos in vsu potestatis dependere à Petro. Clarius ex Actis Apost. 15.7. *Surgens Petrus dixit ad eos: Viri Frates, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire Gentes verbum Euangelij, & credere.* Christus ad prædicandum elegit quidem omnes Apostolos immediatè, ibi: *In nobis elegit* & sic fecit pares in officio, sed cum dependentia à Petro in vsu, & exercitio, *Per os meum* vt scilicet Petrus dictaret eis quibus personis esset prædicandum Euangelium. Auctoritate SS. Patrum, Leonis Papæ Epist. 87. loquentis de officio prædicationis: *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt à beato Petro, quasi quodam capite omnium summo, dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Idem in Sermon. 3. Anniuers. suæ assumptionis: *Si quid cum Apostolis Christus Petro voluit esse commune, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negauit.* Clemens oculatus testis Epistol. 2. dicit: *Petrus non solum dicitur Princeps Apostolorum, sed etiam eorum ordinator.* Designatione locorum & personarum, quibus debebant prædicare, & quid prædicare, hinc Paulus suum Euangelium posuit ad pedes Petri, vt dignaretur illud approbare, *cap. 2. ad Galatas,* vnde Hugo in cap. Quis nesciat 11. distinct. 11. inquit: *Paulus de licentia Petri prædicauit in Italia, & Hispania.* Ibidem dicit idem Gloss. cum Turrecremata. Vigilius Papa *Epistol.* 2. ita dicit: *Licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, vt cæteris præemineret, vnde & Cephas vocatur, quia caput est, & primus omnium Apostolorum.* D. Bernardus lib. de Consider. de Apostolis dicit: *Alij in partem solicitudinis, Petrus in plenitudine potestatis vocatus fuit.* D. Thom. *in 4 dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. ad primum de hac dependentia scrisit hæc: *Quamuis omnibus Apostolis data sit potestas ligandi, & soluendi tamen soli Petro data est, vt hac potestas in alios descendat.*

Multi ex Sanctis Patribus pares faciunt Apostolos cum Petro in honore, & potestate, omnes enim indistinctè sine vlla distinctione, aut præcedentia ordinati fuerunt simul & semel Apostoli, Presbyteri, & Episcopi sine vlla discrepantia, vnde *cap. In nouo 2. dist.* 21. huiusmodi paritatem Anacletus testatur his verbis: *Cæteri vero Apostoli cum eodem.* 1. Petro *pari consortio honorem, & potestatem acceperunt.* Sed vbi est paritas, ibi non potest esse dependentia subiectionis, &
114 præeminentia superioritatis, & imperij, quia par in parem non agit, *l. Nam & Magistratus ff. de arbitr. cap. Innotuit 20. de elect.* Ergo Apostoli fuerunt omnes pares, non habuit ergo Petrus imperium super alios.

Respondetur, Apostoli omnes sunt pares quoad 115
conseruationem, & administrationem Sacramentorum, quia non obstante quauis prohibitione Petri, valide Sacramenta confecissent, vt supradictum fuit. Deinde pares fuerunt quoad receptionem potestatis, & honoris, quæ illis Christus indifferenter contulit vni independenter ab alio, pares ergo fuerunt quoad promotionem. Quoad vero administrationem, & vsum potestatis non fuerunt pares, quia in ea dependebant à Petro, tanquam membra in suis actibus à capite dependentia, sicut membra corporis in operando dependent à capite influente in illis regulam, & modum operandi. Ratio prædictorum est, quia soli Petro præter prædictas tres dignitates Apostolatus, Presbyteratus, & Episcopatus, à Christo col- 116
lata fuit suprema dignitas Papatus, ratione cuius aliis tanquam superior præeminebat imperando omnibus. De qua re fusiùs sequenti capite. Huiusmodi dependentia comprobatur etiam ex eo quod Ecclesia regitur Monarchia ex probatis *cap. præced. q.* 47. ergo necesse est, quod regimen tandem reducatur ad vnum caput, à quo cæteri ministri dependeant in suis operationibus.

Augustinus de Bellis in suo opere de absoluta Monarchia Petri *Assumpt. 3. numero trigesimoquinto, & oppos. 9. num.* 105. cohæret cum supradictis, sed dissentit in eo, quod auctoritatem Petri vocat ordinariam, cæterorum verò Apostolorum delegatam. Sed non placet. *Tum quia,* ordinaria ea est, quam 117
quis ex officio, & nomine proprio officij exercet; delegata verò exercetur alieno nomine, & aliena potestate ab alio sibi communicata, vt plene tradunt Canonistæ, *in titul. de offic. de ordinat. & delegat.* De qua plura dixi *cap. præcedent. num.* 4. & 42. Omnes autem Apostoli nomine proprio sui officij sua potestate vtebantur, ergo in omnibus fuit ordinaria. *Tum quia,* Episcopi dicuntur habere potestatem ordinariam, vt ipsemet de Bellis non negat, & omnes docent, ergo & Apostoli, in quorum locum illi successerunt, neque enim Episcopi sunt præciosioris, & excellentioris potestatis, quam fuerint Apostoli. Neque dicas cum eodem num. 105. Episcopos succedere in munere non in dignitate, quia respondeo Episcopos succedere Apostolis in dignitatibus Presbyteratus, & Episcopatus, non vero Apostolatus, ratione cuius succedunt tantum in munere prædicandi. *Tum quia,* si est aliqua ratio vocandi hanc potestatem delegatam, maximè, quia Apostoli in eius vsu pendebant à Petro; sed hæc nullius est momenti, quia etiam Episcopi pendent à Papa, superiores regulares inferiores à suis superioribus, & tamen horum potestas est ordinaria non delegata, nullo contradicente, cum illis perpetuò ex officio proprio, & de iure competat, non ex gratia, & voluntate arbitraria alterius.

Quæres 55. An Apostoli sint maiores cæteris sanctis.

℞. Apostoli cæteris sanctis fuerunt maiores, & 118
perfectiores ratione gratiæ, officij, administrationis, prædicationis, & dignitatis, vt docet D. Thomas 1. 2. *q.* 106. *a* 4. Vbi in corpore dicit, quod Apostoli receperunt primitias Spiritus sancti cæterisque abundantius, quod illis fuit necessarium, vt super solidis lapidibus per vniuersum orbẽ fundare, & firmare possent Ecclesiam Dei. Fuerunt etiam in prædictis maiores Ioanne Baptista, qui licet prædicauerit Christum venturum, & præsentem demonstrauit, sua tamen prædicatione Ecclesiam non fundauit, nec libros canonicos scripsit, vt fecerunt Apostoli; neque suæ prædicationi signa adiunxit, quæ perpetrarunt Apostoli. Act. 5.12. *Per manus autem Apostolorũ fiebant signa, & prodigia multa in plebe.* Ad illud Matth. 11. 11.

Non

Non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Testimonium Iesu Christi, respondetur intelligi quoad sanctitatem, & prophetiam, nam sanctificatus fuit in ventre matris, ex quo neque venialiter peccauit, quod priuilegium nulli Apostolorum legitur concessum. Demum *S. Thomas lect. 3. in Galat. cap. 2.* Dicit Apostolos fuisse maiores Ioanne merito, non officio, quia Christum non prænuntiauerunt, sed iam mortuum, & resuscitatum prædicauerunt.

Quæres 56. Quid dixerit hæretici contra Apostolos?

120 ℞. Georgius quidam Dauid dixit, corpora Apostorum damnata esse, sicut & infidelium. Sed in hoc plane erat, dicit enim Christus Eccli. 44. *Corpora eorũ in pace sepulta sunt.* Quæ verba dicuntur de martyribus, quales fuerunt Apostoli ex q. 28. ergo cum eorũ corpora sint in pace, non possunt esse in loco damnationis, vbi nulla pax est, sed perpetuum bellum. *Secundò*, quidã Ioannes Wesphalus dicebat, quod Apostoli non habebant potestatem condendi canones, & leges, Oppositum probauimus supra sub q. 33. *Tertiò*, Petrus Ioannis sequutus Abbatem Ioachinum docuit, Apostolos prædicasse Euangelium tantum literaliter Responsum fuit, prædicasse omnibus modis q. 51. *Quartò*, alij de secta supradicti Georgij dixerunt, quod Apostolorum doctrina fuit imperfecta, & inutilis ad salutem. Sed contra est, quia eorum doctrina fuit doctrina illis à Christo tradita, ergo perfecta, & vtilis, quia doctrina Christi est perfectissima, & vtilis Paulus 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnes Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendũ in iustitia.* Ex his colligitur eius perfectio, & vtilitas. *Quintò*, Manichæi reiiciebant libros Apostolorum, quos secuti fuerunt Luterus & Caluinus, aliquot admittentes, alios reiicientes. Sed constat ab initio Ecclesiæ illos vsque modo pro Catholicis omnes fuisse habitos, & in posterũ habẽdos, cum illi contineant verbum Dei dictante Spiritu S. *Sexto* Pseudo Apostoli dicebant, Apostolis nõ licuisse habere pecuniam, vel rem aliam, nec in crastinum posse aliquid conseruare. Hos reprobaui sub q. 13. *Septimo*, secta libertinorum calumniatur Apostolos, nam Paulus vocat vas fractum; Petrum abnegatorẽ Christi, Ioannem iuuenem stolidum; Matthæum fæneratorem. Et omnes peccatores, & incredulos. Sed immerito hæc insimulant Apostolos, nam S. Paulus de vase fracto factus est vas electionis, Petrus quidem Christum negauit, fleuit tamen amarè; Ioannes erat quidẽ iuuenis ætate, sed canus sensibus; Matthæus ante vocationem sedebat ad telonium, sed postea ad Christum conuersus non rediit ad mercaturam, Gregor. *hom.* 24. Denique de eorum incredulitate dictum fuit q. 20. Apostoli ergo erant homines, poterant esse peccatores, sed à Christo vocati relictis retibus peccatorum secuti sunt illum & euaserunt serui Dei, & Sancti, vt vniuersa testatur Ecclesia.

Quæres 57. An in suffragiis cum dicitur Matutinum, & Vesperæ, & pariter in oratione *A cunctis* in Missa præferatur commemoratio Apostolorum commemorationibus Angelorum, & Ioannis Baptistæ.

121 ℞. Sacra Rituum Congregatio respondit 22. Augusti 1620. In oratione *A cunctis*, nomina Patronorum, S. Michaëlis, vel S. Ioannis Baptistæ præponi debent Apostolis. Refert Gauantus ad Caput Thesauri num. 24. Decretum eiusdem Congregationis. Et idem ordo seruandus est in Suffragiis recitandis, vt docet idem Gauantus in Rubr. Breuiarij *sect. 5. cap. 18. n. 7.* Neque hæc aduersantur iis, quæ diximus sub q. 55. Apostolos esse maiores Ioanne Baptista, quia hæc maioritas attenditur quoad Apostolatum, & fundationem Ecclesiæ, respectu cuius Ioannes est inferior, cum non fuerit Apostolus, neque Ecclesiæ fundator, vt patet, cum mortuus fuerit decollatione ante existentiam Ecclesiæ Christi; in suffragiis verò hæc non attenduntur, sed sanctitas eorum, in qua Ioannes fuit maior, qui speciali priuilegio in ventre sanctificatus nullum commisit peccatum, Apostoli vero hoc priuilegio non fuerunt dignati, ideo & peccatores fuerunt, merito in commemorationibus postponuntur, quia in officio, & cultu diuino attenditur maior, vel minor sanctitas.

Quæres 58. An duodecim Apostolorum Festiuitates sint de præcepto cum abstinentia à seruilibus?

℞. Affirmatiuè ex Bulla Vrbani VIII. incip. *Vniuersa*, quam extendo sub controuers. 24. initio, ibi: 122
Sanctorum Petri, & Pauli, S. Andreæ S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomæ, Sanctorum Philippi, & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Mathæi, Sanctorum Simonis, & Iudæ, & S. Mathiæ Christi Domini Apostolorum. Iam multo tempore ante erant sub præcepto, sed hic recensentur cum aliis, vt constet, quæ festa sint sub præcepto obseruanda.

Quæres 59. An singulis festis Prædicatorum præmittatur Ieiunium Vigiliæ?

Respondetur affirmatiuè, præter festa Apostolorum Philippi, & Iacobi primo Maij, & Ioannis Apostoli 27. Decembris. De illorum Vigilia sine ieiunio cap. 2. de obseruat. Ieiun. his verbis: *Omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ, præter Vigilias Apostolorum Philippi, & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ, quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem Paschalem, istius autem infra Natalem Domini celebratur.* Inter Pascha & Pentecosten nullum mediat ieiunium nisi in Vigilia Pentecostes. 123

Quæres 60. Cur Missa votiua Apostolorum dicitur Feria quarta?

℞. Albinus fuit institutor missarum votiuarum, 124
quæ scilicet pro arbitrio deuotionis dici possunt, qui prædictæ feriæ præscripsit Missam de Charitate, quæ postea sublata fuit, & in eius locum petita est Missa de Apostolis, quia isti præ aliis flagrabant charitate, & amore, vel quia ea feria Romam sunt ingressi, vt ab erudito viro se didicisse scribit *Vicecomes lib. 3. de Ritib. Missæ cap.* 18. Ita refert Gauantus *part. 1. sui Thesauri tit. 4 de Missis votiuis.* §. *Albino.* Qui etiam dicit præced. tit. vlt. de Introitu Apostolos fuisse auctores Hymni Angelici: *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. 14. Bene *bonæ voluntatis*, & non malæ voluntatis, vt fuit Herodes, qui quærebat animam Pueri, addentes, quod in eo legitur in Ecclesia Dei, & citat Clementem *lib. 7. constit. cap* 48. Ego supra dixi sub num. 85. Paulum non fuisse Roman ingressum Feria quarta, sed Feria sexta ex computatione Literæ Dominicæ.

Quæres 61. An Apostoli omnes habuerint successores? Non loquor de Petro, quia infra sub c. 5. erat specialis quæstio affirmatiua, quod habuit successorem in tota sua potestate.

℞. Apostoli propriè non habuerunt successores, nisi secundum quid Probatur, quia respectu Apostola- 125
tus quatenus dicit fundationem Ecclesiæ, compositionem sacrorum librorum, & prædicationem cum iurisdictione ligandi & soluendi extinctus est cum illis, sola prædicatio remansit, qua Ecclesia indigebat, & hæc ministerialiter. 1. sine iurisdictione fori externi transiuit ad Episcopos, qui ex officio prædicare debent, *cap. Episcopus 6. distinctione* 88. *Tridentin. sess. 5. capite secundo sess. 24. capite quarto.* Exequendo per se, vel alios. Respectu Sacerdotij successerunt quoad Sacramentorum confectionem, & administrationem cum potestate ordinis præcisè, non verò cum potestate iurisdictionis Sacramentalis

respectu Sacramenti Pœnitentiæ, quia Apostoli vtraque potestatem ordinis, & iurisdictionis immediate à Christo receperunt, cap. 2. quæst. 26. Cæteri vero Episcopi, & Sacerdotes ministerio Episcopi solam potestatem ordinis à Christo recipiunt, iurisdictionis vero ab homine, vel à iure iuxta dispositionem sacrorum Canonum, ex quo patet huiusmodi successionem non esse vniuersalem, sex ex parte tantum, & limitatam ad oues tantum consignatas. Idem dicendum est respectu Episcopatus, nam Apostoli tales erant respectu totius orbis conferentes Sacramenta Ordinis, & Confirmationis omnibus fidelibus indifferenter, & totus orbis illorum sine differentia erat territorium, alter alteri non inuidebat, quia interesse ignorabant, & vt dicit Paulus 1. ad Timoth. 6. 8. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus.* Postquam vero alij oculos aperuerunt, & peculium degustarunt, de necessitate facta fuit diuisio Episcopatuum, & Parochiarum ex diuisione locolorum, qui ex auaritia diuisi fuerunt in proprios singulorum. Et ex his patet successio Episcoporum, & Sacerdotum loco Apostolorum fuisse tantum secundum quid, & ex parte. Hoc modo intelligenda sunt, quæ diximus cap. præced. q. 11. Dicunt, simplices Sacerdotes non Apostolis, sed septuaginta duobus Discipulis successisse, sed incongruum non est dicere successisse illos etiam Apostolis ratione Sacerdotij præcise, sicut religiosi ratione professionis, & paupertatis dicuntur Apostolis successisse, Gloss. v. *Apostolorum cap. Videntes 16. 1. q. 1.*

Quæres 62. An Apostoli fuerint Episcopi particularium Ecclesiarum?

126 ℟. Negatiue, sed omnium in communi, & præcipue earum, quas fundabant, & quarum specialem protectioné habebant, iuxta dicta superiùs q. 1. 47. & 48. Ratio est, quia vt Apostoli mandatum habebant eundi ad prædicandum per vniuersum orbem, vt ergo exequerentur mandatum Domini non poterant continuò residere in particulari Ecclesia, ideò nulli in indiuiduo Ecclesiæ addicti fuerunt, sed omnes Ecclesias indifferenter visitabant, sine interesse, erat tunc pusillus grex, nullum extabat beneficium nec tenue, nec pingue, quod posset inducere meum, & tuum, quærebant animas, non beneficia.

Quæres 63. An omnes Apostoli fuerint Doctores?

127 ℟. Affirmatiuè, & probatur ab effectu Act. 2. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis.* Item n. 11. *Audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Spiritus ergo sanctus Apostolos in die Pentecostes insigniuit laurea sacræ Theologiæ, vt colligitur ex eorum prædicatione, quæ illo die fuit mirabilis, attribuitur enim Spiritui sancto collatio, infusio scientiæ, ex Ioan. 14. 26. *Spiritus sanctus docebit vos omnia.* Omnes ergo Apostoli promoti fuerunt à Spiritu sancto ad lauream Theologiæ. Confirmatur, quia id expresse de nonnullis affirmatur, in primis de Paulo, qui de seipso dicit 1. ad Timoth. 2. 7. *Doctor gentium, in fide, & veritate.* Item 2. ad Timoth. 1. num. 11. *Ego Prædicator, & Apostolus, & Magister gentium.* Et in Hymno: *Doctor egregiè Paule mores instrue.* De S. Andræa Respons. 3. *Doctor bonus, & amicus Dei Andreas ducitur ad Crucem.* Ioannes Apostolus commendatur Doctor per octauum responsorium de communi Doctorum. S. Gregorius relatus lect. v. de communi Apostol. idem confirmat his verbis: *Quales namque Doctores S. Ecclesiæ ante aduentum huius Spiritus fuerint scimus, & post aduentum illius, cuius fortitudinis facti sint, conspicimus.* Omnes igitur S. Apostoli fuerunt Doctores, Magistri, & primarij Theologi Ecclesiæ Catholicæ.

Quæres 64. An Apostoli fuerint Inquisitores? Affirmant Paramus lib. 2. tit. 1. c. 1. Torreblanca in Epitome delictorum c. 20. n. 38. quorum dicta non placent saltem quoad modum dicendi. Salelles *Prolegom. 1. n. 42. vsque ad finem.*

℟. Fuerunt Inquisitores fidei non hoc eleganti 128
nomine, quod non erat in vsu, sed exercitio profligationis hæresum, & hæreticorum, nam si tunc erant hæreses, vt de fide credendum est, de quibus Act. 5. 17. Item cap. 15. 5. Item cap 24. 14. Item 1. Corinth. 11. 19. *Oportet & hæreses esse*, ergo & oportet Inquisitores esse, hoc est ministros, & Episcopos, qui illarum pullulationem eradicent, & hæreticos puniant, aliter Christus Ecclesiæ suæ non prouidisset, vt erat necessarium, & cui ideo prouidit, iuxta Matthæi verba: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; ergo id munus ab ineunte Ecclesia spectabat Apostolos, qui erant tunc potiores ministri in primitiua Ecclesia. *Confirmatur*, quia ad officium Episcopi pertinet extirpare hæreses, vnde Episcopi dicuntur ordinarij iudices in hac causa, *ex cap. Per hoc 17. de hæret. in 6.* ibi Barbosa *numero 2. 3. 4. & 5. quos Salelles Prolegom. 2. numero duodecimo, & Prolegom. 10. numero quinto.* vocat iudices ordinarios de iure diuino contra hæreticos; sed Apostoli omnes fuerunt Episcopi, ex dictis supra n. 75. ergo fuerunt Inquisitores contra hæreticam prauitatem re, si non nomine, quod tunc non erat in vsu, sed eius exercitium.

CAPVT IV.

De Petro Ecclesiæ Pastore.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor dignitates habuit Petrus.*
2 *De origine Petri.*
3 *Cephas idem quod Petrus.*
4 *Simon Ioannis cur vocatur à Christo in traditione clauium?* 51.
5 *Perpetua vocabatur vxor Petri martyr.*
6 *Piscator fuit Petrus piscium, & hominum.*
7 *Petrus primo omnium vocatus fuit à Christo.*
8 *Prior nominatus est dignior.*
9 Alius *pronomen refert simile antecedens.*
10 *Nouitiatum fecerunt Apostoli antequam eligerentur.*
11 *Andreas putatur senior* Petro.
12 Adductio *fit de minori fratre per maiorem.*
13 *Peccatum vnicum negationis commisit Petrus tribus vicibus.*
14 *Argumentum ab auctoritate negatiua tenet.*
15 *Petrus nunquam incidit in hæresim.*
16 *Pro illo Christus rogauit quando illi imposuit nomen Cephas.*
17 *Petrus non fleuisset, si Christus illum non respexisset.*
18 *Modica fides erat in discipulis, quia erant incipientes.*
19 *Malcho Petrus amputauit auriculam dexteram.*
20 *Non peccauit* Petrus.
21 *Defensio enim Magistri iusta est contra iniquum inuasorem.*
22 *Petrus seruando ex fine bono legalia non peccauit.*
23 *Simulatio ex causa licita non est peccatum.*
24 *Legalia erant mortua, sed non statim mortifera.*
25 *Petrus petendo gressum super aquas non fuit curiosus.*
26 *Impedire cupiens passionem Christi non peccauit.*

27 Petrus

27 *Petrus in hoc mundo nunquam posuit fœlicitatem.*

28 *Interrogatio, quis illorum esset maior non fuit facta à Petro 66.*

29 *Quærere præcedentiam debitam non est ambitio.*

30 *Præcedentia est res magni momenti.*

31 *Honor cæteris præponitur etiam vitæ.*

32 *Præcedentia est ius honoris.*

33 *Petrus nolebat restringere facultatem remittendi peccata, sed instrui?*

34 *Prudentia fuit, non auaritia quærere quid futurum esset de illis.*

35 *Nolebat lotionem pedum ex humilitate.*

36 *Vigilare debebant Apostoli ex consilio Christi, non ex præcepto.*

37 *Fuga Petri non fuit peccatum.*

38 *Petrus volens mori cum Christo non intendebat Christum facere mendacem.*

39 *Resurrectionem ignorabat Petrus nondum reuelatam.*

40 *Curiosus non fuit Petrus inquirendo de Ioanne.*

41 *Sensus obscurus in bonam partem interpretandus.*

42 *Dubia sunt in meliorem partem interpretanda.*

43 *Delicta non præsumuntur.*

44 *Peccatum dubium interpretatur veniale.*

45 *Peccator nemo præsumitur.*

46 *Peccatum mortale non ita facile asserendum.*

47 Conuerte gladium tuum in vaginam. *Cur Petro dictum.*

48 *In amore erga Christum Petrus excessit alios Apostolos.*

49 *Prærogatiuæ triginta Petri.*

50 *Petrus electus à Christo in Papam, & caput totius Ecclesiæ.*

51 *Petrus cur tot vocabulis expressus in receptione clauium.4.*

52 *Soli Petro immediatè, & non Ecclesiæ claues datæ fuerunt.*

53 *Satana non erat Petrus, quando recepit claues, nec cum illi promissæ sunt.*

54 *Confessus est solus Christum filium Dei viui, cui etiam soli fuerat reuelatum.*

55 *Petrus fuit auditor Patris, sed claues habuit vt filius Ionæ.*

56 *Fides ex sua natura ducit ad salutem, non ad receptionem clauium.*

57 *Claues moriente Papa remanent apud Christum cum noua traditione.*

58 Quæcumque alligaueritis *referuntur ad potestatem fori, externi, non ad Papatum.*

59 *Potestas fori externi Apostolis omnibus data cum Apostolatu & reliquis.*

60 *Claues etiam aliis Apostolis datæ, vt excludunt Papatum.*

61 *Claues primo de Papatu, analogicè de aliis potestatibus.*

62 *Clauium nomine intelligitur Papatus cum eius possessione.*

63 *In temporalibus quoque traditione clauium vtrumque demonstratur.*

64 *Prædicatio mouet ad reconciliationem, sed non reconciliat.*

65 *Petrum futurum Papam didicerunt Apostoli post resurrectionem.*

66 *Apostoli non contendebant de maioritate Papatus sed Apostolatus 28.*

67 Pascere oues *quid significet?*

68 *Virga significat potestatem.*

69 Pascere *propriè importat iurisdictionem.*

70 *Potestas non dependet ab exercitio, & vsu, sed è contra.*

71 *Iudex malus iurisdictionem non perdit.*

72 Ouium, & Agnorum *nomine quid veniat.*

73 Pasce oues meas *venit omnis existens intra ouile.*

74 *Infideles extra ouile pascuntur Virga ferrea.*

75 *Oues commendatæ Petro etiam Apostoli.*

76 *Agni veniunt Iudæi, & Gentiles.*

77 *Agni dicuntur Apostoli.*

78 *Ecclesia tota Petro fuit commendata.*

79 *Indefinita æquipollet vniuersali.*

80 *Cur Christus dixerit:* Docete omnes Gentes, *& Petro non.* Pasce omnes oues.

81 *Petrus per se, vel per alios pauit omnes oues.*

82 *Paulus fuit ouis Petri, cui dedit suum Euangelium approbandum.*

83 *Prædicandi mandatum de iure diuino, diuisio ad prædicandum facta per Petrum.*

84 *Correctio ostensiua sit à subdito erga superiorem non increpatiua, 116.*

85 *Maior mittit minorem, non è contra.*

86 *Missio passiua Petri ad Samaritanos fuit consultiua, non præceptiua. 115.*

87 *Petrus nunquam dubitauit esse prædicandum gentibus.*

88 *Visio illi facta de Cornelio baptizando.*

89 *Christus sine consortio Apostolorum elegit Petrum.*

90 *Apostoli voluerunt electionem Petri voluntate recognitionis, & subiectionis.*

91 *Quo die Claues Regni cœlestis recepit.*

92 *Quoto tempore vixerit in Papatu.*

93 *Rexit Ecclesiam quatuor Cæsaribus imperantibus.*

94 *Vicarius Christi non successor.*

95 *Successoris, & Prædecessoris conditiones.*

96 *Vltimum, quod Christus dedit fuit Papatus.*

97 *Fundamentum, & primus lapis Petrus.*

98 *Petrus est Petra & non alius.*

99 *Fundamentum Ecclesiæ duo Christus, & Petrus.*

100 *Petrus aliter fundamentum, quam alij Apostoli.*

101 *Petræ nomine litteraliter non venit fides.*

102 *Sine fide non est aptum fundamentum, fides est fundamentum sed non lapis.*

103 *Petræ nomine non venit omnis homo.*

104 *Petra dici potest omnis homo propagationis, solus Petrus lapis fundamenti.*

105 *Maior Petrus cæteris.*

106 *Maioritas quomodo cognoscatur.*

107 *Primatus Petri non redarguitur.*

108 *Prælatus debet se gerere ac si esset minor.*

109 *Quæstio inter Apostolos non erat de Primatu Petri.*

110 *Duo capita eiusdem corporis moralis subordinata non est monstrum.*

111 *Petrus comparatus ad Christum est membrum, ad cæteros est caput.*

112 *Apostoli in ordine ad Christum omnes membra.*

113 *Operationes Apostolorum communes quoad substantiam, non quoad modum.*

114 *Electus fuit Petrus Papa ex conuenientia.*

115 *Mittens est maior misso.*

116 *Maior corrigi potest à minore.*

117 *Iacobus non habuit primatum Ecclesiæ.*

118 *Paulus cur dictus Apostolus antonomastice.*

119 *Manus dextera significat maioritatem.*

120 *In picturis, & sculpturis non probat.*

121 *Manus dextera quandoque seruitutem.*

122 *Clementem successorem Petrus sibi elegit.*

123 *Cur hunc elegit adhuc viuens?*

124 *Clementis Pater vocabatur Faustinus.*

125 *Clementis Epistola ad Iacobum defenditur.*

126 *Linus & Cletus fuerunt solum coadiutores Petri non Papæ.*

127 *Petrus nullam potestatem contulit Apostolis.*
128 *Successorem perfecte habuit Petrus, alij inadaquate.*
129 *Leges aliorum Apostolorum abrogare potuisset, si fecissent.*
130 *Papa duo simul esse non possunt.*
131 *Paulus non fuit simul Papa cum Petro.*
132 *Definitum de fide non posse simul duos Papas.*
133 *Potestas primatus quomodo cognoscatur diuersa ab aliis.*
134 *Ex septem dignoscitur potestas Papatus.*
135 *Baptizatus fuit Petrus à Christo.*
136 *Romæ Petrus habitauit, & exercuit suum officium.*
137 *Huius erroris, quod Petrus Romæ non fuerit, quis fuerit auctor?*
138 *Roma vocatur Babilon.*
139 *Ecclesia Romana non dedignatur imitari alias Ecclesias.*
140 *Cathedra Petri Romæ cœpta celebrari 1557.*
141 *Romæ Petrum non fuisse probant Haretici.*
142 *Negatiua quomodo probatur.*
143 *Testibus duobus affirmantibus magis creditur, quam mille negantibus.*
144 *Nouitates sunt fugiendæ.*
145 *Senibus credendum.*
146 *Oculatis testibus magis creditur, quam auritis.*
147 *Romæ occubuit Petrus.*
148 *Quinam Petrum sepelierint.*
149 *Ex illis, id est, aliqui illorum.*
150 *Romæ Petrus mortuus Papa.*
151 *Sedes Papatus iure diuino fixa Romæ.*
152 *Tria in Papatu institutio, successio, & in tali loco.*
153 *Romanus Pontifex declaratur successor Petri, & Episcopatus Romæ.*
154 *Mors Petri fuit executio diuini præcepti.*
155 *Romæ in quibus locis Petrus exercuerit suum officium.*
156 *SS. Cosmæ & Damiani Romæ.*
157 *Mamertinus Carcer conuersus in Ecclesiam.*
158 *Processus, & Martinianus Custodes Petri conuersi ad fidem.*
159 *Imperatorum quatuor electio, & mors.*
160 *Tabula annorum Petri in Pontificatu.*
161 *Petronilla filia naturalis legitima Petri.*

1 QVatuor cernuntur in Petro dignitates, Apostolatus, Præsbyteratus, Episcopatus, & Papatus. Ratione Apostolatus cum aliis fundauit Ecclesiam, & Scripturã Sanctam dictante Christo, & Spiritu Sancto cum aliis composuit, & in scriptis redegit. Ratione Præsbyteratus cum illis sacrificauit, Sacramenta confecit, & fidelibus ministrauit. Ratione Episcopatus contulit cum eisdem ordines, & Sacramentum Confirmationis. In prædictis omnes Apostoli pares cum Petro fuerunt inter se, dicente Anacleto Papa relato cap. 2. dist. 21. *Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt.* Paritas ergo in eo consistit, quod omnes à Christo ordinati fuerunt Apostoli, Sacerdotes, & Episcopi, ita quod pares erant quoad collationem passiuam, quia omnes indifferenter vnus independẽter ab alio ordinati fuerunt à Christo prælibatis dignitatibus, siue ordinis, siue iurisdictionis. Differunt verò à Petro in vsu earum, quia Petrus munus suum exercebat, cum dependentia tantum ad ipsum Christum, à quo potestatem acceperat, tanquam à suo capite, sine quo vti membrum ab ipso viuificatum non operabatur. Cæteri vero Apostoli non solum à Christo vt Petrus dependebant quoad potestatem, & eius vsum, sed etiam à Petro, tanquam à capite subordinato in vsu, & exercitio suarum potestatum, & hoc ius vt alij ab eo dependerent, habuit immediatè à Christo ex titulo Papatus, qui illi soli collatus fuit ab eodem Christo Domino, ratione cuius eminebat super omnes alios non solum Apostolos, & Discipulos, sed etiam fideles, & reliquos homines cuiuscumque status, sectæ, & conditionis. De Petro igitur qua Papa est hic agendum.

Quæres igitur primo de origine Petri?

℞. Simon Petrus de Bethsaida Galileæ fuit filius 2
Ioannis frater Andreæ habens vxorem nomine Perpetuam cum duobus filiis, professione piscator, fortunis pauper. *Simon* est eius nomen proprium sibi à Patre impositum. *Petrus* est cognomen eius, idem, quod Cephas illi donatum à Christo Ioannis 1. 42. *Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus.* Quamuis 3
idem significant, tamen ad duo referri possunt, primò significant Petram solidam, firmam, duram, & adamantinam, super quam Christus fundaturus erat suam Ecclesiam, prout ei dixit Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Necesse ergo fuit facere electionem de saxo durissimo, & multum apto, vt fuit Petrus, qui posset sustinere pondus tam grauissimæ molis ædificij Ecclesiæ. Secundò *Cephas* significat Principem, & caput habens primatum super omnes, Vigilius Papa. *Cephas vocatur, quia caput, & primus est omnium Apostolorum.* Item cap. In nouo 2. dist. 21. ex Anacleto Papa: *Vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, idest, caput, & principium teneret Apostolatus.* Isidorus lib. 7. Etimolog. cap. 9. *Cephas dictus eo quod in capite sit constitutus Apostolorum.* Est ergo Lapis vt caput, quia lapis ponitur in capite anguli, non quilibet, sed electus, pretiosus, & expolitus, atque quadratus, vt fuit Petrus.

De Bethsaida Galileæ, expressum Ioan. 1. 44. *Ioannis filius*, seu Ionæ, de quo Matth. 16. 17. Ioan. 1. 42. *cap. 21. 15. ad* 18. vbi vocatur filius Ioannis, quo nomine vocabatur eius Pater; Christus quando promisit Petro Papatum, vocauit illum filium Ionæ Matth. 16. 17. *Beatus es Simon Bariona.* Hoc nomen Bariona secundum Hieronymum lib. 3. comment. in Matth. tom. cap. 16. sonat. *Filius Columbæ.* Quando vero Pa- 4
patum illi promissum contulit nuncupauit Ioan. 21. 15. *Simon Ioannis diligis me plus his*, tribus vicibus illum hoc nomine nuncupauit, vt recordando illi suum statum infimum, quem in sæculo habebat, non superbiret, si à Christo eleuabatur ad tam eximiam dignitatem, quâ in hoc mundo maior esse non potest.

Nomen matris eius ignoratur, vxor verò vocaba- 5
tur Perpetua, quæ fuit filia Aristobuli fratris Barnabæ Apostoli, martyrium subiit pro Christi nomine Petro exhortante, vt dixi cap. præced. num. 32. & ex ea antequam vocaretur à Christo genuit duos liberos, masculum, cuius nomen ignotum est, & Petronillam Virginem, de qua ibidem. Vxorem post vocationem reliquit quoad copulam, aluit vero cum filia tanquam sororem.

Professione fuit piscator Matth. 4. 18. *Ambulans* 6
autem Iesus iuxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare, erant enim piscatores. Quod exercitium prosecuti sunt etiam post mortem Christi, Ioan. 21. 3. *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei. Venimus & nos* cum eo erant Thomas, Natanaël, filij Zebedæi, & alij duo ex Discipulis.

Quæres 2. An Petrus inter alios Apostolos fuerit primo à Christo vocatus?

℞. Petrus cum fratre Andrea primo inter alios vo- 7
cati fuerunt, vt dicitur expresè Matth. 4. 18. citatis eius verbis mox, Marci 1. 16. *Et præteriens secus mare Galileæ vidit Simonem, & Andream fratrem eius mittentes*

tentes

tentes retia in mare, erant enim piscatores, & dixit eis
Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores ho-
minum. Quamuis hæ duæ auctoritates probent simul-
8 tatem vocationis vtriusque Apostoli, & prioritatem
dignitatis in Petro respectu Andreæ, quia prior no-
minatus & dignior, Bartol. *in l. 1. ff. de alim. præstandis*
Angel. *in l. Generaliter §. Siquidem ff. de fideicom. li-*
bert. ab ordine enim litteræ sumitur efficax argumen-
tum præcedentiæ Decius *in cap. Sedes, de reser. n. 22.*
& cap. Decernimus, de iudic. n. 21. Tamen non pro-
bant illos prius aliis vocatos fuisse, quia cum aliis in
vocatione non conferuntur, vnde aliunde id proban-
dum est, constat autem Petrum cum fratre præ aliis
vocatos fuisse ex Matth. 4. 21. *Et procedens inde vidit*
alios duos fratres, Iacobum Zebedei, & Ioannem fra-
trem eius in naui cum Zebedeo Patre eorum reficientes
retia sua, & vocauit eos. Ex quibus constat filios Ze-
bedei fuisse vocatos post Petrum, & Andream, vt in-
sinuant ea verba, *Et procedens inde,* id est, discedens à
Petro, & Andrea, *vidit alios duos fratres* pronomen
9 *alios* refert, & denotat alios ante ipsos fuisse vocatos,
illud enim pronomen respicit dicta antecedenter,
cum quibus habetur conuenientia, & similitudo, *l. 3.*
C. de seruis fugit. Decius cap. 2. de iudic. num. 9. Petrus
ergo inter alios fuit primo vocatus. Sed nunquid eo-
rum vocatio fuit simul cum electione ad Apostola-
10 tum? Non, sed electioni permiserunt nouitiatum, vt
ita dicam, Christus enim voluit prius illos probare, &
ab illis probari, & deinde illos omnes qui eum seque-
bantur, Discipulos ad se vocatos, ex illis duodecim
ex melioribus elegit ad Apostolatum, vt dictum fuit
cap. præced. q. 1.

Quæres 3. An Petrus cæteris Apostolis fuerit æta-
te senior?
11 ℞. Eius frater Andreas putatur senior ex opinione
Epiphanij hæresi 51. Baronij ad annum 31. §. 23.
Leorini *in cap. 1. Act. §. 3.* Et id probatur Ioan. 1. 40.
Erat autem Andreas frater Simonis vnus ex duobus,
qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum, inuenit
hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei: Inueni-
mus Messiam, quod est interpretatum Christus, & addu-
xit eum ad Iesum. Andreas suum fratrem Simonem
adduxit ad Iesum, ergo ille hoc erat senior, nam ma-
ior natu adducit minorem natu ex conditione ætatis,
12 ad quod facit illud Genes. 42. 20. *Fratrem minorem*
vestrum adducite ad me. Illa igitur adductio non est
leuis coniectura asserendi, quod diximus. Sed quis
erat alter ex duobus, quem Euangelista non nomina-
uit; Vgo hic suspicatur fuisse ipsum Ioannem, qui ex
humilitate se non vocat proprio nomine.

Quæres 4. An Petrus ante vocationem, vel post
aliquando peccauerit mortaliter? Hæretici Magde-
burgenses illi impingunt quindecim peccata grauia,
quæ Bellarminus *lib. 1. de Romano Pontifice cap. 28.*
recenset, & refellit.
13 ℞. Præter peccatum negationis Christi, nullum
aliud peccatum Petrus commisit. Hæc negatiua pro-
batur negatiue, quia ex eius gestis in Sacra Scriptura
recensitis nullum colligitur peccatum, ergo non pec-
14 cauit. Argumentum procedit ab auctoritate negati-
ua, quod tenet, & validum est, vt docet *gloss. v. Statu-*
tum Extrau. Ioannis XXII. de voto, per cap. 2. §. Sed
neque de translat. Episc. Et certè negatiua alio modo
non potest probari, nisi respondendo argumentis,
quæ hæretici referunt probantes suum intentum, ipsis
enim vti affirmantibus competit probatio, & nobis
refutatio argumentorum.

Primum peccatum Petri fuit infidelitatis, & incre-
dulitatis, quod probant *primò* ex negatione Christi
Matth. 26. 69. ad 74. *Nescio quid dicis. Iterum negauit*
cum iuramento, quia non noui hominem. Tunc cœpit dete-
stari, & iurare, quia non nouisset hominem. Idem refer-
tur ab aliis Marco 14. 66. vsque ad finem capitis; Lu-
ca 22. 56. ad 61. Ioanne *cap. 18. 25. & 26.* Manife-
stum ergo est, Petrum ter Christum negasse cum iu-
ramento his, ac proinde fidem illi datam, Matth. 26.
35. *Si oportuerit, me mori tecum non te negabo.* Christus
sæpe reprehendit Petrum solum, & cum aliis Disci-
pulis modicam habere fidem, vt patet Matth. 14. 31.
Modicæ fidei, quare dubitasti? Marci 4. 36. *Quid timidi*
estis, nedum habetis fidem. Petrus ergo cum cæteris A-
postolis fide carebant.

Contra est, quia Petrus nunquam fuit reus crimi- 15
nis infidelitatis, seu hæresis, nam Christus pro illo ro-
gauit Patrem, ne vnquam deficeret fides eius Lucæ
22. 32. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Ora-
tio autem Christi fuit efficax, quia semper à Deo
exauditur, Ioan. 11. 42. *Quia semper me audis.* Quo die, 16
quo anno rogauerit pro ipso, ignoratur, verisimile
tamen est, quod hoc priuilegium illi obtinuerit initio
vocationis, quando imposuit illi nomen Cephas
Ioan. 1. 42. *Tu vocaberis Cephas,* idem enim est dice-
re: *Tu eris caput Ecclesiæ,* ergo tunc pro ipso rogauit,
vt non deficeret in fide, decebat enim, vt paulatim à
Christo disponeretur ad tam grandem dignitatem
cum fundamento stabili, & firmo fidei, quæ est radix
Catholicæ Ecclesiæ.

Ad primam auctoritatem de negatione dico, Pe-
trum quidem peccasse grauiter negando Magistrum,
cui, & cum quo mori promiserat, si oportuisset, fuit er-
go peccatum contra fidelitatem, & pietatem debitam
Magistro, non stando promissis, non confitendo illum
cognoscere, quem cognoscebat, mendax ergo fuit, &
periurus, id negari non potest, quia clarè constat. Nul-
lum tamen commisit peccatum contra fidem, quia hæ
negationes, *Nescio quid dicis, Non noui hominem.* Mē-
dacia sunt, non hæreses, quia nihil affirmauit, neq; ne-
gauit de Christo aliquod prædicatum fidei, sed ore
finxit se Christum non cognoscere, quem corde nos-
cebat, & illi credebat. Fuit ergo Petrus mendax, per-
iurus, non hæreticus vocalis, & multo minus menta-
lis. Fleuit amare suum peccatum, obtinuit à Deo ve-
niam, quia Christus illum respexit, Lucæ 22. 61. *Et* 17
conuersus Dominus respexit illum. Non potuisset flere
Petrus, nisi Magister gratia præueniente illum respe-
xisset, & coadiuuasset in persecutione fletus amaritu-
dinis. *Conuersus Dominus,* nostra conuersio primum
incipit à Deo, qui conuertitur ad nos, vt ipso perue-
niente conuertamur ad illum. *Dominus,* quia suauiter
dominatur nostro libero arbitrio, quod volens præ-
parat ad pœnitentiam.

Ad secundam de modica fide, dico qui habet mo- 18
dicam fidem adhuc fidelis est, nec incredulus est, quia
modicus dicitur, quatenus incipiens est, modicam ha-
bet fidem, quia non feruet in ea, nam Discipulus est,
nondum magister. Non peccauit Petrus, quia in fide
non defecit, habebat enim firmam fidem, quod Chri-
stus potuisset illum ambulare facere super aquas. *Do-*
mine si tu es, id est, si es verus Magister meus & non
aliquod phantasma, *iube me venire,* quia credo te id
posse facere. *Videns ventum validum timuit,* initio ma-
re non fluctuabat, sed postmodum, ideò timuit super-
ueniente vento mersionem. *Timuit,* non dubitauit quia
liberè, & sine hæsitatione implorauit auxilium: *Do-*
mine saluum me fac timuit tamen, quia ignorabat ef-
fectum auxilij. Nullum ergo apparet peccatum infi-
delitatis in Petro.

Secundum peccatum fuit amputationis auriculæ 19
Malcho Ioan. 18. 10. *Simon Petrus habens gladium,*
eduxit eum, & percussit Pōtificis seruum, & abscidit au-
riculam eius dexteram, erat autem nomen seruo Mal-
chus. Quod Petrus peccauerit patet ex eo, quia nullus
propria auctoritate alterum percutere potest, vnde ad
id faciendum petiit licentiam à Christo Lucæ 22. 49.
Domine,

Domine, si percutimus in gladio, qui non respondit, sed redarguit illum Matth. 26.52. *Conuerte gladium tuum in vaginam suam*, Peccauit ergo grauiter, & contra obedientiam sui Magistri, qui præceperat, vt non percuteret.

20 Contra est, quia Petrus non peccauit amputando auriculam Malcho, nam quilibet non solum seipsum,
21 sed etiam proximum, & præcipuè Magistrum, cui Discipuli multum debent, defendere potest sine peccato, percutiendo inuasorem, vt docent omnes cum Nauar. *cap.* 24. *num.* 16. §. *In num.* 12. inquit enim S. Ambrosius relatus cap. Non inferenda 7.23.q.3. *Qui enim non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit.* Ne igitur Petrus reus esset captionis sui Magistri defendit illum, quantum potuit, existimando per illam percussionem deterrere illos malefactores, & ponere in fugam, & sic liberare Christum ab illa inuasione. Et quod id fecerit titulo defensionis sui Magistri, credens se bene facere, & non esse contra illius intentionem, immo de mente illius, colligitur ex verbis, quæ paulò ante, inter cænandum dixerat Iesus, Lucæ 22.36. *Et qui non habet*, supple gladium, *vendat tunicam suam, & emat gladium* num. 38 *At illi dixerunt, Domine; ecce duo gladij hic: At ille dixit eis: Satis est.* Petrus Christo ostendit gladios, & alterum sibi accinxit, vt Christum defenderet ab inuasione hostium. Neque illa Christi taciturnitas arguit de inobedientia Petrum, *qui enim tacet, non fatetur*, sed nec negare vtique videtur 44. de regul. iuris, poterat enim Christus hoc illi prohibere, & non prohibuit, maximè cum interrogauerit, an sibi liceret, Christus ergo non respondendo, reliquit illum in sua libertate iuris naturæ defendendi proximum sine peccato; Neque ex præcepto, quod Christus Petro fecit de conuersione gladij in vaginam Petrum redarguit illum reum præcisionis, præcepit enim, ne amplius quemquam percuteret, neque suam passionem impediret, Quod Petrus non peccauerit in hoc asserunt multi Patres cum Theologis apud Ioannem Carthagenam *lib.* 10. *de sacris Arcanis Christi homil.* 6. §. *Verum licet*, vbi antecedenter alios Patres retulerat asserentes eum peccasse, sed puto veriorem sententiam, quam probaui.

Tertium peccatum est Iudaismi, nam Petrus obseruabat adhuc ritus iudaicos palam cum ipsis Hebræis, conuersando vero cum Gentilibus conuersis cum eis edebat, quæ Hebræis non licent, cum eisdem vero simulabat, vt legitur ad Galatas 2. 11. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, priusquam enim venirent quidam à Iacobo cum Gentibus edebat, cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant; & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, itavt, & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem, sed cum vidissem, quod rectè non ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo Gentes cogis iudaizare. Nos ex natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores* Duo ergo hic peccata sunt, alterum quod Petrus cum Iudæis legalia seruabat, alterum vero, quod in his simulabat, vt deciperet Iudæos, & Gentiles.

22 Contra est, quia Petrus seruando legalia non peccauit, id enim fecit, ex duplici ratione, & vt ostenderet, legem Mosaicam fuisse sanctam, & à Deo datam, & vt hoc modo Iudæos paulatim alliceret ad fidem, Ritus autem Iudæorum non obseruabat, vt erant figura Christi venturi, cum iam venisset, eo enim fine peccasset, sed vsus fuit legalibus cum illis, vt hoc modo illos Christo lucrifaceret, vnde quando erat cum Gentilibus, non iudaizabat, sed secundum Euangelium viuebat. Simulatio autem non semper peccatum est, sed tunc solum cum nulla subest causa simulandi, & de se non potest esse nisi veniale, vnde de Christo dicitur Lucæ 24.28. *Finxit se longius ire*, huius generis fuit finctio Petri, ex causa, & ideò sine peccato. 23
Quamuis per mortem Christi legalia sint mortua, tamen non cœperunt statim esse mortifera adhibita & 24
obseruata ex bono fine, sed eorum obseruatio pro aliquo tempore fiat necessaria, vt Iudæi facilius reduci possint ad fidem, vt docui cap. præced. q. 52. Ab hac controuersia satis difficili, & celebri apud Augustinum, & Hieronymum Epist. 11. huius ad illum, & Augustini *Epist.* 19. *ad Hieronymum*, quidam se expediunt, dicentes alium Cephas à Petro fuisse reprehensum, sed reuera fuit Petrus ex contextu verborum.

Quartum peccatum fuit curiositatis Matth. 14.28. *Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. Et ipse ait, veni; & descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum, videns vero ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac.* Illam curiositatem fuisse peccatum constat ex pœna mersionis.

Contra est, quia si curiositas fuisset, Christus non 25
annuisset, sed illum reprehendisset, neque enim Iesus consentit, vt actus curiositatis fiat, neque multo minus illos iubet, sed prohibet. Petrus petiit ambulationem super aquas, non ex curiositate, sed vt per tale miraculum Christus laudaretur à circunstantibus. Mersio illa causata à fluctibus venti non fuit pœna, sed effectus suspensionis diuini auxilij, vt Petrus experiretur Christum in illam ambulationem continuè influere, vt sit miraculosa, non enim ad miraculum hoc sufficiebat dicere veni, sed illa ambulatio coadiuuanda successiuè erat, vt miraculum perficeretur in eius successione motus localis. Vide n. 18.

Quintum peccatum fuit impedire passionem Christi, cum Matth. 16. 22. dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ex quo Christus vocauit eum Satana.

Contra est, qui ibi nullum fuit peccatum, ea enim 26
verba protulit ex quodam amore excessiuo, quo Christum diligebat, adeo quod quantum ex se erat, eius mortem impediuisset, si potuisset hoc facere sine peccato, & hunc amoris excessum protestatus fuit, cum illi Matth. 26.35. dixit: *Si oportuerit, me mori tecum, non te negabo.* Non intendebat ergo impedire eius passionem, quando edoctus fuit eum esse passurum pro redemptione humani generis, sed seipsum exhibuit cum illo mori, si oportuisset; ante autem ignorabat necessitatem mortis Christi, vt testatur Euangelista ibidem: *Non sapis, quæ Dei sunt.* Esto directè voluisset tunc impedire passionem Christi, adhuc non peccasset, quia tunc ignorabat obligationem, quam Christus habebat moriendi, vnde in passione volebat cum eo mori, vt diuina voluntas impleretur. Vocatur autem Satana ex simplici increpatione, non ex vitio, quo carebat. Carthusianus art. 29. super hoc Euangelium.

Sextum peccatum, quod in hoc mundo ponebat fœlicitatem æternam ex illis Matth. 17.4. verbis. *Domine bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula.*

Contra, quia ex illis verbis nullum colligitur pec- 27
catum, nec quod in hoc mundo posuerit æternam fœlicitatem, nam bonum erat ibi manere, vbi agebatur de gloria, ac proinde poterant ibi fieri tria tabernacula, in quibus manerent cum Christo Moyses, & Elias, pro eo tempore, quo Christo placeret, respexit ergo Petrus ad illam commoditatem domus, in qua honorifice poterant illi Sancti Patres cum Christo habitare.

Septimum peccatum constituunt in ambitione, qua

qua Petrus cum aliis quærebat, quis eorum futurus esset maior, Matth. initio cap. 18.

28 Contra est, quia ea interrogatio fuit facta ab aliis Discipulis, non à Petro, qui tunc, vt legitur in fine cap. præcedentis, à Christo missus fuerat ad inueniendum staterem in ore piscis, vt tributum solueret. Esto Petrus hoc quæsiuisset, adhuc ambitiosus non fuisset nec vllo modo peccasset, nam primos accubitus, & digniora loca quærere, non est nota ambitio-

29 nis, nec superbiæ signum, quandocumque iure, & legitimè debetur quærenti, in ea enim bonus, immo optimus finis reperitur, vt nimirùm ordo in omnibus seruetur, quod non tantum laudabile est, & iuri consonum, vt alter alteri præsit, & præferatur *l. 1. & 2. C. vt dign. ordin. seru. lib.* 12 *l. Leges* 13. *C. de erog. milit. annon.* Menoch. *liu. 2. consil.* 126. *initio,* Gratian. *discept.* 845. *num.* 2 sed etiam necessarium, quia sine ordine

30 omnia confunduntur, *cap. Peruenit* 39. 11. *q.* 1. Quare causa præcedentiæ est res magni momenti, vt dixit Puteus *lib. 2, decis,* 440. *& lib. 3. decis. 6.* Seraphin. *decis.* 22. *num.* 2. Gonzal. *ad regal.* 8. Cancell. *in procemio gloss.*

31 4. *num.* 34. est enim præcedentia ius honoris, *cap. 1. de maior.* honor autem est tantæ æstimationis, quod non

32 solum rebus familiaribus anteponitur, *l. Iulianus, ff. si quis omiss. caus. testam.* verum etiam vitæ comparatur, Craueta *consil.* 2. *num.* 18. immo antefertur, Farinac. *de accusat. q.* 15. *num.* 6. vnde crudelis dicitur, qui honorem suum negligit, *cap. Nolo* 10. 12. *q.* 1. Præcedentiam esse quid non leuis momenti Peyrinus *ex Minimis maior de Prælato q* 3. *cap.* 1. *num.* 152. deducit ex maioratu acquisito à Iacob contra Esaü, & ex illo Eccli 32. 4. *Loquere maior natu, decet enim te.* Ex quo Præpositus in cap. Episcopus dist. 17. colligit digniorem primo loqui debere in negotiis concludendis. Ex his constat quæstionem facere de maioritate non esse peccatum, sed bonum, & necessarium ad conseruationem ordinis in collegiis, & congregationibus, non ergo Petrus fuit ambitiosus, sed prudens, neque Christus super hoc quæsitum Discipulos arguit, sed docuit humilitatem eos, vt qui futurus erat maior inter eos esset humilis & seruus aliorum, non superbus, quia Deus illis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Octauum volunt consistere in eo, quod Petrus volebat restringere remissionem peccatorum ad numerum septenarium.

33 Contra, nam Petrus ignorans quid facturus esset in absoluendis peccatoribus, petiit, an potuisset absoluere eum, qui septies accessisset ad eum cum peccatis Matth. 18. 21. *Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies?* Dicit illi Iesus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Dubitabat ergo de modo, & numero, quo posset absoluere fratrem, non vero intendebat restringere potestatem, sed scire ad quot vices posset illam extendere.

Nonum est peccatum arrogantiæ, & cupiditatis habendi, Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?*

34 Contra, Petrus facta abdicatione bonorum non imprudenter à Christo quærit, quid futurum sit de ipso, & cæteris Apostolis, sciebant enim, se non posse viuere sine suo exercitio piscationis, ideo bene, & prudenter quærunt à Domino, quomodo in futurum viuerent, dum ipsum secuturi erant. Si interrogatio fuisset arrogantiæ, & cupiditatis, Christus non respondisset: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes,* &c. sed eos redarguisset arrogantiæ, & imprudentiæ, *Quid ergo erit nobis?* id est, instrue nos circa vitam, quam deinceps victuri sumus apud te.

Decimum fuit peccatum inobedientiæ, Ioan. 13. 8. *Non lauabis mihi pedes in æternum.*

Contra nolebat, non vt subterfugeret obedientiam 35
Christo debitam, sed ex vrbanitate resistebat, tenens, & reputans se indignum tanto obsequio sibi præstando à suo Magistro, & Domino. Fuit ergo actus humilitatis, & vrbanitatis, non negatio obedientiæ, neque subterfugium subiectionis.

Vndecimum consistit in somnolentia, nam à Christo habebat præceptum vigilandi, & voluit dormire, Matth. 26. 38. *Sustinete hic & vigilate mecum.* Et infra 40. *Et inuenit eos dormientes. Et dicit Petro: sic non potuistis vna hora vigilare meum, vigilate, & orate.* Præcepit illis duabus vicibus, vt vigilarent, & tribus vicibus eos inuenit dormientes, vnde videns contumaces, & inobedientes sinit eos dormire.

Contra est, quia fuit consilium, non præceptum 36
vigilandi, & cum eorum oculi essent grauati nimis illis compatiens concessit, vt dormirent, & requiescerent.

Duodecimum ex fuga arrepta, quando Iesus captus est, Matth. 26. 56 *Tum Discipuli omnes eo relicto fugerunt.* Debebant enim Magistrum defendere, non fugere derelinquendo illum.

Contra est, quia ea fuga non fuit peccatum, nam 37
illis dedit licentiam fugiendi à se, ne eius passionem impedirent, Ioan. 18. 8. *Sinite, eos abire.* Immo Petrus non longe fugit, sed eum sequebatur inquit Lucas 22. 55. *Sequebatur eum à longe.* Melius illi fuisset fugere, quia eum non negasset.

Decimumtertium consistit in mendacio, quo volebat decipere Christum, cum dixit Matth. 26. 35. *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo,* immo reddere ipsum Christum mendacem, qui illi prædixerat, quod eum esset negaturus, & nihilominus se velle cum eo mori protestatur, ac proinde Christum faciebat mendacem.

Contra est, quia Petrus per ea verba non intende- 38
bat impingere Christo mendacium, sed reuera se cum illo mori, non simpliciter, sed sub conditione, si oporteret, sed quia non oportuit, ideo Christum non reddidit mendacem, protulit enim ea verba non in ordine ad patefactam illi futuram negationem, quasi insinuando, Christum mentiri, sed dixit se cum illo mori, ad ostendendum pium affectum, & magnum feruorem amoris erga suum Magistrum, ea ergo mortis exhibitio referenda est ad illum amoris excessum, quem tunc habebat erga Christum, non vero ad prædictionem negationis, de qua non cogitabat absorptus amore erga Dominum.

Decimumquartum peccatum est de incredulitate Resurrectionis Christi, Marci cap. fin. 14. *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant, eum resurrexisse, non crediderunt.* Alias auctoritates vide præced. cap. q. 20. num. 58. vbi respondi.

Contra est, quia vt dicitur Ioan. 20. 9. *Nondum enim sciebant scripturas, quia oporteret eum à mortuis resurgere.* Adde, quod crediderunt Resurrectionem 39
Christi, non verò mulieribus dicentibus, eum resurrexisse, quia non est officium prædicare mysteria Christi.

Decimumquintum peccatum est de curiositate Ioannis, Petrus enim nimis curiosus, volebat plus sapere, quam oportebat Ioann. 21. 21. interrogando Christum: *Domine quid autem hic?* Cui de sua temeritate obiurgando, dixit: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere.*

Contra est, quia hic nullum peccatum, nulla cu- 40
riositas, iura enim amicitiæ petunt, vt amicus amici facta sciat, vnde Christus Ioan. 15. 15. *Vos autem dixi, amicos,*

amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis, ex lege amicitiæ omnia notificauit Apostolis, quia erant illi amici. *Amicus est alter ego*, inquit Arist. 9. *Æthic*. D. Aug. *lib*. 4. *confess. cap*. 6. Horatius *lib*. 1. *Ode* 3. Amicum vocat dimidium animæ amici; & Aristot. 2. *Rethor. cap*. 4. ait, amicum esse animum vnum in duobus corporibus habitantem; non erat ergo curiositas Petri, sed ius quærendi, quod eum spectabat iure amicitiæ.

Demum ad supradictas auctoritates, quibus hæretici ex mala earum intelligentia, non enim bonam habere possunt, quia carent virtute interpretandi, vt dixi *cap*. 2. *q*. 51. *& cap*. 3. *q*. 42. tot peccata impingunt Petro sanctissimo Pastore, responderi potest, quod dicunt Iureconsulti, & Canonistæ. *Primò*, ex suppositio- 41
ne, quod sensus locorum allatorum esset obscurus, & ambiguus, tunc debet interpretari in bonum sensum, *l. Si quis intentione, ff. de iudic.* & in bonam partem, *l. Meritò, ff. pro socio, l. Si procurator, ff. de condit. indeb.*
42 Secundò, dubia sunt in meliorem partem interpretanda, *l. Cum creditor, ff. de furt. l. Proximè ff. de his, quæ in testam delent. cap. Estote* 2. *de reg. iur.* ex quo illa loca, sintne de peccato intelligenda, interpretanda sunt de actibus bonis, vel saltem de non significantibus
43 peccatum. *Tertiò*, delicta non præsumuntur, quia quilibet præsumitur bonus si non probatur malus, ideò si actus potest sonare in delictum, & non in delictum, semper interpretari debet vt non sonet in delictum, *l. Prætor §. Docere, ff. de vi bon. rapt.* Mascard. *de probat. concl.* 495. *&* 1418. vbi enim alia coniectura sumi potest, non est delictum iudicandum, Paris. *lib*. 11. *de resignat. q*. 1. *num*. 72. facienda est igitur talis interpretatio, quæ delictum excludat, Abbas *in cap. Cum tu, de testibus*, Menoch. *lib*. 5. *præsumpt.*
44 161. *num*. 26. *Quartò*, Si aliquale peccatum colligi potest ex illis locis? certè non nisi veniale, quia duorum peccatorum minus præsumitur, *l. Si adulterium*
45 §. 1. *&* 3. *ff. ad legem Iul. de adult. Quintò*, nemo præsumitur peccator, *l. Absens, ff. de pœnis, l. Qui accusare, C. de eden.* Quare quis non est culpandus de aliquo graui crimine, nisi illud claré probetur maximè contra
46 virum probum, & omni exceptione maiorem. *Sextò*, D. Thomas quolib. 9. sic ait: *Ecce valdè periculosum determinare aliquid esse peccatum mortale, quando clare non apparet veritas ad talem determinationem.* Item Gabriel in 4. dist. 15. q. 13. art. 2. sic loquitur. *Indiscretum est enim, & malum affirmare aliquid esse peccatum mortale quando non probatur sufficienti auctoritate, vel manifesta ratione.* Ex his igitur manifestum est, quam immerito, & irrationabiliter hæretici tot peccata impinxerint in personam Petri, nulla auctoritate ducti, nulla ratione persuasi, neque ex parte scripturarum, quas rectè non possunt intelligere defectu virtutis intelligentiæ, & attenta conditione Petri, cuius vita est irreprehensibilis, cuius persona est omni exceptione maior.

Quæres 5. Cur Christus dixerit Petro: *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Matth. 26. 52. *Mitte gladium tuum in vaginam*, Ioan. 18. 11. Vide *supra c.* 2. *quæst*. 52.

47 ℞. Christus Petro prohibuit vsum gladij, quia nondum acceperat potestatem gladij, licet illius habuisset promissionem *Conuerte*, id est, repone, non abiicias, quia illo vsurus es per te, & per alios potestate temporali. Deinde ad rem præsentem, præcepit illi, vt gladium reponeret, ne sequeretur maior tumultus, & Petrus prosequeretur percutere alios. Insuper conuerte gladium in vaginam, vidi promptitudinem tuam erga meam defensionem, sufficit mihi hoc. Præterea mitte gladium in vaginam, ne me amplius defendas; quia debeo mori pro redemptione humani generis. Vterque Euangelista concordat, quod erat gladius Petri, *gladium tuum*, & non alterius, per gladium autem significatur potestas, *cap. Auctoritatem* 2. 15. *q*. 6. *causa* 23. *initio q*. 8. *Papatus*, qui illi soli datus fuit, illi proprius, non communis aliis, aliorum non admittens consortium.

Quæres 6. An Petrus in amore erga Christum excesserit omnes alios?

℞. Affirmatiuè. *Primò*, quia conabatur auertere 48
eum, ne mortem subiret Matth. 16. 22. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Deinde seipsum exhibuit mori cum ipso Matth. 26. 35. *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Tertiò*, in eius defensionem præcidit auriculam Malcho, vt eum defenderet. *Quartò*, secutus est eum in domum Pilati. *Quintò*, ipse confessus fuit Christum Filium Dei; quæ alij non præstiterunt, ergo alios in amore excessit. Aliqui dicunt, quod Petrus plus aliis dilexit Christum in membris, ideo illi commissa fuit cura Ecclesiæ. Alij dicunt, quod Ioannes plus dilexit Christum in seipso, & ideò illi propriam matrem Commendauit. Alij dicunt, Petrum plus dilexisse Christum quoad feruorem, & promptitudinem, Ioannem vero quoad familiaritatem. Vide D. Thomam, *par*. 1. *quæst*. 20. *articulo* 4. vbi hæc, & alia dicit.

Quæres 7. de prærogatiuis Petri, quibus meruit Papatum sibi à Christo collatum?

℞. Bellarminus *lib*. 1. *de Pontif. à cap*. 17. *ad* 24. vi- 49
ginti octo enumerat, quas summatim refero. *Prima*, mutatio nominis Simonis in Petrum, & Cepham Ioan. 1. 42. *Secunda*, Prænominatio eius in enumeratione illorum Matth. 10. 1. Marci 3. 16. Lucæ 6. 13. *Tertia*, solus cum Domino ambulat supra mare, Matth. 14. 29. *Quarta*, reuelatio mysteriorum fidei primo illi facta, Matth. 16. 17. *Quinta*, Portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam eius. *Sexta*, tributum pro Christo, & se solutum. Matth. 17. fine. *Septima*, miracula duo in piscatione, Lucæ 5. 6. & Ioan. 21. *Octaua*, indeficientia fidei, Lucæ 22. 32. *Nona*, apparitio prima illi facta præ cæteris Discipulis, Lucæ 24. 34. *Decima*, lotionem pedum primo accepit, Ioan. 13. 6. *Vndecima*, soli Petro mortem Christus prædixit, Ioan. 21. 19. *Duodecima*, electionem Matthiæ in locum Iudæ proditoris promouet, Act. 1. 15. *Decimatertia*, Euangelium primo promulgat, Act. 2. 14. *Decimaquarta*, Miraculum primo facit rectificando claudum Act. 3. 7. *Decimaquinta*, Ananiam, & Saphiram eius vxorem damnauit ad mortem de agri defraudatione Act. 5. *Decimasexta*, transibat per omnes quasi dux exercitum lustrans, Act. 9. 32. *Decimaseptima*, primo Gentibus prædicat baptizando Corneliam Act. 10. *Decimaoctaua*, Oratio fiebat pro eo carcerato, Act. 12. 5. *Decimanona*, in Concilio, Act. 15. primo loquitur. *Vigesima*, à Paulo visitatur, & recogcognoscitur superior, ad Gal. 1. 18. *Vigesimaprima*, solus à Christo baptizatur, vt dixi præced. cap. q. 22. *Vigesimasecunda*, solus in Episcopum ordinatus fuit à Christo, probat id Bellarminus cap. 23. dic tu in Papam. *Vigesimatertia*, primum hæreticum Simonem Simon confutauit Act. 8. 20. *Vigesimaquarta*, Romæ Dei iussu sedem fixit sanguine suo. *Vigesimaquinta*, fugienti Christus apparuit. *Vigesimasexta*, Ecclesiæ à Petro fundatæ habitæ fuerunt semper Patriarchales. *Vigesimaseptima*, festum Cathedræ solius Petri. *Vigesima* demum *octaua*, in litteris antiquis post expressionem Trinitatis apponebatur nomen Petri. Adde 29. priuilegium confirmandi fratres suos in fide, Lucæ 22. 32. & postremum, quod fuit Episcopus Romæ, quæ est caput omnium nationum. Hæc igitur priuilegia Petrum eleuauerunt ad summum Pontificatum.

Quæres 8. An reuera Petrus à Christo electus fuerit in Papam, Pontificem, & caput totius orbis?

℞. Affirma

50 ℞. Affirmatiuè, quod est de fide, nam Christus ante passionem suam hanc dignitatem sub nomine clauium, Matth. 16. 19. *Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Promissam Petro contulit, & tradidit paulo antequam ascenderet in cœlum, quando Ioan. 15. ad 18. dixit: *Pasce Agnos meos. Pasce oues meas.* Bis protulit primum, semel secundum. Ter pronuntiauit hanc Papatus collationem, & traditionem, vt ea ita esset nota, & manifesta mundo, vt nulla tergiuersatione ab aliquo vnquam cælari posset. Vocauit autem illum sub nomine proprio Simonis filij Ioannis, vtendo hac circumlocutione, vt magis illius personam indiuiduaret, non solum vt illum personaliter
51 distingueret ab alio Simone Apostolo, sed etiam ad significandum, hanc potestatem non pluribus, sed vni tantum numero conuenire, cum Papatus sit fons, principium, & origo Monarchiæ omnium regnorum mundi. Cum nomine Simonis expressit nomen Patris eius Ioannem, non solum vt distingueretur à prædicto Simone, sed vt indicaret mundo, illam traditionem fuisse postremum Christi testamentum, in quo sibi hæredem vniuersalem instituit Petrum totius mundi. Expressit etiam nomen Patris eius, illud protrahendo à Iona in Ioannem, vt illum exaltaret assumptione filij in summum Pontificem, dignitas enim & honor filij redundat in Patrem.

Hæretici Luterani, quos Bellarminus egregriè persequitur *libro primo, de Pontif. capite duodecimo,* asserunt Petro nihil peculiare collatum fuisse, sed claues promissas immediatè datas fuisse Ecclesiæ, cuius personam Petrus tunc gerebat.

Probant primò, ex illis verbis: *Vade retro Satana, quia non sapis, quæ Dei sunt.* Quæ non possunt conuenire Petro in eius persona propria, siquidem homini Satanæ Christus non potuit commendare suam Ecclesiam; neque eidem Pater reuelare secreta, ergo promissio, & traditio facta fuit immediatè toti Ecclesiæ in persona Petri, & non Petro.

52 Contra est, quia Claues immediatè datæ fuerunt Petro Apostolo, vt manifestè patet ex textu Euangelij. *Tibi dabo claues* dicit *Tibi,* id est, personæ tuæ, qui es Petrus, est enim pronomen indicans talem personam in singulari designatam, qualis non potest esse tota Ecclesia, quæ est collectio fidelium corpus politicum, & morale, non naturale, & singulare, vt fuit Petrus. *Tibi* pronomen primitiuum indicans personam præsentem, cui promissor loquitur, nondum erat Ecclesia, cuius materia præparabatur, ergo soli Petro promissio fuit facta, quia præsens erat. Claues promittuntur ei, cui paulo ante dictum fuerat à Christo: *Beatus es Simon Bariona.* Beatitudo non promittitur, non confertur corpori Ecclesiæ, sed membris immediatè, & eius capiti, per quæ deinde corpus ipsum denominatur beatum. Ter Petrum vocat pro nomine primitiuo *Tibi, Tu, & Tibi* ad significandum, quod nullus Apostolorum, nullus Discipulorum erat dignus prælatura Papatus, præter Petrum, cum quo personaliter præsente Christus loquebatur. Duo Simones erant Apostoli, Christus Simonem, cui promisit Papatum, personaliter, & in indiuiduo distinxit ab alio Simone Chananeo nuncupato zelotes, dum eum nominauit *Simon Petrus, Simon Bariona* & singulariter *Tu es Petrus.* Matth. 16. 16. ad 20. distinguit Simonem à Simone, ergo Christus in hac promissione nihil considerat de Ecclesia vt sic, sed respectum habet ad Petri personam in indiuiduo. Vnde ad propositum bene ait Augustinus sermonem 29. de Sanctis. *Solus Petrus inter omnes Apostolos meruit audire: Tibi dabo claues regni cœlorum.* Apostoli tunc erant omnes Congregati, & futuram Ecclesiam repræsentabant, si Christus noluisset promittere toti Ecclesiæ immediatè Claues, non dixisset, *Tibi dabo,* sed *vobis dabo,* hoc non dixit, sed illud, ergo soli Petro tantum promissio facta fuit, nam in eodem capite decimosexto, vbi de hac promissione verba facit solus Petrus nominatur, antecedenter vero, & subsequenter Christus ad omnes Discipulos loquitur sine exceptione, signum ergo est, Claues vni tantum promitti, exclusis quibuscumque aliis Discipulis, qui totam Ecclesiam repræsentabant, à qua in promissione segregauit Petrum, cum illi soli loqueretur, licet aliis audientibus, sed nihil promissionis accipientibus. Quando verò illi promissionem adimpleuit Ioann. vltim. 15. ad 19. quæsiuit antecedenter à Petro Christus, an diligeret eum? *Simon Ioannis diligis me plus his?* Respondit: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Ea verba ita referuntur ad Petrum, vt nulla ratione extendi possint ad Ecclesiam, quia Christus exquirebat amorem vnius personæ singularis, non Ecclesiæ vt sic, quæ non amat nec diligit per seipsam Christum, sed eius caput, & membra diligere habent; quærit Christum amorem comparatiuum in Petro, *diligis me plus his,* comparatio non habet locum in Ecclesia, quia vti collectio fidelium, extra se comparari non potest in amore cum aliis, qui Christum non diligunt, Christus ergo contulit Claues illi, qui plus aliis amabat, consequenter soli Petro, & non Ecclesiæ, quæ vt sic non poterat plus diligere extraneis, qui nihil diligebant in Christo, quem persequebantur. Illi collatæ fuerunt claues, qui habuit præceptum pascendi omnes oues per seipsum. Ecclesia non habuit hoc præceptum, quia non poterat pascere, cum id facere sit actus singularis personæ, qualis fuit Petrus, cui creditæ fuerunt oues, ergo illi soli dictum fuit: *Pasce oues meas.* Si Christus voluisset Ecclesiæ suæ immediatè dare Claues ad pascendas oues, non curasset de persona Petri illum singularizando toties, quod promittebat Claues Petro, Simoni non zelotes, sed filio Ioannis, Simoni Barionæ, Simoni Petro, cui tandem sub nomine Simonis filij Ioannis contulit, & tradidit claues, satis enim Christo fuisset sub quocumque alio nomine, sine tot exquisitis circunstantiis demonstrare suam promissionem, & illius executoriam adimpletionem tradendo claues cuilibet Apostolorum, conferendo igitur illas Petro, satis manifestauit suam voluntatem, vt Claues essent Petri, & non Ecclesiæ, nec ab Ecclesia exercendæ per Petrum, cum per Petrum omnis potestas descendat in ministros Ecclesiæ, Augustin. idem confirmat homil. 87. in Ioann. *Cum multi essent Apostoli, vni dicitur: Pasce oues meas.* Vniuersa Ecclesia repræsentatur per Apostolos, & in Apostolis, qui eam fundauerunt, cuiusque sunt fundamenta, non multitudini, sed vni Petro dixit: *Pasce oues meas.* Ecclesiæ ergo Claues traditæ non fuerunt, sed Petro, & hoc est de fide tenendum, quia Petrus est super Ecclesiam, cum imperet omnibus de Ecclesia quolibet modo spectatis, & non Ecclesia quomodolibet spectata, quam oportet obedire Petro.

Respondetur ad argumentum, Petrum imme- 53
diatè à Christo recepisse claues sine vllo ordine, & respectu ad Ecclesiam, ex Dei gratia in vtilitatem ouium, & non in proprium vtile, aut decus, & honorem, ideo parum refert, quod alias à Christo vocatus fuerat Satana. Deinde quando illi facta fuit promissio clauium beatus erat nuncupatus à Christo, nondum vocatus Satana & cum Papatum accepit, iam purgauerat suspicionem illius nominis, summè enim, & plus aliis Christus diligebat, non poterat esse Satana. Deinde nomen Satana in ipso non potest arguere vitium aliquod ex ea persuasione, per

quam Christum auertere conabatur, ne moreretur, quia nondum sciebat, Christum esse moriturum pro redemptione humani generis: *Non sapis, quæ Dei sunt*, id est, Præceptum, quod habet à Patre moriendi, Hæc Hæreticorum argumentum retorquetur contra ipsos; nam Christus promisit claues illi, cui dixit: *Vade retro Satana*; sed hæc verba Christus protulit contra Petrum ratione sui, & non vt repræsentabat Ecclesiam, neque respectu Ecclesiæ, quia hæc vt sic non est Satana, neque vt respicit Petrum, quia non est capax huius denominationis, esto caput, vel membra illius non sint incapacia, ergo promissio ad solum Petrum refertur cum exclusione quorumcumque aliorum.

Probant secundò, quia Christus interrogauit omnes Discipulos Matth. 16. 13. *Quem dicunt homines, esse filium hominis*? & Petrus nomine omnium respondet: *Tu es Christus Filius Dei viui*. Et statim Christus illum beatificando promisit claues ob eam responsionem nomine Ecclesiæ in Apostolis repræsentatæ factam confitendo Christum Filium Dei viui, ergo promisit claues Ecclesiæ in persona Patri, & non Petro.

54 Contra est, quia verum quidem est, quod Petrus nomine omnium respondit, sed quia vnus primo respondit, & primo pro se, ideo illi tantum promisit claues, & non aliis, dixit enim *Tibi*, poterat dicere *Vobis*, & cum non dixerit, exclusit omnes, præter vnum. Petrus in respondendo non exercuit officium præconis referentis aliorum sententias, sed propriam sibi à Deo intus immediatè reuelatam, vt testificatur ipse Christus: *Beatus es Simon Barlona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*. Promissio autem facta fuit clauium intuitu reuelationis, & inde secutæ confessionis, non responsionis, ergo soli Petro, cui soli facta reuelatio. Et quia Petrus optimè locutus fuerat sibi soli Patre Christi reuelante, ideo cæteri Apostoli, quibus nihil à Deo reuelatum fuerat, tacuerunt, ab eo tantum addiscentes hunc fidei articulum, consequenter non est congruum dicere, promissionem Clauium tanquam remuneratoriam fuisse communem omnibus Apostolis, cum solus Petrus ex reuelatione sibi soli facta Christum prædicauerit Filium Dei viui.

Probant tertiò, quia claues promissæ fuerunt Petro non vt filio Ionæ, sed vt fuit auditor Patris, constat autem de sola Ecclesia, quod fuerit auditor, & non de aliquo alio in particulari, ergo promissio referenda est in Ecclesiam.

55 Respondetur, cum solus Petrus fuerit auditor Patris, quia illi soli Deus reuelauit, & non aliis Apostolis, quibus per ipsum Petrum reuelatio facta fuit, ac proinde toti Ecclesiæ, consequenter soli Petro promissio facta fuit, sicut & solius Patris solus auditor fuit reuelationis. Adde, quod Christus in promissione, & traditione clauium Petrum nominauit filium Ionæ, & Ioannis, ergo promissio, & traditio facta fuit filio Ioannis, constat etiam ex dictis n. 151.

Probant quartò, auctoritate Pauli ad Rom. 4. quomodo Abrahæ reputata est fides ad iustitiam, ita Petro promissæ claues; sed Abrahæ fides ita reputata est, sicut in omnibus aliis, qui crediderunt, ergo omnibus, qui Christum confitentur promittuntur claues, & dantur.

56 Contra est, quia Caietanus, & Bellarminus respondent, argumentum similitudinem habere in forma, non in materia, & ideò nihil concludere, quia ex diuersis non fit illatio, nam fides natura sua ducit ad iustitiam, confessio verò fidei ex sua natura non ducit ad receptionem clauium, cum Christus potuisset Petrum alio medio remunerare, quam traditione clauium. Paritas verò in eo spectari potest, quia sicut Abraham per fidem meruit fieri Pater multarum gentium, ita & Petrus per confessionem Christi, quod est Filius Dei, meruit recipere claues, vt esset Pater, & Pastor ouium.

Probant quintò. Moriente Petro, claues aut manserunt in Ecclesia, & sic huic datæ fuerunt, vel non manserunt, sed cum Petro perierunt, ergo homines non possunt amplius solui, nec ligari defectu clauium. Item Papa cum eligitur, si secum habet claues, iam ante electionem erat Papa, si non, à quo recipit illas? non ab Angelo, ergo ab Ecclesia, cui soli ideò traditæ fuerunt, vt huic, vel illi tẽpore suo porrigeret.

Contra est, & dico cum Papa perire claues, quia illæ subiectantur in Papa, vti accidens in suo subiecto, & non remanet Pontificia Potestas sede vacante, nisi virtualiter in suis legibus. Quare facta electione successoris in locum præmortui, non Ecclesia, sed Christus nouo Papæ immediatè inuisibiliter tradit claues, quod probatur. *Tum quia*, id docet Innocentius relatus cap. Nouit. 13. de iudic. *Potestas vestra non est ex homine, sed ex Deo*. Tum quia potestas Petro sensibiliter à Christo tradita fuit, cæteris verò inuisibiliter, ergo noua est in quolibet successore. *Tum quia*, nouum subiectum, ergo noua potestas quoad receptionem, per quam homo vetus dicitur nouus in ratione Papatus. Scio Bellarminum respondere, claues non perire cum Papa moriente, sed remanere apud Christum tantum, qui illas nouo Pontifici dat, non traditione noua, sed antiqua institutione. Non placet. *Tum quia*, successor dicitur nouus Papa quatenus Papa, ergo illi respondet noua traditio potestatis, ergo non antiqua nec mortua, ratio enim nouitatis accipitur à dignitate, non à persona, neque à modo, qui transit. *Tum quia*, nouus terminus, ergo noua relatio, in opinione Scoti *in 3. dist. 8. Tartareti de Relat. dub. 3.* Suar. *disp. 47. Metaph. sect. 17. n. 17.* multiplicantium relationem ad multiplicationem terminorum, quales sunt successores Pontifices, *Tum quia*, sicut idem accidens numero non migrat de subiecto in subiectum, ita neque eadem numero potestas clauium transit de vno Papa in alium, sed noua generatur in quolibet, sicut in quolibet subiecto nouum producitur accidẽs. Valet enim argumentum ab ente naturali ad morale, vt patet in Sacramentis, quæ constant materia, & forma cum proportione ad composita physica. Electus ergo in Papa à nullo alio, quam à Christo potestatem clauium recipit. 57

Probant 6. Christus claues promissas tradidit omnibus cum cap. 18. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo*, &c. & Ioan. 20. 22. *Accipite spiritum S.* &c. ergo omnibus indifferenter dedit potestatem, & non soli Petro, & sic toti Ecclesiæ, quæ in illis repræsentatur.

Contra est, quia per primam auctoritatem indicatur potestas fori externi, quæ Apostolis provt singulis data fuit à Christo, provt probaui cap. præcedenti q. 32. Per secundam vero potestas sacramentaliter absoluendi eisdem collata eodem modo. Papatus autem promissus Petro soli, nondum collatus fuerat illi, quando præcedentes potestates indicatæ fuerunt, prior quidem ante passionem, posterior vero post Resurrectionem, collatus postremo, vt indicant ea verba: *Pasce oues meas*, soli Petro dictæ. Et quando dixit in institutione faciendi correctionem fraternam: *Dic Ecclesiæ*, ex qua nostri deducunt potestatem fori externi, ne videretur hanc potestatem immediatè Ecclesiæ dedisse, subiunxit supradictas auctoritates datas omnibus Discipulis indifferenter ad illos singulariter spectatos suum dirigens sermonem. 58 59

Demum suum errorem nituntur probare auctoritate Sanctorum Patrum, Diui Augustini serm. 3. de sanctis.

sanctis. *Numquid istas claues accepit Petrus, & Paulus, Ioannes, Iacobus, & cæteri Apostoli?* Ambrosius in Psalm. 38. *Quod Petro dicitur: Tibi dabo claues, cæteris Apostolis dicitur.* Leo serm. 3. suæ Assumpt. *Transiuit in Apostolos ius potestatis illius, Tibi dabo claues.* Beda in cap. 8. Matth. *Hæc potestas clauium sine dubio cunctis Apostolis datur.* Euthimius in cap. 23. Matth. *Tibi dabo claues, sed donum hoc fuit cæterorum Apostolorum* Theophilactus in cap. 18. Matth. *Quamuis soli Petro dictum sit: Tibi dabo claues, omnibus tamen Apostolis concessa sunt.* Ex his inferunt hæretici de mente Patrum veterum non soli Petro, sed omnibus Apostolis datas esse claues regni cœlorum, ac proinde toti Ecclesiæ, quæ in illis repræsentatur.

60 Vnica responsione satisfit allatis auctoritatibus, nam claues spectari possunt dupliciter, primò vt dicunt potestatem Apostolatus, Sacerdotij, Episcopatus, quibus in Apostolis adnectitur potestas fori externi, hac ratione claues datæ Petro, cæteris Apostolis à Christo collatæ fuerunt; secundo, vt dicunt potestatem Papatus, & sic nulli datæ fuerunt claues, nisi soli Petro. Patres citant locum Matthæi, quia nullibi in Euangelio fit mentio de illis, nisi loco citato, ideo
61 inde desumunt nomen aliis potestatibus tribuentes, & merito, quia quælibet alia potestas à clauibus Petri dependentiam habet. Vide, quæ dixi, *cap. 2. q. 29. à num. 133.* vbi exposui quid, & quotuplex sit clauis, & quod S. Patres nomen clauis pro auctoritate Pontificia extenderunt per quandam analogiam ad potestates alias inferiores.

Quæres 9. Quid significent claues promissæ Petro Matthæi 16. 19. per Christum dicentem: *Et tibi dabo claues regni cœlorum.*

℞. Claues traditæ Petro significant illam supremam potestatem Papatus, quam Dominus contulit ei electo in summum Pontificem. Itaque claues sunt duæ vna ligandi, altera absoluendi, vna cognitionis, altera operis, vna in ordine ad spiritualia, altera in ordine ad temporalia, quibus Ecclesia regitur monarchice ab vno Principe cum dependentia à solo Deo, excluso quolibet à consortio auctoritatis huiusmodi. Vide fusius rem hanc sub q. 29. cap. 2.

Hæretici cum Caluino dicunt ex illis verbis: *Tibi dabo claues regni cœlorum*, non posse conuinci, Petrum per acceptionem clauium habuisse primatum in Ecclesia, quia soluere, & ligare per illas claues significatum nihil aliud est, quam peccata remittere per solutionem, & retinere per ligationem, iuxta potestatem Apostolis traditam: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, &c. Confirmant, quia remittere, seu retinere peccata nihil aliud est, quam per prædicationem Euangelij hominem illuminari, & liberari à peccatis, quod probant ex illo Corinth. 2. capite 5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis, pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Ex quo inferunt, accipere claues nihil aliud esse, quam recipere nudum ministerium prædicandi Euangelium Dei. Confirmant id, quia si Christus per illum locum Matthæi Petro primatum promisisset, Apostoli non dubitassent, quis eorum videretur esse maior, vel in illa dubitatione Christus illis saltem dixisset, nolite litigare super hoc, quia scitis, quod claues primatus promisi Petro, Christus autem nihil dixit de præcedentia huius, vel illius, ergo per promissionem clauium non intelligitur primatus.

62 Contra est, quia omnes Patres tam antiqui, quam minores, Theologi, & Canonistæ vnanimi consensu asserunt, per Claues Petro promissas, & traditas per illa: *Pasce oues meas*, intelligi primatum Papatus. Vnde Sanctus Gregorius homil. 21. hanc veritatem docet his verbis: *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est.* Vbi in Euangelio loquitur vox Dominica de hac re? In locis mox citatis. Testes de visu, & auditu proprio refero Clementem, & Anacletum, illum Epistola prima, hunc 3. qui claris verbis asserunt Petrum per acceptionem clauium sibi à Christo traditarum, factum fuisse Principem Apostolorum, & obtinuisse Primatum in Ecclesia, & potestatem ligandi, & absoluendi, ergo non nudum ministerium prædicationis. Adde, quod claues ex vsu, & lege accepta ab hoc Chri-
sti facto dandi claues in manibus Petri, significant 63
potestatem, & eius possessionem, non autem nudum ministerium, nam aliquis Princeps nouam acquirens ciuitatem, ab illius ciuibus recipit claues in signum potestatis, & dominij acquisiti super illos. Deinde solus Papa, & nullus alius in suis literis, & insignibus exprimit claues, ergo in eo significant supremam potestatem.

Ad argumentum respondetur primò, per ea verba: *Quorum remiseritis*, singulis Apostolis datam fuisse potestatem spiritualem Sacramentaliter absoluendi, & nullum aliam. *Secundò*, latior est potestas Primatus, quæ ad omnia se extendit, potestas absoluendi restringitur ad peccata tantum. *Tertiò*, remittere peccata non est Euangelium prædicare, nec hactenùs quisquam id affirmauit, nisi insipiens, qui nescit distinguere inter lucem, & tenebras, nam ad remissionem peccatorum requiritur Sacerdotium, non verò ad prædicandum, quia etiam laicus potest prædicare de simplici licentia. *Quartò*, ad illud Corinth. prædicatio mouere potest ad reconciliationem cum Christo, non tamen peccata remittere, vnde Diuus Thomas ad
illa verba: *Reconciliamini Deo* explicat. *Et hoc quidem in Baptismo, & Pœnitentia.* Hæc duo ergo hominem perfectè Deo reconciliant, prædicatio verò mouet, & disponit, sed remotè, & imperfectè. *Quintò*, Apostoli nondum clarè sciebant, Petrum futurum supremum Ecclesiæ Pastorem, sed 64
solum post passionem id manifestè didicerunt à Christo, cum Petrum expresse dedit illis in Pastorem suum, & totius Ecclesiæ. *Sextò*, dic, Apostolos 65
non contendisse de maioritate in ordine ad Papatum, sed de maioritate Apostolatus, nam controuertebatur maioritas de præsenti, non in futurum, solam enim Apostolatus dignitatem tunc habebant, ideò obiectio eorum non facit ad rem. 66

Quæres decimo. Quid significet verbum: *Pascere*, indicans potestatem Papatus traditam Petro?

Respondetur. Pascere oues nihil aliud signifi- 67
cat, quam regere, & gubernare Ecclesiam ex suprema potestate accepta per Petrum à Christo, administrando illi Sacramenta, præscribendo leges obseruandas, præmiando bonos, & castigando malos, prædicando ouibus verbum Dei & omnes instruendo in lege Euangelica, sine qua nemo saluari potest. Est de fide hoc credere, esse officium Petri, & eius successorum, vt ex Scriptura clarè habetur verbum *Pascere* importare potestatem regendi populum tam spiritualiter, quam temporaliter. Probatur ex 2. Regum 5. 2. *Tu pasces populum meum Israël, & tu eris Dux super Israël.* Indicatur potestas ad vtrumque, libro primo, Paralippomenon 11. 2. *Tu pasces populum meum Israël, & tu eris Princeps super eum.* Ieremiæ 3. 15. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientiâ, & Doctrinâ,* Scientia fidei, & prædicationis,

cationis, atque Doctrina legum Ecclesiasticarum, Michæas 7. 14. *Pasce populum meum in virga tua.*
68 Ecce, quod verbum *pascere* importat potestatem regiminis & iurisdictionis, quam indicat *Virga*, Rex enim in signum potestatis in manibus tenet *Virgam* Psalm. 44. 7. *Virga directionis, Virga regni tui.* Psalm. 2. 9. *Reges eos in Virga ferrea.* Constat ergo ex his, regimen cum Pastore esse coniunctum, quod etiam cernimus in Pastore ouium, quas pascit cum potestate, & dominio, eas ducendo ad pascua, educendo & reducendo, percutiendo, mactando, claudendo intra caulam, & similia faciendo, quæ illius potestatem indicant circa oues suas.

Luterus in libro de potestate Papæ asserit per illa verba: *Pasce oues meas*, Petrum à Christo nullam accepisse potestatem iurisdictionis, sed solum purum officium prædicandi, & instruendi oues in lege Euangelica, quod probat *Primò*, quia pascere non est præesse, sed tantum præbere cibum, & ministrare. *Secundò*, Christus non præcepit ouibus, vt Petro obedirent, sed vt ab eo reciperent pabulum, ergo verbum *Pasce* non significat imperium, sed solum ministerium. *Tertiò*, si per illa verba: *Pasce oues meas*, intelligeretur institutio Pontificis, sequeretur, illum non esse Papam, qui non diligit, nec pascit oues, ac proinde quandoque immò vt plurimum, Ecclesiam caruisse Pastore, multi enim sunt Pontifices, qui non pascunt oues, sed mactant, & scandalizant.

69 Respondetur ad primam, & secundam, patere ex adductis auctoritatibus Sacræ Scripturæ verbum *Pascere* verè, & propriè importare potestatem iurisdictionis regendi populum etiam cum virga ferrea quando oportet, & non solum illi prædicare. Sed tertium dico, omnes Pontifices à Petro vsque modo, & deinceps pascere gregem suum omnibus modis, qui-
70 bus pabulo indiget. Deinde potestas, & auctoritas superioris non pendet ab vsu, & exercitio sui muneris, non enim ille Præsbyter desinit esse Sacerdos, qui rarò, vel nunquam celebrat, nec Episcopus ille antistes, qui nunquam prædicat verbum Dei, vel non confert ordines, ergo neque Pontifex desinit esse Pa-
71 pa, qui non pascit oues suas, vel eas malè pascit. Confirmatur quia iudex malè, immo inique iudicans adhuc retinet nomen & potestatem suam, & Pontifex Papa licet scandalizet populum, & quandoque oues mactet. Numquid Papa effectus stultus, amens, aut mutus desinit esse Pontifex, quia non potest fungi officio suo? Nequaquam, quia exercitium supponit potestatem, & ab hac illud pendet, non è contra.

Quæres 11. Quid significent *oues, & Agni*, quos Christus commisit curæ Petri?

72 Respondetur. Primo, nomine ouium curæ Petri, & eius successorum commissarum veniunt omnes fideles, venit tota Ecclesia fidelium. Probatur, *Tum quia*, non est maior ratio commendandi Petro vnam gentem tantum, & non aliam, cum Deus non sit acceptator personarum, ergo commendantur omnes fideles præsentes, & futuri. *Tum quia*, Christus illi commendauit omnes illos, quos habebat actu, vel potentia in suo ouili, ergo totam Ecclesiam. *Tum quia*, idem est *oues meas*, ac dicere *Omnes oues meas*,
73 Nam indefinita æquiualet vniuersali, l. Si seruitus 22. Digestis de seru. prædior. maximè, quando profertur à legislatore, ex allegatis à Sanchez *libro septimo, disputatione* 108. *numero quinto*, in fauorabilibus, ex Franc. Molina *libro tertio de ritu nupt. quæstione quadragesimasexta, numero duodecimo*, præsertim cum eadem militat ratio in omnibus, *l. Si cui Digestis de legat. 3. ex allegatis à Leencillo decisione vigesimaquarta, numero quinto*, quæ omnia locum habent in præsenti propositione: *Pasce oues meas*, id est, omnes oues meas, vult enim omnes homines saluos fieri, ergo omnibus prouidit de pabulo spirituali necessariò ad salutem.

℞. Secundo sub illis verbis: *Pasce oues meas* non solum continentur oues, quæ pro tempore actu sunt 74
in ouili, & intra caulam, siue boni, siue mali, per Baptismum, quod est ianua, per quam oues ingrediuntur ouile Ecclesiæ; verum etiam nondum baptizati pro quibus Ecclesia per suos Ministros orat, vt ad fidem conuertantur, & fiunt de hoc ouili, quia & eos Deus vult saluos fieri si volunt, vnde eos Pontifex dicitur regere in virga ferrea, & gladio materiali, quia ante Baptismum sunt incapaces clauis, & gladij spiritualis, ideò reguntur per virgam ferream, vt perterriti se subiiciant claui spirituali, quæ benigna est, & suauis.

Respondetur. Tertiò, nomine ouium sub Petro 75
veniunt omnes fideles tam superiores, quam inferiores, Apostoli, Cardinales, Episcopi, & Sacerdotes, & eorum subditi, veniunt Ecclesiastici, veniunt sæculares, Imperator, Reges, Duces, Potestates, & in vniuersum omnes homines cuiusumque præeminentiæ, status, & conditionis, omnes enim egent spirituali pabulo, & gloria Dei quæ sine hac cura, & subiectione fideles obtinere non possunt à Deo. Ita docent omnes Patres, vnius Sancti Leonis autoritatem adducam Serm. 3. suæ assumpt. *Vnus Petrus eligitur, qui vniuersarum gentium vocationibus, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Est ergo Papa Pater vniuersalis omnium hominum. Confirmantur prædicta in sequenti responsione.

Respondetur. Quartò, Bellarminus *libro primo,* 76
de Romano Pontif. capite decimosexto, per Agnos intelligit populum Iudæorum, & Gentilium, bis enim nominantur Agni; oues vero sunt Episcopi gignentes illos Agnos. Aliqui distinguunt Agnos, Ouiculas, & Oues, quibus ordinatim significantur. Incipientes, Proficientes, & Perfecti.

Ego vero ita dicerem: *Pasce Agnos meos*, id est, 77
curam habe de meis Apostolis, Discipulis, & aliis, qui me nunc sequuntur, Ecclesia enim Apostolos vocat Agnos, dicendo: *Isti sunt Agni nouelli, qui annuntiauerunt.* Aliquando Christus ante passionem suam Apostolos, & Discipulos suos commendauit Petro, Lucæ 22. 33. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Vocauit tunc fratres, quia nondum Petrus erat Papa, vnde pares fecit in fraternitate discipulatus, modo facit illum superiorem eos dum vocat Agnos curæ Petri commissos. Bis Christus Petro commendauit Apostolos sub nomine Agnorum, quia per eos Ecclesia erat fundanda, vnde in prosecutione tanti negotij indigebant maiori auxilio præ aliis, & protectione capitis, cuius influxu operaturi erant. *Pasce Agnos meos*, id est, Prælatos Ecclesiæ, qui quasi Agni debent esse sine macula. *Pasce oues meas*, id est, subditos, qui debent imitari in bonis operibus suos maiores. Nomine Agnorum veniunt boni, nomine ouium mali, vtrosque pascere debet Petrus, Agnos confirmando in sua bonitate, malos retrahendo à vitiis. *Pasce oues meas* semel dixit, quo intelligi possunt nondum baptizati, qui minus sunt commendati aliis, foris enim sunt, & quotidie vocantur ad conuersionem per prædicatores. *Pasce Agnos meos* bis dixit pro Prælatis, quibus maior cura incumbit, ideò duplici indigent commendatione. *Pasce oues meas*

meas semel commendauit subditos, quia tantum laboris subdituri non sunt, vt eorum Prælati.

Hæretici Luterani negant per *oues meas* intelligi vniuersam Ecclesiam. Probant primo, quia Christus non dixit: *Pasce omnes oues meas*, sicut ante dixerat omnibus Apostolis: *Docete omnes gentes*, ergo non omnes oues à Petro pascendæ sunt.

78 Contra est, quia constanter de fide tenendum est, Petro, & eius successoribus totam Ecclesiam fuisse commendatam, vt probatum mox fuit. *Confirmatur*, quia Pastor essentialiter talis est in ordine ad omnes oues, ergo si pascit qua talis oues, certè omnes pascit, quia omnium est Pastor, & oues omnes indigent pabulo. Deinde Pastor se habet ad oues, sicut Pater ad filios, sed Pater omnium suorum filiorum est Pater, quia ad omnes sine vlla differentia dicit relationem, & omnibus alimenta præstat, ergo pari ratione Pastor omnium ouium est Pastor, & omnes respicit, & alimenta spiritualia porrigit, ergo dicere *Pasce oues meas*, & *Pasce omnes oues meas* idem sunt indefinita, & vniuersalis, vt supra probaui, *Tum quia*, Petro Christus commendauit *oues suas*, sed oues omnes erant Christi, neque enim Christus partialis erat, qui omnes oues pascebat sui gregis.

79 Ad argumentum ex dictis patet, indefinitam æquipollere vniuersali, vt dixit Doctissimus Cardinalis Bellarminus *libro 1. de Pontifice capite decimosexto*.

80 Adde, quod aliud est subiectum Pastoris, aliud Prædicatoris, nam in constitutione Apostolorum ad prædicandum necesse fuit Christo, se expressè declarare per propositionem formaliter vniuersalem, & definitam signo vniuersali. *Docete omnes gentes*, quia ante passionem suam Apostolis præceperat, quod prædicarent ouibus, quæ perierant domus Israel, prohibendo eis, ne abirent in viam Gentium, neque intrarent in ciuitates Samaritanorum *Matth. 10. 5.* Post verò passionem suam dedit illis aliud mandatum magis vniuersale: *Docete omnes gentes*, hoc est, licet vobis prohibuerim, ne eatis ad Gentes, modo me declaro, vt omnibus hominibus, cuiuscumque sint nationis, & conditionis meum prædicetis Euangelium, primum quidem Iudæis, quia populus à Deo electus, deinde etiam Gentibus, qui voluerint fidem meam recipere. Huiusmodi autem expressio in terminis non fuit necessaria in creatione Pastoris facta post datum illis mandatum de Prædicatione Euangelij omni creaturæ, quia sicut constabat clarè Euangelium esse prædicandum omnibus hominibus Iudæis, & Gentilibus, ex necessaria sequela, liquebat etiam Christum commendasse Petro quaslibet oues, quibus Euangelium erat prædicandum. Deinde subiectum prædicationis non solum erant oues iam intra caulam Ecclesiæ per Baptismum reductæ, sed omnes homines, qui conuerti volebant ad fidem; subiectum verò pasturæ spiritualis erant solum oues intra ouile repositæ, ergo cum notæ essent huiusmodi oues pascendæ non fuit necessarium eas exprimere per signum vniuersale, sicut personæ, quibus prædicandum erat. Et ex his patet, cur in assignandis ouibus Apostolis prædicaturis fuerit necessaria expressio vniuersalis, non vero in eisdem assignandis Pastori Petro, cui commissæ fuerunt sub indefinita, quæ iam extabat definita in mandato prædicationis.

Probant secundo, quia Petrus non pauit omnes oues, cum partim earum pastæ fuerint ab aliis Apostolis, & Discipulis à Christo missis, vnusquisque enim eorum propriam partem gregis pascebat; & confirmatur auctoritate Pauli *ad Galat. 2.* vbi Paulus de se ipso dicit, quod Gentibus prædicabat, Petrus verò Iudæis, Petrus ergo non pascebat omnes oues, sed tantum Iudæos.

Contra est, nam Petrus pauit omnes regimine Papatus vel per se, vel per suos Ministros, hoc enim sufficit Pastori, vt dicatur omnes pascere, est enim satis tritum illud legis, quod qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Et id manifestum est, Princeps enim verbi gratia, Rex Hispaniarum dicitur regere suum populum in quibuscumque regnis, licet illum nunquam viderit, quia per Ministros regit, qui eius personam repræsentant. Sic Papa per Ministros suos Ecclesias omnes regit, licet ab illis absens sit, & nunquam viderit, quia præsens illis est per suos Ministros illum repræsentantes vbique terrarum, Paulus ergo prædicabat tanquam Minister Petri, cui in hoc erat subordinatus, vt magis patebit sequenti argumento responsiuo. 81

Probant tertio, quia Paulus nunquam fuit ouis Petri, nam illi nunquam voluit se subiicere ex cit. capite secundo ad Galatas. *Quibus*, id est, Petro, Ioanni, & Iacobo, *neque ad horam cessimus subiectionis.* Item. *Mea nihil refert, quales fuerint, qui aliquid esse videntur.* Item. *Qui videbantur esse aliquid, nulla mihi mandata dederunt.* Item. *Nihil mihi contulerunt.* Item. *Dexteram dederunt Societatis.* Ex quibus clarè patet, Paulum non fuisse ouem Petri.

Contra est, quia Paulus non subterfugit subiectionem, & imperium Petri cuius ouem se profitetur esse, dum initio probati capitis, se ascendisse Ierosolymam, & suum Euangelium, quod Gentibus prædicabat, contulisse cum illis, id est, Petro, Ioanne, & Iacobo, à quorum capite Petro approbatum fuit, sed in eo capite intendit se defendere à quibusdam calumniatoribus, qui dicebant, Paulum non esse verum Christi Apostolum, sicut illi erant, quibus Christus immediatè docuerat Euangelium, sed esse Discipulum illorum, ac proinde Euangelium Pauli non esse à Christo, sed ab hominibus, vnde cogitur se vindicare ab hac calumnia, protestando, se Euangelium suum accepisse à Christo Iesu sibi immediatè reuelante, sicut reuelauerat aliis, vnde bene dicit: *Neque ad horam cessimus subiectionis*, id est, quoad receptionem Euangelij, quia illud non accepimus à Petro, sed à Christo immediatè nos docente; Paulus ergo non fuit subiectus Petro quoad reuelationem Euangelij, quia Petrus non reuelauit Paulo Euangelium sed Christus, dictum enim fuit superius in præcedenti capite, quod Apostoli omnes erant pares quoad reuelationem Euangelij, quia illos elegit indifferenter pares secundum Apostolatum, fuerunt verò subiecti in reliquis, & quoad vsum prædicationis. Alij explicant ea verba: *Neque ad horam eis cessimus*, id est, calumniatoribus, cedebat enim Petro, qui illum non calumniabatur. Ad quos calumniatores referuntur sequentia verba: *Nihil refert, quales fuerint, qui aliquid esse videntur*, id est, mea nihil refert, quales fuerint Apostoli piscatores, & homines idiotæ, vt calumniatores illi obiurgabant Paulum, obiicientes illi, quod suum Euangelium obtulerat videndum, & approbandum per Petrum hominem idiotam, & piscatorem, ipse verò Paulus, qui Doctor erat, non debebat suum Euangelium conferre cum Euangelio aliorum, qui erāt ignari, & non poterant illi prodesse, & vindicare à calumniis. *Nihil mihi contulerunt*, id est, Apostoli Euangelium mihi non tradiderunt, quia illud didicerat à Christo per reuelationem, quam expositionem præuidens Luterus, inquit Bellarminus, textum falsificauit addendo ea verba: *Nulla mihi mandata dederunt*, quæ in textu non sunt. *Dexteram dederunt societatis*, id est, viso Euangelio Pauli, quod illum docuerat Christus, conforme illi, quod Petrus cum cæteris 82

Apostolis didicerat à Christo, *dederunt dexteram societatis*, id est, approbauit Petrus illud cum cæteris Apostolis, & contraxerunt societatem prædicationis Euangelij, Vide D. Augustin. tom. 7. lib. 2. de baptismo.

Probant quarto ex eodem cap. 2. ad Galat. vbi probatur iure diuino, diuisam esse iurisdictionem inter Petrum, & Paulum, consequenter Petro contigisse populum Hebræorum, Paulo Gentilium, ibi: *Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro Circumcisiones*, ergo Petro non fuerunt commissæ omnes oues.

83 Contra est, quia licet iure diuino mandatum prædicandi datum fuerit Apostolis respectu omnis creaturæ, tamen diuisio locorum, & dispersio Apostolorum per vniuersum orbem de iure positiuo humano facta fuit à Petro, qui non solum Iudæis sed etiam Gentibus prædicauit, sicut & Paulus de eius mandato, vt probaui præced. cap. q. 4. de diuisione ad prædicandum facta mandato Petri *Creditum est mihi.* Christus vtrique commendauit prædicationem Euangelij Paulo in Gentibus, Petro in Iudæis, quia omnibus dixit: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, ergo Gentibus, & Iudæis, omnis enim creatura comprehenditur sub his duabus nationibus, ne ergo Paulus videretur inferior Petro in prædicandi munere, prout volebant illi calumniatores, se defendebat, asserendo: *Qui operatus est Petro in Apostolatum Circuncisionis, operatus est & mihi inter Gentes.* Par ergo munus Christus prædicandi vtrique contulit cum æquali auxilio diuinæ gratiæ. *Lege cap. 9. Act. à num. 26. ad* 30. vbi apparet, se cum Apostolis coniunxisse, & quia Iudæi, quibus prædicabat, & Græcis, & Gentibus, volebant eum occidere, Petrus de consilio Apostolorum alio rum aliò misit prædicare verbum Dei.

Probant quinto, quia vt legitur eodem cap. 2. ad Galatas, Paulus restitit in faciem Petri, eum obiurgans, quod simularet se iudaizare, ergo non erat ouis Petri, ouis enim non aduersatur suo Pastori.

84 Contra, quia præceptum correctionis non solum spectat ad superiores erga subditos, sed etiam ad subditos erga superiores, Deus enim mandauit vnicuique de proximo suo, vt docent omnes cum D. Thom. *2. 2. q. 33. art. 4. vbi art.* 13. *& 6* duplex assignatur correctio, coactiua, & ostensiua, illa pertinet ad superiorem, hæc ad subditos, qualis fuit correctio Pauli erga Petrum, cui ostendit, se non benefacere simulando cum Iudæis iudaizare.

Probant sextò, quia Apostoli sine Petro ordinabant Diaconos *Act. 6. & Act.* 8. Petrus mittitur ab aliis in Samariam ad prædicandum; est autem maior mittens misso Ioan. 13. 16. Item *Act.* 10. Petrus dubi-
85 tat, an prædicandum sit Gentibus, & quia id fecit reprehenditur ab aliis *Act.* 11. ergo non erat Pastor super omnes oues præsertim Apostolos.

Contra est, quia ordinatio Diaconorum fuit facta etiam per Petrum, nam conuocati fuerunt duodecim Apostoli Act. 6. 2. *& illos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus* sub n. 6.
86 Missio illa Petri ad Samaritanos fuit consultiua, & persuasiua, non præceptiua, nec coactiua, & decebat Petrum, qui erat caput, ire personaliter, ad confirmandam eam ciuitatem in fide, vti Princeps recognoscendo illam sibi subditam, & accipiendo illius possessionem. Falsum denique est, Petrum dubitasse, an prædicandum esset Gentibus, sed certam habebat scientiam præceptum esse Domini, vt prædicarent
87 Euangelium omni creaturæ, ergo etiam Gentibus, dixerat enim illis Christus Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad extremum terræ.* Quod idem tradit *Act.* 10. vbi narratur historia Cornelij Centurionis ab eo baptizati, vbi clarè dicit, prædicandum esse omni creaturæ etiam Gentibus. Dubitatio verò eius non erat, an præ- 88
dicandum esset Gentibus, sed erat circa illam visionem, quam ignorabat, quid vellet significare, ideo circa illam à Spiritu Sancto illuminatus fuit. Quare illa increpatio facta Petro Act. 11. 2. à Iudæis dicentibus, *Quare introisti ad viros præputium habentes, & cum eis manducasti?* fuit irrationabilis, quæ non potuit illi obesse, quod non esset verus Pastor ouium quarumcumque etiam reprehendentium illum.

Quæres 12. An ad electionem Petri in Papam concurrerint Apostoli cum suo consilio, & suffragio.

℞. Solus Christus verus monarcha sine consilio, si- 89
ne vllo Apostolorum suffragio Petrum eligit in Papam, tam in promissione, quam in collatione Primatus. Probatur. *Tum quia*, Christus à solo Deo factus fuit Summus Pontifex, ad Hebr. 5, 10. *Appellatus à Deo Pontifex*, ergo & Petrus à solo Christo assumptus fuit ad Pontificatum, seruando ordinem in dignitate vtriusque. *Tum quia*, idem ordo electionis seruatur in successore, qui præstatur in antecessore; Petrus autem quodammodo successit Christo, vt infra sub q. 15. ergo promouendus erat eodem ordine, quo Christus à Deo electus fuerat Pontifex sine consilio Angelorum, aut hominum. *Tum quia*, indecens erat, & absurdum, quod Magister instrueretur à Discipulis contra naturam horum correlatiuorum. *Tum quia*, in promissione clauium, & traditione earum Petro præsentes erant omnes Apostoli, & non legitur, quemquam illorum locutum fuisse, ergo solus Christus sine alicuius consortio Petrum elegit in Pontificem.

Videtur obstare prædictis Anacletus Papa Epist. 3. ibi: *Et licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis.* Respondeo, quod 90
Apostoli voluerunt Petrum in suum superiorem voluntate recognitionis, obedientiæ, & subiectionis, quia non coactè, sed libenti animo eum acceptarunt in suum Prælatum; non voluntate electionis, quia quando id sibi proposuerunt, iam à Christo erat electus, & illis propositus fuit, quem non recusarunt, sed voluerunt, vt sibi præesset, sicut Christus constituerat.

Quæres 13. Quo tempore Christus Pontificatum tradiderit Petro?

℞. Ciacconus, Christum Petro tradidisse claues die 91
Dominico 19. Aprilis, vel vigesimoquarto eiusdem mensis die veneris, anno 33. eius mortis, quæ accidit tertiò Aprilis, resurgendo die quinta, vt colligit ex supputatione literæ Dominicalis D. currentis eodem anno, quo Ascensio fuit 14. Maij, & Pentecostes 24. Maij, & sic cum Christo mansit actualis Pontifex per viginti dies. Prædicta non placent, quod claues acceperit die Dominico, quia Petrus fuit factus Papa eo die, quo pranderunt Apostoli coram Christo manducantes de piscibus, quos nocte præcedenti praendiderant, die enim Dominico manducatur caro, non eduntur pisces indicantes diem mœstitiæ, non lætitiæ, vt erat lætandum pro eius resurrectione. Deinde non videtur consentaneum, quod tunc duo capita visibilia essent simul ad gubernandam Ecclesiam, videtur ergo, quod Paulo ante Ascensionem creatus fuerit Papa. Sed quia discurrere de die huius electionis est diuinare, ideò relinquo id aliorum iudicio. Ex sequenti quæstione de fine, & morte Petri infertur initium acceptæ potestatis:

Quæres 14. Quoto tempore Petrus, permanserit in Papatu à puncto receptæ potestatis vsque ad mortem?

℞. Petrus vixit in Pontificatu annos 36. menses 92
tres, dies quindecim, si sumatur exordium à die deci-

ma

ma quinta Resurrectionis Christi, id est, 19. Aprilis; si verò à die vigesima, hoc est, vigesima quarta eiusdem mensis Aprilis anni 33. ab Incarnatione, sunt dies decem. Quinque annos mansit Ierosolymis ab anno 33. vsque ad 37. quo Cathedram inde transportatam erexit Antiochiæ à die 22. Februarij veneris anno 38. Christi, vbi resedit septennium vsque ad annum 44. Christi, quo à die 18. Ianuarij Sabbato ab Antiochia remotam Cathedram transtulit Romam, vbi eam fixit immobiliter de mandato Domini, quam suâ morte dedicauit, & consecrauit die Mercurij 29. Iunij anno Christi 68. in summitate montis Ianiculi, qui vaticanus appellatur cruci affixus fuit. Secundum Ciacconum in Petro, qui in diebus hebdomadæ aperte errauit, nam anno 37. currebat F. anno 44. erat in vsu E D Bissextili, mensi Ianuario respondebat E. anno demum 68. pariter Bissextili C B posterior accipienda erat, ex inspectione harum literarum in Calendario cum illis diebus apparet veritas eorum dierum.

93 Sub eius Pontificatu iunxerunt quatuor Imperatores, Tiberius, qui, quando Petrus fuit electus Papa, habuit imperij annos 18. quo regnante Petrus Ierosolymis rexit Ecclesiam vsque ad annum Christi 37. & Tiberij 22. Petrus ad Ierusalem primo iuit Antiochiam, quo peruenit die 22. Februarij 38. Christi, initio imperij Caij Caligulæ, qui Tiberio defuncto 16. Martij 37. Christi, successit, & quinque annos regnauit, & obiit 21. Februarij anno Christi 43. cui successit eodem die 21. Februarij Claudius, qui regnauit annos tredecim, menses octo, dies viginti, obiit autem anno 55. Christi, cui successit Nero incipiens regnare anno 56. qui decessit anno 69. Christi. Petrus ergo mansit Antiochiæ vsque ad 44. exclusiuè temporibus Caij, & Claudij anno secundo, infra hoc tempus aliquando rediit Ierusalem, & in multis alijs locis fuit, lustrando Ecclesias. Anno 44. primo peruenit Romam, ingressus 18. Ianuarij exceptus in domo à Pudente Senatore sita in Viminali, vti nunc est Ecclesia Pastoris, vbi per triennium mansit coactus exire, & Ierosolymam redire ad conuocandum Concilium anno 48. Christi, sui Papatus 16. Romani quinto, Claudij sexto, deinde orbem peragrauit, & Romam non rediit, nisi post mortem Claudij anno Christi 56. cui successit Nero, cuius primo anno secunda vice Romam rediit ad visitandam Ecclesiam, & paulo post iterùm recessit, tandem anno 66. Christi, sui Papatus 34. Romani 23. Neronis 11. Tertio rediit Romam, & sequenti anno 67. vicit, & confudit Simonem magum, ex quo rabiem Neronis contra se incitauit, adeo quod sequenti anno 68. Christi, sui Papatus 36. Romani 25. Neronis 13. die Mercurij 29. Iunij, cruci affixus fuit in monte Panicato Romæ.

Quæres 15. An Petrus dicatur successor Christi? An solum eius Vicarius?

94 ℞. Petrus Christi Vicarius dicitur, non successor propriè. Illud de fide patet, quia illi Christus commisit vices suas: *Pasce oues meas.* Dixit *Meas*, non alienas, *Meas*, quia ipse non poterat visibiliter assi-
95 stere, reliquit ergo Vicarium visibilem Petrum. Successor vero propriè dici non potest, quia successor dicitur ille, qui præficitur loco præmortui naturaliter, vel ciuiliter; sed Christus nō amplius moritur, sed viuit in æternū non moriturus, ergo Petrus non potest dici eius successor. Cōfirmatur id: quia antecessoris, & successoris in eodem officio par est potestas, ac proinde independens; sed Petrus non est par Christo in potestate, cum Petrus ab eo dependeat, ergo non potest dici successor Christi, nam prædecessoris, & successoris potestas est ordinaria, & vnus non constituit alium succedentem sibi, sicut fecit Christus; qui Petrum sibi constituit Vicarium, & delegatum. Dixi *propriè* quia impropriè dici potest successor, quatenus illi succedit in officio, fungendo eius vices.

Quæres 16. An vltima potestas à Christo data Apostolis, fuerit potestas Papatus tradita Petro?

℞. Affirmatiuè. Probatur, quia omnes potestates 96
à Christo tributæ Apostolis reducuntur ad quatuor dignitates ad Apostolatum, Sacerdotium, Episcopatum, & Papatum, sub his quatuor sunt omnes potestates; constat autem priores tres datas illis fuisse ante mortem; & post mortem solum potestatem ligandi, & soluendi Sacramentaliter in complementum Sacerdotij, ergo à sufficienti partium enumeratione Papatus vltimò collatus fuit Petro.

Scio nonnullos docuisse, vltimum onus, quod Christus imposuit suis Discipulis, fuisse mandatum prædicandi, quod colligunt ex Matthæo & Marco in fine illis verbis: *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt; & dixit eis, euntes in mundum vniuersum prædicate*, &c. Sed cum hæc apparitio fuerit prima, vt ex textu præcitato liquet Marci, & Ioan. 20. à n. 19. ad 22. vbi fit mentio de mandato prædicandi: *Sicut misit me Pater, & ego mitto*, clarius expresso in textu Marci, & fuit facta Apostolis in octaua Paschatis, non potuit mandatum prædicandi fuisse vltimum munus eis præscriptum, sed Papatus, qui Petro traditus fuit post tertiam apparitionem, vt docet aperte Ioannes cap. fin. 14. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus Discipulis suis cum resurrexisset à mortuis, cum ergo prandissent, dixit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his.* Non potuit ergo mandatum prædicandi esse vltimum officium, quod Christus imposuit Apostolis, cum datum fuerit in prima apparitione, & non in tertia, in qua Petro claues consignatæ fuerunt.

Quæres 17. An Christus super Petrum fundauerit suam Ecclesiam, cuius fuerit primus lapis, & solidum fundamentum?

℞. Affirmatiuè de fide Matth. 16. 18. *Tu es Pe-* 97
trus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quod contigit, quando illi dedit claues regni cælorum, quas illi promiserat, dum eodem contextu verborum dixit, velle ædificare super ipsum suam Ecclesiam. Petrus ergo factus fuit à Christo fundamentum Ecclesiæ, cum illi dixit: *Pasce oues meas*, quas committo curæ tuæ, qui es fundamentum, caput, & Pastor mearum ouium.

Hæretici illud vocabulum *Petræ* distrahunt à suo vero sensu literali, quem Christus intellexit, cum dixit velle ędificare Ecclesiam suam super Petrum, quem Petram vocauit à fundamento soliditatis Petræ, volunt enim tria significare, vel ipsum Christum, vel fidem, vel omnes homines sub Ecclesia.

Primum probant de Christo sub nomine Petræ Epist. 1. ad Corinth. 3. 11. *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ergo solus Christus est hæc Petra. Fauet D. Augustinus docens, Ecclesiam non super Petrum, sed super Christum fuisse fundatam, tract. vlt. super Ioannem sic dicit: *Super hanc Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam:* sed confessus fuit Christum, ergo Christus est hæc Petra.

Contra est, quia nomine Petræ in loco, secundum 98
verum, & realem sensum literalem non potest venire aliud, quam persona Petri, quod probatur. *Tum quia*, illi fit promissio ad quem dirigitur sermo promittentis; sed sermo dirigitur ad solum Petrum: *Tu es Petrus*, ergo super Petrum tantum promittitur ædificatio Ecclesiæ. *Tum quia*, nemo sibi ipsi promittit aliquid, sed alteri à se distincto, ergo Christus non pro-

misit sibi, sed Petro ædificarionem super Petram, nemo enim sibi loquitur, sed tertio. *Tum quia*, illa promissio ædificandi facta fuit ex remuneratione confessionis Christi filij Dei viui; sed solus Petrus confessus est Christum esse Filium Dei, & non Christus de seipso, ergo nomine Petræ ibi non venit Christus, sed solus Petrus. *Tum quia*, Christus semper fuit fundamentum principale suæ Ecclesiæ, ergo promittendo Ecclesiam suam ædificare supra Petram, intellexit per Petram ipsum Petrum, super quem ædificauit cum illi dedit Papatum, nemo enim aliquid sibi promittit, nec potest dare, quod iam habet. *Tum quia*, illi promittitur fundatio Ecclesiæ, cui promittuntur claues; istæ autem promittuntur Petro, ergo ipse est Petra, super quam fundanda erat Ecclesia. *Tum quia*, in iure dicitur, quod persona loquens non comprehenditur in locutione a se facta, *l. Inquisitio C. de solut.* & à Curtio Iuniore *consil.* 332. *num.* 4. vocatur vulgata iuris regula; sed Christus ipse loquitur, ergo ipse seipsum non comprehendit sub nomine Petræ. *Tum quia*, ponderandum est pronomen illud *Hanc*, quod relatiuum est demonstratiuum eius, quod proximè dictum fuit, Paris. consil. 20. num. 49. Sed proximè dictum fuit de Petro: *Tu es Petrus*, ergo nomine Petræ venit Petrus demonstratus. *Tum quia*, insitatum est, & irrationabile, atque contra verum, & realem modum loquendi, quod quis demonstret seipsum per relatiuum *Hic*, quia hoc pronomen est extra loquentem, ergo nomine Petræ non venit Christus loquens. *Tum quia*, vt inquit Bellarminus, ea dictio *Petram* referri debet ad id, quod antecedenter dictum fuerat (Petrus,) ergo ad Petrum, si quidem Christus non fuit vocatus Petrus, sed Filius Dei viui. Et subdit, si referretur ad Christum, falsa esset locutio *ædificabo*, quia Christus iam in seipso Ecclesiam ædificauerat.

99 Argumentis illorum ex auctoritate Sacræ Scripturæ, & Augustini respondetur, duo esse fundamenta Ecclesiæ, vnum primarium, & principale, quod est Christus iuxta allegatam auctoritatem, & hoc nemo ponere potest præter Deum, qui est summus artifex, qui Ecclesiam suam ab initio fundauit in Christo primo angulari lapide, super quem totum Ecclesiæ ædificium sustentatur. Alterum secundarium, & minus principale, quod est Petrus, de quo dicitur à Christo: *Tu es Petrus & super hanc Petram*, quam tu Petrus es, *ædificabo Ecclesiam meam.* Petrus ergo est secundus lapis à Christo iactus in fundamentum ad dandum initium fabricæ per ipsum deinceps erigendæ ex hominibus. Et licet alij Apostoli, sint fundamenta Ecclesiæ, vt probaui cap. præced. quæst. 10. tamen non eodem modo, quo Petrus, quia Petrus spe-
100 ciali priuilegio vocatus fuit fundamentum, qui non solum fuit passiuum fundamentum cum cæteris Apostolis à Christo immediatè positis, sed præterea fuit etiam fundamentum actiuum, & artifex à Christo specialiter, & singulariter declaratus per ea verba: *Pasce Agnos meos*; quia reliquos Apostolos posuit, dum in die Pentecostes primus omnium prædicauit tum Apostolis, tum Discipulis, tum aliis fidem recipientibus. Apostoli verò cæteri fuerunt artifices cæterorum hominum cum Petro ordinante necessaria ad erectionem huius spiritualis fabricæ, quæ Deo fauente in immensum reperitur eleuata.

D. Augustinus, dum Christum vocat Petram, super quam ædificata est Ecclesia, cum loquatur de primario lapide, non excludit Petrum à Petra, de quo alio loco in Psal. contra Donatum inquit: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, ipse est Petra, quam non vincunt superba inferorum porta.* Petrus ergo est secunda Petra Ecclesiæ.

Secundum errorem, quod nomine Petræ intelligatur tantum fides, & non Petrus probant auctoritate Patrum, Hilarij lib. 6. de Trinit. *Super hanc confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est. Hac fides Ecclesiæ est fundamentum.* Ambrosij in Lucam lib. 6. cap. 9. *Fundamentum Ecclesiæ fides est.* Chrysostomi hom. 55. in Matth. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* 1. *Confessionem, & fidem.* Cyrilli lib. 4. de Trinit. *Petrum opinor nihil aliud esse, quam inconcussam, & firmissimam discipuli fidem.* Et multi alij sic interpretantur.

Contra est, quia præfati Patres loquuntur mysticè, 101
non tamen excludunt sensum literalem primariò intentum à Christo circa Petrum Ecclesiæ futurum fundamentum, provt excludunt hæretici, adeo quod nulla ratione ea verba, literaliter loquendo, applicari possunt ad fidem, quod ostendo. *Tum quia*, relatiuum illud, *Hanc Petram*, refertur ad id, quod ante dictum fuit, sed de fide antecedenter nihil dictum fuerat, sed tantum de Petro, ergo ipse literaliter est Petra. *Tum quia*, illud pronomen *Hanc* rem ad oculum demonstrat *l. Nemo* 58. *ff. de hæred. instit.* Surd. *decis.* 125. *num.* 1. Osaschius *decis.* 112. *num.* 4. Fides autem oculo demonstrati non potest, quia est de non apparentibus, ergo litera hic non docet fidem, sed Petrum corporaliter visibilem. *Tum quia*, Christus ibi loquitur de Ecclesia visibili, quam super Petram erat fundaturus, ergo hæc Petra necessariò debebat esse visibilis, non poterat ergo fides inuisibilis esse hæc Petra, quæ visibilis fuit, sicut ipsa Ecclesia. Bellarminus bene dicit, fidem non esse propriè fundamentum Ecclesiæ, quia fundamentum, & reliquum ædificij debent esse eiusdem rationis, est enim Ecclesia congregatio fidelium hominum, quasi lapidum viuorum, ergo tale debet esse fundamentum, qualis est reliqua pars ædificij, quæ sunt homines, ergo & fundamentum debet esse aliquis homo, & non fides.

Dici potest, fidem esse fundamentum Ecclesiæ in 102
eo sensu, quod nullus potest intrare in instructione huius ædificij, nisi prius fidem in baptismate profiteatur, Ecclesia enim est congregatio hominum baptizatorum profitentium fidem diuinam sub Pontifice Romano, de qua re *cap.* 1. *quæst.* 4. *num.* 18. Ergo necesse fuit Petro antequam designaretur lapis fundamentalis Ecclesiæ, quod crederet, & fidem haberet, per quam fieret lapis idoneus, & expolitus ad fundandam Ecclesiam in seipso, & in aliis, ideo baptizatus, & confessus fuit fidem, cum Christo dixit: *Tu es Filius Dei viui.* Factus ergo fuit talis Petra, quæ mereretur audire: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Fides ergo non est lapis, licet sit fundamentum, quo Petrus factus fuit aptus, & idoneus, vt esset Petra solida ædificij, cui soli promissa fuit indeficientia fidei, quia super ipsum singulari priuilegio fundanda erat Ecclesia. Et ita intelligendi sunt Patres supra allegati ab Hæreticis, dum dicunt, fidem esse fundamentum nimirum præparatorium, & dispositiuum, quo Petrus factus fuit petra ædificij Ecclesiastici.

Tertium errorem, quo nomine petræ venit omnis homo, Erasmus probat, auctoritate Origenis tract. 1. in Matth. illis verbis? *Petra est omnis, qui imitator est Christi, & super huiusmodi Petra ædificatur Ecclesia Dei.* Ergo non solus petrus, sed omnis fidelis petra est.

Contra est, quia soli Petro hoc dictum fuit, & Ec- 103
clesia ab initio habuit suum fundamentum in Petro primario lapide, & in aliis Apostolis, duodecim enim sunt tantum fundamenta Ecclesiæ, vt dicitur in Apocal. vt dixi præced. cap. quæst. 10. Alij fideles non possunt dici fundamenta, nec talis Petra, quæ sit fundamentum, sed tantum Petra propagationis, quia Ecclesia

clesia congregatur, & propagatur ex omnibus fidelibus, non vero ex omnibus fundatur. Origenes ergo moraliter loquitur, & intelligendus est de lapide propagationis, & non fundationis in Petro, de quo ipsemet Origenes homil. 5. in Exodum ita loquitur se-
104 cundum sensum literalem, his verbis: *Vide, magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, super quā Christus fundauit Ecclesiam, quod dicatur à Domino: M dice fidei quare dubitasti?* Addit Bellarminus, sequi absurdum, nempe ædificium hoc esse imperfectum, quia si omnes fideles essent fundamentum, careret parietibus, & tecto; Dic proinde, quod nunquam erigeretur, nec propagaretur, si omnia ponerentur in fundamento, consequenter esset falsum illud, quod dicitur Ephes. 2. 19. *Non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum.* Si Ephesiani sunt ciues Sanctorum, & superædificati supra fundamentum Apostolorum, ergo sunt supra fundamentum, & non in fundamento.

Quæres 18. An Petrus sit maior cæteris Apostolis?

105 ℟. Petrus est maior omnibus Apostolis respectu dignitatis Pontificiæ?

106 Probatur. *Tum quia* ille est maior aliis, qui habet maiorem dignitatem, *ex cap Sedes* 15. *de rescr.* & qui plures aliis habet, Bald. *in l. Sed & milites ff. de excusat. tut.* Ruin. *lib.* 1. *consil.* 19. *num* 9. Gratian. *Disceptat.* 845. *num.* 32. Sed Petrus plures habet dignitates aliis Apostolis, quos excedit in dignitate Papatus, qua maior in terris dari non potest, ergo maior est aliis. *Tum quia* ex administratione maiori arguitur maioritas respectu aliorum, qui ea carent, Gemin. *in cap.* 1. *de consuet.* Hostiensis *de maior num.* 1. Decius *consil* 61. *fine,* Sed Petrus in administratione fuit maior, quia multa poterat, quæ non fuerunt concessa aliis Apostolis, qui ab illo in administratione depēdebant, ergo illis maior fuit. *Tum* ex prærogatiuis triginta, quibus alij caruerunt, supra q. 7. deducitur eius maioritas. *Tum* ex prænominatione aliis, nam semper primo loco nominatur, quando Apostoli enumerantur, Matth. 10. 2. Marci 3. 16 Lucæ 6. 13. In locutione semper est primus, vt notaui ex eius prærogatiuis sub dicta quæst. 7. *Tum quia* ipse solus à Christo vocatur Cephas, & caput totius gregis, ergo aliis maior. Demum super hac re extat Bulla Gregorij IX. incip. *Fraternitatis* 14. *in Bull Nouo.* Confirmatur auctoritate Patrum, Eusebius lib. 2. cap. 14. *Magnus Apostolus Petrus reliquorum omnium Princeps.* Ambrosius in cap. 2. ad Galat. *Soli Petro concessa est gratia primatus inter Apostolos.* Leo Epist. 84. *Cum omnium Apostolorum par esset electio, vni tantum Petro datum est, vt cæteris præmineret.* Manifestum est igitur, & de fide tenendum, Petrum fuisse maiorem cæteris Apostolis; qui illi obedientiam præstabant.

Hæretici, qui primatum Petro negant sine ratione, cum abhinc plus mille annis id illi competere omnes asseruerint; & sine causa, quia nulli dedit occasionem ita eidem tam acriter detrahere, cum nemini nocuerit, sed omnibus profuerit etiam suis detractoribus, multis conantur probare illum non esse maiorem cæteris Apostolis.

107 Probant primo, quia Christus *Lucæ* 22. 24. Apostolos inter se contendentes de Primatu, & maioritate redarguit, præcipiendo his verbis: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor,* in pœnam huius arctionis iussit, maiorem cedere locum minori, ergo Petrus, qui primatum quærebat, in pœnam deiectus fuit in postremum, & infimum locum.

Contra est, quia superiùs patet, Petrum esse maiorem aliis, quibus in confirmationem adde sequentes Patrum auctoritates, Ambrosij. *Quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Christus curam Ecclesiarum.* Concil. Ephesinum tom. 2. cap. 15. *Totius fidei, ac omnium Apostolorum caput Beatus Petrus extitit.* Vigilius Papa Epist. 21. *Cephas vocatus est, quia caput, & primus est omnium Apostolorum.* Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 64. *Petrus Princeps, & caput est cæterorum Apostolorum.* Res adeò certa est de fide, vt contrarium sit mera insania.

Ad argumentum respondeo, Christum non redarguere, nec punire Apostolos, neque Petrum, sed eos tantum instruere in modo, quem ipsi tenere debebant in gubernanda Ecclesia, insinuando Prælatos, & superiores in Ecclesia non debere vti sua potestate, vt faciunt Principes laici, qui superbiendo, & rigorosè castigando suos subditos, sine discretione, & charitate, charitatem paternam non habent; non ita facere debent superiores Ecclesiastici, qui erga suos subditos affectu paterno se gerere debent, ac si essent pares,
imò minores illis. *Qui maior est, fiat sicut minor.* 1. cum humilitate sine superbia corrigat subditos, *& qui maior est.* 1. superior, *fiat sicut minor.* 1. in castigando patet se esse illum subditum, quem vult castigare, ne excedat, vnde bene Gregorius relatus cap, quorundam 6. dist. 74. *Tales erga subditos nostros debemus existere, quales nos, si subiecti fuissemus nostros volueramus esse Præpositos.* Instruit ergo illos in modo regendi subditos cum charitate, & patientia. 108

Respondeo adhuc magis ad rem nostram, Petrum non fuisse præsentem in altercatione de maioritate, vt probaui quæst. 4 refutando septimum peccatum 109
illi imputatum. Deinde illa quæstio non fuit de Primatu, quia quando ea mota fuit, nondum erat Papa proclamatus, sed tantum de Apostolatu, quis inter eos esset maior, vnde bene respondit Christus, & difficultatem resoluit: *Qui maior est.* 1. qui se tenet maiorem, *fiat sicut minor.* 1. teneat se talem, qualis est minor, quia inter vos non est maioritas, nec minoritas, quia ego elegi vos pares, & æquales in officio prædicationis, Anacl. relatus cap. 2. dist. 21. *Apostoli cum eodem.* 1. Petro, *pari consortio honorem, & potestatem acceperunt.* Fuit ergo inter ipsos paritas Apostolatus, circa quam dignitatem disputabant, quis eorum esset maior, erat enim quæstio de præsenti. *Quis eorum esset maior.* Non verò, *quis eorum esset futurus maior.* Constabat enim ipsis, Claues promissas fuisse soli Petro, & non aliis; respectu quorum erat futurus maior præcisè ratione Papatus. Paritas ergo fuit in Apostolatu, Sacerdotio, & Episcopatu, non in Papatu, quo erat aliis maior, vnde Clemens *lib.* 8. *constitut. Apostolic. cap.* 4. refert verba, quibus Petrus se illis subscribebat, huius tenoris. *Ego igitur Primus Petrus dico.* Et in prima Epist. Clemens idem indicat. *Qui fuit primitiæ electionis Domini Apostolorum primus.* Et in tertia sic loquitur. *As. Petro Apostolorum Principe Presbyter ordinatus.* Constat ergo Petro competere maioritatem supra omnes etiam Apostolos ratione dignitatis Pontificiæ.

Probant secundo, Ecclesiæ vnicum sufficit caput, quod est Christus, Ephes. 1. 22. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam* non ergo Petrus potuit esse caput illius, quia vnius corporis, qualis est Ecclesia, vnum est caput, est enim monstruosum, quod in eodem corpore sint duo capita. Vnde ad Rom. 12. 5. legitur: *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Ergo & Petrus fuit membrum illius corporis, non potuit ergo esse caput.

Contra est, quia non est incongruum, nec mon- 110
struosum in eodem corpore politico, & morali reperiri duo capita, quorum vnum alteri subordinetur, quæ sint diuersi generis, nam Christus dum viueret in hoc mundo erat caput solus, & visibilis, discessurus erat ab hoc mundo, & ascensurus ad Patrē, ideò necessarium erat

erat Ecclesiæ relinquere aliud caput visibile, quod illius vices gereret, & sic reliquit Petrum sibi subordi-
111 natum, qui præesset ouibus, loco sui. Petrus ergo comparatus ad Christum est Ecclesiæ membrum, cuius caput est Christus, comparatus verò ad oues non est membrum, sed caput totius Ecclesiæ.

Probant tertiò, quia Christus sine vlla differentia misit Apostolos, Ioan. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, eâ ratione, quia ipse Christus voluit esse eorum caput, ipsos verò membra.

112 Contra est, quia Apostoli spectati in ordine ad mandatum prædicandi, quod omnibus indifferenter datum est, pares erant, quia omnes erant membra sub capite Christo, eminebat tamen Petrus super cæteros quia vt Pontifex diuisit illis loca, ad quæ erant ituri ad prædicandum, & in hoc sensu non membrum, sed caput illorum fuit.

Probatur quartò, quia Petrus nihil singulare egit, vt cognosceretur caput aliorum, sed omnes actiones erant communes, nam omnes elegerunt Matthiam, & ordinauerunt septem Diaconos Act. 6. omnes videtant de verbo illo Act. 15.

113 Contra est, quia omnes Apostolorum operationes erant communes quoad substantiam, omnes elegerunt Matthiam, omnes imposuerunt manus Diaconibus, omnes consultarunt, deciderunt in Concilio, & sic procedit eorum argumentum; tamen quoad modum agendi, actiones non fuerunt communes, quia in omnibus erat promotor Petrus, omnes ab eo dependebant, nam primo congregauit cæteros Apostolos pro electione Matthiæ, & ordinatione Diaconorum, atque Concilium indixit, & in eo primum locutus fuit.

Probant quintò, quia non erat conueniens, vt ille caput constitueretur ouium, quia à Christo vocatus fuerat Sathana, quia ter Christum negauerat, quia non crediderat in eius Resurrectionem, quia mutilator erat.

114 Contra, quia valde conueniens fuit, vt eligeretur in caput Petrus potius, quam aliquis aliorum Discipulorum, non obstantibus illis defectibus, quia omnia purgauerat, non erat amplius peccator, & cum nunquam in fide defecisset, vt probaui quæst. 4. sub n. 15. & ei soli concessum fuit priuilegium indeficientiæ à fide, ideo ille solus constitutus fuit caput aliorum.

Probant sextò, quia maior non mittitur à minori, sed è contra maior mittit minorem, Ioan. 13. 16.
115 *Neque Apostolus maior est eo, qui misit illum.* Vnde in diuinis Pater mittit Filium, & ambo Spiritum sanctum, & Papa mittit legatos, & alios se inferiores; sed Petrus missus fuit in Samariam *Act.* 8. 14. ergo aliis non erat maior.

Contra est, quia, vt respondi supra sub num. 86. Duplex est missio persuasiua, seu consultiua, & coactiua, seu imperatiua, hæc, non illa arguit maioritatem, & ideo in diuinis vna persona non est maior alia, quia missio non est coactiua, sed consultiua, à toto collegio Trinitatis.

Probant septimò, quia maior non reprehenditur à minore, secundum D. Paulum Epist. 1. ad Timoth. 5. 1. *Seniorem ne increpaueris.* Sed Petrus reprehensus fuit à Paulo, ergo minor erat.

116 Respondi supra sub num. 84. Maiorem posse reprehendi à minore sine detrimento suæ maioritatis, vnde Anselmus *in cap. 2. ad Galat.* vbi Paulus restitit in faciem Petri, sic dicit: *Petrus etiam Fratri Minori consensum dedit, atque in eadem re factus est sequens minoris sui, vt etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus & in humilitate.* Ad illud Apostoli, *ne seniorem increpaueris*, respondet D. Gregorius relatus cap. Paulus 28. 2. 7. *Paulus dicit: Seniorem ne increpaueris, sed hæc eius regula in eo seruanda est, cuius culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum.* Consentit D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 4. ad 1.

Probant octauò, quia Iacobus frater Domini habuit primatum Ecclesiæ, & fuit caput Apostolorum, nam ipse, non Petrus successit Christo, qui fuit Pontifex Ierusalem, quæ est mater omnium Ecclesiarum, vt dicitur Isaiæ cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Confirmatur id, quia Episcopo Ierosolymitano tributus fuit primatus *ex Concil. Nicano Can.* 7.

Contra est, quia falsum est Iacobum habuisse primatum Ecclesiæ contra Petrum, nam vt vidimus supra cap. præced. num. 11. non fuit Apostolus, & Petrus ordinauit Iacobum Episcopum Ierusalem ibidem num. 76. non potuit ergo habere primatum. Nec conueniens erat, quod Ierusalem teneret primatum sedis legis Euangelicæ, sed extra sedes figeretur, quia sicut lex, & Sacerdotium antiquum mutatum est in legem, & Sacerdotium Euangelicum, ita necesse fuit, quod locus Solymorum, in quo legis antiquę mysteria consummata sunt per mortem Christi, transferretur in alium locum, in quo consummarentur mysteria nouæ legis. Falsum quoque est in Synodo primatum tribui Æliæ, cum in eodem canone dicatur: *Salua manente Metropolis dignitate.* Adde quod Christus fuit caput totius Ecclesiæ præscindendo ab hoc vel illo loco, vbi figenda esset sedes, vnde & sibi constituit Vicarium, non successorem vt dixi num. 94. non limitando illi locum, nec territorium, sicut sibi à Patre, non fuerat limitatum, ideò ab Ierusalem discedens primatum Cathedræ transtulit Antiochiam, & inde Romam, vbi tandem morte suâ illam fixit de mandato Domini, vt infra patebit. 117

Probant nonò, quia Paulus vocatur antonomasticè Apostolus, ergo ipse est caput Apostolorum non Petrus, qui non venit sub hoc simplici vocabulo *Apostoli*, sicut Paulus.

Contra est, quia ea denominatio non derogat primatui Petri, nam Saulus antequam esset Paulus, iam extabat Papatus non in cæteris Apostolis, ergo in solo Petro; præterquamquod ea denominatio tributa fuit Paulo iam defuncto à Ministris Ecclesiæ propter diuersas rationes, & quia specialiter electus fuit; & 118
quia doctior præ aliis; & quia plus aliis scripsit, & laborauit in Euangelio 1. Corinth. 15. 10. *Abundantius illis omnibus laboraui*; ideò antonomasticè vocatur Apostolus. Adde quod ibidem num. 9. se vocat minimum Apostolorum, non ergo habebat primatum, nec maior erat Petro, ad cuius pedes posuit suum Euangelium *ad Galat.* 2. vt illud approbaret, ratione cuius eum recognouit in suum superiorem.

Probant decimò, quia in sigillis, & literis Pontificiis antiquis Paulus ad dexteram, Petrus ad sinistram ponitur, & ita pingebatur alias, ergo Paulus fuit maior Petro, manus enim dextera significat maioritatem, sinistra indicat minoritatem, & illa est dignior ista, Bald. *in l. Decernimus Cod. de sacros. Eccles. num.* 1. 119
Cassaneus *in Catal. G. M. part.* 1. *consid.* 11. §. *Secundo dicitur*, alij apud Tamburin. *tom.* 3. *decision.* 1. *num.* 2.

Contra est, quia ea collocatio non vrget, nam Pi- 120
ctoribus, & Sculptoribus lata est facultas suo modo collocandi figuras, & simulacra, pro suo libito, vt plurimùm casu, & non consulto loca tribuunt imaginibus. *Tum quia*, Petrus vti patronus in domo sua tribuit Paulo honorem vrbanitatis, non primatus, nam amici solent honorari in propria domo, in curribus, & aliis locis. *Tum quia*, dextera manus non semper arguit maioritatem, sed quandoque seruitutem, nam Diaconus stat ad dexteram Sacerdotis, dum illi ad Missam inseruit, etiam absente Subdiacono, vnde sic stare

stare pro seruitute arguit minoritatem, & subiectionem, hoc modo stat Paulus cum gladio ad dexteram Petri, vt inseruiat Petro in vsu clauium. *Deinde*, tribuere alicui honorem, non est se priuare illo, quia, vt aiunt, honor est honorantis, neque arguit minoritatem, sed maioritatem, quia dare honorem spectat ad maiorem erga minorem, ergo Petrum habere ad suam dexteram Paulum, arguit maioritatem in Petro honorante Paulum.

Quæres 19. An Petrus eligere potuerit in suum successorem Clementem Romanum? Et an acceptauerit iste Papatum?

122 ℞. Petrus poterat sibi eligere successorem, & de facto illum sibi elegit nomine Clementem, qui acceptauit, & successit eidem immediatè.

Primum de potentia probatur ex Epistola prima ad Iacobum fratrem Domini, & Episcopum Ierosolymis extensa initio Conciliorum, his verbis eiusdem Petri, referente eodem Clemente: *Hoc enim fieri statutum est mihi.* Nullus autem hoc præcipere poterat Petro præter Christum, ergo Petrus id licitè facere potuit, præcipiente sibi Christo, vt successorem sibi
123 eligeret, Hoc autem Christus præcepit propter tria. *Primò*, ne Ecclesia remaneret sine capite post mortem Petri, omnes enim propter vrgentes tyrannorum persecutiones abhorrebant subire onus Pastoris, quod nunc omnes exquisitis votis peroptant, ideò Christus specialiter prouidere voluit ministerio Petri, *Secundò*, Christus hoc præcipiendo, voluit, per hanc electionem vt Petrus se Clementi demonstraret gratum, propter continuum obsequium sibi factum in ministerio spirituali, vt dicitur in eadem Epistola, illis verbis: *Qui mihi ab initio vsque in finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit, qui in omnibus tentationibus meis socius extitit fideliter perseuerans.* Ex gratitudine ergo, & integritatis vitæ longa experientia Clementem sibi elegit in successorem. *Tertiò*, Christus proposuit Petro Clementem propter eius merita, quia inter omnes alios Sacerdotes ipse erat melior, vt ibidem subiungitur his verbis: *Quem præ cæteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum, discendi studiis deditum, sobrium, benignum*, &c. Et infrà. *Quod si esset alius melior, si quis mihi alius adiutor tam sedulus extitisset.* Adde, quod erat Romanus, ac proinde congruum erat eligere sibi in successorem talem Sacerdotem natione, qualem sedes iam Romæ fixa postulabat.

Secundum de Clemente electo testatur idem Petrus in eadem Epistola his verbis: *Propter quod ipsi.* Id est Clementi *trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & soluendi, vt de omnibus quibuscumque, quæ decreuerit in terris, hoc decretum sit in cælis.*
124 Clemens ergo fuit secundus Papa immediatè successor Petri, erat autem natione Romanus, cuius pater vocabatur Faustinus à Petro baptizatus, ordinatus Diaconus, deinde Presbyter, & demum Episcopus. Et ita asserit Ioannes III. electus 559. in sua Epistola decretali tom. 2. Concil. fol. mihi 815. & refertur cap. 1. 8. quæst. 1. ita scribens: *Petrus Apostolorum Princeps adiutores sibi adsciuit Linum, & Cletum, non tamen potestatem Pontificij, aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit, sed successori suo Sancto Clementi, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem tradente sibi Beato Petro tenere meruit. Linus vero, & Cletus ministrabant exteriora. Princeps autem Apostolorum Petrus verbo, & orationi insistebat.* Hæc clara sunt, alia probatione non egent. Confirmatur successio immediata Clementis Petro, quia tunc Dionysius erat Romæ præsens morti Petri, vt ipsemet testatur in sua Epistola ad Timotheum prælata operibus S. Ioannis Chrysostomi, vt testatur Sacra Visita Romæ 1630. die 28. Aprilis, qui missus fuit à Clemente Papa in Galliam, vt legitur in eius lect. 5. his verbis: *Qui cum postea Romam venisset à Clemente Pontifice missus est in Galliam prædicandi Euangelij causa.* Cum ergo fuerit Romæ tempore mortis Petri anno 68. non est verisimile, quod 23. annis ibi moratus sit, & postea ab anno 91. qui Clementem postponunt Lino, & Cleto missus fuerit ab eodem Clemente in Galliam, ergo missus fuit ante, & sic fuit Papa ante prædictos.

Sed prædictis multa obstare videntur, nam illa Epistola à multis censetur Apocripha, vt insinuat Baronius ad annum 69. Probant *primò*, quia Iacobus ad quem scripta fuit obiit anno 63. ac proinde ante Petrum, qui cruci affixus fuit 68. *Secundo*, Clemens vocat Iacobum dominum suum, quod non decet Pontificem vocare subditum dominũ suum. *Tertio*, Græcam vocem *Symbolum* latine vertit in *Collationem*, non enim videtur latine scripsisse ad Iacobum. *Quarto*, nomen Dei vocat nomen substantiæ sempiternæ, seu timoris Dei, quasi Theos dicatur Deus, id est, timor, vel Latinè Deus deducatur à Græca voce Deos, quod vtrumque ineptum est. *Quinto*, in ea fit distinctio Primatuum, Patriarchatuum, & Archiepiscopatuum, quæ est potiùs recentior distinctio, quam antiqua. *Sexto*, in Epistola quinta hortatur ad communitatem omnium rerum, etiam vxorum, quod rationi repugnat, & hæreticum est. *Septimo* demum, si Clemens successit immediatè Petro, sequitur Clementem plus Petro sedisse, nam Petrus obiit anno 68. Clemens verò anno 100. aut 102. contra illud vulgatum: *Non videbis diem Petri*, cum Clemens sederit ab anno 68. ad 100. plusquam triginta Concludo in factis meliùs esse credere antiquis quam modernis, ac proinde magis esse credendum Ioanni III. quam modernis nostri temporis, & hoc sufficit pro veritate prædictorum.

Respondetur, eam Epistolam esse legitimam ipsorum Petri, & Clementis, nam Anacletus, qui à S. Petro ordinatus fuit Presbyter, & Clementi successit, eam Epistolam bis citat in sua prima, & semel in tertia, vt videre est tomo primo Concil. & cum sit testis oculatus Romæ existens nulli suspicionem inducere potest circa veritatem huius rei. Confirmatur alio teste oculato Alexandri primi Romani electi anno 118. qui in sua prima Epistola refert supradictam eiusdem Clementis, quem dicit fuisse ordinatum à S. Petro, ergo apocripha non fuit. *Ad primum*, de morte Iacobi ante Petrum, ac proinde Clemens non potuerit ad illum dirigere suas literas, dico primo duos fuisse Iacobos vnum fratrem Domini, & iste viuebat tempore Clementis, mors intelligitur de Iacobo Alphæi Apostolo; dico secundò, esto esset mortuus, non ideò Epistola illa dicenda est apocripha, quia scripta ad mortuum, præsumitur enim Clementem ignorasse eius mortem, cum longè Roma distet ab Ierusalem, & licet inter annos 63. & 68. intermediauerint quinque anni, qui videntur tollere eam præsumptionem, tamen id verum non videtur esse, stantibus persecutionibus, quæ poterant impedire scientiam mortis Iacobi, timentes Catholicis venire Romam ad nuntiandum Petro mortem Iacobi. *Ad secundum* dico esse leue argumentum ad inducendam Apocriphationem, nam ex humilitate Clemens vocat Iacobum Dominum suum & causa honoris, erat enim frater Domini Iesu, adeò quod hoc non fecit, vt se demonstraret eius subditum, cuius erat superior supremus. Summi Pontifices se vocant Seruos Seruorum Dei, quod est plus, & tamen sunt etiam secundum hunc titulum Pontifices respectu eorum, ad quos scribunt, ergo & Clemens vocando Iacobum Dominum suum, erat Papa tunc, & non simplex Sacerdos, seu Episcopus. *Ad*

tertium

tertium parum refert ea versio siue Latinè scripserit, siue Græcè, ipse est Romanus. *Ad quartum* dico, nil concludere, nam ita loquitur: *Deus appellatio est substantiæ sempiternæ, siue timoris diuini*, quod nihil absurdi continet, cum verè Deus sit substantia sempiterna, & diuinus timor, in quantum est ab omnibus timendus iuxta illud: *Initium sapientiæ timor Domini. Timete Deum omnes Sancti eius.* Respondeo *ad quintum*, illam distinctionem esse cœnam Ecclesiæ, de qua mētionem facit Anacletus in sua tertia Epistola, processisse à Petro, & Clemente, quibus erat coadiutor, ac proinde rei huius notitiam habebat visiuam. *Ad sextum* nihil tale de communitate vxorum, sed expresse loquitur de communitate rerum, quæ seruabatur in primordio nascentis Ecclesiæ, hortatur ergo fideles ad illam communitatem, secundam quam viuebant Apostoli, vt legitur in actis Apostolorum, quæ licita, conueniens, & honesta semper fuit, Nec ea verba: *In omnibus autem sunt sine dubio & coniuges.* Intelligenda sunt ad sensum obiectionis, sed quod coniuges conuersi ad fidem, & ipsi licet non sint clerici debent conseruare vitam communem cum eisdem clericis circa bona fortunæ & rerum pretio æstimabilium, communitatem enim vxorum attentatam à Nicolao, bene sciebat Clemens fuisse damnatam à Paulo, & à Ioanne, ideò non curauit eam de nouo detestari, sed solum dixit, etiam coniugatos debere in communitate viuere, ac si essent clerici. *Ad vltimum* facilis est responsio, quia illud vulgatum vel intelligitur de toto tempore, quo Petrus vixit in Pontificatu à sua electione vsque ad mortem, qui excessit annos 35. Clemens vero vix exegit 32. Vel solùm de tempore, quo Romæ sedit, & sic vulgatum habet locum respectu illorum; qui excludunt Clementem immediatum successorem Petri. Nostris temporibus obtinet veritatem ex conditione, quod nolunt eligere iuuenes adultos, sed solum senes, vt multiplicetur numerus, & regimen passim inuocatur, nostris enim placent nouitates.

126 Ex his constat Linum, & Cletum non fuisse reuerâ Papas, sed tantum Episcopos Petri, & Clementis Coadiutores, & in hoc sensu Ecclesia eos recognoscit Sanctos Pontifices.

Quæres 20. An Petrus aliis Apostolis contulerit aliquam potestatem?

127 ℟. Negatiuè, quia Apostoli omnes à Christo immediate parem honorem, & potestatem acceperunt, vt testatur Anacletus, qui fuit tempore Apostolorum, relatus cap. 2. dist. 21. nam electi fuerunt Apostoli ad prædicandum Euangelium, ordinati Sacerdotes ad celebrandum, conficiendum, & ministrandum Sacramenta, consecrati Episcopi ad conferendos ordines, & Sacramentum Confirmationis, cum potestate iurisdictionis fori externi immediatè ab eodē Christo, vt multis docui præcedenti capite q. 53. Ita docent omnes Catholici cum Caietano *tract. 1. de auctoritate Papæ cap. 3.* cum eo discrimine, quod in Petro potestas erat ordinaria, & cum successione, in aliis delegata cum dependentia à Petro, & sine successione. Sed hanc differentiam potestatis ordinariæ, & delegatæ confutaui cap. præced. quæst. 54. vbi num. 117. probaui, etiam alios Apostolos habuisse potestatem ordinariam sibi collatam respectu earum trium dignitatum Apostolatus, Presbyteratus, & Episcopatus, non verò respectu Papatus, quam potestatem solus Pe-

128 trus à Christo habuit, ita quod cæteri Apostoli in hac nihil participabant cum Petro, cui soli data fuit, cum successione. Apostoli quoque habuerunt successores Episcopos ratione Sacerdotij, & Episcopatus, non verò ratione Apostolatus cum ipsis extincti, Ecclesia enim iam perfecta in suis fundamentis vlterius non indigebat hoc officio.

Quæres 21. An Petrus potuisset abrogare leges latas ab Apostolis, si quas fecissent?

℟. Affirmatiuè, probatur ratione, quia Petrus ra- 129
tione Pontificij erat illorum superior, & legislator, & ipsi illius subditi, ergo quascumque leges ab eis factas reuocare potuisset. Auctoritate, & exemplo Victoris Papæ, qui festum Paschatis, quod Ioannes Apostolus mandauerat celebrari luna decima quarta, transtulit in Dominicam immediatè occurrentem post eam lunam primi mensis, vt obseruat Eusebius *lib. 5. Histor. 24.* & prohibitionem de ordinandis bigamis summi Pontifices quandoque tollunt, Gloss. v. *Apostoli cap. Sunt quidam 6. 25. quæst. 1.* vbi bene de hac re. Ita docent omnes.

Quæres 22. An Paulus cum Petro simul fuerit Papa totius orbis?

℟. Definitum fuit non semel de fide, quod solus 130
Petrus sine alterius consortio fuit Papa, & eius successores pariter semper vnus fuerunt. Bonifac. VIII. in Extrauag. *Vnam sanctam* de maior. sic statuit? *Ecclesiæ vnius, & vnica vnum corpus, vnum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet, & Christi Vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oues meas.* Hanc vnitatem Pontificatus omnes Patres testantur, nam à S. Clemente in sua prima Epistola vocatur: *Apostolorum primus*; in secunda vocatur: *Pater omnium Apostolorum.* In tertia *Princeps Apostolorum*, Anacletus successor Clementis vocat illum semper *Principem Apostolorum.* D. Damascenus Epist. 2. *Solus Petrus præ omnibus Apostolis claues accepit.* S. Augustinus homil. 87. in Ioan. *Cum multi essent Apostoli vni dicitur: Pasce oues meas.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum. *Propterea inter Duodecim, vnus Petrus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Cyprianus Epist. 52. *Primatus Petro datur, vt Ecclesia vna monstretur.* Si solus Petrus in Papam electus fuit, iam Paulus non potest dici Papa, & cum Petro collega in Pontificatu, nam Paulus Petro erat subiectus, vt ipsemet testatur ad Galat. 1. 18 *Post annos tres venit Ierosolymam videre Petrum.* Deinde post quatuordecim annos iterum ascendit Ierosolymam cap. 2. 2. *Et contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus.* Quæ loca sancti Patres interpretantur de subiectione Pauli ad Petrum à quo accepit licentiam prædicandi inquit Gloss. v. Petrus cap. Quis nesciat 11. dist. 11. ex illis verbis Act. *Segregate mihi Paulum*, &c. Hieronymus super illud primum cap. *Paulus Ierosolymam venit, vt honorem Petro Priori deferret.* Theophylactus. *Honorans maiorem se.* Iterùm Hieronymus. *Tanquam ad Pastorem supremæ potestatis.* Ipsemet Petrus lib 6. constit. Apostol. cap. 8. dicit; *Mecum erant Barnabas, & Clemens discipuli Pauli Coapostoli, & coadiutoris nostri in Euangelio:* Maior, nec par dicitur esse cum aliis, sed minores & inferiores dicuntur esse cum suo superiore, Paulus erat Coapostolus, & Coadiutor in Euangelio, non in primatu, paritas ergo restringitur ad officium Apostolatus.

Ratione demonstratur vnitas Papatus in Petro, 131
Paulo excluso. *Tum quia* quando Petrus à Christo electus fuit, nondùm Paulus erat conuersus ad finem, nam à Christo vocatus fuit 25. Ianuarij anno 35. Christi, duob. annis postquam Christus tradiderat claues Petro, paulo antequam cælum conscenderet, & deinde anno 44. ordinatus fuit Sacerdos, & Episcopus tātum *Act.* 13. Nō potuit ergo simul cū Petro recipere Claues Papatus, neque post recepit, quia nulli constat de hac receptione, ergo asserenda non est. *Tum quia* impossibile est dari duo capita, qui vniantur in vna voluntate agendi, & vnus quandoque alteri non aduersetur, propter liberum arbitrium, & indifferentiam ad operandum, quod enim vellet vnus, alter negare posset,

posset, nisi ponatur destructio libertatis in alio, quod absurdum est. *Tum quia* nunquam legitur datas fuisse claues supremæ dignitatis aliis Apostolis. *Tum quia* in Missali, & Breuiario solus Petrus vocatur Pastor ouium, Princeps Apostolorum, Clauicularius, habere Pontificium Sacerdotium, & potestatem ligandi, & soluendi, de his nihil pro Sancto Paulo. *Tum quia* nullus Papa ausus fuit assumere nomen Petri, sicut multi vocantur nomine Pauli, qui tantum quinque fuerunt, si Paulus fuisset Papa, iam Burghesius non fuisset Paulus V. sed VI. quod nemo dixit. *Tum quia* Historici nullum successorem tribuunt Paulo, sicut Petro assignant continuationem successionis. *Tum quia* si Paulus fuisset Papa, Ecclesia honoraret eius sedem, sicut reueretur Cathedram Petri vtramque. *Tum quia* hactenus nullus reposuit illum in cronologia Pontificum. *Tum quia* tolleretur Monarchia Ecclesiæ, cuius vnicum tantum est caput visibile, ad cuius vnitatem omnes potestates referuntur.

Hæc & multa alia refert versatissimus Augustinus de Bellis Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum, in suo eruditissimo opere de absoluta Petri Monarchia contra quendam Gallum, qui multis probat Paulum cum Petro fuisse simul ambos Papas, ex paritate amborum in primatu, in potestate, in principatu Apostolorum, in sede, in fundanda Ecclesia, & in multis aliis.

Possumus nos respondere iuxta superiùs sæpe dicta, in Apostolis spectari tres dignitates Apostolatus, Sacerdotij, & Episcopatus, in quibus tribus non solum Paulus, sed etiam alij Apostoli pares erant cum Petro, quia omnes æque, & immediate à Christo electi, & ordinati fuerunt, & hi omnes habebant primatum, principatum suæ ordinationis, omnes vt Apostoli Ecclesias fundauerunt, quamuis in vsu harum potestatum omnes dependerent etiam à Petro, & ipse Paulus Petrum in prædictis recognouit, vt patet supra. Si verò spectemus dignitatem Papatus præter dignitates prædictas, nemo illorum comparandus est cum Petro, quia is solus habuit à Christo independenter à quocumque homine primatum, principatum, potestatem, Sedem, Cathedram, præeminentiam super vniuersum gregem Domini.

Extat nouissimum Decretum Sanctissimæ Congregationis Generalis Inquisitionis S. Officij coram Sanctissimo D. N. Innocentio X. habita feria quinta die 24. Ianuarij 1647. contra assertores sequentis tenoris.

132 Editus est Anno 1645. Liber Gallico Idiomate impressus, cui titulus. [*De l'Authorité de sainct Pierre, & de sainct Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apostres,*] absque nomine Authoris, & impressionis loco. Huius Libri euulgationem subsecuta est editio alterius Libri Anonimi eodem Idiomate impressi, cui titulus. [*La grandeur de l'Eglise Romaine estably sur l'authorité de sainct Pierre, & de sainct Paul:*] Nec non Epistolæ eiusdem argumenti Latino Idiomate conscriptæ, ac typis excusæ plurimis adductis, atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocircà, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis.

Sanctissimus relata vnanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum D. D. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Propositionem hanc: sanctus Petrus, & sanctus Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui vnicum afficiunt, vel: sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi Duces summa inter se vnitate coniuncti; vel: sunt geminus vniuersalis Ecclesiæ vertex, qui in vnum diuinissimè coluerunt; vel: sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui vnicum caput constituunt, ita explicatam, vt ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subiectione sancti Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine vniuersalis Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declarauit.

Epistolam verò, ac libros prædictos, aliosque, in quibus propositio vt supra explicata, & damnata asseritur, & defenditur, tàm impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, aut quomodolibet inscriptis euulgatos, vel in posterum euulgandos, Sanctitas sua omninò damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans vt nemo cuiuscumque gradus, & conditionis existat etiam speciali, seu specialissima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur.

Ioan. Antonius Thomasius S. Rom. & Vniuers. Inquis. Not.

Quæres 23. Quid competat Petro in ratione Papatus? Ratio quærendi hoc esse potest, quia potestas iurisdictionis fori externi in multis fuit communis omnibus Apostolis, vt constat ex illo Matthæi 18. 17. & 18. *Dic Ecclesiæ, quæcumque alligaueritis super terram, &c.* ideo scire oportet qualis potestas competat soli Petro, & non aliis, vt potestas radicata in Papatu cognoscatur alia, & diuersa à potestate iurisdictionis, quæ erat communis cæteris Apostolis, hæc autem melius cognosci non potest, nisi videndo quos actus possit facere Papa, quos Apostoli non fecerunt, nec modo faciunt Episcopi nisi de licentia Papæ.

℞. Potestas Papæ cognoscitur diuersa à potestate Apostolorum respectu quatuor, quæ sunt potestates Congregandi Concilium Generale cum cæteris 133
requisitis, vt dicam suo loco, definiendi controuersias de fide, canonizandi seruos Dei, & concedendi Indulgentias fidelibus tam viuis, quam defunctis, hæ quatuor potestates multiplicatæ ex obiectis radicantur in Papatu Petri, & eius successorum. Probatur, quia potestas Papatus, sicut qualibet alia potestas iurisdictionis operatiua est, in hoc enim vocatur potestas, quod per eam quis possit operari, ergo vt hæc cognoscatur esse diuersa in se in Petro à potestate aliorum Apostolorum, necesse est, quod Petrus per eam potuerit facere aliqua, quæ non poterant cæteri Apostoli, qui carebant dignitate Papatus, aliter non distingueretur potestas Papatus ab aliis potestatibus, ergo in Petro assignãdum est aliquid ab eo factum, quod non potuerint facere alij; ego autem quatuor operationes supradictas assigno, quas solus Petrus potest facere, ex quibus potestas Pontificia cognoscitur diuersa ab aliis aliorum Apostolorum. Et quod illæ quatuor ad solum Petrum spectent, probatur, quia illæ præstandæ sunt tantum ab eo, qui habet successorem generalem in omnibus, eo quod Ecclesia continuè debitis temporibus indiget, vt constat experientia, nam Concilia non solum tempore Petri, sed successiue plura Congregata fuerunt, in illis, & extra multæ controuersiæ circa fidem deciduntur in dies; pariter serui Dei, & martyres florent in Ecclesia militante, qui tales ab Ecclesia declarandi

declarandi sunt per Canonizationem à Petro celebrandam. Demum homines quotidie prolabuntur in diuersa peccata, quæ medentur mediantibus Sacramentis, & Indulgentiis; sed solus Petrus habet vniuersalem successorem in omni sua potestate, nam quod traditum à Christo fuit Petro, communicatur omnibus eius successoribus, tales enim non essent, si eius potestatem non haberent, de qua re fusius in sequenti capite, ergo hæ quatuor operationes ad solum Petrum, & eius successores spectant; non autem communes sunt cæteris Apostolis, quod probatur, quia ipsi non habent necessariò successores saltem vniuersales, vt probaui præcedenti capite *quæstione* 61. Ergo illis non competunt illæ quatuor operationes, quæ in solo Papatu radicantur. Probaui autem præcedenti capite illas operationes soli Petro competere, conuocationem Conciliorum *quæstione* 40. definitiones fidei *quæstione* 41. Canonizationem *quæstione* 43. Concessionem Indulgentiarum *quæstione*
134 44. Excellentia igitur Papatus cognoscitur superemineree aliis dignitatibus Apostolatus, Presbyteratus & Episcopatus non solum ex prædictis quatuor, quæ Petrus solus præstat ex vi Papatus, sed etiam ex aliis tribus capitibus, & quia cæteri Apostoli in vsu suarum potestatum dependebant à Petro, ex præced. cap. quæstione 54. & quia solus habuit successorem vniuersalem suæ potestatis, quod non habuerunt alij Apostoli respectu potestatis iurisdictionis, quæ in successoribus diminuta fuit, & quia Papatus successoribus immediatè confertur à Christo inuisibiliter, licet Petro visibiliter collatus fuerit.

Quæres 24. An, & à quo Petrus baptizatus fuerit?

135 ℞. A solo Christo solus Petrus baptizatus fuit inter Apostolos ex testimonio Euodij eius successoris in Ecclesia Antiochena, vt dixi præced. cap. n. 60. illuc remitto lectorem.

Quæres 25. An Petrus Romæ habitauerit?

136 ℞. Petrus Romæ fuit non solum transeunter, sed ibi domicilium contraxit, & moram traxit administrando suum officium. Id probatur auctoritate veterum Patrum, qui huius rei testes fuerunt oculati, primo S. Clementis, qui illius comes fuit in omnibus ab initio vsque ad finem, in prima Epistol. ad Iacobum fratrem Domini, ibi: *Et vsque ad ipsius Romanæ Vrbis huius notitiam, vt etiam ipsa saluaretur, inuexit.* Et in libro 6. constitut. capite 9. vbi narratur debellatio Simonis Magi facta per ipsum Petrum, toto populo Romano spectante. De Historia huius Simonis vide libellum intitulatum: *I. Sacri Trophei Romani di Francesco Maria Torrigio Romano Romæ Typis Monetæ* 1644. Capite 13. vbi diuersos de hac re Historicos refert. Secundum testimonium de visu est Anacleti Papæ Romæ ordinati Sacerdotis ab ipso Petro, in sua Epist. 3. *Adhibita est etiam Societas in eadem Romana Vrbe beatissimi Apostoli Pauli.* Infra. *Ambo Sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt.* Anterus Papa electus anno Christi 237. relatus cap. Mutationes 34. 7. q. 1. *Petrus sanctus Magister noster & Princeps Apostolorum de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam.* Marcellus Papa I. anno 304. electus idem testatur in cap. Rogamus 15. 24. quæstione 1. *Quæ posteà iubente Domino Romam translata est.* De hac re vide libellum supradictum, qui exactissimè rem hanc comprobat; quod tanquam de fide omnino credendum est, & deducitur ex eius prima Epistola capite 5. extremis verbis: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Nam omnes S. Patres per Baby-
137 lonem intelligunt Romam, quam sic vocauit Petrus, propter scelera, flagitia, & idolatriam, quæ nutriebantur in Vrbe, sicut in altera Babylone; inter vtramque plures similitudines refert Orosius *apud Aresium in Apocal. Velitat.* 3. Interpretando Apocalypsim, in qua Ioannes præsertim capite 17. Romam simili nomine Babylonis nuncupauit. Vide Bellarminum *libro* 2. *de Pontifice Rom. initio*, qui huius hæresis inuentorem primum dicit fuisse quendam Gulielmum præceptorem Ioannis Vigleph, quem 138
sequuntur Luterani, & Caluinistæ. Quod Petrus Romæ fuerit, & illuc Cathedram Episcopalem transtulerit docent nos Ecclesiæ Galliarum, & Hispaniarum quæ ab antiquo tempore festum Cathedræ Romanæ singulis annis celebrant die decima octaua Ianuarij, quo Romam ingressus fuit, quas tandem non dedignata est imitari Ecclesia Romana, præcipiente Paulo IV. per suam Bullam 13. incip. *Ineffabilis*, sub 139
datum 6. Ianuarij anno 1557. ab omnibus celebrandum, ad corroborandam fidem nostram. Hinc damnatur Disticon. 140

An Petrus fuerit Romæ sub iudice lis est.
At Simonem Romæ viuere quisque fatetur. Vel *Simonem Romæ viuere nemo negat.*

Hæretici, qui iniquum libertatis Spiritum quærunt, disciplinam, & Imperium Romani Pontificis, subterfugere satagentes, vt liberius viuant, & pro suo arbitrio loquantur, seminando zizania in agro Ecclesiæ Dei, vt in totum, si possent, extirparent primatum Sedis Romanæ, non pepercerunt Petro, negantes ei Cathedram Pontificalem in Vrbe Roma, asserentes, eum nunquam vidisse, quod vanis, & inutilibus coniecturis conantur probare.

Probant primò, quia Historici non conueniunt 141
circa tempus, quo volunt Romæ fuisse, ergo nunquam Romæ fuit. *Secundò*, Petrus non potuit venisse Romam ante celebrationem Concilij, de quo Act. 15. coactum per ipsum Petrum, cui præfuit anno 18. à Passione Christi, teste Hieronym. *in cap.* 2. *ad Galat.* nam Paulus post tres annos à sua conuersione iuit Ierusalem videre Petrum, deinde post annos quatuordecim rediit ad Concilium, vt colligitur ex eodem capite 2. ad Galat consequenter in anno decimo octauo Concilium celebratum fuit à Petro; neque deinceps potuit venire Romam, quia carceratus erat Ierosolymis, & post hoc tempus exiit edictum Claudij de Iudæis exeundis è Roma, ex quibus infertur, Petrum numquam Romæ fuisse, quia Claudius præcipiendo exitum Hebræis, de quorum natione erat Petrus, consequenter prohibuit etiam introitum eisdem in Vrbem. *Tertiò*, Paulus scribens ad Romanos, & Romæ existens ad diuersa loca, nunquam mentionem facit de Petro, vt salutaretur, vel salutaret Fratres, quod est signum, Petrum nunquam fuisse Romæ *Quartò*, Paulus fuit destinatus ad prædicandum Gentibus, Petrus Iudæis ex cap. 2. ad Galat. ergo solus Paulus fuit Romæ pro conuersione Romanorum, qui erant Gentiles. *Quintò*, Paulus ad Coloss. scribens cap. fin. dicit Romæ secum habere Aristarchum, Marcum, & Iustum, subdens num. 11. *Hi soli sunt adiutores mei in regno Dei*, ergo Petrus aberat. *Sextò*, idem Paulus *ad Timoth. Epist.* 2. *capite* 4. 16. dicit, quod nullus ei adfuit in sua persecutione, qui illum adiuuaret, quem nihilominùs Petrus ex officio defendere debuisset, de cuius defensione non constat, ergo Romæ non fuit.

Argumenta huiusmodi nihil probant, quod de- 142
monstro ex principiis iuris, & doctrina peritorum, qui vnanimiter asserunt, testem super negatiua deponentem, eam non dici probare, nisi remoueat sensum ab actu, & actum à sensu, Gloss. *in* §. *Si vero absunt Auth. de hæredit.* & Falcid. Felin. *in cap. In nostra, de testib. numero octauo*, Bossius, *in titul. de Defens. reor. numero decimo quinto*, Clarus *quæstione* 52. §. *Scias autem*, Ludouisius

decis. 42.

decis. 42. *num.* 5. *&* 6. Huiusmodi autem remotio in quæstione præsenti nihil aliud est, quam quod hæretici debebant suam negatiuam adæquatè probare, ostendendo, quod Petrus in illis annis, quibus Catholici asserunt illam fuisse Romæ, & non extra, Roma abfuisse. Rem declaro clarius in homine viduo, qui desiderat ducere vxorem extra suam patriam existens, is enim à primo die mortis prioris vxoris debet probare, se deinceps vsque ad præsentem diem, nullam mulierem duxisse in vxorem, quod præstatur per testes comites, & cohabitantes cum illo in omnibus locis, in quibus sine vxore antea vixit, hæc enim est adæquata probatio remouens actum à sensu, & sensum ab actu, vnde si fuit in pluribus locis, ab habitatoribus singulorum locorum debet habere litteras in forma probante, quod ibi vxorem non duxerit, alias nihil probatur pro ipso. Sic in proposito nostro hæretici debebant probare intentum suum adæquate ab illo die, quo ab Antiochia discessit iuisse ad talem locum, & successiue mansisse modo in hoc, modo in illo, vsque ad mortem, assignando singulis annis locum, vbi habitauit extra Romam, talis enim probatio, si tamen esset vera, fuisset adæquata, quod non fecerunt, nec facere possunt, ideò pro nihilo habenda sunt eorum argumenta.

Adde præterea quod cum assertio Catholicorum sit affirmatiua, & ab exordio facti ipsius Petri, probata superius ex testibus oculatis, & subsequenter ab omnibus Historicis, & Sanctis Patribus nomine discrepante, qui ab illis acceperunt, hæreticorum ex aduerso negatiua, & fere recens quasi inaudita redditur omninò improbabilis, & falsa conuincitur, quod demonstro ex multis. *Tum quia* se primò offert commune axioma Legistarum: Magis creditur duobus
143 testibus affirmantibus, quam mille negantibus, Gloss. v. *in diem proferre* §. *Si plures ff. de arbitr.* Bart. Bald. & Alexand. cum aliis *in l. Hæredes palam ff. de testam.* Leoncillus *in decis.* Ferrar. 38. *num.* 10. Hæretici sunt pauci, & suspecti, Catholici sunt quamplures, & antiquissimi, & oculati illorum aliqui, ergo illis nullatenùs credendum etiamsi essent mille, contra duos Catholicos. *Tum quia* nouitates sunt fugiendæ, cum sint causa discordiarum, *cap. Consuetudinis* 9. *de*
144 *consuet.* Id autem est quid nouum habito respectu ad tempus suæ inuentionis paulò ante Concilium Constantiense celebratum 1414. in quo Vigleph fuit condemnatus discipulus illius Gulielmi inuentoris, & postea circa annum 1500. excitatum, adeò quod ante illud tempus omnes Scriptores vnâ voce semper dixerunt, Petrum Romæ fuisse, quibus huius rei veritas magis esse obuia poterat, quam posteris. *Tum quia* dicta antiquorum sunt sequenda, non modernorum, maxime quando agitur de facto aliquo, Eccli 8. 11. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim di-*
145 *dicerunt à Patribus suis*, Gloss. v. à veteribus cap. Ita Dominus 7. distinctione 19. ex quo credendum est senibus in antiquis, l. Si chorus ff. de legat. 3. *Tum*
146 *quia* magis credendum est testibus oculatis, quam de auditu, quia oculus certior est arbiter, quam auris, cap. Quia iudicante, de præscript. oculis magis credendum, quam auribus, §. *fin. Instit. de gradib. cognat.* maximè de auditu mediato, qui nihil probat; sed testes oculati, quos adduximus initio sunt pro parte affirmatiua, pro hæreticis nulli, neque de auditu proximo, imò neque remotissimo, sed solum fundantur in quibusdam coniecturis falsis, & inadæquatis, quæ factum hoc à se propositum probare non possunt.

Primò igitur argumento respondetur, concedendo antecedens, quia reuera inter se Historica dissentiunt, nam Orosius dicit Petrum Romam ingressum ab exordio imperij; Hieronymus anno secundo eiusdem, ista duo non multum differunt, quia annus secundus dici potest exordium respectiue ad reliquos annos; Passionale dicit expressum esse anno decimo tertio eiusdem Claudij, 15. verè ab illis dissentit, & alij alia dicunt circa tempus, non tamen negant illis ingressum, sed asserunt, ideo negatur ex diuersitate temporum inferri, nunquam fuisse Romæ, certo enim scire possumus, & nostris videre oculis, aliquem esse in Vrbe, & ignorare, quo die, quo mense, quo anno sit ingressus. Notum est, extare aliquas religiones, quarum initium ignoratur, de quarum tamen existentiâ nullus dubitat; tamen Historici non concordant in assignando tempus, quo illæ institutæ fuerunt, non ideo tamen neganda est earum existentia. Sic in proposito nostro, licet ignoraretur verus dies ingressus Petri Romam, certus tamen est eius ingressus respectu loci, licet non respectu temporis, omnes enim Historici concordant respectu loci, quod Romæ fuerit, concordant etiam respectu temporis, quo Romæ fuit, nempe sub imperio Claudij, & solum differentes sunt circa annos, an fuerit primus, secundus, an tertius, vel quartus, conueniunt ergo in eo, quod Petrus ingressus est Romam vno ex prædictis annis, qui spectant ad eius initium, nam Claudius imperauit tredecim annos, quorum quatuor spectant ad initium, quia tunc Claudius non dicebatur esse in medio, neque in fine annorum sui imperij; ita Bellarminus *libro secundo, de Pontif. cap.* 5. vbi reiicit Passionale tanquam mendacem.

Secundò, negamus Petrum non potuisse Romam venire ante Celebrationem Concilij, de quo *Act.* 15. Nam reuera Romam intrauit anno 44. Christi die Ianuarij, & mansit tantum annos quatuor 44. 45. 46. & 47. quibus respondent alij quatuor anni Claudij, 2. 3. 4. & 5. posteà recessit Ierosolymam versus, secundo rediit Romam anno 56. Neronis primo, & paulò post secunda vice discessit, & non est reuersus nisi ab anno 66. Neronis vndecimo, & Romæ tertia vice remansit annis Christi 66. 67. & 68. Neronis 11. 12. & 13. quibus annis 68. & 13. Cruci affixus pro fide Christi Martyr occubuit Romæ. Itaque Romæ mansit circa nouem annos tribus vicibus, hoc est, annis Christi 44. 45. 46. 47. 56. 57. 66 67. & 68. Claudij 3. 4. 5. & 6. Neronis 1. 11. 12. & 13. Ex hac supputatione constat, quod cum Petrus Romæ non fuerit anno 18. Passionis Christi, qui respondet anno 50. eiusdem Incarnationis 18. Papatus Petri, 6. 7. Sedis Romanæ, & 8. Claudij, certè interfuit Concilio eodem anno celebrato 18. Passionis, tunc enim abfuit Roma annis Christi 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. & 55.

Quod spectat ad carcerationem Petri, ea contigit ante Concilium, & antequam veniret Romam, ac proinde ante annum Christi 44. Paulus potuit vidisse Petrum Ierosolymis post tertium annum suæ conuersionis, quæ fuit 25. Ianuarij anno 34. Christi, vno post eius passionem, mensibus nouem, & aliquot diebus decursis. Patet etiam Petrum multo tempore ante edictum Claudij factum anno vndecimo sui imperij, 53. ab Incarnatione, & ab Vrbe discesserat Petrus anno 48. & rediisse anno 56. quo cessauerat illius mandatum.

Tertiò argumento respondetur, ex eo, quod Paulus in suis litteris nunquam fecit mentionem de Petro, non sequitur, Petrum nunquam fuisse Romæ, *Tum quia* salutatio est ad libitum, voluntaria non necessaria. *Tum quia* Petrus tunc aberat Roma,

quando Paulus è Roma scribebat extra, vt infra patebit.

Quartò illud pactum prædicandi fuit voluntarium & nihilominus promiscue prædicabant ambo Gentibus, & Iudæis, nam de Paulo dicitur Act. 20. 21. *Testificans Iudæis, & Gentibus pænitentiam.* De Petro Act. 15. 7. *Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij.* Deinde etiam Romæ erat mixtio vtriusque nationis.

Quintò respondetur, Paulum Romæ existentem scripsisse ad Colossenses anno Christi 60. Neronis quinto, quo tempore Petrus non erat Romæ, ideo bene dixit Paulus: *Hi soli sunt adiutores mei in regno.* Insuper esto Romæ tunc Petrus fuisset, contrarium non colligitur ex præcitatis verbis, quia ea particula *Hi soli* specificatur & limitatur per illud *Adiutores mei* non enim Petrus erat adiutor Pauli, minor enim dicitur adiuuare, & inseruire maiori, est autem certum ex probatis hic quæstione 18. Petrum fuisse maiorem Paulo, ergo ea verba nihil probant.

Sextò argumento satisfit eodem modo, nam eo anno persecutionis Pauli 59. Christi, & quarto Neronis, quo scripsit ad Timotheum, Petrus Româ iam discesserat, vt patet supra ad argumentum secundum. Pro intelligentia, & confirmatione prædictorum.

Notandum est ex Spondano, Baronio, referente Gauanto in vita Pauli, ipsum suas Epistolas scripsisse sequentibus temporibus. Primam ad Thessalonicenses anno 52. Christi, Claudij 2. 10. Secundam sequenti anno. Ad Corinthios vero primam ab Ephesi, anno 57. Neronis 2. Secundam anno 58. Neronis 3. ex Nicopoli. Primam ad Timotheum ex Laodicea anno 57. Neronis 2. secundam anno 59. Neronis 4. Ad Titum scripsit in via ad Nicopolim anno 58. Neronis 3. Ad Romanos ex Illirico eodem anno 58. Neronis 3. Ad Galatas eodem anno. Ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, Hebræos, & Philemonem anno 60. Christi, Neronis quinto. Secundum Bellarminum *lib. 2. de Pontif. cap.* 8. Epistolas ad Galatas, Ephesios, Colossenses Philippenses, Hebræos, ad Timotheum secundam & ad Philemonem scripsit Paulus anno 60. Christi, quo Petrus Roma aberat.

Quæres 26. An Petrus Romæ mortuus sit?

147 ℞. Affirmatiuè, nam Cruci affixus fuit capite deorsum die mercurij 29. Iunij, inquit Ciacconus, anno Christi 68. Neronis 13. à Resurrectione 36. cæpto, à Romana Sede 26. cæpto. Est communis Ecclesiæ traditio de fide habenda, quod Romæ occubuit testem oculatum produco Clementem eius successorem sibi electum ore proprio in sua prima Epistola ad Iacobum post initium his verbis. *Palam cum omni fiducia, aduersante etiam tyranno totius mundi, bonum prædicare non destitit, & Regem omnium seculorum per orbem terræ, & vsque ad ipsius Romanæ Vrbis huius notitiam inuexit. Hic inquam.* 1. Petrus, *pro pietate pati volens præsentem vitam finiuit.* Pro tyranno totius mundi intellexit Neronem, qui Petrum vltimo supplicio crucis condemnauit. Secundum cito testem oculatum Anacletum à Petro Sacerdotem ordinatum, in Epist. 3. loquens de morte vtriusque Petri, & Pauli. *Gloriosa morte cum Petro sub Principe Nerone agonizans, coronatus est, & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt.* Ambros. serm. 66. de Natali Apostol. *Martyrium pertulerunt in Vrbe Roma, quæ Principatum, & caput tenet nationum.* Refertur cap. Beati 37. quæst. 7. Ratio idem suadet, quia eius corpus Romæ veneratur, & nullus hactenus scripsit, præter paucos hæreticos ab anno 1400. circa, eius corpus ab alio loco occisum Romam delatum fuisse, ergo occubuit Romæ, vbi colitur.

Eius funeri interfuerunt Marcellus in primis Presbyter, qui eius corpus deposuit de cruce propriis manibus lauans vino optimo, myrrha, mastice, Aloë, stacte, & folio cum aromatibus ex omni parte liniuit, more regio, ne dum Iudæo sepeliuit in Vaticano cum Clemente eius Discipulo, & Episcopo, atque Apuleio pariter Discipulo interfuerunt etiam Anastasia, Basilissa, quæ delatæ apud Neronem, quod curassent corpora Apostolorum sepelienda, comprehenduntur. Pontificale sub nomine Damasi habet hæc. *Sepultus est Petrus in Via Aurelia in templo Apollinis, iuxta locum, crucifixus est, iuxta Palatium Neronianum in Vaticano iuxta territorium triumphale,* Hæc rescripsi ex Francisco Maria Terrigio Romano cap. 3. de quo dixi supra. 148

Hæretici opponunt illud Matthæi 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris.* Christus dicit, suos Apostolos occidendos esse à Iudæis, non verò ab imperatoribus ergo Petrus Romæ non fuit occisus, vbi non regnabant Iudæi.

Respondeo, illam auctoritatem non loqui de omnibus Apostolis, sed de aliquibus tantum, vt apertè colligitur ex prædicatione *Ex*, quæ facit hunc sensum, *Ex illis.* 1. aliquos illorum occidetis, non 149
enim est omnium inclusiua, cum diuidat, partim includendo, & partim excludendo, vt docet Cartus. super dictum cap. art. 37. ibi: Ex illis flagellabitis, subdit, *quosdam*, ergo non omnes fuerunt occisi per manus Iudæorum.

Quæres 27. An Petrus sit mortuus Romæ Episcopus, & Pontifex supremus totius orbis?

℞. Petrus à die, quo constitutus fuit à Christo 150
Papa, perseuerauit in suo officio & papatu vsque ad mortem, quod nullus Catholicorum negat, & probatur testibus oculatis Clementis, & Anacleti sæpe citatorum, nam Clemens in prima Epistola ad Iacobum, sub initium, refert Petrum antequam moreretur, sibi tradidisse Papatum his verbis eiusdem Petri sic loquentis toti Ecclesiæ in Vrbe Congregatæ existenti *Audite me fratres, & conserui mei quoniam vt edoctus sum ab eo, qui misit me Domino & magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis Cathedram trado,* Et paulo infra clarius. *Propter quod ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & soluendi, vt de omnibus quibuscumque decreuerit in terris, hoc decretum sit in cælis.* Cum autem ex Regula vtriusque iuris, Canonici 79. & Ciuilis 55. nemo plus iuris in alium transferre possit, quam sibi competere dignoscat, si Petrus contulit Cathedram Romanam, & potestatem ligandi, & soluendi Clementi, vt constat ex allegata Epistola, necesse est inferre, Petrum eandem in seipso conseruasse vsque ad mortem, vt posset alteri communicare, si enim Petrus fuisset tunc persona priuata, & carens Cathedra, atque potestate nihil potuisset conferre Clementi. Anacletus Papa idem testatur in sua Epistola 3. his verbis. *Prima ergo sedes est cælesti beneficio Romana Ecclesia, quam beatissimi Petrus, & Paulus suo martyrio consecrarunt.* Sedem illam non consecrasset Petrus, si vltimo illo die non sedisset in Pontificatu, decessit ergo Episcopus, Pontifex, & Papa totius Ecclesiæ Romanę. Eusebius in suo Cronicon anno 44. id expressius affirmauit. *Romam Petrus proficiscitur, vbi Euangeliũ prædicans viginti quinque annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat.* Confirmatur

matur ratione, quia constat, Petrum à Christo fuisse constitutum summum Pontificem, & nullus asserit, neque iure asserere potest, eum vel renunciasse, vel priuatum fuisse vel commutasse Papatum in alιud officium, ergo in officio suo mortuus est. Adde, quod Ecclesia Romana alia ratione non tenet primatum, & Cathedram Papalem, nisi quia Romæ Petrus occubuit, ergo Episcopus, & Papa totius orbis.

Quæres 28. Quo iure Petrus Romæ sedem fixerit? an iure diuino, an facto suo, quia Romæ mortuus est?

151 ℞. Iure diuino Sedes Pontificia Romæ fixa fuit terminata immobiliter per mortem Petri, sic Christo illi præcipiente. Probatur de fide multis auctoritatibus. In primis aufero testem oculatum Anacletum Papam, qui Epistol. 3. paulo post initium id testatur his verbis: *Hæc vero Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, & totum Christiani populi gregem assecuta est.* Et infra replicat. *Hæc vero Apostolica Sedes, cardo, & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non alio est constituta.* Marcellus Papa cap. Rogamus 15. 24. quæstione 7. *Quæ postea iubente Domino Romam translata est.* Gelasius Papa relatus cap. Quamuis 3. distinctione 21. *Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit.* Stephanus Papa relatus cap. Enimuero 4. distinct. 19. *Cui nos Christus præesse voluit.* Vigilius Papa tom. 2. Concil. fol. 563. *Romana Ecclesia eius. 1. Petri, Domini voce consecrata, & Sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum.* Nicolaus Papa relatus cap. Fundamenta 17. de elect. in 6. *Nec vlli subesset homini, quæ ore diuino cunctis dignoscitur esse prælata.*

Hanc vocem, hanc iussionem, hoc præceptum, vt Romæ moreretur, & ibi Cathedram figeret immobiliter per suam mortem Christus ore proprio dedit Petro fugienti è Roma, libero exeunti è carcere Mamertino, è porta Copena, & Appia, vt euitaret mortem Neronis persecutoris, auctoritate Innocentij III. relati in cap. Per venerabilem 13. Qui filij sint legit. his verbis: *Locus enim, quem* 1. *Vrbem Romam, elegit Apostolica sedes esse cognoscitur, cum enim Petrus Vrbem fugiens exiuisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat, reuocare, interrogatus ab eo: Domine quo vadis? Respondit, Venio Romam iterum crucifigi, quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reuersus.* Fuit ergo voluntas Dei, vt Petrus Romæ moriendo figeret immobiliter Sedem Papalem. Quod deduci etiam potest ex Epistola 2. Petri, qui cap. 1. 14. de se ita loquitur: *Certus sum, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.* Supple, quando occurrit mihi in via fugienti ab Vrbe, & euitarem Neronis persecutionem. De hac re testantur plerique antiquissimi apud Bellarminum lib. 1. de Pontif. cap. 23. ad finem, Franciscus Maria Turrigius Romanus cap. 9. vti refert Historiam Ecclesiæ S. Mariæ de Plantis existentis extra portam Appiam erectæ in memoriam huius mysterij, in eo enim loco Christus Petro occurrit.

Est ergo res certissima, & de fide tenenda, Petrum de speciali mandato Christi Sedem Papalem fixisse Romæ, & per suum martyrium consecrasse. Duo hæc fuerunt necessaria, mandatum Christi, & mors Petri, ne electio Romanæ Ecclesiæ, cui omnes Pontifices debebant succedere, videretur casu accidisse, & non consilio, & Dei præcepto, aliter cæteræ Ecclesiæ potuissent contendere de successione, ac proinde esset incertum futurum caput Ecclesiæ, potuisset enim quis non irrationabiliter asserere, Petrum nullam sedem habuisse determinatam, quia omnium Ecclesiarum erat Princeps, & sicut primo moratus fuit Ierosolymis, deinde Antiochiæ, demum Romæ, ita potuisset habere successorem in vna illarũ, indifferenter, ideo Christus voluit, vt Romæ tantum haberet successorem, ac proinde, vt voluntatem Domini adæquate impleret ante mortem suam elegit in Episcopum, & Papam Romæ Clementem natione Romanum. Adde, quod non in proprio Episcopatu, vel extra, non immutat Episcopatum, vel ius successionis, quia plures Summi Pontifices Auenione sunt electi, & ibidem defuncti, qui nunquam Romam venerunt, & tamen successores dicebantur Pontificis Romani, ex eo, quod Christus decreuit, vt Pontifices vocandi Papæ nulli alij succederent, quam Petro, & successoribus Petri defuncti Romæ, si enim Petrus, præscindendo à diuina iussione, alibi mortuus fuisset non Episcopus Romæ, sed illius loci, vbi obiisset, neque erat specialiter Episcopus Romæ, cum exclusione aliorum, vti qui erat supremus Pastor, Christus ergo determinauit illi successorem in Episcopatu Vrbis, & non extra.

Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 12. §. vt autem res tota, dicit aliud esse successionem, aliud rationem successionis, nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri est ex instituto Christi, ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius, quam Antiochenus, vel alius succedit, ex facto Petri initium habuit. Successio ergo est ex institutione Christi, & de iure diuino, quia Christus Pontificatum instituit in Petro duraturum vsque ad finem mundi in suis successoribus. Quod vero Episcopus Romæ vt talis succedat Petro, ortum habuit ex facto Petri, non ex institutione prima Christi, nam Petrus potuisset nullam sibi eligere sedem particularem, vt fecit illis primis quinque annis, antequam iret Antiochiam, in quo casu si obiisset, ille ei successisset, quem Ecclesia voluisset. Pariter potuisset semper manere Antiochiæ, proinde tunc illi successisset Antiochenus, sed quia in re mortuus est Episcopus Romæ, & in Vrbe, ideo factum est, vt Romanus Pontifex succedat Petro Et sequenti §. Et quoniam, dicit, sententiam tenentem, Pontificem Romanum succedere Petro ex iussione Domini non esse improbabilem, subdit: *Sed quicquid de hoc sit, saltem ista ratio successionis non est ex prima institutione Pontificatus, quæ in Euangelio legitur.* Videtur ergo Petri factum consistens in fixione Sedis Romæ, & Martyrio ibidem passo produxisse hanc particularem successionem in Romanis Pontificibus, quia hoc factum sub his circunstantiis non pendet ab ea prima institutione.

Ego autem dico, in Papatu Petri tria spectari 152
cum eodem Bellarmino, primo eius institutionem, secundo eius successionem, tertio successionem in tali Ecclesia. Ista tria sunt de iure diuino ex illo: *Pasce oues meas*, Ecclesia pascenda erat continue ab aliquo capite visibili, quia corpus Ecclesiæ erat visibile, ideo simile caput illi præeminere debebat, & quia continuo eget spirituali pabulo vsque ad finem mundi, ideo cum vnus homo perpetuitatem vitæ in hoc mundo non habeat, sed vnus alteri succedat per naturalem propagationem, necesse fuit quod huiusmodi caput institutum fuerit ipso sui initio cum successione, quoniam autem caput ex natura successionis postulat successorem vniuersalem, qui quasi in iure

reputatur eadem persona cum prædecessore defuncto, hinc est, quod Christus instituens Petrum Ecclesiæ Pastorem simul cum successione, eodem iure institutionis voluit, vt successor esset talis, qualis ipse erat quando obiit, sed Petrus occubuit Episcopus Episcoporum, & Pontifex Romanus, ideo eodem iure diuino Christus quando instituit caput cum successione, decreuit, vt successor inuariabiliter esset semper Pontifex Romanus, & ideo hoc decretum Christus ore proprio exposuit Petro occurrens, dum Roma fugiebat ob persecutionem Neronis illi præcipiendo, vt rediret Romam, & ibi crucifigeretur, atque vt ante mortem sibi eligeret successorem Clementem Romanum, quem non poterat eligere nisi in successorem sui Pontificatus Romani, ergo Christus in institutione Papatus volendo successionem, voluit etiam eandem determinatam in tali Ecclesia, nempe Romana, ne incertum esset caput, quod certum, & vnum numero instituerat. *Confirmatur*, quia illa tria necessariam connexionem habent ad inuicem, nam dari non potest successio accessoria institutioni in genere, & in abstracto, cum in re sit singulare suum habens effectum tempore determinato, dum ergo Christus per institutionem decreuit etiam successionem, necessario illud extendit ad talem successionem, quam non ignorabat, ergo successio particularis in tali Ecclesia, nempe Romana est de iure diuino, quo primum institutus fuit Papatus in Petro, quæ loci determinatio postmodum declarata fuit à Christo occurrenti primo, dum fugiebat, vt superius late dictum fuit.

Dices, hanc limitationem successionis, & eius determinationem in tali loco, nempe, vt fieret semper in Ecclesia Romana Vrbis, non constare in constitutione Papatus, quia in ea fit solum mentio de pascendis ouibus non hic, aut alio in loco determinato, sed per vniuersum orbem, per quem oues dispersæ erant, in institutione ergo vniuersalis Pastoris non fuit determinata certa Ecclesia, quod videbatur necessarium, vt successio particularis Ecclesiæ foret de iure diuino, adeo quod non sufficiebat tacita determinatio Ecclesiæ particularis, cum deberet de ea constare.

Contra est, quia ex dictis, non est successio in genere, sed talis successio numero in tali numero Ecclesia, quia successor alio modo non potest succedere suo prædecessori, nisi eo modo, quo ipse possidebat; sed Petrus erat Episcopus Romæ residens in sua morte à Deo constitutus, ergo si ex iure diuino debebat habere successorem, is debebat eodem iure diuino succedere Romæ in eadem Ecclesia Vrbis, aliter non fuisset verus successor Petri. Quando Christus Petrum instituit Pastorem sciebat illum esse moriturum Romæ, & Episcopum Romæ, non Antiochiæ, quia eam reliquerat Ecclesiam aliis regendam, & sedem suam Romam transtulerat, consequenter eodem iure institutionis successionem limitauit ad Romanam Ecclesiam Vrbis ad minus tacite, de quo non est dubitandum, cum Concilium Florentinum declarauerit hanc limitationem his verbis: *Definimus Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & esse successorem Beati Petri Principis Apostolorum*. Ecclesia autem nunquam definit aliquid de fide, nisi prius assertum sit voce Spiritus sancti, & Pontifici reuelatum, ergo successio in tali Ecclesia nempe Romana Vrbis est de iure diuino decreta in ipsa institutione Papatus, & traditione clauium Petro.

Et ex his patet hanc determinatam successionem in Ecclesia Romana constare factam fuisse à Christo in institutione Papatus, primo reuelatam Petro ore proprio Christi, deinde definitam à Sede Apostolica in præcitato Concilio. *Nec vrget*, quod subditur, oues esse dispersas per vniuersum orbem, ac proinde in institutione Papatus non fuisse determinatam certam Ecclesiam Petro, quia stare non debebat, sed ire per vniuersum orbem ad prædicandum. Non vrget, inquam, quia hic non est sermo de prædicatione, quam adimpleuit Petrus ante suam mortem, sed de successione futura post eius mortem, quæ ideo non impedit eius prædicationem, quæ successio Pontificis Romani Petro cum modò de fide declarata sit, necesse est inferre, eam præcedere à iure diuino ab origine institutionis Papatus.

Nec dicas, Concilium declarasse Pontificem Romanum esse verum successorem Petri, non hanc successionem esse de iure diuino, hoc enim Concilium non expressit.

Quia respondetur Concilium vtrumque definisse, vt constat ex sequentibus verbis: *Et ipsi*. 1. Romano Pontifici, *in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse*. Romano Pontifici datur in Beato Petro plena potestas pascendi vniuersalem Ecclesiam, ergo & successio in Ecclesia Romana, alia enim ratione hanc potestatem non habet, nisi quia est successor Petri in hac Ecclesia, non enim esset Romanus Pontifex habens potestatem, sed Petrus iure diuino habet successorem, ergo iure diuino habet successorem talem nempe Romanum Pontificem, quia eam habet in Petro, in quantum ei dictum fuit: *Pasce oues meas*, quod totum dependet à iure diuino. *Confirmatur*, quia hæc propositio: *Pontifex Romanus est successor Petri*, est obiectum reuelationis factæ per Spiritum sanctum Ecclesiæ in auribus Pontificis, qui eam fidelibus declarauit credendam; sed in ea propositione continetur exprese determinata successio, ergo si eam reuelauit Spiritus sanctus prout reuelauit, expressit, quod iure diuino decretum erat ab æterno, vt Romanus Pontifex esset successor Petri. 153

Sequitur ex his, hanc determinatam successionem Ecclesiæ Romanæ Vrbis non esse præcisè factum Petri, sed esse decretum diuinum, & factum Petri solum illius executionem, sine enim eius morte in Vrbe, vbi erat Episcopus, non dabatur in actu successio, quæ ex natura rei supponit mortem prædecessoris, seu sedis vacationem alio titulo, vt notum est, quia sicut in naturalibus duo corpora non possunt occupare naturaliter eundem locum, ita neque duo superiores simul possunt in eadem sede sedere. 154

Quæres 29. In quibus locis Romæ S. Petrus exercuerit suum officium?

℞. In multis locis, ab anno igitur 44. ab Incarnatione die 18. Ianuarij Romam ingressus fuit, & primo habitauit in domo Pudentis Senatoris Romani, quem cum duabus filiis Pudentiana, & Praxede conuersum ad fidem baptizauit, vbi etiam sanctum Marcum ordinauit, illa autem domus nunc vocatur Ecclesia S. Pudentianæ, vbi celebrabat in sacello ad dexteram partem, & ibidem suam primam Epistolam scripsit, vocatur Ecclesia titulus Pastoris vicus Patricij, Viminalis. Prædicauit, & baptizauit, in tribus Cæmeteriis, Ostriano tertio ab Vrbe lapide extra portam Salariam, Vaticano, vbi nunc est Ecclesia Sancti Petri, & vbi est altare maius vocatum Confessiones, vbi sepultus fuerat, & in Cæmeterio ad Nymphas in prædio Seueræ. In Ecclesia nunc Sanctæ Priscæ in monte Auentino. In Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via Lata pluries celebrauit, vbi Lucas scripsit Acta Apostolorum, & Paulus Epistolas ad Hebræos, Ephesios, Philippenses, Philemonem & secundam ad Timotheum. 155

Timothæum. Vt plurimùm diuertebat trans Tiberim ad Iudæorum conuersionem vbi solebant habitare prope Ecclesiam SS. Benedicti, & Laurentij. In S. Maria Noua, nunc vulgo S. Francisca Romana, quia ibi requiescit eius corpus in foro Boario Canonicorum Regularium Montij Olиueti, conseruantur Silices, super quibus Petrus genua flexit signis relictis orando Deum contra Simonem Magum, qui à Capitolio tentauit volare vsque ad montem Auentinum, vbi nunc est Ecclesia S. Sabinæ Dominicanorum, parum arte magica eleuatus in aërem, vt in Paradisum conscenderet, vt dicebat, miserabiliter toto corpore contrito cecidit iuxta templum Romuli, vbi nunc est
156 Ecclesia Sanctorum Cosmæ, & Damiani à Fœlice Papa bisauo Gregorij Magni constructa, vocata etiã Ecclesia S. Cosmatis in Silice, Religionis Tertij ordinis S. Francisci, cuius ego filius sum indignus; sic contractus fecit se efferre Ariciam, vbi post triduum periit. Dicti Silices erant in alia Ecclesia non longe ab hac S. Mariæ Nouæ versus Collosseum intra iura dictorum Canonicorum.

157 Carcer Mamertinus à Mamertino Vrbis præfecto dictus ad radices Capitolij prope Arcum triumphalem in parte superiori in Ecclesiam S. Petri ad Carceres conuersus, ibidem inclusi fuerunt catenis Petrus, & Paulus ab octobri vsque ad iunium, vbi etiam nunc cernitur fonticulus habens exurgentem è pauimento aquam, qua baptizauit 49. conuersos ad fi-
158 dem, inter quos erant Processus, & Martinianus Custodes, qui portam carceris aperuerunt Apostolis. Erant ibidem duæ columnæ, ad quas Apostoli alligati cæsi fuerunt, quæ nunc conseruantur in Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ Carmelitarum. Apostoli è carcere fugerunt, & transeuntes per locum Septisolij è crure Petri putrido ex compedibus cecidit fasciola, quã ligauerat cicatricem, vnde erecta fuit Ecclesia SS. Nerei, & Archilei titulo Fasciolæ. Petro autem fugienti extra portam Capenam, seu Appiam vocatam S. Sebastiani occurrit Christus quærenti: *Domine quo vadis?* Respondens: *Venio iterum crucifigi*, & statim Christus disparuit relinquendo in lapide vestigia pedum suorum, vbi manet constructa in huius rei memoriam Ecclesiola dicta nunc: *Quo vadis* S. Maria de Plantis, Palmarum, seu Ad Passus. Lapis vero asseruatur in Ecclesia S. Sebastiani Monachorum reformatorum S. Bernardi. Petrus intellecta voluntate Christi, vt Romæ moreretur, Romam rediit, iterum carceribus intrusus cum Paulo eodem mense Iunij, tandem educuntur damnati ambo ad mortem, Petrus crucis capite deorsum, & Paulus decollatione capitis, transeuntes per forum Boarium, tunc forum Romanum genua flectentes iuxta nunc Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani orauerunt pro Ecclesia, & seipsis, ibi relictis signis in Silice, vbi in memoriam extabat Ecclesia in Silice sub eorum nomine à Paulo III. diruta ad ampliandum forum, inde deducti fuerunt variis opprobriis illusi per viam Sacram, Nouam, Appiam, & Hostiensem extra portam nunc S. Pauli extra muros; ad manum sinistram extat Capella SS. Apostolorum in memoriam diuisionis Petri, à Paulo, dum ambo ducerentur ad patibulum, Paulus prosequendo suum iter vltra S. Paulum ad Aquas Saluias, vbi decollatus fuit, nuncupatus nunc *Tre fontane*. Petrus ductus fuit ad montem Paniculũ, in quo fuit crucifixus capite deorsum, vbi nunc est Ecclesia S. Petri Allontorij, idest, Montis Aurei, qui large dicitur Vaticanus, erat ibidem alia Ecclesia in memoriam Angelorum duorum, qui genuflexi assistebant morti S. Petri ex vetustate collapsa, tandem sepultus in Vaticano, vbi nunc est Altare Maius Basilicæ S. Petri, cum Paulo, à quo loco Græci bellis irruentibus transtulerunt, vbi nunc est Ecclesia S. Sebastiani cum animo ea transportandi secum, quod Deus non permisit, & sic nunc venerantur in prædicto suo sepulchro, eorum capita in Ecclesia Lateranensi.

Dictum fuit supra Petrum Ecclesiam regisse tem- 159
poribus quatuor imperatorum Tiberij, Caij Caligulæ, Claudij, & Neronis. Tiberius ab anno 16. Incarnationis Christi regnauit annos 22. menses sex, dies 26. obiit anno Christi 37. die 16. Martij. Caligula ei successit per quinque annos mortuus 21. Februarij anno Christi 43. Claudius ei successit à die 21. eiusdem mensis Februarij, & anni 43. per annos tredecim, menses octo, & dies viginti defunctus anno 56. cui successit Nero regnans tredecim annos, menses septem, dies viginti octo, obiit anno 69. Christi post mortem Petri.

Placet hic subiicere Tabulam annorum Petri in 160
Pontificatu incipiendo ad anno mortis Christi per singulos fere annos aliquid succinctè narrando. Prima columna erit annorum Christi, ab Incarnatione, secunda erit eiusdem Domini nostri incipiendo à morte, Tertia erit Imperatorum Tiberij, Caligulæ, Claudij, & Neronis; Quarta annorum Pontificatus Petri in Ierusalem, Antiochiæ, & Romæ incipiendo ab anno 33. mortis Christi in opinione illorum, qui tenent mortuum esse anno 33.

Tabula Annorum Petri.

33-1-18-1-Petrus erat electus Papa à Christo Paulo ante 14. Maij Ascensionem Domini, secundum Ciacconum, & alios, Ierosolymis quinquennio mansit.

34-2-19-2

35-3-20-3

36-4-21-4

37-5-22-5-Paulus recognouit Petrum Ierosolymis cum quo mansit quindecim dies.

38-6-1-1-Petrus die Sabbato 22. Februarij Antiochiam ingressus, vbi ad septennium mansit.

39-7-2-2

40-8-3-3

41-9-4-4

42-10-5-5

43-11-1-6

44-12-2-1-Petrus Romam primo ingressus die Sabbati 18. Ianuarij.

45-13-3-2-Romæ moratur.

46-14-4-3-Romæ moratur.

47-15-5-4-Romæ moratur.

48-16-6-5-Discessit primo Roma ad Concilium Ierosolymitanum Act. 15.

49-17-7-6

50-18-8-7-Peruenit Ierosolymam ad Concilium.

51-19-9-8

52-20-10-9

53-21-11-10-Edictum Claudij exiit contra Iudæos è Roma eiectos.

54-22-12-11

55-23-13-12

56-24-1-13-Secunda vice Petrus Romam rediit, & anno sequenti recessit secunda vice.

57-25-2-14

58-26-3-15

59-27-4-16

60-28-5-17

61-29-6-18

62-30-7-19

63-31-8-20
64-32-9-21
65-33-10-22
66-34-11-23-Petrus tertio rediit Romam, vt Simonem Magum confunderet;
67-35-12-24-Vicit Magum corruentem in terram, periit Ariciæ. Petrus carceratus mense.
68-36-13-25-Octobri vsque ad Iunium, liber fugit cum Paulo. Rediit ex præcepto Domini, & paulo post damnatus cum Paulo à Nerone 29. Iunij martyrium subierunt.

Quæres 30. An Petronilla fuerit filia naturalis, & legitima Petri, non solum spiritualis? Hoc posterius affirmat Baronius ad annum 69. Prius negat ex diuersis coniecturis, quarum duabus respondi præcedenti cap. 3. q. 14. in fine. Hanc quæstionem vide apud Ioannem Coronam in suo opere inscr. *Le stuore di Giouanni Corona tessute di varia eruditione Sacra, morale, e profana.* Typis Vrbanis apud Manelphum 1646.

CAPVT V.

De Pontifice Ecclesiæ Romanæ.

SVMMARIVM.

1 *Papæ etymologia exponitur.*
2 *Quo tempore cœpit esse in vsu hoc nomen Papa.*
3 *Papatus non est idem quod Apostolatus.*
4 *Papatus non est Sacramentum, nec ordo.*
5 *Papatus extinguitur per mortem personæ.*
6 *Beneficium propriè non est Papatus.*
7 *Beneficium quid sit?*
8 *Papatus dat ius absolutum Pontifici super omnia beneficia.*
9 *Beneficium vocari potest Papatus à benefaciendo.*
10 *Papatus suprema dignitas in mundo.*
11 *Papatus radix omnium dignitatum.*
12 *Dignitas quid sit?*
13 *Papatus à Deo solum immediatè confertur electo.*
14 *Papatus coniunctam habet potestatem illimitatam.*
15 *Papatus habet regimen monarchicum.*
16 *Independens à quouis homine, à quo omnes.*
17 *Papa vocatur nominibus omnium dignitatum.*
18 *Papatus suprema inter omnes potestates.*
19 *Soli Papa comparatur.*
20 *Papa definitur caput supremum totius Ecclesiæ.*
21 *Hæretici impugnant primatum Pontificis Romani.*
22 *Episcopi omnes iure à Papa ordinandi sunt.*
23 *Priuilegium primatus in Vrbe est mixtum.*
24 *Priuilegium hoc est publicum, non priuatum.*
25 *Primatum Papa non habet à Cæsare.*
26 *Sexta Synodus legitima ex Actionibus constat, non canonibus.*
27 *Constantinopolitana paria priuilegia cum Romana, sed dependenter.*
28 *Sedes Patriarchales distributæ in Synodo Nicæna.*
29 *Exempla Episcoporum, qui se opposuerunt Papæ.*
30 *Oppositio hæc non tollit potestatem supremam in Papa.*
31 *Papatus habetur immediatè à Domino.*
32 *Factum Papæ dicitur factum auctoritate Dei.*
33 *Imperator non instituit, sed destruxit Papatum.*
34 *Cæsar potestatem spiritualem nec formaliter, nec causaliter habet.*
35 *Priuilegium Constantini supponebat Papatum, cui fuit collatum.*
36 *Priuilegium non conceditur rei nondum existenti.*
37 *Papatus coæuus Ecclesiæ.*
38 *Non potest dari corpus sine suo capite.*
39 *Papatus perpetuo duraturus est durante Ecclesia.*
40 *Papatus semper durat licet pereat persona.*
41 *Sedes nunquam moritur.*
42 *Papa non potest dici Apostolus, sed tantum Apostolicus.*
43 *Laicus non potest eligi in Papam.*
44 *Cardinalis eligitur, vel alius Ecclesiasticus.*
45 *Cardinales tantum eligunt Papam.*
46 *Clerici, & populi excluduntur.*
47 *Populus nunquam interfuit.*
48 *Populus facile tumultum excitat.*
49 *Populi voces vanæ sunt.*
50 *Cardinales iure diuino habent potestatem eligendi, modum iure positiuo.*
51 *Pontifices tres, dederunt potestatem eligendi Papam.*
52 *Papa potest delegare laicis quæ non supponunt sacerdotium.*
53 *Cardinales nunquam intelliguntur exclusi ab electione actiua.*
54 *Potestas ordinario non censetur ablata alteri communicata.*
55 *Priuilegium Papæ alteri concedens tertio non præsumitur præiudicare.*
56 *Papa vni electionem committere potest aliis exclusis.*
57 *Assistentia spiritus Sancti transfertur in delegato.*
58 *Pluralitas eligendorum, & non electorum cur requiratur.*
59 *Libertas est de essentia electionis.*
60 *Priuilegium Imperatoribus concessum eligendi Papam fuit verum.*
61 *Priuilegium eligendi Papam tunc erat vtile.*
62 *Qui dicunt Cæsarem non potestatem eligendi, sed confirmandi habuisse male loquuntur.*
63 *Confirmare est actus superioritatis.*
64 *Priuilegio hoc eligendi Cæsares nunquam vsi fuerunt.*
65 *Priuilegia remuneratoria non sunt reuocabilia secundum aliquos.*
66 *Priuilegia causa cessante extinguuntur.*
67 *Mora nocet in electionibus.*
68 *Priuilegia remuneratoria verius reuocabilia.*
69 *Priuilegia hæc eligendi Papam erant realia.*
70 *Spiritus Sanctus assistit electioni Papæ.*
71 Papa viuens *successorem sibi non potest eligere.*
72 *Factum contra omne ius nullum est.*
73 Habeatur pro non Episcopo *irritat.*
74 *Electio si valet statim sortitur suum effectum.*
75 *Consules veteres erant actu, noui habitu tantum.*
76 *Electus per electionem acquirit statim officium.*
77 Papa, & *Episcopi sunt Sponsi Ecclesiæ suæ.*
78 *Prædecessor & successor pares in omnibus.*
79 *Absurda, quæ sequerentur, si Papa eligeret successorem.*
80 *Collegium plus sapit, quam caput.*
81 Papa *pascit oues quatenus sibi subditas.*
82 *Licentiare quis potest alium ad aliquid, quod ipse facere non potest.*
83 Petrus *Clementem elegit ex speciali iussione Dei.*
84 *Electus* Papa *non necessario Sacerdos.*
85 *Debet tamen initiari, aliter* Papa *non est.*
86 Papa *non potest eligere aliquem in Episcopum Vrbis.*

87 *Domini*

87 *Domini in solidum eiusdem rei esse duo non possunt.*
88 *Episcopus coadiutorem postulat.*
89 *Amenti Papæ non supercreatur alter Papa.*
90 *Amentia non facit perdere dignitatem.*
91 *Prælato inutili datur coadiutor.*
92 *Maritus demens non separandus ab vxore.*
93 *Casus octodecim inualidæ electionis Papæ.*
94 *Mulier inhabilis ad dignitates Ecclesiæ.*
95 *Ecclesia supplet potestatem iure positiuo inductam.*
96 *Amentis electio non est valida.*
97 *Electio,& electi consensus tempore distant.*
98 *Papæ ætas prope sacerdotium.*
99 *Nondum baptizatus non potest esse Papa.*
100 *Electio successoris per Papam viuentem nulla.*
101 *Hæretici electio est nulla.*
102 *Hæretici occulti sustinetur ab Ecclesia.*
103 *Electio Papæ quam per Cardinales est nulla.*
104 Pontifices Romani Petro semper successerunt, & non alij.
105 *Successor quis dicatur.*
106 *Succedere quis potest alteri quatuor modis.*
107 *Hæretici impugnant successionem* Petri *in* Pontificibus Romanis.
108 Papa *vocatur in plenitudinem potestatis, Episcopi in partem solitudinis.*
109 *Quid importet.* In solidum.
110 *Romanus Episcopus de iure diuino succedit* Petro *in* Papatu.
111 *Successio Romani* Pontificis Petro *est de fide.*
112 *Sedes Romana est immutabilis.*
113 *Locus vero mutari potest.*
114 *Romana Ecclesia succedit* Petro *in persona, & Doctrina*
115 *Quilibet Papa est Vicarius Christi,* Petri *vero successor non Vicarius.*
116 *Successor quis propriè dicatur.*
117 *Vicarius quis propriè dicatur.*
118 *Successor nullius vices agit, sicut Vicarius.*
119 *Impropriantur verba, ne sequatur absurdum.*
120 Petrus *spectari potest vt persona priuata, vel vt publica.*
121 Sex *priuilegia eius* Papatus.
122 *Quicquid Christus dixit* Petro *vt* Pastori *dixit eius successoribus.*
123 *Successor vtitur eodem iure, quo prædecessor vtebatur.*
124 *Subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur.*
125 Potestas *Papæ propriè vocatur ordinaria.*
126 Potestas *ordinaria quid sit?*
127 Potestas *ordinaria adhuc talis respectu eius, à quo confertur.*
128 *Vicarius perpetuus dicitur ordinarius.*
129 *Vicariatus non est dignitas.*
130 Potestas *ordinaria confertur cum dignitate, delegata non.*
131 *Collegium Cardinalium non succedit in potestate* Pontifici *mortuo.*
132 *Capitulum, & Collegium quomodo differunt.*
133 *Fidei controuersiarum solus Papa est iudex.*
134 *Hæretici iudicem fidei dubiæ faciunt Scripturam.*
135 *Scriptura est Regula, per quam* Papa *dirigitur ad deficiendum.*
136 *Spiritus priuatus cuiuslibet interpretatur scripturam secundum hæreticos.*
137 *Scriptura probatur non esse iudex fidei dubiæ.*
138 *Spiritus priuatus hæreticorum refellitur.*
139 Papa *solus sine consilio definit de fide.*
140 *Spiritus Sanctus assistit Papæ definienti.*
141 *Definiendi res fidei delegatur solo Concilio.*
142 Morum *nomine, in quibus Papa non erat, quid?*
143 Papa *spectatur vt* Papa, *& vt Doctor priuatus.*
144 Papa *ex Cathedra non potest errare.*
145 Papa *putatus non potest errare.*
146 Papa *putato Deus confert* Papatum, *ideo nil suppletur ab Ecclesia.*
147 Papa *putatus differt à* Papa *dubio.*
148 Papa *ratione suæ personæ priuatæ non potest errare in rebus fidei.*
149 *Hæretici asserunt plures* Pontifices *ex Cathedra errasse.*
150 *Quæstio duplex iuris, & facti.*
151 *Tributum soluens, si erat exemptus sibi in futurum non præiudicat.*
152 *Camera est puteus clausus subditis quoad restitutionem.*
153 Priuilegia *diuina non possunt renuntiari.*
154 *Intentionem suam fundans in iure habet meliora merita.*
155 Pontifex *non potest renuntiare priuilegio indeficientiæ fidei.*
156 *Quæ sunt facti sæpè fallunt prudentes.*
157 *Christus impeccabilis.*
158 *Christus Dei filius naturalis, non adoptiuus.*
159 *Victor* 1. Papa *non errauit.*
160 *Marcellinus thurificauit idola sine errore in intellectu.* 191.
161 *Liberius non fuit Arrianus.*
162 *Fœlix II. non fuit Arrianus.* 264.
163 *Innocentius I. vindicatur à tribus erroribus.*
164 *Cœlestinus I. non fuit Arrianus.*
165 *Leo I. non errauit.*
166 *Gelasius I. non errauit.*
167 *Anastasius II. vindicatur à tribus erroribus.*
168 *Vigilius* Papa *non errauit.* 265.
169 *Gregorius I. non errauit in fide.*
170 *Simplici Sacerdoti* Papa *delegat potestatem confirmandi.*
171 *Honorius non negauit duplicem voluntatem in Christo.*
172 *Duplex operatio duplicis voluntatis.*
173 *Martinus I. non errauit.*
174 *Gregorius III. vindicatur à calumniis hæreticorum.*
175 *Nicolaus I. non errauit.*
176 *Baptismus initio dabatur in solo nomine Christi.*
177 *Stephanus VI. irritauit acta Formosi.*
178 *Ioannes XIII. seu XIV. non errauit.*
179 *Siluester II. erat vir bonus.*
180 *Gregorius VII. vindicatur à Calumniis.*
181 *Alexander III. nunquam fuit hæreticus.*
182 *Cœlestinus III. non errauit.*
183 *Innocentius III. non errauit.*
184 *Nicolaus IV. concordatur cum Ioanne XXII. de Paupertate Minorum.*
185 *Ioannes XXII. vindicatur ab aliis erroribus.*
186 *Ioannes XVIII. non errauit.*
187 *Benedictus XII. non fuit hæreticus.*
188 *Eugenius verus* Pontifex *Catholicus.*
189 *Innocentius VIII. non errauit.*
190 *Hæreticus* Papa *quomodo deponendus.*
191 *Marcellinus quot clericis fuit condemnatus.* 160.
192 *Hæreticus manifestus adhuc est intra Ecclesiam donec eiiciatur.*
193 Papa *potest renuntiare* Papatui *soli Deo coram testibus.*
194 *Renuntiatio vt valeat, sponte debet fieri.*
195 *Renuntiationes aliæ fiunt in manibus superioris.*
196 *Ecclesia non potest dare libellum repudij Papæ.*
197 Papa *Papam ligare non potest.*

198 Pote

198 Potestatem tam temporalem, quam spiritualem ex aquo habet.
199 Gladium vtrumque iure diuino Ecclesia habet in Petro.
200 Paleæ Decreti non sunt Apocriphæ.
201 Constantini Donatio vera, & realis fuit.
202 Fuit potius restitutio.
203 Potestate temporali Papa regit Italiam à Deo accepta.
204 Subditus quis fit alteri multis modis.
205 Iudicat omnes, à nemine iudicatur.
206 Nisi in tribus casibus.
207 Papa aliquando vocat Imperatorem Dominum suum.
208 Pontifices iniquè depositi ab Imperatore referuntur.
209 Papa dum confitetur subditur confessori vti Deo.
210 Appellant omnes ad Papam, non è contra.
211 Appellatio est prouocatio rei à minori ad maiorem iudicem.
212 A sententia Papæ nullus appellat.
213 A Papa ad Concilium nullus appellat.
214 Appellatio fit à minori ad maiorem iudicem vtriusque.
215 Finis appellationis est ad impediendum, vel tollendum grauamen illatum.
216 Hæretici impugnant materiam appellationis ad Papam.
217 Dignitates omnes instituuntur à Papa.
218 Episcopi potestatem iurisdictionis à Papa recipiunt.
219 Volunt aliqui à solo Deo eam recipere.
220 Episcopi Fratres Papæ quoad Episcopatum.
221 Collegæ vero Papæ dici non possunt in Papatu.
222 Collega dicitur, qui cum aliis par est in officio.
223 Bona temporalia iuste Papa possidet.
224 Imperatore maior est Papa.
225 Imperatores deponuntur à Papa.
226 Papa est maior tota Ecclesia.
227 Totum est maius qualibet sua parte numerali intellige,
228 Totus homo est in capite.
229 Malus Papa adhuc est Papa.
230 Gratia non supponitur ad acquisitionem potestatis.
231 Papa Christo, & Petro conformatur in dogmatibus fidei.
232 Sanctissimus vocatur à sanctitate gratiæ gratis datæ.
233 Ascendere aliunde, quam per ostium quid importet?
234 De necessitate salutis est subesse Romano Pontifici.
235 Pueri hereticorum baptizantur in fide Ecclesiæ non parentum.
236 Hunc numero esse Papam de fide credendum est.
237 Græci fere semper fuerunt subiecti Romano Pontifici.
238 Antichristus non est Papa, vbi plura de Antichristo.
239 Hæretici vocantur Præcursores Antichristi.
240 Signa sex indicantia Antichristum.
241 Antichristi operationes sunt decem.
242 Petrus cur Ierosolymis non sederit.
243 Ministri Ecclesiæ vocantur Dij ratione officij à Deo accepti.
244 Adoratur Papa, id est, reueretur vt superior.
245 Nullus infidelis electus est in Papam.
246 Fœmina nulla vnquam electa in Papam.
247 Articulum nouum inducere non potest Papa, neque inductum abrogare.
248 Fidei definitio vnum supponit, & duo operatur.
249 Collegium sede vacante non potest moderare auctoritatem Pontificiam.
250 Iuramentum non firmat contractus contra bonos mores, & tertio præiudicantes.
251 Iuramentum non est vinculum iniquitatis.
252 In iuramento reseruatur auctoritas superioris.
253 Plures Pontifices simul dicuntur schismatici.
254 Antipapa quis propriè dicatur.
255 Inualidè electus procurans remanere non est schismaticus.
256 Papa verus non potest euadere schismaticus.
257 Caietanus tenet contrarium, refellitur.
258 Gesta per Antipapam manifestum non valent.
259 Gesta per Papam dubium valent.
260 Papæ dubij potestas non suppletur ab Ecclesia, sed à Deo ei confertur.
261 Verus Papa non tenetur renuntiare, vt tollatur schisma.
262 Melius est tolerare Papam inualidè electum, quam propulsare.
263 Schismata cum Antipapis referuntur.
264 Fœlix II. sanctus electus contra Liberium. 162.
265 Vigilius Antipapa contra Syluerium.
266 Cadolus Parmensis Antipapa.
267 Gilbertus de Corrigia Parmensis Antipapa.
268 Schismata frequentiora cur essent alias.
269 Mutatio numerorum Pontificum prouenit à schismate.
270 Episcopi à solo Papa ordinantur, ab aliis vero dependenter ab illo.
271 Ordinatio Episcoporum est actus ordinis Episcopalis.
272 Nullus laicus ordinare potest.
273 In promotione tria spectantur Postulatio, Electio, & Consecratio.
274 Ordinare, id est, eligere, prouidere.
275 Electores Imperij potestatem habent à Papa.
276 Imperator examinatur, vngitur, & consecratur à Papa.
277 Consuetudo ius est, aliquando sumitur pro vsu legis.
278 Reges & alios Principes Papa creare potest temporaliter.
279 Caramuel de creatione spirituali Regis refellitur.
280 Episcopi à solo Papa deponuntur.
281 Electio Papæ fit sine limitatione temporis.
282 In canonizatione sanctorum errare non potest.
283 Iudicium Ecclesiæ potest esse fallax.
284 Intellige circa causas particulares.
285 Propositiones singulares sunt immediatè reuelatæ in vniuersali reuelata.
286 Negans infallibilitatem in canonizatione non punitur vt hæreticus formaliter.
287 In beatificatione errare non potest.
288 Sanctitatis ratio prius est, quam beatificationis.
289 Religiones approbantur sine errore.
290 Suspectus recusari non potest.
291 Bellum indicere potest.
292 Armis sua, & vassalorum defendere debet.
293 Adoratio quid, & quotuplex.
294 Adoratur Papa cultu duliæ tantum.
295 Caramuel vult adorari latria.
296 Adoratio alia absoluta, alia relatiua.
297 Adorationis terminus vltimatus, & non vltimus.
298 Imago etiam in se adoratur.
299 Homo in genere entis, sed moris tantum adoratur.
300 Adoratio absoluta perfectior relatiua.

301 Imago

301 *Imago repræsentat imaginatum materialiter, & extensiue.*
302 *Adorari creaturam latria est hæresis dicere.*
303 *Theophilus Raynaudus adorat Papam hyperdulia.*

PRo perfecta cognitione dignitatis Papalis in Petro Ecclesiæ Pastore, de quo in præcedenti capite respectu personæ illius actum est, & in successoribus eius in eadem, nunc agendum est de iis, quæ spectant ad successores eius in Papatu, & Romano Pontificatu.

Quæres igitur primò circa etymologiam nominis Papæ?

1 ℞. *Papa* idem est, quod bis Pater, est enim vocabulū Pater bis duplicatum per bis ter additū Pater, Pater, bis Pater, quia est Pater Patrū, bis Pater, quia est Pater animæ, & corporis cuiuslibet hominis per regenerationem Sacramentorum, quorum virtus etiam in corpus redundat ab anima viuificatum. Hoc nomen *Papa* deriuatur à *Pascendo*, sicut enim Pater naturalis dicitur à pascendo filios, quos à se procreatos conseruat in esse, ita Papa dicitur à pascendo spiritualiter filios, quos per Baptismum regeneratos suâ potestate per Sacramenta, & prædicationis Doctrinam pascit & conseruat in vita spirituali; Christus hoc nomen Petro indidit, & eius successoribus cum claues illi, & aliis tradidit, dicēdo: *Pasce oues meas.* Papa igitur non solum est Pater Patrum, sed etiam Pater, quia omnes pascit pabulo Doctrinæ legis Euangelicæ, & Sacramentorum administratione. Hoc vocabulum *Papa* bene explicatur per interiectionem *Papè*, quæ est nota indicans admirationem, vnde Glossa in procem. Clementinarum sic loquitur: *Papa, id est, admirabilis, & dicitur à Papè, quod est interiectio admirandi, & verè admirabilis, quia vices Dei in terris gerit. Inde dixit ille Anglus in* Poëtria *noua: Papa stupor mundi. Et circa finem: qui maxima rerum, Nec Deus es, nec homo, quasi neuter es inter vtrumque. Etymologia vero nominis, id est, Pater Patrum.* Hæc Glossa, cuius verba sano modo sunt intelligenda, constat enim, eum, qui eligitur in Papam, semper fuisse purum, & verum, hominem, sed dicitur. *Nec homo*, ad indicandam amplissimam potestatem, per quam à solo Deo dependens in omnes homines agere potest.

Quæres 2. An hoc nomen *Papa* fuerit in vsu tempore Apostolorum soli Petro tributum, & subsequenter solis Romanis Pontificibus?

2 ℞. Certum est, quod hoc nomen Papa non exprimitur in Sacra Scriptura; verum tamen est, provt patet in præcedenti quæstione deduci ex illis verbis: *Pasce oues meas.* Non constat mihi fuisse in vsu tempore Apostolorum, nec post illorum mortem, nam Pontifices Romani vocabant se, vt plurimùm, Episcopos Vrbis Romæ, Præsules, Archiepiscopos, primum, qui se vocauit Papam inuenio Higinum electum anno 150. in prima sua Epistola se intitulat Episcopum Vrbis Romæ, in secunda se nominat Papam. Concilium Nicænum in Epistola ad Syluestrum Pontificem Romanum, in qua petit ab eo confirmationem actorum Concilij, nuncupat Papam; Leo primus sibi præscribit nomen Papæ in Bulla quâdam extante in Bullario Nouo, electus fuit anno 440. Antiqui Patres Episcopi etiam ipsi ab aliis vocabantur hoc nomine Papæ, vt legitur in Decretis Fabiani Papæ, vbi Cyprianus Episcopus Carthaginensis à Præsbyteris Romæ, & Diaconis vocatur Papa. Prosper in Epistola sua ad Augustinum sic inscribit: *Domino beatissimo Papæ ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo Patrono Augustino Prosper.* Ambo erant Episcopi. Illis ergo temporibus commune nomen erat vsurpatum honoris causa, æquiuocè tantum sonans; nunc autem piaculum hæresis esset Papam nuncupare alium Episcopum præter Romanum, quia vnicus est Papa, vt retuli definitum præcedenti cap. q. 22. Legi in *Theatro humanæ vitæ tom. 6. v. Papa*, quod hoc nomen *Papa* vsque ad annum 800. commune omnibus Episcopis, in Concilio Romano à Gregorio VII anno 1073. electo, propter quosdam Schismaticos, & Cadolum Parmens. Antipapam, soli Romano Pontifici restrictum fuit. Ego tamen non credo vsum huius vocis tandiu durasse, quia vltra tempora D. Augustini non legi hoc nomen aliis, quam Pontificibus Romanis tributum. Sed dato vsu illius vocabuli protracto vsque ad annum 800. non ideo erant Episcopi Papæ re, sed tantum nomine æquiuoco, qua ratione nunc capita Artium vocantur Abbates, solo nomine contenti sine re, vt Episcopi non Pontifices Romani vocabantur Papæ, solo vocis vsurpato sono.

Quæres 3. An Papatus sit idem quod Apostolatus, Præsbyteratus, aut Episcopatus?

℞. Nullum est ex prædictis. Ratio est, quia Apostolatus cum Apostolis expirauit, quia Ecclesia iam fundata per officium Apostolatus non indigebat alia fundatione, neque enim datur fundatio fundationi, sed super fundamento iam iacto fabrica erigitur sine Apostolatu cum sacerdotio & Episcopatu. De extinctione Apostolatus dixi *cap. 3. q. 11. & cap. 4. q. 61.* Quod neutrum sit illorum constat, quia quandoque accidere potest, quod electus in Papam, cui immediatè Christus confert Papatum, nondum sit Sacerdos, aut si Sacerdos nondum Episcopus, vnde postea facit se promouere ad eos ordines, vt dicam infra sub q. 18. Nullum ergo ex prædictis supponitur ad Papatum. *Confirmatur*, quod Papatus non sit ordo. *Tum quia*, ordines sunt septem, & octo cum Episcopatu, ergo Papatus extra illos est, cū nullus sit illorum, nec reducibilis ad vnum illorum. *Tum quia*, ordo consecratione acquiritur, non electione vt Papatus. *Tum quia*, ordo imprimit characterem, non autem Papatus, ex quo habetur differentia inter Papatum, & illos ordines, quod morte sacerdotis, & Episcopi non extinguitur in illis ordo, sicut extinguitur Papatus per mortem eius, qui erat Papa, siue per renuntiationem voluntariam, proinde illa persona, quæ erat Papa reuocata ad vitam, non amplius est Papa, sicut Sacerdos, & Episcopus qui reuixerunt, tales adhuc sunt. Ita docet Franch. in c. 1. de renunt. Remanet ergo, quod Papatus sit aliquid aliud supra prædicta. 3 4 5

Quæres 4. An Papatus sit beneficium Ecclesiasticum?

℞. Papatus non est propriè beneficium, sed fundamentum, & radix omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, & sæcularium. *Primum*, probatur ex definitione beneficij, quod est ius perpetuò percipiendo redditus Ecclesiasticos conferibile à superiore personæ tantum Ecclesiasticæ, cum onere pascendi gregem, si sit curatum, vel non pascendi, si sit tantum simplex: Papa autem non habet superiorem in terris, à quo possit collationem beneficij recipere, ideo Papatus non dicitur eius beneficium. *Secundum*, suadetur, quia Pontifex ratione Papatus habet dominium absolutum super omnia beneficia Ecclesiastica, Abb. *in cap. Constitutus de releg. dom. num.* 55. Paris. *lib. 2. de Resignat. benef. q. 4. num.* 34. Rota apud Tamb. *tom. 3. decis. 20. num.* 12. Diana *par. 6. decis.* 5. §. *Amplius*, ergo Papatus est fundamentum, & radix habendi pro se beneficia, & conferendi illa aliis clericis. Confirmantur prædicta, quia beneficia conferuntur Abbatibus, Præpositis, Canonicis, &c. ergo sunt distincta ab ipsis dignitatibus, in quibus radicantur, pari ratione beneficia, quæ sibi Papa applicat, non sunt ipsa dignitas Papatus, in qua illa fundantur, & ad quam sequuntur. 6 7 8

quuntur. Et in hoc sensu Papatus vocari potest beneficium. Dicitur etiam beneficium à benefaciendo, in
9 quo sensu Papatus dici potest beneficium, quia Christus cum dedit Petro claues, & in ipso eius successoribus commisit eidem onus pascendi gregem, quod est illi benefacere, vnde officium Pontificatus vocatur beneficium cap. 1. de Maledicis.

Quæres 5. Quid sit Papatus?

10 ℞. Papatus est prima, & suprema dignitas in mundo à Christo Domino immediatè tradita Romanis Pontificibus cum absolutissima, & amplissima potestate regendi non solum totam Ecclesiam, sed etiam vniuersum mundum regimine monarchico independenter à quocumque homine, & à quo omnes dependent in suis potestatibus.

11 Dixi primò, quod Papatus est dignitas, quia cum sit radix omnium dignitatum, & prælaturarum, maximè ipsa est dignitas, præterquamquod eidem competit adæquatè ratio formalis dignitatis in eo consi-
12 stens, quod dignitas est gradus habens administrationem rerum Ecclesiasticarum cum potestate fori externi, & iurisdictione ordinaria; huiusmodi autem est Papatus habens potestatem & iurisdictionem ordinariam fori externi cum administratione rerum Ecclesiasticarum, & regimine totius vniuersi, vt bene colligitur ex illis verbis: *Pasce oues meas*. quæ referuntur ad omnes homines tam fideles, quam infideles, iuxta dicta præced. cap. q. 11. neque enim Christus distinxit inter oues, & oues, sed omnes commendauit Petro. Hæc autem dignitas non est infima, neque media, aut de primis, sed omnino ita prima, vt sit suprema inter primas, cum quibus non habet consortium paritatis, vt infra probabitur.

13 Dixi secundò, à Christo immediatè tradita Romanis Pontificibus, habet hoc speciale ex sua primitate, quod à nullo alio conferri potest, quam à Christo, qui sicut illam sine alterius ministerio primum tradidit Petro, quem simul constituit Romanum Pontificem, ita eodem modo immediationis successiuè tradit aliis sibi inuicem succedentibus adeo quod immediatè emanat à Christo sine facto alicuius hominis. Cæteræ vero potestates tam ordinis, quam iurisdictionis, emanant immediatè ab homine, vel facto alicuius hominis, de iurisdictione infra patebit, de potestate ordinis constat ex eo, quod sine facto hominis ordinantis ea non confertur à Deo.

14 Dixi tertiò, cum absolutissima, & amplissima potestate regendi vniuersum, Papatus enim ex necessitate coniunctam habet huiusmodi illimitatam potestatem, nam Pontifex per hanc dignitatem dicitur Dominus liber, & absolutus super omnes, vt probaui cap. 2. q. 39.

15 Dixi quartò, Regimine monarchico, quia ex conditione sua cum sit suprema, & incommunicabilis pluribus simul necesse est, quod in vnico tantum existens, eidem soli tribuat ius regendi cum exclusione cuiuslibet alterius cum paritate auctoritatis, aliter incommunicabilis non esset, si eam habens collegas admitteret in consortium potestatis. De hoc regimine monarchico dixi cap. 2. q. 47.

16 Dixi quintò. Et à quo cæteri dependent in suis potestatibus, id enim est propria natura supremæ dignitatis, vt sub ea reliquæ omnes contineantur vel quoad esse, vel quoad vsum, alias si non dependerent ab ea, non daretur perfectio vnitatis illius, vnitas enim suprema ab eo cognoscitur, quod cæteræ sub eo genere ab ea dependent, à qua originantur. Ex quo Papa vt Papa in seipso omnes alias dignitates non solum causaliter, sed etiam formaliter continet, nam
17 Pontifex dicitur Episcopus, Patriarcha, Primas, Metropolitanus, Archiepiscopus, Sacerdos, Doctor, Magister Archipræsbyter, Archidiaconus, Prior, Generalis, Guardianus, & his similibus potitur. Pariter Imperator, Rex, Marchio, Dux, Comes, Princeps, &c. Ratio est, quia omnes dignitates à Papatu originantur, & dependent, vt tandem in vnam hanc supremam reducantur.

Quæres 6. An Papatus sit suprema potestas inter omnes, & supra omnes tam Ecclesiasticas, quam laicas?

℞. Affirmatiuè. Tum quia illa potestas inter alias 18
est suprema, quæ à Deo immediatè confertur homini, sine facto ipsius hominis, in hoc enim dignoscitur illius excellentia, & præeminentia, quæ ab homine non est conferibilis; sed Papatus à solo Christo confertur sine facto hominis ex 2. Dixi, & probatur infra sub q. 8. is est prima, & suprema dignitas. Tum quia in cap. solitæ 6. de maior. Pontificia potestas 19
comparatur soli, Imperatoria vero, & Regia lunæ, ergo sicut Sol longè excedit lunam, ita Papatus Imperatoriam potestatem. Sol inter planetas primus est, & solus in perfectione excessus, à quo non solum luna, sed cætera astra in cœlo lumen recipiant, ergo & Papatus soli comparatus solus est in suprema perfectione suæ potestatis influens in omnes alias potestates vim, & efficaciam ad agendum, sine enim tali dependentia operari non possunt. Confirmatur auctoritate Sanctorum Patrum, Nicolai II. relati in cap. omnes 1. dist. 22. illis verbis: *Omnes siue Patriarchij cuiuslibet apices, siue Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia.* Quare hoc? Nonnisi, quia in ea residet dignitas Pontificia, à qua cæteræ deriuantur per institutionem, tanquam membra à capite, vt dicit Leo 1. relatus cap. Ita Dominus 7. dist. 19. ibi: *Vt ab ipso*, 1. Papa Petro, *quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Papa ergo per suam dignitatem Pontificatus, *sua dona*, id est, alias dignitates tanquam sibi proprias à Deo donatas communicat omni corpori Ecclesiæ, cuius membra, non tantum Ecclesiastici; sed etiam sæculares sunt, ergo isti omnes in suis dignitatibus, & potestatibus dependent à Pontificia, ergo hæc inter omnes est maior, & suprema. Obiectiones, quæ possunt fieri infra ponentur, & resoluentur.

Quæres 7. An Papa sit caput totius Ecclesiæ, & in ea habeat primatum Regiminis? Vide cap. 1. quæst. 36.

℞. Affirmatiuè de fide definitum in Concilio Florentino illis verbis: *Definimus Sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.* Concilia forè omnia idem exprimunt saltem per terminos æquiualentes, eum vocantes. *Caput vniuersalis Ecclesiæ. Caput præsidens membris in Conciliis, Papam vniuersalis Ecclesiæ. Summum omnium Præsulum Pontificem.* In Concilio Calcedonensi Act. 3. *Nunc vestra Sanctitas primatum tenet Sanctissimi Leonis.* Nicolaus I. in Epist. ad Michaëlem Imperat. *Quem autem primatem diœceseos, Sancta Synodus dixerit, propter Apostoli primi Vicarium, nullus pœnitus intelligitur, ipse enim est primus, qui & primus habetur, & summus.* Confirmatur, Romana Ecclesia est Mater, & caput omnium Ecclesiarum, super quas primatum habet, ex probatis sub cap. 1. q. 36. ergo & Romanus Pontifex. Patet consequentia, quia relatiua, cuiusmodi sunt Ecclesia Romana, & Pontifex Romanus, sponsus, & sponsa, non iudicantur ad imparia ff. fin. Digestis de acceptil. l. Si quis seruo, Digestis de furt.

fuit, ergo quod dicitur de vno intelligendum est de alio.

21 Hæretici semper conati sunt auferre primatum Ecclesiæ Pontificibus Romanis, sed frustra, quia res clarior est luce meridiana.

Primò probant, quia Papa non ordinat Episcopos per vniuersum orbem, maximè in Græcia, ergo non habet primatum super omnes Ecclesias.

22 Respondetur, Græcos in Concilio Florentino recognouisse Romanum Pontificem in caput totius Ecclesiæ, cuius definitionem supra retulimus, & habetur in Bulla 17. incip. *Lætentur*, Eugenij IV. vbi definitio refertur Paragrapho 8. & Paragrapho 9. sic habet: *Vt Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus.* Anacletus in sua tertia Epistola secundum locum tribuit Alexandrinæ, tertium Antiochenæ, aliæ non nominantur. De quarum ordine dixi cap. 1. q. 43. Et de hoc primatu constat etiam antecedenter, nam in Concilio Calcedonensi legitur Act. 7. Leonem Papam confirmasse Maximum Episcopum Antiochenum; apud Zonaram in Iustinianum habetur, Anthimum fuisse depositum ab Episcopatu Constantinopolitano per Papam Agapetum. Argumentum autem solum probat inobedientiam, & pertinaciam Græcorum, non autem infringit primatum Petri, qui Principatum non perdit ex superbia, & resistentia subditorum.

Secundo probant, quia priuilegium hoc de primatu Ecclesiæ vel est locale, vel personale, vel ex his mixtum, si locale, cum fuerit concessum Antiochenæ, ab ea auferri non potest, licet Petrus inde recedens alibi sit mortuus. Si est personale, ergo ad locum non pertinet, sed ad personam tantum, ac proinde Roma non habet maius ius ad Pontificatum, quam quæuis alia ciuitas. Si mixtum, ergo non sufficit esse Romanum Pontificem, vt aliquis habeat primatum, nam si est priuilegium mixtum, non datur loco, nisi pro eo tempore, quo persona est in loco priuilegiato.

23 Respondetur, priuilegium hoc primatus esse mixtum ex persona & loco, ex diuino præcepto, vt scilicet hunc primatum successiuè teneret electus in Episcopum Romæ, talis enim fuit Petrus, qui à Domino electus fuit pascere gregem suum, & tandem designatus Episcopus totius orbis in vrbe, qui tales haberet successores, qualis ipse erat Episcopus Vrbis. Ideo ad argumentum dicitur, hoc priuilegium non esse locale, neque personale, sed ex his mixtum, quatenus ex electione Romanus Pontifex resultat ex persona, quæcumque ea sit, & cuiuscuis nationis, & ex loco, quatenus persona eligitur Episcopus, & Pontifex Vrbis pro toto orbe, & ex hoc constat falsitas argumenti, quod supponit, priuilegium in tantum dici mixtum, in quantum persona est in loco priuilegiato, nam persona electa in Papam, siue Romæ remaneat, siue recedat, siue etiam nunquam viderit Romam, vt multi Pontifices Auenione habitantes, sufficit, quod electa fuerit loco præ defuncti Pontificis Romani, vt sit Papa, & dicatur habere primatum super omnem Ecclesiam. Belarminus libro secundo, capite 2. de Pontif. hoc priuilegium initio suæ institutionis vult fuisse tantum personale, quia alicui loco non fuit assignatum, neque alligatum, postmodum fuit ex diuino nutu loco Vrbis, & sic fuit factum mixtum. Dicas tu, etiam initio fuisse mixtum, quia vt dixi cap. præced. q. 28. non solum institutio, & successio, sed etiam loci determinatio facta fuit à Christo, noluit tamen Christus, vt Petrus Romæ continuo resideret, sed vniuersum peragraret fundando Ecclesiam quatenus erat Apostolus, ex quo eius successores postea Romæ ferè semper residebant, & resident, quia Ecclesia iam fundata ab Apostolis, sufficiebat, vt propagaretur per successores per se, & per alios in partem solicitudinis vocatos. Hoc priuilegium mixtum est, non priuatum, sed publicum, eo quod 24
est institutum ad publicam vtilitatem successiuè communicatum duraturum vsque ad finem mundi in pluribus personis sibi inuicem succedentibus.

Tertio probant, Pontificis Romani auctoritas vel est ab Apostolis, vel ab Ecclesia, vel à Cardinalibus eligentibus, ergo electus non habet primatum Ecclesiæ, sed illi, à quibus ipse primatum accepit.

Respondetur, à nullis prædictorum Papa accipit auctoritatem, cum illam in se non habeant neque formaliter, neque causaliter, seu virtualiter, sed illam accipit immediatè à Deo, vt probatur infra q. 8.

Quarto, Pontifex Romanus primatum habet ab 25
Imperatore, nam Roma est sedes Imperatoris, vnde Caluinus dicit Phocam Imperatorem donasse primatum Pontifici in Græcos, in Gallos vero, & Germanos Pipinum, subsequenter Carolum Regem Francorum. Lutherus dicit Constantinum IV. primatum dedisse Pontifici Romano ex Platina in vita Benedicti II.

Respondetur, prædicta omnia esse falsa, quia laicus vti incapax spiritualis potestatis, hanc Papæ conferre non potest. Infra dicam de Imperatore subiecto Pontifici sub q. 48.

Quinto, Sexta Synodus Episcopo Constantinopolitano plura priuilegia concedit, sicut habet Episcopus Romanus, ergo is non habet primatum supra Constantinopolitanam Ecclesiam.

Respondetur, Sextam Synodum constare tantum 26
ex decem, & octo Actionibus confirmatis, & approbatis à Pontifice Romano Agathone, de cuius mandato fuit indictum, & demum confirmatum hoc Concilium à Leone II. mortuo Agathone. In quo nulli facti fuerunt Canones, postea editi in alio Concilio sine auctoritate Pontificia coacta, ideo non obstat primatui sedis Apostolicæ. Præterea ille Canon. 36. Synodi dictæ Trullanæ ex Palatio Regio, in quo 27
Patres consederunt non facit Episcopum Constantinopolitanum parem in potestate, sed in priuilegiis tantum, & cum subiectione ad Romanam Ecclesiam, cuius sedes est prima. Verba Canonis sunt hæc: *Decernimus, vt thronus Constantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Ecclesiasticis negotiis vt illa emineat, secundus post illum existens.* Paria priuilegia vult habere, & eminere cum Romana, sed dependenter à throno Romano, hoc ipso, quod Constantinopolitanus dicitur secundus, qui ideo refertur ad primum, à quo dependet, consequenter sedes Romana dicitur habere primatum supra Constantinopolitanam. Priuilegia illa intellige restricta ad ea, quæ spectant ad dignitatem Episcopalem, non ad Papatum. Sed immorandum non est, quia ille canon nullius est momenti.

Sexto probant, quia prima Synodus Nicæna 28
Pontifici Romano assignauit occidentem; Alexandrino Ægyptum, Lybiam, & Pontapolem; Antiocheno Syriam, & Mesopotamiam, vt legitur can. 6. ergo non habet primatum, cum super omnes non sit ex dicta distributione.

Respondetur, illa distributio non tollit primatum Romano Pontifici, quia refertur ad Patriarchatus illarum Ecclesiarum, quæ non obstante ea distributione subduntur Romanæ, de qua re dixi cap. 1. q. 36. vide ibi dicta.

29 Septimò probant, nam Firmilianus Episcopus Cesunensis Capadociæ Stephanum Papam contempsit, vt videre est in Epistola ad Cyprianum, nolendo obedire prohibitioni de non rebaptizandis ab hæreticis baptizatis. Item Episcopi orientales in Concilio Antiocheno restiterunt Iulio Pontifici, in eo, quod citati vt Romam peterent, noluerunt obedire, & dicebant, non potuisse recipere Athanasium, & eum absoluere ab excommunicatione, qua fuerat condemnatus à dicto Concilio canon. 12. Ex quibus infertur Pontificem Romanum non habere primatum super omnes alias Ecclesias. Vide Bellarminum, *libro secundo, de Pontif. à capite duodecimo*, Becanum *in opusc. de Republica Christ. libro tertio capite quinto.*

30 Respondetur, illud argumentum esse omnino ineptum, ex inobedientia enim, contumacia, & resistentia à quolibet superiore tolleretur potestas, & primatus imperandi, quod quam absurdum sit, etiam ipsis hæreticis constat, nam obedire, & resistere obedientiæ arguunt suppositam in superiore potestatem, cui est obediendum. Deinde primatus potestatis supponitur ad actus imperandi, & consequenter obediendi, vel inobediendi, ergo defectus huius primatus argui non potest per inobedientiam, sed potius probatur, neque enim inobedientia refertur, nisi ad superiorem, cui fit resistentia.

Quæres 8. A quonam Papa electus à Cardinalibus recipiat potestatem sui Pontificatus, à Deo, an ab homine?

31 ℞. A solo Christo Domino, legitima electione posita recipit Papatum, & potestatem. Probatur. *Tum quia*, Pontifex Romanus primatum habet ab eo, à quo illum Petrus habuit, nam quicquid dicitur de Petro, dictum intelligitur de Pontificibus Romanis, vt infra probabo sub quæst. 28. Sed Petrus primatum Pontificiæ dignitatis super vniuersam Ecclesiam habuit immediatè à Christo dicente illi: *Pasce oues meas*, ergo & Romanus Pontifex pro tempore existens eundem primatum à Deo immediatè accipit. *Tum quia*, idem colligitur ex Epist. ad Hebr. cap. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.* Et paulo infra. *Nec quisquam assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Assumptio, id est, electio Pontificis fit per homines, constitutio verò, id est, collatio potestatis est à Deo vocante illum ad onus Pastorale. *Tum quia*, hæc potestas est suprema, à qua omnes aliæ dependent, ergo necesse est, quod ea sit à solo Deo, aliter non esset suprema, sed alia esset maior, & superior in eo homine, qui hanc conferret Romano Pontifici. *Tum quia*, id expressè dicitur in cap. Nouit 13. Paragrapho. Cum enim, de iudic. *Potestas nostra* inquit Innocentius III. *non est ex homine sed ex Deo.* Ideo dicitur Vicarius Christi, cap. 2. & 4. de translat. Episc. adeo, quod factum Papæ dicitur factum auctoritate Dei, *glossa v. Diuina*

32 *capite 2. præcitati, & capite* 3. dicitur Papa vices Dei gerere, & in terris locum Dei tenere, *cap. Vt nostrum, id est, in med. vt Eccles. benefic.* Sed Vicarius officium, & potestatem dicitur habere ab eo, cuius vices gerit, ergo cum Pontifex in terris vices Dei gerat, ab eodem tantum habet potestatem. Eligitur ergo, & designatur persona à Cardinalibus, & potestas Papatus à Deo immediatè solo confertur.

33 Hæretici cum Ioanne Hussio contendunt, Papatum non esse à Deo, sed inuentum ab homine, & inoleuisse à Cæsare, vt ipse testatur art. 6. suorum errorum, probando institutionem, & perfectionem Papatus emanasse à potentia Cæsaris, ex donatione Constantini relata cap. Constantinus dist. 96. vbi ad rem sic dicitur? *Constantinus Imperator quarto die sui baptismatis priuilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc habeant caput, sicut iudices Regem.* Et paulo infra subiungit: *Sancimus vt Principatum teneat tam super quatuor sedes præcipuas Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei.* Ecce clara, inquiunt, institutio Romani Pontificis à Cæsare. Confirmatur id, destruendo primam rationem adductam in responsione, quia Petrus à Christo non fuit electus in Principem Apostolorum sed ab ipsis Apostolis, vt testatur Anacletus Papa in sua Epistola relata cap. In nouo 2. dist. 21. & cap. Sacrosancta 2. dist. 22. ibi: *Ipsumque Principem eorum esse voluerunt* ergo Apostoli sibi elegerunt Petrum in Papam, non Christus, consequenter Romani Pontifices eliguntur à Cardinalibus cum potestate, aut à Cæsare.

Contra est, *Tum quia*, tantum abest, quod Cæsar instituerit hanc dignitatem, vt potius ab eius exordio eam semper procurauerit destruere in personis electis, nam ab initio omnes Pontifices à Petro vsque ad Syluestrum persecuti fuerunt, & martyrio affecerunt, ergo à Cæsare emanauit destructio huius dignitatis, non illius institutio, si ab Imperatoribus Gentilibus huiusmodi Primatus odio habebatur, quomodo ab illis originem habuit? *Tum quia*, dignitas Papalis aduersabatur falsæ religioni infidelium Romanorum Regum, ergo verisimile non est, sed manifestus error dicere, quod ea emanauerit à Cæsare inimico nominis Christi, & Vicarij eius, nulla enim secta instituit ritus, & officia sui ipsius destructiua. *Tum quia*, nemo dat quod non habet, cap. Dalbertum 24. 1. q. 7. cap. Quomodo 41. dist. 4. 34
de consecr. Cæsar hanc potestatem non habet in seipso formaliter, nec causaliter, ergo eam conferre non potest alteri. Ad rationem ex donatione Constantini facilis est responsio, nam ipse supponit existentiam Papatus, & auctoritatis Pontificiæ, cui dein- 35
de contulit priuilegium non directè, sed indirectè remouendo impedimentum prohibens, quo iniustè, & de facto prohibebatur exercere suum officium publicè, edicendo, ne quis deinceps auderet impugnare Ecclesiam Christi, in prædicatione Euangelij, & constructione Ecclesiarum, quod antea publice non permittebatur à Cæsaribus. Datum ergo fuit à piissimo Constantino Catholico hoc priuilegium dignitati Papatus iam existenti ex Christi institutione in persona S. Syluestri, qui Constantinum lepra mundauit per Sacri baptismatis vndam, neque enim rei nondum existenti datur priuilegium, glossa v. Non 36
possumus cap. 5. de Eccles. ædif. erat ergo primatus Petri in Syluestro, cui fuit hoc priuilegium adiunctum. Ad confirmationem patet ex dictis cap. præcedenti q. 12. num. 90. vbi dixi eam voluntatem fuisse recognoscitiuam, non electiuam.

Quæres 9. An Papatus fuerit coæuus Ecclesiæ Dei eo tempore, quo cæpit esse instituta à Christo, & ab Apostolis fundata?

Respondetur, Papatus simul cum Ecclesia institutus fuit à Christo, immò præcessit eius publica- 37
tionem factam in die Pentecostes. Id autem constat de fide, quia Petrus à Christo antequam in cœlum ascenderet obtinuit hanc dignitatem, & potestatem, cum ei dictum fuit à Christo? *Pasce oues meas.* Et id fuit necessarium, quia incongruum est dari corpus Ecclesiæ visibilis sine capite visibili, sicut ergo Ecclesia à Christo ab initio præparata, & fundata fuit corpus visibile, ita & cum capite pariter visibile perfecta fuit, quod fuit Petrus Princeps Apostolorum, & caput omnium fidelium.

Supra

Supradictus Hussius hæreticus in art. 29. ex condemnatis in Concilio Constantiensi asseruit, quod Apostoli, & fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum.

38 Supponit iste impius, quod Ecclesia fuerit fundata, & erecta antequam extitisset institutio capitis, quod esse falsum iam probauimus. Et confirmatur, quia nulla vniuersitas, nullum collegium, aut respublica sine capite datur, neque rectè administrari potest sine illo, similitudine deducta à corpore naturali, quod sine capite mortuum est, & inutile; ita & corpus morale Ecclesiæ, si ab initio suo caruisset capite visibili, post Ascensionem Christi in cœlum, non potuisset bene fundari, nec erigi, nec propagari, sed diuisionem dogmatum recepisset ex multitudine membrorum discrepantium inter se, quorum vnum alteri non subfuisset, sed vnusquisque docuisset pro arbitrio suo, quicquid sibi placuisset, quia nullus alicui capiti subiectus fuisset, a cuius vnitate penderet vniformitas dogmatum, vt Catholica fides postulat, necesse ergo fuit, vt Ecclesia ab initio haberet huiusmodi caput vocatum Papam, vt sibi membra contineret vnita in vnitate fidei ad propagandam religionem sine schismate, & errore.

Quæres 10. An Papatus sit dignitas perpetuo duratura in Ecclesia Dei vsque ad finem sæculi?

39 Respondetur. Affirmatiuè, quod de fide tenendum est, colligitur Matth. 16. 17. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Ecclesia Dei nullum habet contrarium, quod illam possit destruere, ergo caput eius, sine quo ipsa eius corpus subsistere non potest, perpetuò cum illa durabit. Confirmatur ex perpetuitate Ecclesiæ militantis, quam probaui cap. 1. q. 14. Existente enim corpore viuo Ecclesiæ, necesse quoque est, vt existat eius caput visibile, à quo continuè viuificatur.

Dices dignitas Papatus extinguitur cum quolibet Pontifice defuncto, & quandoque multi dies, menses, immò & anni prætereunt antequam successor eligatur, ergo hæc dignitas perennis, & perpetua non est.

40 Respondetur, quod licet Papatus in esse actuali non sit, mortuo Papa, virtualiter tamen perseuerat in legibus Ecclesiasticis, quod sufficit, vt Papatus dicitur perpetuo manere, iuxta ea, quæ dixi

41 cap. 1. q. 12. Ad quod facit illud axioma: Dignitas, seu sedes nunquam moritur, *cap. si gratiosè 5. de rescr. in 6. gloss. v. substitutum cap. Quoniam 14. de off. deleg.* Moritur ergo subiectum, sed dignitas, & sedes manet in legibus Ecclesiasticis. Et ex his soluitur argumentum in contrarium, extingui Papatum ratione existentiæ subiecti pereuntis, non vero ratione legum, respectu quarum non dicitur extinctus, sed viuere virtualiter in illis.

Quæres 11. An Pontifex possit rectè vocari Apostolus?

42 ℞. Negatiuè. *Tum quia*, Papa non succedit Petro in Apostolatu, sed tantum in Papatu. *Tum quia*, officium Apostolatus desiit in ipsis Apostolis, vt probaui cap. 3. q. 61. Apostolatus enim erat dignitas personalis tantum non excedens personam. Solum potest dici Apostolicus, à quo & sedes Apostolica vocatur, quia profitetur fidem Apostolorum, qui fuerunt prima Ecclesiæ fundamenta.

Quæres 12. Qualis debeat esse persona eligenda in Papam?

43 Respondetur. Laicus non potest eligi in Papam etiamsi non sit vxoratus, sed debet esse persona Ecclesiastica. Probatur id ex dispositione diuersorum iurium, in primis Stephanus III. electus anno 768. relatus cap. oportebat 3. distinctione septuagesimanona. *Et in Apostolatus culmen vnus de Cardinalibus Præsbyteris, aut Diaconis consecraretur*, cap. Nullus 4. eadem dist. 79. eiusdem Pontificis: *Nullus vmquam laicorum, neque ex alio ordine præsumat, nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus, aut Præsbyter Cardinalis factus fuerit, ad Sacri Pontificatus honorem promoueri.* Postmodum Nicolaus II. relatus capite primo, distinctione 23. anno 1059. statuit idem cum exclusione laicorum in ordine ad electores & eligendum, qui nullo modo possunt eligi, nec eligere, saluo tunc iure Henrici Regis futuri Imperatoris, vt ibi dicitur. Exclusi autem fuerunt laici, quia tempore prælati Stephani electus fuit quidam Constantinus Antipapa, qui erat merus laicus, ideo ne casus transiret in exemplum, expresse laici declarati fuerunt inhabiles ad id munus tam electionis passiuæ, quam actiuæ. In alteratione electionis si non potest eligi Cardinalis, facultas est recurrendi ad extraneum 44
Ecclesiasticum probatæ vitæ, vt fecerunt in electione F. Perri de Morono nuncupati Cœlestini V. quo tempore per mortem Nicolai IV. sedes vacauit annos duos, menses tres, & duos dies, cui successit prædictus S. Petrus de Morono anno 1294. qui solitudinis desiderio magis, quam regendi Ecclesiam in illa tribulatione, cessit Papatui in die sanctæ Luciæ eodem anno, postquam sedit menses quinque, & dies septem.

Dices, Petrus primus Pontificum Romanorum erat vxoratus, ergo eius successores laici non sunt prohibendi maxime nondum vxorati. Respondetur, non obstante vxore, cui renuntiauit quoad thorum, ex probatis cap. 3. q. 14. cap. 4. q. 1. non erat laicus, sed Sacerdos, & Episcopus, ergo obiectio nullius est vigoris.

Quæres 13. Ad quos spectat eligere Pontificem Romanum?

℞. Nicolaus II. relatus cap. 1. dist. 23. inquit: *Statuimus, vt obeunte huius Romanæ Ecclesiæ vniuersalis* 45
Pontifice, in primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractantes, mox Christi clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus, & populus ad consensum nouæ electionis accedat, nimirum præcauentes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat, & ideo religiosissimi viri præduces sint in promouenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces. Illo tempore Episcopi Cardinales negotium promouebant, cum quibus deinde concurrebant cæteri Cardinales non Episcopi, demum Clerici non Cardinales cum populo accedebant ad præstandum consensum in electionem iam expeditam à Cardinalibus. Electio igitur Papæ præcise spectat ad Cardinales tantum, adeo 46
quod accessus clericorum, & populi ad præstandum consensum electioni abierit in disuetudinem, vnde in cap. Licet 6. de elect. fit mentio solum de Cardinalibus, quorum electio suum sortitur effectum, si duæ partes illorum concordes fuerint, non obstante tertia parte, aliter *nullatenus assumatur*, id est, aliter electio erit nulla. Idem colligitur ex cap. 5. de elect. in 6. vbi expectatis decem diebus à morte Papæ ingrediuntur Conclaue Cardinales, singuli cum vno clerico, vel laico, ad minus cum duobus stante necessitate, & alia determinantur pro expeditione bonæ electionis. Idem supponitur *in Clem. 2. de elect.* vbi plura determinantur de loco, in quo celebranda est electio Papæ. Postremo idem stabilitur in Bulla 13. incip. *Æterni Patris*, Gregor XV. vbi de modo eligendi Romanum Pontificem. Tempore schismatis, vt apparet in Concilio Constantiensi sub sess. 41. Cardinalib. adiunguntur alij Prælati habentes voces in electione Papæ, ita dictāte bono cōmuni totius Orbis, vt de ampliori cōsēsu Pastor vniuersalis eligatur. Idē Greg. XV. adiuxit

Cæremoniale per suam Bullam 19. incip. *Decet Romanum.* Et vtramque Bullam confirmauit Vrbanus VIII.in sua 45. incip. *Ad Romani.* Hæc sufficiunt ad propositam quæstionem.

47 Populus igitur nulla ratione vocatur ad electionem, nec vnquam vocatus fuit, licet consensum aliquando præstiterit electioni factæ, à quo deinde rationabiliter remotus fuit. Tum quia populus facilè ad tumultum concitatur, qui sæpè sedari non po-
48 test,gloss.v obuiare extr.de Pœnis, ideo exclusus fuit à collaudatione. Tum quia voces populi pro nullis
49 habentur,variæ enim sunt,ac proinde non audiendæ, gloss.v.Vaniloquia cap.Non vos 42.23.q.5.cap.2. de elect.

Quæres 14. Quo iure Cardinales eligant Papam?

50 Respondetur. Cardinales iure diuino eligunt Papam, ad cuius promotionem non propria potestate, sed iuris communis auctoritate procedunt,itaque ius eligendi habent à Deo, modum vero exequendi electionem à iure communi acquisierunt,adeo quod iure diuino tenentur eligere successorem Petri, iure vero communi debent seruare modum in Concilis, & constitutionibus Pontificiis præscriptum. Hoc posterius quod spectat ad modum electionis, manifestum est ex iuribus, & Bullis citatis in præcedenti quæstione. Prius vero de iure diuino probatur, quia successio vnius Pontificis Romani ad alium præmortuum est de iure diuino, ex probatis præced. cap. q. 28. non solum successio vt sic, sed etiam determinata successio Petro vti Pontifici Romano, adeo quod non nisi Romanus Episcopus præmortuo Pontifici Romano succedere potest: sed electio noui Pontificis in locum Romani præmortui est pariter successio nouiter electi in locum præmortui,ergo electio sicut successio est de iure diuino,non enim dabilis est successio in effectu sine electione noui pastoris in locum alterius iam defuncti. Confirmatur id auctoritate Anacleti Papæ Epist. 2. *Eiectionem Summorum Sacerdotum sibi Dominus reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset* Electio igitur à Domino fuit concessa Sacerdotibus bonis, & spiritualibus populis, restrinxit ad qualitatem bonitatis, & spiritualitatis, conditionem, & statum personæ reliquit in arbitrio superioris,qui semper eligit bonos Sacerdotes, nempe Cardinales bonitate prudentiæ, & scientiæ, qui se ipsos agnoscunt ex mutua conuersatio ne in tractandis rebus Ecclesiæ vniuersalis. Potestas ergo eligendi est à Deo,modus vero,& forma tenenda est à Papa. Et ita conciliantur opiniones Albani, Barbatiæ, & aliorum asserentium ius eligendi Pontificem esse diuinum, modum vero secundum Bonacinam, *quæstione secunda, de elect. Paragrapho tertio,*& alios esse de iure humano.

Hinc collige errorem, & stultitiam Vigleph art. 40.asserentis, quod electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum est introducta, quod insipienter dictum non potuit probare, cum sit ex se improbabile. Sed vbi sunt leges à Diabolo confictæ de hac electione? Quis Historicus de illis mentionem fecit? Quod ius habet Diabolus cuius potestas in inferno alligata est; *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quomodo ergo potest leges præscribere eius capiti?cuius,& corporis destructionem continuè quærit,sed inutiliter.

Quæres 15. An Imperator,seu Rex eligere valeat Papam?

51 Respondetur. Inuenio tres Pontifices tribus Imperatoribus nominatim dedisse ius eligendi futuros Pontifices Romanos. Primus fuit Hadrianus I.electus anno 772, *Qui in Patriarchico Lateranensi in Ecclesia S.Saluatoris, quæ synodus celebrata est à 153.Episcopis religiosis,& Abbatibus, cum vniuersa synoda tradidit Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem,& ordinandi Apostolicam sedem*, relatus cap. Hadrianus 22.dist.63.Secundus fuit Leo Papa VIII. electus anno 963.filius Ioannis Prouinciarij à Ciaccono habitus Antipapa contra Ioannem XII. & Benedictum V.relatus cap. In synodo 23. dist. 63. *Ad exemplum,* inquit, *beati Adriani Apostolicæ sedis Antistitis, qui Domino Carolo victorissimo Regi Francorum, & Longobardorum Patriciatus dignitatem, ac ordinationem Apostolicæ sedis, & inuestituram Episcoporum concessit. Ego quoque Leo Episcopus seruus seruorum Dei cum toto clero, ac Romano populo constituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Othoni primo Regul. Teutonicorum, eiusque successoribus huius regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, &c.* Tertius fuit Stephanus II. relatus cap.1. dist. 23. qui exclusis laicis, subiungit: *Saluo debito honore, & reuerentia dilecti filij nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus, & successoribus illius,qui ab hac Apostolica sede personaliter hoc ius impetrauerint.* Solebant Principes esse præsentes electionibus Pontificum, non solum ad præstandum consensum electioni à Cardinalibus factæ *cap.* 3. 4. *&* 5. *distinctione* 63. sed etiam ad protegendum electores, ad occurrendum scandalis, & violentiis, & ad concordandos Cardinales inter se quandoque dissentientes, vt electio legitimè, & vnanimi consensu libero eligentium expediretur, *cap. In Reatina* 16. *cap. Quia* 28. *distinctione sexagesima tertia.* Supradicti tres Pontifices illos Imperatores remunerarunt, qui Ecclesiam defendebant, & Pontifices protegebant, ideo hoc ius illis contulerunt potius ex necessitate, quam ex voluntate. Nostris temporibus Ecclesia multum potens non indiget his opitulationibus in electione Pontificum, quamuis aliud genus scandali irrepserit subornationis,& fauoris.Sed difficultates nonnullæ suboriuntur ex mox dictis resoluendæ.

Prima est, an Papa hoc ius eligendi potuerit legitimè transferre in Imperatorem, nam Imperator vti persona laica non est capax potestatis Ecclesiasticæ spiritualis, ad quam spectat actus electionis, qui est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ,cap.Nosti 9. cap.Transmissam 15.de elect.

Respondetur. Affirmatiuè, probatur *Tum quia,* 52
conditio personæ spectat ad formam electionis, cuius dispositio pertinet ad ius humanum, & Pontificium, vt probaui sub quæstione 14. ergo Papa de ea habet plenam potestatem disponendi, & delegandi electionem aliis, *Tum quia*, Papa simplici laico quamlibet causam spiritualem non postulanti sacerdotium potest delegare, à fortiori Imperatori, qui multum prodesse potest Ecclesiæ Dei, maximè illis temporibus, quibus Ecclesia erat pusillus grex: Et ex his patet ad rationem dubitandi, quia Papa ex plenitudine suæ potestatis omnia potest quæ non implicant contradictionem, *cap. Cuncta per mundum* 9. *quæstione tertia, capite secundo. de præbend. in sexto*, vnde laico potest delegare potestatem excommunicandi, Sair. *libro primo, de cens. capite quinto, numero decimoquinto*, à fortiori in casu nostro, in quo electio Papæ est de iure Pontificio, quoad modum, & conditionem personæ, & dixi in genere capite secundo, quæstione 34.

Secunda est, an hoc ius eligendi Papam collatum fuerit Imperatoribus cum exclusione Cardinalium, ita

ita quod illi soli propria auctoritate potuissent eligere Papam? Ratio dubitandi est, quia electioni Pontificis assistit specialiter Spiritus Sanctus, infra quæstione decimasexta, Vni autem tantum homini Spiritus Sanctus non promisit assistere, sed pluribus Congregatis in nomine eius, Matth. 18. 20. *Vbi enim sunt duo, vel tres Congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Deinde sicut electio essentialiter est assumptio vnius ex pluribus, ita & plures requiruntur ad eligendum, vt par sit conditio eligentium, & eligendorum.

53 Respondetur. Per illud priuilegium Imperatoribus concessum eligendi Papam, non fuerunt exclusi Cardinales, quibus de iure ordinario ea potestas
54 competit. Probatur, *Tum quia*, non aufertur potestas ordinaria alicui, si ea à Principe extraneo delegatur, cui non competit de iure, capite Per hoc decimoseptimo, de hæret. in sexto. *Tum quia*, potestas ordinaria est fauorabilis, & ampla, delegata odiosa, & strictè intelligenda, gloss. v. Processus capite primo de rescrip. in 6. Decius in cap. 6. debitus, de appellat. numero 49. ac proinde delegatio hæc facta Imperatoribus eligendi Pontificem Romanum, non excludit Cardinales, cum sit restringenda quoad suum effectum quantum fieri potest. *Tum quia*, nulla ratio suadebat, priuandos esse Cardinales iure suo ordinario, ergo exclusi non fuerunt. *Tum quia*, Papa non solet quemquam priuilegiare in præiudicium tertij, nisi se explicet velle præiudi-
55 care, & hæc est regula infallibilis, de qua *in cap. Super eo 15. de off. deleg. ibi glossa v. Intentionis, cap. Extuarum S. de Auctor. & vsu pallij cum glossa v. Permittat, cap. Licet 17. de off. ordin. glossa v. Nec esse debuit,* Bartol. *in l. Gallus §. Et quid si tantum ff. de liber. & posthum. num. 12.* Sanch. *libro 7. capite 22. numero vigesimoquarto.* Et idem confirmant rationes in dubitatione adductæ.

Tertia est, an potuisset à Cardinalibus eam potestatem auferre, & soli Cæsari tradere, ita quod per seipsum potuisset in Pontificem eligere, quem voluisset.

56 Respondetur. Affirmatiuè, *Tum quia*, id est de iure communi, cui Papa derogare potest. *Tum quia*, res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. *Tum quia*, ius eligendi reduci potest ad vnum superstitem aliis mortuis, Rodr. *tom. 2. q. 52. art 11. cum suo Compend. resol. 58. num. 38.* Diana *resol. 32. de Cardinal.* ita & ad vnum transferri potest, aliis exclusis ab habente plenitudinem potestatis.

Non obstant adducta in præcedenti dubitatione, non primum, quia in eo casu non deest assistentia Spiritus Sancti, nam tunc Imperator gerit vicem plurium, ac proinde ibi est virtualiter congregatio plurium, immò per translationem, seu communicationem potestatis eligendi Papam transfunditur
57 assistentia Spiritus Sancti in Imperatorem, eo quod agit nomine, & potestate Pontificia. Ad secun-
58 dum, licet de substantia electionis ex parte promouendi sit assumptio vnius ex pluribus, cum vnus assumatur, & alter relinquatur, tamen id non procedit in electoribus, in quo attenditur libertas in ordine ad eligendum, quæ postulat pluralitatem subiectorum, ne electores cogantur eligere vnum determinatum; libertas igitur, quæ est de essentia va-
59 loris electionis, *capite. Cum terra 14. de elect. capite. Vbi periculum Paragrapho cæterum 4. de elect. in 6. glossa v. metuebant capite Bonæ memoriæ 13. de elect.* inesse debet electioni passiuæ ex pluralitate subiectorum, vt redundare possit in electores, vt liberè valeant consentire vni ex pluribus quæ libertas saluatur tam in vno electore, quam in pluribus, ideo non est de ratione electionis pluralitas respectu electorum, sed eligendorum tantum, à quorum pluralitate originatur libertas electionis.

Quarta difficultas est, an huiusmodi priuilegium à Papis concessum eligendi Pontificem Romanum fuerit verum, & reale, an apocryphum, id est, quod reuera nullus Pontificum id concesserit? Ratio dubitandi est, quia hoc priuilegium esse apocryphum ferunt quamplures cum Baronio, Suarez, Azorio, non inuenientes Synodum, quæ cum Papa Hadriano hoc ius primo tribuit Carolo Imperatori, cuius exemplo postea Leo VIII. idem priuilegium cum Synodo fecit Othoni Imperatori Teutonicorum.

Respondetur. Nescio quo iure, quaque ratione 60
illa priuilegia concessa Carolo, Othoni, & Henrico nominatim ab illis tribus Pontificibus Hadriani, Leone, & Nicolao sint apocrypha, cum post correctionem factam, & emendationem iussu Gregorij XIII. ea priuilegia remanserint adhuc in corpore iuris apud Decretum Gratiani, vbi pro legitimis habentur in eo, quod verissimum est, talia priuilegia reuera fuisse concessa ab illis Pontificibus. Et id est argumentum ad hominem contra hæreticos impiè asserentem potestatem Pontificiam emanasse à Cæsare, cum res è contrariò constet, Pontifices præfuisse Imperatoribus, hoc ipso, quod istis concesserunt priuilegium creandi illos cum Cardinalibus, adeo quod non potestate propria, sed aliena, id est, Pontificis cōcedentis auctoritate procedant ad electionem. Quare Papa electus etiam ab Imperatore non ideo potestatem Pontificandi recipit à Cæsare, sed à Deo immediatè. Esto Papa electus diceretur à Cæsare potestatem recipere, quod negamus adhuc eam non reciperet à Cæsare eligente, & quia Cæsar habet solum potestatem eligendi, non conferendi potestatem, consequentem electum aliunde, Cæsar enim se habet sicut Episcopus approbans Sacerdotem regularem, qui à Pontifice recipit potestatem iurisdictionis, non ab ipso Episcopo, vt dixi cap. 2. num. 115. ita Imperator approbat & eligit Papam, qui aliunde acquirit suam potestatem. Quod si hæc ab homine acquireretur, certè solum à sede Apostolica, adeo quod facto hominis eligentis à sede Apostolica potestas communicaretur, sed id falsum est de se, ideo quocumque eligente potestas electo confertur immediatè à solo Deo, ex q. 8. cum conferens semper sit maior eo, cui confertur, & cum Papa quolibet homine, siue corpore politico sit maior, sequitur quod potestatem recipiat à solo Deo, cui est subiectus in omnibus.

Quod ea priuilegia pro eo tempore non fuerint 61
præiudicialia, sed valdè commoda, & vtilia Ecclesiæ Dei suadetur. *Tum quia*, tunc Ecclesia erat pusillus grex, & in electionibus Pontificis à multis vexabatur, ideo Ecclesia talibus indigebat auxiliis, per quæ posset efficaciter redimere propriam vexationem; nihil autem magis erat ad propositum, quam recurrere ad Imperatores, qui hoc priuilegio allecti alacrius, & libentius Ecclesiam in omnibus defendebant. *Tum quia*, illis temporibus facile excitabantur schismata, quæ tam fortia, & potentia erant, vt non nisi ab Imperatoribus tolli possent, aut impediri, ne excitarentur. *Tum quia*, huiusmodi priuilegium non facit Imperatorem supra Papam, sed tantum parem in hoc Cardinalibus, alias Cardinales eligentes essent maiores Papa, quod nemo hactenus dixit, nec iure dicere potest.

Non placet, quod aliqui dicunt, Romanos Pontifices Adrianum, Leonem & Nicolaum non concessisse Cæsaribus ius eligendi, sed tantum potestatem confirmandi, vel infirmandi electionem à Cardinalibus factam. Quia apertè constat, priuilegium fuisse

eligendi,nam Hadrianus inquit:*Tradidit ius, & potestatem eligendi Pontificem.* Leo vero sic: *Largimur Othoni facultatem eligendi successorem.* De hac re igitur non est dubitandum, neque enim quicquam cogit distrahere verba à propria eorum significatione
62 Doctores, qui hoc asserunt, putantes euitare absurdum, ceciderunt in aliud,nam sequitur,Imperatorem per confirmationem, vel infirmationem electi Pontificis esse illo maiorem, nam munus confirmationis spectat ad superiorem proximum,Panor. *in cap. Monachi,§. Prioratus,de statu Monach.num.*10. *& in cap.* 2.*de translat, Episc.* vnde ius confirmandi est signum
63 superioritatis,Bald.*in l fin* §. *Nota vlterius Cod.de leg b.*Host.& Abbas *in cap.* 1.*&* 2.*de locato:*& ideo Papa nunquam ab aliquo confirmatur, sed tantum post electionem coronatur,& consecratur,si indiget, *gl.v. videbantur cap.* 1.*de renunt.*

Quinta difficultas est, an Cæsares ea facultate eligendi Romanum Pontificem vsi fuerint:Ratio dubitandi est, quia successores Adriani sine Cæsaris interuentu creati fuerunt, vt legitur in vitis Pontificum, non enim præsentes esse poterant Romæ, occupati in continuis negotiis bellorum præsertim extra Italiam. Vnde Ludouicus imperator suis Ambasciatoribus conquerentibus electionem Hadriani II. expeditam fuisse sine ipsis rescripsit,laudando electionem Papæ factam à Cardinalibus sine illis, ita Platina in Hadriano II. quod clarius registratur *in cap. Ego Ludouicus* 30.*dist.*63. qui ius eligendi Pontificem restituit,& renuntiauit in manibus Paschalis 1. electi anno 817.

64 ℞. Non fuerunt hac potestate vsi, nam Carolus, quando creatus fuit Leo III. immediatus successor Hadriani I.qui ei priuilegium concesserat,anno 795. à Roma aberat occupatus in debellandis Saxonibus, nec tempus potuit esse admonendi illum de morte Pontificis Hadriani, quia inter huius mortem, & Leonis creationem sedes non vacauit ex Ciaccono, & Bullario, ex qua acceleratione constat Cardinales nolle extraneos in collegas. Duobus annis ante mortem Leonis decedentis 12.Iunij 816.Carolus Cæsar obiit 28 Ianuarij 814.vacauit sedes dies vigin i,non ideo tamen electioni Stephani habitæ die 3. Iulij eiusdem anni 816.interesse potuit Ludouicus Caroli Filius, neque per se, neque per missos ex angustia temporis prædicti & id est verissimum, quia sequenti anno mortis Stephani, & creationis Paschalis I. renuntiauit huic iuri, vt dixi in dubitatione quæstionis.Idem dicendum est de Othone,quod ea potestate nunquam vsus fuerit, nam Ioannes XIII. creatus 965. cuius electioni Otho non poterat interesse absens in Germania.Vel dici potest,electum fuisse de consilio non consensu Cæsaris, sicut de aliis dici potest. Demum cum Leo VIII. qui hoc priuilegium Othoni concessit, fuerit Antipapa intrusus, qui sedit contra Ioannem XII. & Benedictum VI. non potest dici iure interfuisse electionibus, si tamen interfuit, nisi de facto, & propria voluntate sine vlla potestate,qua Leo intrusus carebat.

Sexta difficultas, an huiusmodi priuilegia reuocari
65 potuissent à reliquis Pontificibus? Ratio dubitandi est, quia priuilegia remuneratoria, cuiusmodi erant hæc, sunt irreuocabilia, vt tenent Natta vol.2. cons. 268.n.5.Afflict.decis.128.n.10.Craueta consil.869. num.7.

℞. Reuocari potuerunt, & reuocata fuerunt, ius enim ex facto probatur, lege totam dist.63. præsertim cap. 29. & 32. Adeo quod falsum est, Principem non posse reuocare priuilegium remuneratorium, cum institutor alicuius rei possit esse etiam eiusdem destructor, concedens enim alicui priuilegium,non adimit sibi potestatem illud reuocandi, sed ostendit ea non carere Priuilegia sicut ex causa dantur, ita etiam ex causa reuocari possunt, ea cessante, per quam fuerunt concessa, immò causa cessante,in- 66
telliguntur cum ea expirare, cap. Quod pro remedio 7.1. q.7. Impossibilitas etiam vsus priuilegij satis indicat eius necessariam renuntiationem, immò extinctionem, impossibile enim est, quod Imperator vti possit eo priuilegio, cum in Italia non resideat, diu protraheretur vltra quod est debitum electio Romani Pontificis,si Cæsar esset expectandus vel eius Missus,adeo quod ex huiusmodi mora periculum esset in electione *cap. Vbi periculum* 3. *de elect. in* 6.*cap. Cum* 67
inter 18. *de elect.* dicitur, quod mora in electionibus longior suspecta est,immò sæpè damnosa. Quod autem priuilegia remuneratoria sint reuocabilia contra præcitatos tenent Felin. *in cap. Nouit de iudic.num.*8. 68
Alex.*vol.*1.*consil.*101.Ruin.*volum.*5 *consil.*130.*n.*19. *cum illis* Sanch *lib.*8.*disp.*3?. *num.*3. Pasqual. *q.*106. *numero* 3.Tamburr. *tom.*1. *disputatione* 16. *quæst.* 12. *num.*18.

Difficultas septima est, an huiusmodi priuilegium eligendi Papam fuerit tantum personale in Carolo,& non reale,quale fuit illud Othonis,& Henrici:Ratio dubitandi, quia in duobus posterioribus priuilegiis fit mentio etiam de successoribus,in primo de Carolo tantum.

℞.Etiam illud Caroli reale. *Tum quia*,illi renuntia- 69
uit illius filius Ludouicus, ex supradictis, ergo reale fuit, quale est illud, quod transit de persona ad personam intuitu dignitatis eiusdem, cui dicitur concessum,seu personæ intuitu dignitatis, Canon. *in Reg.*7. *de Reg.iur.in* 6.Anchar.*consil.*327.Roman.*consil.*180. Menoch.*lib.*3. *præsumpt.*103. *num.*4. Tum quia hoc priuilegium fuit concessum, quia defendebat Ecclesiam,& Pontificem in sede,& officio;hanc autem defensionem agebat vt Cæsar, non vt Carolus, ergo imperiali dignitati concessum fuit, ac proinde fuit reale quicquid dicat Bonac. *q.*1. *de elect.Papæ num.*9. *resp.*4.

Quæres 16. An electioni Papæ specialiter assistat Spiritus Sanctus?

℞. Affirmatiuè, deducitur ex Sacra Scriptura 70
Matth.18. 20. *Vbi sunt duo,vel tres Congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum.* In electione Pontificis Cardinales congregantur in nomine Domini,ergo à Domino regulantur existente in medio eorum. In fine eiusdem Euangelij concluditur: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Christus Apostolis, & cæteris Ecclesiæ Ministris promittit se cum illis continuo esse, vsque ad finem mundi,in regimine Ecclesiæ,quod præcipuè inspicitur in electione Capitis eius, ergo Cardinalibus tempore electionis assistit vt sequatur legitima electio. Ea verba non solum Apostolis, sed etiam aliis Ministris dicta sunt, quia Apostoli non erant victuri vsque ad finem mundi, sed alij in locum ipsorum, vt rectè Ecclesia gubernari posset.

Quæres 17.An Pontifex viuens sibi eligere possit successorem gubernaturum Ecclesiam post illius mortem?Vide Dianam par.10.tract.5.vbi rem luculenter discriminat.

℞. Papa viuens nec per se,nec cum Cardinalibus 71
potest eligere successorem. Sic docent triginta tres Doctores,quos pro se citat Lauon.*tit.*4. *de elect. c.*3, *n.*32.& id multis probat.

Probatur primò, quia nullus est superior aliorum, nisi illorum accedat consensus, vel id fiat de iussione, seu permissione superiorum illorum, vt colligitur ex cap.1. dist.62. *Nulla ratio sinit vt inter Episcopos habeantur,qui nec à clericis sunt electi,nec à plebibus expetiti, nec à Prouincialibus Episcopis Metropolitani iudicio consecrati.*Nota propositionem vniuersalem,*Nulla ratio*

ratio, proinde nec naturalis, nec diuina, nec huma-
na vult, quod Prælatus futurus eligatur à prædecesso-
re viuente, sed tantum à subditis, vel superiore eli-
gendi; Papa autem viuens non habet rationem sub-
diti, cum sit superior omnium, & supra se non habeat
superiorem hominem sed solum Deum, ergo non po-
test sibi eligere successorem. Deducitur idem ex cap.
*Electionem vero summorum Sacerdotum sibi Dominus
reseruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, &
spiritualibus populis concessit*; fin. dist. 79. Si Sacerdoti-
bus bonis, ergo non summis Sacerdotibus.

Bonacina disp. 1. de elect. Papæ part. 4. ex illis au-
ctoritatibus colligit tantum non esse licitam talem
electionem, non vero, quod electio facta sit inuali-
da. Subdit ibi sermonem esse de electione Episco-
porum non facienda per laicos, ideo non negat fieri
posse sine interuentu clericorum, quæ tunc fit, quando
à Papa, qui est omnium clericorum superior, cele-
bratur.

Contra primum est, quia non tantum est illicita,
sed etiam inualida, hoc ipso, quod dictum fuit, esse
contra omne ius, factum enim contra ius naturale;
72 aut diuinum, ipso iure nullum est, Innocent. *in cap.
Quod sicut, de elect.* Panorm. *in cap. 1. de restit. in in-
tegr. num. 19.* Ius enim naturale, & diuinum negans
aliquid fieri aufert potestatem ab attentante prohibi-
tum. Contra secundum, quia expresse dicitur *in eo
cap. 1. dist. 62.* Eos non habendos esse Episcopos,
qui non eliguntur à clericis, neque à plebibus expe-
tuntur, ergo non excludit expetitionem laicorum. Et
certè illa clausula: *Inter Episcopos non habeantur*,
continet decretum irritans, quod à simili probatur ex
73 simili clausula: *Habeatur pro non scripto*, quæ importat
nullitatem actus ex allegatis à Morta *part. 3. de Clau-
sul. 32.*

74 Probatur 2. Quia electio refertur ad tempus, in
quo Papa esse non potest, cum sit futurus, nam ele-
ctio ideo fit, vt Prælatus de non existente fiat existens
immediatè secuta electione legitima; sed electus in
Pontificem per Papam viuentem nullatenus est Papa,
cum duo simul esse non possint Papæ ex probatis
præced. cap. quæst. 22. ergo huiusmodi electio impli-
cat in terminis.

Bonacina respondet, quod tunc duo Pontifices si-
mul non sunt, quia electio secundi suas vires accipit
solum post mortem eligentis, quo pacto Dauid ele-
ctus fuit à Saüle, & Consules alias eligebantur à Re-
publica Romana, & hæres instituitur à testatore.

Contra est, quia in exemplis allatis dignitas im-
mediatè sequebatur ad electionem tanquam effectus
à sua causa, adeo quod actu erant tales, quales elige-
75 bantur, solum in illis suspensum manebat exercitium
suæ dignitatis, honoris, & potestatis, erant ergo si-
mul consules noui cum veteribus, qui inter se diffe-
rebant solum in eo, quod noui non poterant exerce-
re suum officium, sicut veteres, qui habitu, & actu
erant consules, noui vero solum habitu. Non sic res
procedere potest in electione Pontificis noui per ele-
ctionem factam à veteri viuente, quod arguit duos
actu simul Pontifices quoad dignitatem, & honorem,
adeo quod sequeretur, quod nouus non posset à vete-
ri impediri ab exercitio suæ potestatis, quæ intrinse-
ca est dignitati Papatus, ex eo, quod par non agit in
parem, nec antecessor potest ligare manus sui præ-
decessoris. Quare huiusmodi electio implicat, &
76 confirmatur, quia impossibilis est ea electio, quæ
dum fit, nullum producit effectum, quælibet enim
electio, si vera est, & legitima debet producere suum
effectum dignitatis, & potestatis in electo, electio
enim est actualis assumptio electi ad aliquid, & non
ad nihil, ergo huic electioni deberet respondere di-
gnitas Papatus, vt electores dicantur assumere perso-
nam ad dignitatem, ne dicatur vana, & sterilis ele-
ctio, ergo cum superaddat nouum Pontificem vete-
ri, ac proinde pluralitatem simultaneam Pontificum,
censetur damnata, sicut pluralitas Pontificum eodem
tempore.

Probatur 3. Quia Papa, & Episcopi ad suam Ec- 77
clesiam se habent sicut vir ad suam vxorem, seu spon-
sus ad sponsam, cap. Sicut vir 11. 7. quæst. 1. est enim
spirituale matrimonium inter Prælatum, & Eccle-
siam, cap. 2. & 3. de transl. Episc. & sicut vxor, &
sponsa non potest esse duorum simul, ex tit. de sponsa
duor. neque vir suam vxorem obligare potest, vt post
suam mortem ducat talem virum, cum sit tunc solu-
ta à lege viri, & arbitrium habeat nubendi, cui volue-
rit, vel non nubendi, *ad Rom. 7. 2. ad Corinth. Epist. 1.
cap. 7. 39.* Ita neque præsens Papa obligare potest
suam Ecclesiam, vt nubat tali Prælato; præterquam
quod ex præcedenti argumento, Ecclesia in hoc ca-
su esset sponsa duorum, & monstri habentis duo ca-
pita eiusdem rationis, quod repugnat.

Probatur 4. Quia par non agit in parem, ex vul- 78
gatis iuribus, ergo Papa præsens non potest eligere
successorem, quia ei par esset, est enim communis do-
ctrina Canonistarum, & legistarum, quod successor
est par, & æqualis in dignitate, & potestate cum an-
tecessore, aliter non diceretur ei succedere in digni-
tate, & potestate, cum in nullo alio ei possit succedere,
adeo quod in his successor, & antecessor ex fictione
iuris reputantur vna, & eadem persona consequen-
ter sequeretur eundem eligere quodammodo se-
ipsum.

Probatur 5. Quia ex huiusmodi electione seque- 79
rentur multa absurda. *Primo* dignitas Pontificia tran-
siret in ius hæreditarium, nam Papa viuens de suo
sanguine eligeret sibi successorem, experimur enim
aliquos Pontifices nimium esse ardentissimo amore
infectos erga sanguinem, de hoc non est dubitan-
dum. *Secundo* sequeretur acceptio personarum, quod
est contra naturam electionis, quæ dictat in eligen-
do spectandam esse sanctitatem, prudentiam, & do-
ctrinam, atque reipublicæ vtilitatem, non commo-
ditatem, interesse, aut amicitiam. *Tertio*, hoc ius con-
cessum ab initio Ecclesiæ Cardinalibus paulatim abi-
ret in nihilum. *Quarto* facilè orirentur seditiones, per-
turbationes, & bella per Principes non bene affectos
in Pontifices hac forma electos, regimen non am-
plius esset Pastorale, sed principans aut tyrannicum,
frigescente charitate. *Quinto* demum iste modus ab
aliquo Pontifice nunquam attentatus fuit, quod si-
gnum est implicare absurditatem ex seipso.

Bonacina respondet, ex similibus absurdis non in-
ferri, attentatam electionem futuram esse inualidam,
sed tantum Papam non posse se solo sine Cardinali-
bus, & nisi ex causa vrgentissima sibi procurare suc-
cessorem.

Contra est, quia huiusmodi absurda arguunt effi-
caciter nullitatem electionis, cum fundentur in iure
naturali, & diuino, quibus aduersantur ex natura rei,
Et causa vrgentissima non videtur assignabilis, nisi
speculatiuè, & cum ea deberet assignari ex parte Car-
dinalium, ad quos solos spectat expeditio huius ne-
gotij, sufficeret Pontifici exagerare, & rogare Cardi-
nales, vt bonum Pastorem eligerent. Adde, quod plus 80
sapit Collegium, quam caput Collegij, quod non
constat habere assistentiam Spiritus sancti in tam
graui negotio, sicut habet Collegium Cardinalium,
in quo Deus semper conseruat viros doctos, pruden-
tes, & timoratæ conscientiæ, qui possint prouidere
Ecclesiæ suæ de prouido Pastore, & cum in huiusmo-
di electione assistat Spiritus sanctus dirigit semper
electores ad eligendum caput conforme corpori Ec-
clesiæ.

Contrariam opinionem, Papam posse sibi eligere successorem docent Franciscus Victoria Relect. 2. de Potest. Eccles. quæst. 2. num. 3. Suar. *de fide tract. 1. sect. 4. num. 16.* Vasq. *part. 3. tom. 3. disp. 244. cap. 3.* Bonac. *disp 1. de elect. Papæ in fine.*

Primo probant, quia electio Papæ spectat ad visibilem Ecclesiæ administrationem, & gubernationem; sed Papa ea omnia facere potest, quæ ad hanc administrationem spectant, ergo Papa viuens potest Ecclesiæ prouidere de successore.

Contra est, quia verum est electionem Papæ spectare ad Ecclesiam, & ideò Cardinales, quæ in hoc Ecclesiam representant, vno Pontifice mortuo alium eligunt. Papa vero viuens dat formam, & normam eligendi successorem, & vltra non se extendit eius potestas, quæ in aliud caput agere non potest, sed tantum membra protegere habet, & pascere iuxta potestatem sibi traditam à Deo illi iubente: *Pasce*
81 *oues meas*, quæ tibi sunt subditæ, ergo pascere non potest non subditum, qualis esset à se electus, non enim esset amplius, Pontificis ergo potestas est ad membra vti talia, & non sub ratione superioritatis. Papa ergo prouidet de forma eligendi successorem, non vero de electione, quia quamdiu viuit ipse caput est, cæteri membra, & oues sub Pastore, non Pastor sub Pastore, quod implicat.

Secundo probant ex ratione Monarchiæ, quæ potest facere quicquid conceditur membris sibi subiectis, & modo perfectiori, quia in Monarcha reperitur vnita omnis virtus, & potestas, quæ ab eo communicatur inferioribus, in quibus dispergitur; si ergo Cardinales possunt creare Papam, à fortiori id poterit Monarcha Pontifex viuens cum illis, quibus hanc facultatem concessit in præscriptione formæ eligendi summum Sacerdotem.

Contra est, quia hoc argumentum supponit totum ius eligendi Pontificem haberi à Monarcha, quod falsum est, cum ius sit de iure diuino obligans Ministros Ecclesiæ ad eligendum, modus vero, & forma eligendi spectat ad Papam obseruanda ab electoribus, quibus præscribitur, ideo totam potestatem Papa in se non habet, consequenter argumentum nihil probat.
82 Confirmatur id, stare enim potest, quod quis præscribat aliis normam operandi, imò & det licentiam operandi, & ipse agere non possit, quod aliis præscribit; nam Vicarius Generalis Episcopi nondum Sacerdos dat licentiam audiendi confessiones, absoluendi à reseruatis, ad recipiendos ordines, & multa alia, quæ per ipsum præstare non potest. Parochus nondum Sacerdos dat licẽtiam confessariis audiendi suas oues, quas ipse absoluere non potest. Ergo quis aliis aliquid concedere potest, quod per seipsum facere non potest. Itaque Papa præscribit formam eligendi successorem, & facultatem ampliat, vel limitat Cardinalibus electoribus, inde tamen non sequitur, quod ipse eligere valeat alium Papam.

Tertio probant, quia Petrus elegit sibi successorem Clementem Romanum, *ex dictis cap. præced. q. 19.* Sed successores Petri eandem habent potestatem, quam ipse accepit à Christo, ergo.
83 Contra est, quia Petrus id non fecit ex officio Papatus, sed ex speciali iussione Dei præcipientis vt sibi successorem eligeret, vt legitur in Epist. eius, quæ est prima Clementis, ibi: *Hoc enim fieri statutum est mihi,* inquit Petrus, statuere, & præcipere hoc Petro nullus poterat, nisi Christus Dominus. Quare cum id fuerit speciale, & personale mandatum à Christo factum Petro, non potuit transire in successores.

Quarto probant, quia Pontifex Romanus dicitur successor, & hæres Petri, hæres autem succedit in omnẽ auctoritatẽ prædecessoris; sed Petrus sibi elegit successorẽ, ergo & quilibet illum sibi eligere potest.

Contra est, quia Pontifex quilibet successit Petro in omnia iura, quæ Petro competunt in ratione Papatus, ius autem eligendi successorem, vt dixi in præcedenti argumento, Petro vti Papæ non competebat, sed fuit speciale priuilegium personæ, cum qua extinctum fuit, sicut & dignitas Apostolatus, quæ non transiuit in hæredes Petri, quia Apostolatus Petro vti Papæ non competebat, cum multo tempore ante erat Apostolus, nondum Papa. Confirmatur, quia Petrus institutus fuit Papa, quando illi dictum fuit: *Pasce oues meas.* Data illi fuit potestas pascendi oues, ergo omnes, ergo eo viuente nulla ouis poterat esse Pastor, quia idem vtrumque esse non potest eodem tempore, Petri ergo potestas Pontificia respicit omnes fideles in ratione ouium, ergo nullam respicere potest in ratione Pastoris, non potest ergo Petrus pro tempore sibi successorem eligere, eo quod auctoritas eius se tantum ad oues, prout oues extendat.

Quinto probant, quia nonnulli Pontifices successorem sibi elegerunt ducti auctoritate Symmanchi Papæ electi anno 499. qui vt videri potest tom. 2. Concil. fol. 468. in secunda Synodo, relatus cap Si transitus Papæ 10. dist. 79. si Papa de electione sui successoris ante mortem decernere non potuerit, ordinat nonnulla pro electione eiusdem; qua ratione Gregorius VII. sibi elegit Victorem III. Victor Vrbanum II. Vrbanus Paschalem II.

Contra est, quia nullus ex illis Pontificibus sibi successorem elegit, sed tantum singuli eorum declarabant mentem suam, proponendo eos à Cardinalibus eligendos, si eis placuisset, vt explicat ibi Glossa negando hæreditariam successionem. Papa igitur dicitur decernere de sui successoris electione, cum meliorem proponit eligendum post suam mortem Cardinalibus, non ipse per hoc eligit, cum electio sit facienda à Cardinalibus.

Quæres 18. An eligendus in Papam debeat esse Sacerdos, & Episcopus? Et si hoc non est necessarium, electus nihilominus debeat fieri Sacerdos, & Episcopus?

℞. Non est necessarium quod sit Sacerdos, quia etiam Cardinalis Diaconus eligitur in Papam, ex allatis quæst. 12. & constat multos nondum Sacerdotes, imò nec Diaconos ad Pontificatum fuisse assumptos; inter plures nonnullos referam, Innocentius II. & III. & Honorius IV. consecrati fuerunt post suam creationem in Presbyteros, & Episcopos, vt legitur apud Ciacconum in eorum vitis. Potita creatione, necessarium est, quod consecrentur in Sacerdotes, & Episcopos, aliter non recipiunt effectum suæ electionis, id est, non sunt verè Pontifices, cum sint omnino inhabiles, & incapaces illius officij Papatus, qui ad multas functiones ex præcipuis illa duo supponantur Sacerdotium, & Episcopatus, sine quibus Sacramenta confici, nec administrari possunt, id enim munus maximè ad Pontificem Romanum spectat ex illis verbis. *Pasce oues meas*, deductum. Adeo quod nolens ordinari, reuera Papa non est, nec eius electio tenuit vt quæ facta de inhabili actu, habitu, & voluntate præcedente electionem declarata postmodum per negatiuam consecrationem. Quare Cardinales præmissa protestatione, quod si nolit recipere ordines, possunt Pontificem alium eligere, quia sedes reuera vacat, & illum resistentem castigare possunt. 84 85

Quæres 19. An Papa possit eligere aliquem in Episcopum Romæ, qui munus Episcopale ibi exerceat, dum Papa viuit in Vrbe, vel extra duraturus vsque ad mortem propriam etiam post mortem Papæ, qui illum elegit?

℞. Negatiuè, & deducitur ex cap. quoniam 14. 86
de off. ordin. vbi: *Prohibemus autem omnino, ne vna eademque ciuitas, siue Diœcesis diuersos Pontifices habeat*

beat tanquam vnum corpus diuersa capita quasi monstrum. Cum ergo sit monstruosum idem corpus habere duo cognita, monstruosum quoque erit eandem vrbem vnicum morale corpus habere simul duos Episcopos, qui sint capita eiusdem corporis. Papa autem est Episcopus Vrbis, ergo in eadem alium Episcopum
87 ordinare non potest, ne sequatur hoc monstrum. *Tum quia*, sicut duo ex æquo, & in solidum non possunt esse Domini eiusdem rei, l. Sicut certo §. Si duobus vehiculum, ff. Commod. ita neque eiusdem Ecclesiæ duo Episcopi. *Tum quia*, sicut in carnalibus matrimonij, eadem Virgo non potest esse sponsa duorum simul, & in solidum, ex tit. de sponsa duor. ita neque in spiritualibus eadem numero Ecclesia potest esse sponsa duorum Episcoporum. *Tum quia*, est contra iustitiam, quod traditum vni detur alteri, cum primus acquisierit ius contra quemcumque alium, adeo quod si possidens vult rem possessam transferre in alium, debet se priuare illius dominio, & possessione. *Tum quia*, ex hoc sequitur simul esse posse duos Papas, quod dicere est hæreticum, vt probaui cap. præced. quæst. 22. Sequela patet, quia talis Episcopus sic electus idem est, quod Papa, nam idem est Papatus, quod Episcopatus Romæ.

88 Non obstat præcitatum caput de alio Episcopo assumpto in Vicarium, neque Cap. Non autem 12. 7. quæst. 1. vbi in eodem Episcopatu Hyponensi simul Valerius, & Augustinus Episcopabantur. Nam respondeo vnum Episcopum posse alterum vocare in auxilium sub alio titulo nempe Vicarij, Coadiutoris, seu Suffraganei, vt aperte colligitur ex citatis capitibus, & passim id obseruari videmus, sub his enim rationibus sunt inferiores, & subiecti, nec iure proprio, sed alieno nomine fidelibus populis inseruiunt.

Quæres 20. An in locum Papæ amentis alius supercreari possit?

89 ℞. Negatiuè. Probatur, *Tum quia*, Papa amens
90 adhuc est Papa, sicut erat ante, amentia enim non destruit dignitatem, licet impediat eius officium, & exercitium, ne igitur detur duplex Pontifex, contra definitum *cap. præced. quæst. 22.* infertur, non posse
91 alterum supercreari. *Tum quia*, Prælato inutili datur Coadiutor, non vero priuatur sua dignitate, cum in culpa non sit, neque alius illi par eligitur, *cap. Ex parte tua* 5. *cap. Consultationibus 6. de cler. ægrot. item eod. in 6.* Vbi amentibus datur Coadiutor. Ergo idem dicendum est de Pontifice Romano, & à fortiori, quia
92 verus Papa à nullo deponi potest. *Confirmatur*, quia sicut maritus factus demens adhuc talis est, & non potest separari à sua vxore, *cap. Hi qui* 25. 32. q. 7. ita neque Papa stolidus à sua sponsa, quæ est Ecclesia Romana vniuersalis, & localis. In tali casu Collegium Cardinalium, in iis quæ spectant ad suppletionem vicis, prouidere potest, sicut tempore sedis vacantis, iuxta Clem. Ne Romani, de elect. Neque est necesse congregare Concilium, quia Cardinales vti, Coadiutores prouidere possunt de necessariis sine Concilio.

Quæres 21. In quibus casibus electio Papæ est inualida?

℞. In multis casibus electio Papæ est nulla, & irrita, qui numerantur decem octo.

93 Primus, electio fœminæ iure diuino nulla est: Probatur 1. ad Corinth. 14. 34. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Et in Epist. 1. ad Timoth 2. 11. *Mulier in silentio discat, cum omni subiectione, docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum.* Igitur incapax est iure diuino Papatus, cuius est pascere oues, docere fideles, & dominari omnibus, quæ mulieri in Ecclesia
94 prohibita sunt. *Confirmatur*, quia mulier inhabilis est ad Sacros Ordines *cap. Nouæ* 10. *de Pœnit. & dixi cap. 2. quæst. 34.* de laicis inhabilibus ad spiritualia, à fortiori mulier. Adeo quod attentata electio de fœmina est ipso iure nulla, quia Ecclesia non potest supplere iurisdictionem, neque personam iure diuino inhabilem facere habilem, Ecclesia enim solum supplet potestatem, & incapacitatem inductas iure humano, Alterius *tom. 1. de censur. lib. 2. disp. 2. c. 2.* Malcardus *concl. 649. num. 29.* Bonac. *disp. 1. de elect. q. 2. num. 3. Ego cap. 2. q. 56.* Non nego Papam de plenitudine suæ potestatis posse aliquid committere iurisdictionis mulieri, quod iure diuino non supponat ad sui valorem ordinem in agente. Idem dic de electo nolente recipere Sacerdotium & Episcopatum, vt dixi supra n. 85. 95

Secundus, stulti, & amentis electio nullius est momenti iure naturæ, diuino, & humano. Probatur, 96
Tum quia, ad valorem electionis requiritur consensus electi ex cap. Quam sit 6. de elect. in 6. *Tum quia*, est quoddam spirituale matrimonium, quod consensu perficitur, amens autem caret vsu rationis, & consensu, ergo amens in Papam eligi non potest. Si quis tempore stultitiæ eligeretur in Papam, & postea fieret compos mentis suæ, consentiendo in electionem, teneret electio, sicut electio eius, qui dormit, eam ignorans, valida est in seipsa, & perficitur per superuenientem consensum, ad valorem enim electionis non est necessarius vt electi consensus accedat tempore electionis, sed sufficit, quod post modum superueniat, 97
vt res clara est in absentibus electis, qui post notitiam de sua electione consensum præbent.

Nulla ætas designatur, quare ætas Sacerdotij videtur sufficere, vt quis possit eligi in Papam, sufficit 98
enim, vt paulo post consecrari possit in Sacerdotem, & Episcopum; fertur autem nonnullos, qui nondum tetigerant annum suæ ætatis trigesimum, fuisse assumptos ad Papatum.

Tertius, nondum baptizatus inualide eligitur. Probatur, *Tum quia*, de valore electionis est, vt vnum ex 99
membris Ecclesiæ actu existens tale assumatur in caput, eiusdem enim rationis sunt caput, & membra eiusdem corporis Ecclesiæ; sed homo nondum baptizatus nullo modo est membrum Ecclesiæ, ergo nec caput illius esse potest. *Tum quia*, nondum baptizatus est omnino incapax spiritualis potestatis, cum ad hanc homo fiat capax per baptismum, cap. Veniens 3. de Presbytero non baptiz.

Quartus, electio facta successoris per prædecessorem, nullius est momenti, ex probatis q. 17. 100

Quintus, electio hæretici ipso iure est nulla. Probatur, *Tum quia*, ille non potest esse caput Ecclesiæ, 101
quod illius non est actuale membrum illi vnitum, omnia enim membra, inter quæ caput principaliter connumeratur, vnita sunt corpori, adeo quod membra præcisa æquiuoce sunt tantum talia nomine; sed hæreticus est membrum non solum putridum, sed etiam præcisum à corpore, cuius alias erat, ex probatis *cap. 1. quæst. 24.* Ergo non potest eligi in caput, cum non possit vniri corpori. *Tum quia*, ex Bulla 3. incip. *Cum tam diuino*, Iulij II. Statuitur nulla electio Simoniace facta de Papa, ac si esset electio Papæ hæretici, ergo à fortiori irrita est electio hæretici.

Quamuis occulti hæretici electio ex parte rei sit nulla propter allatam rationem, quia non est mem- 102
brum Ecclesiæ, nec caput reuera vnitum corpori, nihilominus, quia non potest Ecclesia iudicare de occultis, ideo hæreticum in Papam electum pro vero Pontifice tenet, & habet, ex eo quod credit illum fidelem esse, ac proinde esse personam aptam ad hanc dignitatem, & illius munus exequendum; & cum hoc caput Ecclesiæ sit necessarium, Deus, qui in necessariis non deest maximè Ecclesiæ, confirmabit illum pro vero Pontifice. Sed hæc speculatiuè recipiantur,

piantur, & ex ſuppoſitione, nam puto, Deum nunquam permiſſurum, vt Eccleſia gubernetur per Vicarium hæreticum,ſiue ante,ſiue poſt electionem, vt infra ſub quæſtione 35. & ſequentibus latius patebit.

Sextus, electio ſecuta per Simoniam commiſſam vel ab electoribus, vel ab electo, eſt inualida ex Bulla 3. incip. *Cum tam diuino*,Iulij II. Aliqui probabiliter requirunt notorietatem Simoniæ.Vide Bonacin. diſp.1.de elect.q.2. §.Vn.

Septimus,electio facta extra conclaue,vel intra ſed nondum clauſum eſt ipſo iure nulla, ex Bulla 13. incip. *Æterni patris*, Gregorij XV. §.19. *de qua* Bonac. *q*.3.

Octauus, electio per metum grauem incuſſum ad hoc ab homine ad eligendam certam perſonam perſonam eſt nulla,ex cap.Vbi periculum 3.de elect.in 6. illis verbis: *Ceſſat electio,dum libertas admitur eligendi*. Clarius in Concilio Conſtantienſi ſeſſ.19. Metus debet eſſe notus omnibus Cardinalibus. Bonacin. *q*.1. *p*.2.

Nonus, electio facta per adorationem, nulla eſt, quia in Gregoriana præcipitur ſub nullitate, vt nullo alio modo fiat,quam per ſcrutinium ſingulorum, vel per compromiſſum, vel quaſi inſpirationem per verbum, vel ſcriptum *Eligo*. §. 19. Bonacina quæſt.5. num.6.

Decimus, electio aliter facta quam per vota ſecreta eſt nulla, ex eodem §. 19. Gregorianæ Bullæ, intellige quando fit per ſcrutinium ſingulorum, aut compromiſſum,non vero per quaſi inſpirationem,vt colligitur ex textu eiuſdem §.19. Bonacina *quæſt*. 5. *num*.4.

Vndecimus, electio eſt nulla, quando in eadem ſchedula plures nominantur, ſi ex eo ſuffragio completur electio,non autem ſi ſuperſit. ex §.11.eiuſdem Bullæ.

Duodecimus, electio eſt nulla, quando vnus elector ſuffragatur eidem perſonæ in ſcrutinio,& acceſſu, ſi in eo compleatur, ex §.8. ibi tamen non exprimitur decretum irritans.

Tertius decimus, electio nulla eſt,ſi compromiſſarij non ſeruent formam,ex §.19.

Decimus quartus, electio nulla eſt per inſpirationem facta, ſi præceſſit tractatus de ſpeciali perſona; item ſi non adeſt conſenſus omnium per verbum *Eligo* expreſſum ore,vel ſcripto à non valentib. loqui,ex eodem §.19.

Decimus quintus,electio eſt nulla, ſi inter ſchedulas ſcrutinij nulla reperiatur iiſdem ſignis notata,quibus ſchedula acceſſus ſignata erit ex §. 8. Intellige ſi ex eo compleatur electio.

Decimus ſextus,electio eſt nulla,quando eligendus ſibi ipſi ſuffragatur,ex eodem §.19.

Decimus ſeptimus, nulla eſt electio vxorati, ex quæſt. 12.

103 Decimus octauus, electio Papæ facta per alios vocales, quam Cardinales eſt nulla, quia Bullis Pontificiis,quas de hac materia colligit Lauor. à fol.518. ad quos tantum electio reſtringitur, ergò alij attentantes nihil faciunt, cum iure, & poteſtate careant. Excipitur caſus alicuius magni ſchiſmatis, ſi congregatum eſſet Concilium,vt contigit in Conſtantienſi, vbi Cardinalibus adiuncti fuerunt pro vocalibus Prælati nationum de conſenſu eorumdem Cardinalium; adeo quod in ſimili caſu vel ſchiſmatis, vel diſcordiæ in eligendo nouo Paſtore Cardinales poſſent ſibi alios adiungere ad ſedandam diſcordiam.

Quæres 22. An Pontifex Romanus ſuccedat Petro in Papatu?

104 ℞. Pontifex Romanus pro tempore ſuccedit alter alteri,& omnes Petro ſecundum viciſſitudinem temporum. Ita docent omnes Sancti Patres, Theologi, Canoniſtæ,& Hiſtorici. Adducam auctoritatem duorum Sanctorum Patrum Optati Mileuitani Epiſcopi, lib.2. contra Parmen. & D.Auguſtini Epiſt.165. ad Generoſum eiſdem verbis: *Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus*. Pro nunc non curo de ordine,ſed tantum de ſucceſſione, quod facit ad præſens. Anacletus in ſuis Epiſt. 1.& 3. Clementem vocat ſuum prædeceſſorem.Confirmatur ex definitione ſucceſſionis, nam ille dicitur 105 ſucceſſor alterius, cui ſuccedit in omne ius, quod competebat anteceſſori præmortuo ratione rei,in qua ſuccedit,vnde *in cap. Aduerſus 7. de immun.* Dicitur ſucceſſor in honore, & onere,quia eaſdem contrahit obligationes reales,quas habebat anteceſſor,vnde ſucceſſor fungitur eodem officio, quo vtebatur prædeceſſor,*Gloſſ v. ſuccedat cap.Paſtoralis 11.de off. ordin.* vbi dicitur,quod ſuccedit in locum,& ius præmortui, *l.138. ff. de reg. iur.* reputatur quoque eadem perſona cum prædeceſſore *Gloſſ. v. vixeris cap. Significauit 36. de reſer.gl.v.contra ea. Dilecti 17. de foro compet.* Quis autem poteſt ſuccedere alteri quatuor modis, 106 iure ſuitatis, quo neceſſarij hæredes ſuccedunt deſcẽdentes,& aſcendentes per rectam lineam, & alij, de quibus Inſtit.tit.de hæredum qualit.& different.quod non facit ad rem noſtram, ſecundo iure inſtitutionis, de qua re in inſtituta pluribus titulis. Tertiò iure belli,quomodo Imperator dicitur ſuccedere &c. Succeſſio in his verſatur circa poteſtatem temporalem, & bona temporalia,de quibus non agimus, ideo quarto modo quis dicitur ſuccedere in dignitate, & iuriſdictione titulo electionis, in quo ſenſu ſucceſſor dicitur quaſi hæres prædeceſſoris, *cap 1. de ſolut. vbi gloſſ.v. prædeceſſoris, cap. Conuentor 23. quæſt.8. cap. fin.22. quæſt.2.* Ad ſimilitudinem ſucceſſoris in bonis temporalibus; ſed vnus Pontifex alteri ſuccedit ſecundum viciſſitudinem temporum, & omnes honorem, & poteſtatem Petri acquirunt in ſua electione, ergo ſunt veri ſucceſſores Petri,& alter alteri, nam à Deo ſucceſſiue ſingulis communicatur dignitas, & auctoritas ſuprema, quam Chriſtus immediatè contulit Petro,ergo omnes ſibi inuicem ſuccedunt, & Petro, à quo initium habuit Pontificium in Eccleſia per Chriſtum Dominum, qui iuſſit huiuſmodi ſucceſſionem in Eccleſia in futurum eſſe conſeruandam vſque ad conſummationem ſæculi.

Hæretici negant Pontifices Romanos ſuccedere 107 Petro in Papatu,inter quos fuit M. Antonius de Dominis à Becano pulſatus *in Opuſc.de Republ.Chriſtiana lib. 3. cap.3.*

Probant primo ſuum errorem,quia nulli Apoſtolo datur ſucceſſio perſonaliter pro ſua ſingularitate, ergo neque Petro.

Contra eſt primo, quia Iacobo Ieroſolymis ſucceſſit Simon Cleophæ filius ex Euſebio lib.3. Hiſtor. cap.11. ſi fuit Apoſtolus, quod negaui cap.3. n.11. reſponſio hæc procedit fauore aliorum contra hæreticum. Secundo, Apoſtolis non erat neceſſarius particularis Epiſcopatus loco reſtrictus,quia per vniuerſum mundum ituri erant ad prædicandum ex conditione Apoſtolatus, adeo quod in nullo loco debebant firmiter reſidere, aliter non poterant ſatisfacere muneri ſuo, quoniam autem Eccleſia indigebat certo capite, qui loco inuariabiliter cognoſceretur à tota Eccleſia, ideo Chriſtus Petro vti capiti Eccleſiæ tandem moriturus declarauit, ipſum Romæ eſſe moriturum Epiſcopum Vrbis & Orbis, vt inde eius ſucceſſores ſine confuſione ab omnibus agnoſcerentur, & hæc eſt cauſa, cur illi ſoli in fine aſſignatus fuit locus, à quo denominarentur illius ſucceſſores caput totius Eccleſiæ proinde dictæ Romanæ ab vnitate, & vniuerſitate capitis ſuper omnia membra. Merito Chriſtus

stus Petro, & successoribus Romam assignauit, quia sicut tunc Roma vrbs omnium vrbium, & orbis dominabatur vniuersum mundum, ita congruum fuit, vt illi præsideret nouus Rex, & Imperator à Christo immediate electus, qui totum orbem terrarum regeret.

Probant 2. Omnes Episcopi in solidum sunt successores omnium Apostolorum etiam Petri, ex Leone Serm. 3. de sua assumpt. ibi: *Ecclesiasticam potestatem, quam Petrus habuit ad omnes Ecclesiæ Principes id est, Episcopos commeasse.*

Contra est, quia antecedens omnino falsum est, nam primo impossibile, quod omnes Episcopi coniunctim possint exercere officium, omnium, id enim arguit magnam confusionem. *Secundo*, singuli Episcopi singulis Ecclesiis præsunt, ad euitandam confusionem, quod signum est, Apostolos, quibus cura erat prædicandi peragrando vniuersum orbem, ex quo non poterant residere in particularibus Ecclesiis, instituisse singulis Ecclesiis singulares Episcopos, vnde Paulus Timotheum ordinauit Episcopum Ephesinæ Ecclesiæ Policarpus à Ioanne Apostolo præfectus fuit Episcopus Ecclesiæ Smirnensi. Apollinaris à Principe Apostolorum ordinatus fuit Episcopus Rauennæ. Dionysius Areopagita ab Apostolo fuit consecratus Episcopus Atheniensium. Titus ab eodem Episcopus
108 Cretæ fuit initiatus. *Tertio*, Pontifices Romani dicuntur vocati in plenitudinem potestatis, Episcopi vero in partem solitudinis, cap. Multum 8. 3. q. 6. cap. qui se scit 12. 2. q. 6. cap. Ad honorem 4. de auctor. ergo Episcopi non sunt in solidum, & ad plenum successores Apostolorum. *Quarto*, clausula: *In soli-*
109 *dum* facit, vt quilibet ad totum teneatur. *Marta claus.* 288. Rota apud Zachiam post *tract. de obligat. Cameral. decis.* 21. *n.* 2. *decis.* 23. *n.* 3. Ergo quilibet Episcopus tenetur prædicare omnibus gentibus per vniuersum orbem peragrando, vt fecerunt Apostoli, quod tamen nullus eorum vnquam fecit, ergo in solidum Episcopi non successerunt Apostolis. *Quintò*, sicut duo, aut plures in solidum non possunt esse domini eiusdem rei *l sicut certo §. Si duobus vehiculum ff. commod.* ita neque plures Episcopi possunt esse successores in solidum Apostolorum.

Et ex his patet responsio ad auctoritatem à Dominis allatam ex S Leone, sibi enim ipsi respondit loco citato cap. Multam 8. 3. q. 6. Ecclesiasticam potestatem, quam Petrus habuit plenitudinis, ad omnes Ecclesiarum Episcopos commeasse in partem solicitudinis, non in plenitudinem, neque in solidum. Imò ex auctoritate Aduersarius contra se infert supremam potestatem in Petro, & eius successoribus extare in illis cum communicatione ex parte Episcopis subiectis.

Probant 3. Tempore Apostolorum nulla Ecclesia habuit proprium Episcopum, sed plures Ecclesiæ regebantur in solidum ab eodem Episcopo, ergo Pontifex Romanus non potest dicere, se esse successorem alicuius specialis Apostoli in particulari loco.

Contra est, quia ex præcedenti responsione sub §. Secundo, constat tempore Apostolorum singulares Ecclesias proprios habuisse Episcopos, Ierusalem Iacobum fratrem Domini; Ephesinam Timotheum; Cretensium Titum, Antiochenam Zachæum, Euodium, deinde Ignatium; Alexandrinum Marcum Euangelistam, cui successerunt, Anianus, & postea, Abilius, ex Epist. 3. Anacleti, tom. 1. Concil. Potest ergo Romanus Pontifex iure dicere se esse successorem particularis Episcopi, & Apostoli Petri, qui fuit singularis Episcopus Romæ.

Probant 4. Petrus eo modo fuit Episcopus Romanus, quo Antiochenus, ergo nulla est maior ratio, qua Episcopus Romæ dicatur illius successor, & non Antiochenus, cum Petrus vtrobique fuerit Episcopus.

Contra est, quia licet verum sit, quod Petrus fuerit Episcopus vtriusque Ecclesiæ Antiochenæ, & Romanæ, sed diuersimode tamen, nam relinquendo Antiochenam renuntiauit illi loco, non vero Episcopatui, sed secum Romam transtulit, vbi per mortem Christo mandante fixit suum Episcopatum inuariabiliter, ideo ius successionis Romæ mansit, non Antiochiæ, quæ tempore mortis Petri non vacabat, sicut Romana, consequenter ius successionis remansit tantum in Romana, quæ tunc vacabat, in quam transtulit immobiliter Episcopatum, & Papatum.

Probant 5. Si Episcopus Romæ est specialis successor Petri, sequitur quoque Petrum fuisse specialem Episcopum Romanæ Ecclesiæ, non totius vniuersalis Ecclesiæ, quod est absurdum,

Contra, quia falsum est, ex eo, quod Petrus fuit Episcopus specialis Ecclesiæ Romanæ, tolli non fuisse etiam talem vniuersalis Ecclesiæ Romanæ, nam Ecclesia Romana dupliciter spectatur, primo vniuersaliter pro collectione omnium fidelium nulli nationi restricta; secundo specialiter, & localiter pro collectione fidelium Romæ existentium, iuxta quod latius dixi cap. 1 quæst. 35. num. 156. Respectu vtriusque Petrus fuit Episcopus Romanæ Ecclesiæ vniuersalis, & specialis, vniuersalis quidem quia secum semper coniunctam habuit Pastoralem curam à solo Christo dependentem omnium; specialis vero & Romanæ localis, quia ibi sedem fixit ex speciali mandato Dei, eam consecrando pro se, & suis successoribus in perpetuum. Videtur id explicari posse in Metropolitano, nam is est Episcopus specialis, & generalis simul in eo quod est Metropolitanus, nam dicitur Episcopus specialis vnius Ecclesiæ v. g. Bononiensis, cui præficitur immediatè; generalis vero respectu Ecclesiarum suffraganearum, quibus præest per Episcopos suffraganeos sibi subiectos. Pari ratione Pontifex Romanus est, vt ita dicam, Metropolitanus totius orbis, & Vrbis, respectu Vrbis dicitur specialis Episcopus, quia per seipsum Romanam Ecclesiam immediatè regit, totius vero orbis Pontifex, quia Pontificatum exercet etiam per Episcopos, quos habet in partem solicitudinis coadiutores.

Probant 6. Disputatur, an Pontifex debeat eligi à clero tantum Romano, an vero ab vniuersali Ecclesia, vel generali Concilio, si à clero, tantum Romano, iam non eligitur vt caput vniuersalis Ecclesiæ, si ab vniuersa Ecclesia, iam non eligitur vt Episcopus Romanus, & Petri successor, nam vniuersalis Ecclesia potest eligere, quem vult, non alligando illum huic, vel illi particulari Ecclesiæ.

Contra est, à quocumque eligatur Pontifex Romanus, censetur electus in Pastorem vniuersalis Ecclesiæ, & vt successor Petri in Ecclesia Vrbis. Nec controuertitur, à quo eligendus, quia extra controuersiam est, ipsum eligi tantum à Cardinalibus, iuxta dicta superius quæst. 13. & 14. qui in hoc repræsentant totam Ecclesiam vniuersalem in Romana.

Probant 7. Quia nullus illorum, qui hactenus electi fuerunt in Papam, fuit Episcopus Romæ, sed vel Episcopus alterius Ecclesiæ, vel nondum Episcopus: ergo Episcopus Romæ non est successor Petri, imò prius fit Papa, deinde Episcopus, vt patet in iis, qui nondum Episcopi, imò nec Sacerdotes eliguntur in Papam.

Verum quidem est, quod nullus eorum, qui hactenus electi fuerunt, imò & in futurum eligentur, erat ante electionem Episcopus Romæ, quia duo Episcopi simul eandem sedem occupare non possunt, neque facere Ecclesiam monstruosam & duplici capite, sed per electionem quilibet iam Episcopus Romæ,

&

& successor Petri, vel si assumptus nondum est Episcopus fiat per consecrationem; iam per electionem Canonicam à Deo creatus Papa, quod non repugnat Papatui, qui Sacerdotium, nec Episcopatum de necessitate supponit. Eliguntur ergo, vt fiant Episcopi Romæ per diuinam dispositionem, non enim possunt esse, antequam eligantur, & fiant, si enim essent, verum esset illos eligere ad id quod iam sunt, ridiculum ergo est argumentum.

Quæres 23. An sit de iure diuino, an humano tantum, quod Pontifex Romanus succedat Petro, & non alius?

110 ℞. Iure diuino Pontifex Romanus, & non alius, succedit Petro in Pontificatu. Id probaui pluribus cap. præced. quæst. 28. ea Ratione, quia in Papatu Petri tria spectantur, eius institutio, successio, & talis successio, quæ à Christo stabilita fuerunt, cum dixit Petro: *Pasce oues meas*, tunc enim Pontificatus fuit institutus, & Petro traditus, sciebat autem Christus, quod Petrus non erat victurus vsque ad finem sæculi, sed moriturus tempore suo, ideo hanc dignitatem Papatus instituendo simul quoque voluit eam permanere in successoribus, ne Ecclesia visibilis sine visibili capite aliquando maneret, & sic Papatui simul adiunxit successionem ex natura rei, quoniam autem successio ex sua conditione est vnius personæ ad aliam in aliqua re determinata loco, & tempore, ideo simul & semel cum institutione sine dubio determinauit locum certum, ne caput Ecclesiæ tanquam incertum, vagaret, ac proinde ab initio voluit, vt esset vrbs Romana, quod occultum tandem Petro morti proximo declarauit, vt latius docui præced. cap. quæst. 28. Ex his ergo patet hanc specialem successionem Vrbis Romanæ esse de iure diuino.

Quæres 24. An sit de fide Romanum Pontificem, & nullum alium succedere Petro?

111 ℞. Affirmatiuè, quod definitum fuit in Concilio Florentino his verbis: *Et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum.* Quam definitionem ampliorem habes supra q. 7. cum auctoritatibus Sanctorum Patrum.

Quæres 25. An Pontifex Romanus alio sedem transferre possit? Ratio dubitandi est, quia Petrus eam Romæ fixit de præcepto Dei, ergo facto humano alio transferri non potest, antecedens probatum fuit præced. cap. q. 28.

℞. Papa Sedem Romanam mutare non potest in aliam, locum vero mutare potest transferendo curiam, & habitationem suam in aliam ciuitatem, vbi nihilominus diceretur Romanus Pontifex residere, & ibidem curia diceretur Romana esse.

112 Prima pars de immutabilitate sedis patet ex eo, quod Christus voluit, & expressè se declarauit, vt sedes Petri, & eiusdem successio limitaretur ad Ecclesiam Romanam, vt probatum fuit *hic q. 23. & cap. præced. q. 28.* Sed quod Christus facit, & iubet permanere, ab homine etiam Pontifice mutari non potest, ergo Papa non potest mutare sedem Romanam in aliam. Nec valet dicere, Petrus sedem Antiochenam mutauit in Romanam, ergo idem facere potest successor in Romana, cum non sit minoris potestatis, quam fuerit Petrus. Nam id fuit decretum Domini, vt mutaret Antiochenam in Romanam immobiliter, præterquamquod Petrus respectu Antiochenæ non habebat à Christo speciale præceptum conseruandi ibi Cathedram, sicut habuit eandem figendi immobiliter Romæ, ideo sicut Petrus eam remouere non poterat, neque aliquis eius successor.

113 Secunda pars de translatione, curiæ sine mutatione sedis constat exemplo Clementis V. electi ab anno 1305. Qui Perusiæ creatus abiens Lugduni ad se illuc Cardinales vocauit, & curiam transtulit ad Gallos, apud quos Auenione, & alibi mansit per annos septuaginta, septem Pontificum, nempe Clementis V. prædicti, Ioannis XXI. alias XXII. Benedicti XI. alias XII. Clementis VI. Innocentij VI. Vrbani V. & Gregorij XI. qui curiam reportauit Romam Idibus Ianuarij 1377. quam eo die cum summa omnium exultatione ingressus fuit. Id totum confirmatur ex Bullis Pontificiis in Francia expeditis, in quibus illi Pontifices se Romanos vocabant cum sua curia, & sede, non vero Auenionenses, nec Lugdunenses Pontifices. Vbicumque ergo moratur Papa, vel quocumque vadit suis ossibus adnexam habet sedem Romanam, quam à se auellere non potest, illi affixam à Domino, vnde solet dici: ibi est Roma, vbi est Papa.

Quæres 26. An Pontifices Romani Petro succedant in persona, & doctrina? Ratio dubitandi est, quia hæretici nonnulli asserunt, Romanos habere successionem personæ, non vero doctrinæ.

℞. Romanam Ecclesiam in vtroque succedere Petro. Probatur, *Tum quia* in suo capite legitimo seruat personam, & doctrinam, quam ipse Petrus à Christo accepit, & quod semel definitum fuit, nunquam est mutatum, ergo Ecclesia Romana habet successionem personæ in Romanis Pontificibus, & doctrinæ, quam sequitur in vniformitate dogmatum, quæ nunquam mutauit. *Tum quia* Hæretici concedunt Romanam habere successionem personæ, ergo sequitur, quod habeat quoque successionem doctrinæ, licet ipsi id falso negent, nam persona non sequitur doctrinam, sed è contra doctrina sequitur personam, nam doctrina semper est eadem, & persona variatur vicissitudine temporum per mortem Pontificum, & vnus Pontifex alteri non contradicit in dogmatibus fidei, cum vna sit fides omnium, ergo sequitur personam. 114

Quæres 27. An Pontifex Romanus dicatur successor Petri, an solum eius Vicarius, sicut dicitur Vicarius Iesu Christi?

℞. Quilibet Pontifex Romanus pro tempore existens dicitur successor, non Vicarius S. Petri, bene vterque Vicarius Iesu Christi. Primùm, quod nullus Pontifex respectu alterius prædecessoris aut Petri dicatur Vicarius, sed tantum successor, probatur ex definitione vtriusque nam ille dicitur successor, qui mortuo succedit, qui parem cum illo potestatem habet, qui ordinarius dicitur, qui nomine proprio, seu ex officio suæ dignitatis operatur, adeo quod ille dicitur successor, qui per successionem acquirit quicquid habebat, & eodem modo, quo præcessor ante acquisierat, & habebat. Vicarius vero est ille, qui non succedit, sed vices gerit eius, qui adhuc viuit, ac proinde nec parem cum eo potestatem habet, neque propriè ordinarius dicitur, consequenter non dicitur agere nomine proprio, nec ex officio, sed nomine alterius, qui illi potestatem communicauit, communicans dignitatem dicitur ordinarius, Vicarius vero, cui communicatur dicitur delegatus respectu illius; successor autem communicatam non habet potestatem à prædecessore, quia iam mortuus est naturaliter, vel ciuiliter, ideo successori potestas confertur vel à superiore defuncti, vel à iure, vel à collegio, seu vniuersitate. Sed Pontifex Romanus quilibet, mortuo succedit, parem dignitatem cum prædecessore habet, ordinarius est, proprio nomine, & suo officio agit, & non gerit vicem alterius, nec imparem habet potestatem, nec delegatus est, aut alieno nomine operatur, ergo est successor, non Vicarius Petri. Confirmatur, quia Vicarius instituitur ab eo, cuius est Vicarius, ac proinde simul cum eo coëxistit, sed nullus Pontifex institutus fuit à Petro, neque illi conuixit in Papatu præter Clementem ex speciali Dei prouisione, ergo nullus est Vicarius Petri, Vicarius enim Vicarium 115 116 117

carium non constituit capite Clericos 4. de off. Vicar.

Posterius, quod omnes Pontifices, & Petrus sint Vicarij Iesu Christi, Probatur, quia omnes vices gerunt Christi in terris, à quo viuente instituuntur, id enim est proprium Vicarij, vt simul coexistat cum eo, à quo instituitur. Ita Eug. IV. Bulla 17. Sixtus V. Bulla 50.

Dices, multi ex sanctis Patribus, in Conciliis, Bullis, & Pontificali Pontifices vocantur Vicarij Petri, & in Decreto, Gratiani cap. Ego Ludouicus 30. dist. 63. sic habetur: *Tibi beato Petro Principi Apostolorum, & per se Vicario tuo domino Paschali summo Pontifici.* Quæ verba repetuntur cap. Quoties 9. 1. quæst. 7. Respondetur, hæc & alia testimonia vocantia Pontificem Vicarium Petri, sumunt hanc vocem, *Vicarius*, impropriè, ac si dicerent, *Successor*, Gl. v. Vicarium Clem. vn. de iureiur. quia certum est apud omnes, Verbum *Vicarius* ex sua innata significatione deducta etiam ex etymologia vocis, significare illum, qui vices
118 alterius agit, & non proprias, vt importat verbum successor, qui vices suas agit, Vicarius igitur idem est, quod vices agens alterius. Pontifex igitur vocatur Vicarius Christi, & successor Petri, ita loquuntur moderni Pontifices sæpe vide Bullam 17. Eugenij IV. Bullam 50. Sixti V. & aliorum, Antiquitus non multum curabant de significatione verborum, cum certam notitiam habebant de rebus, Sed nunquid antiqui libri sunt emendandi delendo dictionem *Vicarius*, & apponendo in eius locum vocem, *Successor*, Nequaquam, quia hæretici Ecclesiasticos taxarent de ignorantia, & adulteratione scripturararum, & dogmatum Sanctorum Patrum. Remanet ergo, quod similia verba improprientur in suis significationibus, nam id licitum est in quolibet iure, verba enim impropriantur, vt rei veritas habeatur, & vt euitentur
119 absurda, Panorm. *in cap. Pastoralis, de appell. num. 2.* Archid. *in cap. 1. 14. q. 1.* Megal. *consil. 15. num. 3.* & quandoque idem verbum proprie, & improprie accipitur ad veram intelligentiam materiæ, *Gl. v. Legauit cap. 18. de testam.*

Quæres 28. An quæ Christus dixit de Petro in ordine ad Papatum, intelligantur dicta de eius suc-
120 cessoribus Pontificibus Romanis? Petrus spectari potest dupliciter, *primo* ratione suæ personæ, sub qua Christus e.g. vocauit eum Satana, quia volebat impedire eius passionem. *Secundo* ratione officij, vt Papa, & vt persona publica, & caput Ecclesiæ, & in hoc sēsu currit quæstio, an scilicet, quæ Christus dixit Petro Pontifici futuro, seu in actu intelligantur concessa, & dicta omnibus eius successoribus: Christus autem Petro ratione officij dixit primo Matth. 16. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorũ, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram erit solutum & in*
121 *cælis.* Hæc sunt quatuor priuilegia Petro concessa, primum de Petro spectat præcisè ad eius Apostolatum, reliqua tria de firmitate Ecclesiæ, de clauibus, de potestate ligandi, & soluendi referuntur ad Papatũ eius. Quintum priuilegium de indeficientia fidei, Lucæ 22. 32. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Subiungitur immediatè sextum. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Septimum denique Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Per quod compleuit Christus promissionem: *Et tibi dabo claues regni cælorum,* traditione earum, per quas significatur collatio dignitatis Papatus cum suprema potestate,
122 ℞. Quicquid à Christo dictum fuit Petro vti personæ publicæ ratione Papatus, & Episcopatus respectu prædictarum prærogatiuarum excepta prima, intelligitur dictum de omnibus Romanis Pontificibus illi legitime succedentibus. Probatur auctoritate Patrum. Anacletus Papa temporibus Apostolorum viuens à S. Petro Sacerdos ordinatus in sua 3. Epistola, relatus cap. 2. dist. 22. id docet his verbis: *Principatum teneret Apostolatus, qui etiam eandem formam suis successoribus tenendam reliquit.* Innocent. IV. in Concil. Lugdunen. relatus cap. Ad Apostolicæ 2. de sent. & re iud. in 6. *Nobisque in beati Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaueris, &c.* Cap. Solitæ 6. de Maior. *Nobis enim in beato Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas* Et paulo infrà. *Quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius.* D. Ambrosius tract. 118. in cap. 19. Ioan. *Tibi dabo claues regni cælorum, tanquam ligandi, & soluendi solus acceperit potestatem, cum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius vnitatis acceperit, ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus.* Idem de Agone Christiano cap. 30. *Huic enim Ecclesiæ claues regni cælorum datæ sunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me? Pasce oues meas.* Referuntur ergo ea verba Petro dicta ad omnes eius successores. Probatur etiam ratione, tum ex perpetuitate dignitatis, cum enim Petrus vsque ad consummationem sæculi non esset victurus, Christus illi prædicendo indeficientiam fidei, firmitatem Ecclesiæ, confirmationem fratrum, & tandem tradendo claues, & illum obligando ad pascendum oues post eius mortem etiam victuras, ac proinde, quæ continue vsque ad finem mundi egerent spirituali pabulo, hæc omnia præscripsit, iussit, & tradidit in persona Petri successoribus illius, nullibi enim in sacris scripturis aliquid legitur pro successoribus Petri, ergo Christus prædicta dixit etiam pro successoribus Petri. Tum ex titulo successionis, de cuius actione est, vt subrogatus acquirat cum dignitate omnem potestatem, quam habebat antecessor, cum quo in omnibus comparatur, ergo omnia priuilegia à Christo data Petro, intelliguntur concessa, & extensa ad eius successores, ac si illis immediate dicta fuissent. Vide Bellarmin. *lib. 2. c. 12.* Salelles *p. 1. Regul. 65. n. 262.*

Deducitur ex his Pontifices Romanos à Christo immediate recipere omnem potestatem, quam Christus Petro dedit, tum ex perpetuitate dignitatis, tum ex successione, ratione cuius dignitas transit cum omnibus suis iuribus, & conditionibus *Confirmatur*, Tum quia is, qui succedit in ius alterius, vtitur eodem iure, 123
quo ille, Reg. 46. in 6. Reg. 138. ff. de Reg. iur. *Tum quia*, subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, *l. Si eum §. qui iniuriarum ff. si quis caut.* 124
Anchar. *consil.* 421. Vbi hanc regulam vocat Magistralem; sed Pontifex Romanus subrogatur in locum Petri, ergo eandem acquirit potestatem, quam Petrus habuit à Christo cum omnibus suis priuilegiis.

Quæres 29. An Potestas Pontificia dicenda sit ordinaria, an delegata in Pontificibus Romanis etiam Petro? Pro resolutione huius quæstionis vide quæ dixi c. 2. à n. 38. de vtraque potestate.

℞. Potestas Pontificia proprie dicenda est ordinaria in Petro, & omnibus eius successoribus, quocumque modo spectetur, siue respectu Christi conferentis illam, siue respectu subditorum, pro quibus exercetur. Probatur, quia illa potestas est ordinaria, quam in- 125
stitutus exercet ex officio, & nomine proprio, in eodem perpetua ex perpetuitate dignitatis, sed talem habent Pontifices, quam exercent ex officio sui Papatus, nomine proprio, ergo habent ordinariam. *Confirmatur*, quia ex eo, quod illam immediate recipiunt à Christo, non sequitur, eam esse 127
delegatam, & non ordinariam, quia aliter sequeretur, nullam potestatem esse ordinariam in mundo, & quia omnis potestatis à Deo est, & quia omnis

potestas iurisdictionis à Pontifice Romano prouenit, etiam Episcoporum, quorum tamen potestatem nemo hactenus vocauit delegatam, ergo potestas ordinaria dicitur etiam respectu eius, à quo recipitur, omnis enim potestas ab alio est, ergo si aliqua potestas est ordinaria, talis est, licet ab alio proueniat.

Dices, omnes Pontifices cum Petro dicuntur Vicarij Iesu Christi, ex probatis hic quæstione 27. Vnde & dicuntur vices Dei in terris gerere, cum ergo sint Vicarij Iesu Christi, non possunt esse ordinarij, neque proinde habere potestatem ordinariam.

128 Respondetur, Vicarius perpetuus dicitur ordinarias Gloss. v. Et iurgia capite 1. distinctione 25. Virius Generalis Episcopi, cum quo facit vnum tribunal est ordinarius, & habet potestatem ordinariam in tota Diœcesi, Sbrozius *libro secundo, de officio Vicar. quæstione 55. numero nono*, Pontius de Matrimonio, *libro quinto, capite vndecimo*, Bossius de Iubilæo *sect. 3. casu 2. numero 60.* Vicarius non succedit Vicario, quia non habet successorem, Genuensis in sua praxi Neapolitan. capite 69. Initio; neque
129 Vicariatus est dignitas ex natura rei, ita Butrius, Abbas, Felin. & alij, apud dictum, nisi stilus aliud suadeat, Acchiles de Grassis *decis.* 3. Ergo & Pontifex, esto dicatur Vicarius Christi, est ordinarius, & habet potestatem ordinariam: & ex eo quod vices Christi gerit, non sequitur, ipsum non agere nomine proprio, auctoritate propria, ex officio suo, sed vtique agit auctoritate propria hoc ipso, quod agit ex dignitate sui Papatus sibi proprij ex diuina institutione facti, in qua potestas ordinaria radicatur, adeo quod vices Christi dicitur agere ex propria dignitate, & potestate sibi traditis, ad differentiam delegati, cui non confertur, sed tantum communica-
130 tur nuda potestas sine dignitate, per quod dicitur agere nomine delegantis, in quo residet dignitas fundamentum potestatis. Itaque Papa gerit vices Dei, sed nomine, & potestate propriis ex dignitate sibi collata.

Obiicies, sancti Patres, & Pontifices passim in suis decretalibus, & Bullis potestatem Pontificiam vocant delegatam, Leo IX. Bulla 1. in Bullario Nouo inquit: *Quia Auctore Deo sic nobis vnius Ecclesiæ cura specialiter est commissa, vt per dignitatem sedis Apostolicæ etiam cæterarum Ecclesiarum Generalis sit prouisio delegata, nostro competere videtur officio.* Sed hæc & similia non obstant, quia verbum delegationis impropriè sumitur, & cum ordine ad conferentem dignitatem, ad quam consequitur potestas, igitur verbum illud *delegata*, idem importat, quod verbum *collata*, seu tradita potestas.

Quæres 30. An morte Pontificis collegium Cardinalium succedat in potestatem, & iurisdictionem Pontificiam, eo modo proportionaliter, quo Capitulum Cathedralis succedit Episcopo prædefuncto?

131 ℞. Negatiuè. *Tum quia*, potestas Papalis ita singularis est, & specialiter priuilegiata, vt non possit transire ad quemquam, sed cum Pontifice extinguitur. Ergo Collegium Cardinalium illi non potest succedere. *Tum quia*, potestas hæc à Deo immediatè confertur non cuilibet, sed tantum singulari personæ per Cardinales electæ, ergo Collegium non potest succedere, cum illi vti corpori politico non conferatur, cum non sit persona singularis. *Tum quia*, successor reputatur eadem persona cum antecessore, cum quo parem habet potestatem iurisdictionis; Collegium autem non est par Papæ, ergo neque in eius postatem succedere potest. *Tum quia*, Cardinales non
132 dicuntur facere Capitulum, sed tantum Collegium, ex eo enim dicitur Capitulum, quia caput habet, Collegium autem Cardinalium nullum habet caput mortuo Pontifice, ergo sub capite congregari non potest: collegium vero dicitur ex eo, quod in eo omnes sunt pares, id enim importat illud verbum, vnde membra Collegij dicuntur Collegæ, quia omnes indifferenter participant potestatem sui Collegij, *l. Collegatum 173. ff. de verb. signif.* Vnde de essentia Collegij non est habere caput, Felin. *in cap. Ex litteris, de constit. num.* 5. Rochus *de Visitat.* 11. *Collegiatas in fine.* Demum Christus sibi constituit Petrum, non Collegium Apostolorum, & Petrus Clementem, quæ duo satis insinuāt successionem terminari tantum ad personam singularem, & ex hac singularitate magis quoque apparet potestas Monarchica dignitatis Pontificiæ.

Quæres 31. An ad Pontificem Romanum spectet definire controuersias de fide?

℞. Ad solum Petrum id munus spectare, ipse 133
enim solus est iudex controuersiarum fidei. Deducitur ex illo: *Pasce oues meas*, id est, scientia, & doctrina, vt dicitur Ierem 3. 15. Ita arguunt Lucius I. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, Felix I. ad Benignum; Leo IX. ad Petrum Antiochenum, Agatho in Act. 4. Sextæ Synodi. Anacletus Papa ad finem Epistol. 1. sic testatur: *Si difficiliores ortæ fuerunt quæstiones ad sedem Apostolicam referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussu Domini Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad sedem referrentur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam dicente ipso: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Habetur tom. 1. Concil. Item Clarius Zepherinus Papa ad Episcopos Sicilienses, relatus cap. Quoties 12. 24. quæstione 1. *Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum id est, sui nominis, & honoris auctoritatem referre debere.* Innocentius III. relatus cap. 3. de Baptism. *Maiores Ecclesiæ causas præsertim articulos fidei contingentes ad Petri sedem referendas intelliges.* Supradictus Leo IX. Bulla 2. hæc habet: *Tamen non sine causa specialiter, & nominatim dictum est beato Apostolo, Principi: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam, & tibi dabo claues regni cælorum; & in alio loco: Confirma fratres suos, scilicet, quia omnium Ecclesiarum maiores, & difficiliores causæ per sanctam, & principalem beati Petri sedem à successoribus eius sunt definiendæ.* Ratio est quia ille est iudex in causis fidei, in quibus agitur de summa rerum, & salute omnium fidelium, qui omnium fidelium est supremus superior, quique errare non potest in iis; sed solus Papa pro tēpore est supremus superior, & non potest errare in fide, ergo is solus est iudex controuersiarum fidei. Maior patet de se, quia materia fidei spectat ad salutem omnium fidelium, ergo difficultas occurrens circa fidem terminanda est à superiore omnium, vt per suam definitionem omnes sibi subditos obligare possit ad credendum. Minor pariter constat, quia solus Petrus illa duo habet, nam Pontifex est caput supremum, & superior omnium fidelium, vt probaui hoc capite q. 7. qui & in fide non potest deficere, neque errare, vt infra q. 35. ergo ex his sequitur certa conclusio etiam de fide tenenda, quod solus Petrus est iudex definiens controuersias fidei. *Confirmatur*, quia prima fidei quæstio excitata in primitiua Ecclesia decisa fuit à Petro in Concilio Ierosolymitano, de quo Actor. 15. vt dixit Theodoretus in Epistola ad Leonem. Solus ergo Papa iure diuino habet potestatem decidendi, & definiendi controuersias fidei, & hoc de fide ex illis verbis: *Pasce oues meas. Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Ad eum scilicet finem, vt valeas bene, & veraciter definire.

Hæretici negant hanc Papæ potestatem, sed ipsam 134
Scripturam faciunt iudicem in causis fidei, quod probant

probant auctoritate Isaiæ capite 8. 20. *Ad legem magis, & ad testimonium.* Ioan. 1. 39. *Scrutamini Scripturas.* Actor. 17. 11. *Quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Igitur in dubiis ad nullum recurrendum est, nisi ad Scripturas, quæ sunt iudices dubiorum.

Ridiculum est dicere, quod Scriptura sit iudex, nam iudex debet esse persona publica, & perita in iudiciis terminandis, vt inquit Dauid in Psalm. 2. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Scriptura autem homo non est, caret intellectu actiuo, ideo de se nihil iudicare potest. Deinde Scriptura cum habeat plures sensus de se obscura est, & difficilis, vt testatur Diuus Petrus Epistol. 2. capite 3. 16. Loquendo de Epistolis Diui Pauli his verbis: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.* Vnde Paulus 2. Corinth. 3. 6. *Dicit littera occidit, Spiritus autem viuificat.* Quomodo ergo potest decidere quæstiones, & dubia atque incerta reddere clara, & certa, si ipsa est obscura, si occidit, quomodo viuificat intellectum fidelium ad notitiam veritatis.

Allatæ auctoritates nil faciunt pro hæreticis, sed pro Catholicis, qui in decidendis difficultatibus re-
135 currere debent ad Scripturas, & iuxta earum sensum verum, & realem intelligentiam Sanctorum Patrum definire, & terminare quæstiones, sunt enim Scripturæ regulæ quædam, quibus dirigitur Pontifex ad definiendum. *Ad primum locum Isaiæ*, homo docetur modum sciendi futuros euentus recurrendo ad legem Prophetarum non ad magos, à quibus Isaia intendit auertere fideles. *Ad secundum Ioannis*, Scrutamini Scripturas, si non vultis credere mihi, quod Christus sit filius Dei, quia Scripturæ id testantur. *Ad tertium*, Beroënses quotidie voluebant libros, vt inuenirent in illis, an verum esset, quod illis prædicabat Apostolus de Resurrectione Iesu Christi, vt per illas magis se confirmarent. Vide capite 2. quæst. 51.

136 Hæretici videntes se non posse sustinere pondus sui erroris, Scripturæ, vt faciant viuum iudicem, adiungunt Spiritum priuatum, quo quilibet illam intelligere potest, consequenter quisque potest fungi officio iudicis, operante in singulis eo spiritu priuato. Probant ex diuersis Scripturis. *Primò* Isaiæ 54. 13. *Vniuersos filios suos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis suis*, Supple *dabo*. Si ergo omnes erant docti à Domino per doctrinam Spiritus priuati, frustra ponitur homo publicus, nempe Papa, qui sit iudex. *Secundò* Ieremia 31. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vltra vir proximum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum.* Frustra igitur modo congregantur Concilia, frustra Papa vocat Theologos in definiendis rebus fidei, cum quisque in seipso habeat cognitionem manifestam à minimo vsque ad maximum. *Tertiò* Ioan. 7. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui misit me, cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit.* Homo igitur, qui Deo obedit seruando eius mandata statim per seipsum cognoscit mysteria fidei, ergo iudice non indiget alio, quam proprio Spiritu. *Quartò*, Sanctus Paulus 1. Corinth. 2. 10. *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Loquitur autem de hoc Spiritu priuato cuiuslibet hominis. Vnde sub numero quinto, subiungit: *Spirituale autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Nullus ergo homo indiget alterius iudicio, cum quilibet apud se habeat proprium Spiritum illuminantem ad notitiam Scripturarum. *Quintò*, Ioann. Epistol. 1. capite 2. 27. *Et non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Nomine vnctionis venit Spiritus cuique infusus docens omnes. *Sexto*, sequitur absurdum, si pro iudice non ponatur Scriptura cum hoc Spiritu docente, sed Papa, aut Concilium, Scripturam esse subiectam, & minorem Papa, & Concilio.

Reiicitur vtrumque, nimirum Scriptura, & Spiritus vti iudices Controuersiarum fidei. Nam scriptura non est vox viua, quæ possit loqui vobis veritatem. *Tum quia*, Scriptura vna est, ac proinde cum vna remaneat in intellectibus hominum singulorum, Spiritus autem multiplicatur in singulis hominibus, ergo in iudicando conuenire non possunt. *Tum quia*, Scriptura semper eisdem verbis concipitur, ergo seipsam explicare non potest, explicatio enim fit ignoti ad notum per diuersitatem terminorum, quos Scriptura non diuersificat. *Tum quia* Scriptura de se difficilis est, vt dixi superius, ergo seipsam declare non potest, nam clarum declarat obscurum, non obscurum, & difficile aliud simile. 137

Quod Spiritus priuatus cuiuslibet hominis non sit iudex, probatur. *Tum quia*, non datur iste Spiritus, imò in Sacra Scriptura Ioann. 1. capite 4. 1. Reprobatur. *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sunt, quoniam multi pseudo Prophetæ exierunt in mundum, in hoc cognouimus Spiritum Dei. Omnis Spiritus, qui confitetur, Iesum Christum in carne venisse ex Deo est, & omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est.* Non est igitur credendum omni Spiritui, sed tantum illi, qui ex Deo est, & qui non soluit Iesum, vt faciunt hæretici Christum diuidentes, & eius fidem, dum singuli eorum Spiritus diuersa dicunt contraria iis, quæ Christus Ecclesiam docuit. *Tum quia*, contra hunc Spiritum priuatum facit illud Prouerb. 3. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Item ibidem numero septimo. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Deus per os Salomonis reprobat, & redarguit hos Spiritus priuatos, qui pro suo arbitrio Scripturas volunt interpretari, & non secundum communem sensum, quem tenet Romana Ecclesia. *Tum quia*, explicatio fidei spectat ad publicam personam, quæ possit omnes fideles obligare in vnitate fidei, Spiritus autem priuatus opponitur Spiritui publico, ergo iudex esse non potest, nullus enim priuatus potestatem habet cogendi. *Tum quia*, difficiles quæstiones explicatæ, & definitæ debent promulgari fidelibus populis, vt sciant, se obligatos esse ad credendum definitum, quod pro lege habendum est, & obseruandum, sed promulgatio legis spectat ad personam publicam superiorem omnium fidelium, & non ad Spiritum priuatum, qui nullius est superior, ergo iudex non est. *Tum quia*, iste Spiritus priuatus destruit vnitatem fidei, nam cum tot sint Spiritus, quot sunt homines, tot quoque erunt sententiæ sibi inuicem contrariæ, quot sunt capita habentia Spiritum priuatum, adeo quod singuli Spiritus inter se diuersi non possunt concurrere in eandem sententiam, cum ad inuicem nullam habeant vnitatem intelligendi, consequenter fides in substantia vna vnitate dogmatum laceratur, & diuiditur, consequenter tollitur, & destruitur, quia impossibile est, quod subsistat sine sua essentia vnitatis. 138

Respondent hæretici, hunc Spiritum priuatum in singulis hominibus multiplicatum habere vnitatem intelligentiæ à Spiritu sancto, qui omnes Spiritus illuminat ad vnitatem fidei, adeo quod illorum diuersitas est solum ex parte hominum, quæ vniformatur in ratione intelligentiæ à Spiritu diuino illustrante illos super intelligentia sacrarum literarum, & pro argumento citant Paulum in

in Epistol. 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum.* Vnde Cephas in sua Epistol. 2. in fine primi capitis idem confirmat: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Quilibet ergo homo in suo particulari spiritu diuinitus docetur à Spiritu sancto, vt errare non possit in explicatione, & intelligentia Scripturarum, quæ influit in Spiritum cuiuslibet hominis, cum sit vtilis ad donendum, ex auctoritate Apostoli, non est ergo necessarius communis, & publicus iudex, qui controuersias fidei definiat.

Contra est, quia Spiritus sanctus omnes homines non misit ad docendum, nec omnes docuit omnem veritatem, sed illos tantum, quos Filius Dei Iesus Christus misit prædicare, qui fuerunt duodecem Apostoli, cum septuaginta duobus Discipulis, & in particulari Petro commisit curam omnium, vt eos erudiret, cum dixit *Pasce oues meas* scientia, & doctrina, & *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, docendo, & erudiendo in mysteriis fidei omnes fideles. Quare omnis Scriptura est vtilis ad docendum, non quod ipsa doceat, sed quod Ministri à Deo deputati ea vtuntur tanquam regula, qua diriguntur ad docendum. Vnde Cephas subdit non omnes homines locutos fuisse sed tantum Sancti homines Dei, id est, Prophetæ, & Apostoli, qui fuerunt inspirati à Spiritu sancto, non ergo omnes inspirantur à Spiritu sancto ad docendum, & definiendum res fidei, sed tantum Sancti Dei homines, nempe Pontifices Romani. Demum Spiritus sanctus omnes illuminat homines in hunc mundum venientes, sua gratia ad credendum mysteria fidei, non vero ad docendum, & definiendum, cum id soli Petro datum sit. Respondendum est obiectis auctoritatibus ex Sacra Scriptura.

Ad primum Isaiæ *Vniuersos filios tuos doctos à Domino dabo.* Loquitur ibi Propheta de doctrina, & gratia Iesu Christi, qua omnes fideles modo sunt docti non solum exterius, vt contingebat Iudæis ante aduentum Christi, sed etiam interius per infusionem gratiæ mediantibus Sacramentis nouæ legis, per cuius illuminationem, & illustrationem Ministri docentur pro se, vt credant, & pro aliis, vt subditos edoceant instruendo in mysteriis fidei, omnes ergo sunt docti à Deo per illuminationem internam gratiæ habitus fidei, vt credant, Ministri vero vt etiam alios doceant, & cum omnes fideles non sint Ministri, ideo non omnes docti sunt, vt doceant, quia nullus audiret, si omnes docerent, indigent ergo doctrina externæ eruditionis. Vel dic, omnes esse doctos à Domino, cælesti beatitudine in patria, vbi Angelus Angelum non docet, nec homo hominem instruit, quia omnes Beati à maximo vsque ad minimum Deum clare vident, erunt ergo ibi omnes docibiles, id est, docti, vt explicat ibi Cornelius à lapide, vir ergo in cælis non docebit hominem, & proximum suum, Diuus Thomas *parte 1. quæstione 106. art. 1. ad primum.* Siue ergo ibi agatur de doctrina fidei, siue de cognitione gratiæ, siue de beatitudine, nil inde colligi potest pro Spiritu priuato, quia Christus est, qui docet omnes homines, Lucæ 19. 47. *Et erat docens quotidie in templo.* Item 24. 77. *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Signum hoc est, quod Apostoli non habebant Spiritum priuatum illos illuminantem, multo minus reperitur in aliis, Christus ergo Discipulos suos docebat, non priuatus Spiritus.

Ad secundum eodem modo respondetur, & adhuc magis ad rem & textum verborum, eo scilicet loco demonstrari excellentiam legis nouæ supra veterem, nam antiqua lex data fuit populo Hebræorum in tabulis lapideis, lex vero Euangelij impressa fuit in cordibus hominum per gratiam ipsius Christi, qui sub antiqua lege prædicatus fuit à Prophetis sub nube, in figura, & in vmbra cognitus, in lege vero noua vir non docuit hominem Christum Dominum, sed seipsum omnibus manifestauit personaliter sine ministerio hominis docentis, & post Ascensionem suam Ministris Ecclesiæ reliquit ministerium prædicandi, & conseruandi in Ecclesia Dei suam doctrinam, & manifestationem.

Ad tertium, Beatus Ioannes Euangelista, dum dicit, eum hominem cognoscere de doctrina Dei, qui fecerit voluntatem Dei, qui Christum misit in mundum, aperte docet, eum, qui proprio instruitur Spiritu, aberrando à doctrina Ecclesiæ Romanæ, non cognoscere de doctrina Dei, quia secundum Euangelistam ille homo cognoscit doctrinam Dei, qui obedit voluntati Dei, non audit autem Dei voluntatem, qui spernit Ministros Christi, Lucæ 10. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Hæretici autem nolunt audire Ministros Ecclesiæ, sed illos spernunt, ergo cum non obediant per hoc voluntati Dei, non possunt per proprium Spiritum libertatis, & contradictionis cognoscere de doctrina Dei, neque consequenter esse iudices, quia iudex nunquam procedit ad sententiam, nisi prius cognouerit merita causæ

Ad quartum, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, Apostolus loquitur de dono Spiritus sancti, quo mysteria fidei percipiuntur, & creduntur, nemo enim hæc scire potest, nec alios docere, nisi habeat in se Spiritum hoc est, habitum fidei, per quem homo inclinatur ad credendum, & docendum res fidei, per hunc Spiritum homo dicitur spiritualis, qui iudicat omnia, quæ ad fidem spectant, adeo quod à nemine iudicatur, quia quod à Petro definitur aliter à quoquam iudicari non potest, cum illius sit verum iudicium à Spiritu sancto illi reuelatum, ad quod bene loquitur Diuus Thomas 2. 2. *quæstione 60. articulo primo ad secundum*, dicendo quod homo Spiritualis dicitur habere donum Sapientiæ, qui iudicat secundum regulas diuinas; hoc autem donum non habent hæretici, vt probaui *capite 2. q. 51. num.* 238. Ergo nullus eorum est homo spiritualis, ergo omni caret Spiritu, consequenter etiam priuato.

Ad quintum respondetur D. Ioannem in ea Epistola hortari discipulos, vt in fide Christi permaneant, non credendo cuilibet homini, cum sufficienter edocti sint per vnctionem, id est, instructionem Spiritus sancti, iuxta illud eiusdem Ioan. 16. 13. *Docebit vos omnem veritatem.* Ait enim beatus Ioannes, quod fideles non egent doceri falsas doctrinas ab impiis hominibus, sed debent recurrere ad vnctionem, id est, doctrinam Spiritus sancti Euangeliis traditam, in qua veritas fidei inuenitur.

Ad vltimum dico, nullum sequi absurdum, si supra Scripturam ponatur Pontifex, imò & Concilium. Vide interim dicta sub cap. 1. q. 37. n. 191. de qua re etiam infra q. 49.

Quæres 32. Cum in præcedenti quæstione resolutum fuerit solum Papam esse iudicem controuersiarum fidei, numquid hoc esse solum excludat Concilium Generale, seu Congregationem sancti Officij, & consilium cuiuslibet personæ, adeo quod ipse solus sine alicuius consilio venire possit ad sententiam definitiuam omnes obligantem ad credendum definitum? Puta si velit definire Conceptionem Virginis Mariæ fuisse immaculatam.

℞. Id posse facere, & definire sine alicuius consi- 139
lio

lio nulla cogente necessitate, vt in casu proposito, & omnes fideles consequenter esse obligatos credere articulum illis promulgatum adhuc sine alicuius consilio; licet in tali casu parum prudenter se gereret.

Primum probatur. *Tum quia*, id munus dependet à sola Papatus dignitate, ex præcedenti quæstione, ergo solus Papa sine aliorum Concilio definire potest, nam Papatus nullum collegam habet in officio, nec ratione consilij, nec ratione decisionis, cum illi soli potestas data fuerit à Christo exercenda independenter à quocumque homine. *Tum quia*, soli Pontifici Romano concessum fuit priuilegium indeficientiæ fidei, ergo non habet opus consilio aliorum, qui cum eo careant priuilegio illuminare non possunt Papam, adeo quod, Petrus in hoc melius aliis consilium daret, quam ab illis reciperet, ergo non est necesse illud petere. *Tum quia*, Papa habet clauem sapientiæ, per quam eius intellectus illustratur, & illuminatur ad intelligenda sacra dogmata fidei, qua cæteri carent, ergo sine illis agere potest. *Tum quia*, consilium datur ad erudiendum, & illustrandum intellectum eius, cui datur, sed Papa his non indiget in rigore, cum habeat ea duo priuilegia indeficientiæ fidei, & clauis scientiæ, ergo sine consilio agere potest. *Tum quia*, Concilium Generale in causis fidei nihil seipso potest, sed in omnibus quoque dependent à Romano Pontifice, vt probabo sequenti cap. ergo Papa independenter à Concilio definire potest, superior enim & prion non dependet ab inferiori, & posteriori, ergo à fortiori agere potest sine aliis. *Tum quia*, si Petrus non posset valide definire sine aliorum consultatione, sequeretur Pontificem in exercitio suæ potestatis dependere à suis subditis, quod tamen falsum est, nam Pontifex dignitatem, potestatem, & vsum eiusdem à solo Christo habet, independenter à quocumque homine. *Tum quia* sequeretur Papam volentem definire sine consilio, impediri posse à subditis, si sine illis non posset agere, quod tamen falsum est, quia Papa omnes iudicat, & à nullo iudicatur, quia in terris hominem non habet superiorem, qui illum cogere, & efficaciter impedire possit à suis operationibus de iure, cum nulli subsit nisi Christo. *Tum quia*, tunc Papa definit, quando Spiritus sanctus sibi reuelauit veritatem controuersiæ, vt Gregorius XV. rescripsit Regi Hispaniarum petenti definitionem Immaculatæ Conceptionis, se eam non definire, quia Spiritus sanctus nondum Ecclesiæ suæ tanti mysterij penetralia patefecit. *Tum quia*, Christus postquam Petro declarauit, & notificauit priuilegium indeficientiæ fidei, statim eidem præcepit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quod Leo IX. Bulla 2. incip. *Cum ex venerabilium*, explicat illud in causis fidei, illis verbis: *Quia omnium Ecclesiarum maiores, & difficiliores causæ per sanctam, & principalem beati Petri sedem à successoribus eius sunt* definiendæ. *Tum quia*, Concilia, Congregationes, & Theologorum sententiæ, & consilia exquiruntur à Pontifice Romano ex prudenti voluntate, non ex necessitate potestatis, & valoris definiti, cum valor actorum in Conciliis tandem vltimo ab vnico dependeat Petro, ergo quolibet aliorum consilio postposito per se solum potest procedere ad definitionem. Et per hanc distinctionem soluuntur quæcumque argumenta, quæ ab Aduersariis opponi possent. Vide P. Dianam *part.* 11. *in fine Resolut.* 5.

Secundum de tali definitione obligante probatur, quia deducitur ex hactenus probatis, nam ex potestate huiusmodi definitionis iam promulgatæ sequitur obligatio in subditos, qui ex obligatione præcepti fidei tenentur credere, & obedire omnibus articulis fidei, inter quos declaratur à Petro, præsentem connumerari.

Dices primò, in tali casu Papa non procederet ex Cathedra, vt Papa, vt supremus iudex, sed potius vt persona priuata, & vt doctor proferens suam sententiam. *Secundo*, esto solus Papa sit iudex, & solus potestatem habeat definiendi, quod non negatur, hoc tamen non sufficit, vt eius potestas exeat in actum validum, sed præterea necesse est, quod per ipsum seruetur forma essentialis consilij, & consultationis, cuius omissione actus attentatus est nullus in sententia omnium, adeo quod Papa definiens omissa consultatione nihil facit, per quod Ecclesia Catholica remaneat obligata ad credendum, quod Papa decreuit in tali casu, quia tunc dicitur procedere vt doctor priuatus omittens formam, per quam dicitur operari vt persona publica.

Respondeo ad primum, Petrum tunc procedere ex Cathedra, dum protestatur, & se declararat condere decretum, & legem obligantem vt suppono, non enim eius mens iam clara ex protestatione, & ex modo disponendi legaliter per Bullam, seu decretalem suam patitur distinctionem voluntatis, quod locutus fuit vt doctor, quando manifestum est, locutum fuisse vt Pastorem, & legislatorem, in quo sensu procedit quæstio resoluta. Ego autem in meo originali Manuscripto docueram, quod hic asserui, sed folio impresso abiecto, aliud reimpressum fuit. Ad secundum respondeo, nullam dari formam essentialem consultationis præmittendæ, huiusmodi enim à nullo alio præscribi poterat, nisi à Christo Domino, quem Papa solum superiorem supra se habet, non constat autem Christum Petro præscripsisse huiusmodi consultationis formam, ergo non datur.

Quæres 33. An Papæ definienti assistat Spiritus sanctus speciali modo illum dirigendo, ne erret?

℟. Affirmatiuè de fide tenendum. Probatur, 140
Tum quia id apertè colligitur ex Concilio Act. 15. 28. *Visum est Spiritu sancto, & nobis.* Hic docetur asserta assistentia Spiritus sancti. *Tum quia*, illi deficere non potest fides, ergo habet assistentiam Spiritus sancti illuminantis, & docentis illum, quænam sit vera fides, indeficientia enim fidei conseruatur per illuminationem Spiritus sancti, & cum certa sit indeficientia fidei, certa quoque eius est conseruatio per assistentiam Spiritus sancti. *Tum quia*, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, ea ratione, quia defensor tutatur & protegit Ecclesiam, & Petram, super quam fundata est, ista autem defensio contra portas inferi, id est, diabolum, ne in errorem inducat Ecclesiam in Petro, nihil aliud est, quam Spiritus sanctus, cuius proprium est illuminare, & docere omnem veritatem, ergo in his veritatibus assistit. *Tum quia*, *vbi duo, vel tres Congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*, Papa autem in definiendis rebus fidei congregatur in Conciliis, & aliis disgressionibus, & consultationibus virorum peritorum ergo Spiritus sancti assistit. *Tum quia*, Christus hanc assistentiam promisit, & declarauit illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Non deest ergo assistentia Spiritus sancti Petro pro tempore illum illuminando, & dirigendo in viam veritatis, ne errare possit. *Confirmatur*, quia Deus vt auctor & conditor naturæ cum omnibus causis secundis concurrit ad agendum, à fortiori concurrit vti redemptor, glorificator, & illustrator intellectus humani, ne iudex errare possit in causis fidei, quæ sunt superioris ordinis.

Quæres 34. An potestas definiendi possit à Pontifice delegari?

℟. Potest delegari soli Concilio Generali, & non 141
aliis.

aliis. Illud probatur, quia Concilium ita legitimè congregatum auctoritate summi Pontificis, dicitur definire nomine Pontificis, ac proinde per assistentiam Spiritus sanctus, quando Papa se declarauit velle habere pro fide quicquid per illos definitum fuerit, quo casu Concilium errare non potest, quia per has limitationes Papa videtur quodammodo quasi per ipsum definire negotia acta in Concilio, quod cum tunc repræsentet totam Ecclesiam, ac proinde Romanum Pontificem, qui intendit stare decretis nihil ei deficit ad firmiter stabiliendum, quando vero non se declarat, tunc Concilium delegationem habet imperfectam, consequenter decreta ab ipso non sunt firma, cum à Pontifice vel infirmari possint, vel saltem non approbari. Itaque duplex delegatio, perfecta, qua delegans se declarat velle stare decretis à Concilio delegato firmatis, & imperfecta, qua delegans sibi reseruat stabilitatem vltimam circa decreta in Concilio condita. Hoc vero, quod nulli alij facultas delegari possit perfecto modo, probatur, quia nulla persona priuata, neque alia Congregatio etiam S.Officij Romæ potest repræsentare totam Ecclesiam in hoc genere iudicij, adeo quod Spiritus sanctus assistat specialiter, consequenter cum persona priuata, neque Congregatio, quæcumque ea sit, dicatur legitima ad hunc effectum ex carentia specialis assistentiæ Spiritus sancti, potest à Papa recipere huiusmodi delegationem, neque Papa committere illi id munus absolute, sicut Concilio.

Quæres 35. An Papa errare possit in definiendis rebus fidei, & morum? Dico in rebus fidei, & morum, quia circa alia non dubitatur, cum certum sit errare posse, quia in his non habet assistentiam Spiritus sancti; qui illum doceat, & illuminet, ne errare possit. Nomine morum hic intellige eos, qui spe-
142 ctant ad vniuersam Ecclesiam, vt canonizatio Sanctorum, institutio sacrorum rituum, & cæremoniarum in Missa, & diuinis Officiis, in institutione religionum, in celebratione alicuius sancti, seu eius mysterij, vt præceptum celebrandi festum, hoc est, Missa, & officium exempli gratia, S.Ignatij, Conceptionis Virginis Mariæ, ex eo, quod immunis à peccato originali, ac proinde Immaculatæ Conceptionis. Neque quæstio extenditur ad facta particularia, vt ad dispensationes absolutiones, promotiones, sententias, & huiusmodi, quæ in facto consistunt, & non postulant veritatem in obiecto complexo, de cuius subiecto quæritur, an tale prædicatum postulet, vt quod Conceptio sit immaculata, quod Ignatius loyola fundater Societatis Iesu sit sanctus, antequam id definiretur.

143 Notandum quoque est, Papam dupliciter spectari. Primò, vt est persona priuata loquens, non vt Papa, non vt legislator, non ex Cathedra, sed tanquam si non esset Papa, sed vt alter homo, seu doctor. Secundò vt persona publica, vt Papa, vt legislator, ex Cathedra loquendo, determinando, & definiendo qualẽ se gereret, si nulla præmissa consultatione, nullo aliorũ adhibito consilio, faceret per se solum componendo Bullam, seu Epistolam decretalem motu proprio definiendo aliquid de fide, exprimendo illud definitum ab omnibus esse vt tale credendum præmissa solemni de more promulgatione, iuxta probata q.31. Hanc distinctionem Pontificis vt Papa est & vt doctor priuatus referunt alia etiam occasione plerique Theologi, & Canonistæ cum Nauar. 31. de præbend. Bonac. *p.4. de Bapt. num.* 8. Fabro Splendore Ordinis Minorum Conuentualium *in* 4. *sent. disp.* 8. *num.* 21. Diana *part.* 1. *tract.* 15. *resol.* 5. Ioan. XXII. *in sua extr. Quia quorundam de verb signif.* Resoluam hic de Pontifice vt Papa est, in sequenti de eodem vt persona priuata dicam.

℞. Papa vt Papa, & ex Cathedra non potest errare in definiendis rebus fidei, & morum vniuersæ Ecclesiæ. Vide cap.1. quæst.31. 144

Probatur, quod Papa non possit errare in prædictis de fide tenendum, quia Petrus primus Papa non poterat errare ex promissione sibi facta à Christo Lucæ 22. 32. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Hæc autem rogatio sortita est finem suum, & verificata est, quia Christus in suis orationibus à Patre semper exauditur, vt ipsemet testatur Ioan.11. 42. *Quia semper me audis*, ergo nec vllus ex eius successoribus errare. Hæc consequentia probatur ex dictis q.28. vbi demonstraui, priuilegia, inter quæ est hoc de indeficientia fidei, à Christo concessa Petro, extensa esse, & dicta ab eodem Christo omnibus Petri successoribus. Quod Pontifex Romanus habeat fidem Petri, per quam inclinatur, & dirigitur, ne errorem committat in definitionibus, docet D.Thom. 2.2. q.11. art.2. in fine his verbis: *Hæc est fides beatissime Pater, quam in Catholica Ecclesia, in qua si minus perite, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui fidem Petri, & sedem tenes.* Quæ sunt D.Hieronymi ad Damasum Papam. Confirmatur, quia in his Pontificibus Romanis specialiter assistit Spiritus illos illuminando circa veritatem, quam definiunt, vt probaui hic quæst.33. Diana ad Calcem part.11.

Quæres 36. An Papa putatus verus Pontifex, cum reuera non sit, errare possit in rebus fidei, & morum? Sub quæstione 21. enumerauimus octodecim nullitates electionis Pontificis, ideo merito hic quæritur, an Pontifex, cuius electio est nulla, habito tamen pro vero, & legitimo Pastore, eo quod, aut ignoratur nullitas, aut si ab aliquibus scitur, non potest probari, aut si possibilis est probatio, nullus tamen negotium tentat, quia eius expeditio videtur impossibilis.

℞. Papa putatus errare non potest, quia is gaudet eisdem priuilegiis, de quibus præcedenti quæstione, 145
quibus potitur Papa indubitatus. Probatur, quia pro bono Ecclesiæ Christus hunc approbat, cum non sit alligatus legibus humanis, & illi, non obstãte quauis nullitate electionis, tribuit dignitatem, & pontificiam potestatem, quam tribuit aliis electis, qui nullum patiuntur defectum suæ electionis, aut personæ, ergo cum verus sit Papa ex parte Dei, non caret prædictis priuilegiis, sed omnino est inerrabilis, vt cæteri errare nequeunt. Confirmatur, quia Deus in tradendo claues electo nullam habet sibi præscriptam formam, nisi personæ designationem per electionem, ergo posita designatione personæ siue per electionem, siue per inspirationem, statim Deus illum approbat pro Pastore suæ Ecclesiæ, non enim habet examinare personam electi satis sibi notam etiam ex intimis cordis, neque vtrum forma electionis seruata fuerit, cum huius perfectissimam quoque notitiam habeat, & cum Deus ad hæc lege humana introducta non respiciat, sed ab illis independenter confirmet electum, ideo verus est Pastor Ecclesiæ, quoadvsque aliud appareat. Verissimum ergo est, talem Pontificem gaudere omnibus priuilegiis, quæ alij veri Papæ habent, adeo quod nulla est differentia inter electum defectu formæ, & electum sine defectu, quia Deus ad hæc non respicit, sed personam sibi visibiliter propositam approbat, & tribuit claues, nulla habita ratione huius, vel illius, cum vterque sit propositus vt Papa à Deo acceptandus, pro Pastore fidelium.

Hinc colligitur, non habere locum supplemen- 146
tum iurisdictionis, quam Ecclesia supplet in iis, qui assumpti in Ministris Ecclesiæ, defectu alicuius requisiti, non recipiunt potestatem iurisdictionis, quæ

tamen

tamen pia matre Ecclesia supplet in illis, iuxta dicta cap. 2. q. 56. Ratio est, quia iurisdictio Pontificia à nullo homine datur designato Pontifici, sed à solo Deo cum dignitate Papatus semper confertur ab ea omnino inseparabilis, hic ergo ratio supplementi locum habere non potest, cum nihil desit, quod Deus non dederit, aliud enim est deficere in forma electionis, aliud deficere in traditione clauium, illius defectum non est necesse supplere in ordine ad claues, quia Deus non est alligatus legi humanæ, cuius est forma, ex cuius omissione nulla est electio, in traditione vero clauium Deus nunquam deficit, sed Pastorem concedit cum omnibus suis requisitis, perfecta enim sunt omnia Dei opera, quare cum hic nullus sit defectus, nulla quoque suppletio est necessaria, cum nihil sit supplendum.

Alterius *tom. 1. de censl. lib. 2. disp. 2. cap. 2. citatus à* Bonacina *de electione Pontificis Romani disput. 1. q. 2. num. 3.* docet, Papam putatum validè agere, quia Ecclesia supplet defectum iurisdictionis, quamuis enim Ecclesia non sit supra verum Pontificem, est tamen supra putatum, & præsumptum. Sed meo iudicio id omnino falsum est, quia Ecclesia in ratione corporis politici non operatur, sed per ministros, absurdum autem est dicere, quod Papa putatus recipiat iurisdictionem ab aliquo se inferiori, siue particulari, siue etiam Concilio, cum in seipso hanc potestatem non habeat, & sit inferior Papa putato pro vero habito, nam talis Papa, vt dixi accipit à Deo immediatè claues, ergo non est opus eas recipere ab Ecclesiæ Ministris, quo nomine clauium sine dubio venit potestas iurisdictionis, adeo quod dicere Papam præsumptum accipere iurisdictionem ab Ecclesia idem est ac sentire, potestatem clauium traditam fuisse immediatè Ecclesiæ, & ea mediante eius Ministris, quod reiectum fuit contra hæreticos cap. 2. q. 28. Falsum quoque est, Ecclesiam esse supra præsumptum Pontificem, præscindendo à schismate, vt infra probabo q. 49. Vellem scire, quomodo cognoscatur ab Ecclesia præsumptus Papa, is enim dicitur præsumptus, cuius electio patitur defectum adhuc ignotum, ideo dicitur præsumptus, quia si constaret euidenter defectus, & nullitas electionis, iam non esset Papa præsumptus, sed nullo modo Papa, nec verus, nec præsumptus; &
147 licet inter Papam dubium, & putatum verum Papam nulla videatur apparere differentia, adest nihilominus lata, & patens, nam Papa præsumptus, & putatus pro vero, est ille, cuius defectus est omnino improbabilis, & fortè à nullo scitur, ideo dicitur haberi pro vero, quia electionis nullus defectus adhuc est apertus. Papa vero dubius est ille, cuius defectus adeo notus est, vt ab intellectu virorum Doctorum auferri non possit illius dubietas, & hoc maximè apparet in schismate, & diuisione capitis. Quare cum Ecclesia ignoret defectum Papæ præsumpti, quem immò recognoscit pro vero, dicitur illi subiecta, & inferior, ac proinde nullam iurisdictionem illi potest conferre, cum iurisdictionis collatio fiat à maiori ad minorem.

Quæres 57. An Papa præscindendo ab eius dignitate & officio, errare possit vt talis persona priuata? In prima impressione cap. 5. num. 81. & 105. secutus sum communem affirmatiuam, 105. Re melius perpensa, & in fauorem Ecclesiæ, oppositum nunc sentio, & probo.

148 Respondetur Papa etiam vt persona priuata non potest errare in rebus fidei, nec fieri hæreticus. Probatur primò, quia illud priuilegium non tam ratione officij, quam personæ concessum fuit Petro, & eius successoribus, siquidem dicit textus Euangelij. *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua.* Quæ verba ad vtrumque referuntur, nam *pro te* indicat personam, quam ante vocauerat nomine Simonis *Petre* indicat officium, & Papatum, nam pronomen singularitatem personæ vti talis homo est indicat, nomen vero *Petre* denotat præter personam dignitatem Papatus, non enim est nomen proprium, quo vocabatur Simon, sed nomen officij, quod significat caput Ecclesiæ, vt dictum fuit cap. 4. q. 1. Fides tua, id est, tam personæ, quam officij, & Ecclesiæ, quia tu non es professurus in persona tua aliam fidem, quam meam, vt dignè, & legitimè possis eam docere fideles, necesse ergo fuit stabilire fidem indeficientem in persona, vt postea ex officio valeas aliis communicare; est enim incongruum, quod Deus permittat suum Pastorem, cui suas commisit oues pascendas, docere veritatem fidei, & ipsum in corde suo sentire oppositum. *Secundo*, vnica est fides Simonis & Petri, Matthæi, & Vrbani non patiens diuisionem, ergo indeficientem fidem habet Simon, sicut Petrus, non potest ergo diuidi fides ex sua innata indiuisibilitate in vna persona, cui vnica est voluntas, & intellectus. *Tertio*, quia hæc distinctio personæ, & officij posset inseruire pro subterfugio ad saluandum Papam, & manutenendum in suo officio, à quo non videtur remouendus ex defectu tantum personæ, quando in officio reuera non errauit, excusaret enim se errasse in persona sua, non contra officium, adeo quod cum adhuc sit in officio ab eo non est remouibilis potestate humana, consequenter ad euitandum hoc subterfugium, & difficultatem remouendi Papam, vt aiunt, hæreticum ex persona, melius est dicere etiam ratione personæ non posse incurrere crimen hæresis. *Quarto*, in tantum erat persona vt officialis in quantum erat in se ipsa persona secundum se accepta, quia in persona est iudicium rationis, non in officio illi inhærente, ergo in tantum peccat officialis, in quantum est persona malè vtens suo officio, quare si Papa potest errare ratione personæ necessario hunc errorem refundere valet in seipsam vti officialem, quia error attribuitur officio non ratione sui, sed personæ malè vtentis ratione, Papa autem vt Papa non potest errare, ergo neque vt persona priuata; quia error trahitur primo ex potentia personæ volentis abuti ratione, ab officio vero nequaquam, in quod tantum redundat ex dependentia à persona. *Quinto*, quia illa distinctio, quæ solet afferri de persona priuata, & publica, de Doctore, & iudice, licet probetur respectu aliorum iudicum, non tamen videtur habere locum in Papa respectu fidei, ex ea differentia, nam in aliis hominibus respectu vtriusq; potest subesse falsum, quia eorum placita, sententiæ, & decisiones non pertinent ad fidem, non enim habent assistentiam Spiritus Sancti, nec agitur de veritate rei, sed tantum facti, & ideo mirum non est, si iudicia eiusdem personæ respectu diuersorum possunt esse contraria, & pugnantia inter se. In materia vero fidei, & suorum, in quibus non potest subesse falsum, non bene aptatur ea distinctio, ne respectu vnius error redundat in alterum, quod facilè accidere posset, cum error formaliter dependeat à ratione, quæ vna est potentia in vna & eadem persona quouis modo spectetur, nam ratio est in persona officiali, & non in officio ad personam, cum potentia sit eadem respectu vtriusque personæ scilicet, & officij.

Hanc sententiam docent Piphius *lib.* 4. Hierarch. *cap.* 8. Simanches de Cathol. *instit. tit.* 12. *num.* 14. Bannez 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *quæst.* 4. Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. apud Bonac. *disput.* 1. *Bullæ quæst.* 2. *p.* 1. Suar. *disput.* 10. *de fide sect.* 6. *dub.* 4. *num.* 11. Bellarminus *lib.* 4. *de Pontifice cap.* 6. vocans eam probabilem, & piam sequitur Diana *resol.* 12. *ad finem partis* 11.

Contrariam opinionem tenent multi ex Catholicis, nimirum Papam quandoque errasse vt hominem priuatum, etiam quando actu erat Papa, & probant

auctoritate cap. si Papa 6. distinct. 40. & Anacl. in sua Epist. 3. supponentium, Papam errare posse in fide, his verbis: *Si à fide deuius erit, si à fide exorbitauerit.* Ratio est, quia priuilegium indeficientiæ fidei illi concessum fuit ratione officij tantum, ergo extra Cathedram errare potest, & confirmant id exemplo plurium Pontificum, qui errarunt de facto, & quoniam Catholica fides tenet non posse errare ex Cathedra, illas auctoritates, rationes, & facta restringunt ad personam extra officium.

Contra tamen est; quia vt probatum est, Papa nec vt Simon, nec vt Petrus peccare potest peccato hæresis, quia assensus eius circa veritatem fidei semper procedit ab eodem principio intellectiuo, cui semper in his, quæ ad fidem spectant, assistit Spiritus Sanctus, intellectus autem potentia animæ, quæ ex æquo respicit personam tam ratione personæ, quam ratione officij, ergo Papa simpliciter spectatus errare non potest, ad vtramque auctoritatem respondetur, in illis id absolutè non asseri, sed ex suppositione quod deuiaret, docetur modus corrigendi illius errorem. Locutio igitur est conditionata, non assertiua, ideo obesse non potest nostræ responsioni, conditio enim nihil ponit in esse, *l. Si quis sub conditione, ff. si quis omis. caus. testam,* vnde Roland. à Valle *lib.* 3. *consil.* 58. *num.* 48. dicit, paria esse nihil fieri, & sub conditione fieri, ergo ex hac conditionali non potest inferri absoluta, quod Papa possit errare, aut aliquem errasse, quia cum assertio referatur ad absolutum, non potest stare cum conditione, quam ex sua natura excludit. Vide Bellarm. *lib.* 4. *de Pontifice cap.* 7. Ad rationem patet ex dictis, priuilegium esse commune personæ, & officio. Quod vero aliqui de facto peccauerint, constabit infra, nullum Papam peccasse vitio hæresis, contra turbam hæreticorum.

149 Hæretici contendunt multos Pontifices Romanos errasse non solum ratione personæ, sed etiam ratione officij, & ex Cathedra, quorum placita, quæ Catholicis displicent, refert, & Doctissimè confutat Bellarminus *lib.* 4. *de Pontif. à cap.* 8. *ad* 15. vbi Hæretici asserunt, Pontifices ferè quadraginta errasse in rebus fidei. Pro qua re præmitto nonnulla in fauorem Catholicæ fidei.

150 Præmitto primo, aliud esse quæstionem iuris, aliud quæstionem facti. Iuris quæstio tunc contingit, quando quæritur, an tale ius existat in rerum natura. Facti vero quæstio tunc accidit, an tale factum fuerit: Et si constat de eius existentia, deinde quæritur de eius circumstantiis, qualiter, quomodo, & quando acciderit. Do exemplum de priuilegio eximente à solutione decimarum, aut tributi Principis, quæstio iuris erit, an in iure, seu lege reperiatur hoc priuilegium, & an sit communicatum alicui. Quæstio autem facti est, an solutio facta à persona exempta, de cuius exemptione constat, dicenda sit decima, seu tributum, an vero mera donatio, & libera oblatio, non solutio debiti. Applica ad rem nostram. Quæstio iuris est, an in lege Euangelica extet priuilegium non errandi in rebus fidei & morum concessum Petro, & eius successoribus. Hæc quæstio iam superius decisa est affirmatiuè extare huiusmodi priuilegium. Dubitatur vero de modo communicationis illius, an communicatum sit homini respectu vtriusque personæ scilicet, & officij, an officij tantum, Catholici conueniunt in communione ratione officij, dissentiunt ratione personæ, aliis asserentibus, aliis negantibus. Hæc autem dubitatio spectat adhuc ad dubium iuris à quo descendit communicatio cum suis modis, nos autem resoluimus priuilegium eidem sub vtraque ratione communicari, & est id verisimilius, propter adductas rationes, & etiam quia talis communicatio vtrique communis non repugnat, & cum immediatè respiciat potentiam intellectiuam, quæ ex æquo respicit vtramque rationem, consequens est, à Deo adæquatè communicari vtrique, opera enim Dei sunt perfecta, & eius priuilegia sunt amplissima. Quæstio vero facti est, an talis, vel talis Papa errauerit in tali, vel tali assertione abutendo priuilegio. Catholici negant abusum fuisse priuilegio ex Cathedra, Hæretici concedunt, ac proinde negant illi priuilegium, quod Catholici concedunt. Habens priuilegium non soluendi 151
decimas, aut tributum, si nihilominus solutiones aliquas fecerit, non statim inferendum est, egisse contra priuilegium, cum illa solutio de iure interpretanda sit potius titulo meræ voluntatis, & donationis, quam titulo debiti ex decimis, seu tributis, quia constat de exemptione, licet illi ignota fuisset, vnde Bald. *in l.* 2. *ff. de priuileg. veter.* ait, exemptum à datiis, & gabellis, etiam pluries soluendo, non sibi præiudicasse in futurum, nec in hoc suum violasse priuilegium, dico in futurum, quia in præteritum sibi præiudicasset ob adductam rationem, quia præsumitur donatio, Camera enim est velut puteus clausus subditis, qui so- 152
li Principi aperitur, non datur regressus pro eo qui ignoranter soluit, quod non tenebatur, quia iustitia est clausa in puteo clauibus carente. Sicuti ergo isti soluenti tributum ad quod non tenebatur, non imputatur violatio priuilegij exemptionis attributi solutione ex ea ignorantia, & sibi non præiudicauit, ita & in casu nostro Pontifex non dicitur violasse priuilegium, si quandoque ex ignorantia errauit, aut ita eius factum interpretari potest, quod non sit contra priuilegium, quamuis videatur violatum, dubium ergo interpretandum est in bonam partè, & sic Papam in facto non errasse. Confirmatur quia magis conseruanda sunt diuina priuilegia, quam humana, maximè cum priuilegiatus istis renuntiare possit, nemo enim cogitur vti suo priuilegio, quando renuntiatio alteri 153
non præiudicat, diuinis vero nemo renuntiare potest, quia sunt præceptiua, maximè hoc concessum Pontificibus pro se, & ouibus, ergo si quandoque aliquis Papa videatur fecisse contra illud, id nullatenus admittendum est, cum constet hoc priuilegium à Christo Pontificibus non solum concessum, immò infusum in cordibus eorum, vt proprias, & communes operationes intellectus in ordine ad fidem dirigant ad salutem propriam, & ouium, igitur interpretandum est Papam locutum fuisse, siue in Cathedra, siue extra, iuxta veritatem Catholicam, verba trahendo ad hunc sensum, licet essent impropriãda, iuxta dicta supra sub q. 27. de vocabulo Vicarij.

Præmitto secundo, quod quando controuertitur 154
aliqua difficultas, potiora habet iura illa pars, quæ fundat suam intentionem in iure, quam pars aduersa, quæ nullum ius habet, nec rationem excipientem contra ius, & priuilegium, in quo fundatur altera pars. Exempli gratia controuertitur an Episcopus possit visitare talem Ecclesiam existentem intra limites suæ diœcesis, Episcopus habet intentionem suam fundatam in iure visitandi omnes Ecclesias suæ diœcesis, cap. omnes basilicæ 10. 16. q. 7. hoc illi ius assistit, ita quod pars aduersa acquiescere debet, & pati visitationem in sua Ecclesia, nisi excipiat contra ius commune exhibendo exemptionis priuilegium in contrarium iuris, aut titulum præscriptionis. Applicemus hanc Doctrinam ad rem nostram, Catholici habent suam intentionem certam, & indubitatam, quod Pontifex Romanus in rebus fidei, & morum non potest errare, fundatam in lege Euangelica apud Lucam 22. 32. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua* Hoc diuinum ius Christianis assistit ita veraciter, & efficaciter, vt eorum aduersariis negantibus Pontificem habere hoc priuilegium non errandi, non sit credendum, nisi priuilegij ablationem, aut renuntiationem ostendant,

ostendant, aut concessi priuilegij violationem probant; priuilegium negare non possunt, nisi negent Euangelium; neque probare possunt illius oblationem, cum hæc spectet ad solum Deum, quem non abstulisse certum est, quia nullibi reperitur in Sacra Scriptura, neque ex traditione habetur, quod hoc pri-
155 uilegium Christus reuocauerit, nullus Pontifex illi renuntiauit, quia non constat de hoc actu renuntiationis, immò nec renuntiare potest, cum sit ob publicam vtilitatem Ecclesiæ, certi autem iuris est, non posse huiusmodi priuilegiis pro bono communi inductis renuntiari; vnicum igitur refugium hæreticis remanebit, nimirum violatio priuilegij, quilibet enim suo priuilegio abuti potest, sicut contendunt, multos Pontifices abusos fuisse hoc priuilegio, quos referunt in factis specialibus, à nobis infra referendos, & refutandos. Tota ergo difficultas reducitur ad factum, hoc autem difficilis, & vt plurimum impossibilis probationis est, siquidem ea, quæ sunt facti sæpissimè pru-
156 dentes fallunt *l. 2. ff. de facti, & iur. ignor.* etiam Principes, *ex cap. 1. de constitut. in 6.* Rodr. *tom. 1. q. 59. art. 6.* præterquamquod facta, quæ Hæretici adducunt, sunt antiquissima, ac proinde præsumi possunt mendacia, & imposturæ antiquorum aduersariorum, ac proinde tanquam dubia, & incerta pro certis iudicari non possunt, consequenter reiicienda sunt tanquam mendacia, & imposturæ, & pro persona priuilegiata præsumendum est, cum constet de priuilegio. Immò stante hoc priuilegio, provt firmiter stat, locum non potest habere eius violatio in Pontifice, cum talis efficaciæ sit, vt Pontifex illud habens non possit errare, est enim priuilegium indeficientiæ fidei, ergo illud violari non potest à Pontifice, cum idem sit deficere à fide, quod negat priuilegium, & violare illud. Hæretici igitur dum factum probant destruunt priuilegium, ac proinde illud negant, ex quo apparet manifestum eorum mendacium, cum & ab ipsis legatur in Euangelio.

Præmitto tertio, quandocumque constat aliquem esse impeccabilem in omni, vel aliquo genere peccati ex priuilegio diuino, si ex alia parte appareat in eo aliquis actus, qui videatur peccatum, certè nullus sanæ mentis illum actum asserere potest peccaminosum, si enim huiusmodi iudicium facit, necessario destruit in eo existens priuilegium impeccabilitatis. Declaro rem, certum est Christum Dominum esse impeccabilem in omni genere peccati, de fide creden-
157 dum, secundum veritatem, de qua D. Thomas *par. 3. quæst. 15. art. 1.* Scotus *in 3. dist. 12. quæst. 1.* ex triplici capite, ratione vnionis hypostaticæ, ratione visionis beatificæ, & ratione personalitatis Verbi. Nihilominus aliqua leguntur in Euangelio acta eius, quæ primo aspectu arguunt peccatum, vt suffocatio porcorum in mari per immissionem dæmonum, Lucæ 8. arefactio ficulneæ ex maledictione, Matth. 21. adest enim in his tertij damnum, ergo peccatum, ergo destructio vt ita dicam priuilegij. Res tamen ita non est, subsistit Christi Domini impeccabilitas; illa suffocatio, & arefactio, quæ ab aliis extra Christum exercita fuissent peccata, in Christo nullatenus peccata sunt, ex ea differentia, quia Christus est Domi-
158 nus absolutus rerum omnium, iuxta illud Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, est enim secundum humanitatem Filius Dei naturalis, non adoptiuus, ac proinde Dominus, & hæres vniuersorum, vide D. Thomam *par. 3. q. 23. art. 4.* Scotum *in 3. dist. 10. q. 1.* Ideo illi actus Christo non imputantur ad peccatum, quia Dominus absolutus de suis rebus disponere potest pro suo libito, quia nulli iniuriam, aut damnum infert. Ad propositum, iam constat, omnes Romanos Pontifices esse Vallatos priuilegio indeficientiæ fidei, quod neque Hæretici negare possunt, si Euangelio Lucæ credere volunt, provt debent. Si quando igitur in Historiis legitur, Pontificem aliquem actum egisse, asseruisse aliquid, quod videatur pugnare cum eo priuilegio, reuera non pugnat, sed aliter vir si prudens est, interpretari illud debet in bonam partem excludendo violationem priuilegij, seu verius illius destructionem in Petro, in quo inseparabiliter est ad eum effectum, vt Papa omnia operetur in materia fidei secundum veritatem diuinæ reuelationis, ergo & pro talib. habendæ sunt omnes assertiones in hac materia à Pontificibus qualitercumque prolatæ, neque enim prudentis hominis est, sed insani, & seditiosi interpretari rem dubiam in malam partem, quando ratio dictat, accipiendam esse in bonam, secundum omnes Theologos, & Canonistas in cap. 2. de reg. iur.

His præsuppositis restat referre argumenta hæreticorum contra Pontifices, quos asserunt erralle siue ex Cathedra, siue extra. Quæ possunt opponere Petro iam resoluta fuerunt *cap. 3. q. 20. num. 59. & cap. 4. q. 4.* vbi fusè defendimus Petrum verum fidelem à quibuscumque calumniis hæreticorum vindicatum.

Victorem Papam I. electum primo Iunij 194. non 159
195. si die Sabbati electus fuit secundum Ciacconum accusant, quod docuerit Christum fuisse purum hominem, quam hæresim impingunt etiam Zepherino eius successori.

Respondetur, Victorem fuisse semper Catholicum, immo refert Eusebius lib. 5. cap. 22. tom. 1. Concil. ad decreta huius Pontificis, remouisse ab Ecclesia Catholica Theodosium Coriarium auctorem illius hæresis. Zepherinus vero in sua 2. Epist. ad Episcopos Ægyptios scribens apertè testatur Christum Dei filium his verbis: *Dominus omnipotens, & eius vnigenitus Filius, & Saluator noster Iesus Christus.* Adde, quod ipsemet Victor bene sciebat, & legerat Euangelium S. Matthæi, quod citat in sua secunda Epistola, in quo 16. 16. Filius hominis, quem Christus se vocauerat paulo ante, Petrus confitetur eundem filium hominis, Filium Dei: *Tu es Christus Filius Dei viui.* Non est ergo verisimile, Victorem talem protulisse temeritatem, vt negaret, quod certo sciebat ex Euangelio, quod aliis prædicabat.

Marcellinus electus 296. Deorum simulachris 160
thus adhibuit, vt ex eius vita, & Concilio Sinuessano contra ipsum Congregato constat, immò & in Breuiario Romano, in quo ea verba habentur sub die 16. Aprilis, ergo fuit hæreticus in suo facto.

Respondetur, concesso antecedenter, negatur consequentia, & consequens, quia ad incurrendam hæresim non sufficit actus externus illam indicans, nisi etiam correspondeat actus internus, & consensus cordis, constat autem Marcellinum non corde sed tantum manibus thus idolis adhibuisse ad euitandam mortem. Et reuera, quod errorem in intellectu non habuerit, videtur id colligi ex actibus Concilij prædicti, in quo seipsum condemnauit ibi: *Peccaui coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum.* Non dicit *coram Deo*, quoad errorem intellectus, sed tantum *coram vobis* quoad illum actum externum Thurificationis ordinatæ non ad idola vti Deos veros, quod sciebat esse falsos, latria incapaces, & indignos sed ad mortem euitandam. *Confirmatur* idem ex eius Epistola prima ad Salomonem Episcopum illum instruentis circa adorationem debitam non solum Patri, sed etiam Filio sibi æquali contra nonnullos hæreticos, qui dicebant soli Patri adorationem esse debitam sacrificij, cui offertur, & non Filio, adeo quod docet soli Deo, & Trinitati debitam esse adorationem, & sacrificium, consequenter non falsis Diis, non est ergo verisimile, quod verè Thus adhibuerit ex animo Diis falsis, sed tantum fictè, vt hoc modo mortem euitaret, peccauit ergo

ergo mortaliter sine vitio hæresis formalis. Non est ergo congrua responsio illorum, qui dicunt fuisse hæreticum ratione personæ, non officij, cum possit bene saluari etiam persona ab errore formali. Confirmatur vlterius ex lectione Breuiarij, ibi: *Petrum quoque propter eandem animi infirmitatem deliquisse.* Petrus autem nunquam fuit hæreticus ex probatis cap. 3. q. 20. num. 59. cap. 4. quæstione 4. ergo neque Marcellinus.

161 Liberius Papa electus 352. qui primo noluit consentire hæresi Arianæ neganti consubstantialitatem Filij cum Patre, iussu Constantij deportatur in exilium, deinde reuocatus, & restitutus in suam sedem ab eodem Imperatore, agentibus pro ipso Vrsacio, & Valente Episcopis Arianis, subscripsit in damnationem Athanasij, qui vt Catholicus erat contrarius Arianis, ergo Liberius subscribendo damnationem Athanasij protestatus fuit, & confessus hæresim Arianam, vt Papa, quia ex officio subscripsit.

Respondetur, Liberium semper impugnasse hæresim Arianam in Conciliis, & extra, vt videri potest in eius Epistolis tomo 1. Concil. à fol. 675. ad 695. Ad subscriptionem facilis est responsio, nam Liberius non potuit subscribere aliquam hæresim, quæ contineretur in illa scriptura condemnatoria, quæ tantum continebat nonnulla crimina extra fidem illi falso imputata, vt perterritus à fide Catholica recederet, ergo neque suspicionem hæresis per eam subscriptionem incurrit, communicando cum Arianis ratione subscriptionis, cum scriptura nullum contineret dogma contra fidem, aliud ergo est consentire in damnationem, aliud in hæresim, quod non fecit Liberius, ideo hæreticus non fuit, quia in hæresi non participauit. Ita Bellarm. lib. 4. cap. 9.

162 Fœlicem II. Anastasij filium, Liberio prædicto in exilium pulso à Cæsare in eius locum Sacerdotes ordinauerunt, post triennium reuocatus fuit Liberius, vt supra dictum fuit, reiecto Fœlice, qui erat Episcopus Arianus teste Hieronymo in Cathalogo Scriptorum his verbis: *In tantum autem sub Constantio Imperatore claruit* Acacius Episcopus Cæsareæ in Palæstina, *vt in Liberij locum Romæ Fœlicem Arianum Episcopum constitueret.*

Respondetur, Fœlicem nunquam saltem in Pontificatu fuisse Arianum, quia ex actis vitæ eius constat apud Damasum, & alios scriptores Martyrium subiisse, quia persequebatur Arianos. Dic insuper fuisse Antipapam, seu potius coadiutorem Liberij. Obseruant multi apud Bellarminum *lib.* 4. *cap.* 9. illam dictionem *Arianam* non reperiri in manuscriptis Hieronymi. Irrefragabile testimonium fidei Fœlicis sit Lapis marmoreus inuentus cum eius corpore in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani in foro Romano, nunc Bouario die 28. Iulij tempore Gregorij XIII. anno 1582. cum hac inscriptione. *Hoc est corpus Sancti Fœlicis Papæ & Martyris, qui condemnauit Constantium.* Damasus Papa scribit Constantium à Fœlice fuisse condemnatum in Concilio Romæ acto quadraginta octo Episcoporum, qui depositus de Episcopatu habitauit in prædiolo suo via Portuensi, vbi & requieuit in Pace quarto calendas Augusti, id est, 29. Iulij. In eadem Ecclesia, quæ est mei ordinis adhuc requiescit, & colitur, repertum autem fuit corpus illius in cauerna subterranea ad partem sinistram rotundi ingrediendo Ecclesiam, in veteri, à qua adhuc patet aditus ad locum illius corporis, vbi est paruus fons aquæ quam ex deuotione bibunt infirmi, cuius meritis frequenter recipiunt sanitatem. De quo infra q. 64.

163 Innocentio I. electo anno 402. tres impingunt errores. Primo dicunt, illum in Epist. 2. cap. 12. docuisse, sacram Virginem velatam nubendo, vel fornicando non esse recipiendam ad pœnitentiam, donec vixerit vir eius, qui cum ea peccauit. *Secundo*, in Epist. 18. ad Antiochenum scribit, ratum esse baptismum Arianorum, sed per eum non conferri Spiritum Sanctum. *Tertio*, in Epist. 22. cap. 1. dixit, habentem in vxorem viduam non posse fieri sacerdotem ex Leuitico, vbi Moyses præcipiebat, vt Sacerdos Virginem in vxorem acciperet.

Respondetur supradictas sententias nullum continere errorem, ad primum, quod habetur *cap. Quæ Christo* 10. 27. *q.* 1. intelligitur, ipsa manente in peccato cũ viro, cui nõ poterat nubere, gl. explicat, quod non recipit fructuosè pœnitentiam, vel quod remouetur à cõmunione Eucharistiæ, propter peccatũ sacrilegij violando fidem suæ Virginitatis Deo consecratam, non vero negatur illi pœnitentia conuersionis, quia Deus semper paratus est recipere pœnitentes. *Ad secundum* relatum *cap. Arianos* 73. 1. *q.* 1. respondeo, baptismum ab Arianis collatum valere quoad Sacramentum, & rem respectu paruulorum, non valere vero quoad Spiritum Sanctum respectu eorum, qui illud scienter ab hæreticis recipiunt non ex necessitate, sed tantum ex voluntate, cum illud recipere possint à Catholicis; & in hoc sensu loquitur nimirum de adultis Innocentius Papa. *Ad tertium*, in eo capite disponitur, ne quis Sacerdos, aut alias ex clero doceat viduam, vel eiectam, aliter perdat officium suum, non tamen Papa hoc præcipit quasi mandatum legis Mosaicæ seruandum sit, quod ex Leuitico citat, inde enim sumit argumentum, si enim Sacerdotibus illius temporis ex lege antiqua non licebat ducere viduam, multo minus Sacerdotibus nouæ legis.

Cœlestinus Papa à Laurentio Valla asseritur falso 164 Arianus, quia semper illi inimicus fuit, vt colligitur ex eius Actis & Concilio Ephesino relatis tom. 1. Concil. Æquiuocauit Valla in alio Cœlestino hæretico Pelagiano.

Leo I. dicitur errasse in Epistola 77. ad Nicætum, dicendo, mulieres putantes suos maritos esse 165 iam mortuos, aut non amplius redituros, aliis nubentes non peccare, quamuis teneantur redire ad primum maritum, si redeat.

Respondetur Pontificem ibi determinare, vxores secundum maritum debere relinquere, & priori obedire, qui eius est legitimus maritus, eas vero non peccasse, quæ bona fide existimabant maritum non esse amplius viuum. Lege Epistolam, vbi omnia sunt clara.

Gelasius duos errores docuit, inquiunt, vnum in 166 libro contra Eutichen, panem in consecratione non transubstantiari, sed manere cum carne Christi, alterum, esse sacrilegium sumere vnam partem Eucharistiæ sine altera.

Respondet Bellarminus illum libellum non esse Gelasij Papæ, lib. 4. de Pontif. cap. 10. Ad secundum patet eius veritas ex gl. in cap. Comperimus 10. distinctione 2. de consecratione quæ illud intelligit de Sacerdote sumente tantum vnam partem sine alia.

Anastasium II. in tribus volunt errasse. *Primo*, 167 communicauit Photino sine Concilio, qui communicauerat cum Acacio hæretico. *Secundo*, voluit occultè reuocare Acacium damnatum iam à Fœlice, & Gelasio. *Tertio*, approbauit Sacramenta baptismi, & ordinis collata per dictum hæreticum, apud Gratianum cap. Anastasius 9 dist. 19.

Respondetur ad primum, bene potuisse Anastasium absoluere Photinum emendatum à sua hæresi sine Concilio, quia Papa in sua potestate non dependet à Concilio, sed à solo Deo, Papa enim est maior Concilio, & supra Concilium, vt probatur infra cap. 6. q. 17. ideo eius Consilio, aut consensu non egebat. Ad

Ad ſecundum, iam Acatius mortuus erat, ideo falſo imputatur Anaſtaſio, quod vellet eum reuocare mortui enim non reuocantur, ſed viuentes, de qua re Pighius *lib.* 4. *Eccleſ.* Hierarch. *cap.* 8. Hoſius *lib.* 2. *propugnat. Doctrinæ Cathol. vide eius Epiſt. tom.* 2. *fol.* 463. *&* *Gratianum* non benè loquentem vbi cap. Anaſtaſius vti falſus reiicitur in correctione Decreti, de quo dixi etiam cap. 6. q. 36. Ad tertium, non errauit approbando pro validis ea Sacramenta, quia talia reuera ſunt Sacramenta collata ab hæreticis in forma Eccleſiæ, nunc declarata veritas Catholica ſub anathemate ſeſſ. 7. can 4.

168 Vigilium, ait Literatus cap. 22. ſui Breuiarij, ſcripſiſſe Epiſtolam ad Theodoram imperatricem, in qua confirmabat hæreſim, quam ſequebatur illa, excommunicando illos, qui aſſerebant duas naturas in Chriſto.

Reſpondetur, Vigilius, quando reſcripſit imperatrici nondum erat Papa, ſed per eam aſpirabat ad Pontificatum, promittendo illi, quod reſtituiſſet Anthimum propter hæreſim depoſitum ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano, ſi feciſſet eum eſſe Papam. Imperatrix procurauit expulſionem Syluerij veri Papæ ſucceſſoris Agapiti, qui depoſuerat Anthimum, & ſtatim Vigilius arripuit Papatum, qui poſtea noluit ſtare promiſſis de reuocando Anthimo, his verbis: *Abſit hoc à me, Domina Auguſta, prius locutus ſum malè*, id eſt, ante Papatum, *& inſipienter, modo autem nullo modo tibi contentio, vt reuocem hominem hæreticum.* Ex quo conductus fuit Conſtantinopolim, malè tractatus, & carceratus, tandem ex gratia Imperatoris Iuſtiniani Vigilius remiſſus fuit Romam, ſed in itinere Syracuſis deceſſit, cuius corpus delatum ſepultus fuit Romæ apud S. Marcellum via Salaria: Vigilius ergo fuit primò Antipapa electus anno 537. die 26. Aprilis contra Syluerium verum Papam viuentem, cui mortuo die 20. Iunij anno 540. ſucceſſit prædictus Vigilius die 28. eiuſdem menſis, & ſedit vſque ad annum 556. Conſtat ex his, tempore, quo fuit Antipapa, & poſtea verus Papa, illam promiſſionem, quam poſtea nunquam fuit executum, non feciſſe imperatrici, & cum fuerit tantum ficta inde colligi non poteſt, etiam ante Papatum, hæreſim commiſiſſe, tùm quia promiſſionem fingebat, non animo adimplendi, ſed alliciendi Imperatricem, vt procuraret eius electionem contra Syluerium, tùm quia aliud eſt committere hæreſim, non enim tùm formaliter hæreticus, licet ſim vehementer ſuſpectus de hæreſi.

169 Gregorius I. errauit, permittendo præsbyteris miniſtrare Sacramentum confirmationis, quod de iure diuino competit ſolum Epiſcopis, vt docent Theologi cum de hoc Sacramento agunt.

170 Reſpondetur, Non erraſſe, Papa enim de plenitudine ſuæ poteſtatis poteſt hanc facultatem delegare ſimplicibus Sacerdotibus, quod præſtitit Alexander VIII. & Gregorius XIII. Sacerdotibus Ordinis Minorum, vt vbi non ſunt Epiſcopi in Indiis, poſſent fideles confirmare, quæ delegatio legitur in Concilio Florentino, quandoque facta, & non reprobatur, vnde ibi Epiſcopus vocatur miniſter ordinarius, ſicut & in Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 3. vbi anathematizatur dicens, quemlibet ſimplicem Sacerdotem eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti, quod inſinuat eidem poſſe delegari à Papa, cum ſimpliciter non prohibeatur, ſed ſolum definiatur, quod non eſt miniſter ordinarius, ergo poteſt eſſe delegatus. Demum, concedamus, quod Papa non poſſit delegare ſimplici Sacerdoti miniſterium Confirmationis, adhuc per hoc, non dicitur errare in fide, ſed præterire limites ſuæ poteſtatis, quæ illum non facit hæreticum?

Bonifacius V. in Epiſtola ad Eduinum Regem Anglorum docuit, Chriſtum humanum genus redemiſſe tantum à peccato originali, referente Beda lib. 2. Hiſtor. Anglorum cap. 10. 171

Reſpondetur primò deprauatum fuiſſe textum Epiſtolæ additione vocis *Solo* hoc modo. *Qui pro veſtra Redemptione Filium ſuum vnigenitum miſit, vt vos ab originali ſolo eriperet.* Dele taxatiuam, quæ errorem inducit, & fit illius, qui eam adiunxit, error. Secundò, abiecta taxatiua, ſub peccato originali tanquam principali comprehenduntur cætera actualia ei acceſſoria, quæ illius naturam ſequuntur, nam non ſolum originale, verum etiam actuale indiget Redemptione, ergo qui principale expreſſit, non ideò excluſit minus principale, & acceſſorium, ex neceſſaria coniunctione vnius cum alio, non enim remittitur vnum peccatum ſine alio.

Honorius I. dicitur hæreticus Monothelita à Nilo in ſuo libro *de primatu Pontificis*, & à Cano *lib.* 6. *de locis Theologicis cap. fin.* Res videtur certa ex tribus Conciliis Generalibus in quibus talis vocatur, iubens omnibus dicere, Chriſtum non habere duas voluntates, nec duas operationes, vt videre eſt in ſexta Synodo *Act.* 4. 12. *&* 13. in ſeptima *Act.* 3. 7. *& fin.* & in octaua *Act.* 7. & ita ſentire multos Catholicos docet Bellarminus *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 11. qui tuetur Honorium ab huiuſmodi hæreſi. 172

Reſpondetur igitur primo auctoritate Sanctorum Patrum, & præcipuè Sancti Maximi, qui aſſerit Honorium ſemper fuiſſe Catholicum, illis enim Conciliis, præſertim 6. *Act.* 12. *&* 14. addiderunt multa falſa, & illud anathema contra ipſum mortuum ac ſi tunc fuiſſet viuus. Secundò Agatho Papa relatus in Act. 4. 6. Synodi in ſua Epiſtola ad Imperatorem apertè aſſerit, nullum Pontificem hactenùs erraſſe his verbis: *Hæc Apoſtolica eius Eccleſia nunquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt*: Iterùm paulò infra. *Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit.* Eccleſia autem Apoſtolica eſt Congregatio fidelium ſub vno capite nuncupato Pontifice Romano, certiſſimum eſt totam Eccleſiam errare non poſſe, dubium autem non eſt, aliquos de Eccleſia erraſſe, vt conſtat de hæreticis, qui alias membra Eccleſiæ errauerunt, quomodo ergo Eccleſia Apoſtolica nunquam erraſſe probabitur, cum aliqua eius membra olim errauerint? vt Eccleſia dicatur non erraſſe, nec errare poſſit, ſufficit, quod caput nunquam erret, de ipſo namque loquitur Papa Agatho dum aſſerit Apoſtolicam Eccleſiam nunquam deflexiſſe à via veritatis in qualibet erroris parte. Et hoc declarat ipſemet Pontifex paulò infra his verbis: *Conſideret itaque veſtra tranquilla Clementia* (alloquitur Imperatorem) *quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum.* Si ergo nullus Pontifex eius prædeceſſor errauit, neque Honorius eius prædeceſſor, quod confirmatur, quia in eadem Epiſtola ſubſequitur referendo hæreticos Apollinarem, Theodoſium, Cyrum, Theodorum, Sergium, Pyrrhum, &c. nulla facta mentione Honorij, ergo ipſe non tenebat hunc errorem. Neque illi obſtat propria Epiſtola extenſa in Act. 12. Sextæ Synodi, quia in ea non negat duas voluntates, in Chriſto, ſicut ſunt duæ naturæ in eodem, ſed eas admittit, & ſolum negat illas ad inuicem contrariari, & aduerſari, ideò enim hæretici in Chriſto negabant

negabant pluralitatem voluntatis, vt saluarent vniformitatem carnis cum diuina voluntate, ne ipsi cogerentur admittere contrarietatem in Verbo propter libertatem voluntatis ignorantes qua ratione tuerentur libertatem humanæ naturæ in Christo; & hoc clarè colligitur ex eius Epistola ibi: *Et vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profectò à diuinitate assumpta est nostri natura.* Illis temporibus non disputabatur, neque in dubium reuocabatur, an Christus secundum quod Deus est, haberet voluntatem diuinam, ab ipsis enim hæreticis non negabatur, ideò sola difficultas erat circa voluntatem humanam, an esset in Christo, sicut erat natura humana, & hoc asserit in prædicta sententia Honorius Papa, ibi enim exprimit voluntatem humanam in Christo quam dicit esse vnam ex vnitate naturæ humanæ, reddendo rationem *quia profectò à diuinitate assumpta est nostri natura*; & ad hoc adducit multas auctoritates Sacræ Scripturæ; præcipuè illam claram. *Non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me Patris, & non quod ego volo, sed quod tu vis Pater.* Ecce quod distinguit Papa ex Scriptura voluntatem humanam Christi passuri vt hominis à voluntate diuina, quam vnicam cum Patre habet, subiiciendo propriam voluntatem humanam voluntati suæ diuinæ. Quod verò harum duarum voluntatum in Christo inconfusè, & impermixtæ duæ sint operationes inter se distinctæ, an vero in vnam vniantur? hoc vlterius disputabatur, & respondet: *Vtrum autem propter opera diuinitatis, & humanitatis geminæ operationes debent deriuatæ dici, vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent paruulis exquisita deriuando nomina vendicare. Nos enim non vnam operationem, vel duas Dominum Iesum Christum, eiusque Sanctum Spiritum Sacris literis percepimus, sed multiformiter cognouimus operatum.* Et paulò infra aperit suam sententiam his verbis. *Simpliciter, atque veraciter confitentes Dominum Iesum Christum vnum operatorem diuinæ, atque humanæ naturæ.* Et bene, ac Catholice vnus operator, quia vnum est subsistens ex duabus naturis conflatum, & Epistolam concludit his verbis: *Hortantes vos, vt vnius, vel geminæ nouæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, vnum nobiscum Dominum Iesum Christum Filium Dei viui, Deum verissimum, in duabus naturis operatum diuinitus, atque humanitus, fide orthodoxa, & vnitate Catholica prædicetis.* Nihil clarius dicere poterat de duabus voluntatibus in Christo. Harum autem voluntatum, essetne vna, an gemina operatio noluit determinare, tanquam quid parui momenti & grammaticale, non vtile ad fidem, sed permisit, vnumquemque abundare in sensu suo. Et cum Patres in Concilio animaduertissent Epistolam Honorij lectam nullum continere errorem, quærebant alias eius Epistolas, vt textus ibidem habet: *Oportet ad nos adferri regesta, ac dogmatica scripta, quæ exposita sunt à Sergio quondam Patriarcha huius regiæ vrbis, siue ad Honorium, vel Cyrum, vel Sophronium, aut etiam ad alias personas, seu ab Honorio ad Sergium facta super præsenti dogmaticâ quæstione.* Et aliæ inuentæ non sunt, quæ errores continerent, ea enim in Actis refertur. Concluditur ergo, quod Honorius nunquam fuit hæreticus, quia duas voluntates asseruit in Christo, an vero vna, vel gemina operatio super hoc nil determinauit, ideo neque ex hoc capite potest dici hæreticus, & quia nihil asseruit, & quia hoc de fide determinatum fuit in eo Concilio, damnata opinione de vna tantum operatione, vt refert Diuus Thomas *par. 3. quæstione decimanona, articulo primo.* Hoc certum igitur est, quod tempore Honorij cuique erat liberum opinari super hac re, ideo nullus poterat de hæresi notari.

Bellarminus prosequitur defensionem Honorij, referendo, sub Martino I. tribus intermediantibus Romanis Pontificibus, celebratum fuisse Concilium ex centumquinque Episcopis, in quo super eadem quæstione damnati fuerunt eius fautores, Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, nulla facta mentione Honorij, neque enim verisimile est, quod ea Synodus voluisset dissimulare tantum errorem in Pontifice Romano. Infertur ergo ea tria Concilia fuisse deprauata, vel in facto errasse, inhærendo suggestionibus inimicorum Honorij.

Martinus I. errauit docendo in Epistola ad Amandum, non esse parcendum sacerdotibus, neque Diaconis post ordinationem peccantibus. 173

Respondetur Martinum hoc non dixisse, sed tantum esse deponendos his verbis: *Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotij poterit adipisci, sed sufficiat ei lamentationibus, fletibusque assiduis, quousque vixerit, in eadem pœnitentia perseuerare.* Illis ergo non negatur pœnitentia, sed solùm ascensus ad ordines.

Gregorius III. ad Bonifacium, mandat iterùm ordinari eos, qui fuerant ordinati ab illis Episcopis, quos ipse non miserat. Addunt alium errorem, quod docuerit, licere vxorato aliam ducere in vxorem, quando prior vxor non potest illi reddere debitum propter aliquam infirmitatem. 174

Respondetur Bonifacio Episcopo, an Præsbyteri ordinati ab Episcopis incognitis & dubiis, debeant iterum ordinari? his verbis: *Ab Episcopo suo benedictionem Præsbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.* Ita Epistola eius 4. Nullus hic error est, sed sana Doctrina, quod ordinati à non Episcopis, vel de quibus dubitatur, ordinentur sub conditione, si illi non erant veri Episcopi, nemo de hac veritate dubitat. Ad secundum in Epistola tertia, ad eundem Bonifacium relata cap. Quod proposuisti 18. 32. quæstione septima, Papam ibi loqui de impedimento dirimente. *Si fortè coire nequibis.* Vide Sanchez, *libro septimo, disputatione nonagesimatertia.* Vel dic errasse in facto particulari, quod non est contra fidem, sibi non bene narrato.

Nicolaus I. errauit docendo, tenere baptismum collatum in nomine Christi, personis non expressis, habetur, *cap. A quodam iudæo 24. dist. 4. de consecr.* 175

Respondet Bellarminus *libro quarto, capite duodecimo*, Epistolam Zachariæ, quæ nititur Concilio Anglicano definiente baptismum esse dandum cum expressione trium personarum esse suspectam, quia in duobus Conciliis Anglicanis nihil reperitur de baptismo, ideò Nicolaum ex hoc non errasse; adeò quod Nicolaus loco citato vtitur disiunctiua hoc modo. *Hic profectò, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, vnum quippe, idemque est, vt sanctus exponit Ambrosius, constat eos non esse baptizandos.* Tempore igitur Nicolai I. vtroque modo collatum baptismum tenebat, quia nomine Christi implicite includitur Trinitas personarum. Papa ergo non errauit, neque contradicit decretis Ecclesiasticis, quia nondum definitum erat, vt baptizaretur cum expressione trium personarum vt tandem in Concilio Florentino statutum fuit, vt in forma huius Sacramenti exprimantur formaliter tres personæ. 176

Stephanus

177 Stephanus VI. irritauit acta Formosi, & ordinatos ab illo fecit reordinari, & postea Ioannes IX. reiectis decretis à Stephano factis contra Formosum, approbauit acta eiusdem Formosi. Demum Sergius Papa irritauit acta Formosi approbata a Ioanne, reprobando etiam acta huius Ioannis, & restituendo acta Stephani. Sequitur ex his, aliquem illorum errasse in fide ex huiusmodi contrarietatibus.

℟. Errasse Stephanum, & Sergium non contra fidem, sed in proximum suo prauo exemplo, & priuato odio contra illos. Vide Bellarm. *lib.* 4. *c.* 12.

178 Ioannes XIII. seu XIV. errauit, inquiunt, sacrilegio horrendo baptizando Campanas.

℟. Esse vulgi deceptionem, nam Campanæ dicuntur benedici, seu consecrari in ordine ad diuinum cultum, non vero baptizari in ordine ad remissionem peccatorum.

179 Syluester II. erat magus à Diabolo discerptus in Ecclesia S. Crucis in Ierusalem; isti autem communiter sunt hæretici, quia dæmonem colunt pro vero Deo.

℟. Bellarminum *lib.* 4. *cap.* 12. vocare fabulam, & calumniam in virum Dei.

180 Gregor. VIII. in multis accusatur testimonio vnius Cardinalis dicti Benonis illius tempore viuentis, & eius vitæ scriptoris. *Primò*, quod per vim militarē inualerit Pontificatum omnib. dissentientib. *Secundò*, excommunicasse Henricum IV. Innocentem. *Tertiò*, vocauit illum hæreticum Berengarium, quia non credebat corpus Christi vere esse in Eucharistia. *Quartò*, vocat illum magum, Simoniacum, adulterum, homicidam, & cum omni genere vitij inuolutum.

Bellarminus *lib.* 4. pro illius innocentia refert triginta duos auctores, quibus probat illius sanctitatem, & à calumniis vindicat. Cardinalis ille Benno erat Pseudocardinalis sectator Antipapæ Clementis III. ideò mirum non est, si tot calumniis illum percussit.

Ad primum. Platina cum aliis testantur, legitimè fuisse electum, imò ipsemet Greg. in sua prima Bulla testatur se inuitum fuisse assumptum à Papatum his verbis: *Tu mihi testis es* (alloquendo S. Petrum) *& Domina mea Mater Dei, & beatus Paulus frater tuus inter omnes sanctos, quod tua sancta Romana Ecclesia me in vitam ad sua gubernacula traxit.* Clariùs in vltima Bulla *vos enim scitis* (alloquitur eosd. Apostolos) *quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, & inuitus vltra montes cum D. Papa Gregorio abij, sed magis inuitus cum D. meo Papa Leone ad vestram specialem Ecclesiam redij, in qua vtcumque vobis deseruiui. Deinde valdè inuitus, cum multo dolore, & gemitu, ac planctu in throno vestro vadè indignus sum collocatus.* Et ex his patent magis mendacia iniqui Bennonis. Ita S. Anselmus Episcopus Lucensis ad Antipapam.

Ad secundum S. Stephanus Halberstatensis Episcopus affirmat, Gregorium iustè excommunicasse Henricum, qui verè erat Simoniacus vendens prælaturas modo pro adulterio, modo pro gladio, & pro Sodomia.

Ad tertium Guitmundus *lib.* 3. *de Euchar.* testatur Gregorium ante Pontificatum, & Thomas Valdensis *tom.* 2. *de sacram. cap.* 43 & in Pontificatu semper confutasse errorem Berengarij.

Ad quartum, Scriptores omnes fatentur Gregorium fuisse hominem sanctum, pium, iustum, castum, & Deum timentem. Lege eius Bullas in Nouo Bullario, ex quibus colliges, hæc esse vera.

In confirmationem prædictorum adde, quod inimici testimonium odiosum manifestum continet mendacium, ideò nullus inimicus admittitur in testem *cap. suspectos* 4. 3. *q.* 5. Et ex his patet, ea, quæ dixit Benno Cardinalis intrusus capitalis inimicus Gregorij, obsequendo impium Imperatorem, & suum Antipapam, prorsus fide carere, & esse, expressa mendacia, maximè cum in his nullum habeat sociũ iniquitatis.

Alexander III. duos errores commisit, primus refertur *cap. Cum esses de testam.* vbi ait alienum esse à diuina lege, & consuetudine, quod in testamentis requirantur plusquam tres testes, vnde sub pœna excommunicationis mandat, vt non rescindantur testamenta cum solis tribus testibus facta. Secundus exprimitur *in cap. Licet, de sponsa duorum*, vbi dicit, matrimonium tantum ratum non posse dirimi, cuius oppositum docuerunt eius successores, aut igitur isti errauerunt, vel ille. 181

℟. In neutroque casu errasse, ideò respondetur ad primum, legem diuinam in testamentis non præscribere septem testes, ideò factã coram duobus, aut trib. testibus iuxta legem Euangelicam, quæ dicit, in ore duorum, vel trium testium stare omne verbum, valere in ordine ad pias causas, & id communiter docetur ab omnib. cum Couar. *in dictum cap.* Tuscho *litt. T. concl.* 116 *num.* 36. Gratian. *Discept.* 605. *n.* 24. & 25. Ad secundum dico, bene locutum fuisse Alexandrum, matrimonium ratum non posse solui per aliud matrimonium etiam consummatum superueniens, id enim semper tenuit Ecclesia, adeo quod dissolui non potest ratum, nisi per professionem in religione, ex Tridentino *sess.* 24. *can.* 6. vnde Innocentius III. relatus *cap. fin. de sponsa duor.* reprobauit consuetudinem Mutinensis Ecclesiæ, quæ contra Doctrinam Apostolicam asserebat dirimi per subsequens consummatum. Nec fauent hæreticis verba Alexandri in fine dicti capitis licet, *Quamuis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando indicatum.* Nam nomine prædecessorum non veniunt Pontifices Romani, sed nonnulli Episcopi Mutinenses, qui ex quadam consuetudine ibidem cap. fin. reprobata volebant solui primum matrimonium ratum per secundum consummatum, adeo quod nomine *Prædecessorum* veniunt illi Episcopi sic dicti ratione temporis, non ratione officij, & ita colligitur ex Gloss. fin. dicti capitis licet.

Cœlestinus III. docuit per hæresim superuenientem solui matrimonium, itavt liceat iniri secundum, 182 quem redarguit Gloss. *in cap. quanto* 7. *de diuort.* vbi citatur ab Innoc. III. definiente, matrimonium non dissolui, per superuenientem hæresim alterius coniugis, quod asserere, est hæreticum definitum in Tridentino *sess.* 24. *can* 5.

℟. Illis temporib. rem fuisse in libera opinione, nõdum definitam, ideo, neutrum Põtificem errasse, quid simile refertur *in cap. Cum Marta* 6. *de celebr. miss.* vbi diuersas refert opiniones de conuersione aquæ in vinum intra calicem, nulla reprobando, sed probabiliorem tantum iudicando, quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem Christi conuerti, vt expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. Bellarminus *lib* 4. *c.* 14. dicit, illos Pontifices non fuisse locutos ex Cathedra, sed secundum proprias opiniones, quod idem est cum nostra responsione.

Innocent. III. *in cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit.* 183 malè docet, legem veterem nondum in totum esse abrogatam, quod est contra fidei stabilitatem Act. 15.

℟. Papam id non docere, sed per legem Deuteronomij instruit ea, quæ spectant ad legem Christi, in eo, quod lex vetus erat figura nouæ.

Nicolaus IV. *in cap. Exiit de verb. signif. in* 6. definit, 184 Christum fuisse pauperem, & nihil habuisse in communi, & in particulari. Ioannes vero XXII. oppositum sentit in extr. Cum inter nonnullos, definiendo esse hæreticum dicere, Christum talem paupertatem verbo, aut exemplo docuisse. Quæ repetit in alia incip. Quia quorundam.

Bellarminus *lib.* 4. *de Pontifice cap.* 14. ait tres quæstiones tractari inter Nicolaum, & Ioannem. Prima est, an in rebus vsu consumptibilibus possit separari vsus

vsus à dominio. Negat huiusmodi separationem Ioannes, quam ante concesserat Nicolaus, & Clemens V. in Clement. Exiui, de verb. signif. & est Doctrina communissima, cuius auctores refero *Resol.* 43. *numero* 10. Et ita ait, ambos discordare in hoc ad inuicem, non tamen per hoc errare vnum illorum, quia non est materia de fide. Sayrus vir Doctissimus in sua Claui *lib.* 9. *cap.* 7. *num* 18. concordat vtrumque Pontificem quod Nicolaus distinguens vsum à dominio intelligatur de vsu dependenter ab alterius voluntate, exemplificando in precario. Ioannes verò non distinguens loquatur de vsu independente ab alio, qui est vsus perfectus, & absolutus nullatenus distinctus à dominio, si vero spectatur vt imperfectus dependens ab alterius voluntate certè distinguitur secundum Nicolaum. Sed contra Sayrum dici potest, vtrumque Papam loqui in ordine ad Fratres Minores, consequenter de vsu religiosorum in reb. consumptibilibus, qui semper spectatur vt dependens à voluntate superioris.

Secunda quæstio, an paupertas omne dominium excludens, solo vsu consensu sit sancta, & meritoria? Affirmat Nicolaus, negat contra ipsum Ioannes *in extrauag. Ad Conditorem.* Sed neuter id determinat, solum loquuntur respectiuè ad primam quæstionem, & sicut melius sensit Nicolaus distinguendo vsum à dominio in consumptibilibus, ita & in hac congruenter loquendo, melius sensit, inferendo paupertatem huiusmodi esse sanctam, & meritoriam, quam Ioannes id negando ex suis principiis. Quamuis autem hæc quæstio ad mores pertineat, tamen nullus eorum errauit, non Nicolaus, qui bene sensit, non Ioannes, quia hæc quæstio non fuit ibi definita, sed alia determinata, nempe, Ioannem renuntiasse iuri, & dominio rerum donatarum Franciscanis, quod ad Ecclesiam spectare decreuerat Nicolaus.

In tertia quæstione de paupertate Christi consistit tota difficultas, sed reuera neque discordant, nam Nicolaus non negat, Christum aliquando habuisse aliquid proprij in communi, sed negat, hanc vitam Christum semper transegisse. Neque Ioannes negat, Christum habuisse aliquando nihil nec in particulari, nec in communi, sed negat talem vitam semper egisse. Secundum ergo vtrumque Pontificem, Christus aliquando habebat aliquid, aliquando nihil, itaque nec semper fuit pauper, nec semper diues.

Corduba *libro quarto, suæ Theologiæ quæstione* 3. *in respons. ad* 5. *argument, Paragrapho Igitur quinto,* respondet, Nicolaum, quando dixit, Christum nihil habuisse proprij in communi, nec in particulari, locutum fuisse de Christo vti priuata persona, non vti prælato, & pastore informante Ecclesiam, in quo posteriori sensu locutus fuit Ioannes, dum asseruit hæreticos asserentes, Christum habuisse aliquid in communi, & in particulari, id est, pro se, & Ecclesia, cuius erat Pastor.

Dictus Corduba asserit, quosdam referre, Ioannem in extremis laborantem se retractasse, quia eam ediderat constitutionem in odium Fratrum Minorum. Sed meo iudicio hoc dictum est apocryphum, & falsum *Tum quia*, sequeretur illum ex Cathedra errasse in fide, quod dici non debet. *Tum quia*, non constat de reuocatione, quam publicè debuisset facere. *Tum quia*, obstat eius insertio in corpore iuris, quod insinuat eius perpetuam subsistentiam. *Tum quia*, Fratrum Minorum fuit amantissimus Pater, tuendo illorum ordinem damnando errores Ioannis de Voliaco contra ordines Mendicantium.

Aluarus Pelagius *lib.* 2. *de Planctu Eccles. art.* 56. & 59. concordat Ioannem cum Nicolao, nam dicit Nicolaum asseruisse Christum cum Apostolis non habuisse proprium iure ciuili scilicet imperatorum, sed hoc modo fuisse pauperem, quia nihil habebat iure ciuili; Ioannes verò asseruit habuisse proprium quantum ad simplicem vsum facti, & quantum spectat ad administrationem.

Faber *de restitut. disput.* 45. de hac re fusè agit cap. 2. vbi vide illum confutantem Aluarum *num.* 41. qui Faber *num.* 56. & 60. *fine capitis* conciliat Ioannem, & Nicolaum, vt facit Bellarminus, nimirùm Christum aliquando nihil omnino habuisse secundum Nicolaum, aliquando vero habuisse proprium ex administratione, vnde Ioannes *in Extr. Quia quorundam*, expresse asserit, se nihil dicere contra Nicolaum, sed cum eo conuenire, ideò aliud testimonium huius rei quærendum non est.

Itaque cum isti Pontifices in hac tertia quæstione, quæ facit ad rem præsentem, ad inuicem non aduersentur, vt ipsemet Ioannes testatur, corruit obiectio hæreticorum, dum volunt alterutrum errasse in rebus fidei, dum vnus asseruit Christum pauperem, alter verò aliquid habuisse, scilicet diuersis temporibus; facit illud D. Aug. *distingue tēpora, & concordabis scripturas.*

Ioannes idem XXII. asseritur reus aliorum duorum errorum. Primus est, quod docuerit animas beatorum non visuras Deum nisi post resurrectionem. Secundus, quod docuerit animas esse mortales. 185

℞. Ioannem sub Pontificatu huius non fuisse opinionis, & erroris, vnde testibus Benedicto XII. in sua 4 Bulla incip. *Benedictus Deus,* & Ioanne Villano *lib.* 11. *Histor. cap.* 36. rem hanc, quod animæ beatorum vident Deum ab initio suæ beatitudinis, sed morte præuentus id expedire non potuit, quod Benedictus definiuit. Secundi erroris auctor est Caluinus mendax, qui nusquam legitur protulisse Ioannem Pontificem verum Catholicum, rem de fide declarauit Leo X *Bulla* 5. §. 5.

Ioannes alter XXIII. negauit vitam æternam, & carnis resurrectionem, de quibus accusatur *in sess.* 11. *Concilij Constantiensis.* 186

℞. Fuisse calumniam, nam in multis accusatur à suis æmulis, vt via pararetur ad depositionem à Pontificatu, immò nihil contra ipsum ibi probatur, vt videre est articulo vltimo contra ipsum in dicto Concilio. Adde quod præsumebatur Antipapa. Sed melior est prior responsio.

Benedictus XII. in eodem Concilio Constantiensi sess. 37. damnatur eo, quod dixerit, Concilium non habere maiorem potestatem Papa. 187

Respond. fuisse Antipapam; vel dic se defendisse. Sed de hac re dicam cum de Conciliis.

Eugenius IV. in Basiliensi damnatur ab eo Concilio de hæresi; sed reuera ea fuit calumnia, & Conciliabulum contra verum Pontificem. 188

* Innocentius VIII. permisit Noruegis, vt sine vino missam celebrarent. 189

℞. Bellarminus lib. 4. c. 14. errasse facto, non dogmate. Dic tu colligi solum, non punisse hunc errorem, illum tamen non approbasse.

Quæres 38. An Papa hæreticus deprehensus deponi possit? Quæstio procedit in sententia eorum, qui tenent, Papam errare posse in fide vt persona priuata, nam omnes Catholici conueniunt, ipsum ex Cathedra non posse errare. Quare in mea sententia quæstio locum non habet.

℞. Papa hæreticus deponitur à Papatu ex cap. Si Papa 6. dist. 40. illis verbis: *Cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius.* Difficultas sola remanet circa iudicem, & modum deponendi illum. 190

Prima sententia Turrecrematæ libro 4. par. 2. cap. 20. asserentis, Papam hæreticum etiam occultum esse extra Ecclesiam, atque à Deo depositum, & de facto deponi, si nolit cedere.

Non

Non placet, quia licet hæreticus etiam occultus sit membrum præcisum ab Ecclesia secundum Deum, vt probaui capite primo, quæstione vigesimaquarta, tamen Ecclesia id ignorat, quandocumque sibi non constat de hæresi, consequenter Papa hæreticus, de cuius hæresi non constat, nisi apud Deum, non potest dici depositus, provt depositio dicit actum iudicialem faciendum canonicè per aliquem iudicem secundum allegata, & probata, non sufficit ergo diuina depositio, sed necessaria est humana, sicut enim per humanam actionem publicam, & solemnem quis eligitur in Papam, ita & per publicam, & legitimam actionem venit deponendus, depositio enim debet esse publica, sicut institutio, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. Ita docet Bellarminus libro secundo, de Pontifice capite 30. vbi ait, quod sicut Papa per homines eligitur, ita per homines deponitur, aliter dicitur permanere in suo officio.

Secunda sententia est Caietani capite vigesimo, & vigesimoprimo, de auctoritate Papæ & Concilij, dicentis, Papam manifestè hæreticum non esse ipso iure depositum, sed posse, & debere deponi ab vniuersa Ecclesia potestate ministeriali minore potestate Papatus, quod declarat, & simul probat distinguendo tria in Papa, personam, Papatum, & coniunctionem vtriusque quod postremum ait fieri ab electoribus, & electo, dum suum præstat consensum in electionem, Persona est à suo Patre, Papatus vero à Christo immediatè; coniunctio vero vtriusque, non est à Deo immediatè, sed mediante ministerio electorum, & electi, qui consentiendo producunt talem coniunctionem, quare sicut potestate humana fit, ita & potestate humana destrui potest, quæ est minor Papatus potestate, vt notum est, Cardinales enim in eligendo Papa minoris sunt potestatis, cum non sint supra, Papam, sed infra illum, & illi subiecti, igitur destructio coniunctionis Papatus pendet ab humana potestate, consequenter Papa probatus hæreticus deponi potest. Suadet hoc exemplo Philosophico, nam sicut Sol & homo generant hominem, qui consistit in coniunctione animæ cum corpore, aut ex ea resultat & constat, neutrum posse super animam, præuenit de foris, sed supra coniunctionem illam ex parte corporis, quæ est materia, ita consensus electorum, & electi generant hanc coniunctionem Papatus, & Personæ, itaque corrumpitur per depositionem huiusmodi coniunctio, adeo quod Concilium auctoritate coactiua potest destruere non Papatum, sed coniunctionem huiusmodi. Et quærenti, quomodo præambula fiant, & qua auctoritate formetur processus cum ante depositionem adhuc remaneat Papa? sibi Caietanus respondet, quod ea auctoritas se extendit ad omnia præambula, quorum nullum necesse est esse coactiuum, sufficit enim quod sit intimata, & reprehensiua. Fundamentum igitur Caietani in eo consistit, quod Concilium bene potest, licet sit inferius ad Papatum, deponere Papam, quia destruit non dignitatem Papalem sed coniunctionem illam inductam potestate humana mutui consensus electorum, & electi.

Contra est, quia supponitur, quod probandum erat, illam nimirum coniunctionem, in qua fundatur Caietanus, Papatum cum persona electa esse opus humanum resultans ex mutuo consensu electorum, & electi concurrentium in electionem, nam id falsum est, cum sit opus solius Dei vnire, & coniungere dignitatem hanc cum persona consentiente in suam electionem, & acceptationem dignitatis, qui sicut potest non cōsentire in electionem, ita nec acceptare à Christo immediatè dignitatem, quam illi Deus in tantum confert, in quantum consentit in electionem de se factam ab electoribus; quod autem electores non faciant hanc coniunctionem Papatus cum persona electa suadetur, quia quandoque dissolutum est capitulum, seu Conclaue Cardinalium completa electione, de qua constat, ad quam ex parte electorum nihil desideratur, adeo quod remanet solus consensus ex parte electi, qui consensum, si vult, differre potest, immò si electus abest, multum temporis intercedere potest inter electionem, & consensum electi, ita quod Papatus à Christo non vnitur personæ nisi consentienti, ergo electores in hoc casu cum non amplius sint secundum illud esse formale electionis, cum Capitulum, & conclaue distractum sit, non possunt facere hanc coniunctionem; cum ex dissolutione Capituli non amplius in illis vigeat virtus electiua, sed extincta sit cum capitulo, iam enim functi sunt officio suo consistente præcisè in electione personæ, & non in collatione, ergo ex hoc capite actione humana Papatus non vnitur electo. Neque ipsemet electus per consensum dicitur efficere hanc coniunctionem, quin se habet merè passiuè recipiendo dignitatem. Præterea communitas eligens non tribuit Potestatem electo, quam à iure habet vel humano, vel diuino, sed solum personam demonstrat, ad quam consentientem necessitate iuris sequitur dignitas, coniunctio igitur non est ab electoribus, sed à conferente dignitatem. Deinde, coniunctio huiusmodi sequitur vti quædam formalitas metaphysicalis ex collatione facta Papatus personæ electæ, in tantum enim dignitas coniungitur cum persona dignificata, in quantum eidem communicatur, confertur, & traditur; sed à solo Deo dignitas Papatus confertur personæ electæ consentienti, quod non negat Caietanus, cum sit id de fide, probatum hic quæst. 8. ergo ex collatione sequitur coniunctio ex natura rei, & non ex electoribus, neque electo. Insuper loquendo de depositione, non mera formalitas coniunctionis dissoluitur, sed destruitur in subiecto dignificato dignitas, nam directè, & formaliter iudex cum deponit aliquem non intendit destruere coniunctionem, sed propriè & reuera suam intentionem dirigit in subiectum, à quo efficaciter remouet dignitatem per illius destructionem, vt notum est in omnibus officialibus demerentibus, à quibus per depositionem destruitur forma dignitatis, ergo idem dicendum est respectu Papatus, si aliqua potestate humana Papa deponi potest in casu hæresis, deponere enim Papam, & destruere illam coniunctionem reuera nihil aliud est, quam in persona destruere Papatum, ergo destruitur potestas maior à potestate minori, contra naturam virtutis potestatiuæ, nam minor non agit in maiorem, cum semper succumbat. Ex quo etiam patet differentia inter Animam rationalem, & corpus, nam anima cum sit immortalis deponitur siue sui destructione cum sola læsione corporis, Papatus vero forma non est incorruptibilis, sed cum qualibet persona moriente naturaliter vel ciuiliter extinguitur, cum sit accidens non transmigrans de subiecto in subiectum de nouo, cum in eo non esset ante, adeo quod multiplex est numero, licet vna specie. Loquendo vero de generatione hominis, & de creatione Papæ, paritas in eo currit, quod sicut anima à solo Deo immediatè infunditur in corpore ex qua infusione sequitur coniunctio animæ cum corpore sine alicuius hominis operatione, quandoq; enim mortuus est Pater generans; ita Papatus à solo Deo immediatè infunditur personæ iam antea electæ, ex qua infusione resultat coniunctio vtriusque personæ electæ, & Papatus. Quis scit? Cardinales, quando elegerunt Cœlestinum Papam orantem in suo Eremitorio, forsan in suis lectis, iam conclaui resoluto, dormiebant,

dormiebant, cum sanctus vir audita electione sui in Papam, potuerit non statim consentire, sed pernoctare prius in oratione, & in media nocte, consentire dormientibus Cardinalibus, quomodo ergo poterant facere hanc coniunctionem; ignorabant quoque eius consensum, ad quem immediatè secura fuit collatio Papatus, ex qua statim resultauit coniunctio sine aliquo facto humano eo quod poterat consentire in corde suo, ignorantibus Cardinalibus. Demum eodem iure, & eadem potestate formatur processus, citatur reus, examinatur, carceratur, torturatur, si opus est, hæc enim sunt de substantia iudicij, quo fertur sententia, & id docent omnes, nullo discrepante, ergo si iudex potest ferre sententiam depositionis, potest quoque præparare materiam necessariam ad sententiam; neque est maior ratio de vno, quam de alio, quia Papa remanet talis vsque ad prolatam sententiam, per quam destruitur dignitas, si contra se potest habere legitimum iudicem. Quod si est verus iudex potestatem habens coactiuam distrahendi, & resoluendi huiusmodi coniunctionem, necessario quoque destruit ipsum coniunctum eo modo, quo est destruibile, per depositionem autem tollitur coniunctio per destructionem formæ, remanente persona priuata suo officio, ergo Papa deponitur non solum per destructionem coniunctionis, sed etiam coniuncti ex parte formæ,& dignitatis.

Tertia sententia est omnium veterum Patrum inquit Bellarminus libro secundo, capite 30. dicentium, Papam manifestum hæreticum, per seipsum desinere esse Papam, sicut per se desinit esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ, quare ab Ecclesia iudicari potest tanquam alter priuatus homo hæreticus. Probatur auctoritate Cypriani libro quarto, Epistola secunda, de Nouatiano Antipapa contra Cornelium: *Episcopatum tenere non potest, & si Episcopus primus factus est, à coëpiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate discederet.* Vbi dicit, & si Nouatianus verus, & legitimus Papa esset, tamen eo ipso casurum esse à Pontificatu, si se ab Ecclesia separaret. Ratione, quia manifestus hæreticus nullo modo est membrum Ecclesiæ, neque animo, neque corpore, neque vnione interna, neque externa, ergo ipso iure desinit esse Papa.

Contra, quia Papa dato quod sit manifestus hæreticus in sententia illorum, adhuc retinet suam dignitatem quousque illam deponat. Probatur primo exemplo Marcellini Papæ, qui non obstante Thurificatione, quam diximus materialem sine errore in intellectu, remansit Papa vsque ad voluntariam depositionem, seu verius renuntiationem, & pro tali habitus fuit, vt claris verbis constat ex actibus Concilij. Sinuestani, in quo semper vocatur Episcopus vrbis, & pro tali habebatur ab illis Patribus. Lege tit. de triginta tribus, ibi: *Introiuit & Marcellinus Vrbis Romæ Episcopus, tum adhuc nomen tenens Episcopatus, nondum enim fuerat damnatus.* Intellige nomen cum re & Papatu, quia nomen sine re non damnatur. Seipsum autem damnauit Marcellinus his verbis: *Peccaui coram vobis, & non possum in ordine esse Sacerdotum. Subscripserunt igitur in eius condemnationem, & damnauerunt eum extra ciuitatem.* Seipsum igitur condemnauit, vt constat ex allatis verbis, & aliis, quibus Patres dicebant illi, vt videre est tit. fin. de Confess. Marcellini, ibi: *Iuste ore suo condemnatus est, & ore suo anathematus accepit maranatha, quoniam ore suo condemnatus est. Nemo enim vnquam iudicauit Pontificem, nec præsul Sacerdotem suum, quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquam.* Et primus omnium subscripsit suam condemnationem, quam approbarunt, & executi fuerunt Episcopi tercenti, Præsbyteri triginta, & Diaconi tres. Constat ex his Pontificem à nullo condemnari, neque à Concilio, nisi prius Pontifex seipsum 191
condemnet, cuius sententiam deinde Concilium exequitur, consequenter contra hanc sententiam Papa non obstante manifesta hæresi retinet suam dignitatem, & potestatem. Marcellinus sponte renuntiauit confitens se indignum tanta dignitate, libenter cessit, quia solam dignitatem reliquit: ô quam amara esset nostris temporibus huiusmodi condemnatio à seipso, in qua præter dignitatem relinquerentur tot diuitiæ, tot bona, tot commoditates, ideo casus non est dabilis, si stamus in sententia, quod Papa ratione vtriusque est impeccabilis peccato hæresis.

Probatur secundo, ex VIII. Synodo Generali Act. 7. his verbis: *Licet enim Honorio,* quem vindicauimus ab hac iniuria supra numero 171. *ab orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum est licitum minoribus maiorum suorum motibus resistere, vel prauos suos sensus libere respuere, quamvis, & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi eiusdem primæ sedis Pontificis consensus præcessisset.* Concilium igitur non potest Papam hæreticum etiam manifestum condemnare, nisi prius ipsi consentiat, vt condemnetur, ergo vsque ad propriam condemnationem retinet dignitatem, non ergo ipso iure à Deo est condemnatus. Hæc Synodus sequitur instructionem Concilij Sinuestani, vt Pontifex à nullo condemnetur, nisi ipsemet condemnandus præstet consensum. Sed heu, nostris temporibus impossibilis est condemnatio.

Confirmatur, quia si persona manifestè hæretica desinit per se ipsam esse Papa, iam Papa non deponeretur à Papatu, sed persona priuata deponeretur ab eo, quod non habet, ergo Papa hæreticus non deponeretur, nec iudicaretur, sed ageretur tantum contra personam priuatam, & hæreticam. Quod si Concilij iudicium dicatur tantum declaratiuum desitionis Papatus in persona manifestè hæretica, sequitur inde, quod canonicè, & legitimè non procedat, quia sententia declaratiua huiusmodi desitionis, vt legitima sit, debet supponere aliam sententiam positiuam aliquo iure expeditam, & notam iudici, qui eam declaraturus est, in casu autem nostro talis sententia non apparet neque legalis, quia *in cap. Si Papa,* dicitur quod Papa deuius à fide iudicandus est, & deponendus, neque humana, quia nullus homo illum deposuit, neque seipsum deposuit, ergo sententia declaratoria iniqua est, quando per actum positiuum Papa hæreticus seipsum non condemnauit, nec aliis dedit facultatem, & consensum, vt condemnaretur. Præterea eiusdem est iudicis ferre sententiam, cuius est eandem declarare, neque enim potest fieri declaratio nisi ab eo, qui sententiam tulit, vel à delegato per ipsum *argument. l. Cum de nouo Codice de legibus cap. Inter alias de sentent. excommunic.* Graff. *tomo secundo, consil. 7. distinctione 2. de sentent. excommunic.* Insuper iste actus desitionis debet esse iudicialis, & aliquo modo constare saltem ore ipsius Papæ hæretici confitentis delictum, & consentientis in suam depositionem, aliter puto, non posse declarari depositum, si delictum non fatetur, est enim pœna grauissima maior pœna mortis, cum agatur de spoliatione tantæ dignitatis, qua etiam posita mors sequi debet, igitur necessaria est confessio proprij oris, & consensus. Sed quis est hic? Constat ergo ex his personam hæreticam etiam manifestè

manifeste non desinere esse Papam, sed esse expectandum eius consensum, vt patet in facto Marcellini, & ex Act. 7. Synodi octauæ. Et certè ita tenendum est, si enim Episcopus, & alius quilibet officialis manifestus excommunicatus nondum tamen denuntiatus ad formam *Extrauag. Eugenij IV.* apud Nauarr. *capite vigesimoseptimo, numero trigesimoseptimo*, Sayrum *libro secundo, capite duodecimo, de censuris numero sexto*, adhuc dicitur remanere in sua dignitate, & potestate donec denuntietur. Quare Papa à fortiori, qui non est excommunicatus, sed tantum hæresi infectus, quique non debet esse deterioris conditionis aliis, non obstante manifesta hæresi perseuerare debet in Papatu vsque ad finem.

Respondendum modo est duobus argumentis pro hac tertia sententia factis, ad auctoritatem Diui Cypriani dico, se quidem Nouatianum separasse per schisma à corpore, & capite Ecclesiæ, id enim est proprium schismatis, non tamen perdidisse iurisdictionem, quam habebat Episcopalem, donec per sententiam missus fuit extra Ecclesiam, intra quam erat sub ratione prælationis, & ita de illo scribit idem Cyprianus in Epist. ad Stephanum Papam de Martiano Episcopo Arelatensi fautore Nouatiani tomo primo, Concil. folio 402. *Cum Nouatianus ipse, quem sequitur Martianus olim abstentus, & hostis Ecclesiæ iudicatus sit, & cum ad nos in Aphricam legatos misisset, optans ad communionem nostram admitti, hinc à Concilio plurimorum Sacerdotum, qui præsentes eramus, sententiam retulerit, se foris esse cœpisse, nec posse à quoquam nostrum sibi communicari.* Hæreticus ergo, & schismaticus, qui se ab Ecclesia Dei separarunt coram Deo, & quoad communionem Sanctorum, sunt tamen adhuc intra eandem quoad potestatem, & dignitatem fauore Catholicorum, donec per sententiam proiiciantur, & spolientur dignitate, officio, & potestate. Ex quo patet

192 ad rationem, hæreticum manifestum esse intra Ecclesiam quoad forum externum, donec per sententiam expellatur, adeo quod sicut per actum positiuum publicum homo recipitur intra Ecclesiam, cuius fit membrum per receptionem baptismatis, ita ab eadem dismembratur, & priuilegiis spoliatur per iudicium ipsius Ecclesiæ.

Colligitur ex his, Papam hæreticum à Deo non esse depositum à Pontificatu, quia id nullibi reperitur expressum in Nouo Testamento, nec traditione habetur, neque specialiter cuiquam id fuit reuelatum; nec obstat, quod Anacletus in sua 2. Epist. relatus cap. Eiectionem fin. distinctione septuagesimanona, inquit. *Eiectionem vero summotum Sacerdotum sibi Dominus reseruauit.* Quia Dominus à facie sua eiicit illos sicut alios Sacerdotes, & peccatores, & tandem per mortem eos ita expellit in ignem æternum, vt eorum hæresis futura illis sit in opprobrium sempiternum. Vel dic sibi reseruauit, quia non vult, vt quis illos iudicet etiam in causa hæresis, nisi ipsi consenserint, iuxta factum Marcellini, approbatum ex Act. 7. citata, adeo quod ex manifesta hæresi nondum dicuntur carere sua dignitate, neque desinunt esse tales, sed necessarium est humanum iudicium, vt deponatur à Papatu hæreticus Pontifex, præmisso per ipsum proprio consensu. Sed nunquid Concilium in hoc speciali casu possit esse supra Papam? Dicam cap. sequenti.

Quæres 39. An, & quomodo Papa possit renuntiare Papatui?

193 Respond. Papa potest renuntiare Papatui Deo coram Cardinalibus, vel Concilio tanquam testibus renuntiationis ab eo factæ. Probatur tum auctoritate Cœlestini Papæ, qui de communi Concilio, & consensu Cardinalium, contra quosdam dubitantes, *statuit, & decreuit Romanum Pontificem posse libere resignare.* Hoc decretum Bonifacius VIII. eius successor fecit registrari in 6. sub tit. de Renunt. Nota illam particulam *licerè*, quæ denotat, neminem cogi posse ad renuntiandum, glossa in capite secundo, de temp. ordin. in 6. Decius consil. 131. Tam ratione, quia Deus id non prohibuit, nec aliquo iure humano induci potest, cum ius commune, seu humanum non sit supra Pontificem. 194

Licet autem aliæ renuntiationes debeant fieri in manibus superioris acceptantis renuntiationem, Besigna *decisione quinta, de renunt. Gemin. consil. 126.* & alij communiter; vnde facta in manibus non habentis potestatem, nulla est, vt resolutum fuit coram Blanchetto in vna Nolanæ Abbatiæ, Rota volum. 1. decisione 529. Papa autem in hoc, sicut in omnibus aliis suis actibus non recognoscit superiorem præter Deum, & ideo dixi, Papam immediatè renuntiare Deo, coram Cardinalibus vti testibus huius actus. Et hoc modo manent resolutæ difficultates, quas nonnulli cum Ioanne Andrea, & glossa v. videbantur, afferebant, super renuntiatione Papatus. 195

Quod renuntiatio fiat in manibus Dei per Papam renuntiantem coram Cardinalibus vti testibus colligo ex renuntiatione, quam simili modo fecit Ioannes XXIII. in Concilio Constantiensi à se indicto, nam vt legitur sess. 2. Papa dum proferebat verba suæ renuntiationis conditionatæ sedebat in Cathedra ante altare versa facie ad Concilium, & in proferendo verba illa: *Spondeo, promoto, & voueo Deo.* &c. in quibus renuntiatio consistit, flexit genua versus altare, indicando soli Deo se velle renuntiare, & non Concilio, licet præsens esset in testimonium huius actus.

Quæres 40. An sicut Papa dare potest libellum repudij Ecclesiæ sponsæ suæ per renuntiationem Papatus, vt mox probauimus, an Ecclesia possit illum repudiare?

℞. Ecclesia non potest dare libellum repudij Romano Pontifici sponso suo. Probatur, quia Ecclesia dupliciter spectari potest, primo collectiuè, vt est Congregatio fidelium siue in Concilio, siue extra illud; secundo distributiuè in hoc, vel illo fideli; neutro modo potest repudiare sponsum suum, quia Ecclesia siue Congregata, siue disgregata ita est subiecta imperio sui capitis, vt nullo modo possit illi resistere per repudiationem, semper enim habet rationem membri, & subiectionis sub capite, cui necessario vnita est. *Confirmatur*, Tum quia viri est agere, disponere, & imperare, vxoris vero pati, obedire & esse subiectæ, Genes. 3. 16. *Sub viri potestate eris, & ipse nominabitur tui.* Quod repetitur 1. Corinth. 14. 34. in quibus locis, & aliis dicitur mulierem esse subiectam viro, nullibi autem asseritur virum esse subiectum vxori, ergo tanquam subiecta non potest agere contra virum cum libello repudij, ergo neque Ecclesia sponsa Romano Pontifici suo sponso dare potest libellum repudij. Tenet consequentia, quia comparantur ad inuicem sponsa spiritualis, & carnalis per Apostolum 1. ad Corinth. 11. 3. ad Ephes. cap. 5. à num. 22. vsque ad finem. Tum quia in lege veteri solum vir dabat libellum repudij, non autem vxor contra virum. 196

Dices si Ecclesia, & sponsa comparantur ad inuicem, & in ordine ad suos sponsos, ergo ad imparia non debent iudicari, ex l. final. ff. de acceptil. l. fin. ff. de indicta viduit. Papa autem & Ecclesia vti sponsus, & sponsa correlatiua sunt, ergo sibi inuicem dare possunt libellum repudij. *Confirmatur* id, quia à matrimonio

monio carnali ad spirituale valet argumentum; sed in carnali ante consummationẽ alter alterum repudiare potest professione religionis, ergo & in hoc spirituali Ecclesiæ cum Papa alter alterum repudiare potest.

℞. In vtroque argumento disparem esse rationem, in eo, quod Ecclesia nullam potestatem habet in Papam ex dictis, vtique vero Papa super Ecclesiam, ad libellum autem repudij supponitur potestas in repudiante, præterquam quod Ecclesia est vna specie, multiplex numero, Spiritus vnicus semper successione; deinde sponsa Ecclesia non est capax professionis, quia est politicum, & morale, ideo nil concluditur.

Quæres 41. An Papa Papam ligare possit?

197 ℞. Negatiuè, quia par in parem non habet imperium, cap. Innotuit 20. de elect. l. Nam, & Magistratus ff. de arbitr. In hoc nullus contradicit, adeo quod Papa antecessor non potest legem imponere suis successoribus, neque manus, vt aiunt, ligare. Cum nihilominus sit quædam coordinatio inter antecessorem, & successorem, ex quo si prædecessor aliquid statuat non reuocandum à Sede Apostolica, nisi cum eius expressione in indiuiduo, non intelligitur cassatum, nec reuocatum, nisi de eo fiat specialis mentio nominatim, vel per æquiualentiam, vt colligitur *ex cap. Cum ordinem, de rescript.* Suarez, *lib.* 8. *de legib. cap.* 39. Abbas *in cap. Ex parte li.* 1. *num.* 2. Socin. *de priuileg.* cum Lezana ad Mare magnum Seruitarum *num.* 218. Papa ergo successorem ligare non potest, nec cogere, successor vero illius potest irritare, & reuocare constitutiones sui prædecessoris, quæ non agunt de fide, moribus, & iustitia, & ideo vulgus solet dicere, quod plus valet Papa minus, quam omnes mortui.

Quæres 42. An Pontifex Romanus habeat immediate, & directe vtrumque gladium, temporale, & spirituale, illud sub hoc? & an iure diuino?

℞. Ad vtrumque affirmatiuè, probaui fusè sub c. 2.
198 q. 38. & 39, fusius in hoc Sacro Tribunali primæ impræssionis, cap. 5. q. 8. vbi teneo primam sententiam sub num. 23. fol. 117. expuncta fuit ex manuscripto Responsio.

Solum hic probo, Papam de iure diuino habere
199 vtrumque gladium, deducitur namque ex illis verbis Matth. 16. 19. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum est in cælis*, Nota verbum *Quodcumque* quod vti vniuersale comprehendit tam materiale, quã spirituale, ergo vtrumque gladium, quo ligatur materiale, & spirituale. Item ea verba: *Pasce oues meas* ad vtrũque gladium referuntur, iuxta explicationem datam præced. cap. q. 10. n. 68. ex auctoritate Micheæ 7. 14. *Pasce populum meum in virga tua.* Ecce gladium temporalem. Res clarior est ex cap. 1. dist. 22. *Qui beato æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cælestis imperij iura commisit.* Christus Dominus vtrumque gladium terreni, & cælestis imperij tradidit. Adhuc apertius Gregorius IX. Bulla vltima in Bullario Nouo rem hanc expressit his verbis: *Vtrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem ex Euangelica lectione tenemus.* Igitur de hac veritate non est ambigendum.

Confirmatur potestas gladij temporalis directa Pontificis ex Marcellino Papa in eius 2. Epist. tom. 1. Concil. fol. 436. relata cap. Quæcumque 7. 11. q. 1. *Quæcumque contentiones inter Christianos fuerint ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur.* Nota ea verba: *Quæcumque contentiones inter Christianos*, Quæ sunt vniuersalia respectu omnium Christianorum tam clericorum, quam laicorum, consequenter tam spirituales gladio spirituali, quam temporales gladio temporali decidendæ sunt. Cui decreto volens obedire Imperator Theodosius omnibus præcepit illud obseruandum, prout refertur cap. Quicumque 35. 11. q. 1. cum sequentibus, & confirmatur à Constantino imperatore, cuius verba referuntur capite sequenti ibidem, & in calce Concilij 3. Valentini tom. 3. Concil. fol. 893. Quod certissimum est argumentum potestatem temporalem primo, & directe esse in Ecclesia iure diuino, & à Papa supremo omnium superiore emanare in Imperatorem, & alios Principes, & Magistratus. Et licet Gratianus, seu Glossator ibidem dicat, quod lex Theodosij est abrogata, id tamen non tollit vim argumenti probantis decretum Marcellini, cui, & legi Theodosij derogatum dicitur non iure, sed facto tantum, & violentia iudicum laicorum. Non extant posteriores Canones derogantes legi Theodosij, cum ibi dicatur tantum: *Lex hæc tota est abrogata, nec habet locum hodie.* Nulla mentio fit de canonibus. Quicquid dicat Bellarminus, contra quem etiam constat supra, illum Canonem *Quæcumque* habere pro certo auctore Marcellinum Papam. Præterea non ex pietate, sed ex debito Theodosius Ecclesiam recognouit Patronam, & iudicem omnium contentionum tam temporalium, quam spiritualium, non enim rem hanc consuluit, sed quia tenebatur reddere suum Ecclesiæ, præcepit, ibi: *Illico sine aliqua dubitatione dirigatur, &c.* Quod clarius patet ex cap. seq. 37. *Volumus, atque præcipimus.* Dicere hunc, vel illum Canonem esse sub Palea, esse incerti auctoris, est paleas conterere, & Ecclesiæ proponere inutilia, quæ illi obsunt, constat enim plane omnes 200
illos Canones esse autenticos, neque enim Gregorius XIII. qui iussit Decretum expurgari, reliquisset occupare membranas codicis, si apocriphi fuissent. Præ- 201
terquamquod donatio Constantini reuocaretur in dubium, cum sub Palea reponatur, cap. Constantinus 14. dist. 96. quod dicere temerarium est.

Dices, Pontificem Romanum potestatem gladij recepisse à Constantino Imperatore ex citata donatione, non ergo illam habet à iure diuino.

℞. Habuisse à Christo, vt probatum fuit hic. Do- 202
natio Constantini fuit potius restitutio eius, quod erat Ecclesiæ insinuata eo nomine sub quadam honestate, & suadetur tum ex verbis ipsius donationis, ibi: *Quoniam vbi Principatus Sacerdotum, & Christiana religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem.* Si igitur iustum non est, ergo iniustum est retinere alienam potestatem, & ideo Constantinus per Baptismũ, & fidem Christi illuminatus agnoscens potestatem quam habebat non esse suam, ne in mala fide perseueraret reddidit Ecclesiæ quod suum erat, quæ quoniam non vtitur immediate gladio materiali, ideo illum aliis delegat tanquam ministris ab ea dependentibus. *Tum quia*, vacante imperio Papa ad se habet exercitium suæ potestatis temporalis in orbem, vt habetur ex Innoc. III. cap. Licet 11. de foro compet. cap. Pastoralis 2. de sent. & re iud. Nec responsio aliorum valet ad euacuandam nostram sententiam, asserentium Papam succedere Imperatori per eius mortem non in omnibus, sed solum in auctoritate iudicandi, & terminandi eas causas, quæ à solo Imperatore viuente iudicari solent, & quæ non facile patiuntur moram; & ratio huius non est, inquiunt, quia Papa sit supremus Princeps temporalis, sed quia causæ omnes, quæ non possunt definiri per temporales iudices, deuoluuntur ad spiritualem. Non eneruat, inquam, nostrum argumentum, tum quia falsum est, Papam succedere Imperatori, maior enim non succedit minori, qui est Imperator, vt infra sub q. 48. sed in eo casu causæ redeunt ad suum primum principiũ & iudicem supremum, mortuo delegato. *Tum quia* si aliquæ deuoluuntur, ergo omnes, quia non est maior ratio de vna, quam de aliis. *Tum quia*, deuolutio ex sua formali ratione arguit eandem vniuersalem potestatem, & perfectiori modo reperiri apud eum iudicem, ad quam fit deuolutio, quem fuerit, vel sit

sit in iudice à quo prouocatur, vel fit deuolutio.

203 Prosequendo Constantini donationem extentam tom. 1. Concil. fol. 475. refero verba Marginis ibidem, quæ insinuant ex ea donatione non fuisse Sylnestro donatum gladium temporalem, quem ex Papatu habebat à Deo his verbis: *Iure quidem semper tenuit Papa hunc Principatum, quem habet à Deo, sed sanxit Imperator pro sua auctoritate, vt etiam agnosceretur, illique obsequium præstaretur.* Imò id clarius colligitur ex textu ipsius donationis, ibi: *Vrbem Romam & omnes totius Italiæ, & occidentalium regionum Prouincias, loca, & ciuitates prælato beatissimo Pontifici nostro Syluestro vniuersali Papæ concedimus, atque relinquimus, & successorum ipsius Pontificum potestati, & ditioni.* Constantinus igitur relinquit, & restituit Italiam cum cæteris potestati, & dictioni Papæ Syluestri, & eius successoribus, non exprimendo se donare potestatem temporalem, sed eam relinquere potestati Papæ, quod non potest intelligi de potestate spirituali, qua non regebat Imperator, sed de temporali, quam supponebat in Pontifice, per quam recturus erat Italiam cum adnexis, igitur ante donationem Papa habebat potestatem temporalem, non ergo eam accepit à Cæsare, sed à Christo Domino. Vide Paulum Rubeum *part. 2. ad decis. 2. n. 26. vbi latè de hac restitutione.*

Negantes dominium temporale simpliciter hæretici multis probant, pariter & Catholici Papæ concedentes tantum indirectè, conantur id probare multis, quibus relatis respondimus hic capite 2. quæstione 39.

Quæres 43. An Papa ita omnes iudicet tam fideles, quam infideles, vt à nullo ipse iudicari possit? Iudi-

204 care autem propriè spectat ad personam publicam respectu suorum subditorum ratione originis, vel domicilij, vel delicti, vel contractus, his enim modis, qui non est habitatione subditus, fit talis ratione rei, id est, criminis, vel contractus, ita ex cap. fin. de foro compet. Paulus ad Rom. 14. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* D. Thom. 2. 2. q. 67. Caiet. de auctor. Papæ, & Concil. cap. 20.

205 ℞. Papa ita iudicat omnes, vt à nemine iudicari possit, nisi in tribus, vt aiunt, casibus, tempore scilicet Schismatis, cum plures sunt, & ignoratur, quis eorum sit verus; ex causa hæresis iuxta superius dicta ex placitis diuersorum; & ex causa electionis inualidæ, iuxta dicta q. 21.

Primum, quod omnes iudicet, & à nemine iudicetur, probatur ex illo communi axiomate Concilij Sinuestani, *Prima sedes à nemine iudicatur, sed ipsa omnes iudicat.* Tum quia ita habet Synodus Romana sub Syluestro Papa tom. 1. Concil fol. 600. extremis verbis: *Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Apud Gratianum plures auctoritates referuntur, *cap. Si Papa 6. dist. 40. cap. Duo sunt 10. dist. 96. cap. Satis 3. cap. Scripturis 8. dist. 96. bap. Cuncta per mundum 17. & 18. 9. q. 3.* Ratio est, quia iudex vt iudex iudicat, non iudicatur, sed tantum is, qui subditus est, solus autem Papa ita iudex est, vt non possit esse subditus, & reus respectu alterius humani iudicis, sed soli Deo immediate subditur, à quo solo iudicandus est, qui verus, & legitimus Pontifex est. Bellarminus de hac re plures refert auctoritates lib. 2. c. 26.

206 Secundum, quod iudicetur in illis tribus casibus, probatur ab auctoribus illarum trium opinionum de Papa hæretico sub q. 37. quam non sequitur sententiam, cum Papa simpliciter habeat priuilegium non errandi tam ratione officij, quam personæ, vt probaui q. 37. ideo iste casus à nobis reiicitur. De secundo casu Schismatis dicam cum de Conciliis. Respectu tertij casus bene persona iudicari potest, quia tunc non iudicatur Papa, cum non sit verè Papa, sed persona priuata, & in hoc non est difficultas. Verum quidem est, quod si collegium adhuc in Conclaui existens non reclamat, negotium deinceps redditur multum difficile, imò impossibile, vt bonum finem sortiatur, propter periculum Schismatis, & subuersionem totius reipublicæ Christianæ, adeo quod puto esse minus malum sustinere taliter electum, quam procurare alterius legitimam electionem; nullus enim habet hoc debitum, & vt plurimum charitas non est, nisi vulpina.

Hæretici impugnant supradictam responsionem Catholicam *Primò*, nam causam Ceciliani à Papa expeditam retractauit Episcopus Atrebatensis, & demum Imperator *Secundò*, Petrus repræhensus fuit à Paulo, & iudicatus male agere. *Tertiò*, Paulus appellauit non ad Petrum, sed ad Cæsarem. *Quartò*, Salomon rex deposuit Abiathar Pontificem, & in eius locum reposuit Sadoch 3. Reg. 2. *Quintò*, Honorius Papa iudicatus, & damnatus fuit in sexta Synodo. *Sexto*, Synodus eadem reprobat, quod Romana Ecclesia statuerat, nam Can. 13. vsum vxorum, quem Romana clericis in sacris negabat, concessit, & Can. 55. reprobauit vsum ieiunandi diebus Sabbati apud Romanos. *Septimo* Gregorius Papa lib. 3. Epist. 61. Im- 207
peratorem vocat dominum suum, & ipse vocat seipsum eius indignum seruum. Item lib. 4. Epist. 31. fatetur, se obedientiam debere præstare Imperatori, & quod omnibus clericis, & sibi quoque dominatur. *Octauo*, Leo IV. relatus cap. Nos si incompetenter 41. 2. quæst. 7. postulauit iudices ab Imperatore, cuius sententiæ se stare promittit. *Nono*, Papa iudicatur à suo Confessore in foro animæ, ergo etiam extra. *De-* 208
cimo, multi Imperatores iudicarunt, & deposuerunt Pontifices, nam Constantius relegauit Liberium; Iustinianus Syluerium; Rex Theodoricus Ioannem carcerauit; Otho primus deposuit Ioannem XII. substituendo ei Leonem VIII. Honorius II. deposuit Gregorium VI. reponendo in eius locum Clementem II. *Vndecimo* Christus fuit iudicatus à Pilato, qui super illum veram habuit potestatem à Deo receptam, vt legitur Ioan. 9. *Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset.* Concluditur ex his falsum esse, quod Papa non possit ab aliis iudicari, cum multi iudicati fuerint, & depositi à Papatu.

℞. Papam omnes iudicare, & hoc de fide deducitur ex illis verbis: *Pasce oues meas.* Pastor enim est Dominus ouium, & super eas potestatem habet regendi illas etiam in virga ferrea iuxta dicta sub q. 10. cap. 4. Confirmatur idem ex duobus gladiis Petro traditis indicantibus potestatem iudicandi, & condemnandi reos; & ex illis verbis: *Quodcumque ligaueris, &c.* Iudex enim sententiando ligat reum ad pænam sustinendam pro suis delictis. Modo respondetur singulis obiectionibus.

Primæ D. Augustinus ait Papam id permisisse Episcopo, & Imperatori, vt veritas facti magis appareret Donatistis, qui pro suspecto habebant Pontificem. Id autem non tollit supremum iudicium Pontifici, qui quandoque causas à se decisas aliis remittit, vt veritas magis elucescat.

Secundæ, aliud est iudicium, aliud correctio fraterna, & admonitio, quæ procedit etiam à subdito ad superiorem, prout de hac re dixi cap. 4. q 11. num. 84. Paulus ergo subditus non iudicauit Petrum suum superiorem, sed tantum correxit.

Tertiæ, appellatio Pauli fuit de facto, vt se defenderet à calumniis illorum, Petrus enim licet supremus iudex cogere non poterat calumniatores non

defectu potestatis, sed iniquæ resistentiæ calumniatorum.

Quartæ, Salomon non vt Rex, & potestate propria, sed de speciali mandato Dei deposuit illum Pontificem, vt ibi dicitur; *vt compleretur sermo Dei.*

Quintæ respondi supra sub num. 171. Honorium nunquam fuisse hæreticum, & illam damnationem fuisse illi impinctam. Vel dic mortuum iudicasse non papam.

Sextæ, illi Canones non sunt sextæ Synodi, quæ ex actionibus tantum constat sine Canonibus, qui postmodum Synodo dissoluta editi fuerunt in Concilio Trullano sine capite congregato, vt dicam suo loco.

Septimæ, Gregorius illa dixit ex humilitate, & vrbanitate, non ex debito iuris, ea enim nullam inducunt obligationem, nec subiectionem l. Qui iure familiaritatis ff. de acquir. possess. Papa tunc indigebat auxilio Imperatoris contra Longobardos, ideo honorificabat Imperatorem. Adde, quod Papa se vocat Seruum Seruorum Dei, per hoc tamen suam non perdit supremam potestatem.

Octauæ, Papa se remittit iudicio discretiuo, non coactiuo inquit Bellarm. lib 2. cap. 29. nonnulli enim conquerebantur de Leone, quod contra rationem illos oppressissent, ideo Papa ad hoc vocat Imperatorem, vt iustitia ipsius in facto appareat.

209 Nonæ, Confessarius à Papa electus non vt homo, sed vt minister Dei iudicat Pontificem in foro animæ, & ipsummet Deum repræsentat iudicantem Papam, vnde in cap. Si Sacerdos 2. de off. ordin. dicitur: *Licet sciat, eum esse reum, quia non vt iudex scit, sed vt Deus,* Est ergo Deus, qui Papam iudicat ministerio Sacerdotis. Addit Bellarm. lib. 2. cap. 29 ad argum. 8. quod Confessarius non potest cogere pœnitentem ad pœnam subeundam. Displicet hoc, quia pœnitens ex communissima sententia Doctorum apud Barbosam super *sess.* 14. *cap.* 8. *num.* 3. Fundata in decreto Tridentini, tenetur ad pœnitentiam, ergo cogitur, id enim est proprium iudicis cogere iudicatum, ac proinde etiam Papam, qui à Deo dicitur cogi non ab homine.

Decimæ, illi Imperatores non de iure sed de facto processerunt, & inique se gesserunt, consequenter allegatione absurdi non soluitur difficultas, vide dicta superius de dictis Pontificibus.

Vndecimæ dico Christum à Pilato fuisse iudicatum non propria auctoritate, sed ministerio, ita Deo volente, & iubente pro salute humani generis.

Quæres 44. An omnes possint appellare ad summum Pontificem, ita quod ab eius sententia nullus appellare valeat?

210 ℞. Omnes appellare possunt ad Romanum Pontificem, nullus vero etiam Imperator, Rex, Episcopus, neque Concilium sub quouis, prætextu potest appellare à sententia Pontificis.

Prima pars, quod omnes possint appellare ad sedem, vti de fide probatur, quia id illi concessum fuit à Christo illis verbis: *Pasce oues meas,* oues autem non tantum pascuntur pabulo spirituali, sed etiam temporaliter, quando defenduntur, & vindicantur ab iniuriis eis illatis ab iniquis iudicibus. *Confirmatur* auctoritate Sacrorum Canonum, *cap. Si quis* 4. *cap. Si quis* 7. *cap. Ad Romanum* 8. *cap. Ideo huic* 10. *cap. Arguta* 13. *cap. Si quis* 15. 2. *q.* 6. Concilium Sardicense *c.* 3. & 7. Ratio est, quia appellatio est prouocatio rei facta à minori iudice ad maiorem propter grauamen illatum

211 vel probabiliter inferendum, adeo quod in appellatione reus, & iudex minor habent pro suo iudice superiorem maiorem, ad quem fit recursus pro tollendo, vel impediendo futuro grauamine probabiliter imminente, sed Papa est supremus omnium iudex *cap. Cuncta per mundum* 17. & 18. 9. *quæst.* 3. ergo omnes possunt appellare ad illum. Quod sit de fide docent Augustinus de Ancona, *de potest. Papæ q.* 6. *art.* 3. Iacobat. *lib.* 10. *de Concil. art.* 1. quos refert Ricciull. *lib.* 9. *de iure eorum, qui sunt extra cap.* 2. *num.* 13. Et ita colligitur ex definitione Concilij Florentini, cuius verba retuli hic q. 7. eo enim ipso, quod definitur habere potestatem regendi, & gubernandi vniuersam Ecclesiam, definitur quoque ad ipsum omnes posse appellare, nam recipere appellationem est actus regiminis, & gubernationis.

Secunda pars, quod nullus potest appellare à sententia Papæ etiam Imperator, probatur auctoritate Sacrorum Canonum, *cap. Cuncta per mundum* 17. 9. q. 3. *Nouit Ecclesia, quod Sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illo autem nemo est appellare permissus.* cap. Nemo 13. 9. q. 3. *Neque enim ab Augusto, nec ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Vide dist. 96. vbi referuntur alij Canones. Papa enim ita iudex est respectu hominum, vt respectu illorum non possit habere rationem rei subditi, ad differentiam aliorum hominum, & iudicum, qui vtriusque rationis capaces sunt iudicis nempe, & rei, quod in Pontifice dari non potest, cum ita sit iudex supremus, vt supra se non habeat humanum iudicem, respectu cuius dici possit reus, & subditus illi. 212

Tertia pars, quod non possit appellari à Papa ad Concilium siue præsens, siue futurum, præcisè ad futurum Pius II. Bulla incip. *Execrabilis* 5. §. 2. vbi dicitur crimen læsæ Maiestatis contra non solum appellantes, sed etiam contra consiliarios, & fautores. Iulius II. in sua incip. *Suscepti regiminis* 22. appellátes ad futurum Concilium vocat Schismaticos, & multis pœnis eosdem afficit. Gregor. XIII. fuit primus, qui appellantes ad futurum Concilium Generale cum suis auxiliatoribus & fautoribus excommunicauit, & Collegia, vniuersitates & capitula interdixit in Bulla Cœnæ Domini, quod cæteri Pontifices obseruauerunt, vt omnes sciant, quia Papa est super Concilium, non è contra. Ratio est, quia appellatio semper fit à minori ad maiorem, *cap. Anteriorum* 28. 2. *q.* 6. neque enim fit à pari, vel à maiori. Gloss. v. Si non possunt, cap. Super 27. de off. deleg. l. 1. de appellat. cap. Dilecti 2. de appellat. Appellantes ergo Schismatici sunt subiecti multis pœnis. Vide Sayr. lib. 3. de Censur. cap. 6. 213

214 (beside "Ratio est, quia appellatio semper fit à")

Prædicta locum habent in omnibus causis tam ciuilibus, quam criminalibus, colligitur ex citatis auctoritatibus & Bullis, quod, & ratione comprobatur, quia finis appellationis est, vt remoueatur grauamen illatum vel impediatur inferendum, l. Præfecti ff. de minor. cap. Suggestum 11. de appellat. Grauamen autem locum habet in vtroque genere causæ, ergo & appellatio ad vtrumque referri potest ad supremum iudicem. 215

Hæretici impugnant primo, quia vt legitur in Concilio Calcedonensi primo Can. 9. & 17. relato cap. Si clericus 46. 11. q. 1. Appellatio terminatur ad Patriarcham Constantinopolitanum his verbis: *Si vero contra ipsius Prouinciæ Metropolitanum Episcopum, Episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergat ad ipsius Diœcesis Primatem, aut certæ ad Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis sedem.* 216

℞. Primo non negari appellationem ad sedem Apostolicam, sed insinuatur modus, quo gradatim appellari potest. Secundo, ibi sermo est de propria instantia. Tertiò, Leo I. in sua Epistola 59. tom. 2. Concil. fol. 69. hanc Synodum approbauit solum quoad ea, quæ spectant ad fidem. Quartò Nicolaus I. in

in Epistola ad Michaëlem tom. 3. fol. 916. nomine Primatis intelligit Pontificem Romanum.

Impugnant 2. Quia in Concilio Mileuitano Can. 22. tom. 1. Concil. fol. 807. prohibetur Sacerdotibus, & clericis prouocatio ad Papam, ibi: *Ad transmarina autem, qui putauerit appellandum, à nullo intra Aphricam in communione suscipiatur.*

℞. Prohiberi appellationem extra Aphricam non ad Papam, sed ad Concilia Prouincialia Gratianus cap. Placuit 35. 2. q. 6. ponit exceptionem, Nisi forte ad Apostolicam Sedem appelletur, prout etiam refertur loco citato fol. 807.

Impugnant 3. Quia Canones de appellatione iuxta Synodum Nicænam quos Papa Zosimus mandauit obseruari per Episcopos Aphricanos, non extant in dicta Synodo, vt legitur in 6. Synodo Carthaginensi, ergo appellatio aut est nulla ad Papam, vel est tantum de iure positiuo, cum nitatur Concilio Nicæno, in quo cum non reperiantur, nolebant Episcopi seruare Canonem de appellatione ad Romanum Pontificem.

℞. Ex eo, quod Canones de appellatione ad Papam expuncti fuerunt, non ideo tollitur hæc potestas à Pontifice Romano, quam habet de iure diuino olim expressam in Nicæna. Vide Bellarm lib. 2. cap. 25. vbi de hac re multa. Videtur tamen sufficere nostra responsio auctoritate Zosimi Papæ fulta.

Impugnant 4. Auctoritate S. Cypriani, qui lib. 1. Epist. 3. hæc habet: *Vniuscuiusque causa illic audiatur, vbi est crimen admissum.* Et in subsequentibus reprehendit recurrentes ad Pontificem Romanum.

℞. Sanctus loquitur de primo iudicio ab immediato iudice expediendo; appellatio enim semper supponit iudicium immediati iudicis, à quo appellatur, si fuit appellans grauatus, ideo reprehendit illos, qui vt subterfugiant sui ordinarij iudicium, spe immunitatis recurrunt ad sedem Apostolicam contra proprium iudicem.

Quæres 45. An Papa instituat omnes dignitates tam Ecclesiasticas, quam laicas?

217 ℞. Vtramque instituere potest. Probatur ex sua potestate suprema, & Monarchica Pontificatus, quæ cum sit vnica, & suprema necesse est, quod aliæ ab ea dependeant, in ea enim vtrumque gladium absorbet, est enim Papatus origo, & fons omnium dignitatum, adeo quod in Ecclesia nulla dignitas institui potest sine licentia Papæ, *cap. 1. distinct.* 22 *cap. Cum olim* 6. *de consuet. vbi gl. v. concedimus*, idem probat Gloss. 2. *cap. fin. de relig. domibus, gloss. fin. cap. Cum accessissent.* 8. *de elect.* De dignitatibus laicalibus probatur argumento à maiori ad minus, si enim instituit Ecclesiasticas, quæ sunt maiores laicalibus, à fortiori potuerit instituere laicales. Confirmatur, quia sine eius auctoritate non coronantur Imperatores, & Reges. Exemplum habemus de Cosmo Mediceo, cui Pius V. in Bulla incip. *Romanus Pontifex*, tribuit dignitatem, & titulum Magni Ducis Hetruriæ.

Quæres 46. An omnes Episcopi potestatem iurisdictionis immediatè à Papa recipiant? De potestate ordinis non quærimus, quia illam confert Deus, cum quis ordinatur Episcopus?

218 ℞. Omnis potestas iurisdictionis est à Pontifice Romano. Probatur. Tum quia ita dicitur c. 1. dist. 22. *Omnes siue Patriarchij cuiuslibet apices, siue metropoleon primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia.* Proinde illis adiungit potestatem iurisdictionis, non enim datur dignitas proprie accepta sine potestate, & iurisdictione *Tum quia*, in Ecclesia est Hierarchia Prælatorum, & Ministrorum, qui subordinantur ad inuicem vnus alteri, & tandem omnes reducuntur ad vnum principalem, qui est caput in se habens omnes dignitates, quas aliis communicat, & à quo cæteri dependent, & mouentur in suis operationibus, sicuti riuuli fluunt à fonte, & membra viuificantur à capite. Sed Papa est caput huius Hierarchiæ. à quo cæteri Ministri recipiunt virtutem operandi, ergo ab eo omnes habent potestatem iurisdictionis. *Tum quia*, Papa in Ecclesia se habet vt sol, Ministri vero vt radij eius. Item comparatur radici arboris, cæteri ramis eius, vt bene loquitur S. Cyprianus relatus *cap. Loquitur* 18. 24. *q.* 1. Sed radij à sole habent virtutem illuminandi, & rami virescunt ex humore arboris, & radicis, ergo Ministri Ecclesiæ operantur virtute potestatis sibi communicatæ à Papa. *Tum quia*, Papa iusta subsistente causa, omnes potest deponere à suis dignitatibus, & potestatibus, cum omnes iudicet, ergo signum est, quod omnes potestates ab eo pendent. Vide Turrecrematam super dictum *cap.* 1. *distinctione* 22. & Bellarminum *lib.* 4. *de Pontifice cap.* 24.

Hæretici, qui negant supremam potestatem in Pontifice Romano, asserunt, Episcopos potestatem iurisdictionis à Deo immediate habere. Probant primo Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Item ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores.* Ergo Christus prouidendo Ecclesiæ suæ de Ministris, illis immediate tribuit potestatem non Papa. 219

℞. Electionem immediatè esse à Pontifice, à Deo vero mediatè, & inspiratiuè, seu potestatem ordinis esse à Christo, non à Pontifice. Ad Ephesios loquitur de institutione illorum officiorum, quæ sunt à Deo, ab homine vero creatio huius, vel illius.

Probant 2. Quia mortuo Papa sequeretur potestatem iurisdictionis cessare in Episcopis, à quo perenniter pendent, sicut membra continuo in conseruari pendent à suo capite, quo destructo desinunt esse.

℞. Potestatem Episcoporum, cum sit ordinaria, non cessare per mortem Papæ concedentis, *cap. Bratum, cap. Relatum, de offic. deleg. l. Et quia* 7 *ff. de iurisd. omn. iud. cap.* 2. *de off. legati in* 6. Quia hæc solum in fieri pendet à concedente, post vero conseruatur per solum Episcopum in officio suo manentem, vnde non est simile de membris, quæ continuo à capite viuificantur.

Probant 3. Quia Apostoli à Christo immediatè omnem potestatem acceperunt, ergo & Episcopi, cum sint illorum successores.

℞. Primo sicut omnes Apostoli, etiam Petrus à Christo capite potestatem acceperunt, ita & omnes Episcopi debent illam recipere à Pontifice illorum capite Secundo, successio Episcoporum Apostolis non fuit adæquata in omnibus, quia non succedunt in Apostolatu. Fuit ergo decens, vt omnes Apostoli à Christo præsente reciperent potestatem, & honorem, nunc vero à Papa, qui vices Christi gerit in terris.

Probant 4. Quia multi sunt veri Episcopi ordinati à Patriarchis, non à Papa, præsertim in primitiua Ecclesia.

℞. Ordinabant ex auctoritate Pontificia.

Probant 5. Quia Episcopi à Papa vocantur Fratres, & collegæ in officio, ergo hanc potestatem habent ab aliquo alio superiore Pontifice Romano maiore, nam Fraternitas, & officium collegæ personas collegiatas faciunt pares in officio, itavt vnus ab alio non habeat potestates, sed omnes à tertio.

℞. Episcopi dicuntur Fratres Papæ, quia cum eo communicant in dignitate Episcopatus. Nomen Collegæ proprie nulli Episcopo cum Papa commune est, nisi dicamus rationem collegæ spectari in ordine ad potestatem 220 221

potestatem ordinis, & consecrationis, quam Episcopi habent æqualem cum Papa à Christo Domino, inauferibilem humana potestate. Non sunt vero dicendi Collegæ quoad iurisdictionem, constat enim Papæ iurisdictionem esse incommunicabilem, licet sit delegabilis, quia vnus Papa, non plures Papæ sunt. Collega autem dicitur, qui cum aliis eiusdem est officij
221 *l.Collegarum* 173. *de verbor.significat.* Papa igitur habet plenitudinem potestatis, Episcopi ab illo vocantur in partem solitudinis.

Quæres 47. An Papa iustè, & licitè possit acquirere suæ Ecclesiæ bona temporalia, & ea retinere, vti, & frui?

223 ℞. Affirmatiuè, quia Ecclesia ab initio habebat loculos ad seipsam informandam, per temporalia enim proficit in spiritualibus, *cap.Fundamenta* 17. *de elect.in* 6. *cap.Venerabilem, qui filij sint legit.* Vide dicta *cap.*1.*q.*40.*cap.*2.*q.*53. & 54.*c.*3.*q.*13. Et hoc est de fide tenendum ex auctoritatibus adductis sub cap.1.q.40.citata.

Viglessius hæreticus in Concilio Constantiensi condemnatus art.36. sine vlla ratione asseruit Papam habentem possessiones esse hæreticum. Qua ratione nescio, cum luce clarius sit, bona possidere temporalia non esse peccatum, nec Catholicæ fidei obesse; sed ea valde necessaria sunt ad propagandam, & conseruandam Ecclesiam immunem à calumniis persecutorum. Neque enim Syluester tot bona à Constantino oblata recipiendo peccauit, sed fuit Sanctus, & fidelis dispensator. Rari tamen nunc inueniuntur, quia inoleuit interesse.

Quæres 48. An Papa sit maior Imperatore, & ex causa illum deponere possit, cum Regibus, & aliis Principibus?

224 ℞. Affirmatiuè, Primum de maioritate probatur *Tum quia*, Papatus est suprema dignitas, vltra quam alia non est dabilis, ergo maior est Papa Imperatore. *Tum quia*, Imperatoris est subesse, & Papæ illi præesse cap. Si Imperator 11. dist.96. *Tum quia*, Imperator est filius Papæ, ergo ei inferior. *Tum quia*, Imperator potestatem gladij recipit à Papa, qui vtramque habet sub suo dominio, vt probatum est. *Tum quia*, Imperator iurat, & se subiicit Ecclesiæ, cap. Ego Ludouicus 30. dist.63. *Tum quia*, ab Imperatore appellatur ad Papam, non è contra. Res est clara alia probatione non indiget.

225 Quod vero Papa possit deponere Imperatorem, & alios male ministrantes officia, quæ ex nostris principiis habuerunt à Romano Pontifice. Probatur. *Tum quia*, est supremus iudex ex probatis hic q. 43. *Tum quia*, factum arguit potestatem in agente, Pontifices enim Romani plures deposuerunt Imperatores, & alios Principes: nam Gregorius II. excommunicauit Leonem Imperatorem, & Italis interdixit tributum ei soluere. Zacharias deposuit Childericum, & in eius locum reposuit Pipinum Patrem Caroli Magni. Gregorius VII. deposuit Henricum IV. Bulla incip. *Beate Petre*, vbi dicit, se id fecisse auctoritate Dei sibi tradita, qua potest deponere quoscumque Prælatos, & Principes. Innocentius III. deposuit Othonem IV. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Frideric.II. Clemens VI. Lud.IV. iam excommunicatum à Ioanne XXII. Itaque Principe deposito Papa omnes olim illi subiectos liberat à iuramento fidelitatis, & si in depositione nulla fiat mentio huiusmodi liberationis adhuc sunt exempti, quia iuramentum fidelitatis in tantum tenet, in quantum gubernat Princeps, cui factum fuit, ergo sublato à regimine per depositionem, euanescit iuramentum, quia non fit personæ priuatæ, sed publicæ. Vide Turrecr. *tom.*3.*in cap.Alius* 15.*q.*6.

226 Quæres 49. An Papa sit maior Ecclesia? Vide capite 1. quæstione 37. vbi de hac re.

℞. Papa est maior tota Ecclesia, siue congregata, siue disgregata maioritate perfectionis, non extensionis, vt ibi dixi. Probatur. *Tum quia*, præesse indicat maioritatem respectu eorum, quibus est præsidentia; sed Papa præest toti Ecclesiæ, vt dicitur in eius oratione; *Qui Ecclesiæ tuæ praeesse voluisti*, ergo est maior Ecclesia. *Tum quia* Papa ad Ecclesiam se habet vt Christus, qui dum visibiliter in hoc mũdo cum Apostolis conuersabatur, erat caput suæ Ecclesiæ ad Ephes. c.1.22. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Sed Papa successit in locum Christi, cuius vices gerit in terris, ergo est caput super omnem Ecclesiam. Confirmatur, quia sicut in quolibet corpore animali sunt plura membra, quorum vnum est principale præeminens aliis, in quæ influit, & sine quo operari non possunt, quod ideo dicitur caput, quia inferiora membra ab eo capiunt virtutem operandi, ita & in hoc corpore Ecclesiæ sunt plura membra, quorum vnum debet esse principale super omnia alia, quæ ab eo dependent in operari; id autem est Pontifex Romanus caput omnium, ergo ratione capitis est maior cæteris.

Hæretici id negantes conantur probare *primò*, quia omne totum est maius sua parte, Papa autem est pars Ecclesiæ, quæ habet rationem totius, ergo non est maior. *Secundò*, in Conciliis Constantiensi, & Basiliensi, quæ est Ecclesia congregata, depositi fuerunt Pontifices, ergo non sunt maiores Ecclesia saltem Congregata. *Tertiò* Papa hæreticus deponitur ab Ecclesia, ergo non est maior Ecclesia.

℞. Ad primum, duplicem esse maioritatem *ex dictis c.*1. *quæst.*37. 227
Alicuius totius, vna vocatur quantitatiua, & extensiua, hoc modo, totum est maius qualibet sua parte. Altera perfectiua, seu virtutis, & potestatiua, hac ratione totum non est maius qualibet sua parte, etiam in naturalibus, nam caput in homine est maius non solum qualibet parte hominis, sed toto corpore hominis, vt dicit D.Ambrosius in He- 228
xamer. *Totus homo est in capite.* Sic in corporibus politicis, & moralibus caput, qui præest omnibus super omnes est, & maior omnibus siue Congregatis, siue disgregatis. Ad secundum in Concilio Constantiensi depositi fuerunt Pontifices dubij, non certi, de quibus nos loquimur, de qua re *Cap.seq. Ad tertium, dixi supra quæst.* 37. Papam nullo modo posse errare, in aliorum sententia apposita, oportet dicere in hoc casu Concilium esse supra Papam. Sed quis illud Congregabit sine Pontifice hæretico adhuc vero Pontifice.

Quæres 50. An Papa malus, & publicus peccator statim desinat esse Papa, & illi amplius non sit obediendum?

℞. Papam peccatorem, imò hæreticum suam potestatem retinere, & conseruare indestruibilem per quodlibet peccatum etiam hæresis, probatur de fide Epist.1. Petri 2.18. *Serui subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis, sed etiam discolis.* Et Christus Matth. 22. Iudæis præcepit, vt seruarent quæcumque dicerent eis, sed nolent facere secundum opera eorum, quæ maligna erant, quamuis essent peccatores, & mali, adhuc retinebant suam potestatem. Ergo & Papa suam retinet etiam respectu peccati infidelitatis, & hæresis, quæ statura Pontificium non destruit, vt probaui hic quæst. 38. contra tertiam sententiam. Item hanc probaui iterum c.2. q.35. & respondi hæreticorum argumentis.

Ioannes Vigleph art.8.damnato in Concilio Constantiensi ita contra Pontificem loquitur. *Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles, nisi fortè à Cæsare.* Quem sequitur alter Ioannes Hus art.12.*Nemo*

gerit

gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter à Deo recipiat procuratoriam potestatem, quia ad illum officium Vicariatus requiritur & morum conformitas, & instituentis auctoritas. Item sequenti art. 13. *Papa non est manifestus, & verus successor Apostolorum Principis si viuit moribus contrariis Petro. Et si quærit auaritiam tunc est Vicarius Iudæ Iscariotis. Et pari euidentia Cardinales non sunt manifesti, & veri successores Collegij aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, seruantes consilia, & mandata Domini nostri Iesu Christi.* Item art. 20. *Si Papa est malus, & maximè præscitus, tunc vt Iudas Apostolus est Diabolus, fur, & filius perditionis.* Item art. 22. *Papa, vel Prælatus malus, & præscitus est æquiuoce Pastor, & verè fur, & latro.* Item art. 23. *Papa non debet dici Sanctissimus etiam secundum officium, quia alias Rex deberet dici Sanctissimus secundum officium, & tortores, & precones dicerentur sancti, imò & Diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.* Demum art. 24. hæc habet. *Si Papa viuat Christo contrariè, etiamsi ascenderet per legitimam electionem secundum constitutionem humanam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem à Deo principaliter factam, nam Iudas ritè, & legitimè est electus ad Apostolatum, & tamen ascendit aliunde in ouile ouium.* Ex his articulis tollitur omnino dignitas Pontificia, quis est hic tam bonus in conspectu solis, qui aliquando non cadat, ideo supradicti omnes condemnati fuerunt in Concilio Constantiensi.

Singuli articuli sunt examinandi, vt eorum falsitas manifeste appareat, quoniam autem omnes eo tendunt, vt homo per peccatum perdat officium, quod ante habebat, ideo ab istis quæro, an inter ipsos hæreticos degant eorum officiales, & isti peccent? sine dubio, vtrumque affirmabunt, quia & ipsi sunt homines. Ergo inter ipsos nulli erunt officiales, quia omnes sunt peccatores. Subinde quæro quis illis restituit officium, an Deus, an homo, an virtute remissionis peccati redeat potestas in eo, à quo recessit per peccatum. Non à Deo, quia de hac re nihil Scriptura, imò expresè docet scelestos homines, & tyrannos remanere in suis officiis; Non ab homine, quia de hac re non extat lex humana. Neque tandem ex remissione peccatorum, quia hæc tantum limitatur ad peccata, & non extenditur ad officia. Dicendum ergo est in homine peccatore remanere potestatem. Quod si quis dicat, hoc esse proprium potestatis spiritualis, vt per peccatum perdatur, quia sine gratia stare non potest, & ideo perditur in officialibus Ecclesiasticis, non autem in laicis.
230 Respondetur *ex dictis cap. 2. quæst. 55.* potestatem siue ordinis, siue iurisdictionis non fundari in gratia, sed conferri indifferenter tam bonis, quam malis, Christus enim sciebat futuram proditionem Iudæ, & auaritiam, Petri negationem, & tamen illis contulit Sacerdotium, & Episcopatum, ergo officia Ecclesiastica in fieri, & in conseruari non dependent à gratia officiali in existente; sed tantum in subiecto supponunt habilitatem personæ. Respondendum est singulis articulis.

Articulus 8. talis est. *Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum Diaboli non habet potestatem super fideles, nisi forte à Cæsare.* Diuiditur in duas partes. Prima est. *Papa præscitus non habet potestatem.* Secunda. *Nisi forte à Cæsare.* Falsitas primæ apparet, quia Iudas erat præscitus, & tamen à Christo ordinatus fuit Apostolus, & quicquid egit pro dignitate sui officij validum fuit, cap. Secundum Ecclesiæ 8. dist. 19. quod confirmatur ex ea distinctione excommunicati tolerati, & nondum denuntiati, in quo licet peccatore adhuc remanet potestas, donec illa priuetur per cædulonem. *Papa præscitus.* Quis scit illum, vel hunc Papam esse præscitum, solius Dei iudicio id reseruatur, cum dicatur Eccles. 9. 1. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit.* Ignoraretur ergo, an Papa careret potestate, & sic propositio vti falsa, hæretica, & perniciosa relinquenda est. Falsitas secundæ partis, quod si Papa præscitus habet potestatem, eam forte à Cæsare habet; ostenditur, quia præuidens errorem primæ partis, vt aliquo modo stabiliret suam opinionem, & ne potestas esset incerta in Papa, quia præscientia ignoratur, ideo se conuertit ad fauorem Cæsaris. Quomodo Cæsar cum alter homo sit, & peccator potest dare, & conseruare potestatem in Papa, si peccatum vt tale destruit potestatem, in quolibet destruet, & multo minus poterit impediri per laicam potestatem, quæ nihil potest contra peccatum, si Imperator velit amicum facere Papam, vel Papæ peccatori concedere vel restituere potestatem amissam per peccatum, numquid poterit illum absoluere à peccato, vt in gratia constitutus denuo recipiat potestatem? Certè potestatem non habet absoluendi à peccatis, ergo neque restituendi potestatem.

Articulus 12. *Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter à Deo recipiat procuratoriam potestatem, quia ad illum officium Vicarij requiritur & morum conformitas, & instituentis auctoritas.* Dicit Vicarium Christi, & successorem Petri non posse esse nisi illum, qui eum sequitur in moribus, vnde ad recipiendam dignitatem Pontificiam duo requirit, auctoritatem instituentis, & morum conformitatem. Impossibilis est homini hæc conformitas morum in omnibus cum Christo, nam Christus ex sua natura est impeccabilis, homo vero pronus ad peccatum, ac proinde iste hæreticus quærit paritatem in moribus 231
Pontificis cum Christo. Si vero loquamur de conformitate morum cum Petro, respondeo, mores spectari dupliciter, vel in ordine ad doctrinam Christi, quam Petro reliquit prædicandam suis ouibus, vel in ordine ad personam Pontificis; respectu primorum successores Petri fuerunt semper conformes Christo, & Petro, quia nullus eorum deuius fuit à fide Catholica & doctrina Euangelica, vt docui hic q. 37. & 38. Respectu alterius quis potest esse Papa, & in Papatu se conseruare, licet sit peccator quoad personam suam, & populum scandalizet, fur, & latro, atque membrum Diaboli, vt fuit Iudas, qui permansit post peccatum vtque ad mortem Apostolus, Sacerdos, & Pontifex.

Articulus 13. Talis est. *Papa non est manifestus, & verus successor Apostolorum Principis Petri, si viuit moribus contrariis Petro. Si quærit auaritiam tunc est Vicarius Iudæ Iscariotis. Et pari euidentia Cardinales non sunt manifesti, & veri successores Collegij aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum.* Identitas morum non est ratio fundamentalis constituendi aliquem Papam, nec eundem conseruandi in potestate, quia substantia Pontificatus non consistit in conditione personæ, sed in statu religionis, & naturæ, quod eligatur homo masculus vsum habens rationis, qui sit professor veræ fidei, & membrum Ecclesiæ, vt dixi hic quæst. 21. quæ omnia possunt stare cum homine peccatore, fure, & latrone. Mores ergo personales non pertinent ad dignitatem pontificiam sed ad personam. Subiungit, quod Papa auarus est successor Iudæ. Id plane falsum est, quia Iudas non habuit successorem nisi in Apostolatu Matthiam, vt enim probaui cap. 3. quæst. 61. Apostoli non habuerunt successores in Apostolatu Nec Papa multum diues, & abundans dicendus est auarus, sed liberalis, quia sustinet onera Pontificatus, in quo manutenẽdo expensæ sunt innumerabiles. Demum Cardinales

nales non successerunt Apostolis, sed septuaginta duobus discipulis,qui & ideo tot numero creantur.

Articulus 20. *Si Papa est malus,& maximè præscitus,tunc vt Iudas Apostolus est Diabolus, fur, & filius perditionis.* Peccatum Iudæ fuit maximus, quia Magistrum,& Christum Dominum prodidit, Pontifex autem esto sit malus & præscitus, propter hoc non est vocandus illis infamibus titulis,quibus Iudas notatus fuit,quia proditionem in personam Christi non committit, si se male gerit.

Articulus 22. *Papa,vel Prælatus malus & præscitus est æquinoce Pastor, & verè fur, & latro.* Constat ex prædictis Pontificé malum esse Papam vniuoce,quia nomen,& rationem Pontificij participat, cum neutrũ per peccatum perdiderit. Neque quia peccator, fur est, & latro, quia in ouile ouium ascendit per ostium faciendo professionem fidei,& suscipiendo Baptismũ, quod est ostium, per quod quilibet intrat Ecclesiam. Quod si electus in Papam postea euadat malus non potest dici fur, & latro, quia curam animarum sibi non vsurpauit, nec aliunde ascendit, cum per ostium ingressus primo fuerit, adeo quod potestate humana eiici non potest.

Articulus 23. *Papa non debet dici Sanctissimus etiã secundum officium quia alias Rex deberet dici Sanctissimus secundum officium,& tortores,& præcones dicerentur sancti,imò & Diabolus deberet dici sanctus cum sit officiarius Dei.* Non video necessitatem huius sequelæ, cum in prædictis diuersa sint officia spiritualia à temporalibus,nam officium Papæ est ad sanctificationem subditorum per administrationem Sacramento-
232 rum, & ideo ab hoc recte Papa vocatur sanctissimus, & reliqui Prælati, & Pastores sancti, si enim vocabantur in primitiua Ecclesia in ordine ad conferendam Sanctitatem. Reges vero,& Principem, cæterique eorum Ministri, quia sunt circa temporalia hoc nomine sanctitatis decorari non possunt. In inferno nulla sanctitas, sed summa miseria, quomodo ergo Sanctus dici potest? Apparet ex his hæreticorum impietas cum malitiosa ignorantia coniuncta.

Articulus 24. *Si Papa viuat Christo contrarie,etiã si ascenderet per legitimam electionem secundum constitutionem humanam,tamen aliunde ascenderet,quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem à Deo principaliter factam, nam Iudas ritè, & legitimè est electus ad Apostolatum, & tamen ascendit aliunde in ouile ouium.* Iste hæreticus non bene intellexit Parabolam Christi à Ioanne relatam c.10. Nam Christus loquitur de illis, qui nondum sunt Pastores ab Ecclesia vocati, & electi, & se volunt intrudere in ouile ouium, id est, in Ecclesiam, vocantes se veros
233 Pastores,cum non fuerint vocati,nam per ostium non intrant, id est, aut non sunt fideles, sed Pharisæi, de quibus Christus ibi loquitur; aut si sunt,à nullo promouentur ad pastorale officium, sed propria auctoritate se ingerunt in cura ouium,isti non per ostium, sed aliunde ascendunt in ouile. Modo applicando ad rem Hæretici loquuntur, vel de eo, qui vult intrare in ouile, vel de eo, qui iam intrauit, sed male agit, & oues non pascit bono exemplo, & doctrina,vt deberet. Priori modo nullus hactenus ad Pontificatum assumptus ascendit aliunde, sed per ostium Baptismi intrauit, & per legitimam electionem, ergo nullus intrauit nisi per ostium. Christus loquitur de intrusis Pastoribus non de intrantibus Canonice, de Antipapis,non veris Pontificibus. Demum Iudas cum legitime à Christo vocatus fuerit ad Apostolatum, ordinatus ab eodem Sacerdos, & Episcopus non ascendit aliunde, sed per ostium,à quo recedens lapsus est in infernum.

Quæres 51. An verus Papa de necessitate salutis sit ab omnibus acceptandus?

℞. Affirmatiuè, omnes enim fideles sunt de ne-
cessitate salutis subiecti, & qui se subtrahit ab eius 234
obedientia, vt est caput Ecclesiæ schismaticus est,& in statu æternæ damnationis; atque hoc de fide tenendum est definitum à Bonifacio VIII. in sua Extrauag. 1. de maior. extremis hisce verbis: *Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ, declaramus, diximus, definimus, & pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.* Rationem huius desumo ex definitione Ecclesiæ,qua cap. 1.q.4.dixi,esse spiritualem Congregationem baptizatorum fidem diuinam profitentium sub Pontifice Romano ordinata ad cultum diuinum,& salutem animarum;ergo qui non est sub Pontifice Romano non est membrum huius Congregationis, ac proinde saluari non potest,quia extra Ecclesiam Romanam non est salus,vt probaui eodem c.1. q.32. Igitur omnes de necessitate salutis debent esse intra Ecclesiam sub Romano Pontifice.

Hæretici, qui libertatem damnosam quærunt, hanc subiectionem recusantes, in Pontifice recognoscere nolunt, vnde Ioannes Vigleph a.9. ita loquitur. *Post Vrbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed viuendum est more Græcorum sub propriis legibus.* Confirmant hunc suum errorem, quia Concilium Constantiense,quod totam Ecclesiam repræsentabat, ex tribus Pontificibus tunc simul prætendentibus regere Ecclesiam, Ioan.XXIII. Benedict.XII. & Gregor.XII. nullum acceptare voluit,sed illos anathematizauit,substituendo Martinum V.quem similiter abrogauit Concilium Basiliense. Non est ergo de fide nec de necessitate salutis subesse Pontifici Romano, exemplo horum duorum Conciliorum,in quibus erãt tot Patres sancti, qui suam salutem non desperabant subtrahentes se ab illis Pontificibus. Confirmant secundo,quia pueri hæreticorũ,& cathecumeni saluantur,& tamen nondum sunt subiecti Romano Pontifici;pueri quidem,quia licet sint baptizati, ratione cuius, quis sit subiectus Romano Pontifici, tamen per hoc non subduntur,quia Sacramentum hoc recipiunt in fide parentum, qui respuunt hanc subiectionem, Cathecumeni vero carent Baptismo, ratione cuius quis sit subditus Papæ, & tamen saluantur, ergo subiectio Pontifici Romano non est de necessitate salutis.

Sed recedendum non est à determinatis de fide ab eodem Bonifacio multo tempore ante dicta Concilia, imò ipsummet Concilium Constantiense definit idem contra Viglephium.Deinde nulla est ratio,quod magis recipiẽdi sint Pontifices antecessores cum Vrbano V. & non posteriores, & illorum successores, si sunt veri Pontifices, nam ante, & post acciderunt Schismata, & nostra Conclusio tenet, hanc subiectionem esse de necessitate salutis respectu illius, qui verus est Papa,vel pro tali indubitanter habetur.Supradicti autem tres Pontifices erant dubij, inquiunt Historici, ideo damnati fuerunt, & non erat de necessitate subesse illis,quia subiectio vnius tantum est, & non plurium. Imò Constantiense indictum fuit de mandato Ioannis, quem recognouerunt, tamen quia postea fugit,& voluit stare promissis de renuntiando Papatu vti dubius in suo Pontificatu cum reliquis depositus fuit.Concilium Basiliense apud Romanos nullius auctoritatis fuit, vt dicam suo loco. Ad illud puerorum, dices illos esse baptizatos in fide Ec-
clesiæ Romanæ,non parentum, pro quibus est S.Au- 235
gust.relatus cap.Quæris 129. dist.4.consecr. *Quorum eis non potest obesse perfidia.* Et cap. Mater 139. eod. *Mater Ecclesia os maternum paruulis præstat, vt sacris mysteriis imbuantur.* Cathecumeni subsunt Pontifici, quatenus habent Baptismum flaminis, vel sanguinis,qui eos substituunt obedientiæ Pontificis Romani.

Quæres

Quæres 52. Alias 6. An hic numero Papa v.g. Innocentius X. nunc feliciter regnans sit de fide talis habendus ab omnibus?

236 ℞. Affirmatiuè, si ab Ecclesia sit receptus sine contradictione. Probatur primo, quia qui reuelauit Petrum esse Papam, & Pastorem ouium, dixit quoque successores legitimos Petri, esse veros Ecclesiæ Pastores, ergo de fide est hunc pro tempore electum canonice successorem Petri, esse Papam. Quæ enim Christus dixit de Petro extendit ad omnes eius successores legitime intrantes in ouile ad pascendas oues, supra quæstione 28. *Secundo*, de fide est, omnes Pontifices Romanos esse veros successores Petri, si sunt canonice electi, vt definiuit Concilium Florentinum, cuius verba retuli sub quæstione 7. Frustraretur autem hæc definitio, si non teneremur credere hunc, & hunc esse verum Pontificem, possent enim omnes excludi, & sic definitio fidei eluderetur. *Tertio*, in Bulla Martini V. in fine Concilij Constantiensis reconciliandus ad fidem inter alia interrogandus est, sub numero 24. *Vtrum credebat, quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso sit successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* Credere autem refertur ad fidem diuinam, ergo de fide est Innocentius X. esse Papam. Quia autem hæretici tempore Concilij Constantiensis nolebant recipere vllum Pontificem, sed asserebant esse viuendum more Græcorum sub propriis legibus, ideo Martinus Papa in eo Concilio electus rem hanc apertius declarauit, credendum esse hunc, & hunc nomine proprio expresso esse verum

237 Pontificem Romanum Petri successorem. Græci autem in primitiua Ecclesia erant subiecti Pontifici Romano, vt testatur Gregorius X. in sua Bulla incip. *Saluator noster* 1. Indictionis Concilij Lugdunensis, in qua deplorat substractionem eorum ab obedientia Ecclesiæ, & in secunda lætatur de reditu Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris ad obedientiam Romani Pontificis, & vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Et in tertia Bulla seu Epistola de Pontifice Romano sic definitur. *Sancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, siue vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter cognoscit.* Græci ergo ante Concilium Constantiense viuebant sub obedientia Ecclesiæ Romanæ. *Quartò*, quia si id non esset de fide in indiuiduo, frustra successiue exigeretur à Prælatis professio fidei exhibenda Romano Pontifici succedenti in locum præmortui; successio autem non importat Pontificatum in specie, sed in singulari determinata per quemlibet Canonice electum in Papam, obligatio ergo credendi refertur ad hunc hominem assumptum ad Papatum, successio enim refertur ad indiuiduum, non ad speciem. Ita docent Suarez, Azorius, & cum illis Bonacin. *super excomm.* 1. *Bullæ Cœnæ quæstione secunda, parte prima, à numero nona,* Contra Caietanum, Bannem, & Cordubam. Requiritur autem, quod Papa sit sufficienter propositus, talis autem censetur ille, cui nihil apponitur, sed coronatur, & pro vero Papa recognoscitur.

Deus igitur reuelauit per ea verba: *Pasce oues meas* primo relata ad Petrum, omnes eius successores esse veros Romanos Pontifices, quando sunt canonice electi, adeo quod ea propositio, Pontifices Romani sunt successores Petri in primatu, & regimine vniuersalis Ecclesiæ, non solum in specie, definitur esse de fide sub Gregorio X. Martino V. & Concilio Florentino, sed etiam in indiuiduo, quod importat esse successorem, nam vnus singularis homo alteri succedit in officio, & non species speciei, quæ non habet successionem nisi in suis indiuiduis, per quorum vicissitudinem in eisdem conseruatur. Ita docent Salmeron, Valentia, Albertinus, Suarex, Hurtadus, & Comitolus citati à Vericello tractat. 8. quæstione vigesimaquarta, numero septimo, alios plures citat Diana in fine part. 11. resol. 6. Sabelles p. 1. Reg. 65. fine.

Quæres 53. An Pontifex Romanus sit Antichristus? Hæc quæstio noua ab hæreticis modernis Luteranis, & Caluinistis inuenta fuit in odium, & depressionem Romani Pontificis, insipientis, & bestialis hominis impietas, de qua Bellarmin. *libro tertio, de Rom. Pontif.* Becanus *opusc.* 18. *de Antichristo Reformato, & opusc.* 30. *quæstione septima*, Batauica, *& de Incarnat. capite vigesimoseptimo*, Lessius *ad calcem sui operis de Iustitia*, *Angelus Petricca in sua Turri Dauidica libro secundo, disputatione septima, Aresius in Apocal. Velitat.* 4. Iste error, quod Papa sit Antichristus duplicem potest habere sensum, vel quod talis sit secundum personam, vel secundum operationem.

℞. Papa nullo modo est Antichristus. Probatur hæc responsio à præcitatis doctoribus multis argumentis, quæ ego reduco ad tria, ad vnitatem, existentiam, & operationes Antichristi, quæ de Pontifice Romano nullatenus verificari possunt, ergo non est Antichristus. 238

Primum de vnitate non competere Papæ sic ostenditur, nam Antichristus est vnus homo vnitate numerica, & certa quædam persona, vt colligitur ex Epistol. 2. ad Thessalon. 2. 3. *Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur.* Hæc verba referuntur in certam personam singularem, & vnam numero, vt probatur ex prædictis operationibus, quæ dicuntur esse singularis personæ; constat autem Summum Pontificem Romanum non esse vnum numero, sed plures, qui sibi in hac dignitate succedunt, vt luce clarius est, ergo Papa non est Antichristus.

Hæretici hic respondent, Antichristum non esse vnam tantum singularem personam, sed vnum singulare regnum, & hoc tyrannicum, atque sedem eorum, qui Ecclesiam gubernant. Probant *primò*, quia Ioann. 1. 2. 17. dicitur: *Et nunc Antichristi multi facti sunt.* Probant Secundò, quia Daniel cap. 7. & Ioannes in Apocal. cap. 18. loquentes de quibusdam bestiis symbolice intellexerunt non singulares personas, sed plura regna continentia reges sibi inuicem succedentes, consequenter S. Paulus ad Thessal. eodem modo loquitur sumendo plures pro eodem corpore politico multorum sibi inuicem succedentium. *Tertio*, quia Apostasia à fide, quo nomine venit Antichristus ex dicta Epistola ad Thessal. per illa verba: *Nisi venerit discessio primum*, est defectio non vnius, aut alterius hominis, sed generalis, ergo & Antichristus per eam significatus non erit vnus homo, sed multitudo hominum.

℞. Nullus hactenus dixit, Antichristum esse corpus politicum aggregatum ex pluribus malignis hominibus, qualis est secta Luterana, & Caluinistica, sed omnes etiam hæretici fatentur Antichristum esse vnum hominem singularem futurum in fine sæculi. *Ad primum* dico, ea verba intelligenda esse de Præ-
cursoribus Antichristi, cuius sunt omnes hæretici, qui 239
veram fidem Romanæ Ecclesiæ negant, de quibus Ioan. cap. 4, *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Nullus autem Pontifex Romanus Christum soluit, nec eius fidem negauit, sed quilibet fidelis fiet, & Catholicam do-

ctrinam ex viribus tutatus fuit, ergo Antichristus non est. *Ad secundum* respondet doctissimus Aresius Velitat. 4. in Apocalypſ. Excurſ. 5. Danielem, & Ioannem non loqui de Antichristo, & si sit sermo de illo, non accipitur ex illis bestiis, sed ex cornibus earum, in quibus repræsentantur personæ singulares. Dic tu Antichristum dici corpus politicum, & Tyrannicum, quatenus est singulare caput vnius corporis compositi ex pluribus discipulis sectatoribus contrariis operibus Christi qui tamen est in se vnus numero, nullum habens successorem in suo regno Tyrannico, quod triennio tantum est duraturum, talis ergo non potest esse Pontifex Romanus, qui non solum est caput totius Ecclesiæ Regni non Tyrannici, sed Catholici iusti, & clementis, quod habet successionem vnius personæ ad aliam præmortuam regentis cum iustitia, & charitate. *Ad tertium*, defectio à fide non significat ipsum Antichristum, cum sit nota, & signum aduentus ipsius Antichristi in mundum, signum enim & signatum sunt diuersa.

Secundum circa eius existentiam ostenditur, quia clarum est, nondum venisse, ergo nullus Papa ex iis, qui fuerunt à tempore Lutheri vsque modo, & deinceps est Antichristus, aliter enim Papa esset Antichristus, & non esset Antichristus. Conuincuntur ergo
240 hæretici de mendacio Antecedens, quod Antichristus nondum venerit probatur, quia pro cognitione aduetus, & existentiæ eius dantur sex signa, duo præcedentia eius existentiam, nempe prædicatio Euangelij per totum orbem, quæ nondum euenit. *Vide Aresium probantem Velitat. 4. Excuſ. 7.* hoc signum nondum esse adimpletum, & id clarum est ab effectu, quia à summo Pontifice mittuntur religiosi ad prædicandum Euangelium ad terras infidelium, vt legitur in actis Congregat. de fide propaganda. Auctoritas huius signi habetur Matth. 24. 15. *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Secundum signum ante aduentum Antichristi est desolatio. Romani imperij, de quo Paulus ad Thessal. Epist. 2. cap. 2. numero 7. *Tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Vide Bellarmin. libro tertio, capite quinto, Becan. de Incarnat. capite 27. ea duo loca ex Sanctis Patribus interpretantes de illis duobus signis præcedentibus Antichristum. Hæc nondum obtinuerunt suum effectum, ergo nondum venit aliquis Antichristus, nec ergo aliquis Papa Antichristus est.

Alia duo signa comitantur existentiam Antichristi, itaque tertium signum est prædicatio Enoc, & Eliæ, qui nondum mortui sunt, sed reseruantur, vt vera prædicatione se opponant doctrinæ Antichristi, & fidem manuteneant illo tempore extremo propter electos, ne à fide deficiant, *de Enoch Eccli 44. 16. De Elia Malach. 4. 5. Eccli 48. 9. ad 12. Matth. 17. 11. de vtrisque Apocal. 11. 3.* Bellarmin. *libro tertio, capite sexto* Quartum signum indicans Antichristum venisse, est maxima persecutio contra Dei Ecclesiam, ita quod tunc publica sacrificia cessabunt, de qua Matth. 24. 21. Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, nec fiet. Neutrum ex his signis apparuit, ergo modo nec tempore præterito extitit Antichristus, ergo nullus Papa est Antichristus.

Duo alia signa sequentia post aduentum Antichristi, quorum, quintus erit interfectio ipsius Antichristi, postquam regnauerit tres annos cum dimidio, ex Daniele cap. 7. & 12. Apocalypſ. cap. 11. 12. & 13. numero quinto. *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Quos Patres interpretantur de dicto spatio. Sextum denique signum est hoc, quod statim sequetur consummatio sæculi, colligitur ex Daniel. 7. Apocalypſ. 20. & Ioann. in Epistol. sua prima cap. 2. Matth. 24. Epistol. 2. ad Thessal. 2.

Ex his ergo sex signis, & notis nondum verificatis, vt experientia docet, manifeste ostenditur Antichristum nondum venisse, consequenter hæretici conuincuntur esse mendaces, dum dicunt Pontifices Romanos esse hunc Antichristum, impossibile ergo est, quod Papa sit Antichristus.

Hæretici contendunt, Antichristum iam venisse, probantes ex Sacra Scriptura, nam in Epistol. ad Thessal. 2. cap. 2. dicitur: *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Ioann. 1. cap. 2. 18. *Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Item cap. sequent. 4. num. 3. *Hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Ergo cum constet de existentia Antichristi, & Pontificorum Romanorum, bene infertur, omnes Pontifices Romanos esse Antichristos.

℞. Ex illis Scripturis haberi non Antichristum, qui vnus est, venisse, sed suos sequaces discipulos, qui sunt hæretici, præmisisse, ad persequendam Ecclesiam Dei, in quorum numero fuerunt quoque imperatores gentiles, qui fideles diuersis suppliciis in odium fidei Catholicæ affligebant. Deinde si tempore Apostolorum venit Antichristus, quomodo asserere possunt illum venisse multo tempore post? Nam Luterus ait venisse anno 600. alij anno 763. alij anno 1100. Præterea oporteret dicere in eorum sententia, omnes Pontifices fuisse Antichristos etiam Petrum, quia eorum tempore viuebat, secundum ipsos, Antichristus; illud autem est expressè falsum etiam in eorum sententia, ergo omnino spernendi sunt, quia ea eorum dicta inuoluunt mendacia, & contradictionem.

Quod si dicant Pontificem Romanum secundum naturam, & personam non esse Antichristum, sed tantum secundum operationem, respondebimus in sequentibus id omnino esse falsum.

Prima operatio Antichristi est defectio à fide, 241
Ephes. 2. Epistol. 2. ad Thessal. 2. numero tertio. *Nisi venerit discessio primum.* Constat autem ex supra probatis *sub quæstione trigesimaquarta, trigesimaquinta, trigesimasexta, & trigesimaseptima.* Nullum Papam non solum ratione officij, sed neque ratione personæ posse errare, neque de facto errasse, neque quemquam hæreticum hactenus fuisse electum in Pontificem, vt probatur infra quæstione quinquagesimaquarta.

Secunda operatio est, quod Antichristus ex eadem Epistol. 2. ad Thessalon. cap. 2. numero quarto. *Extollit se supra omne, quod dicitur Deus.* Hæretici interpretantur duobus modis; primò, extollitur supra omne, quod dicitur Deus, id est, supra omnem Ecclesiasticum, & politicum ordinem; secundò, supra omnes Magistratus, supra Angelos, supra Dæmones, supra ipsum verum Deum. Rationem reddunt, quia omnes isti vocantur Dij in Sacris Scripturis; sed Papa non se extollit supra omne, quod dicitur Deus, secundum verum sensum illorum, licet se extollat supra omnem creaturam inclusam seu inclusibilem intra suum ouile, ergo non est Antichristus. Minor suadetur, quia ea verba intelligenda sunt de vero Deo viuo secundum naturam, supra quem verus Antichristus sicut alter Diabolus volet se extollere, cum venerit, vt Sancti Patres interpretantur, ideo ab ipsomet Christo Deo, nostro interficietur gladio oris sui, vt dicitur

loco

loco citato. Est autem euidentissimum Papam non se extollere supra verum Deum, quin se vocat Seruum Seruorum Dei, & Vicarium Dei, & à Christo habere suam potestatem, esse successorem alterius hominis, famulum Dei, ergo nulla ratione probari potest, Papam se extollere supra Deum, ergo Antichristus dici non potest. Neque allata ab eis explicatio aliquid valet, sed omnino falsa, cum expresse ibi nomen Dei sumatur pro vero Deo.

Tertia operatio est, quod Antichristus sedet in templo Dei, ex eadem, Epistol. 2. *ad Thessal. capite secundo.* Id est, in ea Ecclesia, in qua residet Romanus Pontifex, nempe in Ecclesia Romana, ergo Papa sic sedens Antichristus est. Falsum est nomine templi venire Ecclesiam Romanam, cum in sententia Patrum veniat solum Templum Ierosolymitanum, vt colligitur ex Apocalyps. cap. 11. vbi de Enoch, & Elia occidendis ab Antichristo dicitur: *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorum crucifixus est.* Ac proinde Ierosolymis, in cuius templo licet destructo reędificando tamen non in cultum, sed in abominationem *ex Daniel capite* 9.

242 27. sedebit Antichristus. Papa autem non sedet in templo Ierosolymitano, sed Romano, vnde neque Petrus voluit ibi Cathedram erigere, sed primo Antiochiæ, deinde Romæ immutabiliter, ex quo sequitur Papam non esse Antichristum, quia nullus Papa, nec Petrus sedit in templo Ierosolymitano, in quo primum Iacobus frater Domini sedit. Neque valet, quod hæretici adducunt, nomine *ciuitatis magnæ* intelligi spiritualiter, eo quod Romæ Christus fuerit spiritualiter crucifixus in tot Martyribus necatis in odium Christi. Respondeo enim, eam interpretationem falsam, & ineptam esse, nam hoc modo omnes Ecclesiæ possunt dici Templum Ierosolymitanum, quia vbique Christus per peccatum spiritualiter crucifigitur. Siue ergo Antichristus sessurus sit in Templo Ierosolymitano, siue in Ecclesia Romana eius sessio erit vsurpata, abominabilis non ad pascendum, sed mactandum oues; sessio vero Pontificis Romani in Ecclesia Romana est iusta, legitima, canonica, & à iure diuino fixa immobiliter, vt probaui supra *quæstione* 22 *&* 23. *& capite quarto, quæstione* 28. Quare ex diuersitate modi sedendi Pontifex Romanus alius est ab Antichristo.

Quarta operatio est, quod Antichristus se ostendet tamquam Deum, ex eadem Epistol. 2. ad Thessal. cap. 2. *Ostendens se tamquam sit Deus.* Papa autem nullo modo se ostendit tamquam Deum, sed asserit se esse eius famulum, seruum, & Vicarium, vt dixi mox. Probant hæretici, quia facit se caput Ecclesiæ, quod soli Deo & Christo competit. Respondeo, quod Papa est quidem caput Ecclesiæ sed minus principale subordinatum Christo, cuius vices in terris gerit, quod non arguit æqualitatem, nec similitudinem cum Deo, sed subiectionem, ministerium, & dependentiam à supremo capite independente.

Probant secundò, quia Papa vindicat sibi nomen honorem, & potestatem Dei. Nomen, quia à Constantino Syluester vocatur Deus. Honorem, quia adoratur à suis, qui illi tribuunt diuinos honores. Potestatem infinitam, quia de nihilo facit aliquid, *Gloss. v. confirmatam cap. Veniens de transact. gloss. v. Inuestiuit cap. Reuera §. fin. distinctione* 2. *de consecr.*

℞. Nihil prædictorum tribui Pontifici, non enim adoratur vt Deus, sed eidem exhibetur reuerentia debita à subdito suo superiori, iuxta præceptum de honorandis parentibus non solum naturalibus, sed etiam spiritualibus, inter quos Papa primum obtinet locum. Constantinus honores Papæ vocauit diuinos à causa extrinseca, nempe à Deo, qui illi tam excellentem honorem tribuit. Deus vocatur Pontifex non secundum naturam, sed ratione officij, quia vices gerit Dei, cuius dona dispensat fidelibus. Sermo deinde illis locis est de actione morali, non creatione naturali requirente omnipotentiam, quæ non est necessaria in spiritualibus actionibus, cum ipsemet Deus agat ministerio Papæ, & aliorum officialium. 243

Probant 3. Quia Papa facit sibi osculari pedes, & adorare, vt facit Antichristus.

℞. Cum hæc signa non sint Latriæ, sed simplicis reuerentiæ & subiectionis debitæ tanto Pastori, ideò nil infertur contra Papam. Antichristus autem ex sua superbia prætendet cultum Latriæ, quia se Deum tenebit. Legimus sæpius in Sacris Scripturis Reges adoratos fuisse à suis subditis, qui genuflectebant ante illos, vt nunc coram Papa, & coram Principibus, & maioribus, quibus subditi aliqualem exhibent imperfectam genuflexionem, qui actus propriè dicuntur reuerentiæ debitæ superiori. De adoratione Papæ infra quæstione septimagesima nona. 244

Quinta operatio est, Antichristus negat Trinitatem, & Christum, Ioan. 1. cap. 2. num. 22. *Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* Item cap. 4. numero 3. *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Nullus autem Pontifex Romanus hactenus negauit Trinitatem, neque Incarnationem Filij Dei, nec in posterum negabit, quia Deus cuilibet Petro concessit priuilegium indeficientiæ fidei, vt probatum fuit supra, ergo nullus Papa est Antichristus.

Sexta operatio est, quod Antichristus colit Idola. Daniel *cap.* 11. 38. Apocalyps. 17. 4. Sed Papa nulla colit Idola, ergo non est Antichristus. Obiiciunt factum Marcellini, qui Idolum incensauit. Iam respondi supra quæstione trigesimaseptima, numero centesimosexto. Marcellinum id fecisse coactus vt mortem effugeret exhibendo illum actum externum, mente autem non errauit, quia verè credebat Idolâ esse indigna vero cultu. Adde quod ipsemet Marcellinus absolute non fatetur formalem incensationem, sed expressè fatetur hæc verba. *Non diis sacrificaui, sed tantum grana super prunas combussi.*

Septima operatio Miraculorum Matth. 24. *numero* 24. Apocalyps. 13. *numero* 13. Duo autem in specie assignantur patranda ab Antichristo. Vnum, quod faciet ignem de cælo descendere. Alterum, quod faciet loqui bestiam. Nullus Papa hactenus talia fecit miracula, non enim ab illis assignantur à quo facta fuerint, ergo nullus eorum est Antichristus. Multi sancti Pontifices in primitiua Ecclesia fecerunt miracula ad fidem confirmandam, & propagandam. Antichristus autem sua miracula faciet ope dæmonum ad destructionem fidei.

Octauo operatio est, quod Antichristus imprimet Characterem bestiæ suis sequacibus Apocalyps. 13. 16. *& capite* 14. Caracter autem ille habebit tres conditiones, prima est, quod erit signum commune omnibus hominibus; secunda, quod imprimetur in fronte, vel in manu dextera; tertia, quod illud signum dabit ius emendi, & vendendi aliis prohibitum tali Charactere carentibus. Nullus Pontifex Romanus suis subditis talem caracterem imprimit, ergo nullus est Antichristus.

Hæretici dicunt, hunc characterem, quo Papa signat suos subditos, esse Vnctionem Chrismatis in fronte

ctrinam ex viribus tutatus fuit, ergo Antichristus non est. *Ad secundum* respondet doctissimus Aresius Velitat. 4. in Apocalypsi. Excurs. 5. Danielem, & Ioannem non loqui de Antichristo, & si sit sermo de illo, non accipitur ex illis bestiis, sed ex cornibus earum, in quibus repræsentantur personæ singulares. Dic tu Antichristum dici corpus politicum, & Tyrannicum, quatenus est singulare caput vnius corporis compositi ex pluribus discipulis sectatoribus contrariis operibus Christi qui tamen est in se vnus numero, nullum habens successorem in suo regno Tyrannico, quod triennio tantum est duraturum, talis ergo non potest esse Pontifex Romanus, qui non solum est caput totius Ecclesiæ Regni non Tyrannici, sed Catholici iusti, & clementis, quod habet successionem vnius personæ ad aliam præmortuam regentis cum iustitia, & charitate. *Ad tertium,* defectio à fide non significat ipsum Antichristum, cum sit nota, & signum aduentus ipsius Antichristi in mundum, signum enim & signatum sunt diuersa.

Secundum circa eius existentiam ostenditur, quia clarum est, nondum venisse, ergo nullus Papa ex iis, qui fuerunt à tempore Lutheri vsque modo, & deinceps est Antichristus, aliter enim Papa esset Antichristus, & non esset Antichristus. Conuincuntur ergo
240 hæretici de mendacio Antecedens, quod Antichristus nondum venerit probatur, quia pro cognitione aduētus, & existentiæ eius dantur sex signa, duo præcedentia eius existentiam, nempe prædicatio Euangelij per totum orbem, quæ nondum euenit. *Vide Aresium probantem Velitat. 4. Excurs. 7.* hoc signum nondum esse adimpletum, & id clarum est ab effectu, quia à summo Pontifice mittuntur religiosi ad prædicandum Euangelium ad terras infidelium, vt legitur in actis Congregat. de fide propaganda. Auctoritas huius signi habetur Matth. 24. 15. *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Secundum signum ante aduentum Antichristi est desolatio. Romani imperij, de quo Paulus ad Thessal. Epist. 2. cap. 2. numero 7. *Tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Vide Bellarmin. libro tertio, capite quinto, Becan. de Incarnat. capite 27. ea duo loca ex Sanctis Patribus interpretantes de illis duobus signis præcedentibus Antichristum. Hæc nondum obtinuerunt suum effectum, ergo nondum venit aliquis Antichristus, nec ergo aliquis Papa Antichristus est.

Alia duo signa comitantur existentiam Antichristi, itaque tertium signum est prædicatio Enoc, & Eliæ, qui nondum mortui sunt, sed reseruantur, vt vera prædicatione se opponant doctrinæ Antichristi, & fidem manuteneant illo tempore extremo propter electos, ne à fide deficiant, *de Enoch Eccli 44. 16. De Elia Malach. 4. 5. Eccli 48. 9. ad 12. Matth. 17. 11. de vtrisque Apocal. 11. 3.* Bellarmin. *libro tertio, capite sexto* Quartum signum indicans Antichristum venisse, est maxima persecutio contra Dei Ecclesiam, ita quod tunc publica sacrificia cessabunt, de qua Matth. 24. 21. Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, nec fiet. Neutrum ex his signis apparuit, ergo modo nec tempore præterito extitit Antichristus, ergo nullus Papa est Antichristus.

Duo alia signa sequentia post aduentum Antichristi, quorum, quintus erit interfectio ipsius Antichristi, postquam regnauerit tres annos cum dimidio, ex Daniele cap. 7. & 12. Apocalyps. cap. 11. 12. & 13. numero quinto. *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Quos Patres interpretantur de dicto spatio. Sextum denique signum est hoc, quod statim sequetur consummatio sæculi, colligitur ex Daniel. 7. Apocalyps. 20. & Ioann. in Epistol. sua prima cap. 2. Matth. 24. Epistol. 2. ad Thessal. 2.

Ex his ergo sex signis, & notis nondum verificatis, vt experientia docet, manifeste ostenditur Antichristum nondum venisse, consequenter hæretici conuincuntur esse mendaces, dum dicunt Pontifices Romanos esse hunc Antichristum, impossibile ergo est, quod Papa sit Antichristus.

Hæretici contendunt, Antichristum iam venisse, probantes ex Sacra Scriptura, nam in Epistol. ad Thessal. 2. cap. 2. dicitur: *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Ioann. 1. cap. 2. 18. *Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Item cap. sequent. 4. num. 3. *Hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Ergo cum constet de existentia Antichristi, & Pontificorum Romanorum, bene infertur, omnes Pontifices Romanos esse Antichristos.

℞. Ex illis Scripturis haberi non Antichristum, qui vnus est, venisse, sed suos sequaces discipulos, qui sunt hæretici, præmisisse, ad persequendam Ecclesiam Dei, in quorum numero fuerunt quoque imperatores gentiles, qui fideles diuersis suppliciis in odium fidei Catholicæ affligebant. Deinde si tempore Apostolorum venit Antichristus, quomodo asserere possunt illum venisse multo tempore post? Nam Luterus ait venisse anno 600. alij anno 763. alij anno 1100. Præterea oporteret dicere in eorum sententia, omnes Pontifices fuisse Antichristos etiam Petrum, quia eorum tempore viuebat, secundum ipsos, Antichristus; illud autem est expressè falsum etiam in eorum sententia, ergo omnino spernendi sunt, quia ea eorum dicta inuoluunt mendacia, & contradictionem.

Quod si dicant Pontificem Romanum secundum naturam, & personam non esse Antichristum, sed tantum secundum operationem, respondebimus in sequentibus id omnino esse falsum.

Prima operatio Antichristi est defectio à fide, 241
Ephes. 2. Epistol. 2. ad Thessal. 2. numero tertio. *Nisi venerit discessio primum.* Constat autem ex supra probatis *sub quæstione trigesimaquarta, trigesimaquinta, trigesimasexta, & trigesimaseptima.* Nullum Papam non solum ratione officij, sed neque ratione personæ posse errare, neque de facto errasse, neque quemquam hæreticum hactenus fuisse electum in Pontificem, vt probatur infra quæstione quinquagesimaquarta.

Secunda operatio est, quod Antichristus ex eadem Epistol. 2. ad Thessalon. cap. 2. numero quarto. *Extollit se supra omne, quod dicitur Deus.* Hæretici interpretantur duobus modis; primò, extollitur supra omne, quod dicitur Deus, id est, supra omnem Ecclesiasticum, & politicum ordinem; secundò, supra omnes Magistratus, supra Angelos, supra Dæmones, supra ipsum verum Deum. Rationem reddunt, quia omnes isti vocantur Dij in Sacris Scripturis; sed Papa non se extollit supra omne, quod dicitur Deus, secundum verum sensum illorum, licet se extollat supra omnem creaturam inclusam seu inclusibilem intra suum ouile, ergo non est Antichristus. Minor suadetur, quia ea verba intelligenda sunt de vero Deo viuo secundum naturam, supra quem verus Antichristus sicut alter Diabolus volet se extollere, cum venerit, vt Sancti Patres interpretantur, ideo ab ipsomet Christo Deo, nostro interficietur gladio oris sui, vt dicitur

loco

loco citato. Est autem euidentissimum Papam non se extollere supra verum Deum, quin se vocat Seruum Seruorum Dei, & Vicarium Dei, & à Christo habere suam potestatem, esse successorem alterius hominis, famulum Dei, ergo nulla ratione probari potest, Papam se extollere supra Deum, ergo Antichristus dici non potest. Neque allata ab eis explicatio aliquid valet, sed omnino falsa, cum expresè ibi nomen Dei sumatur pro vero Deo.

Tertia operatio est, quod Antichristus sedet in templo Dei, ex eadem, Epistol. 2. *ad Thessal. capite secundo.* Id est, in ea Ecclesia, in qua residet Romanus Pontifex, nempe in Ecclesia Romana, ergo Papa sic sedens Antichristus est. Falsum est nomine templi venire Ecclesiam Romanam, cum in sententia Patrum veniat solum Templum Ierosolymitanum, vt colligitur ex Apocalyps. cap. 11. vbi de Enoch, & Elia occidendis ab Antichristo dicitur: *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorum crucifixus est.* Ac proinde Ierosolymis, in cuius templo licet destructo reædificando tamen non in cultum, sed in abominationem *ex Daniel capite* 9.
242 27. sedebit Antichristus. Papa autem non sedet in templo Ierosolymitano, sed Romano, vnde neque Petrus voluit ibi Cathedram erigere, sed primo Antiochiæ, deinde Romæ immutabiliter, ex quo sequitur Papam non esse Antichristum, quia nullus Papa, nec Petrus sedit in templo Ierosolymitano, in quo primum Iacobus frater Domini sedit. Neque valet, quod hæretici adducunt, nomine *ciuitatis magnæ* intelligi spiritualiter, eo quod Romæ Christus fuerit spiritualiter crucifixus in tot Martyribus necatis in odium Christi. Respondeo enim, eam interpretationem falsam, & ineptam esse, nam hoc modo omnes Ecclesiæ possunt dici Templum Ierosolymitanum, quia vbique Christus per peccatum spiritualiter crucifigitur. Siue ergo Antichristus sessurus sit in Templo Ierosolymitano, siue in Ecclesia Romana eius sessio erit vsurpata, abominabilis non ad pascendum, sed mactandum oues; sessio vero Pontificis Romani in Ecclesia Romana est iusta, legitima, canonica, & à iure diuino fixa immobiliter, vt probaui supra *quæstione* 22. *&* 23. *& capite quarto, quæstione* 28. Quare ex diuersitate modi sedendi Pontifex Romanus alius est ab Antichristo.

Quarta operatio est, quod Antichristus se ostendet tamquam Deum, ex eadem Epistol. 2. ad Thessal. cap. 2. *Ostendens se tamquam sit Deus.* Papa autem nullo modo se ostendit tamquam Deum, sed asserit se esse eius famulum, seruum, & Vicarium, vt dixi mox. Probant hæretici, quia facit se caput Ecclesiæ, quod soli Deo & Christo competit. Respondeo, quod Papa est quidem caput Ecclesiæ sed minus principale subordinatum Christo, cuius vices in terris gerit, quod non arguit æqualitatem, nec similitudinem cum Deo, sed subiectionem, ministerium, & dependentiam à supremo capite independente.

Probant secundò, quia Papa vindicat sibi nomen honorem, & potestatem Dei. Nomen, quia à Constantino Syluester vocatur Deus. Honorem, quia adoratur à suis, qui illi tribuunt diuinos honores. Potestatem infinitam, quia de nihilo facit aliquid, *Gloss. v. confirmatam cap. Veniens de transact. gloss. v. Inuestiuit cap. Reuera §. fin. distinctione 2. de consecr.*

℞. Nihil prædictorum tribui Pontifici, non enim adoratur vt Deus, sed eidem exhibetur reuerentia debita à subdito suo superiori, iuxta præceptum de honorandis parentibus non solum natura-libus, sed etiam spiritualibus, inter quos Papa primum obtinet locum. Constantinus honores Papæ 243
vocauit diuinos à causa extrinseca, nempe à Deo, qui illi tam excellentem honorem tribuit. Deus vocatur Pontifex non secundum naturam, sed ratione officij, quia vices gerit Dei, cuius dona dispensat fidelibus. Sermo deinde illis locis est de actione morali, non creatione naturali requirente omnipotentiam, quæ non est necessaria in spiritualibus actionibus, cum ipsemet Deus agat ministerio Papæ, & aliorum officialium.

Probant 3. Quia Papa facit sibi osculari pedes, & adorare, vt facit Antichristus.

℞. Cum hæc signa non sint Latriæ, sed sim- 244
plicis reuerentiæ & subiectionis debitæ tanto Pastori, ideò nil infertur contra Papam. Antichristus autem ex sua superbia prætendet cultum Latriæ, quia se Deum tenebit. Legimus sæpius in Sacris Scripturis Reges adoratos fuisse à suis subditis, qui genuflectebant ante illos, vt nunc coram Papa, & coram Principibus, & maioribus, quibus subditi aliqualem exhibent imperfectam genuflexionem, qui actus propriè dicuntur reuerentiæ debitæ superiori. De adoratione Papæ infra quæstione septimagesima nona.

Quinta operatio est, Antichristus negat Trinitatem, & Christum, Ioan. 1. cap. 2. num. 22. *Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.* Item cap. 4. numero 3. *Omnis Spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Nullus autem Pontifex Romanus hactenus negauit Trinitatem, neque Incarnationem Filij Dei, nec in posterum negabit, quia Deus cuilibet Petro concessit priuilegium indeficientiæ fidei, vt probatum fuit supra, ergo nullus Papa est Antichristus.

Sexta operatio est, quod Antichristus colit Idola. Daniel *cap.* 11. 38. Apocalyps. 17. 4. Sed Papa nulla colit Idola, ergo non est Antichristus. Obiiciunt factum Marcellini, qui Idolum incensauit. Iam respondi supra quæstione trigesimaseptima, numero centesimosexto. Marcellinum id fecisse coactus vt mortem effugeret exhibendo illum actum externum, mente autem non errauit, quia verè credebat Idola esse indigna vero cultu. Adde quod ipsemet Marcellinus absolute non fatetur formalem incensationem, sed expresè fatetur hæc verba. *Non diis sacrificaui, sed tantum grana super prunas combussi.*

Septima operatio Miraculorum Matth. 24. *numero* 24. Apocalyps. 13. *numero* 13. Duo autem in specie assignantur patranda ab Antichristo. Vnum, quod faciet ignem de cælo descendere. Alterum, quod faciet loqui bestiam. Nullus Papa hactenus talia fecit miracula, non enim ab illis assignantur à quo facta fuerint, ergo nullus eorum est Antichristus. Multi sancti Pontifices in primitiua Ecclesia fecerunt miracula ad fidem confirmandam, & propagandam. Antichristus autem sua miracula faciet ope dæmonum ad destructionem fidei.

Octauo operatio est, quod Antichristus imprimet Characterem bestiæ suis sequacibus Apocalyps. 13. 16. *& capite* 14. Caracter autem ille habebit tres conditiones, prima est, quod erit signum commune omnibus hominibus; secunda, quod imprimetur in fronte, vel in manu dextera; tertia, quod illud signum dabit ius emendi, & vendendi aliis prohibitum tali Charactere carentibus. Nullus Pontifex Romanus suis subditis talem caracterem imprimit, ergo nullus est Antichristus.

Hæretici dicunt, hunc characterem, quo Papa signat suos subditos, esse Vnctionem Chrismatis in

fronte per Sacramentum Confirmationis. Alij Vnctionem sacerdotalem; alij professionem fidei; alij iuramentum fidelitatis; alij genuflexionem ad status. Ignorantes variant, vt ex pluribus vnum eligant similem illi, sed non possunt inuenire. Constat enim nostra signa esse spiritualia & pertinere ad salutem animarum, non ad emptionem, & venditionem, neque vnius esse sortis, vt debet esse illud signum bestiale Antichristi. Papa ergo cum non imprimat characterem talem temporalem, sed tantum spiritualem animæ, non potest esse Antichristus.

Nona operatio est blasphemia, Apocalyps. 13. 5. *Datum est ei os loquens magna, & blasphemias.* Nullus autem Papa blasphemat, ergo nullus est Antichristus.

Multis autem conantur probare, Papam esse blasphemum *Primò*, quia sinit pingere Deum sub humana specie, *Secundò*, fingit Christum nouum legislatorem. *Tertiò*, asserendo merita hominum, negat Deum esse perfecte iustum, & misericordem. *Quartò*, reprobat doctrinam Ecclesiæ reformatæ, quæ sunt expresse blasphemiæ.

Respondetur, inde nullam colligi blasphemiam, nam *Primò* id non est blasphemia, quæ ore consummatur, non factione picturæ, Deus autem fingitur pictus forma hominis, quia à nobis spiritualia per corporalia intelliguntur, scimus enim Deum non esse corporalem, sed purissimum Spiritum carens omni corpore, & qualibet alia imperfectione. *Secundò*, certissima veritas est, quod Christus est nouus legislator, cum clarum sit nobis dedisse legem Euangelij. *Tertiò*, per nostra merita non minuitur iustitia Dei, aut eius misericordia, sed magis replendet in nostris operibus meritoriis dependenter ab eo. *Quartò* Papa merito damnat Ecclesiam reformatam, quia est plena falsis dogmatibus, indulgens gulæ, luxuriæ, & aliis vitiis, quæ reprobat Ecclesia Pontificia.

Decima demum operatio est persecutio Antichristi contra Sanctos. Daniel 7. 25. *Sanctos Dei conteret*, Apocalyps. 11. 7. & 13. 15. Papa autem nullum sanctum persequitur, ergo Antichristus non est.

Dicunt, Pontifices Romanos persecutos fuisse Valdenses, Albigenses, Hussitas, Luteranos, & alios Dei seruos, & Sanctos. Sed summi Pontifices id sancte, & iuste fecerunt, quia punierunt homines seruos Diaboli, & inimicos Dei falsis dogmatibus subuertere procurantes Christi fideles. Pontifex Romanus ex debito officij sui tenetur castigare, & punire omnes hæreticos, exemplo Moysis, qui occidere mandauit plura millia hominum, qui à fide recesserant ad Idolatriam, vt legitur Exodi 32. 27. Elias occidit Prophetas Baal 3. *Reg.* 18. 40. Idem fecit Iehu 4. Reg. 10. 25.

Constat igitur ex hactenus productis impietas, & malignitas hæreticorum in odium Pontificis Romani, cuius supremum in Ecclesia regimen cum personis conantur supprimere viis indirectis, & adinuentionibus exquisitis, non alio fine, nisi vt liberiùs viuant.

Quæres 54. An aliquis infidelis, seu hæreticus quandoque electus fuerit in Papam? Dixi sub quæstione 21. casu 3. electionem infidelis, id est, nondum baptizati, & casu 5. hæretici, esse omninò nullam?

245 ℞. Negatiuè, quia in nullis Historiis id legitur, sed omnes, qui hactenus electi fuerunt, erant baptizati, in fide eruditi bene sentientes, & in clero Romano semper perfectiores, & meliores sunt electi, in quibus non est vitium hæresis, nec præsumitur Deus enim non permitteret, vt lupus rapax ingrederetur in ouile ad mactandum, & dispergendum oues sui gregis.

Quæres 55. Alias 22. An aliquando aliqua mulier electa fuerit in Papissam? quæ putabatur masculus? Eadem quæstione vigesima, casu primo, docui electionem fœminæ in Pontificem esse omninò nullam.

℞. Nulla fœmina, siue putata vir, siue non vmquam electa fuit in Pontificem Romanam. Ratio est, 246
quia Spiritus sanctus, qui speciali modo assistit huic electioni ex probatis hic quæstione decimasexta, non permittit, Ecclesiam decipi, & falli in re tam graui, vt eligatur fœmina, quæ incapax est ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis, quibus electus in Papam consecrandus est, si illis ordinibus caret. Itaque quod nonnulli dicunt de fœmina dicta Ioanne Papa fabulosum est habendum, ab hæreticis Catholicis impinctum. Vide Bellarmin. *libro tertio, capite* 24. Coriolanum Capucinum in suo Breuiario Histor. fo. 255. & alios.

Quæres 56. An Papa nouum fidei articulum facere possit à Deo non reuelatum, & iam reuelatum abolere?

℞. Papa nouum articulum, cuius ipsemet sit auctor 247
condere non potest nec antiquum à suis prædecessoribus definitum abolere, vel decernere suum prædecessorem errasse in definiendo.

Prima pars de articulo nouo non inducendo probatur, quia Auctor proprius articulorum fidei est solum ipsemet Deus, & nullus alius, fides enim Catholica, quæ ex ore Dei, & Christi Domini eius Filij procedit, vel est Scripta in libris Canonicis, vel ore tantum à Christo prolata, ab Apostolis audita, sed non scripta, quæ vocatur Traditio, adeò quod vera fides in his duobus continetur in lege Euangelica, & Traditionibus, vt suo loco tradam. Pontifex autem non dicitur legislator articulorum fidei, cum ex dictis legislator fidei sit tantum Christus Dominus, sed solum iudex, qui difficultates occurrentes declarare debet, quomodo talem propositionem ex Scriptura, vel Traditione intellexerit. Quare cum sit solum interpretator legis, & iudex controuersiarum occurrentium, vt patet ex supra dictis sub quæstione 31. sequitur non posse esse Auctorem alicuius articuli fidei. Omnes igitur propositiones de fide in Sacris Literis, & Traditionibus habentur, quia Spiritus sanctus in die Pentecostes Apostolos docuit omnes veritatem. Quia autem circa Dei legem multa sunt obscura, ideò Christus in terris reliquit suum Vicarium Pontificem Romanum, Petrum pro tempore iudicem controuersiarum fidei. Quæ igitur modo apud fideles controuertuntur, & sub opinione hominum trãseunt, dicuntur obscure contineri in Sacra Scriptura, & non clare, quia in claris non est locus coniecturis, nec opinionibus. Exemplum refero in Conceptione Virginis Mariæ, aliis negantibus Immaculatam, aliis asserentibus, quod est signum, hanc propositionem à Spiritu sancto assertam vsque modo obscuram manere donec definiatur, est autem prope fidem in omnium sententia.

Secunda pars de propositione definita de fide non abolenda probatur. Tum quia Baruch. cap. 4. 1. dicitur. *Hic liber mandatorum Dei & lex, quæ in æternum manet.* Petrus in Epistol. 1. cap. 1. numero 25. *Verbum Domini manet in æternum.* Ergo non potest abrogari. Tum quia nullus inferior cuiuscumque sit potestatis legem superioris potest reuocare, neque abrogare. *cap. Inferior distinctione* 27. *cap. Cum inferior* 16. *de maior.* Lex autem de articulis fidei

fidei spectat ad Deum tantum, ergo à nullo homine
quantumuis Pontifice potest abrogari.

Dices, probatio dubia fit de fide solum per inter-
pretationem à Papa factam, ante enim declaratio-
nem nullus tenebatur eam credere sub obligatione
præcepti fidei, ergo Papa per suam sententiam il-
li tribuit rationem fidei, qua ante carebat, ergo po-
test per aliam sententiam definitiuam abolere, eo
modo, quo constitutionem factam à suo prædeces-
sore, vel à se per superuenientem contrariam reuo-
care potest, res enim per quas causas nascitur per eas-
dem dissoluitur.

℞. Per interpretationem, & definitionem à Pa-
pa factam non tribui propositioni rationem fidei,
cum iam ante esset in seipsa de fide, quod tamen à
nobis ignorabatur, vnde per definitionem nobis no-
tificatur, quod erat ex natura sua de fide, adeo quod
in seipsa nullam nouitatem recipit, sed tantum no-
bis notificatur, quod in seipsa erat de fide, nam pro-
prium est interpretationis, quod obscurè inerat à
principio conditæ legis clare demonstrare, *l. Hære-
des palam ff. de testament. l. Adeo §. Videtur ff. de*
248 *acquir. rer. domin.* Definitio ergo vnum supponit,
& duo operatur, supponit fidem ignotam, in no-
bis verò operatur veritatem dubij, & inducit obli-
gationem credendi id, quod definitum est, quæ
duo consequuntur rationem fidei, consequenter
cum Iudex non possit tollere suppositum, neque
illa duo ad ipsum consequentia, quæ sunt magis
effectus illius suppositi, quam iudicis interpretan-
tis. Confirmatur, quia iudex ex seipso non potest
reuocare sententiam iustè datam, aliter esset ini-
quus iudex, & reuocatio non teneret, quia iu-
dex debet iustitiam exercere, & illam conserua-
re, & non destruere, neque enim iudex est, qui
iustitia caret. Multo minus Papa suam, vel alte-
rius sententiam super rebus fidei, & morum datam
reuocare poterit, cum sit fundata in iustitia, & ve-
ritate legis diuinæ, quæ in æternum manet, & ma-
ximè ex eo, quod iste iudex in sententiando in hac
materia errare non potest, vt probaui citat. quæ-
stione 31.

Tertia pars, quod non possit reuocare definitio-
nem prædecessoris sub prætextu erroris, constat ex
mox dictis, & ex citata q. 21. articuli enim fidei sunt
immutabiles, & æternæ veritatis,& obligationis per-
petuæ.

Quæres 57. Alias 26. An auctoritas Pontificis
saltem tempore sedis vacantis, à Collegio Cardina-
lium restringi, & limitari possit? Exempli gratiâ,
condere nonnulla statuta, & vnumquemque iurare,
quod si quis eorum erit Papa,etiam non requisitus
iurabit seruare, & facere seruari statuta, vel quid si-
mile,quo potestas Pontificia restringitur.

249 ℞. Non potest, nec iuramentum singulorum, ne-
que illius, qui eligitur in Papam validum esse, quan-
do per huiusmodi statuta restringitur potestas Pa-
palis.

Primum, quod nihil statui possit in præiudicium
sedis Apostolicæ, probatur. Tum ex Clem. Ne Ro-
mani de elect. illis verbis: *Irritum & inane decer-
nentes quicquid potestatis, & iurisdictionis ad Roma-
num Pontificem, dum viuit, pertinentis cœtus ipse du-
xerit exerdium.* Ratio est, *Tum quia,* Collegium nun-
quam potestatem habet supra Pontificem. *Tum quia,*
sede vacante nihil est innouandum. Ita Lauor. *ti-
tulo tertio, de electi. capite tertio,* Diana *Resol. 9. de
Cardin.*

Secundum, quod præstitum iuramentum non va-
lidet statuta, probatur, quia iuramentum regulatur
iuxta naturam actus, super quem cadit, *cap. Quemad-
modum 25, de iureiurand. l. fin. Cod. de non num. pecun.*

Adeò quod statutum de se nullum resistente lege,
aut ratione,non validatur per adiectionem iuramen- 250
ti; sicut enim iuramentum non validat contractus,
quibus adiicitur, quando sunt contra bonos mores,
& in præiudicium tertij, *ex cap. Cum contingat, de
iureiurand.* Sanchez *libro 1. disputatione 32. nume-
ro* 8. quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, 251
*cap. Inter cætera 22. 22. quæstione 4. capite 1. cap.
Quarto 18. de iureiurand. capite 1. de consuetud. in 6.*
Ita neque validare potest huiusmodi statuta,quæ cum
limitent potestatem illimitabilem sunt contra bo-
nos mores, & auctoritati pontificiæ præiudicant,
cum Romanus Pontifex in agendo à nulla potestate,
humana dependere debeat. Sunt ergo inualida hu-
iusmodi statuta etiam iuramento firmata, hac etiam
ratione, quia in omni iuramento intelligitur præ-
seruata superioris auctoritas, & hæc conditio. 252
Excepto iure superioris, subintelligitur. *cap. Venien-
tes 19. de iureiurand.* Ideò gratis, & inutiliter adiun-
gitur.

Quæres 58. An plures Pontifices eodem tempo-
re existentes dicantur omnes Schismatici? Notan-
dum est, id accidere posse duobus modis. *Primò,*
quando constat vnum esse verum, & legitimum Pa-
storem, nihilominus alter ei opponitur irrationabi-
liter. Exempli gratiâ, Constantius Imperator Libe-
rium sanctum verum Pontificem Canonice electum,
& ab eo pro tali recognitum proiecit in exilium,& in
eum locum de facto contra omne ius posuit Felicem
postea sanctum Martyrem. Liberius ergo est verus
Papa, Felix verò Antipapa oppositus ab illo Impe-
ratore Liberio. *Secundò*, quando plures simul re-
gnant, & ignoratur quis eorum sit verus Pastor,
vt contigit tempore Concilij Constantiensis, quo
erant tres Pontifices Ioannes XXIII. Benedictus
XIII. & Gregorius XII. Isti vocabantur Pontifi-
ces dubij. Itaque omnes possunt habere rationem
& nomen Antipapæ, quia semper vnus contendit
contra alterum, quia proprissimè Antipapa ille di-
citur, qui opponit vero Pastori, de cuius Canonica
electione constat. De quibus dubitatur an omnes sint
Schismatici, id est, inducentes Schisma in Ecclesiam
Dei, & eius corpus reddentes monstruosum, habens
capita plura,& inter se diuisa. Schisma autem est vo-
luntaria separatio hominis Christiani ab vnitate Ec-
clesiæ, præsertim ratione capitis, quod multiplicatur
in corpore Ecclesiæ.

℞. Plures Pontifices simul regnantes sunt omnes 253
Schismatici, excepto vero Pastore, de quo constat.
Probatur, quia illi dicuntur Schismatici, qui faciunt
corpus Ecclesiæ monstruosum pluralitate capitum,
quod debet esse tantum vnum; tales sunt Pontifi-
ces existentes simul plures prætendentes singuli esse
caput vnius, & eiusdem corporis Ecclesiæ, ergo
sunt Schismatici. Et vocantur singuli Antipapa,
quia vnus alteri opponitur, quærens illius destru-
ctionem. Dixi *Excepto vero Pastore*, quia is non
est Schismaticus, cum non diuiserit caput corporis
Ecclesiæ, sed illius vnitatem induxerit per Canoni-
cam electionem;neque vocari potest Antipapa, quia 254
ille vocatur Antipapa, qui intrusus, irrationabi-
liter, & contra ius se opponit vero Papæ; Legi-
timus autem Papa iure, & Canonice potest, imò
debet se opponere pro defensione vnitatis sui ca-
pitis, ne sequatur Schisma, & confusio in Eccle-
sia Dei.

Quæres 59. An inualidè electus in Papam procu-
rando totis viribus permanere in Cathedra Petri sit
Schismaticus?

℞. Negatiuè, quia nullam facit diuisionem in 255
membris Ecclesiis, nec in capite, cum ab illis non
separetur, sed totis viribus tanquam caput cona-

tur remanere cum vnione cæterorum membrorum, quibus præesse vult. Confirmatur, quia hic nulla est diuisio capitis, à quo dicatur se separare, non est ergo Antipapa, nec Schismaticus, quia nulli cum non existat, capiti se opponit.

Quæres 60. An Papa possit euadere Schismaticus?

256 ℞. Negatiuè, probatur, *Tum quia*, nemo dicitur recedere à propria obedientia, & à seipso per Schisma, sed ab alio extra se, Papa autem neminem habet supra se, à quo possit recedere, nisi solum Deum, recessus autem à Deo non est Schisma, sed Apostasia, in quam Papa incurrere non potest ex priuilegio indeficientiæ fidei. *Tum quia*, si id fieri posset, contingeret, vel adiungendo sibi aliud caput simile sibi, & æquale in potestate, vel diuidendo se à membris per aliam professionem diuersam à mysteriis fidei; vel nolendo esse caput per renuntiationem, alium modum nunc non habeo in mente; sed nullis ex his modis potest esse Schismaticus, quin simul sit etiam hæreticus secundum priores duos modos; sed non potest fieri hæreticus quoad personam, nec quoad officium, vt probaui quæstione 35. & 37. ergo neque Schismaticus; neque per renuntiationem fit Schismaticus, quia est in potestate cuiuslibet Papæ renuntiare Papatui sine peccato, vt probaui quæst. 39. in quo casu de capite redit iterum Ecclesiæ memorum coarctatum, & subditur alteri capiti sine vlla diuisione vnitatis Ecclesiæ.

257 Caietanus 2. 2. *quæstione 39. ad primum* §. *Ad hoc dicitur*, asserit, Papam posse esse Schismaticum etiam sine hæresi, ratione suæ personæ, quod probat ex eo, quod adunatio partium, sine quibus totum saluari potest, cum ipso toto non est indissolubilis; sed adunatio personæ cum toto, id est, Ecclesia est talis scilicet, quod sine ipsa Ecclesia saluatur in sua vnitate, ergo persona Papæ potest dissoluere se ab vnitate Ecclesiæ; hoc autem est esse Schismaticum, ergo. Minor patet ex eo, quod sede vacante, Ecclesia est vna sine vlla persona Papæ. Contingeret autem hoc in animo Papæ, si nollet communicare cum Ecclesia, vt pars illius, vt caput illius in spiritualibus, sed habere se tantum, vt Dominus temporalis, in opere vero si hoc faceret facto, vel si præsumeret excommunicare Ecclesiam, patet in his ipsum futurum Schismaticum.

Contra est, *Tum quia*, vnio, quam diuidit Schisma, consistit in perfecta connexione partium & capitis eiusdem corporis Ecclesiæ, quæ rationem totius habere non potest, nisi habeat vnionem capitis, & membrorum ad inuicem, ergo vnum sine altero saluari non potest in sua totius vnitate consequenter Papa sine Ecclesia, & hæc sine illo in vnitate saluari non possunt. Quare sequitur contra Caietanum, quod Ecclesia non potest saluari sine capite. Nec obstat, quod mortuo Papa saluatur Ecclesia in sua vnitate, quia illi adhuc caput dicitur vnitum virtualiter, non enim tunc est acephala, vt probaui capite primo, quæstione duodecima. *Tum quia*, vnio, quam Schisma diuidit, proprie, & formaliter consistit in conformitate, & communione eiusdem fidei & Sacramentorum inter membra, & caput ad inuicem spiritualiter communicantes, vt docent omnes Theologi in materia Schismatis, quod charitati opponitur dictanti vnitatem spiritualem fidei, Sacramentorum, & obedientiæ inter fideles cum capite; qui autem hæc præstare non vult non solum est Schismaticus, sed etiam hæreticus, alia enim ratione non recedit à spirituali communione Ecclesia, nisi quia illi discredit, aliter concedere talem diuisionem non est speculari, sed voluntariè imaginari; Papa autem non potest in fide errare, ergo neque se hoc modo separare à sua sponsa. *Tum quia*, supponit Papam posse excommunicare Ecclesiam, vel in ratione corporis, & hoc facere non potest, ex communi doctrina Canonistarum, & Theologorum, corpus enim polyticum; seu morale non est capax peccati, neque proinde excommunicationis, quæ supponit peccatum mortale, vel ratione membrorum singulos de Ecclesia excommunicando, & ex hoc, neque ex illo, si de facto faceret, euaderet Schismaticus, quia sub sua potestate suprema continetur facultas excommunicandi, per cuius exercitium non potest fieri Schismaticus, per quod se demonstrat caput, & Pastorem.

Quæres 61. An Antipapa & Schismaticus proinde inualidè agat? Inter Antipapas alij sunt certo tales, alij sunt dubij, tamen omnes sunt Schismatici, quia constat de pluralitate capitum iuxta dicta *quæstione* 58. *Vide cap.* 9. *infra sectione prima, quæstione* 23.

℞. Gesta per Antipapam, de cuius intrusione constat, nullius sunt roboris, & efficaciæ pendentia à iurisdictione. Gesta verò per plures Pontifices dubios habentur valida. 258

Primum constat ex eo, quia caret potestate necessaria ad valide agendum, *cap.* 1. *de Schismat.* Vbi gesta per Octauianum, & eius successorem Guidonem Antipapas aduersus Alexandrum IV. declarantur nulla. Decisum quoque fuit in vna Tullensi Prioratus 28. Martij 1583. coram Seraphino non valuisse gesta per Clementem VII. Antipapam contra Vrbanum VI. Vide Ricciul. *libro nono, capite quarto, de Schismat. numero decimo.* vbi refert nonnulla gesta ab eodem Clemente in sua obedientia valuisse ex decisionibus duabus, vna coram Gudouisio, & altera coram Coccino.

Secundum de gestis Pontificum dubiorum valentibus probatur, quia non est verisimile Deum permittere tot nullitates in præiudicium Ecclesiæ suę, confert ergo illis potestatem necessariam ad validè agendum. 259
Vide dicta hic quæst. 36. Vbi de Papa putato, ibi enim dicta de Papa putato locum habent in Papis dubiis. Pontificum dubiorum gesta valere asserunt Abbas, Mar. Sozinus, & Anania *in cap.* 1. *de Schismat.* Franc. Marcus *decis.* 944. Cardinal. *consil.* 150. *n.* 17. Confirmatur quia in Bullario Nono registrantur Bullæ tres Gregorij XII. & vna Ioannis XXII. alias XXIII. qui simul viuebant cum Benedicto XIII. tres dubij Pontifices, valent ergo eorum gesta. 260

Quæres 62. An verus Papa debeat renuntiare durante Schismate pro communi bono pacis, vt hoc modo tollatur Schisma?

℞. Verus Papa non tenetur renuntiare, sed potest, & debet manutenere se caput Ecclesiæ. Probatur, quia nullus tenetur renuntiare iuri suo quæsito, maximè Papa, qui de iure diuino tenetur tueri, & defendere vnitatem Ecclesiæ sibi specialiter commendatæ procurando lupum rapacem destruere, & auertere ab ouibus, & non cedere illi, ne oues mactet. Ita Turrecrem. *in summa de Eccles. lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 14. Bald. *in cap. Pastoralis de elect. num.* 11. quos pro se citat Ricciull. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 11. *Vide quæ dixi de hac re cap.* 6. *q.* 10. *in Sacro Tribun. Impressionis Romanæ.* Neque indubitatus Papa dicitur impedire commune bonum pacis, cum id malum proueniat ab Antipapa, qui ideo cedere tenetur. 261

Quæres 63. An melius sit tolerare Papam inualidè electum, quam Congregare Concilium pro eius depositione cum periculo Schismatis?

℞. Melius est illum tolerare, quam detrudere. 262
Probatur *Tum quia*, Papa toleratus vtilis est Catholicæ Ecclesiæ non minùs, quam Papa indubitatus, quia eandem habet potestatem, quam haberet si esset indubitatus,

dubitatus, nec valida electio meliorem facit personam Papæ, quam facit inualida, cum persona ab electione nec bonitatem, nec malitiam recipiat, siue sit Canonica, siue non Canonica, & inualida. *Tum quia*, talis electio siue bona siue mala à Deo acceptatur, cum non teneatur legibus humanis, & sic electo confert potestatem, ne Ecclesia decipiatur, & defraudetur in sibi necessariis. *Tum quia*, Papam inualidum sustinere nullum est peccatum, nullum periculum schismatis, ergo melius est illum sustinere, quam quærere illius depositionem cum euidenti periculo schismatis, & maxima perturbatione in republica Christiana, solent enim hæc accidere, vt ex Historiis habetur. *Tum quia*, qui mouentur ad id, vt plurimum non agunt ex charitate, sed potiùs ex aliquo odio priuato, vel propter aliud interesse mundanum, vt amicum reponant sibi beneuolum in Cathedra. *Tum quia*, nulla est obligatio impugnandi electionem inualidam, adeo quod quisque se abstinere debet ab iis, in quibus potest esse periculum perturbationis, & schismatis. Tentantur quandoque per pessimas factiones Dualitatis potentissimas, si Papa vnius imaginatur factionis, non alterius, Deus tamen dissipat consilia eorum, quia scit esse praua, & vana, moritur prius consultor, quam Papa, contra quem initur conciliabulum.

Quæres 64. Quot schismata acciderint in Ecclesia Dei vsque ad nostra tempora?

263 ℟. Schismata à nonnullis numerantur vigintiseptem, ab aliis triginta. De singulis aliquid breuiter dicendum.

Nouatianus Præsbyter Cardinalis Romanæ Ecclesiæ fuit primus Antipapa, qui annos circiter sex sedit contra S. Cornelium Papam legitimè electum anno 254. De quo vide tomum primum *Concil. à fol.* 365. & Gratianum *cap.* 5. *ad* 10. 7. *quæst.* 1. *& cap. Quidam* 39. 24. *q.* 4. vbi plura de dicto Antipapa Nouatiano intruso industria Nouati Episcopi Aphricani.

264 Fœlix filius Anastasij Diaconus Cardinalis sedit contra Liberium electum in exilium iussu Constantij Imperatoris, eo quod sententiam contra Athanasium Sanctum latam confirmare noluit. Fœlix iste, qui dicitur II. verè non se intrusit, sed pulso in exilium Liberio, vt habet Historia Damasi, Sacerdotes Congregantes Concilium ordinauerunt in locum eius Fœlicem Episcopum, qui statim Congregauit Concilium 48. Episcoporum, in quo condemnauit Vrsatium, & Valentem consentientes Constantio Arriano Cæsare, propter quod reuocato Liberio in sedem suam, Fœlix, postquam sedit vnum annum, menses tres, & dies tres, ab Imperatore depositus, capite detruncatus fuit. Habentur eiusdem Epistolæ duæ vtilissimæ pro Ecclesia contra Arrianos, vnde miror illos, qui eum Arrianum vocant. Probabile quoque est, hoc non fuisse verum schisma, quia non se intrusit, neque illi Sacerdotes, qui illum ordinauerunt intentionem habebant excludere Liberium, sed eum elegerunt, vt vices gereret Liberij quasi mortui, quoad exercitium suæ potestatis, fuit potius Vicarius, seu illius coadiutor.

Vrsicinus Diaconus Cardinalis ægreferens electionem Damasi, collecta seditiosorum hominum manu se fecit Antipapam, sed Roma expulsus remansit pacificè in sua sede Damasus.

Eulabius R. E. Archidiaconus se intrusit paucis suffragiis contra Bonifacium I. verum Papam electum anno 418. post tres menses, & quindecim dies nonis Aprilis per Synodum Rauennæ coactam à sede pulsus fuit, remanente Bonifacio.

Laurentius contra Cælium Simmachum I. eodem die electus anno 498. paulo post repulsus fuit, & honoris causa præfectus fuit Ecclesiæ Nucer.

Dioscorus Diaconus sedit contra Bonifacium II. anno 530. post vigiati octo dies schisma morte illius destructum fuit. Dioscorus iste alius fuit à Dioscoro Episcopo Alexandrino condemnato hæretico in Concilio Calcedonensi. Lege tomum 2. Concil. à fol. 228.

Vigilius filius Ioannis Consularis Diaconus contra Syluerium Papam electus fuit anno 537. iussu Imperatricis, quæ eiecerat Syluerium eo quod noluerat restituere Anthimum Hæreticum Euthichianum depositum à sede Constantinopolitana à Papa Agapito eius prædecessore. Syluerius autem verus Papa à dicta Imperatrice Theodora nomine deportatus in insulam Palmariam excommunicauit Vigilium vti schismaticum, contra quem legitur Epistola excommunicatoria *tom.* 2. *fol.* 657. *de qua re* Gratianus *cap. Guilisarius* 30. 23 *q.* 4. *& cap. Sic decet* 22. 25. *q.* 2. Vide de vtroque dicta supra num. 168. Post mortem Syluerij anno 537. Vigilius electus fuit 26. Aprilis, consecratus 15. Maij: vt dicit Bullar. Nouum sed ibi est error aut in Dominica, aut in Calendis, quæ non excedunt 17. cæpit ergo esse verus Papa. 265

Petrus Archipræsbyter & Theodorus Præsbyter Cardinales contendentes super Papatu ambo habebant fautores, sed dum certant, Deo inspirante eligitur Conon verus Papa anno 686. In his Historia ponunt septimum schisma, quia vt legitur *tom.* 3. *Concil. fol.* 406. ambo renuntiarunt suæ electioni, consentientes in prædictum.

Theodoro Præsbytero, & Paschali Archidiacono Cardinalibus, vt legitur tom. 3. fol. 406. contendentibus, eligitur tandem Sergius, cui acquieuit ex corde Theodorus, fictè verò Paschalis, qui in auxilium postulans Exarchum sine ope, variis criminibus conuictus, fuit punitus.

Theophilactus Romanus Anthidiaconus proponebatur à populo, tandem legitimè electus fuit Paulus I. anno 757.

Constantinus frater Totonis Ducis Nepesini industria electus, & cum esset laicus, recepit ordines à Gregorio Episcopo Prænestino, durauit paulo supra annum, interim legitimè eligitur Stephanus IV. dictus III. anno 768. qui Concilio conuocato deposuit Constantinum, eius gestis, præter baptisma, & Chrisma declaratis nullis; Decreto producto, ne quis deinceps laicus eligeretur in Papam. Eidem falsò Pontifici oppositus fuit quidam Philippus Monachus, qui reiectus rediit ad monasterium.

Zinzinus Romanus Præfectus anno 824. contra Eugenium II. deponitur operâ Lotharij filij Ludouici Imperatoris.

Anastasius Romanus homo flagitiosissimus eligitur contra Benedictum III. tandem reiicitur anno 855.

Sergius III. contra Formosum eligitur 891. sed expellitur eodem tempore.

Bonifacius VI. sedem inuadit, sed contra eum Canonicè eligitur Stephanus VII. apud Bullarium, & Ciacconum Bonifacius VI. nuncupatur Papa verus 114. sedit quindecim dies electus 17. Decembris 895. defunctus 31. eiusdem, cui successit dictus Stephanus sequenti anno 896. die sexta Ianuarij.

Sergius III. Benedicti Filius Romanus ex Comitibus Tusculanis Præsbyteri Cardinalis sedit contra Ioannem IX. aliquot dies, promotus fuerat ab Alberto Principe Romano, abdicauit pulsus in exilium anno 897. Iste Sergius postea electus fuit verus Papa anno 904. in Bullario Papa 122.

Leo V. Christophorus I. & præfatus Sergius contendebant, nam Leo V. qui erat Monachus S. Benedicti Cardinalis electus fuit Papa mense Maio die

15.anno 903.Christophorus vero Filius Leonis Romanus Præsbyter Cardinalis Leone V. pulso die 24. Maij 903.se fecit Papam, & sedit vsque ad 24. Decembris vinculis mancipatus vitam finiuit, agente pro Sergio III. Adalberto Marchiane Tusciæ. Vnde postea electus fuit præfatus Sergius III. anno 904. estque Papa 122. Leo V. 120. Christophorus verò 121.apud Bullarium.

Leo VIII. Antipapa contra Ioannem XII. & Benedictum V.fuit filius Ioannis Protoscriniarij electus anno 963. sedit annum, menses tres, & dies duodecim.

Bonifacius VII.Papa 138. Benedictus VII dictus VI. Papa 139. & Ioannes XIV. Papa 140. Schisma habebant inter se, nam Bonifacius creatus fuit 975. die 30.Martij sedit vnum annum, & mensem & dies duodecim, coactus abdicauit die vndecima Maij Roma pulsus, Benedicto mortuo, iterum Pontificatum tenuit quatuor menses, & dies sex, tandem obiit 21. Iulij anno 985. vacauit sedes dies viginti. Benedictus fuit electus eodem anno 975. die 29. Maij Bonifacio fugato, sedit annos nouem, mensem vnum, & decem dies, obiit die decima Iulij anno 984. vacauit sedes dies quinque inquit Bullarium, sed non potuit vacare, cum adhuc viueret Bonifacius prior Papa illo, ac proinde neque vacauit per mortem eiusdem Bonifacij, quia viuebat in Pontificatu Ioannes XIV. qui electus fuerat Papa die 17. Iulij 984. sedit menses octo, exactus à Papatu à prædicto Bonifacio, in Vrbem reuersus 17.Aprilis sequentis anni 985.obiit. Sedes tamen vacabat respectiuè ad mortes, & successiones eorum.

Ioannes Calaber sedit contra Gregorium V. de anno 995. sed oculis excæcatus miserrimè occubuit.

Gregorius quidem sedit contra Benedictum VII. dictum VIII.anno Domini 1012.

Syluester III. Romanus Ioannis Laurentij filius Episcopus Sabinus contra Benedictum VIII. dictum IX.sedit mensem vnum, dies 29.creatus 22.Ianuarij, Papatus à Benedicto exactus fuit die vndecima Martij 1045. Benedictus iterum sedit, mensem vnum, & dies viginti, & tandem Calendis Maij 1045. abdicauit, cui successit Gregorius VI.qui coactus imperante Henrico II.in Concilio Sutrino depositus fuit in eius locum fuit suppositus Sindigerus Bambergensis Episcopus, quem appellarunt Clementem II. hoc defuncto iterum Benedictus sedem occupauit per octo menses, cui pulso successit Damasus II. Schisma hoc ab anno 1032. durauit vsque ad Leonem IX. anno 1048. sub Benedicto prædicto Papa 150. Gregorio VI. Papa 151. Clemente II. 152. Damaso II. Papa 153. omnibus Pontificibus sibi ad inuicem aduersantibus.

Benedictus IX.dictus X.Ioannes Mincius Episcopus Velitrensis contra Stephanum IX. seu post eius mortem occupauit sedem, quem Nicolaus II. verus Stephani successor excommunicauit, & de sede deposuit.

266 Honorius II. erigitur contra Alexandrum II. verum Pontificem electum anno 1061.Est nomine Cadaolus, seu Cadolus Zanachus, seu Pallauicinus Episcopus Parmæ electus 1046. ibi sedit annos decemseptem ab Henrico IV.intrusus anno 1062.Inter familiam nobilissimam de Pallauicinis non legitur, ideo verius est de Zanachis. Petrus Damianus ad illum duas Epistolas scripsit pietatis plenas, vt renuntiaret, quæ sunt in fine primi libri, quas refert Baron.ad dictum annum num. 9. qui sub anno 1064. eius miseram mortem à B. Damiano prædictam narrat numero 30.

267 Clemens III. Gilbertus de Corrigia nobilis Parmensis Archiepiscopus Rauennæ prouisus ab Alexandro II.fuit Antipapa fauore Henrici IV. Imperatoris contra Gregorium VII. qui iustè eum excommunicauerat, & deposuerat ab imperio. Antipapa fuit contra Gregorium, Victorem III. Vrbanum II. & Paschalem II. vnde sedit annos viginti vnum defunctus in Arce S.Angeli elatus Rauennam. Sub Paschali vero Papa fuerunt creati tres Psuedopapæ, Albertus Atellus 1101. Albertus Atellanus 1101. & Aginulphus Monachus Abbas Fartensis, cito tamen euanuerunt, remanente vero Pontifice Paschali in sede. Alij loco secundi Alberti ponunt quendam Theodoricum, & Aginulphum vocant Alaginulphum, qui Rauennæ successit.

Gregorius VIII Mauritius Archiepiscopus Bracarensis intruditur contra Gelasium II. anno 1118. sed Calistus successor Gelasij illum relegauit.

Cœlestinus II.Theobaldus Buccapecus Præsbyter Cardinalis S.Anastasiæ intrusus 21.Decembris 1124. contra Honorium II. eodem die ante ipsum legitimè electum, eodem die abdicauit.

Anacletus II. Antipapa contra Innocentium II. fuit filius Petri Leonis intrusus anno 1130. sedit annos septem, menses plusquam nouem, obiit anno 1138.cui subrogatus fuit Victor IV. contra eundem Innocentium sedit vltra quinque menses.

Victor IV. Octauianus nuncupatus se opposuit Alexandro III. contra quem sedit annos quatuor menses octo, excommunicatus, & impœnitens defunctus anno 1164. cui fuit subrogatus Paschalis III. qui vocabatur Guido Crementis sedens circiter annos quinque & huic defuncto anno 1170. adhæsit quidam Ioannes Vngarus nuncupatus Calixtus III. qui anno 1178. pœnitens recognoscit. Alexandrum in verum Papam. Alexander expertus crebra schismata oriri ex pluralitate personarum ex omni genere concurrentium ad electionem Pastoris edidit constitutionem registratam in cap. Licet de elect. restringendo electionem ad solos Cardinales, de qua re egi q.13. De Octauiano, ex Guidone fit mentio cap.1.de schismat. vbi gloss. v. Octauiano, dixit, hunc vixisse nouem annos, & menses septem contra supra dicta.

Nicolaus V. nuncupatus F.Petrus de Corbario Ordinis Minorum sedit contra Ioannem XXI. dictum XXII.annos tres, menses tres, dies quatuordecim, tandem 25.Augusti anno 1330 corda S.Francisci ad collum sibi imposita, genuflexus humiliter veniam petiit recognouit Ioannem verum Papam.

Clemens VII. Robertus Gallus ex Comitibus Gebenensibus in Prouincia Relatensi Præsbyter Cardinalis sanctorum 12. Apostolorum Auenione fuit intrusus die 20. Septembris 1378. sedit annos quindecim, menses vndecim, & dies viginti octo contra Vrbanum VI. & Bonifacium IX. obiit Auenione vbi creatus fuit erat, anno 1395.cui fuit subrogatus.

Benedictus XII. dictus XIII. Petrus de Luna Hispanus de Hattago, Archidiaconus Cæsaraugustanus creatus Auenione ad finem Septembris 1495.regnauit circiter annos triginta, obiit anno 1424. mente Septembri. Huic successit.

Clemens VIII. Ægidius Magnotius de vrbe Terculi, Hispanus Prouinciæ Arragoniæ, Diœcesis Cæsaraugustanæ, Canonicus Eccle æ Barcinonensis electus anno 1424.contra Martinum V.annos quinque, tandem anno 1429.abdicauit.

Supradictum schisma trium Antipaparum Clementis vtriusque & Benedicti durauit ferè per annos triginta ab Vrbano VI Papa 204 Bonifacio IX.205. Innocentio VII.206.Gregorio XII 207. Alexandro V.208.Ioannes XXII. dictus XXIII.209. & Martino III.dicto V.legitimè electo in Concilio Constantiensi,

tiensi, extirpatis omnibus schismatibus, quod fieri non potuit in Concilio Pesano, in quo Gregorius, & Benedictus depositi fuerunt, & electus Alexander V. sed depositi non acquieuerunt prosequentes suum munus singuli in suis obedientiis.

Fœlix IV. alias V. Amadeus Dux Sabaudiæ abcanonice in Concilio Basileensi die quinta Nouembris 1439. electus contra Eugenium IV. verum Pontificem perseuerauit in sua sede vsque ad annum 1449. die vndecima Maij sponte abdicauit.

Hoc est fortassis vltimum schisma in Ecclesia Dei terminatum in Fœlice, quia his prouisum est per diuersas Bullas Pontificias.

Quæres 65. Quare alias schismata sæpius contingebant, nunc vero ab anno 1449. vsque ad præsentem teneant quo exacti sunt plusquam ducenti anni, nullum occurrit.

268 ℞. Antiquitus crebra extabant schismata propter tria, nempe & multitudine electorum; & ex potentia Imperatorum; & ex paupertate Ecclesiæ. Quod multitudo eligentium fuerit sæpius in causa diuisionis capitis Ecclesiæ colligitur ex actis præcedentium schismatum, vnde summi Pontifices, ex probatis hic q. 13. electionem restrinxerunt ad Cardinales tantum. Potentia quoque Imperatorum, & aliorum Principum, qui non valentes impetrare forsan illicita, deponebant sanctos Pontifices, & alios illis opponebant pro suo arbitrio. Demum quod potentia Ecclesiæ in temporalibus sit necessaria ad occurrendum contentionibus, res de se clara est, adeo quod sperandum est deinceps nullum fore schisma, cum Ecclesia sanctis documentis, & regulis abunde propagata sit.

Quæres 66. Cur nostris temporibus variatus sit numerus Pontificum exempli gratia ante Concilium Tridentinum, & etiam post apud Historicos non variabatur numerus, sed simpliciter dicebatur Ioannes XXIII. Stephanus III. modo dicitur Ioannes XXII. alias XXIII. Stephanus II. alias III. præmittitur numerus minor maiori?

269 ℞. Diuersitas numerandi nomina Pontificum Romanorum oritur ex schismatibus respectiue ad Historicos antiquos, & modernos, nam antiqui in suis Historiis miscebant simul Pontifices cum Antipapis, quos moderni reputantes indignos hoc nomine diuiserunt à legitimis Pontificibus, hinc factum est, vt apud nos numerus sit diminutus segregatione Pseudopontificum, remanente identitate personæ cuiuslibet. In Bullario Nouo variatur numerus sequentibus Pontificibus Benedictis, qui numerantur antiquitus duodecim, Fœlices quinque, Ioannes vigintiquatuor, Martini quinque, & Stephani octo apud Platinam antiquum codicem.

Benedictus VII. expungitur vti Antipapa, qui fugauit Bonifacium VII. dicitur tamen Papa 139. ideo sequens Benedictus adhuc dicitur VII. eo excluso, quia alias diceretur VIII. estque Papa 148.

Ioannes XX. dictus XXI. Hispanus electus 1277. ante ipsum alter Ioannes immediatus XIX. Romanus ex Comitibus Tusculanis electus fuit 1024. Papa 149. crederem mutationem esse faciendam in Ioanne XVII. Papa 145. electo 1003. dicendo XVIII. alias XVII. quia paulo ante anno 995. fuit quidam Ioannes Antipapa contra Gregorium V. aut alteratio hæc indicat expunctionem Papissæ sub nomine Ioannis XX.

Fœlices fuerunt quinque apud Platinam, Fœlix Romanus filius Constantij Papa 27. Fœlix II. Romanus filius Anastasij contra Liberium quem expungunt à numero, ideo Fœlicem III. filium Fœlicis Præsbyteri Cardinalis vocant III. Papam 49. qui Ecclesiam SS. Cosmæ, & Damiani consecrauit Fœlix III. quem vocant IV. fuit filius Castorij Beneuentanus Papa 55. Fœlix demum IV. Dux Sabaudiæ vocatur V. Itaque veri Pontifices sunt tantum tres sub n. 27. 49. & 55.

Martini sunt quinque apud Platinam, primus Tudertinus filius Fabricij Papa 75. secundus Gallus filius Palambi. Tertius Romanus, qui vocatur Marinus præcessor Apagitti II. Papa 131. Quartus Gallus Turronensis Papa 191. & Martinus V. in Concilio Constantiensi creatus Papa 210. Itaque Moderni excludunt secundum & tertium, quem vocant Marinum II. sed apud illos non inuenio Marinum I.

Stephani numerantur à Platina antiquo nouem, tamen decem sunt, & numerantur apud Bullarium sub num. 24 93. 94. 96. 99. 112. 115. 127. 130. & 136. Secundus sub n. 93. fuit causa huius mutationis, qui sexto die promotionis obiit, quasi non fuisset in numero.

Quæres 67. An ordinatio Episcoporum de iure diuino spectet ad summum Pontificem, & ad nullum alium?

℞. Ordinatio Episcoporum de iure diuino communis fuit omnibus Apostolis dependenter à Petro, demum restricta fuit ad Pontificem Romanum, sine quo Episcopi rite Episcopos ordinare nequeunt. 270

Prima pars, quod omnes Apostoli iure diuino ordinarent Episcopos, de fide certa est, nam Petrus ordinauit Clementem, Linum, Cletum, & alios, Paulus Titum, Timotheum & alios. Iacobus primus Ierosolymis Archiepiscopus ordinatus fuit à S. Petro Iacobo, & Ioanne, teste Anacleto in sua Epistola 2. Quod in his ordinationibus Apostoli dependerent à Petro, probaui cap. 3. q. 54.

Secunda pars, quod post Apostolos facultas ordinandi Episcopos remanserit in solo Pontifice Romano, docetur ab eodem S. Anacleto in dicta Epistola his verbis: *Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus, qui in eadem fuerint Prouincia Episcopis sunt celebrandæ. Qui simul conuenientes scrutiniũ diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus precibus, & manus cum sanctis Euangeliis, quæ prædicaturi sunt, imponentes, Dominica die, hora tertia, orantes, sacraque vnctione, exemplo Prophetarum, & Regum, capita eorum, more Apostolorum, & Moysis vngentes, &c.* Quæ verba referuntur cap. 1. dist. 75. Ratione probatur, quia ad eum spectat iure ordinario ordinare Episcopos, qui potestatem habet super vniuersam Ecclesiam, nam hæc vbique indiget his ministris, sed solus Pontifex Romanus est super vniuersam Ecclesiam in toto orbe terrarum, ergo ad eum solum spectat ordinare Episcopos. Confirmatur, quia sententia depositionis Episcopi rei tandem à sede Apostolica terminanda est ex Concilio Sardicensi cap. 3. & 4. ergo & ad eam spectat omnium Episcoporum ordinatio, nam vnumquodque resoluitur in id, ex quo componitur, si ergo Episcopatus resoluitur à Pontifice Romano, ergo ab eodem componiter.

Tertia pars, quod hæc potestas ordinandi Episcopos restricta fuerit ad Pontificem Romanum, probatur, tum ex verbis Domini: *Pasce oues meas* quæ solis Pontificibus dicta fuerunt; oues autem pascuntur à Pastore non solum prædicatione diuini pabuli, sed etiam institutione Ministrorum, qui eis prædicent verbum Dei, & ministrent Sacramenta, inter quos præcipuè Episcopi numerantur. Tum ex suprema potestate Pastoris, à quo cæteræ dignitates, & potestates instituuntur in personis, vt probaui supra q. 45. à fortiori earum promotio.

Colligitur ex his, prædictis non obstare, quæ leguntur apud Historicos de Patriarchis, & Episcopis ordinantibus alios Episcopos, nam id faciunt dependenter à Pontificia auctoritate, quod colligitur ex Epistola Anteri Papæ ad Episcopos Prouinciæ Bæti-

cæ,

cæ,& Toletanæ, illis verbis: *Nam sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes.* Vbi verbum *regulariter* importat,nisi aliquando à Pontifice Romano, à quo eam acceperunt, impediatur.

Quæres 68. An ordinatio Episcoporum ita restringatur ad Pontificem Romanum, & ad alios Episcopos, vt nullus laicus nec Imperator possit Episcopos ordinare.

271 ℞. Ordinatio Episcoporum fieri non potest ab aliis, quam Episcopis, quia ordinare idem quod consecrare personam ad hunc gradum & dignitatem,
272 est actus ordinis Episcopalis, quem nemo facere potest, nisi sit actu Episcopus, vt docent omnes Theologi, & Canonistæ, sed nullus laicus,nec Imperator est Episcopus, vt notum est, ergo nullus laicus, ordinare potest quemquam in Episcopum. Quare id expresse prohibetur dist.63. cap.1. 2. 3. 5.6.7.8. in quibus locis laici excluduntur ab electione, & ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, à fortiori ab ordinatione, hoc est, consecratione, quæ est actus ordinis Episcopalis.

Dices sub eadem dist. 63. cap. 9. desideratur voluntas Principis in ordinatione Episcoporum, imò & Pontificis Romani, non solum Principis sed etiam populi, vt dicetur seq. cap.10.11.12.13.14.cum sequentibus.

273 ℞. In promotione Episcoporum tria spectari Postulationem, Electionem, & Ordinationem,seu consecrationem, vsus est antiquissimus quod Principes, & populi postulant sibi Episcopum, seu Præsbyterum iuxta propriam deuotionem, & hæc impropriè dicitur Electio, & in hunc sensum intelligenda sunt iura allegata in obiectione. Electio vero propriè spectat ad clerum iuxta priora iura allata in probatione. Ordinatio vero,seu Consecratio cum sit actus ordinis Episcopalis ab aliis,quam Episcopis non est exercendus. Quandoque in iure dicitur, & apud Historicos, quod Imperator, seu Rex ordinauit Papam,seu Episcopos,id intelligendum est impropriè,scilicet,de ele-
274 ctione,seu postulatione, nam verbum *ordinare* sumitur pro eligere cap.fin. 16. q.7. item pro prouidere, cap.Super eo 15.de elect.cap.Eam te 22.de iure patr. Illa autem postulatio laicis conueniens deducitur à Paulo Apostolo scribens ad Timotheum 3.7. *Oportet autem illum*, id est, ordinandum in Episcopum, *testimonium habere bonum ab iis,qui foris sunt,* id est, à laicis,hi enim dicuntur esse foris, & extra ordinem clericorum. Quod etiam ex Act. Apostol.6. colligitur, ibi: *Considerate ergo Fratres viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.* Apostoli petierunt à multitudine discipulorum, id est,à laicis,vt sibi proponerent septem viros probos,quos possent ordinare Diaconos. Postulatio igitur,& bonum testimonium accipitur à laicis, electio fit à clero, & ordinatio ab Episcopis.

Scio Pamelium in Annotationibus ad Epist.S.Cypriani *Epist.*68.*num.*2.Vasq.*ad part.*3.*tom.*3.*disputat.*244.*cap.*5.*num.*53. Michael Rausfell. *in Historia iurisdict. Pontif.lib* 2.*cap.*1. *num.*20. docere, populum olim habuisse ius suffragandi in electionibus Ecclesiasticis propriè acceptum; Contra Andream Duallicum *de potestate Pontif. par.*3.*q.*6. Cællotium *de Hierarchia lib.*4.*cap.*17.*& alios quos refert* Diana *part.* 10. *tract.*1. *resol.*4. asserentes, populum nullum ius habuisse eligendi,sed tantum postulandi,& consentiendi in electiones factam à clericis. Bellarminus *lib.* 1. *de cler.cap.*7. dicit hoc ius vsurpatum fuisse à populo. Vasquez loco citato asserit id concessum fuisse à Pontifice Romano, & ab Ecclesia laicis, adeo quod id nullo modo laici vnquam habuerunt à iure diuino.

Quæres 69. An septem electores Germaniæ à Papa potestatem receperint eligendi Imperatorem?

℞. Potestas septem electorum eligentium Imperatorem introducta fuit iure Pontificio,vt colligitur ex 275
cap. Venerabilem 34.de elect.his verbis: *Verum illis principibus vis, & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum recognoscimus, vt debemus,ad quos de iure,& antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos ius,& potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit, quæ Romanum imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos,sed & Principes recognoscere debent, & vtique recognoscunt, sicut iidem recognouerunt in nostra præsentia,quod ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem,& promouendam ad imperium ad nos* 276
spectat,qui eum inungimus, consecramus,& coronamus. Ius ergo eligendi quod habent Electores imperij,receperunt ab Apostolica sede,vt testatur in hoc capite Papa Gregorius,dicens hoc ius de antiqua consuetudine ad illos pertinere; nomine autem consuetudinis 277
non venit ius, sed exercitium ita eligendi, quod prouenit à iure Pontificio, iuxta quod exercetur electio per septem Electores,quando opus est.Hic igitur nomen consuetudinis non sumitur pro eo, quod est ius quodam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, *cap. Consuetudo* 5. *dist.*1. sed pro consuetudine, seu vsu operandi secundum legem, ad quod facit illud Gratiani *cap.*3. *dist.*4.ibi:*Leges instituuntur cum promulgantur firmantur cum moribus vtentium approbantur*, sicut enim moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus vtentium confirmantur.Lex ergo Pontificia, quæ septem electores instituit, & eis dedit potestatem eligendi Imperatorem antiqua consuetudine recognoscitur ab Electoribus, quatenus eademmet lex ex consuetudine, & vsu confirmata fuit ab illis.

Clemens V.in sua Vn.de iureiur.post initium idem testatur his verbis: *Ecclesiæ, quæ à Græcis imperium transtulit ad Germanos,& à qua ad certos eorum Principes ius,& potestas eligendi regem in Imperatorem post modum promouendum peruenit,*&c. Ratio est,quia Papa habet duos gladios, quorum vnum exercet per Imperatorem, denotando per ipsum dignitatem imperialem in omnibus dependere à gladio spirituali, necesse enim est, vt gladius sit sub gladio, aliter non daretur supremus Princeps & potestas Monarchica, si duo essent gladij, & vnus non dependeret ab alio, vt exigit huiusmodi dependentiam dictamen rationis, ne dentur duo capita suprema, quod arguit imperfectionem. De hac quæstione citatis hinc inde Doctoribus diligenter more solito tractat P. Diana part.10.tract.4.per totum.

Quæres 70. An Papa alicui concedere possit titulum Regis?

℞. Papa alicui bene merito de Ecclesia tribuere 278
potest titulum Regis cum suis insigniis, loquor de hoc honore mere temporali. Probatur, *Tum quia*,tribuere honores, & dignitates non solum spirituales, sed etiam temporales spectat ad dignitatem Pontificiam,quæ ex eminentia,& superioritate supra quælibet superintendit, quasque continet tum spirituales, tum temporales non solum causaliter, sed etiam formaliter, Papa enim non solum est Sacerdos, Episcopus, Archipresbyter, Primas, Generalis, Prior, Guardianus, &c.vt dixi supra num.17. sed etiam Imperator,& Rex,Princeps,& Dux,&c.nam cap.1. dist.21. dicitur: *Nam maiorum hæc erat consuetudo, vt Rex esset etiam Sacerdos, & Pontifex, vnde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur.* Romanus autem Episcopus non est inferior Pontificibus veteris legis, sed longè maior,ideò Pontifex est simul & Imperator,ac Rex

Rex consequenter ex eminentia suæ dignitatis, & potestatis potest Principes, & Reges temporaliter creare. *Tum quia*, vt visum fuit præcedenti quæstione munus Pontificis est examinare, vngere, & consecrare Imperatorem, vel eum reiicere, si indignus electus fuit, ergo & Reges creare, vltimam enim perfectionem à sede Apostolica recipiunt. *Tum quia*, Papa sub sua potestate habet omnia regna mundi tam temporalia, quam spiritualia cap. 1. dist. 22. *Qui beato æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit*. Et in festo Apostolorum 29. Iunij de Petro, & eius successoribus canit Ecclesia: *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi, & ideo tibi traditæ sunt claues regni cœlorum*. Constat ergo Pontificem sub sua potestate, & dispositione, consequenter potest creare aliquem in Regem, & eidem disponere Regnum, nam vtramque potestatem tam spiritualem, quam temporalem habet, ex supra probatis q. 42. Et quod Papa instituat omnes dignitates probaui q. 45. & confirmatur ex illis verbis *Pasce oues meas*. Quæ omne genus pabuli in se continent, probaui enim q. 10. cap. 4. illis verbis venire tam temporalem, quam spiritualem potestatem, pascitur homo, cum ei datur superior temporalis, superiores enim instituuntur non pro seipsis, sed vt aliorum curam habeant, siue sint temporales, siue spirituales. Quod Papa instituerit plures in temporalibus dignitates etiam regias. Diana refert plura exempla par. 10. tract. 6.

279 Caramuel in suo Philippo disp. 1. lib. 5. art. 7. concl. 2. de Alphonso Rege ait: *Alphonsus, & reliqui Lusitanorum Reges, qui creati, & electi, confirmati à Pontifice, sunt Reges Portugallenses: Verum, non temporaliter, sed spiritualiter. Ratio est, quia auctoritas Pontificis est spiritualis, & ad spirituale solummodò directè se potest extendere. Ambis doceri, quid sit esse Reges Lusitanorum spiritualiter. Respondeo, esse participare gratias, indulgentias, iubilæa, indulta, & reliquos fauores Ecclesiasticos, qui auctoritate Apostolica aliis, quà Reges concedi possunt*.

Hoc assertum erroneum est, Doctrinam non continet, sed ridiculam speculationem, nam ex hoc sequitur omnes fideles posse esse Reges, sed solo nomine, aut Reges sui ipsius, quia quisque seipsum regere potest, Sequela patet, quia singuli fideles ex hoc quod sunt fideles participare possunt gratias spirituales, Pontifici enim dictum fuit: *Pasce oues meas*, potissimum spiritualiter, quod negare non potest Caramuel, ergo omnes creari possunt Reges, quod dicere ne dum error est, sed ridiculum. Deinde Rex confirmatus a Papa talem potestatem temporaliter exercere potest, qualem ante confirmationem non habebat, ergo per confirmationem, seu illius creationem, & eleuationem personæ in Regem, in Principem, acquisiuit aliquid aliquid temporale, quo ante carebat, per quod licitè & validè operari potest ea, quæ spectant ad officium regale, neque enim temporalia negotia exercentur potestate spirituali, cum vnaquæque potestas specificetur à suis obiectis, circa quæ qualibet versatur, necesse ergo est, quod creato, vel confirmato Regi adueniat aliquid temporale. Præterea Imperatori non negatur potestas creandi Regem aliquem magnum Ducem, neque Regi Hispaniarum Marchionem erigere in Ducem, quid tribuunt tunc creatis à se, non aliquid spirituale, quo carent, ergo temporalem dignitatem cum annexa potestate, ergo idem facit Papa, cum creat Regem, vel Ducem, neque enim Papa in potestate est inferior illis, etiam temporali siue hæc spectetur directè, siue indirectè, ergo qualis est oratio, quam faciunt Imperator, & Rex Hispaniarum, talis est, quam facit Papa, & perfectior, cum temporali creationi superaddat gratiam spiritualem ipsius P. Caramuelis. Adde, quod ipsum verbum *creari* idem indicat, quod diximus, nam si non Rex creatur à Papa Rex, ergo ab eo accipit quicquid competit facto Regi, ac proinde potestatem etiam temporalem, creatio enim nihil creandi supponit in esse, cum creabile fiat ex nihilo sui.

Obiectioni, quam sibi facit de duplici potestate Pontificis spirituali vt est Episcopus, & temporali vt Rex, qua Reges creat. Respondet his verbis: *Primo non esse liberum cuique Principi Reges, aut supremos Principes creare, quia nemo potest alteri subditum eximere, in causa sit, & superfit vtrique. Ideo Rex Galliæ non potest eximere Ducem de Lerma ab obedientia, quam decet, & quam fideliter præstitit Hispano Regi, non enim est vtriusque Dominus bene tamen Monarcha Catholicus, si iusta causa postularet, Lermæ enim Dux Regi Catholico, non Christianissimo subest. Atqui Alphonsus Infans erat subditus Monarchiæ Legionensis, neutri superat Innocentius, qua Romaniæ Rex, & iusta causa deerat, ergo ex duplici capite non recepit, nec recipere potuit ab Innocētio Alphonsus titulum Regis sæcularis. Secundò, iniurios esse credidero summo Pontifici omnes illos Auctores, qui asserunt, eum titulos Regiæ temporales posse concedere, quia cum iurisdictio ipsius sit spiritualis, qua Pontifex non potest ea attingere, quæ fuerint merè temporalia*.

Non respondet directè ad argumentum negando Pontificem Romanum habere se vt Regem in creatione Regis, quia timet censuram Ecclesiæ, quamuis implicitè omnem potestatem temporalem etiam indirectè non agnoscat in Pontifice, eo ipso, quod negat nil temporale tribui Regi, tergiuersatur ergo, dum ait non esse liberum cuique Principi Reges creare, quia nemo potest eximere subditum alteri, hoc enim concedimus, quod Papa non potest Regem creare, aut confirmare in damnum alterius, sed quia Rex creari potest, & confirmari super suos subditos, in quo casu tunc nulli fit iniuria, ideo licita est creatio, & confirmatio, quæ enim iniustitia, si Papa velit Magnum Ducem Etruriæ erigere in Regem super suos subditos? quæ iniquitas, si Regnum ablatum ab vno Rege ab alio, restituatur, & fiat Rex denuo à Papa, furantur enim sibi Reges Prouincias, & Regna, ideo super omnes datur Papa creans Reges, restringens eorum extensionem super aliorum regna. Non est inconueniens, quod Rex Regem habeat sub se, ideò si Rex Hispaniarum vellet creare Regem Siciliæ aliam personam sui sanguinis, id posset; quis prohibere potest Pontifici, qui iura vtriusque Siciliæ apud se retinet? poterit ergo ex legitima causa creare Regem vtrique Siciliæ. Quæ iniuria fit Pontifici dum asseritur habere vtrumque gladium, esse Sacerdotem, & Regem, iniuria non est, nisi oppositum dicere, iustitia vero est, asserere ipsum habere vtrumque gladium. Quis dedit primum Regem populo Hebræorum petenti Regem? nisi Samuël summus Sacerdos 1. Reg. cap. 9. *Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes*. Lex vetus licet Christianos non obliget, est tamen ad nostram instructionem, vt sicut Samuël constituit dedit, & vnxit Saül in Regem Hebræorum, ita Pontifex Romanus ad instructionem hanc dare poterit Regem, & Principem populis petentibus. Vide alia apud Dianam, & auctores citatos ab eodem par. 10. tract. 6.

Quæres 71. An ad solum Pontificem spectet depositio Episcoporum.

℞. Affirmatiuè ex definitione Leonis IX. Bulla 2. 280
incip. *Cum ex venerabilium*. Vbi § 4. ita disponit: *Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis vniuersale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi, quia licet vobis aliquos examinare, definitiuam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, vt dictum est, non licet dare, quod in*

sanctis

sanctis canonibus statutum si quaritis, potestis inuenire. Ratio est, quia omnes Episcopi quoad hoc immediate sunt subiecti Romano Pontifici, cuius est auferre, quod dedit, potestatem enim iurisdictionis omnes Episcopi à Papa recipiant, & recognoscant, vt probaui cap. præced. q. 46.

Quæres 72. An Cardinales eligere possint Papam ad certum tempus, quo finito alium eligant in eius locum, & eius successorem? Videtur quod sic, quia id non repugnat, nam dignitates licet sint perpetuæ in seipsis, tamen in personis possunt esse ad limitatum tempus, & per accidens est, quod Petrus primus Papa in Pontificatu permanserit vsque ad mortem nam cæteri Apostoli nunquam ausi fuerunt alium in eius locum subrogare, præterquamquod illos dispersit in vniuersum orbem, ne congregati alium sibi eligerent superiorem. Quibus tamen non obstantibus.

281 ℞. Cardinales non possunt eligere Papam ad tempus determinatum, & limitatum Probatur. Quia Christus sine vlla limitatione elegit Petrum in Papam, dando ei potestatem pascendi oues, ergo Cardinales Papam eligentes debent imitari Christum, qui in electione Petri in Pastorem nullum præfixit tempus. Confirmatur, quia non minus extensa esse debet electio, quam potestatis collatio, cum electio potestatis collatione perficiatur, & absoluatur, quare cum potestas à Deo perpetuo conferatur electo in Papam, vt ex actis omnium Pontificum vsque modo constat, viuentium in Pontificatu vsque ad mortem, euidenter sequitur electionem faciendam esse sine temporis limitatione, tempus enim electionis commensurandum est per tempus potestatis duraturæ.

Ad rationem dubitandi patet ex dictis, repugnare temporaneam electionem alicuius personæ in Papã, cum eius tempus sit regulandum à perpetuitate collatæ dignitatis à Deo. Nec per accidens est, quod Petrus vsque ad mortem durauerit in suo officio, sed per se, eo quod deputatus fuit à Christo ad pascendum gregem, qui non ad limitatum tempus alitur sed vsq; ad mortem, ideo Petrus, & eius successores eliguntur vsque ad mortem eorum vt quantum est in eis sint parati ad pascendum gregem perpetuo, alias q. 19.

Quæres 73. An Papa errare possit in canonizatione Sanctorum. Rem hanc negatiuè resolui Controu. 13. q. 3. num. 16. & hic cap. 2. q. 57 docui, in Ecclesia Dei esse potestatem Canonizandi sanctos.

282 ℞. Papam non posse errare in Canonizatione sanctorum, & contrarium asserens est hæreticus, quia negatiua est de fide.

Primum probatur, quia Papa errare non potest in definiendo res fidei, & morum spectantium ad vniuersam Ecclesiam, ex probatis *cap. 1. q. 31. & hic q. 37.* ergo neque in canonizatione sanctorum, quia huiusmodi actio definiendi, & declarandi aliquem hominem seruum Dei esse sanctum, gloriosum, & Deum videre spectat ad fidem, & mores, nam in canonizatione sanctorum agitur de confessione fidei, est enim sanctificatio serui Dei quædam exterior confessio fidei, in examine siquidem, quod fit super eius vita, Ecclesia deuenit in notitiam, seruum Dei, fuisse virum probatum, qui nunquam defecit à fide, id enim est potissimum argumentum, quo promouetur aliquis ad canonizationẽ, inquirendo, quid senserit de fide diuina, sine qua impossibile est placere, cum sit fundamentum cæterarum virtutum. Ex hoc capite ergo Papa declarando aliquem sanctum, errare non potest, cum tractet negotium fidei, in qua Petrus deficere non potest. Notum quoque est, actionem canonizationis spectare ad mores vniuersæ Ecclesiæ, nam cum Papa aliquem Dei seruum ascribit Cathalogo sanctorum, mandat omnibus Christi fidelibus per vniuersum orbem existentibus, vt sanctum talem declaratum venerentur, & publicum cultum eidem exhibeant celebratione diuini officij, missarum, & Horarum Canonicarum, ædificatione Ecclesiarum, & similium, quæ spectare ad mores vniuersæ Ecclesiæ nemo negat, ergo Papa neque ex hoc capite morum errare potest. Hæc sententia est communissima Cordubæ *libro quarto, de potest. Papæ q. 12. §. Mihi*, Castellini *de certit. canon. p. 4. cap. 7. par. 6.* quos cum aliis retuli *controu. 13. numero 16.* Contelorus *cap. 10. de Canoniz. sanct. numero 10.* refert plusquam triginta Doctores. Diana *part. 11. in calce Resol. 15.* Vericellus *tractat. 8. quæst. 24.* Barbosa *in capite 1. de Reliquiis n. 5.* & nostris temporibus nullus contradicit.

Dices primò, Papa in canonizatione sanctorum vtitur testimoniis humanis, quæ fallibilia sunt, ergo errare potest. *Secundò*, in cap. A nobis 28. de sent. excommun. dicitur, quod iudicium Dei innititur veritati, quæ non potest fallere, nec falli, sicut 283
iudicium Ecclesiæ, quæ non nunquam sequitur opinionem, per quam homo potest falli, & fallere, ergo Papa sequens testimonia, & opiniones hominum in canonizatione sanctorum falli potest. *Tertiò*, nemo cognoscit seipsum, Iob cap. 9. 21. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea* à fortiori vnus homo aliam cognoscere non potest. *Quartò*, Gloss. in cap. Vnic. de Reliq. supponit, Papam in canonizatione sanctorum errare posse, quam secuti sunt nonnulli ex adductis argumentis, quibus respondi præcitata contr. 13.

Primo respondetur, testimonium hominum habere rationem causæ dispositiuæ, per quam Papa disponitur ad canonizationem, sed huic dispositioni non innititur, dum postremo vult aliquem seruum Dei declarare sanctum, tunc enim immediatè illuminatur à Spiritu Sancto, quid agere debeat per internam inspirationem, iuxta promissionem à Deo sibi factam Lucæ 22. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Ioannis 16. 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ergo veritatem canonizationis, Doctrina enim Spiritus Sancti, qua Deus promisit instruere sanctos Apostolos, præsertim Petrum, & eius successores, fuit vniuersalis circa quodcumque obiectum, dum vniuersaliter locutus fuit. *Omnem veritatem*, ergo illam etiam, quæ spectat ad canonizationem seruorum Dei.

Secundo, textus in loco præcitato loquitur de iu- 284
diciis in causis priuatorum, in quibus ministri Ecclesiæ falli possunt, quia infallibilitas promissa Petro est circa negotia fidei, & morum pro vniuersa Ecclesia. Contelor. ex Ioanne de Neapoli, respondet, illud cap. procedere in iis, quæ Papa agit vt purus homo, vt viator. Non placet, quia Papa semper est viator, semper est purus homo licet procedat vt minister Dei, qua ratione adhuc est purus homo, verior ergo responsio est, quod eius indeficientia restringitur ad illa duo sæpe dicta, notum enim est, homines officiales, & non officiales sæpè Pontificem decipere, in his vero quæ sunt fidei, & morum à nullo decipi potest ex promissione diuina.

Tertio respondetur, illam auctoritatem procedere de cognitione priuata, nos autem loquimur de cognitione publica, & reuelatione diuina, quibus Papa illuminatur ad definitionem veritatis.

Glossa demum absolutè non loquitur, sed ex suppositione, ab omnibus tamen reiicitur eius suppositum tanquam falsum.

Secundum, quod hæresis sit asserere Papam errare posse in canonizatione sanctorum, probatur, quia illa propositio est hæretica cuius contraria est de fide, opponuntur enim ex diametro fides & hæresis.

Sed

Sed propositio negatiua est de fide; ergo affirmatiua est hæretica. Probatur minor, quia de fide est, Papam non posse errare in iis, in quibus habet assistentiam illuminatiuam Spiritus Sancti, aliter esset deceptor, non præceptor, quod est maximum absurdum, ergo adhoc euitandum dicendum est, Papam non posse errare in Canonizatione sanctorum esse de fide, quia reuera in definitione seruorum Dei, quod sint sancti, assistit Spiritus Sanctus, vt probatum fuit. Confirmatur, quia de fide est, Papam non posse errare in iis, quæ decernit pro communi vtilitate totius Ecclesiæ, cum spectent ad fidem, & mores, in quibus Papæ promissa fuit indeficientia; sed huius generis est actus Canonizationis, ergo de fide est, Papam in hac errare non posse. Sequitur ergo ex his oppositum esse hæreticum. Et ita probabilius tenent fere omnes Doctores cum Palao *part. 1. tract. 4. disputatione 1. p. V. Paragrapho 4. cum Valentia*, Ioannes de Neapoli *quol. 11. quem pro se cum prædictis citat* Vericellus *tract. 8. quæst. 24. num. 3.* Diana *par. 11. ad Calcem resolut. 18 Paragrapho sed mihi*, vbi citat præterea Amicum, & Arriagam, atque Turrianum plures alios citaui contr. 13. n. 17.

Dices, nullibi Deus reuelauit Isidorum agricolam esse sanctum, nec Papa, qui illum declarauit sanctum asseruit sibi hoc reuelatum fuisse in terminis, ergo id de fide credendum non est, ac proinde Papa potuit errare.

℞. Verum esse, id non reperiri expressum in libris Canonicis in terminis propriis sui nominis, nihilominus Deus, qui reuelauit Ecclesiæ suæ sanctos esse in gloria Psalm. 149. 5. *Exultabunt sancti in gloria.* Infra numero 9. *Gloria hac est omnibus sanctis eius.* Reuelauit etiam immediatè Isidorum esse in
285 gloria Dei Patris, quia singulares propositiones constituunt vniuersalem, quæ extra illas nihil est. Ab vniuersali autem nulla excluditur singularis, nisi cum aliquo prudenti iudicio, nullum autem prudens iudicium formari potest, quo Isidorus excludatur ab illa vniuersali, cum euidenter constet ex eius processu formato super vita, & moribus eius, illum seruasse omnia Dei mandata, ac proinde eum fuisse ingressum ad vitam, iuxta verba Domini Saluatoris. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quam Papa ignoret inspirationem, in eo sensu, quod euidentem illius cognitionem non habuerit de sanctitate Isidori, nihilominus negari non potest, Papam illa caruisse, sed omnino asserendum est, Spiritum Sanctum illum illuminasse, dum motus fuit ad executionem canonizationis, Spiritus enim vbi vult spirat, & nescit homo vnde veniat.

Quod in propositione vniuersali reuelata intelligatur etiam reuelata immediatè quælibet singularis, nisi aliqua exceptio contrarium suadeat, docet ex Lugo *de Fide disputatione prima, sectione 13. Paragrapho 3. & 3.* Suarez *disputatione 3. sectione 11. numero 2. & 3.* Hurtado *disputatione 11.* Vericellus *tract. 8. quæstione 24.* Quare qui reuelauit: *Omnes in Adam peccauerunt*, reuelauit quoque immediatè, Petrum, Iudam, &c. peccasse in Adam, &c.

Quamuis hæc sit sententia communissima, esse de fide, Papam non posse errare in Canonizatione sanctorum, ac proinde, eum esse hæreticum, qui sentit oppositum, nonnulli tamen sunt, qui id negant, dicentes esse tantum temerarium, & scandalosum negare hanc infallibilitatem Romano Pontifici, & sunt Caietan. *tom. 1. opusc. tractat. 15. de Indulg.* & Canus apud Dianam *par. 1. in calce Resolutione decimaoctaua*, præter illos Vericellus *tract. 8. quæstione vigesima quarta*, initiò pro hac sententia citat Diuus Thom. *quol 9. articulo vltimo*, D. Anton. *par. 3. articulo duodecimo, capite octauo*, Bannez *2. 2. quæstione 1. articulo decimo, dubio septimo, conclusione secunda*, Suarez *de fide disputatione quinta, sectione octaua, numero octauo*, Turrian. *2. 2. disputatione decima septima, dubio sexto, fine*, Bellarmin. *libro primo, de sanctis capite 9.* Quare reus in 5. officio super hunc articulum non videtur puniendus vt hæreticus præcisè & formaliter, quia controuertitur, an propositio de hac re sit formaliter hæretica, necne aliis asserentibus, aliis negantibus, vt visum fuit. Ex quo Diana *Resolutione decimasexta, Paragrapho vnde dicendum*, ait, 286
asserentem, Pontificem in canonizatione errare posse non esse tanquam hæreticum absolutè damnandum, quia id in Ecclesia controuertitur.

Quæres 74. An Papa errare possit in Beatificatione seruorum Dei?

℞. Non posse, pari enim passu currit cum Canonizatione, vnde est de fide, quod Papa in beatificatione seruorum Dei non potest errare, aliter sentiens est hæreticus. Quod suadetur eisdem rationibus, quibus probatum fuit esse de fide, Papam non posse errare in Canonizatione sanctorum, quia in eo casu Papa tractat de rebus fidei, & morum, in quibus illi assistit Spiritus Sanctus, nec permittatur errare. Confirmatur, quia par, & æqualis honor, & cultus debetur vtrisque saltem intensiuè, & perfectiuè, licet non extensiuè, quia vbique sanctus proponitur colendus, non vero beatus, sed tantum in ea Prouincia, vel religione, cuius est natiuus, vel professus, non ideo tamen prohibetur, quin coli possit etiam ab extraneis cultu priuato, immò quilibet Christi fidelis tenetur credere illum esse in gloria cum cœteris sanctis. Neque plures differentiæ aliæ, quæ ab aduersariis assignantur, & ab omnibus admittuntur inter Canonizationem, & Beatificationem, arguunt alium esse credendum de sanctis, alium de beatis, cum pari certitudine fidei de vtrisque credendum sit, quod Papa respectu vtriusque causæ non possit errare, nam eadem absurda, quæ sequerentur in Canonizatione, si Papa errare posset in ea, locum haberent etiam in beatificatione nam in vtrisque adhibetur cultus publicus secundum magis & minus, quod non variat speciem, ac proinde tam per beatificationem, quam Canonizationem debemus esse certi, quod ambo sunt digni cultu, & honore publico. Ita Castropalaus *parte prima, tract. 4. disputatione prima, p. 5. Paragrapho vndecimo, numero quarto*, Megalius *v. Canonizatio, ex illis* Vericellus *tract. 8. quæstione vigesima quinta*, Salelles *par. 1. Reg. 65. numero 267.* contra Amicum in Cursu Theolog. *tom. 4. disputatione 7. sectione 4. numero 98.* quem pro se citat Diana *ea Resolutione decima nona*, quia si id esset de fide, Papa vlterius non procederet adhibendo maiorem diligentiam, & de nouo examinando super vita, & moribus in ordine ad canonizationem, si enim Papa esset de fide certus, non vlterius quæreret, si iam haberet certitudinem fidei, qua maior exquiri non potest. Confirmatur, quia Beatificatio est via ad Canonizationem, nullus enim canonizatur, nisi prius sit beatificatus. Respondetur, eam maiorem diligentiam referri non ad inuestigandam certitudinem de fide, vt beatus iudicetur dignus sanctitate, de qua iam constat, sed ordinatur ad ea, quæ acciderunt post beatitudinem & si aliquid proponatur pro eodem, vel contra eundem, vt illi imputatum purgetur. Exemplum do in beato Gregorio Papa X. qui initio sui obitus multa fecit miracula, & in processu ordinato ad Canonicationem quæsita fuerunt nonnulla, an scilicet, cultus, quo initio sui obitus honoratus fuit inter

seruos Dei, perseuerauerit, necne, & in eodem processu obiectum ei fuit homicidium vnde necesse fuit Ministros Ecclesiæ super hac querela inuestigare, an id sit verum, necnon. Ex quibus, & aliis apparet, certitudinem fide habitam in beatificatione persistere in seipsa, & nouam inquisitionem esse referendam ad ea, quæ potuerunt accidere intra tempus vtriusque extremi; ex quo apparet beatificationem non esse viam ad canonizationem ad perficiendam certitudinem, vel vt certitudini morali addatur certitudo de fide, sed prioritate ordinis canonizationem sequi beatificationem, & id est per accidens, quia antiquitus isti duo actus non distinguebantur, sed per vnicum solemnitatis actum serui Dei declarabantur beati, & sancti, immò videtur, quod per prius ratio sanctitatis tribuatur seruo Dei in eo, quod sanctitas refertur ad
288 anteactam vitam, per posterius vero eidem competat ratio beatitudinis, in tantum enim euadit beatus, in quantum sanctè vixit super terram.

Quæres 75. An Papa errare possit in approbatione religionum?

℞. Non posse, & hoc est de fide, & aliter sentiens est hæreticus.

289 Primum, quod non possit errare probatur. *Tum quia*, errare non potest disponendo circa ea, quæ spectant ad mores vniuersæ Ecclesiæ, vt sæpius probatum est præcedentibus; sed approbando aliquam religionem agit de motibus vniuersæ Ecclesiæ, sunt enim religiones pro communi vtilitate, immò & necessitate totius Ecclesiæ Catholicæ, ergo in huiusmodi approbatione errare non potest, *Tum quia*, tunc dicitur approbare aliquam religionem, cùm eius institutum, & regulam à professis seruandam laudat, & commendat, vt quæ continet tria Euangelicæ legis consilia, nimirum obedientiam, continentiam, & paupertatem sub voto seruanda à professis eiusdem instituti; ergo eam approbando, non errat, cum sit conformis iuribus diuino, naturali, & Euangelico.

Secundum, quod id sit de fide probatur, quia sicut de fide est, Papam non posse errare in disponendo ea quæ spectant ad mores Ecclesiæ, ex supradictis, ita & de fide est, ipsum non posse errare disponendo circa talem morem, verbi gratia, circa approbationem huius, vel illius religionis, quia qui reuelauit eam propositionem de omnibus moribus Ecclesiæ, manifestauit etiam immediatè Papam non posse errare in dispositione huius, vel illius moris eiusdem generis, cum hic, vel ille meos comprehendatur, in sua specie; & species in generibus, & id necessario dicendum est, quia concedi prudenter non potest, Papam errare posse respectu vnius moris, & non alterius, omnibus eiusdem generis, seu speciei existentibus, non enim est maior ratio, quod vnus sit capax erroris, & non alter, cum omnes sint eiusdem speciei, seu generis reuelatorum, consequenter Papa aut errare poterit respectu omnium, quod tanquam absurdum, & hæreticum dicendum non est, cum id destruat infallibilitatem in Pontifice in disponendo circa mores; aut nequaquam errare in prædictis, quod verum est, hoc ipso, quod non est maior ratio bene disponendi in vno genere moris, & non in aliis, cum omnes spectandi sint sub vna infallibilitatis ratione.

Tertium, quod aliter sentiens sit hæreticus, probatur ex præmissis, quia ille est hæreticus, qui negat, quod fides docet, est enim hæresis error contra fidem, sed fides docet, Papam errare non posse in approbatione religionum, vt probatum fuit, ergo aliter sentiens hæreticus est.

Prædicta docentur à Turriano 2. 2. *disputatione decimasexta, dubio quarto*, Castropal. *tomo primo, tractat.* 4. *disputatione prima, p.* 5. *Paragrapho sexto*, quos pro se citat Vericellus *tractat.* 8. *quæstione vigesimaquarta, numero decimo*, Diana *parte vndecima, de infallibilitate decret. Roman. Pontif. resolut.* 23. *& resolut.* 25. ait conclusionem esse de fide, cum Amico *tom.* 4. *disputatione septima, sectione tertia, numero septuagesimo nono*, Francisco del Castillo *in* 3. *sentent. tom.* 2. *disp.* 16. *q* 9. *n.* 8. Salelles *par.* 1. *Reg.* 65. *num.* 271.

Procedunt hactenus dicta non solum quoad approbationem in substantiam, sed etiam quoad circunstantias, quod scilicet Papa errare non potest, quia illuminatur per assistentiam Spiritus Sancti, circunstantiæ enim non minus spectant ad mores Ecclesiæ, quam ipsa substantia institutionis Regulæ, & constitutionum. Ita del Castillo, & Valentia, quos pro se citat Diana ea resolutione vigesima tertia, contra Bannes, Palaum, Suarez, Arriagam, Tannerum, & Syluium asserentes posse errare in circunstantiis, vt quia approbata religio est minus conueniens Ecclesiæ Dei, licet non sit mala, sed dura nimis, aut laxior, vel quia sequitur confusio, vel diminutio feruoris spiritualis in aliis. Sed prædictæ circunstantiæ duritiei, & laxitudinis malæ non sunt, nec aliquam arguunt imperfectionem, nam religiones non sunt eiusdem obseruantiæ, cum ex diuersis institutis componantur in ordine ad diuersos fines, ac proinde necesse est, quod vna sit alia asperior, & laxior, vt hac ratione quilibet Christi fidelis desiderans ingressum religionis, iuxta suæ naturæ complexionem libertatem habeat eligendi eam, cuius Regula sibi videtur aptior obseruanda, Neque ex approbatione sequitur confusio, aut diminutio feruoris, deuotionis, sed procedit ex mala gubernatione superiorum, & inobseruantia subditorum. Itaque verum est, Pontificem non posse errare in approbatione religionum neque quoad substantiam, quando scilicet institutum, & Regulam approbat, & confirmat; neque ad modum, aut circumstantias, cum scilicet facilis est ad multiplicandos ordines, vel cum approbat vnum asperiorem, vel laxiorem aliis. Ex ex his patet etiam responsio ad argumenta pro Cano adducta à Diana ea resolutione 23. asserente, Papam errare posse in approbatione religionum.

Quæres 76. An Papa tanquam suspectus recusari possit?

℞. Recusari non potest, quia suam potestatem non habet ab homine, ad quem possit fieri recur- 290
sus, & appellatio, sed à Deo, ad quem recurrere in terris non expedit, quia Dei iudicium occultum est, & iudicat, quando vult, & tempore debito. *Confirmatur*, quia omnes appellando ad ipsum recurrere possunt, cum sit iudex ad quem, & nullo modo iudex à quo, ex probatis *hic quæst.* 44. & 43. vbi quod omnes iudicat, & ipse à nullo iudicari potest. Ita Doct. *in c ap. fin. de appellat.* Host. Ioan. Andr. Abbas, & Barbatia, *in cap. Quarelam, de elect.* apud Vericellum *tract.* 8. *q.* 46. *n.* 3.

Quæres 77. An Papa habeat ius belli, & possit indicere bellum suis inimicis?

℞. Affirmatiuè, quia is potest indicere bellum, qui habet dominium temporale absolutum, posita grauissima iniuria, quam Princeps vindicare possit, sibi illata,

illata; ſed Papa habet dominium temporale abſolutum, ergo poſita iniuria bellum indicere poterit, vt illatam iniuriam depellat. Confirmatur, quia Archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, & Treuirenſis, atque Epiſcopi Bambergenſis, Herbipalenſis, Spirenſis, & alij ius habent belligerandi, à fortiori Pontifex Romanus. Ita omnes, cum quibus eſt Becanus *de Bello quæſt.* 18. Sylu. *v. Bellum,* Azor *par.* 3. *libro* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 6. Bonac. *diſput.* 2. *de Reſtit. q. fin. ſect.* 1. *p.* 4. *num.* 5. Verum quidem eſt, quod pietas Christiana ſuadet prius eſſe inchoandum ab armis ſpiritualibus cenſurarum, quibus non proficientibus, deueniendum eſſe ad arma temporalia, quæ inferunt vltimum exterminium vt plurimum iis, qui non fuerunt in cauſa indicendi bellum.

Quæres 78. An Papa ſpiritualibus armis proſequi debeat inuadentes Terras Eccleſiæ ſubiectas tam mediatè, quam immediatè?

292 ℞. Vtriſque armis & ſpiritualibus, & temporalibus debet defendere Terras Eccleſiæ, detrudendo inuaſores, nam ex officio ſuo tenetur conſeruare, & tueri iura Eccleſiæ omnibus modis, quibus ea manutenere poteſt ſub ſuo dominio, & poteſtate. Confirmatur, quia pabulum, quo debet ſuas oues paſcere, non ſolum refertur ad eſcam ſpiritualem conſeruandi, & cuſtodiendi animas ouium ſibi commiſſarum, verum etiam ſe extendit ad corporalia, & temporalia, quibus conſeruantur ſpiritualia, debet ergo Papa paſcere oues & quoad ſpiritualia, & quoad temporalia, de quibus ſpecialem habet adminiſtrationem, maximè ſuorum vaſſallorum, qui illi iurarunt fidelitatem, per quam Papa ſe conſtituit debitorem defenſorem, cum inuaduntur vaſſalli in bonis ſibi creditis, cum id expediat atque neceſſarium ſit vtrique parti, Domino, & vaſſallo. De defenſione per arma ſpiritualia Diuus Thomas 2. 2. *quæſtione* 40. *articulo ſecundo, ad* 1. Per arma corporalia, Albertus Brunus, *conſil.* 155. & 176. Clarus *v. Feudum quæſtione vigeſimaſeptima,* Decius *conſil.* 469. *numero* 4. cum aliis apud Vericellum *tract.* 8. *quæſt.* 46.

293 Quæres 79. Quo cultu, ſeu adoratione Papa colendus ſit? De Adoratione quid, & quotuplex ſit dixi controu. 17. numero ſecundo, eſt enim cultus debitus alicui propter eius excellentiam, præſtantiam, & virtutes, ac proinde debetur naturæ intellectuali, quæ in ſe habet excellentiam, præſtantiam, & virtutes, conſequenter debetur Deo, Angelis, & Hominibus non ſolum ſanctis, & iam in patria cœleſti exiſtentibus, ſed etiam eiſdem viuentibus in hoc mundo ſuperioribus, & Prælatis ad præſcriptum quarti præcepti Decalogi, in quo mandantur honorari parentes, ſub quo nomine præter parentes carnales, comprehenduntur etiam ſpirituales, cuiuſmodi ſunt Papa, Epiſcopi, & cæteri Prælati, Bonac. & alij ſuper hoc præcepto. Eſt autem Adoratio triplex, Latria, quæ competit Deo, propter eius increatam excellentiam, & Chriſto, atque omnibus inſtrumentis Paſſionis eius. Hyperdulia debita Mariæ ſemper Virgini, quæ ſuper alias creaturas ſublimis eſt in excellentia virtutum, cum ſit Mater Dei, & concepta omnino ſine vlla macula peccati originalis, ex quo eius Conceptio dicitur ſemper immaculata. Dulia debita ſanctis, & prælatis propter eorum propriam excellentiam creatam. Ita communiter Doctores de hac materia tractantes cum Diuo Thoma, Alexand. de Ales *parte tertia, quæſtione trigeſima, memb.* 3. *articulo ſecundo,* ex illis Bernardus Puiol *profeſſor in Vniuerſ.* Perpinian. *de ſacro adorat cultu, diſputatione ſecunda, ſect.* 3. *fol.* 144.

294 ℞. Papa adorandus eſt adoratione duliæ tantum; quæ demonſtratur, & exhibetur per capitis apertionem, eiuſdem inclinationem, genuflexionem, deoſculationem manuum, ſeu pedum, & per tunſionem pectoris. Probatur, Tum ex cap. fin. diſt. 93. ibi: *Tunc enim ſicut illius locum tenens honorabitur.* Dum ergo aliquis vices gerit, & locum alterius tenet, honorandus eſt, ſicut ille, cuius locum habet; Papa autem in terris vices gerit Dei, & locum tenet Chriſti Domini, ergo ſicut Deus, & Chriſtus honorandus eſt; nec ex his inferas, ergo cultu Latriæ recognoſcendus eſt, quia dictio *ſicut* importat quidem ſimilitudinem, ſed non omnimodam, in genere tantum, ſed non in ſpecie, quando ſermo eſt inter habentes diuerſam poteſtatem, Tuſch. *litt. D. concl.* 374. *numero decimotertio,* honorandus ergo eſt delegatus à Deo Papa, ſicut honoratur Deus, ſed non adoratione Latriæ, vt Deus colitur, ſed cultu duliæ, quæ eſt propria perſonæ creatæ, per quam eius excellentia recognoſcitur; vnde ad illud cap. fin reſpondet Nauarr. *conſil.* 7. *de Maior.* quod licet vices gerens alterius debeat honorari tanquam repræſentans eum, non tamen quantum ille, & citat pro ſe Decium in cap. Sanè 11. de offic. deleg. diuerſus ergo debet eſſe honor delegati ab honore delegantis, ſicut inter ſe comparati delegans longè maior eſt delegato *Tum quia,* Papæ excellentia maior eſt cæteris, qui merentur honorari ab hominibus, immò maxima, & perfectiſſima ſuper omnes creaturas, cum eius poteſtas quaſi immenſa immediatè ſit à Deo tam temporalis, quam ſpiritualis, ſuper omnes gentes, ergo præ aliis colendus eſt. Nec inferas ex hoc argumento concludo, ipſum eſſe adorandum Hyperdulia, quia cum cultus Hyperduliæ ſupponat in ſubiecto adorando perfectiſſimam excellentiam creatam, qua maior dari nequeat, & hæc ſit propria Mariæ Virginis vti Matris Chriſti Domini, ideo iſta ſpecies cultus, ita propria eſt Virginis, vt aliis creaturis quantumuis excellentibus communicanda non ſit; quare cum Papa in ſua excellentia quantumuis perfectiſſima, non excedat glorioſam Virginem Matrem Dei, non debet, nec poteſt adorari cultu Hyperduliæ. *Tum quia,* in Rubricis Miſſalis capite 5. numero ſecundo, de orat. dicitur: *Item in oratione pro Papa, quando nominatur, ſemper caput inclinet.* Intellige Sacerdos, dum eam orationem recitat. Per inclinationem igitur capitis exhibetur Papæ cultus non latriæ, quia non habet infinitam & increatam excellentiam, non Hyperduliæ, quæ ſoli Virgini debita eſt propter eius perfectiſſimam excellentiam, qua maior ſub Deo nequit intelligi, ſed Duliæ tantum ſimilis honori, qui ſanctis debetur propter eorum excellentias, & virtutes. Ita docent plerique apud Dianam *ad Calcem part.* 11. vbi latiſſimè tractat de Adorat. ſummi Pontificis *per reſolut.* 20. Paulus Maria Quartus ſuper Rubricas Miſſalis Romani *parte ſecunda, titulo V. de orat. dubit.* 3.

Abbas Caramuël vir Doctiſſimus magnæ ſpeculationis libro primo, de Hierarchia Eccleſ. diſputatione ſexageſima, numero 680. relatus à Diana loco præcitato reſolutione vndecima, ait, duplicem adorationem deberi Papæ, duliæ ſcilicet, de qua non eſt dubitandum, & Latriæ, quæ Deo debetur, ſi Papa conſideretur diuerſimodè, nam ei debetur cultus duliæ ſpectato vt quod, & vt perſona eſt, vt homo eſt, vt homo ſacer eſt, homo ſummus, & cæteris vniuerſis prælatus. Si vero ſpectetur vt quo, vt imago, vmbra; vt Prochriſtus, vt Prodeus, hoc eſt, Chriſti Vicarius, vt via ad terminum latriæ cultum requirit, eo ſenſu, quo cæteræ imagines Chriſti, cultum inquam, qui non terminetur ad lapides, ad ligna, non ad carnem, aut ſanguinem, ſed ad Chriſtum. Dilucidat 295

cidat hoc exemplificando in calice continente sanguinem Christi, non enim adoratur calix aureus, sed Christus in calice, consideratur enim Christus vt quod colitur, & calix vt quo, hic enim est medium,& via, per quam, & qua peruenitur ad cultum Christi, qui est finis, & terminus adorationis. Alia refert exempla ad persuadendum suum placitum, & quia dubitat de veritate sui dicti, loquitur conditionate his verbis: *Vbi cesset errandi periculum*, præuidit enim. periculum, sed illud non abhorruit.

296 Prædicta Caramuelis opinio tanquam falsa à scholis proscribenda est, quod suadetur assignando duplicem adorationis speciem, nimirum absolutam, & relatiuam; adoratio absoluta, & per se, seu propter se ea est, qua colitur aliqua natura intellectualis propter suam propriam excellentiam, & eius virtutem, sic colitur Deus, Angeli, & Homines, Deus siquidem adoratur propter suam infinitam & increatam excellentiam, Angeli vero, & Homines beati propter suam excellentiam propriam adoratione duliæ, quoniam autem Beata Maria semper Virgo omnes creaturas intellectuales excedit in propria excellentia, & diuersis prærogatiuis sibi singularibus Maternitatis scilicet Dei, & immaculata sua, & Filij conceptione veneratur cultu hyperduliæ. Isti ergo supra numerati adorantur propter se, quia digni sunt tali honore ex propriis virtutibus & excellentiis, & non in ordine ad aliorum prærogatiuas, & ideo cultus huiusmodi ad ipsos terminatur, & in ipsis absoluitur, quia res intellectualis de se, & per se honorabilis est, & venerabilis. Adoratio vero relatiuè est illa, per quam aliquid inanimè non propter se præcisè adoratur, sed propter aliud, ad quod tandem cultus absolutus terminatur, nimirum ad personam, quæ per se honorabilis est ob proprias virtutes, & prærogatiuas; obiectum enim adorationis relatiuæ cum in se non contineat talem excellentiam, sed tantum causam, & rationem adorandi personam, non est capax adorationis absolutæ, sed tantum relatiuæ, quæ ordinatur tandem ad cultum personæ repræsentatæ per obiectum inanimè. Huius generis sunt Imagines Dei, & sanctorum, instrumenta Passionis Christi, & Sanctorum, signa rerum sacrarum, &c. hæc enim in tantum adorantur, in quantum referunt nobis exemplar, & imaginatam personam, quæ honore, & cultu digna est, ad quam tandem terminatur adoratio; persona enim per intrinsecam denominationem in se habet propriam excellentiam, qua homo mouetur ad illius cultum, non verò Imago, quæ nullam propriè in se habet excellentiam, sed tantum denominatione extrinseca nuncupatur digna cultu, quia personam repræsentat, vel rem sacram, & ideo ipsa quoque Imago, & aliud inanimè colitur, ad se etiam terminans adorationem, vt definitur in Synodo VII. Act. 7. contra hæreticos negantes sacrum cultum Imaginibus, de quibus Bellarmin. libro secundo, de Imagin. sanct. capite vigesimo, ad vigesimoquarto. Huiusmodi autem adoratio relatiua reducitur ad eam speciem, qua veneratur persona, vnde Imago Dei & Christi, cum omnibus instrumentis passionis suæ adoratur cultu latriæ, sicut sanctorum cultu duliæ, & B. V. cultu hyperduliæ, sed non æqualiter ex defectu propriæ excellentiæ, verum inæqualiter cultu minori inferiori, & reductiuè ad cultum absolutum, adoratio enim relatiua est medium, & via, per quam peruenitur ad absolutam, quæ tandem terminatur in personam veneratione dignam; consequenter terminus adorationis

297 duplex est non vltimus, & vltimatus, ille terminat adorationem relatiuam, iste vero absolutam, per quam vlterius homo non progreditur adorando aliud, non enim esset adoratio absoluta, si vltra procedendum esset. De hoc duplici genere adorationis omnes agunt Doctores cum Sayro libro quarto, capite tertio, numero sexto, Paragrapho Rursus, Bonac. super primum Decalogi præceptum p. 1. in fine, alios citans.

Ex hac Doctrina à nullo negata infertur falsitas opinionis Caramuelis, nam in suis exemplis supponit illam, dum admittit, Pontificem considerari posse vt quod, & vt quo, nam Papa spectatus vt quod terminat ad se adorationem, vt quo vero non ad se, sed ad Deum, cuius vices gerit, ac proinde ipse Papa adoratur adoratione latriæ vt quo spectatus, quia ordinatur eius cultus ad Deũ, & Christum Dominum, cuius vices exercet in Ecclesia. Dico ergo, quod hæc duplex consideratio locũ habere non potest in Pontifice, quia adoratio relatiua, & vt quo consistit tantum in rebus inanimatis repræsentantibus aliquam personam in imagine, seu alio signo; Papa autem persona est, non imago, nec signum; vices quidem Dei, & Christi gerit in terris, non repræsentat ipsum Deum, aut Christum, cum horum imago non sit, sed officialis tantum. Deinde Imagines sanctorum etiam in seipsis venerantur, vt definiuit 298
Concilium VII. supra citatum, quod est secunda Synodus Nicæna, vbi Act. 7. definitur, Imagines sanctorum esse adorandas, in qua definitione præter alia habentur hæc verba: *Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.* Tom. 3. Concil. fol. 590. Si ergo Papa vt Vicarius Christi requirit cultum latriæ, eo sensu, quo cæteræ imagines Christi, vt vult Caramuel, iam ad se Papa terminabit adorationem latriæ, quod sequitur ex Doctrina Concilij, nam Imago adoratur in se, & prototypus in ea, illa relatiuè ad hunc, qui propter se in illa adoratur, & tamen id negat, dum subiungit: cultum, inquam, qui non terminetur ad lapides, ad ligna, non ad carnem, aut sanguinem, sed ad Christum, ex quibus verbis explodit cultum qualemcumque ab Imaginibus, dum excludit illum à prædictis, asserens ad Christum solummodo terminari. Ex quo sequitur Papam vt quo, nulla ratione, nullo pacto habere cultum latriæ, dum soli Christo per ipsum tribuitur, facta exclusione honoris à lapidibus, lignis, carne, & sanguine. Præterea cum omnibus Theologis conuenit Abbas Caramuel, Papam vt quod, id est, quatenus homo est, est homo sacer, homo summus, & cæteris vniuersis prælatus, honorari cultu duliæ, bene loquitur, sed tunc allata ab eodem duplex consideratio videtur vnica esse speculatio, nam coincidunt, Papam spectari, vt hominem summum cœteris prælatum, vt quod, (inquit ipse); & spectari vt Vicarius Christi, vt Prodeus, vt Prochristus, vt quo, (ait ipse) Nam quis est iste Prodeus, Prochristus, & Vicarius Christi, nisi formaliter homo summus aliis prælatus, siquidem summus est, prælatus est cæteris, quia Prodeus, Prochristus, quia Vicarius horum est, & è contra, vt notum est, eadem ergo persona, idem officium, eadem excellentia expressa diuersis vocibus, quæ eandem rem eiusdem officij, & eiusdem excellentiæ formaliter significant. Igitur consideratio verbaliter multiplicatur, sed Papa consideratus omnino vera speculatione vnus manet cum vnitate suæ summæ excellentiæ Papatus, quo in mundo excellentior excogitari non potest. Viator prælatus non honoratur materialiter, vt talis homo, sed formaliter vt habens prælaturam, dignitatem, & potestatem, nam homo in genere entis, & secundum naturam non honoratur, sed in genere moris spectatus

299 tus honore dignus est, mores enim boni, non natura, digni sunt laude, consequenter Papa quatenus Papa, & ratione suæ excellentiæ, quæ resplendet in eius summa potestate, & iurisdictione super vniuersum mundum, adorandus est, dum viuit super terram adoratione duliæ, vt cæteræ personæ à Deo creatæ, quare illa ratio Prochristi, Prodei, per quam meretur honorari dictat, cultum illi debitum esse terminandum absolutè ad eius personam, & non ad Christum, neque ad Deum, cuius vices gerit in terris, consequenter cultus est duliæ, non latriæ. Vlterius, si Papæ tribueretur cultus latriæ in sensu
300 Caramuëlis, sequeretur, quod maior esset in Papa cultus latriæ, quam cultus duliæ eidem dandus ratione sui, & sic cultus relatiuus esset perfectior cultu absoluto, quod est falsum, cum absolutum longè perfectius sit relatiuo, hoc enim illi adhæret, & adiungitur propter exiguitatem suæ naturæ, & per se præcisè non spectatur obiectum adorationis relatiuæ, quia in seipso adorabile non est, nisi cum respectu ad prototypum, secundum Sanctos Patres, dum definierunt in præcitata Synodo, quod *imaginis honor in prototypum resultat*, ergo obiectum huiusmodi in tantum est dignum veneratione, in quantum principale est in se venerabile, quare cum latria hæc relatiua specificetur à latria absoluta, erit perfectior dulia absoluta, debita Papæ ratione sui, & vt quod contra naturam relatiuorum, quæ sunt inferioris conditionis & naturæ absolutis, etiam in præsenti materia nam typus & imago digna est minore adoratione, quam prototypus, & imaginatum, quod perfectiore cultu adorabile est, vt id etiam patet in exemplo de Calice allato ab hoc Doctore, nam calix, vt signum Christi sacramenti, & ad hunc effectum consecratus honoratur vt instrumentum consecrationis continens sanguinem Christi Domini sub speciebus vini adoratione latriæ sed minori, vti relatiua ad Christum Dominum, qui sub illis speciebus colitur latria perfectissima, & absoluta. Quod exemplum in se veritatem habet, sed ad rem non facit respectu Caramuëlis, quia licet calix sit obiectum adorationis vt quo, cum sit medium, instrumentum, & via adorationis Christi Domini; non tamen illi potest assimilari Papa spectatus vt quo, & relatiuè, cum in seipso propriam duliæ adorationem terminet, ex quo habet in se propriam excellentiam, quæ illum reddit dignum honore; calix præterea est quid inanime, Papa animam habet, ergo absolutè adorandus sicut cæteræ personæ excellentes. Nec Papa dici potest typus, & ima-
301 go Christi, dum eius vices gerit, quia de ratione imaginis est repræsentare personam materialiter, & extensiuè prout est in se, quod Papa quatenus Papa non assimilat sibi Deum, nec Christum, sed solum eius vices in terris gerit.

302 Concludo contra Caramuëlem, esse hæresim asserere, latriam posse tribui creaturæ, quæcumque ea sit, nam hæc propositio: *Licitum est, creaturas adorare, & honorare honore, & adoratione latriæ absque, immò meritoriè in quantum sunt repræsentatiuæ sui Creatoris.* Hæc secunda hæresis est damnata per Inquisitores Aragoniæ ex mandato Sanctissimi Gregorij X I. vt refert Director. Inquisit. par. 2. q. 10. Caramuël ergo dum dicit, Papam spectatum, vt Christi Vicarium requirere cultum latriæ, qui terminatur ad Christum, incidit in hunc errorem, nam Papam vocat Christi imaginem, ac proinde vult esse repræsentatiuum sui creatoris Dei scilicet, & Christi, & sub hac ratione esse adorabile cultu latriæ, qui sensus omnino hæreticus est, coincidit enim cum sensu supradictæ propositionis vt hæreticæ condemnatæ, ergo ex his apparet supradictam propositionem tendere in hæresim; nec se tueri potest, si dicat Christum Dominum esse obiectum adorationis latriæ in Papa Prochristo, quia non quæritur de adoratione Christi, sed de cultu debito Papæ formaliter spectato, & ratione sui, siue ergo creatura rationalis spectetur ratione suæ excellentiæ, siue vt creatura Dei, quæ in ipso Deo relucet, alia adoratione non est capax, nisi cultu duliæ. Et id patet in sanctis, in quibus Deus laudatur, & glorificatur, iuxta illud Psalmi: *Laudate Deum in sanctis eius*, & tamen solo duliæ cultu sancti sunt honorandi.

Theophylus Raynaudus illustris auctor vniuersalis societatis Iesu, apud eundem Dianam resol. 13. 303
docet, Papam esse adorandum hyperdulia in suo Monastico Pontificio subnot. 3. fructu 1. ob eius sublimem dignitatem, nam eius coniunctio cum Christo quoad fundamentum reuerentiæ est longè altior, quicquid sit de sanctitate personali, vnde non qualemcumque cultum ei esse impendendum, sed supra communem ordinem cultus Religiosi sanctis tributi, ita vt cum sanctis exhibeatur cultus duliæ, spectata eorum sanctitate, Pontifici vero debeatur cultus hyperduliæ; sicut enim B. V. quia habet excellentiam specie diuersam ab ea, quæ fundatur in gratia, nempe Maternitatem, colitur adoratione superiore, quam sit ea, quæ fundatur in sola gratia sanctificante, ita ob paritatem rationis idem statuit in re præsenti circa cultum impertitum Vicario Christi.

Sed contra est *Primò*, quia coniunctio cum Christo, quam beatus in patria habet ex sanctitate, beatitudine, & gloria visionis Dei est longe altior, & perfectior, quam coniunctio, quam Papa habet cum Christo ratione dignitatis Pontificiæ, ergo non est Papa colendus hyperdulia, dum non excedit sanctos. *Secundò*, sequeretur, quod Papa esset dignus maiori honore in via, quam in patria, si hic coleretur hyperdulia, in patria cum cæteris sanctis adorandus solum dulia ratione suæ sanctitatis, & beatitudinis, quæ eadem est in specie cum reliquis sanctis. *Tertiò*, ratio hyperduliæ dicit talem excessus rationem in superlatiuo gradu excellentiæ, vt alia sublimior inueniri non possit in creaturis, ex quo merito sola Virgo Maria hac hyperduliæ adoratione venerabilis est, quam Papa cum non excedat in aliquo minore cultu honorandus est, ergo solum dulia. *Quartò*, dignitas Pontificia temporanea est cum homine, dum viator est, sanctitas vero, & gloria in beatis perennis est, & perpetuo durat in beatis, ergo non postulat perfectiorem cultum. *Quintò*, excellentiæ maternitatis nihil creatum comparari potest, ergo nec dignitas Pontificia, cui debeatur talis cultus hyperduliæ, cum ferè in infinitum excedatur Papatus à dignitate Maternitatis.

Quæres 80. An Papa iurisdictionem temporalem habeat super omnes Iudæos & Paganos?

℞. Affirmatiuè, & id probatum fuit cap. 2. q. 58.

CAPVT VI.

De Conciliis Ecclesiæ Generalibus.

SVMMARIVM.

1 *Explicatur etymologia huius nominis Concilium.*
2 *Tria sunt genera Conciliorum à triplici genere Episcoporum.*
3 *Concilia originem habent à Christo.*

4 *Decemoꝯto Generalia Concilia numerantur à Bellarmino approbata.*
5 *Nicæna Concilia sunt duo.*
6 *Constantinopolitana sunt quatuor.* 133.
7 *Ephesinum primum Generale tertium.*
8 *Calcedonense fuit quartum Generale.*
9 *Lateranensia Concilia sunt sex.*
10 *Lugdunensia sunt duo.*
11 *Viennense Concilium.*
12 *Ferrariense Florentinum.*
13 *Tridentinum Concilium vltimum Generale.*
14 *Auctor ponit decemnouem Concilia Generalia.*
15 *Sardicense Concilium Catholicum.* 131.
16 *Sirmiense Concilium Catholicum.* 132.
17 Dominus pluuit à Domino, *id est, Pater generat Filium.*
18 *Trullanum Concilium non recipitur ab Ecclesia.*
19 *Pisana duo fuerunt Conciliabula.*
20 *Nouem Consilia hæreticorum reprobantur.*
21 *Ariminense inter illa numeratur.* 134. 160.
22 *Anomousiani sunt hæretici negantes consubstantialitatem in diuinis personis. Omousiani vero Catholici eam asserentes.*
23 *Constantiense Concilium non reprobatum.*
24 *Non fuit firmatum, nisi quoad ea, quæ spectant ad fidem.*
25 *Decreta Constantiensis contra supremam Papæ potestatem septem.*
26 *Bellarminus dicit Concilium Constantiense fuisse reprobatum in Florentino quoad ea, per quæ se extollebat supra Papam.*
27 *Caietani opinio refertur.*
28 *Constantiense fuit legitimum quoad omnia, quia de Papa indubitato nunquam locutus fuit.*
29 *Basileense Conciliabulum.*
30 *Concilium Generale quid sit?*
31 *Capitulariter, & canonicè factum quid dicatur.*
32 *Fines quinam sint mouentes ad indicendum Concilia.*
33 *Concilia non sunt necessaria simpliciter.*
34 *A quo originem duxit quæstio de Primatu Petri supra Concilium.*
35 *Pontifex Romanus est supra Concilium.*
36 *Sedes arguit superioritatem, & potestatem.*
37 *Sedem non habet Concilium.*
38 *Sedes nunquam moritur.*
39 *Successorem non habet Concilium.*
40 *Papa primatum habet à Christo Domino.*
41 *Primatum Petro deberi definitur.* 26.
42 *Primus dicitur, quem nemo præcedit.*
43 *Signum vniuersale* omne *multum efficax est.*
44 *Pater secundum omne ius maior filiis.*
45 *Filium Patrem subiicere impium est.*
46 *Magister est supra discipulos.*
47 *Discipulus non est supra magistrum.*
48 *Potestatem plenariam quis dicatur habere?*
49 *Liber esse quis dicatur?*
50 *Plenum ius, & potestas quæ dicatur.*
51 *Vicarius honorandus sicut ille, cuius vices gerit.*
52 *Monarchia regitur Ecclesia, cuius Monarcha est Papa.*
53 *Paterfamilias maior in domo sua.*
54 *Episcopo quoque filio suo.*
55 *Paterfamilias est* Papa.
56 *Christo tributa capiti Ecclesiæ conueniunt* Papæ.
57 *Concilium est sponsa Romani* Pontificis.
58 Papæ *potestas à Deo super omnes.*
59 *Ideo de quouis homine iudicare potest.*
60 *Ex particularibus infertur vniuersalis.*
61 *Ecclesia Romana habet plenitudinem potestatis.*
62 *Confirmatio arguit superioritatem.*
63 *Marcellinus* Papa *corrigendo suum errorem renuntiauit.*
64 *Totum est maius sua parte extensiue, non perfectiue.*
65 Capitulum *Generale est supra Generalem.*
66 *Decreta edita in Concilio supra* Papam.
67 *Intelliguntur* de Papa *dubio.*
68 Pronomen ipsa *est dictio personalissima.*
69 *Hæresis casus non facit vt Concilium sit supra Papam.*
70 *Schisma solum facit vt Concilium sit supra* Papam *dubium.*
71 Papam *esse supra Concilium est de fide.*
72 Definimus *indicat decisionem in materia fidei.*
73 *Iudicium duplex, proprium, & improprium dictum arbitrium.*
74 *Iurisdictio contentiosa inutilis sine coactione.*
75 *Arbiter, & Iudex differunt.*
76 Papa *non potest se subiicere iudicio Concilij, sed tantum arbitrio.*
77 *Regulares non possunt renuntiare suis priuilegiis.*
78 *Fauori publico nullus renuntiare potest.*
79 Papa *Concilio dat potestatem directiuam arbitrandi circa se.*
80 *Delegatus nil proprij habet, sed agit nomine alterius.*
81 *Concilia alias erant celebranda de decennio in decennium.*
82 *Indicere Concilia solius est Petri pro tempore.*
83 *A nullo alio, quouis dato casu.*
84 *Octo casus, in quibus congregatur* Concilium *sine Papa, reiiciuntur.*
85 *Imperator iure proprio non potest indicere Concilium.*
86 *Constantinopolitanum indictum à Theodosio iussu Damasi.* 6.
87 *Ephesinum à* Cyrillo *Alexandrino iussu Cœlestini primi.* 7.
88 Calcedonense *à Leone* I. 8.
86 *Sardicense à Iulio* Pontifice. 15.
90 *Concilium etiam cœptum dissolui potest, & alio transferri.*
91 *Concilium ante confirmationem* Papalem *promulgatam non obligat.*
92 *Principium ponens, & reliqua terminare debet.*
93 *Confirmabile supponitur esse.*
94 *Confirmatio est actus superioritatis.*
95 *Obligatio ex confirmatione respicit etiam canones fidei.*
96 Patres *ante promulgationem credere debent.*
97 *Declaratio legis triplex doctrinalis, iudicialis, & legalis.*
98 *Declaratio legalis promulganda est, vt obliget.*
99 Papa *non tenetur stare decisis articulis.*
100 *In omnibus Conciliis intelligitur reseruata potestas* Papæ.
101 *Derogare non potest* Canonibus *confirmatis, & promulgatis.*
102 *Vtique vero decretis de reformatione.*
103 *Destruitur res eadem potestate, qua fuit constructa.*
104 *Conciliaris lex vocatur etiam* Papalis.
105 *Confirmatio facit rem confirmatam propriam confirmantis.*
106 *Derogatum non censetur* Conciliis *sine eorum mentione.*
107 *Præsidet in* Conciliis *solus* Papa *per se, vel per suos legatos.*
108 *Quinam præsederint primis octo* Conciliis.
109 *Imperator nulli Synodo præfuit.*
110 *Constantinus infimo loco in* Concilio *sedit, & subscripsit.*
111 *Nullus vmquam præcedit Cæsar in* Conciliis.
112 *Ecclesiam totam repræsentat* Concilium.

113 *Regu*

113 *Regularibus absentibus sine eorum informatione nil agendum?*
114 *Concilium non est legitimum, quando non seruat instructionem Papæ.*
115 *Acta attentata contra formam mandati nullius sunt momenti.*
116 *Concilium non inchoatur ante aduentum legatorum Papæ.*
117 *Potestatem omnem Concilium immediatè habet à Papa.*
118 *Concilium factum sine Papæ indictione nullum est.*
119 Non potest indicat *actum attentatum esse nullum.*
120 *Valor actus dependet à voluntate, & potestate agentis.*
121 *Spiritus sanctus duobus modis mittitur.*
122 *Spiritus sanctus apparet visibiliter.*
123 *Spiritus sanctus mittitur sanctificando, dando potestatem, & illuminando.*
124 *Spiritus sanctus assistit Conciliis mediante ministerio Petri.*
125 *Assistentiam SS. Concilium habet dependenter à Papa.*
126 *Errare non potest Concilium canonice congregatum.*
127 *Concilium ex quibus requisitis dicitur legitimum.*
128 *Apostolorum Concilium tria prohibuit fornicationem, idolatriam, & homicidium.*
129 *Nicæno primo errores impincti ab hæreticis purgantur.*
130 *Paulianistæ rebaptizantur, quia negabant Trinitatem.*
131 *Sardicense non errauit.* 15.
132 *Sirmiense non errauit.* 16.
133 *Constantinopolitanum primum non errauit.* 6.
134 *Ariminense, & Mediolanense fuerunt Conciliabula.* 22. 160.
135 *In electione minor pars obtinet contra maiorem eligentem indignum.*
136 *In discordia Concilium succumbit, & Papa vincit.*
137 *Papa tenetur requirere consilium Episcoporum cum de fide agitur, intellige ex honestate.*
138 *Consilium requirendum non semper sequendum.*
139 *Orbis maior Vrbe, extensiue, non perfectiue.*
140 *Concilium non habet potestatem eligendi Papam.*
141 *Credendum Concilia approbata esse legitima.*
142 *Concilium sede vacante non habet maiorem potestatem.*
143 *Appellatio quomodo locum habeat in Concilio.*
144 *Verbum Dei maius Concilio.*
145 *Quot genera personarum intersint Conciliis.*
146 *Votum duplex decisiuum, & consultiuum.*
147 *Iudex consilium quærere tenetur, sed non sequi.*
148 *Episcopi, Abbates, & Generales votum habent decisiuum.*
149 *Concilij potestas vocatur ordinaria.*
150 *Archimandrita dicitur Princeps Monachorum.*
151 Considere, & ordinare *sunt actus iudiciales.*
152 *Generales in Concilio suam repræsentant Ecclesiam.*
153 *Abbates, & Generales iure priuilegij intersunt Conciliis.*
154 Senioris *nomen indica Presbyteros, & Episcopos.*
155 *Fides ad omnes pertinet quoad salutem, non quoad decisionem.* 181.
156 *Subditi, & laici semper sunt oues.*
157 *Multitudo in Congregationibus parit confusionem.*
158 *Sententia Concilij cuicumque præferenda est.*
159 *Facilius inuestigatur veritas à pluribus, quam ab vno.*
160 *Ariminense Conciliabulum definiuit contra Consubstantialitatem in diuinis.*
161 Omousion, Omiousion, & Omiusion *quid importent.*
162 *Decreta in Conciliis non sunt consilia proposita, sed acta iudicata.*
163 *Paulus vir circumcidit Timotheum.*
164 *Concilium ex solis Episcopis dicitur perfectum.*
165 *Vt Concilium dicatur Generale quid requiritur?*
166 *Non est necessaria præsentia omnium Patriarcharum.*
167 *Neque Episcoporum ex omni natione.*
168 *Doctores habentes votum consultiuum sunt Theologi, Canonistæ, & Legistæ.*
169 *Eorum officium est disputare, & consulere.*
170 *Doctores dicuntur testes iuris.*
171 *In dubiis qui Doctores aliis præferantur.*
172 *Augustinus in disputando, Hieronymus in historiis, Gregorius in moralibus.*
173 *Laici sunt in Concilio famulantes sine consilio.*
174 *Laici prohibentur disputare de fide.*
175 *Constantinus confessus fuit, se non posse esse iudicem clericorum.*
176 *Ad hoc adducuntur Cæsarem auctoritates.*
177 *Laici tales permanentes semper sunt oues.*
178 *Cæsar fatetur se nullum ius habere in Concilio.*
179 *Causa pecuniaria est ciuilis.*
180 *Monachi nullum votum in Concilio.*
181 *Fides communis causa quoad obligationem, non quoad definitionem* 155.
182 *Turba constat ex hominibus idiotis de plebe.*
183 *Approbandum est ab omnibus, quod omnes tangit immediate, vel mediate.*
184 *Concilium permiscetur bonis & malis.*
185 *Omnis homo dicitur iustus, & sanctus in baptismate, vel ex veritate.*
186 *Episcopi impediti mittunt procuratorem.*
187 *Missio honorifica, de prælatiua, interdum præceptiua per superiorem.*
188 *Schismatici, hæretici, & excommunicati arcentur à Concilio.*
189 *Supradicti carent actibus legitimis.*
190 *Saluus conductus quid?*
191 *Saluus conductus est stricti iuris.*
192 *Saluus conductus datur hæreticis.*
193 *Fides data etiam hostibus seruanda est.*
194 *Combusti hæretici in Constantiensi propter noua delicta.*
195 *Saluus conductus non datur quoad causam, sed quoad personam tantum.*
196 *Lutherani octo conditiones petunt ad Concilia celebranda.*
197 *Iudex non potest ferre sententiam nisi prius de causa instructus.*
198 *Iudex non debet currere ad locum, vbi sunt partes.*
199 *Mediocritas sequenda.*
200 *Veritas vbique reperiri potest.*
201 *Hæreses in vno loco exortæ in alio iudicatæ.*
202 *Delictum ibi iudicandum vbi commissum.* 1. *intra territorium iudicis.*
203 *Priuandus nemo iure suo sine culpa, nisi subsit causa.*
204 *Idem potest esse iudex, & reus in causa communi.*
205 *Quando non habet superiorem supra se, etiam in causa propria.*
206 *Pontifices quidam iudices in causa propria.*
207 *Dubia fidei resoluunt ad normam Scripturæ, & sacrorum Canonum.*
208 *Dubia fidei terminantur suffragiis.*
209 *Nullus liberari potest à iuramento fidelitatis,*

quando Dominus non demeruit.
210 *Papa à sua fidelitate neminem eximere potest.*
211 *Theologi hæreticorum hoc nomine indigni.*
212 *Lites breui sunt terminandæ, ne fiant immortales.*
213 *Concilium ab omnibus est acceptandum.*

1 LAici suas Congregationes vocant Comitia ex omni multorum itione in locum deputatum pro tractandis reipublicæ negotiis; Ecclesiastici vero denominant Græci quidem Synodos, Latini vero Concilia, nomen Synodus parum differt à Comitiis, nam illud importat viam & conuentum, vbi congregantur, hoc vero pariter dicitur via, & itio ad locum, vbi negotia sunt expedienda. Concilium vero à communi Patrum vna Congregatorum annuitione ciliorum vocatur, qua suum consensum forsan initio exprimebant primi Concilia agêtes. In sacra Scriptura non fit mentio Synodi, sed tantum Concilij iustorum, id est, veritatem dicentium, & malignantium, id est, docentium falsam doctrinam, de primo Psalm. 1. 5. *Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in Concil o iustorum.* De secundo Psalm. 21. 17. *Concilium malignantium obsedit me.* Psalm. 25. 5. *Non sedi cum Concilio vanitatis.* Talia sunt Concilia, quæ coadunantur ab hæreticis.

2 Concilia iuxta triplicem gradum Episcoporum alia sunt Generalia, alia Prouincialia, alia Vrbana. Concilia Generalia indicuntur à primo Episcopo, id est, Pontifice Romano pro negotiis, quæ totam rem publicam Christianam recipiunt, vnde & omnes obligant, & de his acturi sumus. Concilia Prouincialia congregantur à Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis seu Metropolitanis cum suis suffraganeis pro rebus spectantibus ad Prouinciam, iuxta limites suæ potestatis, quæ vltra Prouinciam non extenditur, & ideo illorum subditi tantum obligantur, nisi Papa aliter ordinet. Concilia Vrbana, quæ communiter nostris temporibus à Latinis nuncupantur Synodi, Congregantur ab Episcopis cum Canonicis, & clero, in quibus tractantur spectantia ad vniuersam ciuitatem, & Diœcesim. Accedamus ad quæstiones more solito.

Quæres 1. Quo iure Concilia habuerint originem, an à iure diuino, an humano.

3 ℞. A iure diuino Matth. 18. 20. *Vbi enim sunt duo, vel tres Congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Christus auctor Conciliorum dat formam Congregandi Concilia, nempe ex Episcopis, loquebatur enim ad Apostolos, qui erant Episcopi, consequenter ad eorum successores in hoc munere, instruêdo illos, vt Congregarentur simul in nomine eius, ac proinde auctoritate Petri pro tempore eius Vicarij, quibus positis, Christus promisit se futurum in medio eorum, quoad directionem, ne possint errare, igitur Concilia originem trahunt à Christo Domino, de qua re non est dubitandum. Antequam veniam ad definitionem quid sit Concilium præmittam quæstionem de numero Conciliorum Generalium, vt ex doctrina super illis referenda deduci possit, quid sit Concilium cum omnibus suis requisitis.

Quæres 2. Quot sunt Concilia Generalia legitima, & à Papa pro vniuersa Ecclesia approbata?

4 ℞. Bellarminus *lib.* 1. *Concil. cap.* 5. enumerat octodecim, quæ sunt. Primum Nicænum, Secundum Constantinopolitanum primum; tertium Ephesinum primum, quartum Calcedonense. Ista quatuor Gregorius Papa relatus *cap.* 2. *dist.* 15. Ab omnibus mandauit suscipi, & venerari vt quatuor libri Euangeliorum. Quintum est secundum Constantinopolitanum. Sextum tertium Constantinopolitanum. Septimum secundum Nicænum. Octauum quartu m Constantinopolitanum. Hæc octo prælibata, fuerunt a pprobata à sede Apostolica, *cap. Sancta* 8. *dist.* 16. Leo II. *in Epist. ad Constantinum Imperatorem extensa tom.* 3. *Concil. typis Nicolini fol.* 372. Approbauit priora quinque. In sexta Synodo Act. 17. cum ea approbantur priora quinque, vt ibidem videre est fol. 349. Pariter *in Lateranensi consult.* 5. Approbantur priora quatuor, sub fol. 149. Sequuntur quinque alia sub nomine Lateranensium, duo Lugdunensia, Viennense, Florentinum, & demum Tridentinum ad summum decem & octo. De singulis dicendum est aliquid, secundum præsens institutum.

Quæres 3. Quotuplex Concilium Nicænum, & quid in eo agatur?

℞. Duo sunt Nicæna Concilia, primum celebratum fuit ex Episcopis 318. Die 19. Iunij anno 322. aut 325. Præsidentibus in eo nomine Syluestri Pontificis Romani Victore, & Vincentio Cardinalibus Presbyteris, ab eodem confirmatum in Synodo Romana Congregata ad hoc ex 275. Episcopis. Diuersimode numerantur eius Canones, extant modo solum viginti. Fuit autem Congregatum præsertim contra Arrium hæreticum Presbyterum Alexandriæ negantem Filium eandem habere cum Patre substantiam, vnde Patres in Concilio decreuerunt, vt conscriberetur Homousion, id est, consubstantialem Patri. 5

Nicænum secundum fuit celebratum anno 788. sub Hadriano I. ex Episcopis 367. secundum Photium tom. 3. fol. 367. aut ex 350. fol. 453. in eo præsederunt nomine Papæ Petrus Archipresbyter Romanæ Ecclesiæ, & Petrus alter Monachus, gubernato S. Sabæ. Constat ex septem Actionibus extensis à fol. 453. ad 597. ex canonibus vero viginti duobus à fol. 597. ad 603. in quo damnati fuerunt negantes vsum sacrarum imaginum, & venerationem sanctorum in illis. Vocatur à Græcis septima Synodus Generalis.

Quæres 4. Quot sint Concilia Generalia Constantinopolitana & de quibus in illis agatur?

℞. Sunt quatuor celebrata Constantinopoli dicta noua Vrbe Roma, à qua denominantur. 6

Primum celebratum fuit anno 381. sub Damaso Papa ex 150. Episcopis, aliis extra hunc numerum recedentibus triginta sex cum hæreticis Macedonianis negantibus diuinitatem Spiritus sancti; in eo conditi fuerunt septem Canones, cum perfectione fidei Nicænæ de consubstantialitate trium personarum expressa per verbum Omousion. Confirmatum fuit ab eodem, à Gregorio, & Gelasio; apud Gratian. *c.* 2. & 3. 15. *cap.* 8. *distinct.* 16. De quo tomo 1. Concil. fol. 727.

Secundum, quod dicitur quintum Generale celebratum fuit anno 553. sub Vigilio Papa ex Episcopis 165. Constat ex octo confessionibus, seu collationibus, in quorum vltima fides explicatur quatuordecim capitibus extensis tom. 2. fol. 669. contra hæreses Origenis, Dydimi, Euagrij, & aliorum hæreticorum, negantium vnitatem personæ in Verbo, & pluralitatem naturarum in eodem. Confirmatum fuit ab eodem Vigilio, fol. 674. de quo etiam Gratian. cap. Sicut dist. 15. cap. Sancta 8. dist. 16.

Tertium sextum Generale congregatum fuit anno 629. sub Agathone Papa, cui præfuit per tres legatos Theodorum, Georgium Presbyteros, & Ioannem Diaconum Cardinales, vt dicitur Act. 1. tom. 3. fol. 237. Ex Episcopis 289. vt refertur in secunda Nicæna Act. 3. fol. 491. Qui condemnauerunt Sergium, Paulum, Pirrhum, Petrum, Syrum, & Theodorum Episcopos Constantinopolitanos, qui vnicam voluntatem, & operationem ponebant in Verbo Incarnato. Actiones huius Concilij sunt decemocto, de quibus tom. 3. à fol. 237. ad 370. Finitum fuit sub

Leone II.

Leone II. mortuo Agathone, confirmatum ab eodem Leone in sua Epist. transmissa ad Constantinum Imperatorem, extensa tom. 3. fol. 371. vbi folio 372. col. 2. Confirmantur etiam prædicta quinque. Vide Gratian. cap. Sextam 5. cap. Sancta 8. distinct. 16. Hoc Concilium nullos Canones protulit, cap. Habeo 6. cap. Quoniam 7. ead. dist. 16.

Quartum dictum octauum Generale congregatum anno 870. sub Hadriano II. qui Synodo præfecit tres Cardinales, Donatum Episcopum Hostiensem, Stephanum Episcopum Nepesinum, & Marinum Diaconum; & in eo restitutus fuit Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus in suam sedem, à qua per Michaelem Imperatorem fuerat iniquè deiectus, & intrusus Photius ex milite depositus in hoc Concilio. Actiones circa huius depositionem, & illius restitutionem fuerunt decem. Canones vigintiseptem recensentur tom. 4. fol. 1. ab initio, ab eodem confirmatum, de quo cap. Sancta 8. dist. 16.

Quæres 5. Quid contineat Concilium primum Ephesinum dictum tertium Generale?

7 ℞. Hoc celebratum fuit anno 431. sub Cælestino I. ex Episcopis plusquam ducentum, coactum contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum asserentem duas personas in Christo, vnam Deitatis, alteram carnis, ac proinde ex Maria natum fuisse purum hominem, cui nomine Papæ præfuit Cyrillus Alexandrinus. Canones de Reformatione morum edidit octo. Canones vero circa definitionem fidei fuerunt tredecim cum anathemate, apud Caranzam fol. 107. ad 111. Confirmatum fuit ab eodem Pontifice per tres suos legatos Arcadium, Proiectum, & Philippum *tom. 1. fol.* 1014. de cuius confirmatione *cap. Sicut 2. cap. Sancta 3. dist. 15. & cap. Sancta 8. dist. 16.*

Hæc Synodus vocatur prima relatiuè ad secundam reprobatam, in qua auctoritate propria præfuit Dioscorus, qui Flauianum sanctissimum occidit, & Legatos Papæ Leonis spreuit, nec illius literas voluit legi in Concilio; fidem Eutichis definiuit, & ei sacerdotium restituit, contra cuius nefanda dogmata Congregatum fuit sanctum Concilium Calcedonense sequens.

Quæres 6. Quid statuerit Concilium Calcedonense dictum quartum Generale?

8 ℞. Calcedonense congregatum fuit circa annum 450. sub Leone I. in quo eius nomine præsederunt Paschasinus, Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter ex Episcopis 630. in quo fuit condemnata hæresis Eutichetis Abbatis Constantinopolitani negantis, Christum post Incarnationem existere ex duabus naturis, sed solum in eo remansisse naturam diuinam. Canones ediderunt triginta sub Act. 15. Actiones vero fuerunt sexdecim, & in vltima reiectus fuit canon 28. qui Episcopum Constantinopolitanum parem faciebat cum Romano Pontifice. Vnde Leo I. hoc Concilium, quoad hanc partem non confirmauit, sed quoad reliqua tantum, quæ spectant ad fidem, vt videri potest tom. 2. in eius Epist. 57. 58. & 59. ibi: *Me non solum per Fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam in sola videlicet, fidei causa.* Refertur in Bull. Nouo Bulla 2. Vnde Anatolius Constantinopolitanus Episcopus acriter reprehenditur à Leone in Epist. 51. 52. 53. quod voluerit esse par Romano Pontifici. Synodus hæc extenditur tom. 2. fol. 129. Vide Gratian. *cap. Sicut 2. cap. Sancta 3. dist. 15.* vocatur 4 Generale *cap. Sancta 8. dist. 16.*

Quæres 7. Quid contineant sex Concilia Generalia nuncupata Lateranensia cum reliquis?

9 ℞. Primum Lateranense Concilium, seu Romanum celebratum fuit post annum 647. sub Martino I. Tudertino in eo residente, qui cum centum quinque Episcopis damnauit Cyrum Alexandrinum, Sergium Pyrrhum, & Paulum Patriarchas Constantinopolitanos hæreticos, cum aliis, de quibus in vltimo canone. Constat autem Concilium ex septemdecim canonibus fidei, de vnitate, Trinitate Dei, de duplici voluntate, & operatione in Christo cum aliis. Refertur à Caranla in Lugdunensi editione anno 1601. fol. 292.

Lateranense secundum anno 1123. sub Calisto II. ex 900. Episcopis contra Saracenos pro recuperatione Terræ Sanctæ, non reperitur.

Lateranense tertium anno 1139. ex millibus Episcopis sub Innocentio II. pro iure Ecclesiastico, & contra Antipapas, nec hoc reperitur.

Lateranense quartum circa annum 1180. Congregatum ab Alexandro III. ex Episcopis 280. contra Valdenses hæreticos, & pro reformatione cleri.

Lateranense quintum Congregatum fuit anno 1215. sub Innocentio III. ex Patribus 1284. qui sunt nempe duo Patriarchæ Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, septuaginta Metropolitani, Episcopi quatercentum, duodecim Abbates, Priores Conuentuales octocentum, Græci, & Romani imperij legati. Regum Ierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. Constat ex septuaginta capitibus. Vide tom. 4. fol. 210. In eo definiuntur plures articuli, & mores reformantur. Bulla indictionis huius Concilij incip. *Vineam Domini* 11. in Bullario Nouo. Vbi ab Auctore vocatur duodecimum, apud nos erit tertium decimum, adiunximus enim primum Lateranense.

Lateranense sextum indictum fuit à Iulio II. pro die 19. Aprilis dilatum ad diem tertium Maij anno 1512. Bulla 27. incip. *Sacrosancta* Romæ celebrandum, reprobando Conciliabulum coactum à Cardinalibus Carauaial Hispano, & Federico de S. Seuerino contra illius voluntatem, licet enim Papa iurasset celebrare Concilium ad formam Concilij Constantiensis, tamen quia illud deferebat, dicti Cardinales conuocarunt Episcopos Pisas, deinde Mediolanum, ex quo deliberauit congregare illud Romæ. Constat ex duodecim sessionibus, quarum quinque celebratæ fuerunt sub Iulio II defuncto die 25. Februarij 1513. die 11. Martij eligitur Leo X. sub quo reliquæ fuerunt celebratæ, & confirmatum fuit ab eodem per suam Bullam 17. incip. *Constituti* vocatur ibi quintum Lateranense, quod nos nuncupamus sextum, computato illo Martini I. Papæ Tudertini. In alia Bulla 20. eiusdem incip. *Pastor æternus*, multa referuntur huius Concilij.

Lugdunense primum indictum fuit ab Innocentio IV. anno 1245. vt constat ex Bulla 20. eiusdem 10 incip. *Deivirtus*, qua specialiter conuocantur Abbates, & Priores Angliæ, Bulla enim generalis indictionis non reperitur inquit Bullarium nouum. Conuocatum autem fuit contra Federicum Imperatorem depositum, & pro recuperatione Terræ Sanctæ, de quo nonnulla leguntur in sexto decretalium.

Lugdunense secundum indictum fuit anno 1274. à Gregorio X. Bulla eius prima incip. *Saluatur noster* inchoandum Calendis Maij, durauit vsque ad decimum septimum Mensis Iulij ex Patribus quasi mille. Interfuerũt duo Ecclesiæ lumina Sanctus Bonauentura Ordinis Minorum Cardinalis Episcopus Albanensis, & Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum, hic in itinere ad Concilium, ille nondum perfecto in Domino obierunt. Conuocatum fuit contra errores Græcorum, quorum Imperator Michael Palæologus rediit ad vnitatem Ecclesiæ hortatus à Papa in alia Bulla

Bulla incip. *Exultat mater*, ad tollendum Schisma vniendo Græcos ad Ecclesiam Romanam.

11 Viennense Generale indixit Clem. V. anno 1307. per suam Bullam incip. *Regnans in cœlis*. 1. pro anno 1309. ad Calendas Octobris inchoandum contra diuersas hæreses Beguinarum mulierum Alemaniæ, definitum etiam fuit, animam rationalem esse formam essentialem corporis humani, & ordo Militum Templariorum suppressus fuit, ex Bulla 3. eiusdem incip. *Ad prouidam*. Caranza fol. 317. Vide Clementinas ex eodem Concilio decerptas.

12 Florentinum Generale à Græcis vocatum octauum congregatum anno 1438. ab Eugenio IV. præsente primum Ferrariæ cum Ioanne Palæologo Imperatore Græcorum. Constat autem ex viginti quinque sessionibus, quarum sexdecim Ferrariæ fuerunt celebratæ prima quidem à die 8. Octobris 1438. vsque ad diem 16. eiusdem mensis inclusiuè, reliquæ à die 27. Februarij 1439. editæ fuerunt Florentiæ, quo translatum fuit Concilium propter periculum pestis Ferrariæ; finitum fuit sexta die Iulij subscriptum tantum per centum quadraginta duos Patres, cum Imperatore; alij recesserunt ante subscriptionem Vnionis Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali. Fuit autem principaliter congregatum pro stabilienda fide de processione Spiritus sancti à Filio, quod negabant multi ex Græcis, qui adhæserunt Ecclesiæ Romanæ, præter Ephesinum, qui obstinatus noluit credere, quod fides Catholica docet. Actum fuit de primatu Petri, de igne Purgatorij, & de numero, materia, forma, & ministro Sacramentorum.

13 Tridentinum Generale vltimum à Paulo III. indictum anno 1542. cæptum fuit à die 13. Decembris 1545. finitum die quarto Decembris 1563. sub tribus Pontificibus Paulo prælibato III. Iulio III. & Pio IV. in eo Papa præcedit per tres Cardinales Legatos. Constat ex vigintiquinque. Sessionibus diuisis in capita, & canones. Ex Patribus 285. approbatum per eundem Pium IV. anno 1564. die 26. Ianuarij, Bulla 73. incip. *Benedictus Deus*.

14 Supradicta Concilia secundum Bellarminum sunt solum decem octo Generalia, à me numerata decemnouem additione primi Lateranensis sub Martino primo, continet enim explicationem fidei, ex quo potissimum colligitur generalitas Conciliorum. Omnia sunt approbata à Sede Apostolica sine vlla exceptione, excepto Calcedonensi, in quo approbantur solum ea, quæ sunt fidei, vt ibi dictum fuit. Græci numerant tantum octo, Nicænum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, Calcedonense, Constantinopolitanum secundum, & tertium, Nicænum secundum, & Florentinum, quod vocant octauum. Latini vero omnia amplectuntur. Diuiduntur in Concilia Orientalia, & Occidentalia; Priora octo vocantur Orientalia, reliqua incipiendo à Lateranensibus nuncupantur Occidentalia, & à latinis celebrata.

Quæres 8. An Concilium Sardicense fuerit legitimum, & quid contineat?

15 ℟. Fuit congregatum sub Iulio I. anno 351. ex 300. Episcopis Catholicis Occidentalibus, in eo actũ fuit de restitutione Athanasij in suam sedem, à qua expulsus fuerat ab Arrianis Episcopis, Orientalibus, qui numero 76. nolentes acquiescere recesserunt; ex Catholicis subscripserũt omnes. Canones huius Concilij sunt viginti tom. 1. Concil. fol. 653. Ignoratur quis in eo resederit nomine Pontificis, præsumitur Osius, quia primo locutus fuit in eo. De eo mentionem facit Nicolaus I. relatus tom. 3. Concil. fol. 960. & 961. Gratian. cap. Quod dicitis 14. distinct. 16. ibi: *Sardicense Concilium, quod pœnas vos in vestris regionibus actum est, & omnis Ecclesia recipit*. Bellarmin. *lib. 1. de Concil. cap. 7.* dicit hoc Concilium fuisse partim confirmatum, & partim reprobatum, nempe quoad eam partem, in qua Catholica fides approbatur, de qua Hilarius in libro de Synodis: reprobatum vero quoad eam, in qua Episcopi 76. Arriani fidem Arrianam secuti fuerunt. Sed non est, cur dicamus esse partim approbatum, & partim reprobatum, quia sectatores Arrianæ hæresis cum à Concilio recesserint, nihil in eo per ipsos actum est, vt ex eorum parte esset reprobandum, continet autem sanam doctrinam. Idem Bellarmin. *lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 25. §. Tertio*, dicit, hoc Concilium esse quasi idem cum Nicæno, & ideo non facere numerum inter Generalia. Sed cum iidem non sint Canones, neque Patres fuerint eiusdem identitatis, & personæ; neque tempus, neque sub eodem Pontifice ambo fuerint celebrata, nescio qua ratione possint esse idem. Restat igitur solum quod non numeretur inter Generalia, & quia non constat de præsidentibus in eo, & quia confirmatio eiusdem non apparet autentica.

Quæres 9. Quid dicendum sit de Concilio Sirmiensi?

℟. Illud fuisse congregatum sub Liberio electo anno 352. defuncto anno 367. Continet autem vigintiquinque canones de consubstantialitate, & æternitate personarum, & explicatur illud Genes. 19. 24. *Dominus pluuit à Domino*, id est, Filius generatur à Patre, ambo enim sunt Dominus. Bellarminus *lib. 1. de Concil. cap. 7.* dicit hoc Concilium quoad hoc esse approbatum, quoad aliam vero formulam hæreses continentem fuisse reprobatum. Sed video Concilium hoc in illis capitibus continere sanam doctrinam, neque enim interuentus hæreticorum in Conciliis efficit, ne sint legitima, cum ex illis non componatur, sed ex Catholicis. Dici potest, illud non esse approbatum, neque reprobatum, quia neutrum constat. Refertur à Caranza fol. 63. 16 17

Quæres 10. An Concilium Trullanum, seu Canones adiuncti sextæ Synodo Generali, id est, Constantinopolitano tertio Concilio, sit legitimum, & inter Generalia connumeratum? Vocatur à loco, in quo celebratum fuit, quod erat Trullo Palatium imperiale Constantinopoli.

℟. Non esse legitimum, nec receptum ab Ecclesia, quia sine auctoritate sedis Apostolicæ congregatum fuit, & continet aliquos Canones, qui pugnant contra primatum Romanæ Ecclesiæ, & quasdam obseruantias. 18

Fuit autem celebratum ex 227. Patribus constans ex centum duobus Canonibus, non eodem tempore, quo dicta Synodus sexta, quæ coacta fuit anno 681. sed annis quatuor, aut quinque post, vt dicitur in septima Synodo, id est, secunda Nicæna Act. 6. tom. 3. fol. 548. Alij apud Turrianum lib. 1. de 6. 7. & 8. Synodis dicunt, fuisse congregatum viginti septem annis post finem sextæ Synodi, referente Gratiano ad cap. Habeo librum 6. dist. 16. §. Habeo librum. Quod hoc Concilium non fuerit receptum testantur Nicolaus I. ad Michaëlem Imperatorem his verbis: *Quod tamen apud nos non inuenitur, sed apud vos haberi perhibetur*. tom. 3. fol. 910. Bellarm. *lib. 2. de Romano Pontif. cap. 18. §. Argumentum*, citat Doctores idem asserentes, Baronium ad annum 692. Neque ex eo, quod plerique eius canones inseruntur in Conciliis legitimis, aut citantur à summis Pontificibus, sequitur illud esse approbatum, quia censentur noui Canones, & citatione nihil approbatur, sed accipitur tantum doctrina ratione sui, non vt certa legis regula.

Quæres 11. De Conciliis Pisanis quid dicendum? 19

℟. Duo sunt Concilia Pisis acta. Primum Congregatum fuit anno 1409. ad tollendum Schisma inter Gregorium XII. successorem Vrbani VI. &

Benedictum XIII. successorem Clementis VII. in quo ambo vocati nolentes accedere, depositi fuerunt die quinta Iunij 1409. & die 15. electus fuit Alexander V. cui Bononiæ defuncto successit Ioannes XXIII. die 17. Maij 1410. Vterque Concilium Pisanum dignis de causis transtulerunt Constantiam, vt constat ex Bulla I. eiusdem Ioannis incip. *Ad pacem.* Et in tom. 4. fol. 250. Sanctus Antonius *part. 3. Histor. tit. 22. cap. 5. §. 2. & 3.* hoc vocat Conciliabulum, quod euentus ostendit, quia fuit congregatum ad tollendum schisma, quod non præstitit, sed auxit. Connumeratur inter reprobata, vel saltem neutrum est.

Secundum Pisanum ab Imperatore Rege Gallorum, & aliquot Cardinalibus Papiæ indictum, Pisis cœptum fuit celebrari anno 1511. Contra Iulium II. eo quod differebat indicere Concilium, quod iurauerat publicare biennio à sua electione Idem ergo Pontifex in sua Bulla 27. incip. *Sacrosancta*, nullam declarat huiusmodi indictionem, eo quod solum ad sedem Apostolicam spectat indicere Concilia, & tractare causam sui ipsius, quantum ad personam, & dilationem Concilij; & denuo illud idem in alia 31. incip. *Cum inchoatum*, reprobat, & condemnat ad quemcumque locum fuerit translatum, omnia eius acta irritando.

Quæres 12. An aliqua sint Concilia tamquam hæretica, aut tamquam Conciliabula, & schismatica à sede Apostolica reprobata?

20 ℟. Sunt nouem, Antiochenum tertium, Mediolanense, Ariminense, Ephesinum secundum, Constantinopolitana duo sub Leone Isauro. Vtrumque Pisanum, de quibus mox dictum fuit, & Basiliense, de quo infra.

Antiochenum tertium fuit ab hæreticis congregatum anno 345. tempore Iulij I. in quo damnatus fuit Athanasius, & aperta via ad destructionem primi Nicæni de consubstantialitate Verbi in diuinis. Alia Antiochena continent sanam doctrinam, de quibus tom. 1. fol. 418 & 640.

Mediolanense coactum anno 354. ex Episcopis Occidentalibus plus quam 300. in quo volebant destruere consubstantialitatem Filij cum Patre, reprobatum à Liberio anno 355. tom. 1. fol. 675.

21 Ariminense coactum fuit anno 363. vbi prætendebant adulterare consubstantialitatem Filij ex Symbolo Nicæno, intermediando vocalem i. loco medij ô sic Omiusion, auferendo literam ô contra Nicænum, quod legit Omousion, nam eorum dictio Omiusion significat Filium similem, non eundem in natura, & substantia. Synodus hæc vocatur à Sanctis Athanasio & Ambrosio Catholica à numero Patrum maiore, nam ex 800. Arriani erant tantum quinquaginta, vt habet Vecchiazanus *in Histor. Foripompilij part. 1. lib 4. fol.* 48. Damnatum fuit à Liberio, ex tom. 1. fol. 675. & in 4. Constantinopolitano Act. 1. tom 4. fol. 3.

22 Supradictorum Conciliorum Antiocheni, Mediolanensis, & Ariminensis fautores Arriani vocantur Anomousion, id est, negantes personas diuinas esse eiusdem substantiæ, è contra Catholici nuncupantur Omousiani defensores consubstantialitatis trium personarum. Vide tomum primum fol. 670. vbi illæ dictiones explicantur.

Ephesinum secundum anno 449. confirmauit hæresim Eutichianam, asserentem post Incarnationem remansisse in Christo solum naturam diuinam, contra quem errorem definitum fuit in Calcedonensi; in hoc Ephesino occisus fuit S. Flauianus, & fugati sedis Apostolicæ legati. Damnatum fuit à Leone I. in suis Epist. à 21. ad 30. tom. 2. fol. 42.

Constantinopolitana fuerunt duo, vnum sub anno 730. alterum sub anno 755. contra Imagines, reprobata in secundo Nicæno sub Act. 6.

Quæres 13. De Concilio Constantiensi de Pisis translato Constantiam.

℟. Hoc Concilium indixit Ioannes XXIII. die nona Decembris 1413. pro prima die Nouembris anni sequentis 1414. qui fuit ingressus Constantiam die 28. Octobris eiusdem anni 1414. Primam Sessionem, in qua fecit legere Bullam indictionis habuit die 16. Nouembris 1414. in secunda sessione habita anno 1415. die secunda Martij, promisit renuntiare Papatui, si quando Petrus de Luna dictus Benedictus XIII. & Angelus Corarius Gregorius XII. Papatui, quem prætendunt, simpliciter cedant. Promissio quidem fuit Ioannis, sed conditionata, non reuera renuntiatio. Ioannes postea timens præsentiam Imperatoris, & aliorum Magnatum, vt legitur in Actis sess. 4. aufugit, vnde in sexta, & septima agitur de modo citandi Ioannem, in aliis processatur, citatur, & tandem in duodecima condemnatur, & priuatur Papatu. In decima quarta Gregorius renuntiat Papatui per Carolum Malatestam. In sessionibus 23. ad 38. agitur contra Benedictum, & deponitur. In sessione 41. eligitur in Papam Odo Columna nuncupatus Martinus V. eo quod electus fuit die vndecima Nouembris festo S. Martini, qui in reliquis sessionibus 42. 43. 44. & 45. vltima præcedit finita die 22. Aprilis 1418. Hæc est summa totius Concilij; circa quod nonnulla mihi videntur notanda. 23

Primò, Papam Ioannem illud indixisse ad tollendum Schisma, & ad condemnandos errores Ioannis Vigleph, vt habetur ex prima sessione, in qua ipse fuit præsidens, & in secunda, in qua conditionate promisit renuntiare sequentibus vsque ad 42. nullus Papa præfuit, nec aliquis eius nomine, sed in omnibus intermediis à tertia vsque ad 41. inclusis, præsedit in tertia Cardinalis Cameracensis nomine Petrus, in quinta Iordanus Cardinalis Vrsinus, in reliquis vsque ad 41. Ioannes Cardinalis Ostiensis Vicecancellarius, in 42. & reliquis indubitatus Papa de nouo electus Martinus V.

Quo iure, quo nomine illi duo Cardinales Iordanus, & Ioannes præsederint, non constat, non à Papa Ioanne, qui à Concilio fugerat, neque quemquam delegauerat in suum locum; non proprio nomine, quia nullus eorum erat Papa; non aliorum duorum Pontificum auctoritate, quia non constat, neque enim Concilium conuocauerant. Restat ergo quod Ioannes Cardinalis præsederit nomine Cardinalium, vt dicitur in sess. 15. vel tamquam antiquior Cardinalis, vt dicitur in sessione 16. Dic tu melius præsedisse nomine totius Concilij.

Secundò, Martinus V. qui præfuit sessionibus 42. 43. 44. & 45. Concilium hoc non confirmauit, sed tantum in vltima sessione leguntur hæc verba: *Omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & inuiolabiliter obseruare volebat, ipsaque sic conciliariter facta, approbat, ac ratificat, & non aliter, nec alio modo.* Id autem petitum non fuit à Concilio, sed per Ambasciatores Regis Poloniæ, & Ducis Lituaniæ, qui petierunt condemnari quendam libellum continentem errores, & hæreses Fratris Ioannis Falscemberg, antequam solueretur Concilium, quod & factum fuit. Quare non constat de confirmatione Generali, & directa omnium actorum Concilij. Papa autem Martinus confirmauit solum ea, quæ ad fidem spectant conformando se intentioni, & fini, propter quem Ioannes illud indixerat, nempe circa ea, quæ fidem concernunt, hortando omnes, vt in Concilio tractanda referantur ad ipsum Pontificem Romanum. Confirmatio autem actorum contra Ioannem Vigleph de Anglia, 24

Anglia, & Ioannem Hus de Boëmia, & Hieronymum de Praya continetur in Bulla I. incip. *Inter cunctas* cum clausula *Sacro approbante Concilio.*

25 Tertiò notandum est, Concilium hoc nonnulla decreta fecisse, quæ vocat Articulos, Dispositiones, & Definitiones partim sub sessione 4. & partim sub Sessione trigesimanona, eo tempore, quo Ioannes fugerat. Reducuntur ad hæc. *Primò*, quod Concilium Generale habet potestatem immediate à Deo. *Secundò*, quod Papa tenetur Concilio obedire. *Tertiò*, quod Concilium Generale habet potestatem coactiuam super Papam. Quæ replicantur in quinta Sessione. In trigesimanona decernuntur sequentia. *Quartò*, quod Generale Concilium conuocetur post quinquennium a dissolutione huius, secundum vero in septennium, deinceps de decennio in decennium, ita quod à Papa prorogari non possit. Vnde Papa Martinus volens hoc decretum exequi in sess. 44. deputauit Papiam pro loco primi Concilij celebrandi. *Quintò*, ad tollenda Schismata, si ante præfatum Concilium essent plures Pontifices, debeat congregari breuiori tempore ab eo, qui se gerit Papam. *Sextò*, Quilibet Papa antequam eius electio publicetur, debet facere professionem fidei. *Septimò*, Episcopi inuiti non remoueantur à Papa absque magna causa, & de consilio, & subscriptione maioris partis Cardinaliũ. Hæc sunt præcipuè, quæ vt patet ligant manus Papæ, quas illi Deus liberas, & solutas dedit. De singulis infra dicã.

26 Quartò, Bellarmin. lib. 1. Concil. cap. 7. ait Concilium quoad ea, quæ sunt supra Papam, esse reprobatum in Conciliis Florentino, & vltimo Lateranensi, in cæteris, quæ spectant ad fidem, & in postremis sess. 42. 43. 44. & 45. quibus Martinus Papa V. præfuit personaliter, suis se receptum. Reprobatio deducitur ex sess. vltima dicti Concilij Florentini tom. 4. fol. 891. vbi definitur. *Romanum Pontificem primatum in vniuersum orbem tenere beatique Petri Principis Apostolorum Successorem, ac verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem esse. Ipsique ad pascendum, regendum, & gubernandum vniuersam Ecclesiam plenam à Domino nostro Iesu Christo potestatem fuisse traditam.* Ex quibus verbis constat Papam esse supra Concilium, ibi: *Primatum in vniuersum*, ergo & supra Concilium, quod ex vniuerso orbe Episcopi congregati componunt. Idem patet ex aliis verbis: *Totius Ecclesiæ caput*, ergo & Concilij, quod repræsentat totam Ecclesiam. Item ex illis: *Omnium Christianorum Patrem & Doctorem*, ergo & Concilij, quod ex solis Christianis, & præcipuis congregatur repræsentans omnes Christianos. Demum ex illis: *Ad regendam vniuersam Ecclesiam habet plenam potestatem.* Ergo & supra Concilium, quod nihil est præter vniuersam Ecclesiam in eo repræsentatam, super quam Ecclesiam non haberet plenam potestatem, si hanc non haberet etiã supra Concilium. Ex hac definitione sequitur reprobatio Concilij Constantiensis, si intendit Conciliũ esse supra indubitatum Pontificem. Et reuera dicta definitio tam ampla, & exquisitis circumlocutionibus facta fuit in Florentino, quod fuit primum legitimum post Constantiense, ad eum finem, vt euacuaretur potestas Concilij supra Papam, nam ante in multis Conciliis primatum Pontificis Romani supra vniuersam Ecclesiam determinatum fuerat; vt asserui præcedenti cap. q. 7. ergo merito idem confirmatum fuit in Florentino, ne videretur Primatus Petri perturbatus in Concilio Constantiensi.

27 Caietanus cap. 8. de Auctor. Papæ & Concil. dicit, Concilium Cõstãtiense non fuisse authenticum, neque Generale repræsentans vniuersam Ecclesiam, nisi post vnionem illarum trium obedientiarum trium Pontificum, ac proinde mirum non fuisse, si errauit determinando illos articulos de potestate Concilij supra Papam.

Non placet hoc, nam obedientiarum vnio non legitimat Concilium nec illud facit Generale, sed Congregatio Patrum ad tollendum Schisma per cessionem, aut depositionem assertorum Pontificum, qui se non actiuè, sed passiuè se habere debebant in Concilio, quod contra illos fuerat congregatum. Deinde aliud est vnio subditorum sub illis diuersis obedientiis disgregatorum, aliud vnio Patrum in Concilium ad extirpandum Schisma, vnio subditorum non erat necessaria, sed Patrum tantum ad tollendum Schisma, ad cuius remotionem deinde sequitur vnio subditorum sub vno capite. Præterea ad Generalitatem Concilij sufficit indictio ad omnes Patres pro causa totius religionis Christianæ, quod factum fuit per Bullam indictionis promulgatum à Ioanne XXIII.

Concludo ergo Concilium Constantiense fuisse legitimum quoad omnia, etiam quoad articulos supra Papam, nempe tempore Schismatis, cum scilicet nullus agnoscitur verus Papa, sed omnes dubij sunt, in hoc casu Concilium est supra Papam in ordine præcisè ad tollendum Schisma; debet enim dari tale remedium, quo efficaciter plures Compapistæ de medio tollantur, ad quod præstandum videtur efficax mediũ, & vnicum Concilium Generale, quod super omnes Papatus prætensores potestatem habeat, vt eos cogere possit ad renuntiandum, vel ad deponendum volentes resistere. In hoc enim casu Concilium non dicitur se extollere supra Papam verum, quia non extat, sed extirpare Schisma, vt verus Papa deinde eligi possit. Et in hoc sensu Pius II. in sua Bulla 10. incip. *In minoribus*, dicit se venerari Concilium Constantiense, ergo ab aliquo non fuit reprobatum, sed receptum; vnde Iulius II. in sua Bulla 27. *Sacrosancta*, asserit, se velle indicere Concilium iuxta Constantiense, consequenter, ab eodem fuit receptum saltem quoad speciale indicendi Concilium de decennio in decennium, quod per hoc non dicitur esse supra Papam, quia non cogitur, sed ex vi directiua intendit in eo ordinata obseruare. 28

Quæres 14. De Concilio Basiliensi?

℞. Concilium ante hoc peractum fuit Senis, in quo deputatum fuit pro loco futuri ciuitas Basiliensis, vnde à Martino V. indictum fuit celebrandum Basileæ pro anno 1431. vt constat ex eius Bulla 14. incip. *Dum onus*, extensa etiam tom. 4. fol. 419. Actis duabus sessionibus, quæ continebant potestatem Cõcilij supra Papam ad formam Concilij Constantiensis, interim Eugenius Papa Martini successor Concilium Basiliæ dissoluit, & cõuocat Ferrariam per suam Bullam II. incip. *Magnas* vt colligitur ex sess. 3. & ex Bullis: *Quoniam ex multorum* tom. 4. fol. 721. Item incip. *Postquam diuina* fol. 723. Item incip. *Quoniam* fol. 725. Nihilominus Patres nonnulli ibidem voluerunt prosequi negotia sua, & sibi Papam elegerunt Amadeum Sabaudiæ Ducem, quem nominauerunt Felicem V. contra Eugenium verum Papam indubitatum, cui tandem Amadeus obedientiam præstitit agnoscendo errorem, & pertinaciam Conciliabuli Basiliensis. 29

Concilium hoc tamquam Schismaticum reprobauit Concilium Lateranense vltimum sess. 11. vt videre est tomo 5. Concil. fol. 176. vbi vocatur Schismaticum, seditiosum, & nullius auctoritatis; Bulla 20. incip. *Pastor æternus.* Leonis X. §. 6. in eo autem vix remansit vnus Eugenij hostis Cardinalis Arelatensis, & pauci prælati cum eo, vt testatur in Bulla 10. incip. *In minoribus.* Pius II. qui ibi erat Concilij cæremoniarius, vocatus Æneas Syluius Picolomineus, qui & ipse fauebat conciliabulo, reprobans in ea Bulla quicquid dixerat fauore illius.

Nec

Nec Nicolaus V. confirmando quædam in eo Conciliabulo concordata pro bono pacis, nempe quosdam electionis, cætera eiusdem Concilij approbauit, vt bene dixit Coccinus in vna Treuerensi 24. Ianuarij 1625. extensa à Tambur. tom. 3. decil. 23. à num. 32. Expeditis vtcumque actis singulorum Conciliorum quoad ea, quæ potius sunt facti, quam iuris, modo procedendum est ad quæstiones iuris, & primo loco definiendum est quid sit Generale Concilium. Quare.

Quæres 15. Quid sit Concilium Generale?

℟. Concilium Generale est Congregatio Episcoporum, & aliorum indicta, Congregata, continuata, & approbata in suis actibus à Romano Pontifice, in ea præsidente personaliter, vel per suos legatos ad tractandum Canonice, & capitulariter de rebus vniuersam Religionem Christianam tangentibus. Singulæ particulæ sunt explicandæ, in quibus proponentur difficultates infra soluendæ in propriis quæstionibus.

Dixi primò Concilium esse Congregationem, quia cum in Conciliis agatur de fide, & reformatione morum, quæ omnes fideles tangunt, necesse est, vt plures simul congregentur repræsentantes in hoc omnes fideles, ideo Concilium rectè dicitur Congregatio; & licet Congregatio componatur ex duobus, vel tribus, iuxta illud Matth. 18. 20. *Vbi duo sunt, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* A quo desumpsit cap. 1. de elect. non tamen sufficiunt in Conciliis Generalibus, imò neque in Prouincialibus, aut Synodalibus, sed plures requiruntur, quia *Salus vbi multa consilia sunt* Prouerb. 11. 14. facilius enim inuenitur quod à pluribus senioribus quæritur, cap. fin. dist. 20. & ea sententia firmior est, quæ à pluribus confirmatur. Debent ergo congregari Patres ex omnibus nationibus.

Dixi 2. Quod Concilium congregatur ex Episcopis, hi enim primum inter alios ius habent loquendi in Concilio, cum cæteris praemineant, de quibus fit mentio in Concilio Apostolorum sub nomine Seniorum Act. 15. 6. *Conuenerant Apostoli, & Seniores*, id est, Episcopi, qui ex eminentia suæ dignitatis vocantur Seniores. Vnde Concilia Generalia vocantur Concilia Episcoporum, ex quibus componuntur, cap. 1. & 2. dist. 22. sunt enim, aut saltem deberent esse doctiores, & prudentiores aliis Ecclesiæ Ministris, ideo ab Apostolo Doctores, & columnæ Ecclesiæ vocantur, cap. Constituimus 9. 1. q. 5.

Dixi 3. Quod Concilium non solum ex Episcoois, sed etiam ex aliis componitur, nimirum ex Prælatis, Cardinalibus, Abbatibus, Generalibus, Ordinum, prioribus, & aliis graduatis.

Dixi 4. Quod Concilium indicitur, & conuocatur à Papa, hoc enim illius est proprium munus ratione Papatus, vt dixi cap. 3. q. 40. & infrà latius quæst. 22.

Dixi 5. Concilium continuandum esse à Papa, nam si ab eo dissoluatur in vno loco, & transferatur alio, acta deinceps in primo loco nullius sunt momenti, quia perenniter actu dependet à voluntate, & potestate Petri, de qua re infra quæstione 23. & 25.

Dixi 6. Quod Concilium à Papa est confirmandum, sicut enim celebratur dependenter ab eo, ita per eius confirmationem incipit habere vires, sicut per reprobationem pro nihilo reputatur, de qua re infra latius sub q. 26.

Dixi 7. In eo præsidere Papam per se, vel per suos legatos specialiter ad hoc missos, hoc est necessarium, ne Concilium dicatur acephalum, & sine capite, in singulis enim aliis Congregationibus aliquis semper præsidet vt caput, cui obediunt membra Collegij, vt omnia ordinate peragantur.

Dixi 8. Patres Congregari ad tractandum Canonice, & capitulariter, hoc enim est de ratione Congregationis, vt negotia coram omnibus simul Congregatis tractentur, & firmentur saltem à maiori parte capituli. Id autem dicitur fieri Canonice, & capitulariter, quod fit coram omnibus de Capitulo 31
legitimè Congregato, Innoc. in cap. In litteris, cap. Ex parte, de restit. spoliat. Abbas in cap. 1. de elect. n. 12. vnde vt aliquid dicatur Canonice, & legitimè factum, præter capitularem congressum, debet approbari à maiori parte eiusdem Capituli simul Congregati in loco designato, Panorm. in cap. Cum omnes, de constitut. n. 7. Abbas, & Innoc. in cap. In Genesi, de elect. Quare Capitulum non dicitur conclusisse, quando negotium à singulis priuatim, & non simul vnitis, sed ad partem fuit tractatum, ex quo bene inferunt Fulgos. consil. 219. Decius consil. 437. n. 2. Craueta consil. 643. num. 5. & ex illis Mar. Antoninus lib. 1. resol. 12. num. 7. quod ex scientia singulorum priuata non infertur scientia Capituli. Colligitur ergo ex his, vt acta Concilij dicantur, & sint legitima, quod debent communiter tractari ab omnibus simul vnitis in eodem loco deputato accedente saltem communi consensu maioris partis Patrum Concilij, aliter dici Concilium non potest, sed conuenticula personarum priuatarum.

Dixi 9. Concilia indici pro negotiis fidei, & morum pro vniuersa Catholica Ecclesia, vt enim vidimus in præcedentibus, Concilia congregabantur potissimum ad definiendas controuersias circa fidem exortas, & reformandos mores fidelium; ad tollenda schismata, ad restituendos Episcopos iniustè expulsos à suis sedibus, ad resistendum communi hosti totius Ecclesiæ, qua ratione diximus sub q. 7. Congregata fuisse Concilia Lateranensia contra Turcas pro recuperatione Terræ Sanctæ. Hi igitur fines mouent summum Pontificem ad indicendum Concilia. Alia motiua refert Bellarmin. libro 1. de Concil. cap. 9. 32

Quæres 16. An Concilia sint simpliciter necessaria ad consequendos fines, de quibus mox dictum fuit?

℟. Non sunt necessaria, sed valde vtilia. Probatur, 33
quia alio medio tolli possunt errores exurgentes, nam Papa adhibito sapientum Theologorum consilio determinare potest controuersias circa fidem exortas, condemnando hæreses, & earum sectatores, vt sæpius dictum fuit extra Concilia. Reformatio morum pariter fieri potest per Bullas Pontificias, per literas pastorales transmissas Metropolitanis, & suffraganeis. Multa schismata sublata fuerunt extra Concilia. Hostes Christiani nominis debellari possunt collectione militum sine Conciliis. Quare Patres asserentes Concilia esse necessaria in Ecclesia Dei, intelligendi sunt de necessitate vtilitatis, non ineuitabilitatis, verum quidem est, quod per ipsa facilius, licet dispendiose, magis prouidetur negotiis vrgentibus Ecclesiam, quam aliis modis minus generalibus.

Quæres 17. An Papa sit non solum supra vniuer- 34
sam Ecclesiam disgregatim acceptam, sed etiam vnitam in Concilio? quod idem est quærere, an Papa sit supra Concilium, quod vocatur Ecclesia vnita, siue Congregata, quod intelligitur siue sit præsens per se, siue per suos legatos. Quæstio hæc (secundum Paulum Fabulottum Romanum ex religione SS. Barnabæ, & Ambrosij suppressæ in suo libello de potestate Papæ supra Concilium,) habuit originem in Conciliabulo Pisano ex Diuo Antonino *part. 3. Histor. titul. 22. cap. 5. §. 2.* Patres ibi

Congregati considerantes nullum posse inueniri remedium efficacius, quam asserere Concilium habere potestatem in tali casu deponendi Pontifices dubios, qui tunc plures erant, executi sunt assertum Compapas tunc regnantes deponendo. Quæ sententia postmodum in Concilio Constantiensi firmata fuit, & in Basileensi corroborata, hæc Eugenius IV. considerans futura esse præiudicialia toti Ecclesiæ, & derogatura dignitati Pontificiæ illud Concilium dissoluit, vt hoc modo ea sententia reformaretur. Vide B. Ioannem Capistranum, de Auctor. Papæ Concil q. 3. vbi fuse quæstionem tractat.

35 ℞. Papa non solum est supra Ecclesiam singulariter spectatam, sed etiam supra Concilium, quod dicitur Ecclesia Congregata.

Primum fusius probaui cap. 5. quæst. 7. ideo illuc lectorem remitto, ne frustra hic repetam, quod ibi dixi.

Secundum de potestate Papæ supra Concilium probatur primo auctoritate Sacræ Scripturæ Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Inter partes ædificij præcipua est fundamentum, sicut enim sine fundamento ædificari non potest, cap. Veniens 3. de præsbit. non baptiz. ita sine fundamento Petri Ecclesia construi, nec conseruari potest, ergo Papa expressus, & significatus nomine Petri, & Petræ vti fundamentum est maior tota Ecclesia, ac proinde Concilio, quod præter, & vltra Ecclesiam nihil est, cum ex membris Ecclesiæ Concilium componatur. Confirmatur id, quia sicut fundamentum materiale agere potest in fabricam sui destructione, & non è contra, vt experientia docet detracta fabrica ex parte superiore, adhuc remanere fundamentum, ita pari ratione fundamentum Ecclesiæ, quod est Petrus potest agere in Ecclesiam siue disgregatam siue congregatam, eam dissoluendo.

Secundò ex illis verbis: *Pasce oues meas.* Quæ de omnibus Pontificibus Romanis intelliguntur dicta, ex probatis cap. 5. quæst. 28. Pastor educit, & reducit oues, pascit easdem, & mactat, quando opus est, cum sit earum Dominus, ergo & Papa, qui Pastori materiali comparatur à Christo, educit, & reducit, atque pascit, & mactat oues, cum opus est, consequenter illarum Dominus est, & caput; sicut autem Pastor est Dominus, & rector ouium siue sint intra caulam, siue extra, vbicumque enim existant, illarum dominium non perdit, ergo similiter Papa est Dominus, & rector omnium fidelium, vbicumque sunt, siue disgregatim habitent, siue in Congregatione, & Concilio, cum ex vnione suam subiectionem non exemerint à Pastoris obedientia, cum illis semper præeat, & præsideat.

Tertiò probatur auctoritate plurium Conciliorum, *Primò* quidem, quia in Concilio, de quo Actor. 15. omnes dependebant à Petro tamquam capite Concilij, vt probaui cap. 3. quæst. 39. *Secundò*, ex Concilio Suessano, quodcumque illud fuerit, nam in eo nullus ausus fuit condemnare Marcellinum ea ratione, quia prima sedes à nemine iudicatur, neque etiam à Concilio, ergo Papa est supra Concilium, de Marcellino plura dixi cap. 5. num. 160. & 191. *Tertiò*, ex Synodo Romana sub sancto Syluestro relato tom. 1. Concil. fol. 600. his verbis: *Nemo iudicabit primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Nota illa verba, *Ab omni clero*, quæ indicant Concilium, quod ex Episcopis, & aliis Prælatis congregatur, qui omnes sunt clerici, & de clero, ergo cum à clero Papa iudicari non possit, sequitur illum tanquam supremum iudicem esse supra omne Concilium. Sedes arguit potestatem, & dominium super quos sedens sedet, Concilium autem non dici-
tur sedere hoc modo, quia idem supra se sederet, 36
sed in eo sedet, & præsidet Papa per se, vel per
suos legatos, quod signum est, per hanc præsidentiam Pontificem esse supra Concilium. Quod autem
Concilium sedem non habeat, ratio est manifesta, 37
quia sedes est vnius singularis Prælati, & superioris
habentis post suam mortem successorem in eadem
sede, ex quo sedes dicitur nunquam mori cap. si gra- 38
tiosè 5. de rescript. Concilium autem non est aliqua
singularis persona, sed plurium congregata faciens
vnum corpus morale suum habens caput singularem
personam, quæ propriè est Papa, nec Concilium di-
citur habere successorem quia perpetuo non durat, 39
sed ex causa vrgentissima à solo Papa congregatur,
vnde nec successorem habet, consequenter non potest habere rationem sedis in seipso, sed tantum illius caput sedes est præsidens omnibus. *Quartò* Anacletus Papa in sua tertia Epistola idem aperte asserit his verbis: *Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est.* Romana Ecclesia, id est, Pontifex Romanus habet primatum, & eminentiam potestatis *super vniuersas Ecclesias*, hoc est, spectatas singulariter, quatenus vnaquæque habet proprium Pastorem, & Episcopum cum suis ouibus. Sequentia verba: *Totum Christiani populi gregem assecuta est.* Referuntur ad Concilium, quod nomine gregis venit, nam sicut grex dicit multitudinem ouium simul vnitarum sub cura pastoris, ita Concilium componitur ex multitudine Episcoporum, & aliorum Congregatorum sub regimine vnius Pontificis præsidentis huic multitudini. *Quintò*, Martinus V. in sua Bulla 1. contra hæreticos in Concilio
Constantiensi damnatos prope finem numero 24.
facit hanc interrogationem: *Item vtrum credat,* 40
quod Papa Canonice electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expresso sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. Ea au-
tem dicitur suprema auctoritas, supra quam non da- 41
tur alia auctoritas, si ergo Papa pro tempore existens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei, nulla alia dari potest in eadem Ecclesia Dei maior potestate ipsius Pontificis, consequenter Concilij potestas cum & ipsum sit in Ecclesia Dei, quam repræsentat, non poterit esse supra Papam, sed inferior potestati Papæ, ac proinde dependens, ab illa suprema Pontificis Romani. *Sextò* Eugenius IV. in sua Bulla 17. incip. *Lætentur cæli*, sub §. 8. *Item definimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem terræ primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Ex hac definitione manifestè apparet Papam esse supra Concilium, nam dicitur, quod Pontifex Romanus tenet primatum dignitatis, & potestatis, ergo etiam supra Concilium, quod constat tum ex ratione primatus; nam primatus dicitur, quia supra
se, & ante se nullam habet aliam potestatem ma-
iorem, ille enim dicitur primus, quem nemo 42
præcedit, *l. Qui duos 10. ff. de reb. dub. l. Ex duobus 34. ff. de vulgar. & pupill. substit.* Si ergo Papa habet primatum potestatis, in hoc nec Concilium præcedere potest, alias Concilium non Pa-

pa

pa habebit primatum contra definitionem fidei; tum quia eſſe primum dicit relationem ad ea, quæ ſubſequenter numerantur poſt ſe, inter quæ connumeratur Concilium, ergo id ſe inferius habet ad primatum Pontificis, ac proinde illi ſubditus, ſicut poſteriores numeri ſubordinantur primo, Tum quia habere primatum in vniuerſum orbem, vt hic definitur, comprehendit, & ſubiicit etiam Concilium, cum ex fidelibus vniuerſi orbis componatur. Definitur præterea, quod Pontifex Romanus eſt ſucceſſor beati Petri, ergo omnem eam poteſtatem Pontifex habet, quam Chriſtus contulit Petro, de ratione enim ſucceſſionis eſt, vt ſucceſſor acquirat eam omnem poteſtatem, quam habebat eius prædeceſſor, & probatis præcedent. *cap. quæſt.* 27. *&* 28. ſuccedit enim in honore, & onere, *cap. Aduerſius 7. fine, de immun.* Nemo autem negare poteſt Petrum fuiſſe caput, & primatum tenuiſſe ſupra Eccleſiam non ſolum ſingulariter ſpectatam, ſed etiam in Concilio Congregatam, cum tamquam caput in omnibus Conciliis ſemper locutus fuerit, vt docui *capite 3. quæſtione 36. ad 39. capite* 4. *quæſtione* 8 *&* 27. Ergo & eius ſucceſſores ſunt ſupra Concilium. In ſuper definitur verus Chriſti Vicarius, Vicarius autem ratione officij reputatur eadem perſona cum ea cuius vices gerit, ac proinde cum Epiſcopo facit idem auditorium, & tribunal, *cap. 2. de conſuetud. in 6. cap. Romana de appellat. in 6.* Chriſtus autem eſt Epiſcopus noſter, & Petrus fuit eius Vicarius Generalis, quia ad omnes oues, & ad cunctas earũ cauſas deſtinatus fuit, vt de fide conſtat, ſed Chriſtus eſt ſupra omne Concilium, ergo & Petrus, conſequenter & Pontifex Romanus pro tempore ſuccedens vti Chriſti Vicarius eſt ſupra omne Concilium. Definitur quoque Pontifex Romanus caput totius Eccleſiæ, ergo & Concilij, quod ex Eccleſia componitur, ergo eſt ſupra Concilium, vtraque conſequentia eſt neceſſaria, prima quidem quia ſi Papa eſt caput non tantum Eccleſiæ, verum totius Eccleſiæ, ergo etiam Concilij, aliter Concilium eſſet extra Eccleſiam, quod dicere eſt hæreticum. Secunda conſequentia infertur ex neceſſitate primæ, ſi enim Papa eſt caput Concilij, certè ſupra illud eſt, Sicut enim caput naturale eminet non ſolum quantitate, & ſtatura ſupra totum corpus, & eius membra, verum etiam virtute cætera membra viuificando, & dirigendo in ſuis operationibus, tamquam eorum ſuperior, & princeps, ita caput morale Pontifex Romanus præeminet corpus Concilij influendo in eius mẽbra virtutem, & poteſtatem ad agendum, & expediendum ea, quæ ad Chriſtianam rempublicam pertinent, ex quo iure dicitur eſſe ſupra illud. Definitur Pontifex Romanus Pater, & Doctor omnium Chriſtianorum, ex quo pariter ſequitur, quod ſit ſupra omnes tam ſingulariter, quam vniuerſaliter
43 ſpectatos, vtitur enim ſigno vniuerſali *Omnium*, quod tantæ efficaciæ eſt, vt includat etiam ea, quæ alias non comprehenderentur, Bartol. *in l. Generali §. Vxori, ff. de vſufr. legat.* Natta *tom. 1. conſil.* 160. *num.* 29. Surd. *deciſ.* 255. *numero* 8. Roland. *conſil.* 76. *numero* 8 adeo quod nullam recipit reſtrictionem, ex eodem Bartolo, Ruin. *vol.* 5. *conſil.* 61. *num.* 15. Roland. *vol.* 4. *conſil.* 27. *num.* 22. omnia comprehendit, & nihil excludit, *l. Iulianus 66. l. Teſtatoribus 59. ff. de legat.* 3. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 6. *num* 21. Et tantam vim habet, tantumque operatur ac ſi ſingula forent verbatim enumerata, *gloſſ. in l. Omnes C. de præſcript. XXX. annos* Burtatus *vol.* 4. *conſil.* 364. *num.* 14. Mar. Anton. *lib.* 1. *reſol.* 8. *num.* 12. infertur ergo ex his, quod ſub illa vniuerſali *Omnium Chriſtianorum* comprehendatur etiam Concilium, & reuera ita eſt, quia Concilium componitur ex Chriſtianis, ergo Pontifex Romanus vti Pater, & Doctor omnium Chriſtianorum eſt ſupra Concilium,
Pater enim ſecundum omne ius eſt ſuper ſuos filios, 44
iuxta illud Euangelij Ioan. 14. 28. *Pater maior me*
eſt. Impium enim eſt filium ſibi ſubiugare patrem 45
cap. quis 9. diſtinctione 96. hic eſt ſermo de patre ſpirituali, qualis eſt Papa reſpectu omnium Chriſtianorum, quouis modo ſpectatorum. Pontifex Romanus quatenus Doctor eſt etiam ſupra Concilium, quod ſe habet vt Diſcipulus, Papa enim Concilium inſtruit, & informat circa ea, quæ tractãda ſunt, ab eo enim poteſtas in Concilium extenditur, vt ſuo loco
dicam, quare cum Magiſter, & Doctor ſit ſupra 46
Diſcipulos, & addiſcentes *cap. Quis 9. prælata diſtinctione 96.* Sequitur Papam eſſe ſupra Concilium tanquam Doctor ſuper inſtruendos ab eo, non è
contra, quia non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, 47
iuxta veritatem Euangelij Matth. 10. 24. Demum definitur, quod Pontifex Romanus habet plenam poteſtatem regendi vniuerſam Eccleſiam, ſi vniuerſam Eccleſiam ergo & Concilium, quod dicitur repræſentare vniuerſam Eccleſiam militantem, cum igitur Papa regat vniuerſam Eccleſiam regit etiam Concilium, quod extra illam non poteſt eſſe, cum ex illius membris conſtet. Non haberet plenam po-
teſtatem ſi Concilio ſubeſſet, nam ille dicitur habe- 48
re plenariam poteſtatem, qui eam habet liberam, & abſolutam, Decius, *in cap. Præterea de off. deleg. num.* 14. eam autem Papa non haberet liberam, & abſolutam, ſi ſubeſſet Concilio, liber enim non dici-
tur, qui alteri ſubditur, nec abſolutus, ſi eſt ligatus; 49
habens plenum ius, & poteſtatem in his non reci-
pit diminutionem, *l. Fideicommiſſa, §. Quamquam ff.* 50
de leg. 3. Ruinus *conſil.* 38. *n.* 2. Menoch. *conſil.* 251. *num.* 3. Rubeus *deciſ.* 129. *num.* 15. neque augmentum admittit Bald, *lib.* 3. *conſil.* 379. ideo neque eget repletione, *cap. Si omnia 6. quæſtione 1. cap. Bene diſtinctione 96.* Gonzal. *gloſſ.* 13. *num.* 69. neceſſe ergo eſt, quod ſi Papa definitur habere plenam poteſtatem ſuper vniuerſam Eccleſiam, vt ſit etiam ſuper Concilium, aliter eius poteſtas non eſſet plena ſed diminuta, & poſſet recipere augumentum contra rationem plenitudinis, quæ diminutionem, nec augmentum patitur.

Septimò probatur Papa eſſe ſupra Concilium auctoritate clara & manifeſta Leonis X. in ſua Bulla 26. incip. *Paſtor æternus* §. 6. *Cum etiam ſolum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem tamquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius, & poteſtatem habere, ne dum ex Sacræ Scripturæ teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet.* Et huius rei refert ipſorum Conciliorum ibidem auctoritates.

Idem probatur etiam diuerſis rationibus, & ſimilitudinibus, quibus magis apparet veritas huius concluſionis.

Primò, à ratione deducta à ſimilitudine corporis naturalis, quod ſicut conſtat ex diuerſis membris, quæ ſubordinatur ad caput illis ſupereminens, ſine quo operari non paſſunt, cum ab eo ſingula moueantur, & dirigantur in ſuas operationes, & licet ſit cum eiſdem membrum eiuſdem corporis, illud tamen eſt principale præſidens cæteris omnibus, quæ illi ſubduntur. Ita Eccleſia eſt quoddam corpus morale, & ſpirituale conſtans ex diuerſis membris, nempe capite, qui eſt ſolus Papa, vnius enim corporis vnicum caput ſimile illi, & reliquis fidelibus membris

minus principalibus respectu capitis, quæ sine illo nihil operari possunt in hoc spirituali corpore quoad potestatem iurisdictionis, cum dependeant ab illo, sicut membra naturalia dependent à capite eiusdem corporis, ergo inferendum est, Papam esse principale membrum, & caput super reliqua membra huius corporis Ecclesiæ minus principalia, etiam in Concilio congregata, & vnita, in quo potissimum spectatur morale corpus Ecclesiæ.

51 Secundò à ratione Vicariatus, nam Vicarius vices gerit alterius, & honorandus est, sicut ille, cuius locum tenet, cap. Præcipimus 26. distinctione 93. *Sicut illius locum tenens honorabitur.* Prærogatiua enim quæ est in principale, debet esse etiam in eius locum tenente, Felin *in cap. Cum olim cl. 2. de off. deleg.* repræsentat enim illius personam, *cap. 2 de consuetud. id 6. cap. Romana, de appellat. in 6.* Sed Papa est Vicarius Iesu Christi, ex probatis cap. præced. quæst. 27. ergo honorandus est vti tenens locum Iesu Christi, præcipuè in Conciliis, quæ dicuntur congregari in nomine Christi, qui in illis præsens est inuisibiliter sicut Papa visibiliter per se, vel suos legatos, consequenter cum Christus sit supra Concilium, etiam Papa eius Vicarius præferendus est Concilio.

52 Tertiò, ab optimo regimine, quod in Monarchia vnius supremi capitis consistit, cui subiiciuntur omnes constituti sub Monarchia, & ipsum caput sub eadem Monarchia nulli subest, nec ipsi Monarchiæ, quæ alias Monarchia non esset, sed Aristocratia, ex eo, quod in hac plures optimates ex maioribus simul regunt; in ea verò ex omnibus vnicus habet regimen, quod exercet independenter ab illis, & in omnes illos, nullo excepto, ex quo corpori Monarchiæ nullum relinquitur regimen totum, & totaliter in vnico capite reperitur, Papa autem præ aliis Principibus Monarchia est, cum illi soli à Deo data sit potestas regendi Ecclesiam. Concilium vero solum habet dependenter ab eo regimen Aristocraticum ex optimis viris, ergo Papa est super Concilium, sicut regimen Monarchicum super Aristocraticum.

53 Quartò, à nomine patrisfamilias, qui in sua domo, & familia ius habet, & potestatem independenter à familia, cui illam communicat, quando vult, & pro suo libito, vnde & maior in familia dicitur, licet ali-
54 quis de familia esset Episcopus, aut Cardinalis, *l. Nihil omnino C. de palat. sacr. larg. lib. 12.* Capic. *decis. 27. num. 74.* Corneus *lib. 2. consil. 193. num. 15.* non enim pater amittit illud ius naturæ, vt honoretur à suis filiis, qui adhuc naturalem subiectionem, & de-
55 bitum reuerentiæ retinent erga patrem; sed Papa bene dicitur paterfamilias, cui potest appropriari illud Euangelij Lucæ 12. 42. *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Dominus ergo Iesus Christus Papam constituit patrem super familiam suam, id est, super Ecclesiam, maximè congregatam, quæ tunc potissimum habet rationem familiæ.

56 Quintò, quia ea omnia, quæ Christo tribuuntur prout est caput Ecclesiæ, & super Ecclesiam, vt probat Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 17. dicuntur etiam de Papa, ex eo, qnod vices eius in terris gerit; sed de Christo Ephes. 1. 12. dicitur, quod est caput super omnem Ecclesiam etiam congregatam.

57 Sextò, à ratione matrimonij spiritualis, nam Papa dicitur sponsus Ecclesiæ suæ sponsæ in Concilio præsertim præsentiæ; sed sponsus est caput sponsæ, & super illam habet potestatem, vt ex sacris literis manifestum est, ergo & Papa super vniuersam Ecclesiam, quæ potissimum in Conciliis cernitur, habet potestatem supremam, nam sicut Episcopi sunt sponsi suæ sponsæ, quæ est vnio fidelium sub Episcopo suo, ita Pontifex Romanus est sponsus suæ sponsæ vnionem habens in Conciliis.

Septimò, ratione modi, quo Papa suam acquirit
potestatem, nam Pontifex Romanus statim ac est 58
electus canonice à Cardinalibus, Christus illi consentienti in electionem tribuit immediatè potestatem, & dicitur cum Deo facere vnum tribunal, & auditorium, ex allegatis à Ricciullo *lib. 9. de iure extra grem, cap. 2. num. 11. & 12.* ergo cum illam habeat solum à Deo, super omnes illam exercere potest, ac proinde supra Concilium, quod Deo subditur.

Octauò, à ratione vniuersalis potestatis super om- 59
nes homines, nam de quouis homine iudicare potest ex præcedenti cap. quæstione quadragesimatertia, ergo ex hac vniuersalitate infertur ipsum esse supra Concilium. Pro hoc facit regula logicalis, quod ex
particularibus infertur vniuersale, nam si singulæ 60
Ecclesiæ subsunt Pontifici Romano propter eius vniuersalissimam potestatem, ergo Ecclesiarum omnium in vnum Congregatio ex potissimis, & præcipuis membris singularum Ecclesiarum, ergo coadunatur sub eodem capite.

Nonò, ab eminentia Ecclesiæ Romanæ vniuersa- 61
lis, quæ dicitur habere plenitudinem potestatis super omnes Ecclesias cap. Decreto 11. 2. quæstione 6. & quod est mater, & magistra omnium aliarum Ecclesiarum, *cap. Licet 20. de foro compet. cap. Antiqua 23. de priuileg.* vbi dicitur habere principatum super omnes alias Ecclesias, vt probaui multis *capite primo, quæstione trigesimasexta,* ergo & super Concilium habet hanc plenitudinem potestatis, quod extra Ecclesiam non est, cum sit Ecclesia ex principalioribus membris congregata.

Decimò, ex potestate, quam habet indicendi, continuandi, & dissoluendi Concilium, seu alio transferendi, vt probatur infra 22. & 25. nam certum est, illum esse maiorem, & superiorem ad eos, qui conuocantur, & congregantur, quique possunt disgregari dissolutione, & translatione Concilij, Papa indicit & dissoluit Concilia per suam supremam potestatem, & Concilium tenetur obedire, ergo super illud habet potestatem.

Vndecimò, à Confirmatione Conciliorum, nã con- 62
firmare arguit potestatem, & superioritatem super eos, quorum acta, & gesta confirmantur, Bald. in l. fin. §. Noto vlterius C. de legib. Hostiens. & Abbas in cap. 1. & 2. de locato; sed Papa confirmat omnia Concilia; & ab eo auctoritatem recipiunt, vt infra probatur sub quæstione 26. ergo Papa habet superioritatem supra Concilium, quod & cognoscitur etiam ex eorum reprobatione, vt vidimus supra sub q. 21.

Duodecimò probatur ad hominem, nam in Conciliabulo Basileensi Patres sæpius rogauerunt humiliter Summum Pontificem Eugenium, vt vellet reuocare dissolutionem Concilij, & concedere eius continuationem Basileæ, vt legitur in sess. 3. illis verbis: *Dominum Papam Eugenium cum omni reuerentia supplicat, & per viscera misericordia Iesu Christi exorat requirit, & obtestatur, & monet, quatenus prætensam dissolutionem.* Tom. 4. fol. 427. & in Epist. 3. Synodali congestu ab Archiepiscopis Colossensi, & Tarentino, idem Papa supplicatur, rogatur, & obsecratur, vt dignetur reuocare dissolutionem factam Concilij, & illi præesse sua præsentia, & ab illis Papa vocatur caput, & primus Ecclesiæ, Vicarius Christi, & à Christo non ab hominibus, vel Synodis aliis prælatus, & Pastor Christianorum, & ei datæ sunt à Domini claues, & vni dictum est: *Tu es Petrus*, & solus in plenitudinem

plenitudinem potestatis vocatus est, & alij in partem solicitudinis, & multa alia ibi congerunt in fauorem potestatis Pontificiæ supra Concilium, consequenter Patres in eo Concilio recognouerunt Papam pro superiore Concilij, licet postea cum non potuerint obtinere suum intentum, euomuerint, quod in eorum corde latebat contra Pontificiam potestatem asserentes oppositum, quod docuerant, nimirum Concilium esse supra Pontificem, quem suum errorem falsis auctoritatibus, & inanibus rationibus conati fuerunt defendere, ex quo postmodum deposuerunt Eugenium IV. qui indictum Basiliæ Concilium noluit cum illis continuare, transferendo illud Ferrariam.

Decimotertio arguitur ab appellatione, quæ semper fit à minori ad maiorem iudicem appellatio autem non fit à Papa ad Concilium, sed è contra ex probatis cap. præced. quæst. 44. ergo Papa est super Concilium, & infra q. 40.

Hanc sententiam veram, & Canonicam fere omnes Canonistæ, & Theologi, maximè his temporibus sustinent, vt videre est apud Bellarminum *lib.* 1. *Concil. cap.* 14. Petriceam *lib.* 2. Turris *disp.* 4. Corduba *lib.* 4. *quæst.* 4. Fabulottus *cap.* 2. Contra Cardinalem Cameracensem, Ioannem Gersonem, Iacobum Almainum, Nicolaum Cusanum, Cardinalem Florent. Panormitanum, Abulensem, Ioannem Patriarcham Antiochenum, qui multa congerit in Actis Concilij Basileensis, cum quibus fuit etiam Martinus Lutherus, qui Pontificem Romanum fecit parem cum cæteris Episcopis, ac proinde non posse esse supra Concilium, in quo supradicti cum Luthero conueniunt, à quo tamen differunt in eo, quod supradicti doctores docent Pontificem Romanum esse superiorem ad omnes Episcopos singulariter spectatos extra Concilium, negant vero esse supra eosdem in Concilio congregatos.

Probant ergo Concilium esse supra Papam primo, quia Marcellinus subiectus fuit Concilio Sinuessano, à quo depositus fuit.

63 Contra est, quia id falsum est, nam Marcellinus corrigendo suum errorem, & pœnitentia ductus per seipsum renuntiauit Papatui, & postea Concilium talem renuntiationem acceptando illum condemnauerunt vti priuatam personam de errore, quod Papa fecerat, vt notaui cap. præcedent. numero 160. & 191.

Secundò probant referendo diuersas auctoritates, & primo ex D. Ambrosio relato *cap. Quæ dignior 26. 24. quæst.* 1. vbi docet, nihil dignius, & maius Ecclesia, & Christo, ergo Ecclesia est maior Papa. *Secundò,* S. Augustinus relatus cap. quodcumque 6. 24. quæstione 1. dicit, quod Ecclesia potestatem, quam à Deo habet, communicat Petro, & per illum exercet, ergo Ecclesia in Concilio poterit Papam ligare, cum Petrus subiiciatur Ecclesiæ. *Tertiò,* Zosimus Papa relatus cap. Contra 7. 25. quæst. 1. inquit: *Contra statuta Patrum condere, aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis potest auctoritas.*

Contra est primò, quia D. Ambrosius loco citato agit contra hæreticos, probando nihil melius, & dignius inueniri Ecclesia Catholica, non enim eam comparat cum Pontifice Romano, sed illum includendo dicit esse digniorem, & maiorem quolibet conuenticulo hæreticorum, quorum Ecclesia seu potius Conciliabulum nullam habet dignitatem, nec maioritatem, vnde titulus huius capitis præscribitur his verbis: *Hæreticorum consortia à Catholicis sunt fugienda*, vt quisque sciat, Ecclesiam à D. Ambrosio comparari non cum Papa, sed contra hæreticos. *Secundo* respondetur D. Augustinum euidenter probare potestatem non dici esse Ecclesiæ, nisi quatenus primo, & immediatè collata fuit Petro Ecclesiæ fundamento, & per ipsum aliis communicata. Vide *cap.* 2. *quæst.* 28. vbi reprobatur error hæreticorum asserentium potestatem immediatè datam fuisse Ecclesiæ, & non eius Ministris, præsertim Petro. *Tertio* respondetur, Zosimum Papam loqui de definitis de fide in Conciliis, & à Pontifice Romano approbatis, quæ nec Papa mutare potest, quantumuis magna sit eius auctoritas, non ex ea ratione, quia non possit supra Concilium, sed quia mutando definitiones fidei iam stabilitas à sede Apostolica, faceret contra Dei præceptum de fide, cuius veritas est æterna, & immutabilis, non potest igitur, derogare canonibus, quia ageret contra legem diuinam, supra quam nullum ius habet Papa in hoc casu.

Tertiò obiiciunt Epistolam 63. Leonis fuisse examinatam in Concilio Calcedonensi, teste Euagrio *lib.* 2. *cap.* 18. imò ipse Leo gloriatur, quod à Concilio fuerit approbata, ergo Papa est subiectus Concilio nam qui examinat, & approbat maior est illo, cuius dicta examinantur, & approbantur.

Respondet Bellarminus libro primo, capite 19. illam Epistolam fuisse à Leone missam ad instructionem Concilij, vt ex eius intellectu melius concluderent in ordine ad definitionem negotij vltimo à Papa terminandam. Imò si bene legatur *Epistol.* 61. *tom.* 2. *fol.* 72. Apertè inde colligitur, definitionem fidei præscriptam, & datam secundum eius instructionem, ab vniuersa Ecclesia receptam per Concilium, arguere subiectionem Concilij ad summum Pontificem. Approbatio igitur Concilij fuit obsequij, & obseruantiæ, non Confirmationis, & superioritatis, Leo igitur sanctissimus per eam instructionem, quam Concilium secutum fuit, docuit Patres, non se illis subiecit; vnde contra Aduersarios retorquetur argumentum cum ex instructione arguatur maioritas, & superioritas docentis supra personas instructas, & informatas de eo, quod facere debent.

Quarto probant, quia illa verba Euangelij Matth. 18. 16. *Quod si non audierit dic Ecclesiæ*, intelliguntur de Apostolis, & præcipuè de Petro quem si aliquis noluerit obedire, tunc Petrus debet illum denuntiare Ecclesiæ, hoc est, Concilio, vt puniatur. Confirmant id ex Gregorio Papa lib. 4. Registri cap. 92. his verbis: *Ego per responsales meos semel, & bis, verbis humilibus, hoc, quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per me scribo, quicquid facere humiliter debui, non omisi; sed si in ea correptione despiciar, restat, vt Ecclesiam debeam adhibere.* Ecce, quod Papa recursum habet ad Concilium, tamquam ad suum superiorem, vt prouideat.

Respondeo, in Euangelio sermonem esse de correctione fraterna ab omnibus facienda, in qua si corrigens nullum consequitur fructum pro persona correcta, delinquens Ecclesiæ denuntiandus est, id est, prælatis illius, qui iuridice causam tractabunt. Et licet ea applicemus Apostolis nihil contra nos, quia existente cum illis eorum Magistro erant personæ priuatæ respectu Christi, ad quem peccatorem debuissent deferre, si illos noluisset audire. Igitur ea verba: *Si te non audierit* referuntur ad subditos corrigentes, & non ad superiores, qui veniunt sub illis verbis *Dic Ecclesiæ*, id est prælatis Ecclesiæ, de qua re cap. 2. quæst. 28. Ad auctoritatem Gregorij male intellectam ab Aduersariis, ac proinde peius applicatam, respondeo, illum, vt videre est tom. 3. fol. 13. agere contra Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui sibi arrogabat nomen vniuersalis Ecclesiæ, & quia noluit recipere fructum correctionis, scribit Sanctus Gregorius se velle contra eum adhibere Ecclesiam, hoc est, conuocare Concilium, vt negotium

ſolemnius tractet, ad deponendum illum à ſede, ſi nolit ſe emendare, & recognoſcere ſuum errorem, & ſuperbiam. Adde, quod hæc auctoritas magis probat poteſtatem Papæ ſupra Concilium, quam è contra, nam aliquam cauſam delegare ſpectat ſemper ad ſuperiorem erga inferiorem, neque enim decens eſt, quod Prior cauſam ſui Fratris committat Generali, neque Prouinciali, ſed è contra quod delegatio fiat à Generali ad Prouincialem, & ab vtroque ad Priorem; delegare enim eſt actus iuriſdictionis, quam qui accipit, & acceptat, ſi non eſt ſubditus, de neceſſitate officij ſe ſubiicit deleganti, quando ergo Sanctus Gregorius ſcripſit ſe velle Eccleſiam adhibere, id eſt, cauſam committere Concilio, illud ſibi ſubiecit actu, vt in ea cauſa ſibi obediret.

Quintò opponunt deputationem factam per Petrum, antequam moreretur de Clemente in Pontificem Romanum correctam ab Eccleſia congregata, quæ loco illius non bene electi aſſumpſit Linum.

Reſpondeo nullibi reperiri hoc Concilium, ſeu quod Eccleſia reuocauerit factum Petri, nam aliqui dicunt Clementem renuntiaſſe electioni, & ſucceſſiſſe Linum. Deinde ex prima Epiſtola Clementis ad Iacobum fratrem Domini narratur hiſtoria huius deputationis, ſeu electionis originem traxiſſe à Domino, qui iuſſerat Petro, vt ſibi ſucceſſorem viuens eligeret, quis ergo auſus fuiſſet reuocare factum de de mandato Domini? ideo hoc argumentum continet expreſſum mendacium. Vide, quæ de Clementis electione diximus *capite quarto, quæſtione decimanona*.

Sextò probant ratione naturali, quia totum eſt maius ſua parte; Concilium autem eſt quoddam totum morale, & Papa illius pars, ergo Concilium eſt maius Papa. Confirmant à ſimili de collegiis doctorum, & Capitulum Religionum, in quibus Prior, ſeu, Prouincialis, & Generalis ſubeſt Collegio, ſeu Capitulo, nam illorum caput licet maior, & ſuperior ad omnes de Collegio, ſeu Capitulo, non eſt tamen maior, & ſupra ipſum Collegium, ſeu Capitulum.

64 ℞. Totum eſſe maius qualibet ſua parte extenſiuè, non autem perfectiuè, ſed aliqua eius pars, licet ſit minor extenſiuè, poteſt tamen eſſe maior perfectiuè, & intenſiuè, in quantum omnibus aliis non ſolum diſgregatis, ſed etiam vnitis totum repræſentantibus dominatur in eodem toto. Id conſtat in corpore naturali humano, quod eſt quoddam totum extenſiuè maius qualibet ſua parte, tamen ſi in eo ſpectetur caput potiſſima pars huius maius eſt cæteris partibus non ſolum ſingulariter ſpectatis, ſed etiam prout totum componunt, & integrant, quia omnibus dominatur, iubet, & imperat, & aliis ſupereminet ſitu, & poteſtate. De qua re dixi *cap. 1. quæſtione 37. & capite 5. quæſtione quadrageſimanona, numero 227.* Deinde ſequeretur, Chriſtum, qui eſt caput corporis Eccleſiæ eſſe minorem, & inferiorem ad totum corpus Eccleſiæ, quod eſt hæreticum dicere contra illud Pauli ad Epheſ. 1. 22. *Caput ſupra omnem Eccleſiam.* Intellige tam diſgregatam, quam congregatam, vt indicat ſignum illud vniuerſale. Quod idem dicendum eſt de Pontifice Romano, quod ſit caput ſupra omnem Eccleſiam, quia in omnibus vices Chriſti gerit pro Eccleſia. Dici etiam poteſt, quod Papa non eſt totum, neque pars Concilij, ſed Princeps ſupra Concilium, quia partes Concilij inter ſe comparatæ ad inuicem ſunt collegæ, & pares, Papa autem non eſt cum illis, etiam perſonaliter in Concilio exiſtens, collega, neque illis par, ſed maior, quia habet plenitudinem poteſtatis independentem à quolibet homine, & à tota Eccleſia etiam in Concilio congregata, cum eam à ſolo Deo habeat immutabiliter, quouis modo ſpectetur, ſiue in Concilio, ſiue extra, Epiſcopi vero etiam in Concilio ſpectati dicuntur vocati tantum in partem ſollicitudinis.

Ad confirmationem dico, eſſe diſparem rationem nam in Collegiis, & capitulis omnes vocem habentes etiam caput dicuntur Collegæ, & participantes à Collegio, & Capitulo, à quo eſt tota poteſtas in vocalibus, qui iure Collegij, ſeu Capituli negotia tractant. In Conciliis autem Generalibus caput non eſt membrum, neque par cum Epiſcopis, neque cum illis collega, ſed ſuperior ad omnes, quibus communicat poteſtatem ad tractanda negotia Reipublicæ Catholicæ. Facit pro Papa, quod non ſit membrum Concilij, ſed extra illud, & tamen ſit illius caput, hoc eſt, ſuperior, quod habet *Gloſſ. v. Conſuluerint cap. Cauſam* 8. *de elect.* dicens, quod Epiſcopus non eſt de Collegio, & tamen illius eſt caput; ſic Papa non eſt de Concilio vti membrum par aliis Epiſcopis, tamen eſt illius caput præeminens illis, nam Papa non tantum vt Epiſcopus, ſed vt Pontifex Romanus Chriſti Vicarius præeſt Conciliis, cæteri vero ſunt in Concilio vti Epiſcopi, ratione cuius dicuntur membra Concilij.

Quod Capitulum Generale ſit ſupra ipſum Generalem in eo præſidentem affirmant Corduba *q. 3 c. 8. Regulæ S. Franciſci*, Peyrinus *de Prælato quæſt. 1. c. 8. num. 15.* Tambur. *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 1. num. 3. Ego reſolut. 78. quæſt. 5. num. 43.* Quia Capitulum Generale non recipit poteſtatem agendi à Generali, ſed immediatè à Papa, dum Religionem approbat, vel indulget, vt capitula celebrari valeant, vnde Generalis quoad poteſtatem aliis eſt par, & collega, cum participet cum cæteris vocalibus parem poteſtatem in Capitulo. 65

Obiiciunt ſeptimo Concilia duo Conſtantienſe, & Baſilienſe, à quibus potiſſimum quæſtio hæc obtinuit aliquid probabilitatis tunc temporis pro Aduerſariis, nam hæc duo Concilia aperte definierunt Concilium eſſe ſupra Papam in iis, quæ ſpectant, ad fidem, & extirpationem hæreſis, & poteſtatem Concilium fatetur ſe habere immediate à Deo. Referam verba Concilij ſub quarta ſeſſione Concilij Conſtantienſis.

Et primo, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitime Generale Concilium faciens Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus, vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris. 66

In quinta Seſſione ſupradictum decretum reperitur, & aliud additur contra Papam his verbis.

Item declarat, quod quicumque cuiuſcumque conditionis ſtatus, dignitatis etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis huius Sacræ Synodi, & cuiuſcumque alterius Concilij legitimè congregati, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit condignæ pœnitentiæ ſubiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Prædicta duo decreta ad verbum publicata fuerunt, & regiſtrata per Conciliabulum Baſilienſe ſub 2. 16. & 18. Seſſionibus. Concilium Conſtantienſe legitime Congregatum fuit à Ioanne XXIII. poſt cuius fugam edita fuerunt ea duo decreta à Patribus, qui aliud medium efficax ad tollendum

ſchiſma

schisma non inuenerunt, nisi declarando Concilium esse supra Papam, & habere à Deo immediatè potestatem definiendi controuersias fidei, extirpandi schismata, & reformandi Ecclesiam, ac proinde contumaces Pontifices tunc existentes cogere posse, & deponere à Pontificatu, ex quo omne schisma tolleretur.

67 Responsio vera, & germana ad Concilium Constantiense videtur esse hæc, quod in illis duobus decretis Patres locuti fuerint de Pontificibus pluribus simul eodem tempore dubiis existentibus, supra quos, & contra quos Concilium habet potestatem cogendi illos ad renuntiandum, vel resistentes deponendo, & puniendo, quantum opus est. Et ista limitatio manifestè colligitur ex tenore ipsorum decretorum, nam in primo decreto per ea verba *Ipsa Synodus* declaratur, non quodcumque Concilium, sed hoc speciale habere potestatem supra Papam, illud enim pronomen *Ipsa* est dictio personalissima, Bald. vol. 5. consil.
68 304. Alex. vol. 5. consil. 173. Gratus lib. 2. consil. 19. & operatur quod dispositio non possit extendi vltra ad alias personas, quæ non exprimuntur, Ripa *in l. Filius familias, § Diui, ff. de legat. 1. num. 211.* Roland. *vol. 3. consil. 69.* M. Anton. *lib. 2. resol. 43. num. 5. & 6.* In hoc autem decreto non disponitur, quod omne Concilium habeat potestatem supra Papam, sed hoc tantum speciale Concilium, ergo ex hoc capite non omne Concilium est supra Papam. Nec obstat secundum decretum, ibi: *Aut præceptis huius sacræ Synodi, & cuiuscumque alterius Concilij legitimè Congregati super præmissis.* Quia referuntur ad idem Concilium alias congregandum, seu Congregatum super præmissis in eodem Concilio Constantiensi ad quod haberet relationem. Deinde clarè dicitur, quod hoc Concilium habet potestatem ad extirpandum hoc speciale schisma, ibi: *Extirpationem dicti schismatis* ergo restringitur ad casum hunc, ac proinde est tantum super Pontifices dubios; quod etiam colligitur ex illis verbis, *super præmissis*, nempe occasione schismatis pro quo tollendo potissimum fuit legitimè Congregatum. Constantiense ergo Concilium locutum fuit tantum de pluribus Pontificibus dubiis, non vero de vero, & indubitato Pontifice, quo tempore nullus existebat, sed omnes erant dubij, Patres ergo in illo Congregati in nomine Domini alium finem tunc habere non potuerunt illa condendi decreta, nisi in ordine ad tollendum illud schisma exortum ex illis Pontificibus dubiis, nulla igitur ratio suadet, Concilium extendisse ea decreta ad veros Pontifices, qui nec contumaces sunt, neque in eis schisma esse potest, sibi inuicem canonicè succedentibus, neque aliqua punitione, aut depositione digni sunt, ideo decreta de his actibus disponentia restringuuntur ad Pontifices dubios, qui prædictorum capaces sunt ex conditione schismatis. Ita docent Turrecremata, Sanderus, Campegius, & alij, cum quibus est Fabulosus cap. 12. arg. 5.

Confirmantur prædicta, quod Concilium Constantiense non loquatur de veris, & indubitatis Pontificibus, nam vt vidimus initio quæstionis Martinus V. qui in eo Concilio electus fuit, & in eodem dedit interrogationes super articulis fidei sub n. 24. hanc proposuit interrogationem, *An Papa haberet supremam potestatem in Ecclesia Dei?* Ecce quod Concilium sua decreta restringit ad Papas dubios, neque enim sibi contradicit. Pariter Eugenius IV. contra quem licet indubitatum Pastorem petulanter caput acephalum erexerat Concilium Basiliense, quod ea decreta communia fecerat contra Pontifices etiam veros, definiuit Romanum Pontificem tenere primatum, & esse caput totius Ecclesiæ. Quod adhuc clarius definiuit Leo X. in Concilio Florentino, Papam esse supra Concilium, cuius verba retuli supra n. 26. & Eugenij IV. supra n. 41. Supradicti Pontifices non derogant Concilio Constantiensi, quod signum est, locutum fuisse tantum contra Pontifices dubios; Basiliense vero reprobatum fuit, quia ea decreta contra mentem Patrum in Concilio Constantiensi extendebat contra veros Pontifices, vnde omnem rationem ausum fuerat exauctorare Eugenium IV. verum, & indubitatum Pontificem.

Quæres 18. An Concilium in aliquo casu sit supra Papam, ac proinde possit illum iudicare, & deponere à Papatu?

℞. Duo numerantur casus, primus est, quando Papa deprehenditur hæreticus. Sed hunc casum ego 69
non admitto, cum probauerim præcedenti cap. q. 35. & 37. non posse errare in fide tam ex Cathedra, quam extra Cathedram, vnde in seq. quæst. 38. impugnaui aliorum sententiam super depositione Papæ hæretici, quam dicunt posse per Concilium deponi.

Alter casus pro tempore schismatis, quando nimi- 70
rum sunt plures Pontifices dubij in opinione hominum, vt in exemplo allato tempore Concilij Constantiensis, in quo tres Pontifices exacti fuerunt, electo canonicè Martino V. Tempore ergo schismatis, quando ignoratur indubitatus Pontifex, in hoc casu Concilium legitimè Congregatum habet potestatem deponendi Pontifices dubios. Probatur, *Tum quia*, nullus hactenus reprobauit Concilium Constantiense quoad depositionem illorum trium Pontificum, ex quo etiam subsequens electio Martini V. ab omnibus semper habita fuit pro legitima, & canonica, quod est argumentum præcedentium depositionem legitimè factam fuisse, nempe à Concilio habente potestatem. *Tum quia*, necessarium erat adhibere aliquod efficax remedium ad extirpandum tale schisma, quod totam Ecclesiam scandalizabat, & hæretici exultabant; nullum autem poterat esse efficacius Concilium, ergo Concilium in hoc casu est supra Pontifices dubios, Deus enim in necessariis non deficit Ecclesiæ maximè in his, sed prouidet, vt sancta, & immaculata, & sine ruga perseueret sub vero capite, huiusmodi autem prouisio aptior apparere non potest, quam in Concilio, ergo Deus per hoc prouidet Ecclesiæ suæ. *Tum quia*, si est aliqua difficultas, maximè quia videntur obstare decreta summorum Pontificum, & Doctrinam in præcedenti quæstione tradita, quod tamen verum non est, quia decreta superius allata de primatu Petri super vniuersam Ecclesiam etiam congregatam ab omnibus iuris doctis, & ab ipsismet legislatoribus intelliguntur de Pontificibus veris, & indubitatis, hi enim pro tempore existentes sunt supra Ecclesiam, & Concilium; non vero de dubiis, qui æquiuocè, & secundum nomen tantum sunt Pontifices, quibus sicut non competit potestas, ita neque honor primatus, vt sint supra Concilium, sed è contra, Concilium est supra illos, cum omnibus fidelibus imperet, præter verum Pontificem.

Quæres 19. An sit de fide, quod Papa sit supra Concilium?

℞. Affirmatiuè, & patet ex Concilio Florentino, 71
cuius verba definitiua retulimus initio q. 17. sub n. 41. ibi: *Totius Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem.* Priora verba referuntur ad Concilium sub ratione totius Ecclesiæ, nam ipsum in sententia omnium repræsentat totam Ecclesiam. Posteriora vero respiciunt fideles extra Concilium, siue sint Episcopi, Prælati, & alij superiores cum suis subditis, omnes enim subduntur Pontifici Romano de necessitate salutis, vt probaui præced. cap. q. 51. de fide credendum, ergo & Concilium, neque enim Patres Congregati perdunt eam subiectionem sibi necessariam ad salutem, quam habent extra Concilium, quod enim fidelibus

libus necessarium est ad salutem eosdem adstringit in quocumque statu ponantur, sicut enim non desinunt esse fideles nisi per infidelitatem, ita neque abiiciunt hanc subiectionem per id, quod sint simul Congregati, sed magis tunc in illis radicatur ratione vnionis cum capite, quod in omnes influit.

Bellarminus *lib. 2. Concil. cap. 17.* asserit id esse ferè de fide, & sub §. Ad hunc locum, subdit, Florentinum an id de fide definierit, dubium esse, & ideo non esse propriè hæreticos, qui contrarium sentiunt, esse tamen temerarios. Sed puto Concilium id definiuisse vti de fide, erat enim hoc necessarium, imminentibus tunc periculis in Conciliabulo Basileæ, quod prætendebat habere potestatem non solum super Pontifices dubios, sed etiam super verum Papam pro tempore existentem, de quo non est dubitandum, cum factum depositionis attentatæ contra Eugenium verum Papam ostenderit qualis fuerit mens eiusdem Concilij quod primatum sibi arrogabat, ne igitur factum huiusmodi transiret in exemplum, & decretum Constantiæ, quod Basileensis extendebat ad veros Pontifices, necesse fuit, quod isti opponeretur aliud Concilium initio, medio, & fine legitimum, & Canonicum, per quod definiretur id, ne deinceps Ecclesia fluctuaret circa potestatem Pastoris. Probatur, quia quandocumque agitur de rebus fidei, & apponitur verbum, *Definimus*, illud importat decisionem de fide, vt videre est in eadem Bulla 17. Eugenij IV. incip. *Lætentur*
72 *cæli* in ea his proferendo hoc verbum *Definimus* primò, dum definit ibi processionem Spiritus Sancti ab vtroque, materiam panis consecrationis; fidelibus decedentibus in gratia prodesse suffragia; animas purgatas mox in cœlum recipi, & Deum clarè videre; decedentes vero cum mortali descendere in infernum. Si illud verbum *Definimus* arguit decisionem fidei in istis, quare & in hoc non retinebit eundem sensum, & non producet eundem effectum fidei, cum adiungitur Primatui Pontificis Romani? Non video aliquam differentiam. Confirmatur, quia in alia eiusdem Bulla 19. incip. *Exultate Deo*, sæpius repetitur verbum *Definitionis* in ordine ad articulos fidei in aliis Conciliis determinatos. Eodem verbo Patres vsi sunt in Concilio Viennensi relato *in Clem. 1. de summa Trinit.* §. *Porro Doctrinam* Bonifacius VIII. *in sua Extrauag. 1. de maior.* eodem vtitur verbo *Definimus*, dum de fide determinat, subesse Pontifici Romano omninò esse de necessitate salutis.

73 Quæres 20. An Papa possit se voluntariè subiicere Concilio? Nota pro resolutione, quod Iudicium est duplex, vnum propriè dictum, ad quod duo sunt necessaria, potestas iudicandi, & cogendi ad subeundam pœnam per sententiam latam, vtrumque deducitur, *ex l. fin. ff. de off. eius, cui mand. iurisd cap. Pastoralis* 28.
74 *cap. Ex litteris* 29. *de off. deleg.* Ratio est, quia non datur iurisdictio contentiosa sine coactione, inutiliter enim iudex sententiat ad pœnam, si non potest reum cogere ad eam subeundam, immò iudex non est contentiosus qui caret vi coactiua, iudicium ergo propriè dictum habet adiunctam coactionem. Iudicium vero impropriè acceptum dicitur exerceri ab eo, qui in iudicando non vtitur vi coactiua, sed tantum potestate definiendi, & discernendi, quid sit agendum, qui habet hanc potestatem vocatur propriè arbiter, & eius potestas vocatur arbitraria, non coactiua, vt *in tit. de*
75 *arbitris, cap. Nisi essent* 21. *de præbend.* Differunt Iudex, & Arbiter, quod ille à partibus non habet potestatem, sed à se quando est ordinarius, vel à superiore, si est delegatus, arbiter vero à nullo alio habet potestatem, quam à partibus compromittentibus in ipsum, vel à iure; iudex habet potestatem coactiuam, Arbiter vero simpliciter potestatem arbitrandi, non vero coactionem super arbitratum, quia partes compromittentes ex vi promissionis tenentur exequi sententiam ab arbitro latam, *l. Prætor ff. de re iud. gloss. v. Nisi de his cap. Cum dilectus* 6. *de arbitr. cap. A iudicibus* 33. 2. q. 6. in quibus locis dicitur, quod non datur appellatio, eo quod promiserunt stare arbitramento. Vide Bellar. *lib. 2. Concil. cap.* 18. de hoc duplici iudicio.

℞. Papa non potest se subiicere iudicio Concilij, 76
sed tantum eius arbitrio. Primum suadetur, quia de iure diuino est, quod Papa sit supra Concilium, ergo non potest se subiicere iudicio coactiuo Concilij, multo minus personæ publicæ extra Concilium, neque enim potest secum dispensare in hoc, quod est ius diuinum, neque aliis suis successoribus præiudicare in hoc priuilegio à Deo concesso dignitati tam eminenti. *Confirmatur*, quia sicut Regulares non pos- 77
sunt renuntiare suis priuilegiis, & se subiicere Episcopis *cap. Cum tempore, de arbitr.* sine licentia Romani Pontificis, iuxta à me dicta *Resol.* 52. q. 39. eo, quod exemptionem habeant à superiore, contra cuius dispositionem nihil possunt, ita neque Papa huic priuilegio iuris diuini renuntiare potest. *Deinde* pu- 78
blico fauori nullus renuntiare potest in præiudicium aliorum, gloss. v. pacto priuatorum cap. si diligenti de foro compet. vnde clericus non potest se voluntariè subiicere percussionibus, renuntiando priuilegio Canonis de violenta manuum iniectione, ne percutiens incurrat excommunicationem, quia priuilegium hoc conceditur dignitati clericali, non personæ eam habenti, *cap. Contingit de sent. excomm. Sair. lib. 3. cap. 26. num.* 18. & 19. sed dignitas Papalis est communis fauor Ecclesiæ Romanæ Vniuersalis, ergo Papa illi renuntiare non potest, in eo quod possit iudicari ab alio. Addit Bellarm. quod sequeretur contradictio, nempe, quod esset Papa, & non esset Papa, quia ex eo, quod se subiiceret Concilio, desineret esse Papa, & sic esset supra omnes, & non esset supra omnes. *Demum* Papa ita est iudex, & quidem supremus, vt sub nulla ratione possit exuere se hac formalitate iudicis, consequenter non potest ab alio iudicari, sed ipse omnes iudicat, vt probaui cap. præced. quæstione 43.

Alterum de arbitris, quibus Papa causam suam 79
committere potest, vt magis veritas elucescat, & eius appareat innocentia, patet exemplo Sixti, & Leonis III. Symmachi, & Leonis IV. atque aliorum, qui Conciliis causas suas decidendas commiserunt, & obtulerunt, neque hoc arguit subiectionem in Papa, neque potestatem in Concilio supra Papam, quia huiusmodi potestas tota emanat ab ipsomet Papa, qui suam causam aliis committendo communicat etiam potestatem directiuam, sicut cum causas aliorum delegat iudicibus, qui non potestate propria, sed delegantis iudicant, est enim in iure manifestum, quod delegatus nihil proprij habet, sed alienam exercet 80
iurisdictionem, gl. v. *impendunt extr. com. 2. de sepult.* Nauarr. *consil. 8. de off. deleg.* & alij communiter, repræsentat enim personam delegantis, *cap. fin. dist. 93. cap. 1. dist. 94.* cum ea differentia, quod in delegatione causarum aliorum communicat potestatem coactiuam, respectu vero suarum committit tantum directiuam, qua publicetur, & determinetur veritas negotij.

Quæres 21. An sit aliquod tempus determinatum ad indicendum Concilium?

℞. Constantiensis Synodus sess. 39. tempus decre- 81
uit his verbis: *Ordinamus, vt amodo Concilia Generalia celebrentur, ita quod primum à fine huius Concilij in quinquennium immediatè sequens: secundum vero à fine illius immediatè sequentis Concilij in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebrentur in locis, quæ summus Pontifex per mensem ante finem cuiuslibet Concilij approbante, & consentiente Concilio,*

vel

vel in eius defectum ipsum Concilium deputare, & assignare teneatur. Martinus Papa V. in eo Concilio electus volens exequi hoc decretum pro proprio Concilij futuri loco assignauit Papiam, vt constat sub sectione 44. & illud indixit tempore debito, sed propter imminens periculum pestilentiæ transtulit Senas, vbi illud celebrauit, & illic deputatus fuit Basilea pro loco sequentis Concilij in fine septennij celebrandi, vt dicitur in Bulla 14. eiusdem Martini V. incip. *Dum onus* extensa etiam in Conuenticulo Basileæ acto fol. 419. tom. 4. Concil. quod Eugenius IV. dignis de causis dissoluit, & transtulit Ferrariam, & demum Florentium, vbi legitimè terminatum fuit anno 1438. Deinceps Concilia de decennio in decennium erant celebranda, sed reuera præterierunt plusquam octuaginta anni sine celebratione, vnde tempore Iulij II. nonnulli, vt retulimus sub quæst. 11. illud contra voluntatem eiusdem Pontificis congregauerunt Pisis anno 1511. quod Papa dissoluit in eius Bullis 27. incip. *Sacrosanctæ* & 31. incip. *Cum inchoatum.* Et sic deinceps euanuit illud decretum satis onerosum, & præiudiciale supremæ potestati Pontificum, qui quasi cógebantur illud indicere, & inde excitabantur à maleuolis, & parum bene affectis erga Pontificem Romanum schismata, & dissensiones, vt experientia docuit in Basiliensi conuenticulo.

Quæres 21. Ad quem spectet indicere, & conuocare Concilia?

82 ℞. Id munus spectat ad Pontificem Romanum iure diuino, & ad nullum alium, nisi cui id commiserit specialiter, etiam tempore schismatis.

Primum, quod ad Papam spectet, probatur. *Tum quia,* conuocare Concilia est disponere oues ad pabulum spirituale, in Conciliis enim agitur de fide, & reformatione morum; sed soli Petro dictum fuit: *Pasce oues meas*, ergo soli Petro competit indicere Concilia, quibus oues pascuntur. *Tum quia*, vt legitur in Actis Apost. omnes Congregationes, & Concilia ab Apostolis facta indicta fuerunt per Petrum, vt probaui cap. 3. q. 39. *Tum quia,* primum Concilium Generale post Apostolos Congregatum quod fuit primum Nicænum, indictum fuit à Syluestro Papa, qui duos misit legatos Victorem, & Vincentium S. R. E. Cardinales, de quibus in eo Concilio fit mentio in Epistola Synodali ad eundem Pontificem fol. 569. qui Concilium confirmauit; & ipsummet Concilium id statuit can. 1. his verbis: *Non debent præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.* Ibidem fol. 541. *Tum quia,* id testificatur in multis Bullis Pontificiis, Leonis IX. 2. incip. *Cum ex venerabilium,* §. 4. *Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis vniuersale Concilium celebrari:* Idem docet Iulius II. in sua 27. incip *Sacrosanctæ* §. 4. etiamsi agatur de causa ipsius Pontificis §. 9. adducens exemplum Ioannis XXIII. qui Constantiense conuocauit. Vide totam dist. 17. vbi de hac re. Ratio est ex suprema potestate Pontificis, quæ ab eo deriuatur in vniuersam Ecclesiam siue in Concilio Congregatam, siue extra illud, ex probatis hic q. 17.

Secundum, quod de iure diuino spectet ad Papam, colligitur ex Bulla præcitata Leonis IX. vbi postquam asseruit spectare ad Papam indictionem Conciliorum, subdit rationem: *Quamuis enim omnibus Apostolis generaliter dictum sit à Domino: quæcumque ligaueritis in terra, ligata & erunt in cœlo; & quæcumque solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo, tamen non sine causa specialiter, & nominatim dictum est beato Apostolorum Principi: Tu es Petrus,* &c. Ratio, quia omnem potestatem, quam habet Petrus pro tempore, recipit à Deo, sed habet potestatem conuocandi Concilia, ergo eam habet de iure diuino. Confirmatur Matth. 18. 26. *Vbi sunt duo, vel tres Congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Illi autem dicuntur Congregari *in nomine meo*, id est, Christi, hoc est, auctoritate Christi, qui Congregantur nomine Pontificis, qui Christi vices gerit, ergo Papa iure diuino indicit Concilia. Facit Reg. 67. ibi: *Nomine meo*, id est, potestate, & auctoritate mea.

Tertium, quod hanc indictionem per alios præstare possit, constat ex eius suprema auctoritate, quam aliis delegare potest, cum sit ordinaria, vnde quod legitur in Historiis, Imperatores quandoque conuocasse Concilia, id intelligendum est auctoritate delegata Pontificis, de qua re infra q. 24.

Quartum, quod etiam tempore schismatis pertineat ad aliquem Pontificem ex dubiis, constat exemplo Concilij Constantiensis, quod conuocauit Ioannes XXIII. qui erat vnus ex Compapis in schismate quod notat etiam Iulius II. supracitatus in sua Bulla 27. §. 9.

Quæres 23. An in aliquo casu indici possit Concilium ab alio, quam à Romano Pontifice?

℞. Non potest indici ab alio, quam à Papa. Et licet 83 à diuersis assignentur plures casus, tamen facilis est eorum responsio.

Primus casus assignatur tempore schismatis, in quo aliqui dicunt, tunc id spectare ad Cardinales, sed experientia est in contrarium, nam Ioannes XXIII. qui erat vnus ex schismaticis propria auctoritate Concilium indixit, adeo quod præcedentia Concilia pro tollendo schismate ab aliis, quam à Pontificibus collecta, fuerunt ab Ecclesia reprobata, vt constat de Pisanis.

Secundus casus, quando Papa est inualidè electus, tunc aiunt Congregandum esse Concilium contra intrusum. Sed respondetur, non esse opus Concilio, quia Cardinales antequam ex Conclaui exeant debent procurare electionem Canonicam. Quod si non contradicant, sed conclaue dissoluatur, & electus recognoscatur, & coronetur, habendus est pro legitimo Pontifice, neque enim fas est, Cardinales venire contra factum suum, quod ab initio non emendauerunt, sed potius subsequenter approbauerunt pro bono, & legitimo. Vide quæ dixi præced. cap. quæst. 62. & 63.

Tertius casus est, quando instat necessitas, & Papa rogatus sæpius non vult illud indicere. Probaui supra q. 16. Concilia non esse necessaria, cum schismata, controuersiæ fidei, & reformatio morum expediri possint aliis mediis, quam vnione Concilij, ideo supponitur necessitas, quæ extare non potest. Iulius II. vt narrat in sua Bulla 27. sæpè citata iurauit indicere Concilium, & nonnulli Cardinales, & Principes illum solicitabant ad executionem iuramenti, quibus respondit occurrendo eorum impertinentiis.

Quartus casus est, quando Papa deprehenditur hæreticus; huic casui respondi præced. cap. q. 38. non dari casum depositionis, quia errare non potest, neque in Cathedra, neque extra Cathedram, quod si dato non concesso, quod erraret, expectandus esset illius consensus, quo abdicaret à se Pontificium.

Quintus est, quando sedes vacat. Respondetur, expectandus est nouus Pastor, qui gregem suum pascat. Adeo quod nulla est necessitas illud congregandi, etiam si per plures annos sedes vacaret ob discordiam in electione Pontificis, nam post mortem Nicolai IV. sedes vacauit vltra duos annos, & tandem Cardinales nullo coacto Concilio elegerunt sanctum Eremitam F. Petrum de Morono, qui se vocauit Cœlestinum V. nunc sanctum.

Sextus casus est, quando Papa esset amens. Respondetur, amentia non est causa Congregandi Concilium, sed Papæ amentis officiales prosequuntur munus suum dirigente Cardinalium collegio. Vide dicta cap. præced q. 20.

Septimus

Septimus est, quando esset captiuus Pastor. Non est opus congregare Concilium, sed inimicum ingenti pondere auri captiuare, & non expendere illud in Congregatione Concilij, sine fructu.

Octauus casus est, quando Imperator vellet illud congregare. Sed iste præcedenti quæstione tactus in sequenti resoluitur. Interim vide Bellarminum, *lib. 1. de Concil. cap. 14. & Dianam resol. 62. de Cardinal.* referentes, posse congregari in aliquibus casibus prætactis per Cardinales, sed non esse tunc Concilium perfectum, quia solus Papa Concilium plenum legitimat.

Quæres 24. An Imperator iure possit indicere Concilium?

85 ℞. Negatiuè, *Tum quia*, illi dictum non fuit: *Pasce oues meas. Tum quia*, Concilia congregantur in nomine Domini, Imperator autem non gerit vices Domini, sed solum Petrus. *Tum quia*, id est munus potestatis Ecclesiæ, qua Imperator caret. *Tum quia*, ille potest indicere Concilium, qui potest cogere in vnum Episcopos, & Prælatos, id autem potest solus Papa, & non Imperator; ergo is non potest indicere Concilium. Papa tamen potest illi hanc facultatem delegare, clarè cap. Mandatis 10. 2. q. 5. ibi: *Quod audiens Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum congregare iussit.* Quod idem colligitur *ex cap. Adrianus 23 dist. 63. cap. Vbinam 4. dist. 96. & alibi*, ex quibus deducitur Imperatores semper auctoritate Pontificia, non propria potestate Concilia congregasse.

Hæretici præsertim moderni asserunt id munus iure spectare ad Imperatorem, quia Nicænum conuocauit Constantinus ex Ruffino lib. 10. cap. 1. Constantinopolitanum Theodosius *ex Theodoreto lib. 5. cap. 9.* Ephesinum alter Theodosius ex Euagrio lib. 1. cap. 2. Calcedonense Martianus ex Leone Papa Epist. 43. Sardicense Constantius ex Theodoreto *lib. 2. cap. 4.* Id cæteri Historici passim testantur, & summi Pontifices alias recurrebant ad Imperatores, qui vt sunt Domini totius mundi bene cogere poterant Episcopos per vniuersum orbem dispersos.

Prædictis Historicis, quorum dictis innituntur hæretici, credendum non est, tum quia ex tenore Conciliorum non colligitur Imperatores ea indixisse iure proprio, sed de speciali commissione Pontificis. *Tum quia*, non fuerunt formaliter indictores, sed tantum cooperatores, & defensores Conciliorum. *Tum quia*, in primo Concilio Constantinus Magnus protulit hæc verba: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari*, tom. 3. fol. 516. Si Constantinus fatetur se non posse iudicare Sacerdotes Dei, quomodo in sententia hæreticorum Imperator poterit indicere Concilium, ad id enim peragendum necessaria est auctoritas coactiua, qua Imperator caret respectu Sacerdotum. Subdit autem in confirmationem huius: *Quamplurimis coactis, me quoque perinde atque vno aliquo ex vobis, non enim negauerim, quo maximè lætor, conseruum me vestrum esse, præsente, vsque adeo omnia in debitam sunt disquisitionem vocata.* Imperator facit se conseruum Episcop. qui non possunt cogere Concilium ergo neque ipse. *Tum quia*, ipsummet Concilium testatur conuocationem pertinere ad auctoritatem Romani Pontificis. Vnde respondendum est ad argumenta Hæreticorum de Conciliis congregatis ab Imperatoribus, vt ipsi dicunt.

86 Constantinopolitanum indictum quidem fuit ab Imperatore Theodosio, sed de mandato Papæ Damasi, vt colligitur ex illis verbis. *Conuenimus namque Constantinopolim litteris proximis adducti, quas reuerentiæ vestræ post Synodum Aquileiensem ad Dei amantissimum Imperatorum Theodosium dedit.* Episcopi se excusant apud Pontificem, quod non possunt venire Romam ad Concilium Damasi congregati Constantinopoli ex literis Cæsaris datis à sanctitate sua, igitur auctoritate Pontificis illud coegit.

Ephesina de mandato Cœlestini I. indicta fuit à Cyrillo Alexandrino, *ex eius Epist. 1. tom. 1. fol. 1013. fol. 1017. fol. 1087.* in quibus Cyrillus cum Arcadio, Proiecto, & Philippo Cardinalibus asserit se cum illis præsidere in Concilio nomine Papæ, non auctoritate Imperatoris, qui in sua Epist. ad Cyrillum fol. 945. ait Sacerdotum Dei, & non Principum esse disquirere circa dogmata fidei, & Synodum ad hunc effectum congregare. Idem Imperator in alia, fol. 983. dicit, esse nefas, alios, quam Sacerdotes Ecclesiastica negotia Conciliorum tractare. Item in alia, fol. 1126. ait componere causas fidei in Conciliis congregandis fieri auctoritate Episcoporum non propria; vnde in alia, fol. 973. scribens Cyrillo, tradit Synodi indictionem promulgatam fuisse per litteras Metropolitani Ephesini. Nec te perturbent; quæ passim leguntur in eadem Synodo de Cæsare conuocante, seu cogente Concilium, quia similia verba non sunt accipienda auctoritatiuè; sed cooperatoriè, delegatiuè, defensoriè, & executiorie ad mentem summi Pontificis, & Patrum Catholicorum, quibus vniti fuerunt de mandato executorio voluntatis Pontificiæ, & Concilij Imperatoris nonnulli Episcopi, qui vti sequaces Nestorij nolebant accedere ad veram Synodum, sed separatum conuenticulum pro Nestorio agere volebant. 87

Calcedonensis Synodus indicta fuit à Leone I. vt legitur in duabus litteris imperialibus tom. 2. fol. 126. in prima illis verbis: *Quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te Auctore*, id est, Leone Papa, *maxima pax circa omnes Episcopos.* In secunda sic legitur: *Superest, vt si placuerit suæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare.* Et subdit Martianus Augustus, quod si Papa non potest venire ad Concilium, de hoc admoneat, & det sibi litteras cum facultate indicendi Synodum, & conuocandi Episcopos ad locum à se assignandum, fuerat autem locus designatus in Nicæa, sed postmodum dignis de causis ad iussionem Papæ Cæsar transtulit Calcedonem. 88

Sardicense demum Concilium fuit conuocatum à Iulio Pontifice agente, & cooperante Constantio Imperatore, vt legitur in Epistola Synodali tom. 1. fol. 662. Cæsares ergo erant promotores, coadiutores, cooperatores Pontificis Romani indicentis Concilia, quæ ab Imperatoribus defendebantur, & protegebantur contra proteruos, & contumaces. 89

Quæres 25. An Concilium legitimè indictum etiam cœptum celebrari possit à Papa dissolui, & alio transferre?

℞. Concilium etiam cœptum Papa ex causa dissoluere potest, & alio transferre, ita vt à Patribus Congregatis in primo loco continuari non possit amplius, adeo quod gesta deinceps nullus sunt momenti, & Concilium incipit esse conciliabulum. Probatur auctoritate cap. Multis 5. dist. 17. *Multis denuo Apostolicis, & Canonicis, atq; Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absq; sententia Romani Pōtificis Concilia celebrari. Quapropter, vt iam dictum est, rectè nō Conciliū, sed vestrum Conuenticulum vel Conciliabulū cassatur, & quicquid in eo actum est, irritū habetur, & vacuum.* Pius II. Bulla 10. incip. In minorib. §. 10. inquit. *Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus, cui, & congregare Generalia Concilia, & dissoluere datum est.* Clarius præ cæteris Leo X. Bulla 20. incip. *Pastor æternus*, reprobando conuenticulum Basileæ, his verbis §. 6. *Cum etiam solum R. P. pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem* 90

Concilio

Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, ne dum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum R.P. prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constet. Ibidē plura refert testimonia huius materiæ. Ratio est, quia non solum indictiò; sed etiam eius continuatio, & consummatio est in potestate Papæ, continuo enim Patres dependent in agendis negotiis Ecclesiæ à capite influente in membra, sicut caput naturale hominis viuificat cætera membra, quæ sine illo operari nequeunt ergo nolente capite membra ab ea separata nihil operari possunt. Confirmatur, quia vt definiuit prima Synodus Nicæna Nullum Concilium celebrari potest sine auctoritate Pontificis, celebratio autem Concilij potissimum consistit in eius inceptione, & continuatione, nam per indictionem non dicitur celebrari, sed admoneri Patres, vt se præparent, & eant ad locum, vbi celebrandum est, ergo non minus necessaria est auctoritas in celebratione, quam in indictione, quare si Papa per dissolutionem illius Concilium alio transferat, vel non, iam Concilium prosequens sua negotia, non amplius dicitur celebrari auctoritate Pontificia, ergo nullum est, & prorsus inualidum quoad se, & acta in eodem.

Quæres 26. An acta Concilij obligent ante confirmationem, & promulgationem Concilij? Et à quo fiat illius confirmatio?

91 ℞. Concilium non obligat nisi post confirmationem, & promulgationem faciendam à Pontifice Romano, quæcumque sint ea in ipso determinata, siue articuli, & definitiones fidei, siue reformationes morum, & quæcumque alia acta.

Primum, quod Concilium non obligat ante confirmationem promulgatam, probatur, Tum exemplo Concilij Apostolorum Act. 10. in eo enim statuerunt, quæ controuertebantur, quibus expeditis legem in eo latam approbauit Petrus cum cæteris Apostolis, & iussit publicari in eo acta, scribendo per Epistolam fratribus, vt posita promulgatione Concilium afficeret omnes fideles. Paschalis Papa Relatus cap. significasti 4. de elect. *Cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas* Pelagius Papa II. in sua Vn. Bulla §. 1. sic ait: *Cum Generalem Synodum conuocandi auctoritas Apostolicæ sedis Beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.* Gelasius in Epistola ad Siculos tom. 2. fol. 441. hæc scribit. *Totumque in sedis Apostolicæ potestate est positum, ita quod firmauit in Synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit, quod refutauit, habere non potuit firmitatem.* Acta igitur in Conciliis nullam aliam firmitatem habent, nec proinde obligationem producunt, quam illis tribuit Pontifex Romanus per suam approbationem, & confirmationem promulgatam. Ratio est, qui acta Conciliorum initio, medio, & fine continuè pendent ab auctoritate Pontificia, quæ in omnibus intelligitur reseruata, sicut ergo incipiunt virtute indictionis, sub qua prosequuntur, nisi dissoluantur, ita perficiuntur, & absoluuntur auctoritate Pontificia, & incipiunt obtinere suum robur, & vim obligandi per confirmationem, posita debita promulgatione. Et id est conforme iuri, nam principium ponens, & finem statuere debet, *cap. Nullus 56. dist. 1. de pœnit.* Et finis ab eo procedere debet,
92 à quo principium sumpsit exordium, *l. 3. §. Seio, ff. de minor.* Confirmatur, quia Concilia, vt patet, & mox probabitur, egent confirmatione Romani Pontificis, ergo nondum subsistunt, & firma sunt quoad obligationem, licet enim propriè non confirmentur nisi, quæ subsistunt, quod enim confirmatur supponitur esse, Bald. *in l. Nominationes vers. Concludo ergo, Cod. de appellat.* Decius *in Rubr. de confirm. num. 2.* quia con- 93
firmatio est iuris prius habiti corroboratio, *l. Et quia, ff. de iurisd in iud. Card. in Clem. 1. de iureiur. Notab. 7.* ac proinde per huiusmodi confirmationem acta Concilij supponantur existere, nondum tamen sunt corroborata, & firmata vt leges obligantes omnes, quam virtutem recipiunt per confirmationem, vel nulla remanent si reprobentur, vel non obligant, si nec confirmentur, nec infirmentur.

Secundum, quod confirmare Concilia spectet ad Romanum Pontificem, probatur tum ex allatis supra auctoritatibus, tum sequentibus, nam primum Concilium, quod fuit Nicænum à Patribus in eo congregatis petitum fuit confirmari à S. Syluestro, qui illum indixerat in Nicæa ciuitate, quique ad hunc effectum, vt confirmatio esset celebrior, & solemnior congregauit Synodum ex 275. Episcopis, & illud cum ipsis examinauit, & approbauit his verbis: *Quicquid in Nicæa Bithiniæ constitutum est ad robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ à sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo nostro ore conformiter confirmamus.* Tom. 1. Concil. fol. 592. Ratio est, quia ad eum spectat confirmatio, qui est superior eorum, quorum acta sunt confirmanda, nam confirmatio est actus superioritatis, Bald *in l. fin. Cod. de legibus, §. Talis* 94
Host. & Abbas *in cap. 1. de locato,* Decius *in Rubr. de confirmat. num. 1.* ibidem Berous; sed Papa est superior Concilij, *ex probatis hic q. 17.* ergo ad eum spectat confirmare Concilia. Confirmatur, quia solus Papa est iudex controuersiarum fidei, ex probatis cap. præced. q. 31. in Conciliis autem potissimum agitur de controuersiis fidei, & deciduntur, vt igitur iudicium infallibilis veritatis recipiant confirmandæ sunt, & stabiliendæ à Pontifice Romano supremo illarum iudice. Alias auctoritates habes infra sub numero 119.

Tertium, quod prædicta de obligatione, & con- 95
firmatione intelligantur tam de articulis fidei decisis, quam de reformatione morum, & quorumcumque aliorum actuum; probatur, tum quia connexorum idem est iudicium, cap. Translato 3. de constitut. cap. Quanto 3. de iudic. *l. Oratio 16. de sponsal. l. Quæ religiosis 44. ff. de rei vendicat,* quia pro vno reputantur, gloss. v. *Annexi cap. Cum singula 32 de præbend. in 6.* Scaccia *de appellat. quæst. 17. limit. 21. num. 25.* adeo, quod dicitur de vno dicitur de altero ex citato *cap. 3. de constitut.* quia connexa dicuntur indiuidua, quæ in dispositione eadem non diuiduntur, Surd. *decis. 199. num. 13.* Sed acta in Conciliis siue fide, siue morum connexionem habent ad inuicem vt notum est, ergo si omnia à Papa confirmantur, par obligatio ex confirmatione, & promulgatione actorum inducitur sine vlla differentia, ergo obligatio in vtrisque incipit à promulgatione Pontificia. *Tum quia,* obligatio totius Concilij tam actorum fidei, quam morum pendet ab auctoritate Pontificia, ergo par obligatio sequitur positis confirmatione, & promulgatione actorum fidei, & morum, igitur decisa de fide non obligant nisi post promulgationem, posita Pontificis confirmatione.

Hinc sequitur, quod si Papa non confirmat Concilium in eo de fide decisa non obligare, quia non habent firmitatem in ordine ad obligandum nisi à confirmatione, si accedat cum promulgatione Pontificia auctoritas, more aliarum legum, statim incipiunt obligare de quo nemo dubitat, quia de ratione legis obligantis est promulgatio, sine qua nulla lex vires suas recipit. A fortiori hoc procedit, si Concilium reprobetur, cuius rei exemplum habemus in Conuenticulo Basileæ, in quo definitum fuit de fide sub sess.

36. anno 1439. Beatam Mariam Virginem conceptam fuisse immunem à peccato originali,ac proinde eius conceptionem esse Immaculatam,prout nunc sub hoc titulo veneranda est ab vniuersa Ecclesia Catholica ex Bulla Gregoriana,non tamen res de fide definita est,quia definitio illius Conciliabuli Basileæ approbata non fuit ex reprobatione eiusdem Concilij per Eugenium IV.& præcipuè per Leonem X.in sua 20. incip. *Pastor æternus.* Nullius ergo momenti sunt definitiones fidei per Concilia factæ, quando non confirmantur, à fortiori quando reprobantur,quia solius Papæ est definire dubia circa fidē.

Dices primo, Concilij obligatio videtur inchoare à subscriptionibus Patrum,in fine Concilij,dum illud absoluitur subscriptione, vt colligitur ex tenore approbationis, nam sic subscribuntur Ozius *Episcopus ciuitatis Cordubensis Prouinciæ Hispaniæ dixit: credo sicut scriptum est.* In conclusione Tridentini Patres ita vnanimi consensu se communiter subscripserunt his verbis: *Omnes ita credimus, omnes idipsum sentimus, omnes consentientes,& amplectentes subscripsimus. Hæc est fides beati Petri, & Apostolorum, hæc est fides Patrum; hæc est fides orthodoxorum.* Ecce fides promulgata, & proclamata à Patribus, & ab eisdem credita in Concilio ante illius confirmationem à Papa faciendam, ergo incipit obligare ab Acclamationibus, & subscriptionibus Patrum eiusdem Concilij. *Secundò,* definitiones fidei non sunt noui articuli à Concilio inuenti, sed eiusdem declarationes articulorum iam à Deo reuelatorum, qui nobis erant ignoti, ideò declarantur, & manifestantur alias ignoti, est autem iuris axioma, quod declaratio nihil de nouo ponit, sed quod inerat legi obscurè manifestatur,& ostenditur, cum ergo articuli declarati alias essent tales, posita declaratione per Concilium incipiant obligare.

96 ℞. Ad primum, nihil inferri contra nostram responsionem, quia illæ subscriptiones, & acclamationes Patrum sunt protestationes fidei, in quam ipsi primo consenserunt, in exemplum aliorum Catholicorum, qui credere debent quandocumque illis debito modo intimabuntur per legalem promulgationem, vnde Patres ab aliis dissentientes in Concilio hæretici sunt iudicandi posita promulgatione ab initio acclamationis,quia fidem ex officio acclamare tenebantur, est enim speciale hoc in definitionibus fidei, vt primi decisores sint ad credendum, nam per eorum credulitatem articuli fidei stabiliuntur, ne videantur Pharisæi, aliud proferentes, & acclamantes, aliud in corde habentes,cum enim ipsi iam sint certi de dubij decisione, non egent amplius certiorari de fide ipsis nota,quod non potest dici de aliis,qui absentes ignorant. In rigore tamen loquendo non videntur propriè hæretici ante promulgationem,quia reuera obligatio incipit à promulgatione, vnde tales valdè temerarij sunt dissentientes ab omnibus aliis, cum quibus debuissent se præparare,& disponere ad credendum positis confirmatione,& promulgatione.

Ad secundum respondetur, declarationem legis dubiæ,ad hoc vt obtineat vim legis more aliarum legum,cum & ipsa sit lex declaratoria, & interpretatio legalis,necessario esse promulgandam,nam triplex est
97 declaratio,iudicialis,Doctrinalis,& legalis de quibus Gloss.*in cap Sicut enim 30.11.q.1.* legalis autem procedit à legislatore, quia eius est interpretati,cuius est condere,*l.Cum de nouo Cod.de legib.cap.Inter alias 31. de sent.excom,*consequenter cum & ipsa formaliter sit lex,vt dicit Decius *in cap. Ad hac, de postulat.prælat.*
98 *num.61 per l.fin. Cod.de legibus,* vbi etiam dicit redigendam esse in scriptis, ad sui obligationem requirit promulgationem,Suar *lib.3. de legib.cap.15. num.17.* Bonac.*q.1.de legib.p.4.num.11.* Castropal. *tom.1.tr.3. disp.1.p.10.num.4.* Salas *de legib.disp.12.sect.1.num.8.* vnde aliud est,quod nihil addant,nisi quod de obscura facit claram, aliud, quod egeat promulgatione ad sui obligationem.

Quæres 27. An Papa teneatur stare determinatis in Concilio respectu eorum, quæ spectant ad fidem?

℞. Negatiuè, *Tum quia,* vt patet ex mox probatis Concilium respectu omnium suorum actuum quoad
firmitatem, & obligationem dependet ab auctoritate Papæ, ergo si Papa nolit auctorizare acta Concilij, pro nihilo habentur, consequenter Papa ad nihil tenetur etiam respectu actorum fidei. *Tum quia,* in omnibus Conciliis intelligitur reseruata 99
auctoritas Romani Pontificis, cap. significasti 4. de elect. & super ipsa habet plenum ius, & potestatem 100
ex Bulla 20.Leonis X.ex q.25. ergo non cogitur stare actis Conciliorum etiam in rebus fidei decisis per ipsum, aliter non haberet plenum ius, sed imperfectum, & diminutum. *Tum quia,* est supra Concilium ex probatis q.17.adeo, quod illud cogere potest,non vero Concilium Papam,ergo in nullo ligatur.

Quæres 28. An Papa possit derogare Conciliis? Non loquor de Conciliis celebrandis,an ea impedire possit?quia constat ex probatis in præcedentibus posse,cum eorum indictio, continuatio, dissolutio, translatio,& confirmatio sit in potestate Papæ. Quæstio igitur est de iam celebratis,& à Papa confirmatis.

℞. Eis derogare non potest quoad articulos fidei 101
stabilitos,vtique vero quoad alia decreta.

Primum, quod non possit derogare articulis fidei iam confirmatis,probatur hoc de fide Baruch.4. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ in æternum est.* Petrus Epist. 1. 25. *Verbum Domini manet in æternum* Lucæ 2. 33. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Eccli cap.40.12. *Fides in æternum stabit.* Sed definitiones fidei, quæ fiunt in Conciliis sunt lex Dei æterna,quæ in æternum stat,definitiones enim non sunt noua lex,sed tantum declarationes rei obscuræ manifestatæ, quæ facta est clara,& de dubia certa per interpretationem, ergo si fides in æternum stat non potest derogari auctoritate Pontificis. Ratio est,quia licet declaratio ab homine ponatur, non tamen ipsa fides declarata super obiectum, quia est à Deo auctore illius & legislatore; super legem autem diuinam de præceptis, & articulis fidei Papa nullam habet potestatem derogatiuam, sed tantum declaratiuam, cuius est illam conseruare, non vero destruere.

Secundum de derogatione aliorum extra fidei 102
materiam, probatur. *Tum quia,* eadem res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, ex vulgatis iuribus. Decreta autem Conciliorum eduntur à Patribus,sed nascuntur per auctoritatem Pontificiam confirmantem,ergo per eandem tolli possunt. *Tum quia,* ad destruendum,seu reuocandum legem non requiritur maior potestas, quam ad instituendum, & construendum, vnde destructio rei requirit easdem so-
lemnitates,quas postulauit eiusdem factio l.Hæredes 103
palam,§.Si quid post ff de testam,ergo Papa, vel dedit esse decretis Concilij, vel eius successor ea potest reuocare, cum omnes Pontifices sint pares in potestate. *Tum quia,* quilibet legislator suam legem ex causa legitima reuocare potest, quando enim legem condit, non sibi aufert potestatem derogandi ei; sed
lex Conciliaris vocatur lex Papalis, & à Papa, quia 104
ab eo solo vires recipit per eius confirmationem, vnde facit illud, quod confirmatio facit confirmantis
suum,quod non erat suum,*l.1 Cod. de vet. iur. enucl. cap. si Apostolica 22. de præb nd. in 6.* ergo derogari potest. Vide Turrecrem. *in cap. Sacrorum 34. distinctione 63.& cap.Sicut sancti dist.15.* vbi rem fusè prosequitur. 105

Quæres

Quæres 29. Quando Papa facit aliquam constitutionem, vel concedit aliquod priuilegium, vel rescriptum, quod est contrarium legi alicuius Concilij, intelligatur per hæc derogare Concilio in his, nulla facta mentione Concilij nec in genere, neq; in specie.

106 Respond. Non censetur derogatum Conciliis per clausulam generalem: *Non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis*, Sed necessaria est clausula: *Non obstantibus constitutionibus in Conciliis editis*. Tridentino vero censetur derogatum per generalem clausulam obstantiæ, nulla facta mentione Concilij. Hæc omnia distincte probaui *Controu. 49. quæstione vndecima numero* 131 *fol.* 472. typis Romanis. Vbi retuli diuersorum opiniones. Nota tamen vnum, quod si Papa suam edit constitutionem directe, & ex diametro contrariam constitutioni Conciliari, aut si alicui facit priuilegium, verbi gratia, quod Sacerdotes Regulares talis Religionis possint excipere confessiones sæcularium cum sola approbatione sui superioris regularis, vel hanc gratiam vni religioso faciat, nulla posita obstantia, in casu dicendum est, sine dubio derogasse constitutioni conciliari; *Tum quia*, ista colligitur ex capite primo, de const. in 6. vbi noua constitutio tollit priorem contrariam, licet id non exprimat, censetur tamen illi derogare, qua legislator in scrinio pectoris sui censetur habere omnia iura, ergo etiam Conciliaria, quia & ipsa continentur sub nomine iuris. *Tum quia*, aliter posterior constitutio redderetur illusoria, & similiter rescriptum, seu priuilegium, & gratia, atque videretur illudere proximo suo, & illum decipere verbis aliquid illi donando, facto autem, & in re nihil donauit, si non censetur derogatum, quod alias obstabat. Verum quidem est, quod in nouis constitutionibus, & Rescriptis apponuntur ordinariæ clausulæ derogatoriæ.

Quæres 30. Quis præsidere debeat in Conciliis?

107 Respond. Munus præsidendi Conciliis spectat potissimum ad Pontificem Romanum per seipsum, vel per suos legatos, Cardinales, vel alios Prælatos; nullis autem Conciliis orientalibus personaliter præfuit, sed tantum per legatos, aliquibus occidentalibus per suam personam interfuit, adeo quoad nullum alium, neque Imperatorem pertinet hoc munus.

108 Prima pars, quod præsidere sit solius Papæ, Probatur. *Tum quia*, in Concilio Apostolorum Act. 15. præsedit Petrus cæterorum caput, vt probaui cap. 3. q. 39. *Tum quia*, Papa in omnibus Conciliis orientalibus præfuit per suos legatos, nam primo Nicæno præsedit per Ozium Episcopum Cordubensem, Victorem, & Vincentium Cardinales Præsbyteros. Constantinopolitano primo præfuit per Nectarium ibidem Episcopum, nullum misit legatum, quia eo tempore Romæ aliud Concilium celebratur. Ephesino primo præfuit Cyrillus Alexandrinus locum tenens Cœlestini Papæ, transmissis deinde Arcadio proiecto Episcopis, & Philippo Præsbytero Cardinalibus. Calcedonensi præfuerunt Paschasinus, Lucentius Episcopi, & Bonifacius Præsbyter Cardinales, id fatetur Papa Leo in sua Epist. 45. tom. 2. fol. 56. Constantinopolitano secundo Papa Vigilius per Eutichium Patriarcham Constantinopolitanum. Tertio Constantinopolitano nomine Agathonis Papæ præfuit Theodorus, Georgius Præsbyteri, & Ioannes Diaconus Cardinales. Nicæno secundo nomine Adriani Papæ sederunt duo Petri, vnus Archipræsbyter Sancti Petri Romæ, alter Monachus, & Gubernator Sanctæ Sabæ Romæ, Cardinales. Constantinopolitano quarto, quod est octauum Generale orientale pro Adriano Papa II. regebant Donatus, Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus Cardinales. Idem dicitur de aliis, vt apparet legentibus.

Hinc apparent mendacia Caluini, cum cæteris hæreticis errantibus dum asserunt Pontifices nec per se, nec per alios præfuisse, sed quoscumque Episcopos posse præsidere, vnde volunt Nicæno præfuisse Athanasium, Constantinopolitano tertio Mennam; Ephesino secundo Dioscorum. Vide Bellarminum *libro* 1. *Concil. cap.* 20. vbi accurate respondet obiectis hæreticorum.

Secunda pars de præsidentia personali constat, quia in omnibus Conciliis Romæ celebratis Papa præsidebat, & extra fuit præsidens personaliter Eugenius IV. in Florentino, & ante in Constantiensi præfuit immediate Ioannes XXIII. licet postea aufugerit, præcognito decreto de potestate Concilij supra Papam.

Tertia pars, quod Imperator nulli Synodo auctoritatiue præfuerit, neq; nomine Papæ, sed tantum fuerit præsens aliquando, constat ex probatis hic sub q. 24. 109
Confirmatur, quia præsidentes primo loco, prout repræsentant personam Pontificis primo loco subscribunt; nullus autem Imperator vnquam primo subscripsit, nec sedit, vnde Constantinus vltimo voluit ex 110
humilitate, & reuerentia Sacerdotum loco sedere, ex Theodoreto, & Eusebio Bellarmin. *lib.* 1. *Concil. c.* 19. & postremo subscripsit, vt testatur Basilius Imperator in fine octauæ Synodi. *Tum quia*, in Constantiensi semper fuit præsens Sigismundus Cæsar, & nunquã 111
ibi præfuit per se, neque per alium, vnde, quando Gregorius sponte renuntiauit suo Papatui præsenso Patres Concilij honorarũt Imperatorem in illo actu, qui non simpliciter præsedit, sed tanquam præsidens, vt legitur in sess. 14. adeo quod ante, & post dictum actum in eadem etiam sessione, recessit ab eo loco, & accessit ad locum suum ordinarium, quem sibi Synodus illa præscripserat, quod signum est, Cæsares non præsidere Conciliis. *Tum quia*, orta controuersia, quis deberet habere digniorem locum Cæsar an Petrus in Concilio Florentino, ex gestis aliorum Conciliorum conclusum fuit, digniorem locum deberi Eugenio IV. & non Ioanni Palæologo Græcorum Imperatori, vt refertur tom. 4. Concil. fol. 782. ergo præsedere non debet Cæsar, quia ei non debetur locus dignior, in Concilio enim est membrum, non caput.

Quæres 31. An Concilium repræsentet totam Ecclesiam?

℞. Concilium legitimè congregatum repræsentat 112
totam Ecclesiam in suis membris principalioribus. Probatur per analogiã ad corpus naturale hominis, quod sicuti totum hominem præsefert, quando constat ex partibus principalioribus ipsum integrantibus, licet in eo desint aliquæ partes minus principales, imò aliqua ex principalioribus e. g. si desint digiti, auriculæ, manus, pedes, brachium, &c. adhuc corpus humanum alias partes sibi vnitas habens præsertim cum capite dicitur totum hominem repræsentare, quia eius totalitas non perditur ex illis partibus minutioribus, imò neque ex carentia alicuius ex principalioribus, vt si ei desit brachium. Ita corpus morale Concilij simul vnitum Congregatum physicè, & moraliter totã repræsentat Ecclesiam, quando compositum est ex capite, & membris principaliorib. qui sunt Pontifex Romanus, & Episcopi; isti enim sunt principaliores partes Concilij, sine quibus id consistere non potest, dicitur autem repræsentare totam Ecclesiam, quia Patres in eo Congregati tractant negotia necessaria, & vtilia reipublicæ Catholicæ, quibus nullus contradicere debet, nec potest, cum omnes fideles extra Concilium dicantur subiecti Concilio agenti pro salute, & beneficio omnium Christianorum; & si aliquando absit à Concilio aliquis Episcopus etiam Patriarcha, imò aliqua natio, immò neque aliquis regularis adsit;

adhuc Concilium dicitur repræsentare totam Ecclesiam virtualiter contentam in capite, & illis membris principalioribus, eo ipso, quod tractant negotia omnibus indifferenter vtilia, cum Papa, & Concilium sint super omnes siue in Concilio præsentes, siue ab-
113 sentes. Nullis præsentibus Prælatis regularibus crederem non esse condecens reformare Religiones circa quædam specialia, quæ possent repugnare eorum Regulæ, seu professioni, nisi ab eisdem habita informatione, experiuntur enim Regulares quandoque exquisitas Reformationes fuisse illis potius in destructionem quam in ædificationem, negotium experiuntur modo omnes ferè religiones, dum non recipiunt nouitios. Prædicta procedunt, siue Papa sit personaliter in Concilio, siue per suos legatos, quia moraliter etiam tunc dicitur esse præsens, & vnitus corpori Concilij per legatos dirigendo Patres in nomine Domini. Dixi, dummodo sit legitime Congregatum, quod contingit, quando à Papa indicitur, & non dissoluitur, neque alio transfertur, vt patet ex su-
114 pra dictis, dummodo legati, & Patres non agant contra instructionem à Pontifice missam in Concilio, vnde Concilium Constantinopolitanum sub Nicolao I. celebratum non fuit legitimum, quia ab illis actum fuit contra instructionem datam à Papa Nicolao, qui de illis expresse conqueritur in sua Epistola extenta tom. 3. fol. 905. Nullum quoque fuit Ephesinum secundum, quia illius Patres voluerunt definire contra voluntatem legatorum. Quando igitur, legati, vel Patres faciunt contra instructionem, & mandatum sibi commissum, acta Concilij nullius
115 sunt momenti, *l. Diligenter ff. Mand. l. si procurator, Cod. de procurat. cap. Cum dilecta 22. de rescr. cap. cui 27. de præbend. in 6. cap. Si cui 23. de elect. in 6.* in quibus locis dicitur, gesta non seruata mandati forma, non tenere, ratio est, quia tunc facit secundum propriam voluntatem, & non secundum voluntatem delegantis, secundum cuius voluntatem agere debet, cum illius vices gerat. In terminis de legatis ad Concilium, qui non fuerunt executi mandatum. Leo Papa I. Epist. 43. ad Pulcheriam tom. 2. fol. 54. sic scribit: *Qui dispositiones meas fratris mei Anatolis deuotione sociata, secundum eas, quas acceperunt regulas exequentur.* Agato Papa ad Imperatorem his verbis. *In quantum eis*, id est, legatis missis ad sextam Synodum, *duntaxat iniunctum est, vt nihil profecto præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius Apostolicæ sedis, vt à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare*, tom. 3. fol. 245. in Act. 4. Non licet ergo Concilio, nec legatis præterire mandatum Pontificis datum ad directionem Synodi.

Quæres 32. An Concilium iam indictum, & congregatum inchoari possit ante aduentum Legatorum Papæ?

Respond. Negatiuè, quia sine capite in illis re-
116 præsentatum nihil agendum est, vt inquit Innocent. in cap. Cum accessissent, de constitut. caput enim siue per se, siue per alium mouet reliqua membra dirigendo in suas operationes similitudine deducta à capite naturali corporis humani influente suam virtutem in subiecta membra. Confirmatur, quia Concilium sine capite dicitur acephalum, ac proinde cæco modo operari.

Quæres 33. A quonam Concilium potestatem habeat agendi dum est congregatum?

117 Respond. Concilium omnem potestatem, quam habet recipit à Papa indicente, continuante, & confirmante illud, à sede enim Apostolica incipit habere auctoritatem cum primo præsidentibus Pontificis Romani legatis inchoatur Concilium. Probatur primo auctoritate Sacræ Scripturæ Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo, vel tres Congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sermo est de Conciliis, vt docet beatus Cœlestinus in sua Epistola ad Concilium Ephesinum; sed tunc Concilia dicuntur congregari *in nomine meo*, id est, Christi quando congregantur auctoritate Pontificis, qui nomen, & vices Christi gerit, ergo in medio Concilij incipit esse Christus per auctoritatem suam, quam primo tradidit Pontifici Romano, Concilium igitur eam immediatè, & independenter à Papa, non recipit à Christo, sed eam recognoscit à Petro, prout eam recepit à Christo aliis communicandam, nulla enim alia ratione est in medio Concilij Christus per suam potestatem, nisi ministerio Petri, quem vult indicere Concilium, vt simul recognoscat potestatem, quam ab eo acquirit in ipsa inchoatione sicut ergo Concilium congregatur auctoritate Pontificis, ita ab eo Patres congregati potestatem accipiunt tractandi negotia fidei, & morum.

Probatur secundo auctoritate diuersorum Cano- 118
num, & summorum Pontificum, qui asserunt non posse Concilia congregari, nec quicquam valere, sine indictione, & approbatione sedis Apostolicæ, quorum auctoritates adduximus supra quæstione 22. 25. & 26. Quibus vide Canones relati distinctione 17. can. 1. *Synodum Episcoporum absque huius sanctæ sedis auctoritate non potestis regulariter facere.* Ea autem verba *Non potestis* indicant Concilia carere potestate, quæ illis à Papa non fuit concessa, cum non constet de illius communicatione per congregationem non indictam à Papa. Ea enim clausula *Non* 119
potest annullando acta attentata indicat carentiam potestatis in eo, cui prohibetur, Molin. *lib. 2. de primogen. capite vndecimo, numero vndecimo*, Sanchez *libro 6. disputatione 38. numero 20.* Gutierrez *in l. Nemo potest, ff. de legat. 1. numero 145.* Ceuallos *commun. contra communes quæstione 404. numero quinto*, quod signum est, Concilium omnino suam potestatem recipere à Pontifice Romano. Seq. canon. 2. eiusdem distinctione 17. *Regula vestra nullas habet vires, nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ legatus interfuit.* Canon. 4. ibidem. *Nec licuit aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare sed quoties aliqua de vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur ad recipiendam de eo, quod non intelligunt rationem aut sponte ij, qui anima sua salutem desiderant, ad Apostolicam sedem pro recipienda ratione conueniant.* Nullo vmquam tempore licuit congregare Concilium, ergo in eo nulla potestas esse potest, nisi quam illi tribuit Pontifex Romanus. Item Can. 5. eiusdem distinctione decimaseptima, sic scribitur: *Multis denuo Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari, quapropter, vt iam dictum est, rectè non Concilium, sed vestrum conuenticulum, vel Conciliabulum cassatur, & quicquid in eo actum est, irritum habetur, & vacuum.* Nihil ergo validum attentari potest in Conciliis, quæ auctoritate Papæ non celebrantur, indicans neque à se, neque à Deo aliquam habere potestatem Concilium, quod non celebratur auctoritate Pontificia, necessario ergo ab hac suam recipiunt potestatem.

Probatur 3. auctoritate Pij II. in sua Bulla 10. incip. *In minoribus* retractans ea, quæ asseruerat in Conuenticulo Basileæ hæc statuit: *Vnus est omnium moderator, & arbiter Iesu Christi Vicarius, à quo tanquam à capite omnis in subiecta membra potestas & auctoritas deriuatur, quæ à Christo*

Domino

Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Loquitur apertè de membris etiam in Concilio Congregatis, in quæ Pontifex Romanus omnem potestatem qua indigent influit immediatè acceptam à Christo Domino, ergo non dicitur hæc potestas immediatè à Christo descendere in Concilium.

Probatur 4. ratione. *Tum quia*, omnis potestas iurisdictionis, qualem recipit Concilium originatur in omnes, ac proinde etiam in Consilium, à Pontifice Romano, vt probatum fuit cap. 5. quæst. 46. *Tum quia*, si Concilium aliunde reciperet potestatem non esset Pontifici Romano, subiectum, sed contra eius voluntatem firmiter disponere posset, contra probata hic quæstione 7. *Tum quia*, eius acta valerent absolutè sine confirmatione Pontificia frustra ab eo confirmarentur, quia iam satis firma essent ex voluntate, & potestate propria Concilij, ad valorem enim alicuius actus vt firmiter subsistat sufficit voluntas, & potestas agentis, propria ab alio
120 independens homine, *cap. Cum super, de off. deleg.* Bald. *in l. omne verbum, Cod. com. de legat.* Alex. *libro 4. consil. 52. num. 30.* apud Rotam *volum. 1. decis. 451. n. 2. Tum quia*, semel indictum illud non posset dissoluere, seu alio transferre, nec reprobare, contra hic dicta sub quæst. 25. & 26. Quæ omnia sequuntur, si ponamus Concilium à Deo immediatè habere potestatem agendi independenter à Papa, neque enim ab homine etiam Pontifice efficaciter aufferri potest ab alio homine, quod illi Deus immediatè concessit, vt habetur exemplum in potestate ordinis, quæ à solo Deo confertur in ordinatione à nulla potestate humana aufferibili.

Dices primo Concilium hanc potestatem habere immediatè à Deo, non à Pontifice Romano, quia Deus dicit, se esse in medio Congregationis vocatæ in nomine suo, ergo immediatè ibi est, & non ministerio Pontificis, neque enim Deus dependet in hoc, sicut neque in aliis ab homine: Deus ergo immediatè confert potestatem Concilio, quod est esse in medio eius. *Secundò*, idem probatur auctoritate octauæ Synodi in damnatione Photij his verbis: *Photium resistentem, & inobedientem huic vniuersali Synodo repulimus, & anathematizauimus, atque à tota Catholica, & Apostolica Ecclesia fecimus alienum per datam nobis potestatem in Spiritu Sancto à primo, & magno Pontifice nostro, & Deo liberatore nostra, & Saluatore cunctorum.* Concilium manifestè fatetur, se hanc potestatem habere à Christo, ergo non à Petro. *Tertiò*, Constantiense Concilium sess. 4. id expressè definiuit his verbis: *Ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitimè Congregata Generale Concilium faciens Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, &c.* Quod confirmauit Concilium Basileæ *sess. 2. 16. 18. & 33.* vbi declarat id articulum fidei, & hæreticum sentientem aliter. Quibus tamen non obstantibus persistendum est in probatis.

Obiectioni primæ respondetur per primam probationem explicantem auctoritatem Sacræ Scripturæ, Christum suâ potestate esse in medio Concilij mediante ministerio Petri, cui Christus contulit omnem potestatem per ipsum aliis communicabilem, & sicut Congregatio legitimatur auctoritate Pontificis in nomine Christi indicta, ita eiusdem potestate Patribus communicata inchoatur, non enim intelligibile est, quod acta Concilij dependeant continuè ab auctoritate Pontificis, & ab eo nullam recipiant Patres potestatem ad agendum, non diceretur Synodus continuò dependere ab illo, si suam potestatem non influeret in Patres, qui in tantum operantur legitimè decernentes, in quantum sequuntur regulam, & instructionem habitam ad celebrandum Consilium, aliter, vt supra dictum fuit, nihil validè agit Concilium, quia incipit carere potestate dum contra præscriptam instructionem agit, non enim, propria voluntate, & potestate Patres in Concilio mouentur, sed aliena, nempe Papali, delegatus enim in sua operatione mouetur à delegante *cap. Super litteris, de rescr.* & cum recedit ab eius voluntate, & bene non agit, non dicitur gerere illius vices, Decius *in cap. Sane de offic. deleg. num. 13.*

Secundæ dictioni respondetur ex illis verbis non excludi potestatem, quam Christus Dominus Tribuit Concilio, prouenire etiam à Pontifice Romano, cuius ministerio à Christo descendit, & communicatur Concilio per factum Pontificis indicentis, & inchoantis acta Synodi per se, vel per suos legatos; & quod non excludatur delegatio Pontificiæ auctoritatis, qua Patribus in Concilio communicatur potestas, patet ex eo, quod dicitur *Per datam nobis potestatem à magno Pontifice Deo*, quia omnis potestas à Deo est, Rom. 13. 1. licet adhuc bene dicatur, quod minister Dei alteri homini dat, & communicat potestatem suam; adeo quod Deus vult, vt recipiens dependeat in operari à communicante,

Tertiæ obiectioni satisfit primò, quia ibi fuit ratio specialis, vt Concilium assereret, se à Deo immediatè habere eam potestatem, quia tunc verus & indubitatus Papa non extabat, à quo posset eam recipere, ideo à Christo immediatè descendit in Concilium, vt ritè & validè posset tollere schisma ab Ecclesia. *Secundò*, respondetur ex eo, quod asseritur, illam Synodum à Deo immediatè habuisse potestatem, non sequitur, idem dicendam esse de aliis Conciliis, quæ habent caput influens in membra, nam in eo decreto non dicitur, quod Concilium absolutè à Deo immediatè habet potestatem, sed quod hæc numero Synodus eam habet, ergo id non est de ratione Concilij vt sic. Ad quod faciunt dicta superius sub quæstione 17. numero 68. *Tertiò*, huiusmodi potestas restringitur tantum ad reliqua, vnde si Papa Martinus non approbasset, quæ Synodus damnauerat contra vtrumque Ioannem, & Hieronymum de Praga hæreticos, ea non tenuissent, quod signum est illorum potestatem fuisse limitatam ad tollendum schisma, non vero extendi ad alia.

Quæres 34. An Spiritus Sanctus assistat Conciliis illuminando Patres, ne errent in decidendis de fide controuersiis?

Notandum secundum Magistrum *in primo sentent.* 121
distinctione 16. 17. & 18. Spiritum Sanctum duobus modis mitti, primò æternaliter per processionem à Patre, & Filio, de qua missione non est hic agendum, secundo temporaliter, cum scilicet in tempore mittitur in beneficium hominum, quod contingit dupliciter, *Primò*, visibiliter, & corpo- 122
raliter, qua ratione in columbæ specie visus fuit, descendere super Christum, dum in Iordane baptizatus fuit à Ioanne; & super Apostolos in die Pentecostes Congregatos in vnum visibiliter descendit in specie ignis, vt hoc modo homines certificarentur, Apostolos esse Dei amicos, & habere secum Spiritum Sanctum exterius apparentem in illa specie, sed intus illapsum in corda eorum. *Secundò*, inuisibiliter, cum mittitur sine vllo sensibili signo, & illabitur in animabus fidelium à peccatis purgatorum per gratiam, & Charitatem sanctificantem homines; vel per potestatem spiritualem creans illos ministros Ecclesiæ; vel per illuminationem illustrando, & instruendo mentes hominum

circa

circa mysteria fidei, & obseruationes mandatorum Dei. Itaque Spiritus Sanctus tripliciter mittitur, &
123 infunditur animabus fidelium, per gratiam sanctificantem animæ inhærentem; per communicationem potestatis spiritualis; & per illuminationem mentis circa ea, quæ recte fieri debent. Potestas autem spiritualis vocari potest gratia gratis data, sicut & illuminatio, ambæ enim dantur etiam ad vtilitatem aliorum. Ad nostrum propositum quæritur hic, an Spiritus Sanctus Conciliis assistat hoc vltimo modo per gratiam illuminantem, & docentem veritatem, ne Patres errare possint, iuxta illud Ioann. 16. 13. *Docebit vos omnem veritatem*, circa negotia fidei, & morum.

124 R. Spiritus Sanctus mittitur, & assistit Conciliis legitime Congregatis, illuminando mentes Patrum ne possint errare. Hoc autem priuilegium Synodus non habet immediatè à Christo Domino, sed in hoc dependet à Romano Pontifice, adeo quod illis efficaciter assistit quandocunque Concilium perseuerat legitimum, & Patres sequuntur Pontificiam instructionem, aliter non dicitur assistere, cum huiusmodi assistentia communicetur ex ministerio, & dependentia indeficientia fidei Petri.

Prima pars de assistentia Spiritus Sancti illuminantis, probatur auctoritate Sacræ Scripturæ Matth. 18. 20. *Vbi sunt duo, vel tres in nomine meo Congregati, ibi sum in medio eorum.* Non solum dando potestatem ministerio Pontificis, sed etiam assistentiam illuminatiuam conformiter indeficientiæ fidei Pontificis Romani. *Secundò* eiusdem Matthæi in fine: *Docete eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Apostoli cum cæteris Discipulis, quibus immediatè loquebatur, mortui sunt, & defuncti, viuentes cum Deo in gloria, & non expectauerunt consummationem sæculi, ergo Episcopis, & cæteris fidelibus illis succedentibus ea promissio facta fuit, & non tantum Apostolis, Acta Concil. Flor. sess. 5. consequenter Patrib. in Conciliis, quæ potissimum ex Episcopis componuntur, suam promissionem exequitur, dum docent ea, quæ fideles credere, & obseruare tenentur. *Tertio*, magnum Apostolorum Concilium Ierosolymis actum testatur de huiusmodi assistentia Spiritus Sancti Act. 15. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, scilicet illuminatis, & instructis ab eodem Spiritu Sancto. Si huic interfuit, vt de fide credendum est, ergo & aliis, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, immò posteriora Concilia videntur magis indigere diuina illuminatione, quam priora Apostolorum, qui in die Pentecostes singuli immediatè edocti fuerunt omnem veritatem. *Quartò* auctoritate Cœlestini Papæ, cuius verba refert Conciliabulum Basileæ, tom. 4. fol. 557. *Ecce beatus Cœlestinus Papa eam reuerentiam habendam esse dicit Congregationi Concilij qua debetur collegio Apostolorum, utpote in cuius medio ipse Christus assistit, Spiritus, & ipsa Trinitas.* Spiritus Sanctus nihilominus recessit ab illis Patribus, quia contra voluntatem Pontificis, qui Concilium dissoluerat, voluerunt cœptum continuare fingentes se ignorare Spiritum Sanctum adhærere solum Conciliis continuatis de mente Pontificis. *Quintò*, auctoritate octauæ Synodi Generalis his verbis: *Quis nesciat, quod in medio huius sanctæ & vniuersalis Synodi fuerit incomprehensibilis, & incircumscriptus Christus, & Dominus, qui dicit: Vbi sunt duo.* Deinde idem dicitur à Damaso Papa relato cap. Violatores 5. 25. quæst. 1. *Violatores Canonum voluntarij grauiter à Sanctis Patribus iudicantur, & à Sancto Spiritu, instinctu cuius, & dono dictati sunt, damnantur.* Item. Non deest imperialis auctoritas Pulcheriæ Augustæ in sua Epistola relata tom. 2. Concil. folio 128. vbi scribit ad consularem Bithiniæ Strategum his verbis: *Vt cum omni disciplina considente S. Synodo, sine aliqua commotione, atque contentione, quæ à Domino Christo reuelata fuerint communiter ab omnibus confirmentur.* Certum ergo est, & de fide tenendum, Christum Dominum legitimis assistere Conciliis, & Patribus inspirare ea, quæ ad veritatem Catholicæ fidei pertinent, quando Pontifici Romano cohærent, quod est secunda pars probanda.

Secunda pars, quod assistentiam Spiritus Sancti 125
Concilium habeat dependenter à Romano Pontifice, probatur. *Tum quia*, quando Christus Dominus Petro manifestauit priuilegium indeficientiæ fidei ei à Deo impetratum pro se, & suis successoribus, de quo Lucæ 22. 32. subiunxit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, id est, Apostolos, qui ratione Sacerdotij, & Episcopalis dignitatis sunt fratres tui, quorum sunt successores Episcopi, ex quibus componitur Concilium, hos ergo Pontifex Romanus aliquando, potissimum in Concilio, quod non semper manet Congregatum, sed aliquando solum, debet confirmare, hoc est, docere, instruere, & illuminare circa controuersias fidei iuxta illuminationem sibi desuper datam per Spiritum Sanctum, qui eis assistit ministerio summi Sacerdotis communicantis eisdem aliquam portionem sui priuilegij in ordine ad veritatem fidei, si non resistant, volentes abundare in proprio sensu. *Tum quia*, Concilium sicut in potestate dependet à Pontifice, vt probatum fuit hic quæstione 33. ita & in assistentia Spiritus Sancti, ita vt tunc solum illi assistat, cum agit iuxta mentem, & voluntatem eius, qui Concilium indixit, desit vero ab assistentia, quando transgreditur mandatum Pontificium, neque enim fas est, vt Spiritus Sanctus assistat actibus nulliter gestis defectu potestatis, regulatur ergo assistentia Spiritus Sancti ex parte Concilij ex priuilegio indeficientiæ fidei Pontificis Romani. *Confirmatur*, quia aliter dissoluto Concilio, vt accidit in Basiliensi, & aliis, sequeretur, quod Spiritus Sanctus assisteret Patribus, contra mandatum Papæ prosequentibus acta Concilij, & definientibus dubia fidei, consequenter, quod Papa eorum acta maximè circa fidem non posset reprobare, sed teneretur approbare, quia Spiritus Sanctus, si tunc assistit, certè illos illuminat ad veritatem stabiliendam, & tamen ex actis quamplurium Conciliorum legitimè dissolutorum, aut reprobatorum, constat Pontifices Romanos noluisse eorum definitiones circa fidem amplecti, & approbare, per hoc insinuantes Spiritum Sanctum illis non adfuisse in tali casu, assistentia ergo huiusmodi deest, cum non est legitimum Concilium, ex quo sequitur Patres illuminari dependenter à Romano Pontifice.

Quæres 35. An Concilium legitimè Congregatum possit errare in fide?

Respond. Negatiuè. Probatur, *Tum quia*, ex 126
probatis, habet assistentiam Spiritus Sancti, qui illud dirigit in determinationem veritatis, ergo errare non potest. *Tum quia*, Deus non approbat errores, sed omnino illos reprobat; sed Deus Apostolis, & successoribus Episcopis promisit approbare eorum acta Matth. 18. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Quæ de Episcopis etiam in Conciliis Congregatis intelliguntur, ex auctoritate Leonis IX. Bulla 2. in B. N. ergo cum ea Deus approbet, veritatem sine errore continent. *Tum quia*, Christus antequam cœlum ascenderet rogauit Patrem, vt suos Discipulos sanctificaret in veritate Ioann. 17. 17. *Sanctifica eos in veritate.* Christus autem pro sua reuerentia à Patre

Patre semper exauditus fuit, ergo hac sanctificatione veritatis gaudet etiam Concilium, cuius Episcopi Apostolis successerunt, vnde in Psalm. 110. Concilium vocatur Congregatio iustorum, quia in eo Patres exercent iustitiam, & veritatem, & in alio 88. dicitur, *Deus qui glorificatur in Concilio Sanctorum*, si ergo Concilium est iustitiæ, & in eo Deus glorificatur, errare non potest, quia in errore non potest esse iustitia, neque gloria Dei. De qua veritate testatur Dauid Psalm. 39. *Non abscondi veritatem tuam in Concilio multo.* Tum quia Ecclesia est firmamentum, & columna veritatis 1. ad Timoth. 3. 15. Sed Concilium est ipsamet Ecclesia, quam repræsentat, vt probaui supra q. 31. ergo Concilium est columna veritatis.

Quæ dicta sunt in præcedenti, & præsenti quæstione docent omnes Catholici vnanimi consensu cum Bellarmino *libro 2. de Concil. cap. 2. 3. 4 & 5.* vbi de Conciliis Prouincialibus non errantibus in rebus fidei confirmatis à Papa, Corduba *lib. 4. quæst. 2. Petricca lib. 3. disputatione 6.* Prouincialia non errasse colligitur ex approbatione Pontificia, non quod non possint errare ex se, quia in illis non habet locum immediata auctoritas Pontificia. De fide ergo est Spiritum Sanctum assistere Pontifici, & Conciliis, & errare non posse in materia fidei, & morum, vnde Sebastianus Medices v. Concilium cum aliis asserit, illum esse hæreticum, qui dicit, Concilium legitimè Congregatum posse errare, de quo non est dubitandum, cum id constet ex tot auctoritatibus sacræ Scripturæ.

127 Concilium autem tunc legitimum probatur, cum constat, illud fuisse à Papa indictum, inchoatum, & continuatum eo non contradicente per dissolutionem, seu alio translationem, in eo Patres seruantes instructionem à Pontifice transmissam & mandata eius, præsentibus eius legatis in absentia ipsius Papæ, quæ omnia dicuntur legitimare Concilium, quod tandem perficitur per illius confirmationem.

Hæretici negant hoc priuilegium veritatis, & inerrabilitatis sacris Conciliis legitimè Congregatis. Id autem probant duobus modis primo referentes errores, quos aiunt accidisse in aliquibus Conciliis, secundo idem probant auctoritate Sanctorum Patrum, de singulis aliquid dicendum est, respondendo eorum vanis obiectionibus.

Apostolicum Concilium aiunt, errauit in eo, quod Petrus definiuit, Gentiles non esse cogendos ad seruanda legalia, oppositum tamen voluit Iacobus reiiciendo Canonem Petri, dum definiuit, abstinendum esse à sanguine, & suffocato, quod est iudaizare.

128 ℟. Non præcepisse contraria, immò idem, quia ambo noua illa præcepta dederunt, non vti legalia, vt simul vtrumque populum facilius vnirent sub fide Christi, D. Cyprianus *lib. 3. ad Quirinum circa finem* dicit, Apostolos tria prohibuisse, fornicationem, idolatriam, & homicidium.

129 Nicænum primum dicit, non esse idoneos ad sacerdotium, qui se castrauerunt, & postea prohibet vxores sacerdotibus, quæ pugnant adinuicem. Deinde can. 2. damnat militiam, quam probat Ioannes relatus Lucæ 3. Item mandat rebaptizari Paulianos contra definitionem aliorum Patrum, qui negant, hæreticos esse rebaptizandos, non enim Baptismus est reiterabilis, secundum fidem Catholicam.

130 ℟. Non pugnant: nam castrati per seipsos non possunt promoueri, nec in susceptis ministrare, quia sunt irregulares, cap. Significauit 4. de corp. vitiatis. In eo canone non damnatur militia secundum se, sed modum quo à cingulo ad fidem conuertebantur, & postmodum iterum cingulum sumebant, ex quo cogebantur venerari idola, & in hoc sensu damnatur militia. Paulianistæ negabant Trinitatem, ideo reuersi ad fidem erant rebaptizandi, quia sine expressione personarum erant baptizati nulliter.

Sardicense errauit sequendo errorem Arrianorum, teste Augustino lib. 3. contra Cresconium, vbi cap. 34. dicit: *Disce, quod nescis, Sardicense Concilium Arrianorum fuit.* Et tamen approbatum fuit à Leone IV. relato cap. De libellis, dist. 20. 131

℟. Ex dictis q. 8. Hoc Concilium fuisse legitimum, quia ex Catholicis 300. Episcopis actum fuit, exclusis Arrianis, & ideo approbatum fuit, quia ex parte Catholicorum nullum continebat errorem. Vnde Augustinus loquitur, quoad eam partem, quæ confecta fuit ab Arrianis conuenticulum agentibus.

Sirmiense Concilium errauit in eo, quod Arrianam hæresim confirmauit, licet aliam Photini damnauerit. 132

℟. Ex q. 9. Sirmiense ex ea parte, qua ex Episcopis Catholicis constat fuisse sanum, & firmum, quia nullum continet errorem, sed sanam secundum fidem Doctrinam. Quoad aliam partem confectam ab hæreticis non meretur nomen Concilij.

Constantinopolitanum primum dictum secundum generale continet duos errores, vnum in can. 5. vbi primatus tribuitur Romano Pontifici contra can. 7. Nicæni, quod primatum assignat Ierosolymitano; & pugnat quoque cum Carthaginensi tertio, in cuius cap. 26. statuitur neminem vocandum esse Principem sacerdotum, aut summum Sacerdotem. Alter error fuit, quod post Papam primatum habeat Constantinopolitanus, quod pugnat cum canon. 6. Nicænis, vbi secundus locus assignatur Alexandrino. Et hos errores confirmauit Calcedonense Act. vlt. 133

R. Canonem quintum non pugnare cum septimo, nam in quinto primatus tribuitur Papæ non Ierosolymitano, cui aliqualis honor primatus datur, sed diminuti, & dependentiæ cum addito. *Salua Metropolis propria dignitate.* Vide tom. 1. fol 485. Quod nullus vocetur Princeps Sacerdotum bene statutum fuit, quia is titulus soli Romano Pontifici competit, contra quem nulla Synodus potest, maximè illa Carthaginensis, quæ fuit nationalis. Vnde gloss. *in cap. Primæ sedis dist. 99.* explicat de sede Patriarchali, quod non debet Patriarcha vocari Princeps Sacerdotum Episcoporum, quod bene colligitur ex eodem *cap. 26. tom. 1. fol. 751.* Demum, quod honor sedium mutetur non pertinet ad fidem, ideo nullus error contingere potest, quia mutatione temporum, & ex causa præeminentiæ Episcopalium sedium variantur.

Constantinopolitano neganti cultum sacris imaginibus aduersatur Nicænum secundum approbans cultum earum, ergo vnum ex his errauit.

Respond. Errasse Constantinopolitanum, non fuit verum Concilium, coactum sine auctoritate Pontificis, vt testantur Zonaras, & Cedrerus in vita Cæsaris Copronymi.

Augustinus libro 3. contra Maximinum cap. 14. ita scribit. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam prædicaturus proferre Concilium, nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris.* Nullius ergo auctoritatis videntur esse Concilia, quod in causa sunt errores, qui in illis continentur.

Respond. Augustinum non reprobare Concilia legitima, sed agere contra Maximinum Arrianum, asserendo non esse opus in medium pro probatione illa Concilia, producere frustra tempus conferendo, eo quod vterque proprium Concilium approbabat, & alterum reiiciebat, & ideo neuter neutrum pro se adducere poterat ad arguendum.

Gregorianus Nazianzenus in Epistola ad Procopium reprobat Concilia vt quæ plus mali, quam boni contineant his verbis: *Ego si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, & omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum, faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerit.*

℞. S. Gregorium locutum fuisse de Conciliabulis hæreticorum Arrianorum, quæ certè nunquam habuerant bonum finem.

Adducunt hæretici aliam D. Augustini auctoritatem ex lib. 2. de baptismo cap. 3. vbi ait, quod Concilia priora per posteriora emendantur, quod est argumentum erroris.

℞. Primo, D. Augustinum intelligendum esse de Conciliis Arrianorum, quæ per posteriora legitima emendata fuerunt. Secundo, quod Catholica posteriora emendarunt priora, id est, reuocauerunt, vel mutarunt, quandoque non ea, quæ spectant ad fidem, quia sunt immutabilia, sed alia, quæ sunt ad quotidianum vsum, & reformationem morum, & moderantur ex causa, & varietate temporum, atque conditione personarum.

Ratione denum probant, Concilia non esse stabilia, sed dubia, & errare posse, nam eorum determinationes; & conclusiones stabiliuntur ex voto maioris partis Episcoporum, qui vincunt minorem partem; sed maior pars potest concurrere in conclusionem erroris contra minorem sequentem veritatem, vt accidit in multis Conciliis, nam in Mediolanensi, & Ariminensi, maior pars Episcoporum, qui erant factionis Arrianæ, vicerunt, Catholici vero succubuerunt, ergo Concilia veritate carent.

134 ℞. Concilia Mediolanense, & Ariminense non fuisse legitima nulla auctoritate Pontificia indicta, sed à factione Arrianorum inducta, ideo mirum non est, si errarunt, neque Catholici in illis dicuntur succubuisse, neque partem habuisse, quia recesserunt, ac proinde in illis non se habuerunt neque vt maior, neque vt minor pars, vt argumentum supponit. Præterea in electionibus, si iura inspiciamus antiquiora maior pars non semper vincit minorem, quando hæc est melior, & sanior, cap. Quia propter 42. de elect. 15. *collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior, &*

135 *sanior pars capituli consensit.* Idem cap. Dudum 22. eodem aperte definitur minorem partem vincere maiorem in sequenti casu electionis, verba Rubricæ sunt hæc *Electus à maiori, & saniori parte capituli, si est, & erat idoneus tempore electionis confirmabitur, si autem erat indignus in ordinibus, scientia, vel ætate, & fuit scienter electus, reiicitur, & electus à minori parte sicut dignus confirmabitur.* Idem repetitur in cap. Congregato 53. de elect. his verbis: *Si maior pars capituli scienter eligit indignum valet electio de digno à minori parte etiam ex eodem scrutinio facta.* Ex quibus patet, argumentum hæreticorum nihil probare, cum maior pars ex parte illorum non sit sanior, sed defectuosa, cui non assistit Spiritus sanctus, & electio ab illis facta super hæresibus nullius sit vigoris, sed vincat illos sanior pars Catholicorum licet numero paucorum. Demùm in nullo Concilio legitimo legitur, quod maior pars quoad errores vicerit minorem, sed sicut in omnibus semper veritas præualet, ita & maior pars in legitimis Conciliis semper excessit, & vicit minorem; in Conciliabulis vero licet maior pars vicerit, non succubuit tamen minor habens pro se veritatem.

Quæres 36. Si Papa, & Concilium discordant in condendis decretis siue fidei, siue de reformatione morum, quis cedere debeat?

136 ℞. Concilium debet cedere Pontifici. *Tum quia,* Concilium vt tale vti membrum subiectum obedire debet. *Tum quia,* Concilium tenetur stare instructioni Papæ. *Tum quia,* habet ab eo dependenter potestatem, & assistentiam Spiritus Sancti, ergo secundum eius voluntatem operari debet, aliter errare potest.

Turrecremuta in summa de Ecclesia cap. 64. apud Cardinalem Clementem Monilianum de Concil. cap. 33. ait, quod magis foret standum iudicio Patrum totius Concilij, quam iudicio Romani Pontificis, quod videtur colligi ex Gloss. *in cap. Anastasius dist.* 19. vbi habetur, quod Papa tenetur, cum de fide agitur, requirere Consilium Episcoporum, & tunc Synodus est maior Papa maioritate discretiui iudicij, secundum quod non dubium, quin regulariter Concilium sit maius Papa. Si tamen talis controuersia Monilianus subdit, orta esset, licet vniuersitati Patrum adhærendum esset ratione prædicta, nihilominus nihil videretur concilialiter concludendum, quousque Papa, & Patres in vnam simul conuenirent sententiam. 137

Non placet hæc responsio propter adductas rationes, nam Concilium priuilegium non errandi non habet à Deo, nisi dependenter à Romano Pontifice, cui soli à Christo impetratum fuit à Deo communicandum fratribus in Concilio Congregatis: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; Ergo inferendum est, veritatem, quæ à Pontifice originatur in Concilium, magis radicari in capite, quam in membris, quæ influit caput. Quod si Patres etiam vnanimes alternarentur contra Papam circa controuersiam fidei, præsumendum est, Pontificem magis attingere veritatem, quam Patres, quia ille solus ab aliis independenter habet priuilegium inerrandi in fide, neque enim Concilij Patres collegæ sunt Papæ, sed membra, & non habent priuilegium non errandi, nisi quatenus illi adhærent, debet ergo Concilium illi acquiescere.

Nec obstat glossa v. Concilio adducta à Turrecremata, quia ibi loquitur de honestate, Papa enim hoc debitum non habet sequendi Consilium Concilij, esto alias deberet requirere, non tamen sequi, quia aliud est quærere, aliud sequi, ad quod nemo tenetur *Reg 62. in 6. cap. Cum olim 7. de arbitr. cap. fin. §. Hac etsi dist. 4. cap. fin. 14. quæst.* 1. maximè id locum habet 138 in Papa, cui nemo legem imponere potest. Adde, quod Glossa deducit suum dictum ex textu ibi: *Quod communicasset sine Concilio Episcoporum.* Quod ibi probatur esse confictum, non verum textum. Ibi sermo est de Anastasio Papa II. à quorum consortio eius clerici recesserant, quia communicauerat Photino hæretico sine Concilio. Numquid Concilium poterat iustificare eius communicationem? de qua re dixi etiam præced. *cap. sub. n.* 167.

Subiungit ibi glossa, quod Synodus tunc est maior Papa ex cap. Sicut dist. 15. argum. cap. Legimus dist. 93. Margo ibi respondet: *Synodus simul cum Papa* (de qua nunc glossa loquitur) *est maior Papa solo extensiuè non intensiuè,* vide Caiet. *par. 2 Apolog. cap. 13. nec textus citati si quid faciunt, alíud concludunt.* Adductus enim textus cap. Sicut dist. 15. non dicit Papam esse subiectum Concilio, sed tantum, *quod qui eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet.* Hoc vult dicere ibi textus, quod qui respuit articulos fidei contentos in sacris Synodis, licet esset lapis, id est, Papa, est hæreticus; non hinc tamen sequitur, Papam esse subiectum Concilio, quia non ex vi Concilij Papa tenetur credere, & non potest articulos de fide mutare, sed ex vi præcepti diuini de fide, cui non potest contrauenire Papa, sed tenetur cum cæteris fidelibus obtemperare, quia omnes etiam Papæ Deo sunt subiecti. Adde, quod non Concilium, sed Papa firmat immutabiliter articulos fidei in Concilio

cilio stabilitos, adeo, quod nullam vim, nec nomen certæ fidei recipiunt, nisi per vltimum Papale iudicium auctoritatiuum. Et quod dicitur in cap. Legimus 24. dist. 93. quod maior est Orbis Vrbe, ex quo
139 videtur deduci maioritas Concilij erga Papam, nullius est momenti quoad hoc, quia orbis est maior Vrbe extensiuè, non intensiuè, & perfectiuè, ita Papa est minor extensiuè Concilio, quia Papa vna persona, Concilium constat ex quampluribus, non autem perfectiuè, quia Concilium à Papa suam recipit perfectionem potestatiuam, & corroborationem actuum per legitimam Confirmationem, ac proinde Papa simpliciter est maior Concilio, maioritas enim non spectatur quoad numerum, sed quoad perfectionem.

Quæres 37. An Concilium habeat potestatem eligendi Papam?

140 ℞. Nullam habet potestatem neque tempore schismatis, sed tota potestas residet in Cardinalibus, qui iam sunt in pacifica possessione, ergo non sunt perturbandi, neque eis auferendum est hoc ius, de quo dixi *cap.* 5. *quæst.* 13. *&* 14. Confirmatur id ex actis Concilij Constantiensis sub sess. 40. vbi Cardinales iure proprio dicuntur elegisse Pontificem Martinum V. quibus pro ea vice adiuncti fuerunt de speciali, & expresso eorum consensu, & concordi voluntate sex Prælati de qualibet natione, qui cum ipsis concurrerent ad electionem noui Pontificis. Et licet Synodus subiungat, se illis tribuere potestatem eligendi, id tamen intelligitur respectu Adiunctorum consentientibus, & communicantibus Cardinalibus. Vide Laurentium hinc inde multa congerentem *titul.* 4. *de elect. cap.* 6. *à n.* 27.

Quæres 38. An de fide credendum Concilia Generalia à Papa approbata esse Canonica, & legitima?

141 ℞. Credendum est, probatur, quia illis Deus assistit dirigendo Patres ne errent, ergo credendum est, illa esse legitima, & Canonica, neque enim Deus assistit illegitimis, & non Canonicis. *Confirmatur*, quia Concilia componuntur potissimum ex duobus, ex definitionibus fidei, & reformatione morum, & hæc duo spectant ad fidem, definitiones quidem directè, & formaliter, reformationes vero accessoriè, & consequenter, mores enim fidelium reformantur ad eum finem, vt contineantur in obseruatione mandatorum Dei, quibus Catholica fides conseruatur, & perficitur, fides enim sine operibus mortua est, quare cum hæc omnia sint in gratiam fidei stabilita, inferendum est, credendum esse, Concilia à sede Apostolica approbata esse Canonica, & legitima, cum veritatem contineant, & non errores. Adde, quod ab vniuersa Ecclesia recipiuntur, venerantur, & obseruantur, prima quatuor sicut quatuor Euangelia venerantur ex decreto Gregorij relati cap. 2. dist. 15. Qui autem spernit Euangelia hæreticus est, ergo & qui contemnit quatuor prima Concilia. *Tum quia*, in Synodo Lateranensi sub Martino I. *Collat.* 5. *relata tom.* 3. *fol.* 173. anathematizantur vti hæretici asserentes quinque vniuersales Synodos esse incongruas, falsas, irrationabiles, & vacuas, quinque autem Concilia sunt Nicænum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, Calcedonense, & secundum Constantinopolitanum. *Tum quia*, Papa dicitur legitimare Concilia per eorum indictionem, continuationem, & confirmationem, ergo qui non credit eorum legitimationi derogat auctoritati Pontificiæ, talis autem est hæreticus cap. Omnes distinctione 22. ergo negans Concilia esse legitima est hæreticus, ad euitandum igitur hæresim credendum est illa esse legitima.

Quæres 39. An sede vacante Concilium tunc Congregatum habeat aliquam potestatem, quam non haberet, si Papa viueret?

℞. Sede vacante Concilium non augetur, nec minuitur, sed Patres iuxta facultatem sibi à Pontifice 142
mortuo datam prosequi debent acta Concilij. Ratio est, quia remanet eadem potestas, nec aliunde Patres aliam recipiunt, ergo aliud operari non possunt, nisi iuxta mandata sibi præscripta à sede Apostolica. *Confirmatur* id, quia sede vacante Collegium Cardinalium occurrit casibus emergentibus, nec ipsum potest aliquid statuere, minuere, mutare, aut alterare ea, quæ spectant ad sedem Apostolicam, quæ cum tunc careat capite non habet, qui illam protegat, & defendat, vt dixi cap. 5. quæst. 57. Nihilominus si daretur casus ita vrgens negligentibus Cardinalibus, vel non valentibus, Concilium prouidere posset. Circa autem statuta, & leges nihil est innouandum, neque Concilium hæc condere potest efficaciter, quia eorum firmitas adhuc dependet à futuro Pontifice, in cuius arbitrio erit approbare, vel reprobare. *Confirmatur*, quia solus Papa habet plenitudinem potestatis, cui nemo adæquari potest, neque Concilium, quod ab eo debet recognoscere potestatem, ergo tantum operatur, quantum placet eidem Pontifici præsenti, vel futuro, cum eiusdem sint potestatis.

Quæres 40. An in Concilio detur locus appellationi?

℞. A Concilio, si quis se sentiat grauatum appella- 143
re potest ad Papam, & non ad alium. Ipsummet Concilium à Papa appellare non potest, vtique vero appellare ab Imperatore, seu alio, à quo grauaretur, seu potius petere auxilium si molestaretur.

Prima pars de appellando à Concilio ad Papam probatur, quia appellatio est prouocatio grauati subditi vtriusque iudicis à quo, & ad quem, à minori scilicet ad maiorem; vt omnes concedunt; sed omnes sunt subditi Papæ, & Concilio, & ille est maior hoc, ergo bene currit appellatio à Concilio ad Papam, & non è contra à Papa ad Concilium, quia est contra rationem, quod prouocatio fiat à maiori ad minorem, nam minor non iudicat maiorem, sed Papa est maior Concilio, ergo ab illo non potest appellari ad hoc, vt probaui *cap.* 5. *q.* 44. *n.* 213.

Secunda pars de non appellando à Concilio ad alium præter Papam constat, quia cum prouocatio de necessitate fiat à minori ad maiorem, quis appellando à Concilio ad alium præter Papam, insinuaret aliquem alium, præter Papam esse maiorem Concilio, quod tamen falsum est, ergo talis appellatio irrationabilis est, & nullius momenti.

Tertia pars de Concilio non appellante à Papa constat, quia Papa iudex est supremus omnium quouis modo spectatorum, siue in Concilio, siue extra, cuiuscumque conditionis, status, & gradus sit quilibet, etiam Monarcha, Rex, seu Imperator, vt probaui cap. 5. q. 5. ergo Concilium ab eo ad quemquam appellare nequit, cum non sit dabilis iudex ad quem maior ipso Pontifice supremo iudice. *Confirmatur*, quia delegatus nunquam appellat à delegante, cum non possit inter vtrumque dari grauamen, nam delegare neminem est grauare, sed gratiam facere, & rem honorificam communicare; Concilium autem tanquam delegatum se habet respectu sedis Apostolicæ, à qua recipit mandatum expediendi negotia fidei, & morum, & in nullo grauatur, si ei limitetur potestas, adeo quod sub alio prætextu non datur appellatio, ergo non datur huiusmodi prouocatio, nec dabilis est ex carentia iudicis, & grauaminis.

Quarta pars de appellatione ab Imperatore, patet non habere locum, quia Concilium nulli imperatori subest, sed soli Papæ, ideo ex natura rei non datur appellatio, sed tantum defensio

ab iniquo grauamine sine vllo prætenso iure.

Quæres 41. An verbum Dei sit maius Concilio?

144 ℞. Affirmatiuè, Probatur, *Tum quia*, verbum Dei siue scriptum, siue traditum habet pro auctore Spiritum sanctum, & Deum ipsum, vt de fide tenendum est, vt patebit suo loco; Concilium autem pro auctore habet Papam, & Patres illud constituentes. *Tum quia*, Concilium seclusa potestate, & assistentia Spiritus sancti dependenter à Papa, errare potest iuxta superius dicta; verbum autem diuinum nulli potest subesse errori, mendacio, aut falsitati, quia procedit de ore Dei, in quo summa veritas est omnem excludens errorem. *Tum quia*, verbum Dei est inuariabile, immutabile, & in æternum stat in sua veritate; Conciliorum vero decreta, non tamen fidei, quæ sunt ipsum verbum Dei, sed de reformatione, sunt mutabilia, variabilia, & quandoque moderantur, imò reuocantur ex causa, ergo verbum Dei illis maius est. Et ex his patet verbum Dei esse maius ex duplici capite, primo, ex capite auctoris, quia verbum pro auctore habet ipsum Deum Concilium vero pro Auctore habet Patres. Secundò ratione materiæ, respectu cuius verbum est æternæ veritatis; Concilium vero est materiæ variabilis pro diuersitate temporum.

Hæretici dicunt Catholicos subiicere Scripturam Conciliis, quod probant, nam à Patribus trahitur ad eum sensum, quem ipsi volunt, & sic Scriptura famulatur Concilio, ergo illo non est maior. Præterea dicunt verbum Dei confundi cum literis decretalibus Pontificum, quæ subduntur Conciliis, auctoritate D. Augustini relati cap. In Canonicis 6. distinct. 19. vbi Epistolæ decretales connumerantur inter Scripturas Canonicas.

Respondetur, ex eo, quod Patres vtuntur Sacra Scriptura, ad cuius formam & intelligentiam definiunt controuersias fidei, non sequitur Scripturam pendere à Concilio, sed potius è contra, Concilium ab ea pendere, quia non potest definire contra eius tenorem, & formam. Vel dic Scripturæ maioritatem attendi in eo, quod auctorem habet Deum, & pro obiecto infallibilem, quæ nec variari, nec mutari potest; quia autem data est in vtilitatem, & salutem hominem, ideo in hoc seruit, & famulatur homini, quod non obstat supradictis. Ad illud Diui Augustini respondetur in correctione Gratiani facta à Gregorio XIII. his verbis: *Quæ quidem Augustini sententia non ad decretales Romanorum Pontificum, sed ad Canonicas, & Sacras Scripturas referenda est.* Comparatio igitur non fit inter Scripturam, & Decretales, sed inter ipsas Sacras Scripturas, quarum aliquæ tempore D. Augustini reuocabantur in dubium, an essent Canonicæ, & ipse docet modum cognoscendi eas, nimirum, vt illæ præponantur, quæ per decretales Epistolæ recipiuntur, aliis, de quibus nondum aliquid est determinatum.

Quæres 42. Quot genera personarum intersint Conciliis?

145 ℞. Omnes, qui intersunt Conciliis reduci possunt ad quatuor capita. Sub primo sunt iudices controuersiarum fidei, & morum, qui habent votum decisiuum iuxta quod dicetur infra, & hi sunt Papa, legati Papæ, Episcopi, Abbates, & Generales Ordinum. Ad secundum caput reducuntur Theologi, Canonistæ, & Legistæ habentes votum consultiuum. Ad tertium caput reducuntur defensores, qui sunt Imperator, Reges, & alij Principes per se, vel suos oratores, & missos defendentes Concilium, ne quicquam iniuriæ inferatur Patribus in vnum Congregatis; Nicæno primo ad hunc effectum interfuit Constantinus, in Constantiensi Sigismundus, in Ferrariensi Florentino Ioannes Palæologus, & quicquid in Conciliis agunt, in omnibus procedunt titulo defensionis, & iure Pontificio eisdem delegato, non vero iure imperij, quo nihil sunt in Conciliis. Sub quarto demum capite comprehenduntur officiales Concilio inseruientes pro Procuratoribus, Notariis, Custodibus, Referendariis, & similibus officiis seruitutis, & famulatus. Hæc omnia colliguntur ex gestis Conciliorum.

Quæres 43. An Episcopi, Abbates, & Generales ordinum habeant votum decisiuum in Conciliis? Pro resolutione notandum est, quod votum duplex est, decisiuum, & consultiuum: Illud consistit in determinatione, & definitione rei, quæ de dubia, & indeterminata alias determinatur, deciditur, & definitur, consultatione præmissa. Huiusmodi definitio si fiat à Principe non habere supra se superiorem in causa decisa, dicitur perfecta, & absoluta, perfecta, quia illi nihil deest ad suum esse integrum, absoluta, quia facta fuit sine dependentia ab alio, à quo dicitur absolui, expedita sine conditione, si alteri placebit. Si verò fiat à iudice habente superiorem, dependenter à quo agit, & cuius potestate operatur, tunc decisio non est perfecta, nec absoluta, sed conditionata, si placebit Principi, si ipse aliter non determinabit, cum ergo decisio careat Principis vltima resolutione, & expeditione, non potest decisio dici perfecta, & absoluta, cum dependeat adhuc à voluntate, & potestate Principis. Concilium, cum recognoscat superiorē Romanum Pontificem, à quo in agere, & decidere dependet, votum decisiuum non dicitur habere perfectum, & absolutum, sed tantum conditionatum, si Papæ placebit decisum confirmare, & approbare. Iudicat Concilium, iudicat Papa, iste independenter à quolibet homine, ideò eius iudicium dicitur absolutum, perfectum, & vltimatum, vltra quod à nemine quicquam addi potest; Illud iudicat, sed dependenter à Pontifice Romano, & ideò suum iudicium non facit perfectum, nec absolutum tandem à superiore eius perficiendum, & absoluendum; & in hoc nulla debet esse difficultas, cum secundum omnes Catholicos bene sentientes Papa summam auctoritatem habeat supra Concilium, ex quo necessario sequitur Patres in illo agere cum dependentia à voluntate eius, qui Concilium indixit, instruxit, continuauit, & deinde sua confirmatione approbauit.

Votum consultiuum consistit in disquisitione causæ propositæ, an expediat, an affirmandum, an negandum, an absoluendum, an condemnandum, vel hoc, vel illo modo expedienda, deductis in medium argumentis pro vtraque parte, quæ inducunt animum iudicis ad decidendam causam vno modo, & non alio. Iudex autem, & si aliorum consilium quandoque ex forma sibi præscripta quærere teneatur, tamen illud sequi non cogitur, *l. Cum pater 79. §. Mando ff. de legat. 2. l. 1. §. Idem Pomponius ff. depositi, ibi Gloss. v. Quia rem, cap. Cum olim 7. de arbitr.* In Concilio Doctores 147 disputant, & inquirunt veritatem dubij, circa quod controuertitur, & Patribus offerunt suam sententiam, quorū arbitrium est acceptare, vel non acceptare eorū votum & consilium, adeo quod Doctores nihil determinant, quod de necessitate sequendum sit, sed rationibus tantum persuadent, & ostendunt, quid potest, vel non potest determinari, relinquendo rem indecisam, quam deinde Patres debent determinare, & definire sub conditione, si Placebit superiori.

℞. Episcopi, Abbates, & Generales in Conciliis 148 habent votum decisiuum, seu sunt iudices, & legislatores disponentes, & decidentes controuersias fidei, & reformantes mores fidelium, cum dependentia ad Papam, qui per suum examen tanquam vltimum iudicium absoluit postremum iudicium à Patribus factum per suam confirmationem, vel dissoluit per suam

reproba

reprobationem. Episcopi hoc ius decidendi habent iure ordinario, Abbates vero, & Generales iure priuilegij, & consuetudinis.

Prima pars de Episcopis iure ordinario iudicibus probatur. *Tum* auctoritate Sacræ Scripturæ Act. 15. 19. *Ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur.* Item ibidem 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris.* Vtrumque verbum *Iudico & visum est* apertè demonstrant nostram responsionem, de verbo *Iudico* aliter dici non potest, cum seipsum declaret; alterum vero in legibus sumitur assertiuè, & pro decisione arg. cap. De cætero 11. de homicid. *Tum* ex modo loquendi Conciliorum, & ex forma, qua vtuntur ad subscribendum, nam in decretando, & decidendo adhibent similes terminos, *Statuit, decernit, definit, prohibet, condemnat, præcipit,* qui indicant votum decisiuum, & sunt proprij iudicum, & legislatorum. Subscribebant his verbis: *Ego Flauianus Episcopus Constantinopolitanus iudicans subscripsi.* In Calcedonensi Concilio tom. 1. fol. 173. & fol. 221. Omnes subscripserunt his verbis: *Ego N. definiens subscripsi.* Ratio est, quia si Concilium non haberet votum decisiuum nullius momenti essent acta in eo, quatenus omnia adhuc remanerent indecisa, indeterminata, & indefinita, & cum Papæ Confirmatio non dicatur reualidare, quæ non sunt, sed quæ sunt iam valida, & stabilita vltimo firmare, ideo necesse est dicere, quod Patres in Concilio determinant, & iudicant postmodum confirmanda à Pontifice. Licet Episcopi potestatem iudicandi, & leges ferendi in Concilio habeant dependenter à Pa-
149 pa delegante eis hanc potestatem, tamen ea est ordinaria habita ratione ad vniuersitatem causarum, & subditorum, pro quibus causas, & negotia tractant, secundum enim iura delegatus ad vniuersitatem causarum vocatur ordinarius, & iure ordinario procedere, ex probatis c. 2. n. 39. ergo sunt ordinarij.

Secunda pars de Abbatibus & Generalibus probatur. Tum quia eodem modo isti subscribebant, quo
150 Episcopi, vt colligitur ex Concilio Calcedonensi tom. 2. fol. 173. vbi Presbyteri, & Archimandritæ, id est, Principes ouium, id est, Monachorum illius temporis Abbates, cultores eremi, in speluncis latitantes, vt declinarent persecutiones hostium fidei Christianæ, *ex l. Nos reddemes §. Omnes, C. de summa Trinit.* Tambur. *tom. 1. disp 2. quæst. 7.* Habuerunt votum decisiuum, vt colligitur ex Epistola Imperatoris ad Barsumam Archimandritam illis verbis: *Iussum esse duximus, tuam sanctitatem puritate vitæ, & Catholica fide probabilem ad Ephesinam pergere ciuitatem, & locum tenentem omnium religiosissimorum Archimandritarum Orientalium, considere Sanctæ Synodo, quæ ibidem disposita est, conuenire, & cum aliis sanctis Patribus, & Episcopis, quæ sunt Domino placita,*
151 *ordinare.* Considere, & ordinare sunt actus iudiciales procedentes ex voto decisiuo, ergo Abbates, & Generales Ordinum, qui illis Archimandritis succes-
152 serunt, habent votum decisiuum. Ratio est, quia non minus Abbates, & Generales repræsentant suas Ecclesias, quam Episcopi, maximè posita exemptione illorum, ratione cuius Episcopi non dicuntur repræsentare Ecclesias Regularium præcisè, sed tantum suorum subditorum, ergo cum illis idem votum decisiuum habent. Nec obstat, quod in eadem Synodo Calcedonensi dicatur per Episcopos Ægyptios: *Synodus Episcoporum est, non clericorum.* Quia ibi nomen clerici sumitur pro clericis ordinariis, qui carent prælatura, & dignitate.

153 Dixi, quod Abbates, & Generales iure tantum priuilegij, seu consuetudinis habent votum decisiuum in Conciliis, nam ab initio intrabant solum Episcopi, quos Christus posuerat regere Ecclesiam suam, siquidem Concilium Apostolorum, & Nicænum ex solis Episcopis congregatum fuit, infertur ergo Abbates Generales id ius acquisiuisse & consuetudine, & priuilegio, nam ab ineunte Ecclesia non erant Prælaturæ Abbatum, nec Generalium, vt patet legentibus Historias Ecclesiasticas.

Hæretici Lutherani, & Caluinistæ se opponunt prædictis asserentes primo, omnes viros doctos esse vocandos ad Concilia etiam laicos, in quibus omnes habent votum decisiuum. Secundò alij dicunt nullum Patrem in Conciliis habere votum decisiuum, sed id munus esse solius Christi, & Scripturæ sanctæ. Ex quo duo inferunt, vnum est, vnicuique licere examinare statuta in Conciliis, & in eius optione esse, sequi, vel non sequi acta in illis; alterum est, non esse standum maiori parti, sed sequendum esse illum, qui pro se scripturam decidentem casum habet; ita quod decisio etiam à toto collegio facta nullius sit momenti, quia non homo, sed Scriptura iudicat.

Probant primum ex Act. 15. *Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc.* Nomine *Seniores* veniunt viri docti, siue clerici, siue laici, vt colligitur ex cap. fin. dist. 20. ibi: *Seniores Prouinciæ Congrega, & eos interroga.* Omnes ergo docti possunt habere votum in Concilio.

℞. Solos Episcopos, & Prælatos habere votum decisiuum in Concilio, vt constat ex præcedenti quæstione, quod amplius confirmatur, quia per Concilium regitur, & regulatur Ecclesia per ipsum repræsentata, sed soli Episcopi regunt Ecclesiam Act. 20. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* ergo illi tantum habent votum in Conciliis iure ordinario, ex priuilegio vero & consuetudine cæteri, de quibus dictum fuit supra. Laici vero nullum ius, nec priuilegium habent iudicandi in Conciliis, vt infra patebit, q. 42. Neque adducta auctoritas quicquam probat, sed contra ipsos est, nam sub nomine *Seniores* venire Episcopos vltra Apostolos, & Prælatos & nullatenus laicos etiam doctos, docet Gloss. v. eodem *cap. His igitur 3. dist. 23. & in cap. Quicumque 7. 33. q. 2.* & Ana- 154
cletus relatus, *cap. Porro 6. dist. 84.* Apertè dicit Seniores vocari Presbyteros, non à canitie, sed à sapientia, & ita ad hunc sensum restringenda est Gloss. allegati capitis ab hæreticis.

Probant secundo, quia materia fidei est omnibus hominibus indistinctè necessaria tam cleris, quam laicis, ergo quando de ea agitur, omnes conuenire debent cum suo voto decisiuo, quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. Et id confirmant auctoritate Nicolai I. in sua Epist. ad Imper. Michaëlem ibi: *Quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & omnes omnino pertinet Christianos.*

℞. Quod fides ad omnes indistinctè pertinet quo- 155
ad necessitatem salutis, non verò quoad eius controuersias decidendas, id enim spectat ad Episcopos consultis Theologis, nullatenus ad laicos, qui solum habent rationem ouium, & discipulorum, nunquam pastoris, nec ministri, seu magistri, vnde Gregorius VII. 156
relatus cap. Quis 9. dist. 96. inquit: *Quis dubitet, Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistri censeri.* Tacere ergo debent, & tantum audire, cum semper discipuli esse debeant, nunquam Magistri officio fungi, Deus enim laicis non aperuit sensum Scripturarum, sed tantum Apostolis, & eorum successoribus Episcopis; esset autem maxima confusio, si omnibus etiam doctis licitum esset intrare in Concilium ex tot sententiis in vnam fidem conuenire, cuius negotia commodius per Patres, & sincerius, & maturius deliberantur, quam ex infinita propemodum virorum doctorum multitudine, quæ conueniret ad Concilium, si ad illud omnes

ius dicendi haberent: quod fuit interdictum ab Hadriano Papa relato cap. Hadrianus 2. *dist.* 63. quia ex
157 multitudine inordinata, & incongrua fit confusio, vel contentio, quod fusè prosequitur Monilianus *cap.* 14. *de Conciliis*. Nec obstat, quod Concilium repræsentet vniuersam Ecclesiam, quia per hoc non est necessarium, quod omnes illuc conueniant, tum quia aliter etiam indocti possent accedere ad Concilium, cum & ipsi non minus sint de Ecclesia, quam periti, imò quã ipsi Patres, tum quia omnes Patres sunt pro tota Ecclesia, & singuli Episcopi, Abbates, & Generales respondent pro suis Ecclesiis, & ouibus, vnusquisque enim suam repræsentat Ecclesiam. Singulæ enim Ecclesiæ Episcopales sunt in suo Episcopo, & Episcopus in illis ex S. Cypriano relato *cap. Scire* 7. *q.* 1. Episcopus ergo in Concilio loquitur pro omnibus suis ouibus, sicut in communitatibus, & Rebuspublicis Antiani, & Optimates Congregati partes agunt pro omnibus, & singulis suis ciuibus.

Probant tertiò, quia in Conciliis quandoque vox v[n]ius præualuit omnibus, ergo Episcopi non habent votum decisiuum, sed statur dicto vnius, qui pro se habet Scripturam, quicumque sit ille, qui pro veritate, & iudice Scripturam adducit. Antecedens probant primo, quia dictum Hieronymi Scriptura firmatum præualuit toti Synodo, teste Gratiano cap. fin. 36. q. 2. *Secundò* Paphnutius toti Concilio, quod volebat interdicere vsum vxorum Sacerdotibus, obstitit, quẽ Concilium secutus fuit, vt videre est in Concilio Nicæno. *Tertiò* allegant Doctores Catholicos Panormitanum, *in cap. Significasti de elect.* Gersonem *part.* 1. *de examin doctrinarum*, nam ille dicit sententiam priuati fundatam in Scriptura anteponendam esse sententiæ Romani Pontificis. Gerson vero inquit, hominem doctum debere resistere toti Concilio videntem Concilium ex malitia, seu ignorantia errare.

158 ℞. Negando antecedens, ad cuius primam probationem dico, Hieronymum non præualuisse generali Synodo, ibi enim Gratianus adducit Concilium Maldense, quod non est generale, sententia ergo Generalis Synodi legitimè Congregatæ semper anteponenda est opinioni cuiuslibet Patris etiam doctissimi, quia veritas melius, & facilius inuestigatur ex disqui-
159 sitione plurium, quam pauciorum, & vnius, l. 3. C. de ingen. manumiss. l. pen. C. de fideicom. Et facilius inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur *cap. fin. dist.* 20. Consequenter casus non est dabilis, quod vnus contra plures inueniat veritatem, quam plures profitentur inuenisse, doctus sit ille vnus, docti sint plures, qui ad inuicem conferunt, veritas magis pluribus se ostendet, quam vni, qui in tali casu censendus est ignorans, seu melius loquendo errans, & temerarius, maximè in subiecta materia de controuersiis, fidei, nam Patribus sequentibus instructionem Pontificis in his assistit Spiritus sanctus, illi autem docto in tali casu indocto non assistit, sed de propriis viribus sibi præsumit. Vide Bellarm. *lib.* 1. *de Concil. cap.* 16. §. *Ad illud.* vbi etiam pluribus respondet secundæ rationi, c. 18. § Respondeo. Ad hanc rationem dictum fuit Paphnutium non se opposuisse decisioni, sed tantum disputasse, an id facere expediret, & pro sua opinione dixit, non expedire Sacerdotibus auferre vsum suarum vxorum; & ideo argumentum hæreticorum nihil probat, quia aliud est disputare, aliud, quod minor pars, vel vnus alios vincat, Concilium enim nihil determinauit, sed quæstionem reliquit indecisam.

Ad Panormitanum respondetur comparari Papam vt doctorem cum alio doctore, nam præferenda est opinio doctoris adducentis Sacram Scripturam opinioni Papæ carentis Scripturæ auctoritate. Et Gerson intelligendus est de Conciliabulis, hæc enim possunt errare, & ideò vnus doctor resistere potest toti Concilio erranti ex malitia, vel ignorantiæ, quæ duo dari non possunt in Conciliis legitimis.

Probant quartò, quia si omnes Episcopi essent iudices, & legislatores in Conciliis, sequeretur, quod Papa teneretur sequi eorum iudicium, tanquam legem latam, & firmatam, cui non posset contrauenire, maximè in materia fidei: sed nonnulli Pontifices obstiterunt maiori parti, imò omnibus ferè Patribus, nam in Concilio Ariminensi maior pars decidit con- 160
tra consubstantialitatem Filij, & tamen Damasus Papa eorum decretum irritauit. Pariter Leo damnauit quoddam decretum Concilij Calcedonensis ferè ab omnibus firmatum. Item Eugenius IV. damnauit omnia acta Concilij Basileæ etiam circa fidem facta, ergo ex his infertur, Episcopos in Conciliis nihil definire, nec decidere, sed tantum consulere.

Respondeo, argumentum non facere ad rem, quia 161
iudicium Episcoporum non est absolutum, sed conditionatum, non vltimum, sed perficiendum per approbationem Romani Pontificis, si illi videbitur dignum Confirmatione, ideo Damasus Papa legitimè reprobauit Concilium Ariminense, ex eo quod Græci dolo traxerunt nonnullos Latinos decipientes in obscuritate sermonis Græci, putantes idem esse Omiusion, seu Omiousion, quod Omousion, hoc enim postremum est vera dictio, qua Patres in Concilio Nicæno vsi fuerant ad significandum Consubstantialitatem Filij cum Patre. Priores verò dictiones important non identitatem substantiæ, sed tantum similitudinem in substantia. In Calcedonensi Leo lacerauit decretum æquiparans sedem Constantinopolitanam sedi Romanæ, sibi subiiciendo alias sedes orientis, vt videre est in Epistolis 51. 52. 53. 58. & 59. eiusdem Leonis tom. 2. Concil. Nam illud decretum de subiiciendis Ecclesiis Alexandrina, & Antiochena Anatolio tunc Patriarchæ Constantinopolitano dolo factum fuit absentibus legatis Apostolicæ Sedis, qui postea de hoc in Concilio conquesti noluerunt subscribere, vt legitur sub Act. 16. tom. 2. fol. 349.

Probant quintò, Decreta Conciliorum non esse iudicata, neque obligare, sed tantum proposita an sint sequenda iuxta determinationem cuiusque Spiritus priuati illuminati à Scriptura iudice, quod probant, quia non obstante decreto Concilij Apostolici Act. 15. de Circuncisione ablegata, Paulus voluit circuncidere Timotheum, vt legitur sequenti capite post celebrationem Concilij, inferentes ex hoc facto decreta Conciliorum non habere vim iudicij, & legis, sed tantum consilij.

℞. Hanc obiectionem supponere duo, quæ tamen falsa sunt, nempe Scripturam esse iudicem causarum fidei, quod impugnaui cap. 5. quæst. 31. num. 135. & seq. num. 136. reieci Spiritum priuatum ab hæreticis intrusum. Falsum quoque est, acta in Conciliis 162
esse tantùm consilia proposita, & non esse decreta, patet enim ex supradictis esse iudicata, & habere vim legis sub conditione, si Papa ea confirmet. Ad illud D. Pauli dico, ex legitima causa dispensasse in 163
lege lata in eo Concilio, vt Timotheus circuncideretur, erat enim genitus ex patre Gentili, & matre iudæa, ne igitur quis sumeret occasionem calumniandi diuinam legem, & circuncisionem ex ea procedentem, dicendo eam non esse à Deo in lege Moysi præceptam, ideò Timotheum circuncidit.

Quæres 44. An Concilium ex solis Episcopis Congregatum dicatur perfectum, aliis non vocatis prælatis?

℞. Ex solis Episcopis Concilium perficitur, nec 164
alij sunt necessarij. Probatur auctoritate Sacræ Scripturæ Act. 15. 6. vbi Concilium illud Congregatum fuit

fuit ex solis Episcopis, vt constat ex illis verbis: *Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.* Item eodem cap. 20. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Regitur autem vniuersus grex fidelium maxime ab Episcopis in Conciliis Congregatis, in illis enim agitur de optimo regimine, & reformatione morum pro vniuerso grege. De istis dicit Ierem. 3. 15. *Dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina.* Isti autem sunt Episcopi, qui primati sunt Pastores, quibus ex officio incumbit tam in Concilio, quam extra pascere oues, & gregem sibi commissum. Vnde talis est praxis Conciliorum, nam in primo Nicæno soli Episcopi interfuerunt, & Synodi Generales solent vocari Episcoporum, in Concilio enim Calcedonensi dicitur: *Synodus Episcoporum est, non clericorum.* Probatur etiam ratione, quia ex sola decisione, & iudicio Concilium perficitur; soli autem Episcopi iure ordinario iudicant, & decidunt, ergo illi tantum perficiunt Concilium. Nec obstat superadditio aliorum Prælatorum, quia id non est de necessitate Concilij, sed de voluntate Pontificis volentis augere numerum.

Quæres 45. Quot Episcopi sufficiant, vt Concilium dicatur Generale.

165 ℞. Non potest dari certa regula, ex duobus tamen requisitis potest colligi quænam Concilia dicantur Generalia, & quæ non. *Primum est,* quod illud Concilium dicitur Generale, quod indicitur à Pontifice Romano per vniuersum orbem conuocando omnes Patriarchas, & Archiepiscopos, & Episcopos ad Concilium tali loco celebrandum. Et quoniam in omnem terrã exiuit sonus Apostolorum per seipsos, seu per discipulos, & successores Episcopos, ideo Bulla indictionis videtur transmittenda ad Patriarchas, & Metropolitanos, & per illos ad cęteros subiectos Episcopos, & Prælatos. Summo autem Pontifici sufficit indictionem Concilij publicare in locis solitis suæ curiæ, vt colligitur factum per Bullam indictionis Concilij Tridentini. *Secundum est,* quod nullus excludatur Episcopus veniens ad Concilium, si verè sit Episcopus nullum habens obstaculum, & Canonicum impedimentum. *Tertium est,* quod in illis agatur præcipue de duobus, de controuersiis fidei, & reformatione morum. His igitur tribus concurrentibus Concilium dicitur Generale à generalitate indictionis, ab vniuersitate Episcoporum vocatorum, & à communi materia, quæ in illis tractatur indifferenter pro omnibus fidelibus.

℞. Itaque à supradictis tribus cognosci Concilium esse Generale, quod comprobatur discurrendo per singula Concilia, nam omnia Generalia Concilia à Pontifice Romano amplexa fuerunt omnes Episcopos accedentes nullam illorum nationem excludentia, & in illis de fide, & moribus actum est.

166 Bellarminus *lib. 1. Concil. cap. 17.* adiungit alias duas conditiones, prima est, quod intersint quatuor Patriarchę, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Ierosolymitanus. Hæc non est necessaria, quia ab Ephesino primo abfuit Antiochenus, in Calcedonensi non fuit Alexandrinus. In Tridentino solus Ierosolymitanus inter ea quatuor numeratur,
167 quod tamen constat indubitanter esse Generale. Altera est, vt ex omni parte orbis terrarum aliqui conueniant in Concilium. Sed neque hæc est necessaria, quia in Conciliis celeberrimis celebratis ab orientalibus occidentales non interfuerunt exceptis Papæ legatis. Quod de vniuerso orbe Episcopi non congregentur, docet Monilianus *cap. 21. de Concil.* Videtur ergo ex his sufficere, quod ex omni natione vocentur, siue deinde accedant, siue non, parum refert, dummodo in illis agatur de fide, & moribus, vel ad tollendum schisma, quod vtrumque aliquo modo complectitur. Præfinitus ergo numerus dari non potest, ex quo inferatur generalitas Concilij.

Quæres 46. An & quale votum habeant Doctores in Conciliis? Doctorum alij sunt Theologi, alij 168
Canonistæ, alij Legistæ. Theologi potissimum adhibentur in controuersiis de fide. Legistæ, & Canonistæ inseruiunt pro reformatione morum, & pro iudiciis. Inter Theologos aliqui vocantur Qualificatores S. Officij, qui instituuntur pro qualificandis propositionibus ab Eminentissimis Cardinalibus pro vniuersa Ecclesia, vel ab aliis tribunalibus S. Officij præsertim Hispaniarum. Alij vocantur etiam Consultores ex Theologis, Canonistis, & Legistis, qui omnibus Tribunalibus votum habent solum consultiuum, de Consultoribus dixi c. 38. per totum.

℞. Supradicti omnes habent votum consultiuum, 169
nam eorum officium est disputare & præparare materiam Patribus, vt possint disponere, & decidere difficultates, inhærendo semper Sanctorum Patrum sententiis, quibus cedere debent, cap. Apostolicam 2. de Præsbyt. non baptiz. dicuntur enim testes iuris, non 170
facti Alex. *in l. Post dotem ff. solut. matr. num. 9.* Ideò inter disputandum non est recedendum à iure diuino, & sacris Canonibus. In controuersiis fidei præferendi 171
sunt Theologi quibuscumque aliis Doctoribus. In aliis vero difficultatibus præferendi sunt Canonistæ Theologis; & si dubium esset merè ciuile præferendi sunt Legistæ, quia vnicuique in sua arte magis credendum est, quam aliis, *l. Septima ff. de statu homin.* Vnde Gloss. v. *Græci, cap. Vt veterum dist. 9.* Modicius *lib. 2. §. Prudentum responsa dubit. 7. num. 10.* dicunt credendum esse Augustino in disputando, 172
Hieronymo in Historiis, & Gregorio in moralibus. De Theologis, & Canonistis vide Catalogum Gloriæ Mundi, *part. 1. consider 10. ad 19. in terminis* Royar, *part. 1. de hæret. num.* 384. Decianus *lib. 5. c. 26. n. 5.* Farinac. *q. 185. de hæresi,* cum eis Souza *lib. 2. cap. 1.*

Quæres 37. An, & quomodo laici intersint Conciliis?

℞. Laici etiam Imperator nullum votum habent 173
in Conciliis, nec actum spiritualem, sed ministrant fungentes officio Defensionis Custodiæ, Cantoris, Notarij, Cursoris, & huius generis. Intersunt quandoque Imperatores, & Reges per se, quibus tunc multum defertur, vel per suos oratores, ad protegendum, defendendum, & ad ornamentum Catholicæ fidei, cogentes rebelles, contumaces, & perfidos hæreticos.

Quod laici nullum habeant votum in Conciliis probatur, Tum quia laici negotia Ecclesiastica tractare non possunt cap. Decernimus 2. de iudic. cap. Tua 25. de decim. *Tum quia,* laici non habent sedere in medio clericorum, à fortiori in medio Patrum, capite primo, de vita, & honest. *Tum quia,* in quinta Synodo Constantinopolitana collat. 5. dicitur, quod laici sunt extra Concilium, & in Calcedonensi habetur, quod Concilia sunt Episcoporum, non clericorum, multo minus laicorum. *Tum quia,* laicis prohibitum est cap. Vt inquisitionis, §. Prohibemus, de hæret. in 6. disputare de fide; adeò quod 174
Episcopus non potest laicos vocare ad Synodum; licet eorum consilio vti possit, vt refert decisum Bonfadinus *in Thesauro Eccles. resol. 11. n. 19.*

Non desunt auctoritates ipsorum laicorum, imò & Imperatorum, nam Constantinus Imperator, qui præ aliis merebatur tantum honorem auream protulit
sententiam his verbis. *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos* 175

expectate

expectate iudicium, & vt vestra iurgia, quæcumque sunt ad illud diuinum referuentur examen. Vos enim nobis à Deo dati estis Dij, conueniens non est, vt homo iudicet Deos. Habentur hæc in præambulo Nicæni primi. Pulcheria in sua Epist. ad Strategum consularem Bitiniæ scribit sic: *Monachos, atque laicos, quos nulla ratio ad Concilium vocat omnino debeas de ciuitate, & ipsis locis expellere.* Volebant enim isti interesse Concilio, tom. 2. fol. 128. Basilius Imperator in sua oratione ad Synodum octauam tom. 4. fol. 15. sic alloquitur sæ-
176 culares. *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, tam qui absolute conuersamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque pœnitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari.* Et paulò infra reddit rationem. *Quantacumque enim Religionis sapientia laicus existat, vel etiamsi vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari non*
177 *desinet.* Accedit auctoritas Theodosij, & Valentiniani Cæsarum, quorum verba referuntur tom. 1. fol. 983. hæc: *Nephas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum Cathalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consultationibus sese immiscere, verum vt Monachos, & sæculares, cæterosque denique omnes, qui huius spectaculi causa, vel eò nunc confluxerunt, vel imposterum fortè confluent ab eadem illa ciuitate modis omnibus submoueat.* Et paulò infra maiestas etiam imperatoria ar-
178 cetur à Synodis, his verbis: *Quin & huius quoque admonita sit vestra pietas, nempe secreta pietas, nempe serenitati nostræ visum esse, vt nulla omnino in sacra vestra Synodo, aut etiam in publico Ephesiorum iudicio, pecuniaria, aut criminalis causa aduersus aliquem agitetur.* Explicat causas temporales, quia scit, se nullum ius
179 habere super spirituales. Nomine causæ pecuniariæ intelligit ciuilem. Monachi, & laici æque excludun-
180 tur à Synodis, quia illis temporibus nondum erant clerici, postmodum ad gradum clericatus eleuati, nam antiquitus pro laicis habebantur etiam cum eorum Abbate, qui postremum locum tenebat post Ostiarium, *cap. A Subdiacono 5. dist. 93.*

Hæretici, vt dictum fuit supra, putant de omni genere hominum posse interesse Synodo, quod probant tripliciter. *Primò* ex Act. 1. quia Concilium, in quo actum fuit de electione Matthiæ in locum Iudæ coadunatum fuit ex turba, & multitudine ibi: *Erat turba hominum simul ferè centum viginti.* Ex eo verbo *Turba* constat ibi interfuisse etiam laicos infimæ plebis. *Secundò*, ex Epistola Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem illis verbis: *In quibus de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.* Nullus excluditur à fide, ergo nullus excipitur à Concilio, in quo potissimum de fide agitur. *Tertiò*, ex illo communi axiomate: quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

Responsum fuit supra sub q. 43. ad secundum ar-
181 gumentum, fidem esse causam communem quoad obligationem, non vero quoad definitionē, sub n. 155. Et sub hac quæstione probauimus interdictum esse laicis disputare de causis fidei, à fortiori de illis aliquid definire. Ad primum argumentum respondeo, illud Concilium indictum fuisse omnibus ac proinde etiam turbæ, leges enim promulgantur omnibus, sicut & Concilia omnibus indicuntur, soli tamen Episcopi cum Prælatis per illud conuocantur, in Concilio igitur Apostolorum nullus laicus egit de electione, sed solum Apostoli cum Discipulis elegerunt Matthiam propositum cum alio concurrente à Petro eorum capite, & Pontifice Romano; & id colligitur ex illis verbis: *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt Congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus.* Solum autem Apostoli, & Discipuli comitati fuerunt omni tempore Christum Dominum: ergo illi soli intrarunt Concilium. Deinde obserua differentiam inter turbam, & viros, nam indictio Concilij huius facta fuit etiam turbæ, tractatus vero electionis, & eius prosecutio, & expeditio facta fuit per viros, id est, virtute prædictos, quales fuerunt Apostoli, & Discipuli à Christo instructi, & facultate Theologica laureati, turba autem constat ex personis de plebe idiotis, & ignorantibus, turba 182
ergo cum non constet ex personis doctis non potuit interesse illi Synodo, in qua sederunt solum viri sancti.

Demum ad eam Regulam, quod omnes tangit 183
ab omnibus approbari debet mediatè, vel immediatè, acta Concilij immediatè probantur à iudicibus, & his mediantibus ab omnibus Christi fidelibus, iudices enim repræsentant vniuersam Ecclesiam in Concilio, consequenter pro omnibus loquuntur, & nomine omnium acta probant, dum decidunt, & definiunt.

Quæres 48. An Concilium permisceatur ex Patribus tam iustis, quam iniustis, reprobatis quam electis? An solum ex iustis.

℟. Non est necessarium, quod componatur ex iu- 184
stis, rectè componitur ex quibuscumque Episcopis, & Prælatis, ratio est, *Tum quia* impossibile est discernere iustos ab iniustis, electos à reprobis, humana enim cognitione ignorantur. *Tum quia* licet bonitas personæ multum conferat, malitia tamen non obstat, nec impedit eorum potestatem, aut repellit assistentiam Spiritus sancti, qui vbi vult spirat etiam erga malos in vtilitatem aliorum *Confirmatur*, quia Ecclesia componitur ex bonis, & malis, ex probatis cap. 1. q. 18. Concilium autem congregatur ex personis eiusdem Ecclesiæ, quam in vniuersum repræsentat, ergo constat ex bonis, & malis, Ita Bellarmin. *lib. 1. de Concil. cap. 15. §. Nunc*, Petricea Minor. Conuent. in sua Turri *lib. 3. disp. 3. concl. 1.*

Hæretici apud præcitatos requirunt in Conciliis electos, & prædestinatos Dei viros, quod contendunt probare auctoritate Scripturæ quæ in Psalm. 88. 8. Congregatos vocat iustos: *Deus qui glorificatur in Concilio Sanctorum.* Et in alio Psalm. 110. 1. *In Concilio iustorum, & Congregatione.* Solùm autem electi sunt sancti, & iusti, ergo ex his tantum congregatur Concilium.

℟. Sequitur in sententia horum omnes doctos, qui ius habent in Conciliis, vt isti asserunt, esse electos, & tamen ex doctoribus multi damnantur. Deinde quamplurimi possent viribus propriis per doctrinam, quæ naturaliter acquiritur, fieri electi ex eo quod electi, & docti simul ingrediuntur Concilium. Ad auctoritates dico, nomine iustorum, & sanctorum venire omnes Christi fideles, qui per baptismum iustificantur, & fiunt sancti, & iusti sanctitate, & iustitia baptismatis. Vel dic ibi nomine Sanctitatis, & 185
iustitiæ venire veritatem iuxta illud alterius Psalmi 39. 11. *Non abscondi veritatem tuam à Concilio multo.* Adde, quod textus Psalmorum loquitur de consilio, non de Concilio, in quo Patres non consultant, sed definiunt.

Quæres 49. An non potentes accedere ad Concilium mittere possint nomine suo procuratorem cum suo voto?

℟. Legitimè impediti mittere possunt procurato- 186
rem non solum Episcopum, sed etiam alium Prælatum, & graduatum. *Primum* de substitutione, & missione constat ex eo, quia missio procuratoris nullibi prohibetur, nec adest lex præcipiens personalem præsentiam; nec inconueniens aliquod sequitur, quia missus talis esse potest in scientia, & prudentia, qualis mittens,

mittens, nil enim aliud videtur desiderari. *Secundum* de Episcopo misso ab alio Episcopo non est incon-
187 ueniens, quia missio non est præceptiua, nec coactiua, sed deprecatiua, & honorifica, si alter sibi par velit sublevare eius indigentiam, quod est officium charitatis & pastoralis sollicitudinis, quod alter alteri præstare ex honestate debet; & id comprobatur multis exemplis, quæ videri possunt in subscriptionibus Synodorum, in quibus plerique Episcopi subscribunt pro se, & pro aliis. *Tertium* de aliis Prælatis ab Episcopis missis ad Concilia, patet ex eisdem subscriptionibus, nam in Concilio Calcedonensi Vranius Episcopus Emitæ misit Porphirium Archidiaconum. Dorothæus Presbyter tenuit locum Anatolij Episcopi Satalonim. Eucharius Diaconus missus fuit à Paralio, Episcopo Andrapæ ciuitatis Hellesponti, vt legitur tom. 2. fol. 131. Missi autem subscribebant inter Episcopos, licet non essent Episcopi; in Lateranensi, & Tridentino subscribunt separatim. Cum voto mittentis non accedunt, quia ignoratur quid agendum, ideo votum est proprium missorum, qui pro sua prudentia deliberant cum aliis.

Quæres 50. An Episcopi, & alij Prælati schismatici, hæretici, & censurati excludantur à Concilio?

188 ℞. Affirmatiuè. Probatur, quia vti membra non solum putrida, sed etiam præcisa à corpore Ecclesiæ non possunt componere Concilium, quod ex solis membris viuis, & vnitis corpori Ecclesiæ constat; sed Schismatici, & hæretici sunt extra Ecclesiam cap. 1. quæstione 24. & 25. sicut & alij excommunicati quoad potestatem ibidem quæstione 23. ergo excluduntur a Concilio. Confirmatur ex actibus Conciliorum, in quibus nullus schismaticus, nec hæreticus sedit, nec subscripsit, non Arrius in Nicæno, non Nostorius in Ephesino, in cuius primo Canone arcetur, & expellitur Cælestius hæreticus cum suis sequentibus in Act. 1. Calcedonensis Discorus Alexandrinorum Episcopus eiectus fuit. Ratio est, tum quia in Conciliis corriguntur, iudicantur, & condemnantur hæretici, & schismatici, ergo non possunt sedere, neque docere, neque iudicare in Synodo, in quo sunt tanquam oues errantes reducendi ad verum pastorem, & ouile Ecclesiæ. Tum quia carent omnibus legitimis actibus, quibus ipso iure sunt priuati,
189 *cap. Factus* 5. *cap. Nouatianus* 6. *cap. Scire* 7. 7. *quæstione* 1. Melius cap. Didicimus 31. 24. quæst. 1. *Didicimus omnes omnino hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris.* Inter actus vero legitimos certè computantur actus comparendi in Concilio, & in eo sedere, decidere, iudicare, definire, subscribere, &c. ergo cum hos præstare non possint, sunt exclusi ab ingressu Concilij.

Quæres 51. An hæreticis sit dandus saluus con-
190 ductus, & illis manutenendus? Pro responsione nota, quod saluus conductus est securitas data alicui eundi ad aliquem locum, ibi standi, & tractandi sua negotia, & redeundi ad propria, contra violentiam siue iustam, siue iniustam. Solet autem concedi duobus modis, primo cum clausula: *Salua iustitia*, quæ dicitur esse de iure communi; secundo simpliciter, vndequaque, & plene, cum datur contra omnem violentiam, siue iustam, siue iniustam. Prior saluus conductus est contra violentiam iniustam; posterior contra vtramque, ac proinde hoc secundo modo derogatur iuri communi. Doctrinam hanc collegi ex Bartolo *in l. Vtimur ff. de sepult. violat. l. Relegati ff. de pœnis, l. Proximum ff. ad legem Iul. maiest.* Misingerio *obseru.* 84. Molano *lib. 2. de fide hæreticis seruanda cap.* 3. Farinacio *quæstione* 29. *de*
191 *hæret. numero* 50. *ad* 60. Est autem saluus conductus stricti iuris, & non ampliatur, vnde intelligitur circa delicta in tenore Salui conductus expressa, & iam commissa, non autem extenditur ad committenda post acceptum ex allegatis per Angelum de Malef. §. Quod fama publica n. 60.

℞. Saluus conductus est dandus à Concilio hære- 192
ticis, quibus est manutenendus, & fides seruanda iuxta illius tenorem. Probatur ex communi consensu Patrum, qui vnanimiter fatentur etiam inimicis, & hostibus datam fidem esse seruandam, virtus enim fidelitatis hoc postulat, vnde Augustin. Epistol. 207. ad Bonifacium relatus cap. Noli 3. 23. quæstione 1. inquit: *Fides, quando promittitur, etiam hosti seruanda est; contra quem bellum geritur.* Ac proinde 193
etiam hæreticis, qui propriè sunt hostes Christiani nominis, subuertentes Christianam religionem. Conceditur autem eis Saluus conductus ad bonum finem, vt securi accedentes edoceantur super suos errores, vt veritate Catholica agnita, hæresi abiurata conuertantur ad fidem, ne autem timeant pœnas illis fit gratia de Saluo conductu, ne molestentur, aut à quoquam puniantur. Concilium Constantiense sub sess. 6. Dedit Saluum conductum hæreticis postea condemnatis, sub hoc tenore. *Ad quod à violentia, iustitia semper salua, omnem Saluum conductum nostrum, quantum in nobis est & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus, & etiam plenius assignamus.* In Tridentino pariter concessus fuit hæreticis Germanis, & aliis Protestantibus cum omnibus, & singulis clausulis, & decretis necessariis, vt Videre est illius exemplum in Sessionib 13. 15. & 18.

Hæretici conqueruntur, quod fides illis data non seruatur, nam in Constantiensi combusti fuerunt Ioannes Hussius, & Hieronymus Pragensis, non obstante Saluo conductu, quo illos deceperunt, qua ratione Lutherani, & Caluinistæ noluerunt accedere ad Tridentinum.

Contra est, quia in Concilio post acceptum Saluum 194
conductum, deliquerunt, nam Ioannes fugam arripuit sibi prohibitam ab Imperatore Sigismundo, & coactus reuerti noluit hæreses obiurare, promiserat enim stare determinationi Concilij, sed in eis pertinax combustus fuit, vt colligitur ex sess. 15. Pragensis pariter suam hæresim abiurauerat subiiciendo se seueritati Sacrorum Canonum, iurando se non contrauenire, sed nonnullis diebus transactis relapsus ad vomitum rediit, ideo merito propter hæc noua delicta, & ipse combustus fuit, lege sess. 21. vbi de hac re. Quod horum combustio fuerit iusta, & non contra fidem datam illis constat ex clausula: *Salua semper iustitia*, quæ illos non exemit à iusta violentia, sed tantum ab iniusta, qua non fuerunt puniti, sed iustè propter noua delicta, quæ non erant comprehensa in Saluo conductu; in quo saluabantur tantum à punitione propter antiquas hæreses, sed puniti fuerunt, propter fugam, relapsum, & periurium, atque subsequentem pertinaciam. Vide Scholion 2. *ad Bullam* 1. *Martini V.* Adde, quod hæreticis relapsis volentibus pertinaciter in suis erroribus perseuerare non parcitur, per *l. Quicumque C. de hæret.* Ideo iustè Imperator voluit, qui illis non dederat proprium Saluum conductum, vt leges exequerentur, & sic ambo euaserunt Martyres Diaboli, quorum merces fuit ignis æternus per temporalem acquisitus. Vide Becanum *in opusc. lib. 2. de fide hæreticis seruanda, c.* 12.

An Saluus conductus hæreticis dari possit non so- 195
lum quoad personam, sed etiam quoad causam, id est, an illis permitti possit, vt illorum libri, & errores non condemnentur, neque comburantur.

Respondetur negatiuè, quia talis Saluus conductus de se malus est, impius Catholicæ religionis destructiuus,

destructiuus, hæreticos fouens, consequenter dans talem saluum conductum fouet, & defendit errorem, ac proinde hæresim, quam condemnare debet, approbat, & dicitur hæresiarcha, *cap. Qui aliorum* 24. *quæst. fin.*

Quæres 52. Quot conditiones requirant Lutherani in celebrandis Conciliis?

196 ℞. Octo referuntur à Bellarmino *lib.* 1. *Concil. cap. fin.* quas ipse, & Villapandæus examinat. Aliquid nos de singulis dicemus, ne laborem subterfugiamus.

Prima est, quod antequam fiat Synodus, debent irritari omnia acta Tridentini.

197 Ista conditio est iniqua, & irrationabilis. Probatur. Tum quia nullus potest condemnari, nisi prius cognoscatur errasse, nam solus reus confessus, aut conuictus condemnatur secundum omnes, iudex enim non potest ferre sententiam, nisi prius de tota causa sit instructus, l. Iudices ff. de iudic. vnde omnia debet rimari vsque ad prolationem sententiæ *cap. Cum Ioannes* 10. de fide instrument; sed examinare merita causæ, spectat ad solum iudicem, qui in casu præsenti est solus Papa; sed Papa ea approbauit, & confirmauit vti legitima, sancta, & rationabilia, non possunt ergo irritari, cum nulla subsit causa annullationis. *Tum quia,* acta Concilij cum pertineant ad Canones, vel ad mores, horum constitutiones ex causa moderantur, illi verò, quoniam ad fidem pertinent, sunt irreuocabiles, quia verbum Domini est, non Concilij, ideò manet in æternum; nec acta & disposita circa mores omnia indifferenter reuocata nunquam fuerunt, sed posita rationabili occasione modo vnum fuit reuocatum, modo alterum moderatum, videtur enim improbabile, quod omnium simul detur causa derogationis, delirant ergo hæretici, dum dicunt ante celebrationem Conciliis, reuocandum esse Tridentinum. *Tum quia*, Soli Lutherani cum suis sectatoribus dicunt, non posse aliud Concilium celebrari, nisi prius reuocentur acta Tridentini, demus hoc ipsis, quem assignabunt in iudicem, certè non Papam, neque aliquem ex nostris, quia omnes ipsi habent pro inimicis, ac proinde suspectis iudicibus, præterquamquod nullus ex his reuocaret acta Concilij, quia omnes Catholici ea habent pro legitimis, & Canonicis; restat ergo quod adhoc conuocetur nouum Concilium pro reprobatione Tridentini, & hoc esse non potest in sententia illorum, quia nullum Congregari potest, nisi prius reuocetur Tridentinum, ergo id irritandum erit ab ipsismet hæreticis, quod esse non potest, & quia à nobis ipsi allegantur inimici & suspecti iudices, sicut ipsi nos pro suspectis habent, & quia nullus eorum superior est ad Concilium Tridentinum, superioris enim est reuocare Concilia. Neque recurrant ad Scripturam, seu Spiritum priuatum, quia carent iudicio, & lingua ad ferendam sententiam. Loquuntur ergo pugnantia, & insaniunt, quia carent assistentia Spiritus sancti, qui eorum os aperiat, & linguam moueat ad veritatem dicendam.

Secunda conditio est, quod Concilium fiat in Germania, & id probant, quia illic lites iudicandæ sunt, vbi exoriantur ex Cypriano lib. 1. Epist. 3.

198 Contra est, quia iudex non debet sequi reum, vel actorem, sed vterque debet adire iudicem, vt illis iustitiam ministret, ratio enim non suadet, vt superior, & maior eat ad inferiorem, & minorem indigentem, sed natura causæ, & rerum postulat oppositum, ergo iudices non sunt Congregandi in locum reorum, seu actorum, sed in loco, quem supremus iudex designabit, celebrandum est iudicium. *Tum quia*, optimum est, quod iudex sequatur mediam viam:
199 Maior enim mediis gratis rebus inest gloss. in capite tertio, de censib. & in difficultatibus media via est eligenda. Institut. Quibus ex causis manum non licet §. pen. Sed ciuitas Tridentina, quam Pontifex elegit pro Concilio, fuit media via inter Italos, & Germanos, ergo rationabiliter electa fuit ea ciuitas, ac proinde Concilium ibi factum debet remanere firmum, & irreuocabile, & ad illius exemplum extra Germaniam alia sunt celebranda. *Tum quia*, veritas vbique remanet intacta, & illibata, imò in tenebris lucet, & eam non comprehenderent Lutherani, si apud ipsos eluceret per aliquod Concilium, 200
frustra ergo petunt Concilium in suis partibus nolentes acquiescere veritati, quæ se omnibus obuiam semper exhibet. *Tum quia*, Bellarmin. libro primo, de Concil. cap. fin. bene probat, antiqua Concilia non fuisse celebrata, vbi exortæ erant hæreses, nam controuersia de legalibus, & circumcisione orta Antiochiæ decisa fuit Ierosolymis. Arriana Alexandriæ 201
suborta fuit sepulta Nicææ, licet aliquando resurrexerit è fœtido sepulchro. Nestoriana Constantinopoli originem habuit damnata Ephesi. Ibidem Eutichiana reprobata Calcedone. Græcorum hæresis de processione Spiritus sancti tandem condemnata fuit in Florentina. Ex his oppositum colligitur, nimirum extra locum controuersiæ celebrandum esse Concilium. Demum dictum Cypriani intelligitur respectu eorum iudicum, qui territorium habent determinatum, extra quod non licet dicere ius.

Tertia conditio est, vt Pontifex Romanus non indicat Concilium, neque illi præsideat, sed sit altera 202
pars litigantium, siquidem Papa est ille, qui accusatur, & nemo debet esse simul iudex, & reus.

Contra est, *Tum quia*, nemo priuandus est iure 203
suo sine culpa, nisi subsit causa, *Reg.* 23. *in* 6. Nulla autem est culpa, nec causa ex parte Papæ, cur sit priuandus iure suo indicendi Concilia, & illis præsidendi, cum id habeat à iure diuino, & ab initio vsque modo omnia indixerit Concilia, adhucque sit in pacifica possessione, iuxta superius probata hic sub q. 27. de indictione, & quæst. 30. de præsidentia. *Tum quia*, esto adesset causa, aut culpa, adhuc non posset priuari iure suo, quia id illi Deus dedit independenter ab homine, & prima sedes à nemine iudicatur. Demus etiam, quod posset iudicari, adhuc hoc exercitium est impossibile, quia nullus Christianus illum iudicabit, & deponet ab hoc iure, quia scit, se id facere non posse contra iustitiam; nec à Concilio, quia non est Congregabile, nisi prius irritetur Tridentinum, quod nemo reuocare potest ex dictis, restat ergo quod illum à iure suo deponant hæretici, qui cum sint inimici tanquam suspecti id facere non possunt. *Tum quia*, quæro quænam debet esse altera pars litigantium, ad quem spectet indictio, & præsidentia Concilij? Vel sunt Catholici, vel Lutherani, vel Imperator; nullus istorum potest esse, nam indicere, & præsidere est actus superioris, & iudicis, qui medius est inter litigantes, quorum vna pars habet rationem actoris, altera rei, ergo neuter istorum Catholicorum nimirum, & Lutheranorum potest fungi officio indicendi, & præsidendi; neque Imperator, cuius est solum defendere Concilium ex probatis hic q. 24. non vero indicere illud, neque ei præsidere.

Ad eorum rationem respondetur, Papam non accusari pro causa sua, & propria, sed tantum pro causa Dei; cuius est fides, quæ labefactatur ab hæreticis, ideo vti verus iudex, cum Dei vices gerat, causam protegere debet, & defendere fauore Catholicorum, qui rationem rei habent, contra quos hæretici se habent vt actores; & esto, quod & ipse reus sit, quia causa fidei communis est omnibus fidelibus adhuc officio iudicis fungi potest, nam quod iura habent eundem non posse esse iudicem & reum, intelligitur 204
esse

esse verum respectu priuatorum, & eorum, qui supra se iudicem habent in causa, quæ agitur, iuxta *leg. Vn. C. Ne quis in sua caus.* & quando agitur de proprio interesse spectare ad personam, Gloss. v. *Priuetur cap. Si quis* 15. 2. q. 7. *gloss. v. Ordinariis cap. 7. de Priuileg. cap. Inter querelas* 27. 23. *quæst.* 4. Quando vero
205 sermo est de Principe absoluto alium non recognoscente superiorem, nisi solum Deum, & causa, de qua agitur est propria Dei, communis, & publica fidelibus, tunc idem est iudex, & pars, vt docent omnes Doctores in præcitato Codice, neque enim Princeps debet esse deterioris conditionis, sed melioris suis subditis habentibus, qui sibi iustitiam ministrat, si enim hoc careret beneficio non posset se defendere à suis subditis, tunc ergo sibi, & reipublicæ ministrat iustitiam propter bonum communitatis, infelix enim esset, si bonum iustitiæ, quod aliis distribuit, in seipso experiri non posset, & ita docent etiam Canonistæ *in cap. Cum venerabilis, de censib. cap. Cum ex officij, de præscript.* Nauarr. *consil.* 1. *de foro compet.*
206 Valerus 11. *Iudex differ.* 9. Confirmatur exemplis, quibus constat, Papam in propria causa etiam suæ personæ ius sibi dixisse, & neminem contra eum processisse, nam Marcellinus in seipsum causam dixit, iuxta illa verba: *Tu iudex, tu reus.* Sixtus III. accusatus de adulterio mandauit Concilio, vt arbitraretur in sua causa potestate illi collata. In Concilio IV. Romano Symmachus accusatus fuerat, & nihilominus omnes Episcopi dixerunt ad solum Papam spectare indicere Synodum. Lege cætera Concilia, in quibus hæretici litigantes cum Catholicis iudicati fuerunt à Conciliis auctoritate Pontificia. Adde, quod Iudæi, vt legitur Ioan. 6. 53. Litigabant ad inuicem contra Christum de manducatione eius corporis, & bibitione sanguinis, & ipsemet Christus in causa propria tulit sententiam, his verbis: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Consentaneum igitur est, imò necessarium, quod Pontifex Romanus sit iudex inter hæreticos, & Catholicos in causis fidei, sicut Christus fuit Dominus inter Iudæos, est enim Papa eius in terris Vicarius.

Quarta conditio est, quod ex sola Scriptura ferantur sententiæ, reiectis Traditionibus, & Canonibus.

207 Contra est, quia hactenus à Patribus sententiæ pronuntiatæ fuerunt ex illis tribus, consequenter deinceps eodem modo procedendum est, nulla enim ratio suadet, retentis Scripturis Traditiones, & Canones esse reiicienda. De Traditionibus infra suo loco. Canones nullo modo explodendi sunt, cum explicationem fidei contineant, vnde cap. 20. dist. 21. dicitur: *De libellis, & commentariis aliorum, non conuenit aliquem iudicare, & sanctorum Conciliorum Canones relinquere.* Sunt enim immutabiles, & perpetuo manent, vt probaui hic q. 18. Vnde Damasus Papa relatus cap. Violatores 5. 25. q. 1. dicit, illos in Spiritum sanctum blasphemare, qui sacros Canones violant, quod & Imperator statuit *l. Nemo, C. de summa Trinit.*

Quinta conditio est, vt sententia pronuntietur iuxta normam verbi diuini, & non secundum pluralitatem suffragiorum.

208 Verum quidem est, quod in controuersiis fidei sententia ferenda est iuxta normam verbi, seu Sacræ Scripturæ, non tamen ad sonum litteræ, sed secundum sensum, & intelligentiam Sanctorum Patrum in aliis Conciliis, verbum enim cum est obscurum declarandum est secundum verum sensum, quem sancta Romana Ecclesia tenet concorditer cum Patribus. Nec est contra vsum Patrum, imò conformè, quod dubia iam disputata suffragiis dirimantur, & terminentur, per negatiuam, aut affirmatiuam, alio enim modo huiusmodi lites terminati non possunt.

Sexta conditio est, vt Pontifex Romanus omnes absoluat à iuramento fidelitatis, quo illi sunt adstricti.

Contra est, Tum quia huiusmodi liberatio est 209
iniusta, cum nemo liberari possit, & absolui à suo superiore, huiusmodi enim liberatio fit propter demerita, & depositionem superioris *cap. Alius* 3. *cap. Nos sanctorum* 4. *cap. Iuratos* 5. 15. *quæst.* 6. Nulla autem est culpa in Pontifice, ergo iniusta est huiusmodi absolutio. *Tum quia*, non Dominus, cui præstitum fuit iuramentum fidelitatis, absoluit suos subditos à iuramento, sed superior vtriusque, vt patet ex allegatis iuribus; Papa autem in terris superiorem non habet, ergo eius subditi à nullo homine liberari possunt à iu- 210
ramento fidelitatis, nec id ex natura rei factibile est, cum de necessitate salutis sit, quod quilibet fidelis sit subditus Papæ; hoc enim iuramentum fidelitatis in Papa radicatur in anima baptizati, à qua est indelebile in hac vita. *Tum quia*, inutilis adhuc esset huiusmodi liberatio, cum subiectio non tollat libertatem loquendi pro suo libito in Concilio. *Tum quia*, hoc medio iniquo volebant se subtrahere à iudicio pœnarum, ne possent castigari allegantes exemptionem à sede Apostolica. Sequitur autem ex hac eorum conditione, illos nolint, velint, fateri se subiectos Romano Pontifici, dum petunt absolutionem à iuramento.

Septima conditio est, vt Theologi Principum suorum pares habeant voces decisiuas cum Episcopis in Conciliis.

Contra est, *Tum quia*, quinta conditio, quæ iudi- 211
cem controuersiarum, statuit Sacram Scripturam, destruit hanc septimam, dum volunt suos Theologos parem habere vocem decisiuam cum Patribus, per hoc enim fatentur homines Congregatos, non Scripturā esse iudicem. *Tum quia*, hactenus nullus Theologus, nullus Canonista habuit votum decisiuum, sed tantum consultiuum, nunquam sederunt in Concilio, Theologi ergo Lutheranorum audiendi non sunt in hoc, indigni etiam voto consultiuo, quia vti separati à vinea Domini nihil in ea meruerunt, vt tanto honore digni sint, imò cum Scripturas deprauauerint in eum sensum, quem Spiritus sanctus non intendit, nec quemquam docuit, Theologi nomine indigni sunt, nulla ergo ratione in Conciliis vocem habere possunt.

Octaua demum conditio est, vt detur saluus conductus ab Imperatore personæ, & causæ, ita quod nec persona puniri possit, si nolit Concilio assentiri, nec fides, & Confessio Lutheranorum possit damnari, etiamsi Lutherani suam fidem non potuerint defendere.

Contra est, quia gratis conqueruntur, nam Concilium semper illis exhibet saluum conductum, & illis fidem promissam in eo seruat, iuxta dicta præcedenti quæstione Quoad causam vero dari non potest, quia est contra rationem, & omnia iura, vt libertas conscientiæ foueatur, iuxta ibidem dicta, Concilia enim congregantur, vt lites definiantur, & terminentur, non vt perpetuentur, & immortales 212
euadant, lites enim citò dirimendæ sunt, & illis, quantum fieri potest, obuiandum est, *l. Proponendum Cod. de iudic. l. Quidam ff. si cert. pet.* Et potius restringendæ, quam relaxandæ, *cap. Nonnulli* 28. §. *Sunt & alij, de rescript. capite secundo, de sentent. & re iud.* Isti boni Theologi volebant connumerari inter iudices, & ignorabant ea, quæ spectant ad bonum iudicem, cuius est in breui lites dirimere, & tamen petebant nihil terminari, sed vnumquemque in suo sensu,

& secta viuere posse ; petebant nomen iudicis in Concilio, & tamen recusabant iudicium suorum errorum, quia timebant, quod illis euenit.

Quæres 53. An Concilia Generalia de necessitate salutis acceptanda sint?

213 ℞. Affirmatiuè, omnes fideles de necessitate salutis tenentur acceptare Concilium respectu eorum, quæ spectant ad fidei definitiones, de necessitate verò præcepti tenentur quoque cætera recipere, aliter non recipientes, aut prohibentes, vel impedientes, ne publicetur in suis locis, prouinciis, regnis, & monarchiis grauiter peccant.

Primum de receptione Canonum probatur, quia definitiones fidei omnes de iure diuino recipere tenentur, sunt enim diuinæ leges, quibus nemo resistere potest; sed in Canonibus continentur definitiones fidei, ergo illi omnino sunt recipiendi, & hoc de necessitate salutis, nam sine fide, vt ait Apostolus, impossibile est placere Deo, adeò quod non sufficit vnum credere, & alium respuere, quia secundum D. Iacobum, qui in vno offendit, factus est omnium reus.

Secundum de receptione eiusdem etiam quoad mores probatur. *Tum quia*, Patres in eo Congregati totam Ecclesiam repræsentant in membris, & sic non solum nomine proprio, sed etiam subditorum nomine videntur acta in Conciliis approbare disponendo omnes fideles ad eorum acceptationem tempore debito, vt non debeant ea recusare promulgatione præmissa. *Tum quia*, sicut votum, & iuramentum factum per maiores repræsentantes totam communitatem obligat, & acceptandum est à cæteris, quia virtualiter consenserunt in voluntate maiorum, ita & omnes fideles debent acceptare Concilium, ad quod virtualiter se obligauerunt subditi per approbationem factam à Patribus repræsentantibus totam Ecclesiam, & subditos suos. *Tum quia*, vocantur non solum Ecclesiastici, sed etiam Principes sæculares, ergo si dum conduntur statuta non contradicunt, illa censentur approbare, & velle acceptare pro se, & suis subditis præsentibus, & futuris.

Tertium de impedientibus patet ex mox dictis illos peccare, & non posse impedire illorum promulgationem, cui implicitè saltem consenserunt, sciebant enim leges condi, vt tandem tempore debito promulgarentur, & non contradixerunt, sed ex hoc eas approbauerunt, non possunt ergo eas reprobare impediendo earum promulgationem. Confirmatur. *Tum quia*, obstant immunitati Ecclesiasticæ, quod est graue sacrilegium. *Tum quia*, iniuriam, & irreuerentiam irrogant Concilio, & Pontifici, qui tanta diligentia, labore, & industria cum matura deliberatione reformarunt totam Ecclesiam in publicam omnium fidelium vtilitatem, & animarum salutem. *Tum quia*, per huiusmodi resistentiam hæretici quodammodo fouentur in suis erroribus, dum vident Principes parum curare determinata in Conciliis, obstando ne publicentur in suis statibus.

CAPVT VII.

De Sacra Scriptura & Traditione.

SVMMARIVM.

1 *Biblia, id est, duplex liber legis veteris, & noua.*
2 *Scriptura, & Traditio quid?*
3 *Tridentinum de Traditionibus.*
4 *Traditionum auctor Christus.*
5 *Scriptura, & Traditio pares quoad auctorem, & obligationem.*
6 *Consuetudo parem habet obligationem cum lege scripta.*
7 *Lex scripta, & tradita duplex, diuina, & Ecclesiastica.*
8 *Traditio Ecclesiastica quid.*
9 *Aduersans Traditioni Ecclesiasticæ suspectus est de hæresi.*
10 *Traditio Ecclesiastica non facit articulum fidei.*
11 *In dubio Traditio censetur Ecclesiastica non Apostolica.*
12 *Dubia, non clara egent declaratione.*
13 *Traditionibus Christi aduersans hæreticis, Ecclesiasticis temerarius.*
14 *Suspectus de hæresi, vita & moribus aliis se non conformans.*
15 *Recedens à communi consuetudine Ecclesiæ temerarius est.*
16 *Scriptura differt à Traditione per esse scriptum, & non esse scriptum.*
12 *Traditiones Christi viginti enumerantur.*
18 *Traditiones Ecclesiæ nonnullæ numerantur.*
19 *Traditiones reiiciuntur ab hæreticis.*
20 *Versiculus Gloria Patri, &c. refutatur ab hæreticis.*
21 *Non valet arguere à libris Iudæorum ad Canonicos.*
22 *Canones Apostolorum ab aliquibus vocantur Apocriphi.*
23 *Omittere, & illud negare differunt.*
24 *Sacræ Scripturæ nil addendum à nobis Traditiones non dicuntur addi.*
25 *Aliud Euangelium prædicantes Paulus anathematizat.*
26 *Deus auctor Scripturæ, & Traditionum.*
27 *Lex Dei necessaria, & vtilis.*
28 *Lex Dei bona, & sancta.*
29 *Lex Dei vera sine falsitate.*
30 *Lex Dei superflua, nec absurda est.*
31 *Ad euitandum vtrumque, legum verba impropriantur.*
32 *Argumentum à superfluitate vitanda tenet.*
33 *Lex vetus rigida est ob rigiditatem pœnarum.*
34 *Legis rigor à pœna dicitur.*
35 *Pœna legi adiuncta duo operatur.*
36 *Pœna est metus multorum.*
37 *Lex vetus fuit timoris, & seruitutis.*
38 *Lex licet dura adhuc obligat, & obseruanda est.*
39 *Impossibile idem est, quod valde difficile.*
40 Lex non bona, *id est, minus bona.*
41 *Cæremonialia legis vocantur infirma, & egena, quia non iustificabant.*
42 *Lex operatur iram. 1. ex occasione peccati. 1. pœnam.*
43 *Ita est appetitus iustitia vindicatiua.*
44 *Lex operatur iram, id est, causat pœnam in transgressores.*
45 *Peccatum originale vocatur concupiscentia.*
46 *Permittebatur vsura cum extraneis, & libellum repudij.*
47 *Permittere minus malum ad euitandum maius non est peccatum.*
48 *Adulteram cur Christus non fecit lapidare.*
49 *Pugnantia loca interpretantur concordare.*
50 *An opera sex dierum vno momento creata sint.*
51 *Deus solus bonitate imparticipabili.*
52 *Ieremiæ citatio facta à Matthæo non est falsa.*
53 Si oculus tuus scandalizat te, *exponitur.*
54 Melior iniquitas viri, quam mulier benefaciens, explicatur.

55 *Repetitio*

55 Repetitio eiusdem verbi indicat mysterium.
56 Lex vetus solum Iudæos obligauit.
57 Eius præcepta reducuntur ad tria capita.
58 Lex obligat quibus promulgatur.
59 Lex vetus in morte Christi abrogata fuit.
60 Differentia inter Ioannem,& alios Prophetas.
61 Lex quomodo in æternum stat.
62 Moralia non fuerunt abrogata.
63 Moralia non erant figura, sed regula.
64 Lex vetus non cessauit quoad vtilitatem.
65 Vt Synagoga cum honore sepeliretur.
66 Lex cœpit esse mortifera, posita sufficienti promulgatione Euangelij.
67 Lex vetus tria genera præceptorum continet.
68 Similiter & lex noua.
69 Baptismus, & Pœnitentia Ioannis non erant Sacramenta.
70 Ioannes vox in deserto, præco in populo verbi Dei.
71 Christus cur ab eo baptizatus.
72 Christus venit non solum vt Redemptor, sed etiam vt legislator.
73 In lege Euangelij præter fidem dantur præcepta alia.
74 Præceptum, & consilium diuersa.
75 Negans Dei præcepta negat obedientiam creaturæ ad Deum.
76 Præcepta Dei non sunt impossibilia.
77 Dictio Etiam est implicatiua.
78 Præcepta probantur obseruata possibilia.
79 Lex membrorum est fomes peccati originalis.
80 Fomes inclinat,non cogit ad peccatum.
81 Homo vanitati, id est, peccato originali non volens.
82 Lex quomodo non dicatur posita iusto.
83 Consilia præter præcepta continet Euangelium.
84 Interpretatio triplex, legalis, iudicialis, & doctrinalis.
85 Eius est interpretari, cuius est condere legem.
86 Declaratio legis legalis promulganda est.
87 Iudex controuersiarum fidei Papa, & ab eo Concilium.
88 Scriptura interpretanda secundum sensum Ecclesiæ, & Patrum.
89 Nomine Patrum veniunt Congregati Patres in Concilio.
90 Bessarionis Concordantia Patrum.
91 Contorquentes Sacram Scripturam puniuntur.
92 Contorqueri intelligitur duobus modis.
93 Puniuntur ab Episcopis & Inquisitoribus.
94 Prædicatores sunt excommunicati.
95 Conuertentes verba Scripturæ ad scurrilia puniuntur.
96 Scriptura non est iudex controuersiarum fidei.
97 Versio realis Scripturæ est solum intra Ecclesiam Romanam.
98 Apud Iudæos non est, nec apud hæreticos.
99 Qualis dicatur vera Scripturæ versio.
100 Illi habent veram interpretationem, quibus Spiritus sanctus aperit os.
101 Hæretici sunt superbi, elati, & ambitiosi.
102 Hæretici falsificant Scripturas.
103 Error nonnisi errore alio tegitur.
104 Hæretici pro fundamento habent mendacium, pro auctore Satan.
105 Res vna dicitur maior altera duobus modis.
106 Scriptura obiectiua non est maior Ministris Ecclesiæ, cui seruit.
107 Scripturæ omnes sunt subiecti quoad obseruationē.
108 Scriptura dicitur maior Ecclesia, & è contra, ex triplici capite.
109 Sensus Sacræ Scripturæ quid sit.
110 Tridentini verba exponuntur.
111 Sensus Scripturæ quadruplex explicatus disticon.
112 Sensus immediatè diuiditur in literalem, & spiritalem.
113 Metaphoricus, & Parabolicus sensus est literalis.
114 Ambo isti sensus per significationem impropriam intelliguntur.
115 Metaphora est translatio verbi à propria significatione ad impropriam.
116 Metaphora refertur ad verbum, Parabola ad sententiam.
117 Sensus spiritualis est, quo vna res aliam significat.
118 Allegorius spectat ad Christum, & Ecclesiam, & refertur ad fidem.
119 Anagogicus spectat ad Ecclesiam cælestem, & refertur ad spem.
120 Moralis spectat ad instructionem animæ & refertur ad Charitatem.
121 Idem verbum, eadem sententia habet illos quatuor sensus.
122 Idem locus duos sensus æque potest habere literales.
123 Cuilibet loco conuenit sensus literalis saltem improprius.
124 Loca citata in lege noua vtrumque sensum habent
125 Omnes quatuor sensus intenti sunt à Spiritu sancto.
126 Literalis sensus optimus ad arguendum, & definiendum.
127 Qualis nobilior, literalis, an mysticus.
128 Verba Scripturæ non semper accipi possunt in sensu proprio.
129 Figuræ veteris legis non omnes impletæ sub eo tempore.
130 Littera occidit, Spiritus viuificat, exponitur.
131 Accommodatitius sensus quid sit?
132 Ipse sensus non est intentus à Spiritu sancto.
133 Christus, & Apostoli secundum omnem sensum prædicauerunt.
134 Obscurus est sensus Sacræ Scripturæ.
135 Pater in diuinis sumitur essentialiter, & relatiuè.
136 Scriptura malè declarata est lucerna fumigans.
137 Quibus de causis Scriptura est obscura.
138 Assignantur causæ obscuritatis.
139 Remedia ad tollendum obscuritatem.
140 Distinctio est causa trium bonorum.
141 Contrarietas nulla est in Scriptura.
142 Vnus Scripturæ locus obscurus declaratur per aliū.

QVoniam in Conciliis definiuntur controuersiæ
fidei ad normam Sacræ Scripturæ,& Traditio-
num Christi, de vtrisque agendum est. Sacra autem
Scriptura, quæ vulgo dicitur Biblia, id est, liber libro-
rum, seu duplex liber, nempe Veteris, & Noui Testa- 1
menti figuratus in arca Testamenti, in qua custodie-
bantur Virga Aaronis, & Manna populi iudaici re-
præsentantes Virga quidem veterem legem ex sua ri-
giditate & duritia, & Manna Euangelium ex sua le-
uitate, & suauitate.

Quæres primò, quid sit Scriptura, & Traditio & in quo conueniat, & differant?

℞. Est liber mandatorum, & gestorum Dei no- 2
stri, & Iesu Christi filij eius, suis fidelibus Scripto,
vel sine Scripto ore tenus traditus, & à Pontifice Romano Deo reuelante vt Canonicus recognitus.

Dixi primò, quod Sacra Scriptura est liber, in eo enim conseruantur mandata, & gesta Dei, ne vnquam pereant, neque excidant è memoria hominum, si enim illorum homo obliuiscatur,

catur, recurrat ad librum, qui quodammodo arca est, & conseruatorium sacratum Scripturarum, ex quo nec mutari, nec alterari potest, augeri, aut minui, quia manet semper idem exemplar immutabile, verbum enim Dei inuariabile est, & in æternum manet secundum suam veritatem, quæ deficere non potest.

Dixi secundo, hunc librum à Deo esse nobis traditum, quia alium non habet auctorem, quam ipsum Dominum, vetus quidem scriptum per Moysem, & Prophetas, nouus vero, quod est Euangelium à Christo datum, & per eius Apostolos, & Euangelistas Scriptum, prædicatum, & promulgatum omnibus creaturis iuxta illud: *In omnem terram exiuit sonus eorum. Lex per Moysem data est, gratia vero per Christum Dominum nostrum facta.* Hoc est, per Moysem publicata fuit lex vetus, per Christum vero gratia Euangelij tradita fuit, & per Apostolos omnibus prædicata.

Dixi tertiò, legem hanc partim esse scriptam, partim non scriptam, & hæc vocatur Traditio ore Dei in veteri lege pronuntiata, & in noua ore Christi, quæ non fuit Scripta, nec in scriptis redacta, de qua Paulus ad Thessal. 2. cap. 2. 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Quæ enim Christus dixit, fecit, & docuit, non omnia scripta sunt, ideo hæc merito vocantur traditiones, quæ ab ore Christi traditæ fuerunt Apostolis, & ab Apostolis, successiuè cæteris fidelibus. Quod Christi gesta, & dicta non omnia sint scripta in libris Canonicis testatur Ioannes 20. 30. his verbis: *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Quæ igitur scripta non sunt, & ab Apostolis prædicata fuerunt Ecclesiæ, & successiuè peruenerunt ad nos per ora ministrorum Ecclesiæ vocantur Traditiones.

Dixi quartò, à Pontifice Romano vt Canonicus Deo reuelante recognitus; circunferuntur diuersi libri de verbo Dei scripto, & non scripto tum ab Hebræis, tum ab Hæreticis, & aliis Christiani nominis hostibus conficti, quos ipsi vocant Vetus, & Nouum Testamentum, qui tamen non continent veram, & sanam doctrinam, quam Deus in lege veteri per Moysen, & in noua per Christum dedit, sed sunt falsati, & adulterati, alieni, & diuersi à Christiana veritate, ideo Summi Pontifices per diuersa Concilia Deo reuelante, & Spiritu sancto illuminante declararunt, quinam sint libri legitimi, & Canonici sacrum Dei verbum Continentes cum Traditionibus, quibus fides certa, & Catholica adhibenda sit. De libris autem Canonicis agitur can. 84. Apostolorum, in Concilio Laodiceno can. 19. in Carthaginensi tertio can. 47. ab Innocentio I. electo anno 402. ad instantiam Exuperij Episcopi Tholosani, ad quam rescripsit de hac materia can. 7. suæ Epistolæ, in Concilio Florentino, & in Tridentino, vbi enumerantur libri Canonici, qui modo continentur in sacra Biblia nuncupata iuxta recognitionem & editionem Sixti V. iussu factam, iuxta quam omnes fideles vti debent Sacra Scriptura.

Conueniunt Scriptura, & Traditio primum, quod ambo sunt verbum Dei, quem solum pro auctore habent, quod de fide credendum est, vt Tridentinum definit sess. 4. his verbis: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.* Antecedenter ad hoc anathema referuntur omnes libri tam Veteris, quam

3 Noui testamenti, & de Traditionibus ita disponitur. *Quæ*, scilicet Traditiones, *ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsque peruenerunt.* A Christo igitur Traditiones procedunt, ex cuius ore Apostoli vel immediatè eas acceperunt, vel post eius Ascensionem, iidem ab eodem receperunt Spiritu sancto reuelante. Vnde vocantur Traditiones Christi, seu Apostolorum, quia 4
Christus earum fuit auctor, & Apostoli prædicatores, & promulgatores illarum. Subiungit Concilium ibidem: *Nec non Traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, vel tanquam ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit, ac veneratur.* Tridentinum iure merito pares facit Scripturam, & Traditiones respectu receptionis, & venerationis, quia pro auctore habent ipsum Dominum. Qui ergo discredit, vel contemnit Scripturam, & Traditiones Christi Domini, hæreticus est, & excommunicatus, vt patet ex supradicto anathemate.

Conueniunt secundo in eo, quod ambæ inducunt 5
parem obligationem credendi, & obseruandi illas tanquam diuinas leges à Deo auctore emanantes, vt colligitur ex allegata auctoritate Concilij, quod eas parificat quoad auctorem, auctoritatem, & obligationem, eo quod ambæ ex æquo sunt lex diuina, ergo vnum non minus obligat altero. Et licet inter Catholicos in his non sit discrepantia, cum sint de fide, tamen propter hæreticos humanis legibus confirmari possunt, in quibus consuetudo, quæ voca- 6
tur lex non scripta, cum lege scripta parem habet auctoritatem, & obligationem, l. De quibus ff. de legib. Instit. de iure natur. §. Ex non scripto, consuetudo enim legem imitatur, & in eius loco succedit, cum ea deficit, & non reperitur, *cap. Consuetudo 5. dist. 1. & in tit. de consuetud.* Ergo idem dicendum est de Traditione, quæ comparari potest cum consuetudine in eo, quod est lex non scripta.

Conueniunt tertio, quod sicut duplex est lex scri- 7
pta, diuina scilicet, & Ecclesiastica, quod facit ad præsens negotium, ita duplex est Traditio, diuina, & Ecclesiastica; lex diuina comprehenditur in libris Canonicis editis in sacra Biblia recognita à Sixto V. Ecclesiastica vero in iure communi, in sacris Conciliis Generalibus, & in Bullis Pontificiis, quæ in dies in immensum cum infinitis pœnis crescunt; diuina prouenit de ore Dei; Ecclesiastica conditur à Pontifice Romano per se, vel per Concilium Generale. Traditio pariter duplex est, diuina, quæ procedit de ore Christi, vt supra dictum fuit; & Ecclesiastica, quæ pro auctore habet Prælatos, & Ministros Ecclesiæ introducta pro moribus, & ritibus Ecclesiæ per consuetudinem. De vtriusque Diuus Augustinus relatus cap. Illa autem 11. distinctione vigesimasecunda, sic scribit: *Illa autem quæ non scripta, sed tradita sunt, custodimus, quæ autem toto orbe terrarum obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata, atque statuta retineri, sicut id, quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cælum, & Aduentus Spiritus sancti anniuersaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruetur ab vniuersis, quocumque se diffundit Ecclesia.* Per illa verba, *Ab ipsis Apostolis* intelliguntur Traditiones Christi, quæ non nisi per illos ad nos peruenire poterant, cum illos alij prædicatores non præcesserint, qui has à Christo datas fuisse nobis testificari possent. Per ea verba *Ex plenariis Conciliis* intelliguntur cæteræ Traditiones emanatæ ab Ecclesia, imò & ab ipsis Apostolis, in quantum potuerunt esse immediati

mediati auctores earum. De fide autem est dari non solum Apostolicas, quæ processerunt de ore Dei ex allato Canone Tridentini, sed etiam alias Ecclesiasticas, quæ pro auctore habuerunt Ministros Ecclesiæ, vt colligitur ex diuersis aliis Conciliis præsertim Nicæno II. Act.6.& 7. ex Fabiano Papa Epist. 2. ad Episcopos orientis. Traditio igitur ea est, quæ ab vniuersa Ecclesia recipitur, veneratur, & obseruatur. Nota autem, quod illa quatuor in exemplum adducta à S. Augustino, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & Missionem Spiritus Sancti spectari dupliciter, nimirum provt gesta sunt à Christo, & in Christo, qua ratione sunt articuli fidei, & lex scripta in testamento nouo, & non sunt traditiones; vel provt solemnizantur ab vniuersa Ecclesia, in quibus diebus fideles se abstinent à seruilibus, & diuina colunt, & rememorant mysteria, & in hoc sensu præcisè huiusmodi solemnitas vocatur Traditio Ecclesiastica.

8 Est ergo certa conclusio, quod Traditio Ecclesiastica est illa, quæ ab ore Sanctorum Apostolorum, summorum Pontificum, & Patrum nostrorum ad nos peruenit; non facit articulum fidei, in dubio autem an habeat pro auctore Christum, an Ecclesiæ Ministrum, censenda est Ecclesiastica, aduersans Ecclesiasticis Traditionibus temerarius est, & de hæresi suspectus.

9 D. Augustinus relatus cap Ecclesiasticarum 5. dist. 11. de illis ita loquitur: *Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam vero Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam vero consuetudine roboratas approbauit vsus.* Ex his constat institutiones Ecclesiasticas esse in triplici differentia, alias esse scriptas, nimirum in libris Canonum, & Pontificum, quæ leges scriptæ vocantur; alias vero non scriptas, quæ vocantur Traditiones, introductas vel à ministris Ecclesiæ, vel ab vsu ipsius Ecclesiæ, quæ etiam consuetudines vocantur.

10 Traditio Ecclesiastica non facit articulum fidei, ratio est, quia articulorum fidei auctor est solus Deus; Traditio autem ideo dicitur Ecclesiastica, quia pro auctore habet Ministros Ecclesiæ, ergo articulum fidei facere non potest. Confirmatur id ex cap. Illud 4. dist. 12. vbi Traditiones Ecclesiasticæ contra distinguuntur ab articulis fidei his verbis: *Illud breuiter te admonendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiunt, ita obseruandas, vt à maioribus traditæ, nec aliquorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.* Sanæ consuetudines, & veræ Traditiones à Ministris Ecclesiæ introductæ sunt illæ, quæ non aduersantur Sacræ Scripturæ, quæ Catholicam fidem continet.

11 In dubio autem quis eius sit auctor? Resoluendum est, habere Ecclesiam pro inuentore, nam sicut in dubio, an aliquid sit de fide? stante dubio, non dicitur esse de fide, sed probabiliter oppositum teneri potest, tamen non negatur, quin esse possit de fide, nec excluditur omnino à ratione fidei, ita cum controuertitur, an aliqua Traditio sit Apostolica, id est, procedens de ore Christi, an Ecclesiastica introducta à Ministris Ecclesiæ, probabiliter teneri potest esse Ecclesiasticam, non Apostolicam, persistendo in opinione, non negando quin possit etiam esse ab ore Christi. Ea, quæ Christus locutus fuit in testamento nouo, & in veteri expressa per prophetas ore Spiritus Sancti, vel sunt clara, vel sunt obscura, si clara, in eis non habet

12 locum dubitatio, quia clarum opponitur dubio, ac proinde non potest esse obiectum dubitationis; si dubia, & obscura ex eo, quod ad plures sensus, & res extendi possunt, tunc in his locum habet fidei controuersia, & tandiu obiectum dubium manet sub opinione Doctorum quandiu per Pontificem Romanum non definitur controuersia. Do exemplum in Conceptione Virginis Mariæ immaculata secundum maiorem partē Doctorum, & maculata secundum aliorum opinionem. De ea obscurè loquitur Spiritus Sanctus in diuersis locis Sacræ Scripturæ. Tota pulchra es, & macula non est in te. Loquitur de Ecclesia, loquitur de Maria sine macula peccati originalis, secundum alios, sine macula peccati actualis tantum, res dubia ergo est, consequenter expectanda est definitio à Romano Pontifice.

Aduersans Christi traditionibus hæreticus est, vt superius dictum fuit ex definitione Tridentini, spernens verò Ecclesiasticas temerarius est, & suspectus de hæresi, vt colligitur ex sanctis Patribus, & Doctoribus ex D. August. relato cap. In his 7. dist. 11. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt, & sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.* Contemnentes diuinas leges sunt hæretici ex suprad. dictis, ergo spernentes Traditiones, & consuetudines Ecclesiæ ad minus sunt suspecti, quia videntur insinuare in Ecclesia Dei non esse potestatem introducendi illas. Nicolaus Papa relatus cap. Ridiculum 5. dist. 12. inquit, *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt Traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus infringi patiantur.* Abominatio, & dedecus non nisi temeritatem, & personæ indignitatem arguunt nolentis se aliis conformare, ille enim pro suspecto de hæresi habetur, qui vita, & moribus aliis non se conformat, sed discedit à communi conuersatione fidelium, *cap. Excommunicamus* 14. §. *Adiicimus, de hæret.* D. August. Epist. 118. inquit: *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an faciendum sit quod tota per orbem frequentat Ecclesia.* Ex Becano cap. 4. de fide num. 25. Simile quid habet Scotus in 1. sent. dist. 11. q. 1. ad finem, dum dicit. *Periculosum est errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt præscripta, sed etiam quæ per consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ tenenda sunt.* Ratio est, quia recedens à communi vsu, quem tota seruat Ecclesia, aut Ecclesiam contemnit, aut de eius potestate dubitat, aut putat eam decipi, & decipere circa instructionem morum, quæ vehementem inducunt suspicionem hæresis. 13 14 15

Discrepant Scriptura, & Traditio in eo solum, quod lex vtriusque Testamenti scripta fuit de mandato Dei, Traditio vero relicta fuit à Deo sine scriptura, commendata fidelium memoriæ, & si quando excideret ab vno, remaneret in alio, qui posset aliis tradere, & ferè omnes reperiuntur registratæ in Conciliis, & apud sanctos Patres. Referam exempla aliqua tam ad fidem, quam ad mores pertinentia. 16

Traditiones pertinentes ad fidem sunt. *Prima*, quod Deus solus est auctor librorum vtriusque testamenti. *Secunda.* Quod huiusmodi scriptura in dictis libris contenta peruenit ad nos intacta, & incorrupta secundum veritatem, & reuelationem à Deo factam seruis suis. *Tertia.* In Ecclesia Romana est verus, & legitimus sensus Sacræ Scripturæ, & non extra illam. *Quarta.* Symbolum Apostolorum paruum est verum Dei verbum Canonicum, & legitimum. *Quinta.* Paruuli sunt baptizandi. *Sexta.* Baptizati ad hæreticis non sunt rebaptizandi, si ab illis seruata fuit forma Ecclesiæ. *Septima.* Maria Mater Dei perpetuo Virgo. *Octaua.* In forma Baptismi exprimendæ tres personæ. Trinitatis. *Nona.* Sacramenta sunt tantum septem. Hæ & similes reperiuntur apud Sanctos Patres acceptæ ab Apostolis edoctis à Christo, quæ scriptæ non reperiuntur in sacris libris. Sequuntur aliæ spectantes ad ritus, & mores *Decima.* De benedictione aquæ. *Vndecima.* De orando versus orientem. *Duodecima.* De Catechismo, præmittendo Baptismo. *Decimatertia.* 17

tia de orando pro mortuis in Missa. *Decimaquarta*, de trina mersione in baptizando. *Decimaquinta*, de annua renouatione Chrismatis. *Decimasexta*, de miscenda aqua in Calice. *Decimaseptima*, de sumenda Eucharistia à ieiunis. *Decimaoctaua*, de formando signo crucis in fronte. *Decimanona*, de forma Sacramentorum a Christo Domino. *Vigesima*, de solemnizatione Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes. De quibus, & aliis vide apud Cordubam *lib.4. quæst.1. propos.5.* Decanum *cap.4. de fide, à conclus.2.*

18 Ecclesiasticæ sunt dictæ solemnitates sub vigesima, celebratio Paschatis, abstinentia à seruilibus diebus Dominicis, abstinentia à lacticiniis, in quadragesima, & aliis diebus ieiuniorum, Vigiliæ nonnullorum Sanctorum, & similes ex vsu Ecclesiæ introductæ.

Hæretici impugnant libros Canonicos, & legitimas Traditiones. *Primo*, namque Testamentum vetus à Deo datum fuit Iudæis, & illud ad Catholicos non peruenit legitimè, quia latina versio in multis aduersatur linguæ sanctæ, quam Deus immediate dedit Hebræis. *Secundò*, Apostoli tot libros a Christo non perceperunt, quot Florentinum, & Tridentinum Concilium assignant pro Canonicis, & à Christo traditis, Canon enim 84. Apostolorum variat. *Tertiò*, Sancti Patres variant inter se, nam aliqui referunt plures, alij minus, ergo non datur certa regula discernendi libros Canonicos à non Canonicis, vnde vnusquisque pro libito suo potest illos acceptare, qui sibi videntur legitimi, & respuere alios.

19 Circa Traditiones, hæretici non solum antiqui, sed etiam moderni reiiciunt illas, asserentes ea omnia, quæ spectant ad fidem, & mores exprimi in Sacra Scriptura, nihil aliud volentes admittere, vt videre est apud D. Augustinum lib.1. contra Maximum Episcopum Arianum reiicientem voces, quæ extra Scriptu-
20 ram sunt; & contra Macedonianos, & Eunomianos negantes versiculum: *Gloria Patri* quia non exprimitur in Scriptura. Ex Modernis nonnulli concedunt tantum Traditiones Ecclesiasticas, Apostolorum vero, seu Christi omnino negant. Probant autem *Primò* quia Traditiones à Christo postponuntur, vt testatur Matth. 15. 9. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram. Secundò*, Paulus ad Coloss. 2.8. vocat eas Traditiones hominum deceptrices his verbis: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum Traditionem hominum.* Diuus Petrus 1. cap. 1.18. vocat vanas Traditiones *Tertiò, Redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ Traditionis.* Patet ex his Sacras Scripturas reprobare Traditiones, quia vanæ sunt, deceptoriæ, & irritatoriæ mandatorum Dei. Confirmatur id, quia, *Quartò*, in Deuteronio prohibetur additio facta Sacræ Scripturæ cap.4.2. *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis.* Item cap.12.32. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Traditiones autem non præcipiuntur, sed adduntur contra præceptum Dei suprapositum. *Quintò*, reiiciuntur ex Epist. ad Galat.1.8. his verbis: *Licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.* Demum, *Sextò*, in Apoc. 22.18. *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Quare cum ex prædictis colligatur, Traditiones esse nociuas, vanas, & nihil esse addendum Sacræ Scripturæ, infertur, illas non pertinere ad fidem Catholicam.

Ad huiusmodi obiectiones, quæ nullius sunt momenti responderi potest ad omnes simul, recensitos in Tridentino libros Canonicos esse illosmet, quos Christus tradidit Discipulis suis, & per illos Catholicæ Ecclesiæ, vt testatur S. Cyrillus Ierosolymitanus Cathechesi quarta his verbis: *Has tandem studiosè meditare Scripturas, quas in Ecclesia confidenter legimus, multo prudentiores te, & religiosiores te fuerunt Apostoli, & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt, tu itaque cum sis filius Ecclesiæ non transgrediaris illius terminos.* Si filij non habent iudicare de Scripturis, quænam sint Canonicæ, & quæ non? sed discere eas ab eius ministris, quid dicemus de hæreticis, qui filiationem Ecclesiæ perdiderunt? certè mendaces censendi sunt, & temerarij.

Primo eorum argumento contra Sacras Scripturas 21
respondetur, illos non bene argumentari ex libris Hebræorum ad libros Catholicorum, quia esto Testamentum vetus à Deo primum fuerit Iudæis datum, tamen quia illud adulterarunt, & falsificarunt, vt suam obstinationem, & pertinaciam de futuro apud eos Messia satis manifestam occultarent, mirum non est, si à nostro in multis diuersum est.

Secundò Canones Apostolorum multi faciunt A- 22
pocriphos, vt Isidorus, Zepherinus Papa recipit tantum sexaginta, Leo IX. in sexta Synodo numerat 85. quorum dicta, & sententias refert Gratianus sub distinct.16. Sed quicquid sit de hoc, supponamus Canones Apostolorum esse legitimos, Tridentinum recipit omnes libros, quos recenset ille vltimus Canon. Quod ibidem non recenseantur libri nonnulli, qui exprimuntur in Conciliis, non infert ab Ecclesia superadditos fuisse alios, quasi non essent ab ipso Domino, sed ab Ecclesiæ Ministris fuisse inuentos, sed tantum omissos fuisse à scriptore illorum Canonum, recensitos deinde vti Canonicos, & à Deo composi-
tos per Pontifices Romanos in dictis Conciliis, aliud 23
enim est omittere aliquid, aliud omissum negare, nam illud fit per merum actum negatiuum sine vllo positiuo, hoc vero per actum positiuum, & dispositiuum negando illud esse tale, quale ponitur. Quare cum Canon Apostolicus merè se habuerit omissiuè, nihil disponendo super libris omissis, per hoc non videtur eos reiecisse vti illegitimos, & Apocriphos, cum super illis nihil statuerit.

Tertiò, sancti Patres olim variabant, quia ante definitionem Innocentij nihil certi erat determinatum, quo cogerentur ab Ecclesia ad concurrendum omnes in eandem sententiam, ideo vnusquisque poterat abundare in sensu suo. Post verò definitionem Ecclesiæ omnes idem sentire coguntur, consequenter frustra laborant hæretici, dum Catholicis obiiciunt diuersas Patrum sententias, quæ tunc admittebantur. De veritate Canonicorum librorum lege opuscula Theologica Iulij Rugerij Abbatis Lamularum, Venetiis apud Franciscum Ziletum anno 1581. in quibus accurate defendit omnes libros Sacræ Scripturæ esse Canonicos à Deo fidelibus suis traditos.

Ad argumenta contra Traditiones Christi respon- 24
detur in communi, per allegatas auctoritates scripturæ prohiberi, ne quid per homines addatur vtrique Testamento, quod quidem semper obseruatum fuit à Catholicis, qui non addunt Traditiones libris Canonicis, quas illis iam Deus addiderat, non enim inuentæ sunt ab hominibus, sed à Deo fuerunt reuelatæ Ecclesiæ sine scriptis, & in Conciliis à Patribus recognitæ, & à Pontificibus Romanis approbatæ pro talibus, quales Deus hominibus tradidit.

Eorum igitur obiectionibus primæ, secundæ, & tertiæ respondetur, Christum reprobare falsas Iudæorum Traditiones, quas ab hominibus receperunt superstitionibus redolentes, asserentes eas esse à Deo, cum tamen Deus locutus non fuerit, imò aduersabantur legi diuinæ, cuius causa erant transgressionis.

Ad quartam, Deuteronomij dico, Deum Hebræis prohibere superstitiones in colendo Deum, ne incurrant idolatriam offerendo ei sacrificia alio modo,

quam

quam illis præcepit per Moysen seruum suum.

25 Ad quintā ad Galatas, dico Paulum Apostolū admonere fideles ne aliud Euangeliū recipiant, nisi quod illis Euangelizauit, illud autem cūponitur ex scripto, & non scripto verbo, quod illis prædicauit, igitur nihil contra Traditiones, quia istæ sunt partes Euangelij cum verbo scripto, ideo Concilia, & summi Pontifices dum has proponunt credendas, non aliud Euangelium prædicant fidelibus, sed illudmet, quod Paulus Euangelizauit.

Demum prohibitio in Apocalypsi non tollit Traditiones, quia per has nihil additur prophetiæ Sancti Ioannis, cum extra scripturam maneant Traditiones. Vide Becanum *cap. 4. de fide n. 40.*

Quæres 2. An Deus sit auctor vtriusque Testamenti, & Traditionum?

26 ℞. Affirmatiuè, de fide credendum, vt colligitur ex pluribus locis vtriusque Testamenti. De veteri Exodi cap. 19. & 20. *Locutus est Dominus cunctos sermones hos.* Isaiæ 51. 4. *Lex à me exiet.* Mille sunt testimonia in lege veteri dicentia *Locutus est Dominus.* Quod D. Paulus *ad Galat.* 3. confirmat & *ad Hebr. cap.* 2. loquendo de vtroque Testamento. De nouo plura sunt testimonia, nam dicitur Euangelium Dei *Rom. 1. cap.* 15. 16. *Epist. 2. Corinth* 11, 7 *Epist. 1. ad Thessall.* 2. 8. Vocatur Euangelium Christi ab omnibus Euangelistis; à Paulo *Rom. 1. 9. cap. 15. 19. & 29.* alibi sæpius. Lex ergo vetus, & noua à Deo edita fuit, cui nullus est similis in legislatoribus, vt dicit Iob. 36. 22. Veterem autem legem Deus promulgauit per Angelos, & Moysen populo Hebræorum, nouam vero per Christum Dominum nostrum, & eius Apostolos omnibus creaturis, iuxta illud Ioan. 1. 17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta.* Moyses igitur legem sibi à Deo datam publicauit Iudæis, Christus vero gratiam, & veritatem, hoc est Euangelium edidit, & publicauit omnibus. Et ita rem hanc totam definiuit Tridentinum sub sessione quarta.

Hæresis fuit Manichæorum, qui duo principia posuerunt, vnum visibilium, aliud inuisibilium, vnum veteris, alterum nouæ legis, quos anathematizauit Concilium Florentinum in enumeratione sacrorum librorum, Argumenta hæreticorum referam in sequenti quæstione.

Quæres 3. An Sacra Scriptura cum Traditionibus sit necessaria, & vtilis fidelibus, non damnosa reipublicæ Christianæ, nec mala? continens veritatem, non falsitatem, nec errores, aut mendacia, neque superfluitatem?

R. Vtraque est necessaria, & vtilis fidelibus, sancta non mala, continens veritatem sine vlla falsitate, errore, mendacio, aut superfluitate, seu absurditate.

27 Primum de necessitate, & vtilitate vtriusque colligitur ex infinitis pene locis eiusdem, referam aliqua. Prouerb. 6. 22. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Psal. 118. 105 *Lucerna pedibus meis verbum tuum* Psal. 18. 8. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Paulus 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Ad Rom. 8. 2. *Lex spiritus vitæ.* Prouerb. 29. 18. *Qui vero custodit legem, beatus.* Eccli 33. 3. *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.* Ecce, quantam homo capit vtilitatem ex lege diuina, cui hæc inseruit pro lucerna ad ambulandum rectè per viam iustitiæ, præmonstrando scopulos, & pericula, quæ possit euitare; inspirat vitam spiritualem per sacramenta illam seruantibus, & credentibus quicquid ipsa docet, & non deest fideliter eam custodientibus. Et ita de fide credendum est, vt ex prædictis colligitur sententiis communibus verbo scripto, & non scripto, nam Traditiones ipsæ sunt lex Domini immaculata, quia pro auctore Deum habent.

Secundum de bonitate legis probatur, nam in præ- 28
citato Psalmo dicitur *Lex Domini immaculata* Paulus ad Rom. 7. 7. *Lex peccatum est? absit.* Epist. 1. ad Timoth. 1. 8. *Scimus autem, quia bona est lex.* Et plura his similia habentur testimonia. Et id certum est de fide, & confirmatur ab effectibus, quos bonos producit, vt vidimus in præcedenti probatione, ergo non potest non esse bona, sancta, & immaculata adeo quod sufficit, vt pro auctore habeat Deum ipsum, cuius omnia sunt perfecta opera.

Tertium de veritate docetur per Malach. 2. 6. *Lex* 29
veritatis fuit in ore eius. Psal. 118. 142. *Et lex tua veritas* Paulus ad Galat. 2. 5. *Vt veritas Euangelij permaneat.* Ad Coloss. 1. 5. *In verbo veritatis Euangelij.* Ergo si lex diuina plena est veritate, prout est, excludit omnem omnino errorem, mendacium, & deceptionem, ac falsitatem, quæ ex diametro opponuntur veritati, quæ cum prædictis stare non potest. Confirmatur, quia cum Deus ex supra probatis sit auctor legis ex necessitate rei est sancta, bona & vera prædictos defectus excludens, vt enim est summè sapiens, & prima veritas non potest loqui nisi veritatem, & cum sit etiam infinitè, & summe bonus, neminem per suam legem potest decipere, ideò de fide tenendum est, legem diuinam solam continere veritatem excludendo omnem falsitatem, deceptionem, & mendacium.

Quartum de superfluitate aut absurditate non con- 30
tenta in lege Dei probatur ex Deuter. 32. 4. *Dei perfecta sunt opera.* Iacobi 1. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Lex autem diuina est opus Dei perfectum, datum optimum, donum perfectum, ergo nullam potest continere absurditatem, aut superfluitatem isti enim sunt defectus, qui opponuntur perfectioni legis. Confirmatur auctoritate D. Aug. cap. 8. super Genesi ad litteram: *Conandum est efficere, ne aliqua absurditas, vel repugnantia putetur esse in sacris scripturis, quæ opinionem lectoris offendat.* D. Chrysostomus super illis verbis Isaiæ: Vidi Dominum homil. 2. inquit. *In sacris litteris nihil superfluum.* Ratio est, *Tum quia*, vt communiter dicitur, Deus non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis, ergo nihil imperfectum in lege Dei reperitur. *Tum quia*, in legibus humanis nullum absurdum, nec aliquid superflui reperitur, à fortiori in lege Dei, qui perfectissimo modo operatur. Antecedens suadetur, quia absurdum
in omnibus dispositionibus vitandum est, *l. Nam ab-* 31
surdum, ff. de bon. liber. adeo quod ne illud appareat in lege quandoque eius verba impropriantur, & quasi ius infertur litteræ, ne illud admittatur, l. scire oportet, Tuschus *litt. A. concl. 66. num.* 17. Nihil præterea superflui in lege est, *l. Si quando, ff. de legat. arg. cap. solita 6. de maior.* lex enim neque vnam syllabam debet habere superfluam, Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. gloss. 22. num. 5.* vnde valet argumentum à superflui-
tate vitanda Gratian. *cap. 306. num.* 16 leges enim ni- 32
hil frustra faciunt, Cæsar Argel. *de contrad. legit. q. 2. num.* 200. Iason *in l. Prætor ait, ff. de iureiur.* Leges mendacia non continent, aliter non essent regula, per quam dirigendæ sunt actiones humanæ, & si aliquando in eis apparent ex repugnantia locorum adhibita distinctione ad intelligendum, tollitur. A fortiori huiusmodi defectus absunt à Sacris Scripturis, quæ pro auctore habent ipsum Deum, qui caret omnibus defectibus in essendo, & operando.

Hæretici asserunt legem vtramque esse inhumanam, impossibilem vt obseruetur, malam concedentem peccata, fallacem, decipientem, mendacem, absurditates continentem, quorum deliramenta sunt diluenda in sequentibus.

Probant

Probant primo eius inhumanitatem Exodi 21. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, quod Christus tanquam iniquum, & crudele abstulit Matth. 5. 38. *Audistis, quia dictum est, oculum pro oculo, dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo.* Ex quo sequitur etiam eius impossibilitas obseruationis, vt testantur Apostoli in Concilio Act. 15. 10. *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Ecce impossibilitas, durities, & inhumanitas legis veteris, quam ideo reiecit Christus Dominus.

33 Contra est, quia licet lex vetus sit dura, & rigida, non tamen inhumana, nec obseruatu impossibilis, sed est iusta, & possibilis obseruatione, hæc enim duo, quæ legi necessaria sunt, non tolluntur per eius ri-
34 gorem, qui consistit tantum in pœnis, & non in dispositione legis, quæ supponitur, & ei pœna apponi-
35 tur; immò pœna adiuncta duo efficit, nam primo demonstrat eius iustitiam, de cuius ratione est, vt tantum restituatur, quantum ablatum fuit, vt seruetur æqualitas, sine qua iustitia subsistere non potest, ac proinde iustè dens pro dente restituitur; secundo pœna legi additur, vt homines timore pœnæ à malo retraherentur, pœna enim est metus multorum, in quo-
36 rum est exemplum *cap. Cum quidam 12. cap. Sicut ex litteris 13 de iureiur.* vnde dicitur *cap. Quapropter 46. 2. quæst. 7.* quod transgressionis vltio sit cæteris inter-
37 dictio delinquendi. Quare bene dixit D. Aug. *lib. 1. Retract. c. 9.* quod lex vetus rigida fuit, quia erat lex status timoris, & seruitutis; non sic lex noua, quæ est status gratiæ, libertatis, & filiorum, ideo mirum non est, si Christus locis citatis legem Euangelij præposuit vti benigniorem, relinquendo veterem, quæ post
38 mortem Christi non amplius obligabat. Lex & si dura sit, adhuc lex est, & obseruatione digna, quæ humana voluntate mollis fit, quia nihil difficile volenti, etiam humana lex propter suam duritiam, & rigiditatem non perdit vim suam, sed obseruanda est, *l. Prospexit, ff. qui hæred. institut.* Surd. *decis.* 195. *num.* 8. à fortiori lex diuina rationem legis non perdit propter
39 suam duritiam. Ea verba Act. *Non potuimus portare* non indicant impossibilitatem, sed tantum difficultatem, nam in iure magna difficultas æquiparatur impossibilitati, *l. 2. §. Ex quo, l. Continuus, §. Cum quis, ff de verb. obligat.* Iugum ergo veteris legis erat magni ponderis, quod cum magna difficultate portabatur, eius loco successit Euangelium, quod est iugum suaue, & onus leue.

Probant secundò, legem esse malam. *Primò*, teste ipso Deo Ezechiel 20. 25. *Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.* Nulla ergo bonitas est in eis, cum sint plena malitiæ. *Secundò*, quia est causa peccati, teste Paulo ad Rom. 4. 15. *Lex iram operatur.* Item cap. 4. num. 20. *Tertiò*, dicitur. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Idem cap. 7. 8. dicitur. *Quartò*, legem esse causam peccati, ibi: *Sine lege peccatum mortuum erat, sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit.* Prætetea *Quintò*, lex vetus permittebat vsuras, & libellum repudij concedebat. Noua verò concedit adulterium, nam Ioan. 8. 10. Christus mulierem deprehensam in adulterio, & accusatam à scribis, & Pharisæis punire noluit.

40 Contra est, quia lex bona est, & sancta non mala, neque causa peccati, vnde *primæ* auctoritati respondetur, legem dici non bonam, id est, minus bonam, & imperfectam respectu legis Euangelicæ, nam quod lex vetus promittebat, noua tribuit, aperiendo ianuam Paradisi, quam recludere non poterat vetus. Ceremonialia legis vocantur elementa infirma, & egena, quia homo non iustificatur ex operibus legis, sed ex
41 fide in Christum, ad Rom. 3. 27. ad Galat. 2. 16. D. Thom. 1. 2. *q.* 98. *ad primum*, dicit non fuisse bona, quia non conferebant gratiam, & ideò homines in illis non esse victuros vita scilicet gratiæ; immò dic tu nullo modo, quia per mortem Christi lex vetus cessa-
uit. *Secundò*, respondetur, legem operari iram, non ex 42
se, sed occasione peccati ab homine perpetrati contra legem, quæ pœnam inducit in transgressores, ira enim secundum D. Thomam 1. 2. *q.* 47. *art.* 1. est ap- 43
petitus iustitiæ vindicatiuæ, lex igitur respectu pœnæ fundatur in iustitia vindicatiua, quod est ipsam operari iram, ira verò prout est peccatum non causatur à lege, sed ab impatientia transgressoris legis. Vel dic 44
legem operari iram, id est, pœnam infligere in transgressorem, quod nō est malum, sed iustum, vt delicta puniantur. *Tertiò*, ad illud lex subintrauit vt abundaret delictum, dicit D. Thomas 1. 2. *q.* 98. *art.* 1. *ad* 2. legem non fuisse causam delicti, sed tantum occasionem, quia nitimur in vetitum, & magis appetimus, quod nobis interdicitur, quam si non esset prohibitum; tota igitur malitia, & abundantia peccati prouenit à nobis, qui naturam habemus pronam ad malum, non autem ex lege, quæ de se bona, & sancta est, quæ tantum occasio est. Quartæ respondetur, ibi sermo- 45
nem esse de peccato originali, & fomite, quod ante legem erat ignotum, & lege publicata cœpit esse notum omnibus, à quo alia peccata originem trahunt, lex ergo non est causa peccati, sed regula ad peccatum cognoscendum. *Quintæ*, Bellarmin. de Matrim. *cap.* 17. dicit licitum fuisse libellum repudij. Alij cum D. Thoma 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 2. dicunt, Deum permisisse vsuram Iudæis cum extraneis ad euitandum maius malum. Idem sentiunt de repudio vxoris. Permitte- 46
re autem minus malum ad euitandum maius, nullum 47
est peccatum, quia per illam permissionem legislator præcisè intendit ponere remedium, & impedire illud maius malum; minus vero malum quod inde sequitur, non imputatur permittenti, quia illud non intendit, ideò lex vetus prædicta permittens non dicitur mala, neque scandalosa, sed bona, quia intendit per hoc, vt maiora peccata euitentur. Tandem ad illud de adultera à Christo non punita, dico, noluisse adulteram ca- 48
stigare, non approbando eius peccatum, sed nolendo acquiescere Iudæorum curiositati, & tentationi, vt dicit D. Augustinus, solum illam reprehendit, ne amplius peccaret, ideò peccatum adulterij non approbauit, immunem eam tantum à pœna fecit, id enim poterat, quia supremus iudex erat. Vel secundum Liranum illam non subiecit pœnæ lapidationis, quia in ea vidit magnam contritionem, quæ sufficiebat etiam pro pœna adulterij exoluenda.

Probant tertio in vtroque Testamento reperiri er- 49
rores, & dogmata ad inuicem pugnantia, & mendacia. Nam, *Primò*, in Genesi cap. 1. dicitur spatio sex dierum Deum creasse mundum, Eccli vero 18. dicitur, omnia simul creasse. Similia refert Becanus cap. 3. de fide in tertia causa obscur. *Secundò*, in Exodo 20. 12. dicitur, honorandos esse parentes, in Luca vero 14. 26. illos esse odiendos. *Tertiò*, in Marco 10. 19. asseritur, quod nemo bonus nisi solus Deus, in Luca vero 6. 45. dicitur, hominem esse bonum, qui de bono thesauro cordis sui profert bonum. *Quartò*, Matth. 27. 9. falso citat Scripturam in Ieremia, vbi non reperitur, sed in Zacharia. Quamplura alia loca continent ad inuicem repugnantiam, & errores plures, ideo neutra est bona, nec veritatem continet, dum multis erroribus scatet.

Contra est, quia in Sacra Scriptura nullus error, nec falsitas, nulla repugnantia, sed vna pars alteri congruit, & summa concordia in illius dictis reperitur, vt infra magis patebit sub q. 30. Interim respondetur, 50
Prima, cum D. Augustino *lib.* 4. *Genesis cap.* 22. creasse omnia simul quoad operationē, successiuè vero quoad cognitionem, quia Angeli cognouerunt creationem

nem

nem mundi per sex distinctas cognitiones. Alij dicunt omnia simul creasse simultate tẽporis & successiuè, id est, sine interruptione. Alij successione tẽporis, & simultate continuationis *Secundæ*, honorandi sunt patẽtes, quãdo honor non cedit in dedecus Dei, aliter odio
51 sunt habendi, vt omnes Patres interpretantur. *Tertiæ*, Deus solus bonus est bonitate infinita, & imparticipabili, homo vero hoc modo bonus non est, sed solum bonitate finita, & principata. Quartæ dico, illam citationem esse veram, & realem relatam à Matth. 27. 9.
52 illis verbis. *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israël* Et licet non reperiatur in Codice Ieremiæ inserto in Sacra Biblia, necesse est dicere, eum alium Codicem composuisse, in quo illa sententia à Matthæo producta inueniatur, licet apud nos non extet, multi enim alij sacri libri scripti fuerunt, quos non habemus, & ita respondet Iulius Rugerius in opusculis suis Theologicis de libris Canonicis cap. vbi probat, omnino fatendum esse, alios fuisse olim libros à Spiritu Sancto dictatos, vnde Iudas cap. 1. mentionem facit de quodam libro Enoch. S. Hieronymus in Matthæum 27. inquit: *Hoc testimonium in Ieremia non inuenitur, in Zacharia verò qui pene vltimus est duodecim Prophetarum quedam similitudo fertur, & quamquam sensus non omninò discrepet, tamen & ordo, & verba diuersa sunt. Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium Euangelistarum, & Apostolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermisso, sensus tamen de veteri Testamento proferunt.* Si teneamus primam responsionem Rugerij euacuatur omnis difficultas; si sequamur D. Hieronymum, vrgent Hæretici, eam citationem esse falsam; quod si eis opponamus errorem Herodis, qui putauit falsò Christum fuisse Ioannem Resuscitatum, quem ipse decollauerat, vt legitur Marci 6. 16. non emendatum, & ideò hunc de Ieremia loco Zachariæ sustineri posse sine præiudicio. Respondebant, esse disparem rationem, quia reuera Herodes errauit, nec Scriptura tenebatur eius errorem emendare, sed eius dictum referre prout ipse credebat, & dixerat. Talis autem error in Euangelista Matthæo arguit falsitatem, & deceptionem redundantem in Sacra Scriptura, ideo illi occurrendo expeditius est, dicere, illud testimonium reperiri in alio Codice eiusdem Ieremiæ, qui non inuenitur, vt Euangelista sit immunis à tali mendacio, & falsa citatione. Alij dicunt citatum testimonium esse verum, quia concordat cum historia, citationem vero de se falsam esse, nullam vero inferre falsitatem neque in scripturam, neque in auctorem, quia siue citetur hic, siue ille propheta, historia narrata est vera, & cum Spiritus Sanctus vnus sit auctor, & plures scriptores, pro eodem sumuntur, quia tandem in eundem conueniunt, qui omnibus dictauit veritatem.

Probant 4. Scripturam continere absurda, & superfluitates, nam magnum est absurdum, immò graue peccatum abscindere sibi membra, & tamen hoc præcipitur Matth. 5. 30 *Si dextera manus tua scandalizat te abscinde eam.* In Eccl. 42. 14. dicitur *melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Superflua quoque sunt verba sæpius repetita e. g. *Veniens veniet. Venit finis, Finis venit.* Passim in scriptura repetuntur eadem verba sine causa, ergo superflua sunt. Præterea in veteri lege sæpè adducuntur insensata ad laudandum Deum, & ad faciendum alia, quæ pertinent ad hominem, exempli gratia in Psalmo 148. dicitur: *Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen.* Quamplurimæ sunt huiusmodi locutiones, quæ impertinentes sunt, & ridiculæ.

Contra est, quia hæretici vti subuersi subuertunt etiam sensum Sacræ Scripturæ, eius enim cognitionem non habent, & ideo mirum non est, si errant; vnde ab ipsis in exemplum adducta, si benè interpretentur iuxta verum sensum à Spiritu Sancto intentum, de quo infra agetur, nullum continent errorem, nullum absurdum, nullam superfluitatem, aut expro-
portionem. *Ad primum* igitur dico nomine *manus*, seu 53
oculi venire proximum, quem abscindere debemus à nobis, id est, cum quo conuersari non debemus,
quando nos scandalizaturus est. *Ad secundum* de ini- 54
quitate viri, respondetur ibi sermonem esse de pœnitentia viri, quam facit de sua iniquitate, pœnitentia est causaliter iniquitas, quam supponit, iniquitas enim est obiectum pœnitentiæ, qua non eget carens peccatis; mulier verò in suo beneficio non includit pœnitentiam, cum qua benefacere non habet connexionem, ideo melior est pœnitentia, quam Eleemosyna. Cardinalis Vgo sic interpretatur: *Melius est habitare cum viro iniquo, quam cum muliere bona, & pulchra.* Intellige tu, esse minus malum, quia facilius est scanda-
lizari à muliere, quam à viro. *Ad tertium*, illæ repeti- 55
tiones non sunt superfluæ, sed mysterium continent, & confirmationem veritatis eorum quæ dicuntur. Quod repetitiones non sint superfluæ, sed indicent veritatem, maiorem deliberationem, enixam voluntatem docent allegati à Barbosa Axiom. 105. adeo quod verba nunquam dicuntur superflua, quando aliquid operantur, Rubeus *decis.* 206. *num.* 32. Si ergo leges humanæ his cautelis conseruantur sine superfluitate, & quare diuinæ à fortiori non erunt exemptæ ab his defectibus? *Ad quartum*, nomine insensatorum veniunt homines & Angeli ad laudandum Deum, quia homo, & Angeli de omni creatura aliquid participant; præterquamquod etiam creaturæ irrationales laudant Deum in eo, quod à Deo pendent in fieri, & conseruari tanquam creaturæ à suo creatore.

Quæres 4 An vtraque lex vetus, & noua seruanda sit simul?

℞. Negatiuè, lex vetus solum Iudæos obligauit, 56
non Gentiles, nisi circuncisos, per mortem Christi abrogata fuit quoad iudicialia, & ceremonialia, non respectu moralium, ad quæ omnes homines perpetuo tenentur; licet autem tunc fuerit abrogata, & certa uerit quoad obligationem, non tamen quoad vsum, & vtilitatem, quia in primitiua Ecclesia eorum vsus erat vtilis, donec lex noua fuit sufficienter promulgata, post cuius promulgationem cœpit esse mortua quoad effectum, & vtilitatem, & etiam mortifera illis vtentibus postposita lege Euangelij. Non obstante abrogatione quoad obligationem, & vsum adhuc Christiani tenentur credere, illam esse bonam, sanctam, & veram, in qua verificata fuerunt omnia Christi mysteria, & prophetiæ.

Prima pars, quod lex vetus obligaret solum Iu-
dæos, habetur Deuter. 4. 8. *Quæ est alia gens sic inclyta,* 57
vt habeat ceremonias, iustaque iudicia, & vniuersam legem. Præcepta veteris legis reducuntur ad tria capita ad moralia, ad Ceremonialia, & ad iudicialia. De primis non fit expressa mentio, quia ea communia sunt omnibus hominibus, eo quod indita sunt naturæ omnium hominum. Psal. 147. 20. *Non fecit taliter omni nationi, nec iudicia sua manifestauit eis.* Ex eo quod solis Hebræis dedit vniuersam legem, & aliis hanc non manifestauit, neque promulgauit, signum est quod Deus noluit alios obligare, lex enim solum
obligat illos, quibus in communi promulgatur, *l. Leges* 58
Cod. de legibus cap. 1. *de postul. prælat.* Qui circuncidebantur, ipso iure fiebant subiecti legi, vt clarè dicitur Exodi 12. 28. quod clarius docet Paulus cap. 5. ad Galat. 3. *Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Sicut enim qui baptizatur

ptizatur subiectus est legi Euangelij, & humanæ Pontificiæ, ita qui circumciditur remanet cum Iudæis obligatus legi Moysis. Est Doctrina omnium Catholicorum cum D. Thoma 1. 2. *quæstione* 98. *per totam*.

59 Secunda pars, quod in morte Christi lex vetus abrogata fuerit, probatur Ioan. 19. 29. *Consummatum est*, id est, vetus Testamentum accepit finem quoad sui obligationem. Lucæ 16. 16. *Lex, & Prophetæ vsque ad*
60 *Ioannem*. Magna differentia est inter Ioannem & cæteros Prophetas ipso antiquiores, nam antiqui prædixerant Christum futurum, illum tamen in carne viuentem non viderant, Ioannes vero fuit vltimus propheta, & primus, qui illum prædicauit, & vidit in carne iam venisse, quem digito demonstrauit, ideo ab illo tempore lex cœpit esse infirma, quia Christus initium dedit suæ prædicationi; vnde D. Paulus ad Galat. 3. 24. legem vocat pedagogum nostrum in Christo: *Lex pædagogus noster fuit in Christo, at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo*. Ratio est, quia figura, & figuratum, vmbra, & lumen simul stare non possunt, vnum enim alterum pullat, venit Christus figuratus, & lumen, necesse fuit, vt figura, & vmbra, quibus lex vetus plena erat cessarent. Nec obstat, quod lex in æternum stat, & quod circumcisio sit si-
61 gnum fidei, quæ durat sub lege noua. Quia respondetur legem perpetuo stare quoad moralia, quoad suam veritatem, quoad commutationem figuræ in figuratum, quoad substitutionem, & successionem legis nouæ. Pariter Baptismus successit circumcisioni, & sic fidei Christi venturi successit fides eiusdem Christi existentis, lex igitur in æternum stat quoad prædicta, abrogata vero fuit quoad futura, quæ iam sunt.

62 Tertia pars, quod moralia non fuerint abrogata, probatur. *Tum quia*, sunt præcepta naturalia, ac proinde immutabilia, sicut immutabilis est natura hominis,
63 quem sequuntur, cum eius naturæ sint insita. *Tum quia*, non habent rationem figuræ, sed tantum sunt regula, qua homo naturaliter dirigitur in suis operationibus, ergo non comprehenduntur sub abrogatione. Ita omnes Theologi, quorum aliqui contendunt, an saltem abrogata fuerint quatenus conscripta à Moyse, & vt partes legis scriptæ, de qua re Becan. *de lege Mos. quæst.* 8. *num.* 5. Omitto, quia est parui momenti. Non erat necessarium, quod omnibus derogaretur, sed tantum quod opponebatur tanquam vmbra luci, & figura figurato, inter quæ non computabantur moralia, sed tantum cæremonialia, & iudicialia.

64 Quarta pars, quod lex vetus non cessauerit quoad vsum, & vtilitatem, probatur. *Tum quia*, vt dicitur initio Conciliorum ex cap. 21. Act. secundum opinionem Bedæ, Carthusiani, & aliis, fuit licitum Iudæis ad fidem conuersis vti legalibus simul cum Euangelio quamdiu templum, & sacrificia legis in Ierusalem stabant, non quasi lex Euangelica non sufficeret, sed
65 vt cũ honore Synagoga paulatim sepeliretur, vt hac ratione Iudæi facilius conuerterentur, permissa fuerunt legalia, non vt erant adhuc figura, sed vt illorum erat auctor Deus, ne quis putaret, legem veterem fuisse malam, & perniciosam populo Dei, ideo simul cum noua permissa fuit. *Tum quia*, post mortem Christi, immò nec ante Pentecosten lex noua fuit promulgata, post quod tempus cœpit ab Apostolis per vniuersum orbem diuisis prædicari, ne cuiquam ergo deesset remedium necessarium ad salutem, dicendum est, virtutem legis veteris adhuc viguisse post abrogationem, quæ tunc in eo consistebat, vt neminem obligaret conuersum ad fidem per Christi baptismum. *Tum quia*, Paulus Timotheum gentilem ad fidem conuersum circumcidit Act. 13. 3. Et seipsum cum Iudæis purificauit Act. 21. 26. Ita docet S. Bernardus Epist. 77. his verbis. *Tandiu credendum est antiqua valuisse Sacramenta, quandiu palam interdicta non fuisse constiterit*. Scotus *in* 4. *dist.* 3. *q.* 4. §. *Quantum ergo*, Gabriel *ibidem art.* 3 Becan. *quæst.* 3. *de lege Mosaica conclus.* 4. Vasq. 1. 2. *disp.* 181. *cap.* 2. cum multis aliis tenet, legem post Christi mortem abrogatam statim perdidisse vim suam, *Primò*, quia extincto Sacerdotio, necesse fuit extingui legem. *Secundò*, quia secundum Diuum Hieronymum, & Augustinum ceremoniæ legales statim post mortem Christi fuerunt mortuæ, licet non essent mortiferæ secundum D. Augustinum, ergo nullam virtutem habuerunt. Respondetur vtrique legem veterem mortuam, abrogatam, extinctam cum Sacerdotio, quoad effectum obligandi conuersos ad fidem, non vero per hoc perdidisse suam virtutem, respectu cuius non dicitur abrogata, mortua, nec extincta pro illo tempore, quo nondum ab Ecclesia interdictus fuerat eius vsus.

Quinta pars, quod posita sufficienti promulgatione Euangelij, & interdicto vsu legalium, cœperit lex 66
esse in totum abrogata & mortifera, probatur per Paulum ad Galat. 5. *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini*. Ergo peccant mortaliter, qui seruant legem, cum euacuentur à Christo, à quo solo dependet hominis iustificatio. Ratio est, quia qui eã seruat, de facto fatetur nondum adimpletas fuisse prophetias, & negat Christum iam venisse, ergo vsus legis est mortiferus. Qui ergo post mortem Christi, vsus fuisset legalibus provt protestabantur Christum venturum, sine dubio peccasset mortaliter, si vero eatum vsum direxisset ad Deum auctorem illarum, ad significandum legalia fuisse bona, non peccasset, vt distinguit cum Theologis Becanus q. 10. de lege Mosaica, vbi refert controuersiam inter Diuum Hieronymum, & Augustinum.

Hæretici apud D. August. *Hæresi* 8. *apud Epiphanium hæresi* 28. asserunt legem cum Euangelio semper esse seruandam ex illo Baruch. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ in æternum est*. Confirmant ex Apostolo ad Galat. 5. 3 *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est legis faciendæ*. Ergo tempore D. Pauli vtrumque Testamentum obseruandum erat.

Contra, est quia sicut figura, & vmbra cessant per aduentum figurati, & luminis, ita per aduentum Christi debuit cessare lex vetus, quæ fuit figura, & vmbra nouæ, ideò liber mãdatorũ Dei intelligitur in æternum stare quoad veritatem, non quoad obseruationem, quoad figuratum, non quoad figuram; quoad moralia, non quoad legalia, & quoad translationem figuræ in figuratum. Ad aliud dico, legem ab Apostolis, & etiam à Christo obseruata fuit ab initio, quia nondum erat promulgata lex noua, ideo ex hoc non colligitur esse seruandam simul cum noua, quia post sufficientem nouæ promulgationem vetus remansit inutilis. Dicit Apostolus eum, qui se circumcidit, teneri seruare totam legem, non ex necessitate, & absolutè, sed ex suppositione Circumcisionis, quia hæc est quædam protestatio legis adimplendæ, vt docet D. Thomas *par.* 3. *quæstione* 40. *articulo* 4.

Quæres 5. An vtrumque Testamentum contineat præcepta, an solum consilia?

℞. In vtroq; sunt præcepta triplicis generis. In veteri 67
quidem erant præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia, de quibus Deuter. 6. 1. *Hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus noster, vt docerem vos*, Primi generis sunt præcepta naturalia decalogi, qui vocatur liber mandatorum Dei, qui in æternum stat, ad quæ omnis homo cuiuscumque

cumque nationis tenetur. Reliqua vocantur iuris diuini positiui abrogata, vt supra dictum fuit, per legem nouam Euangelij.

68 Lex Euangelij similiter continet tria genera præceptorum, alia pertinent ad moralia, & Decalogum, quæ à lege veteri ad nouam etiam secundum obligationem transierunt; alia pertinent ad septem Sacramenta, alia demum ad fidem, & ad hæc quilibet obligatur si velit consequi vitam æternam, sine quibus nemo saluari potest. Hæc obligatio clara est in Euangelio, nam de præceptis omnibus in genere dicitur Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Quæ verba licet referantur ad præcepta moralia, quæ ibidem Christus enumerat, extendi tamen possunt etiam ad reliqua duo Sacramentorum, & fidei; de præceptis Sacramentorum accipe exemplum Baptismi Ioann. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* De Sacramento Eucharistitiæ idem Ioan. 6. 54. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* De præcepto fidei Marci 16. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Itaque patet Euangelij præcepta obligare omnes, & ea non obseruantes excludi à gratia, & gloria Dei.

Hæretici docent primo non Christum, sed Ioannem fuisse auctorem Euangelij, quia in Euangelio Matthæi capite tertio, Marci capite primo, Lucæ capite tertio, Ioannis capite primo, Ioannes dicitur auctor Sacramentorum, nam ipse prædicauit Baptismum, & Pœnitentiam, quæ sunt Sacramenta, & omnes ad se venientes baptizabat, imò & Christus ab eo baptizari voluit tanquam eius Discipulus.

Contra est, quia hæc sunt mendacia in eo sensu, in quo hæretici prædicta intelligunt, nam Christus Dominus solus fuit Auctor legis nouæ, vt patet supra; neque ex prædicatione Ioannis colligitur illum fuisse legislatorem, nam prædicare, & ministrare Sacramenta supponit esse Euangelium, quod prædicari possit, & Sacramenta, quæ fidelibus ministren-
69 tur. Deinde Baptismus, & Pœnitentia, quæ Ioannes prædicauit, non erant verè Sacramenta, sed quædam præparationes ad Sacramenta à Christo instituenda, eius enim Baptismus erat præparatio ad Baptismum Christi, ipse enim aqua tantum baptizabat, Christus vero etiam Spiritu Sancto. Dicitur autem Baptismus Pœnitentiæ, quia dispone-
70 bat ad dolorem peccatorum, vt docet Diuus Thomas *parte tertia, quæstione* 38 *per totam.* Deinde Ioannes fuit vox in deserto, & præco Verbi Dei, non potuit ergo esse legislator, cum præco alterius legem non propriam promulget subditis tanquam instrumentum legislatoris. Demum Christus voluit
71 baptizari à Ioanne, vt à Ministro, non vt ab Auctore, sed vt à tertia persona, quia nemo seipsum baptizat, ea ratione, vt aquas sanctificaret, dando illis spiritualem virtutem ad productionem gratiæ.

Docent nonnulli hæretici Christum quidem venisse, sed solum vt Redemptorem, non vero vt legislatorem etiam, illud probant Ioann. 10. 10. *Ego veni vt vitam habeant.* Ad Galat. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto.* Vnde in symbolo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Aduentus ergo Christi in carnem fuit, non vt legem daret, & fideles suos aggrauaret oneribus legum, sed vt illos à legibus exoneraret redimendo à peccatis, quibus detinebantur. Ratio est, quia ad Redemptionem generis humani non erat necessarium introducere noua præcepta, quæ potius erant impeditiua Redemptionis, quam in illam operatiua propter fragilitatem naturæ humanæ, sed sufficiebat passio & mors Christi sine aliquo nouo præcepto Sacramentorum, aut fidei.

Contra est, quia certum de fide est, Christum ve- 72
nisse non solum vt Redemptorem, sed etiam vt Legislatorem, sed etiam Legislatorem, nam Matth. 28. extremis verbis dicitur: *Docete eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Officium autem Legislatoris est præcipere, & mandare Ioan. 14. 15. *Mandata mea seruate.* Item idem cap. 15. 10. *Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea.* Præcepta, & mandata, quæ homo seruare debet Christus vocat sua, ergo illorum fuit auctor, & legislator. Id autem Tridentinum sess. 6. Canon. 21. contra hæreticos definiuit his verbis. *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt Legislatorem, anathema sit.* Nec allatæ ab Aduersariis auctoritates quicquam pro ipsis probant, nam actus Redemptionis non excludit actum legis, immò illum includit, cum enim lex vetus esset figura non solum Christi Redemptoris, sed etiam legislatoris, necesse fuit, quod redimendo hominem aliam supponeret legem fidei, & Sacramentorum, quæ fuerant figurata in lege veteri. Deinde Redemptio exequenda in hominibus pro tempore non potest stare sine lege correspondente Redemptioni, per quam homines dirigantur ad consecutionem suæ Redemptionis, ergo necesse fuit, quod Christus simul vtrumque præstiterit legem, & Redemptionem.

Docent tertio, in lege Euangelica nullum reperiri præceptum, præter fidem, & si qua alia sunt, ea non obligant, quia obseruatu sunt impossibilia, ad impossibile autem nemo tenetur.

Contra est, quia ex præcedentibus constat, præter 73
præceptum fidei, dari alia, vt clarum est de præceptis Sacramentorum, & allatæ mox auctoritates non loquuntur de vnico præcepto, sed de pluribus, ergo præter præceptum fidei dantur alia de Sacramentis, & moralia. Et ita definiuit contra illos Tridentinum sessione 6. Canon. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio, præter fidem cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Confirmatur ratione, quia in hoc differt præce- 74
ptum à Consilio, nam si præceptum in re graui non fiat inducit mortem animæ, non vero Consilium, quod non obligat, sed hominem relinquit in sua libertate agendi, vel non agendi absque periculo incurrendi peccatum mortale; sed in pluribus locis Euangelij mors comminatur, & æterna damnatio transgressoribus, vt videre est ad Roman. 13. 2. Epist. 1. Corinth. 6. 9. ergo præcepta sunt obligatoria in lege noua. Præterea vna ex principalioribus subiectionibus creaturæ rationalis Deo est obedientia respe-
ctu eius mandatorum, qui ergo negant obligationem 75
præceptorum Euangelij tollunt obedientiam creaturæ ad Deum, & dependentiam eius ad ipsum. Neque præcepta Dei moralia, neque Sacramentorum sunt impossibilia obseruatu, cum sint conformia naturæ hominum, & illis necessaria ad salutem, ac 76
proinde proportionata, neque enim Deus impossibilia iubet, & si quæ homini apparent impossibilia, apud tamen Deum sunt possibilia, vt fatetur ipsemet Christus Matth. 19. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Ibi Christus loquitur de diuite, qui difficile intrare potest in regnum cœlorum, nisi relinquat omnia sua pauperibus, quod videbatur impossibile hominibus, apud Deum vero erat possibile. Ideo contra hæreticos

Concilium eadem sess. 6. can. 18. definiuit: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* Sunt ergo Dei præcepta obseruatu possibilia tum iustis, tum iniustis, particula enim *etiam*
77 implicatiua est casus magis dubij, *l. Etiam* 141. *Digestis de verb. signif. l. Conuenticula, Codice de Episcop. & cleric.* Surd. *consil.* 445. *numero vigesimo octauo* Menoch. *consil.* 116. numero 8. *sub gratia constituto*, id est, gratia habituali inhærente, si enim est iustus, sine dubio in se habet gratiam iustificantem.

Ad probandum impossibilitatem præceptorum obiiciunt illud Diui Pauli ad Romanos 7. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Lex autem peccati nihil aliud est, inquiunt, nisi peccatum originale, quod in homine multorum causa fuit malorum, quibus infectus non potest seruare legem factam sibi impossibilem; nam cum legis obseruatio sit actus humanus, ac proinde fieri debeat à voluntate ratione aduertente, & dirigente, & cum peccatum originale mentem excæcauerit, voluntas ita facta fuit subiecta peccato, vt non possit homo non peccare, *homo enim vanitati*, id est, peccato, *subiectus est non volens*, inquit Apostolus ad Roman. 8. 20. peccatum autem dicitur vanitas, quia à Deo non imputatur homini, qui coactus operatur malum non volens. Peccatum igitur originale fuit cum causa, vt præcepta Dei sint impossibilia obseruatu ab homine, ad quod Deus respiciens, noluit quod homo illis obligaretur, vt colligitur ex Apostolo ad Galatas 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis*, id est, liberauit ab obligatione legis, & ab eius peccato, & transgressione.

Contra est, quia ex supradictis manifestum est
78 legem obligare, & confirmatur. *Primò*, quia Sacra Scriptura prædicaret frustra legis obseruationem, quod absurdum est, & impium dicere, scit enim Deus possibilitatem suæ legis, quam homo obseruare potest, si vult, Deus enim impossibilia non iubet. *Secundò*, Dei mandata sunt leuia, id est, facilia ad obseruandum Matth. 11. num 30. *Iugum enim meum suaue, & onus meum leue.* Ioan. 5. 3. *Et mandata eius grauia non sunt.* *Tertiò*, Dauid Propheta, & multi alij legem veterem seruauerunt, vnde dicit in Psalm. 16. 4. *Ego custodiui vias duras.* Psalm. 118. 55. *Custodiui legem tuam*, & num. 106. subiungit. *Iuraui, & statui custodire legem tuam.* Ex facto arguitur potentia, si Dauid custodiuit legem Dei, manifestum est, legem non esse impossibilem volentibus obseruare illam; & cum lex Decalogi semper sit eadem, naturalia enim sunt immutabilia, si ab antiquis Patribus seruata fuit, qui non habebant tot adiutoria gratiæ, quibus Christi fideles abundant, à fortiori facilius poterit obseruari à Christianis, quibus Deus abundantius sua gratia assistit, vt ea obseruare valeant. *Quartò*, in lege noua passim fit mentio de obseruatione legis, & mandatorum Lucæ 18. 21. *Hæc omnia seruaui à iuuentute mea.* Act. 21. 24. *Ambulas & ipse custodiens legem.* Ioan. Epist. 1. cap. 3. 22. *Quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus*, Christus ipse vt homo legem veterem, & nouam seruauit, & adimpleuit, vt de ipso testatur Ioan. 10. 16. *Patris mei præcepta seruaui.* Act. 1. *Cœpit Iesus facere, & docere.* Et alibi dicit: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Si ergo Christus legem adimpleuit dando nobis exemplum imitandi illum in custodiendo illius mandata, inferendum est, diuina præcepta vtriusque legis esse possibilia vt à fidelibus obseruentur. *Quintò*, hæretici admittunt præceptum fidei obseruabile, cur & non alia? nam rationi, & sensui magis videtur repugnare mysterium fidei, quam præcepta legis Dei, nam mysteria fidei obscura sunt, & recondita, quæ intellectu naturaliter capi non possunt, præcepta vero sunt conformia naturæ, ergo hæc sunt magis possibilia aliis. Demum præcepta de Sacramentis nullam habent in se difficultatem, cum eorum obseruatio consistat in duobus, in credere illis, & eadem recipere, in quibus actionibus nulla difficultas.

Ad auctoritatem Diui Pauli respondetur per le- 79
gem membrorum regnantem rationi intelligi concupiscentiam; & fomitem relictum vti pœnam peccati originalis, qui fomes, ablato originali peccato per Baptismum, remanet in homine ad agonem, illum inclinando ad peccatum, sed non cogendo, vt definiuit Tridentinum sessione 5. his verbis: *Sic ma-* 80
nere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet, quinimmò, qui legitimè certauerit coronabitur. Fomes ergo non tollit vires ad resistendum tentationibus, ergo non potest impedire obseruationem mandatorum Dei, quando homo vult resistere, & pugnare. Ex quo patet etiam, quod quamuis anima læsa fuerit in intellectu propter ignorantiam, & in voluntate, quæ Deo rebellis facta est, propter peccatum originale, nihilominus potest adhuc homo, si velit, mediante Dei auxilio, obseruare Dei mandata, quia intellectus dirigere potest voluntatem, quæ sua libertate priuata non est, sed liberè tendere potest in quæcumque præcepta sibi diuina lege præscripta. Ad illud, quod homo va- 81
nitati subiectus est non volens, dico, reuera nomine vanitatis intelligi peccatum originale, quod à quolibet homine non volente contrahitur, quia in Conceptione, dum anima rationalis vnitur corpori, contrahitur sine nostra voluntate, non tamen inde sequitur, quod homo non possit obseruare Dei mandata, quia potentias homo non habet ita depressas, licet debilitas, quin possit bonum operari, si velit, disponente, & cooperante diuino auxilio. Demum Christus redemit nos de maledicto legis, id est, de peccato, quod infert maledictionem æternam, *legis*, quia ex eius transgressione sequitur peccatum propter malitiam, & inobedientiam hominis, liberatio igitur non est ab obligatione legis, sed à peccato.

Docent quarto, alij hæretici, hominem perfectum, & iustum non esse obligatum ad seruandam legem, dicente Apostolo ad Roman. 6. 14. *Non estis sub lege, sed sub gratia.* Et in Epistola 1. ad Timoth. 1. 9. *Lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis, impiis & peccatoribus.* Rationem reddit, scribendo ad Galatas 3. 19. *Quid igitur lex? propter transgressionem posita est.* Sed homines perfecti legem non transgrediuntur, ergo lex non obligat illos.

Contra inuentores huius hæresis definiunt Patres in Tridentino sessione 6. Canon. 20. *Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit.* Lex igitur afficit tam iustos, quam iniustos. Vnde D. Petrus in sua Epist. 2. capite 1. 10. hanc

hanc veritatem prædicat his verbis: *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Vocati igitur, & electi, qui dicuntur perfecti, & iusti, possunt aliquando peccare, ac proinde illis quoque posita est lex, & obligat ad se abstinendum à peccatis, quæ transgressione legis fiunt.

82 Ad auctoritates Pauli respondetur ad primam, iustos, immò nec peccatores esse sub lege Moysis, quæ iam abrogata est, sed sub lege Euangelij, quæ vocatur gratia, quam confert credentibus. Vel dic cum D.Thoma 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad primum*, legem non esse positam iusto quoad vim coactiuam, vtique quoad vim directiuam, & obligatoriam abstinendi ab eius transgressione, quia tenetur secundum illam viuere. Deinde iusto vti iusto lex non est posita, quia dum bene viuit, legi non aduersatur, sed secundum illam operatur.

Docent quinto nonnulli hæretici, in Testamento nouo nullum inueniri Consilium, sed omnia esse præcepta. Id tamen non probant.

83 Contra est, quia status religiosorum fundatur in tribus Consiliis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ communiter à Sanctis Patribus, & ab omnibus Theologis, & Canonistis vocantur Euangelica, quia originem trahunt ab ipso Christo, qui illa docuit sub ratione Consilij, dum Matth. 19. 21. dixit illi adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus.* Dixit Christus, *Si vis* insinuans, hoc non esse præceptum, sed Consilium, persuadebat illum iuuenem, non cogebat, consulebat, non adstringebat. Et in cap. 16. Matth. num. 24. consulendo votum obedientiæ pro ingressu religionis inquit: *Si quis vult venire post me,* Dat fidelibus hoc Consilium, relinquendo illos in sua libertate, neminem cogit, ergo non omnia in lege Christi sunt præcepta. Vide D.Augustinum serm. 3. de tempore, vbi enumerat diuersa Consilia, vt sunt abstinentia à nuptiis, à vino, à carnibus, à diuitiis, &c.

84 Quæres 6. Ad quos spectat interpretari Sacram Scripturam? Pro resolutione notandum est, interpretationem esse triplicis generis, legalem, iudicialem, & Doctrinalem. Interpretatio legalis est illa, quæ fit à legislatore declarante id quod erat dubium, an sub lege comprehenderetur, contineri, vel non contineri sub ea, adeo quod legislator per suam interpretationem nihil de nouo legi addit, sed quod in ea occultabatur ex obscuritate sensus verborum manifestat per legem declaratiuam. Interpretatio

85 igitur legalis *Primò*, procedit à legislatore, quia eius est interpretari, cuius est condere, *l. Cum de nouo, Cod. de legibus, cap. Sicut enim* 30. *Paragrapho.* Ex his omnibus v. quæst. 1. Cap. Inter alias 31. de sent. excommun. ibi: *Vnde ius prodiit interpretatio quoque procedat.* Non solum idem legislator suam legem interpretari potest, sed etiam sui prædecessoris, & hanc potestatem peritis delegare, de quo non est

86 difficultas. *Secundò*, cum huiusmodi declaratio dicatur & ipsa lex, necesse est, quod more legum publicetur, & promulgetur subditis, vt sciant, quid facere debeant, Salas de legibus, *disputatione duodecima, sectione* 1. *numero* 8. Bonac. *quæst.* 1. *de legibus, p.* 4. *numero* 11. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 15. *num.* 17. *Tertiò*, declaratio legis promulgata obligat sicut ipsa lex declarata, cum præter illam nihil aliud fit, obscurè enim id quod declaratum fuit, iam legi inerat, ideo vti lex ipsa necessitat ad sui obseruationem. Et ita sentiunt omnes. Iudicialis interpretatio est illa, quam iudex in causa sibi proposita facit, & à quo denominatur, & huius declaratio, quæ & sententia dicitur, vocatur iuris interpretatio, nam iudex secundum leges, & in earum defectum secundum consuetudinem iudicare debet, ex allegatis iuribus per gloss. v. *Cum deficit lex cap. Consuetudo* 5. *distinctione* 1. obligat autem illos, quos sententia afficit, nisi interponatur appellatio. Doctrinalis interpretatio est illa, quæ fit à Doctoribus, à quibus sic denominatur. Triplicis autem generis sunt Doctores, Theologi, Canonistæ, & Legistæ, singuli suas leges interpretantur, Theologi Sacram Scripturam, & ad eam pertinentia, Canonistæ ius commune, & Pontificium; Legistæ leges ciuiles, & municipiales, quia vnicuique experto in sua professione credendum est, nam præsumitur scire ea, quæ ad suam professionem spectant, Legistæ enim vt tali non est credendum circa difficultates fidei, cum his non studuerit, vtique verò credendum est in illis Theologo vt tali, cui fides non est adhibenda in dubiis legum, cum huius professionis ipse non sit. Cum autem interpretatio Doctrinalis solum producat opinionem neminem obligat, sed vnumquemque relinquit in libertate sequendi hanc, vel illam opinionem, quando probabilis est, & non reprobata. Et in hoc omnes conueniunt, ex eo quod sequens, vel operans secundum probabilem opinionem, dicitur, se prudenter gerere. Itaque præsens quæstio potest esse de supradicto triplici genere interpretandi legaliter, iudicialiter, & Doctrinaliter. Quod est etiam quærere, quinam sit iudex in decidendis, & definiendis controuersiis fidei? Nam decisio, & definitio non potest fieri sine legis sanctæ interpretatione.

In secundo capite q. Si, probaui in Ecclesia Dei esse potestatem interpretandi Sacras Scripturas auctoritatiue, & primario in Pontifice Romano, & in Concilio Generali ab eo dependenter, in aliis Doctrinaliter, quæ omnia ibi latius probaui. Hancque potestatem Apostolis immediatè à Christo datam fuisse docui *capite* 3. *quæst.* 41. & 42. & *cap. quinto*, Papam definire controuersias fidei per se, vel per Concilium quæstione 31. in quibus locis respondi etiam obiectis hæreticorum, ideò illuc lectorem remitto.

℞. Ad Papam, & Concilium spectat interpretari 87
auctoritatiue, & legaliter Sacram Scripturam, & occurrentia dubia decidere, & definire cum ea differentia, quod hæc potestas primario est in Pontifice Romano, secundario, & dependenter ab eo in Concilio Generali legitimè Congregato, quia Christus soli Petro dixit: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quod priuilegium illi fuit necessarium, ne posset errare in decidendis quæstionibus fidei, subdendo, & præcipiendo eidem: *Et tu aliquando conuersus confirma Fratres tuos*, hoc est, Patres in Concilio Congregatos delega, communica potestatem tuam, erudi, & doce illos confirmando in veritate rerum fidei. Hæc omnia probata manent locis supracitatis.

Quæres septimò. Qualis modus tenendus sit in Sacra Scriptura interpretanda in dubiis occurrentibus?

Respond. Secundum illum sensum, quem tenet Romana Ecclesia cum Sanctis Patribus, contra quem contorquentes ad suos sensus per ordinarios declarari debent, & pœnis à iure statutis punire; & Sacram Scripturam conuertentes ad prophana, & scurrilia tanquam temerarij, & violatores verbi Dei per Episcopos pœnis iuris, & arbitrij coërcendi sunt.

Prima pars de interpretanda Scriptura secundam 88
sensum Ecclesiæ & Patrum determinatur à S S.

Conciliis, Lateranensi sub Leone X. Sess. 11. his verbis. *Mandamus omnibus, qui hoc onus (intellige prædicationis) sustinent, quique in futurum sustinebunt, vt Euangelicam veritatem, & Sanctam Scripturam iuxta declarationem, & interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit.* Quod etiam præceperat Concilium Trullanum Canon. 19. illis verbis; *Sed & si ad Scripturam pertinens controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ Luminaria, & Doctores suis Scriptis exposuerunt* Luminaria, & Doctores Ecclesiæ inter alios præcipui sunt Sancti Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, & alij ab Ecclesia Sancti Patres approbati, & commendati. Quod & Tridentinum statuit sessione 4. ne quis interpretetur Sacram Scripturam *Contra eum sensum, quam tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra vnanimem sensum Patrum.* Vnde prouisum fuit, vt nullus promoueatur ad Theologiæ lauream, nisi prius faciat professionem fidei, sub his verbis, in quantum spectat ad interpretationem Scripturæ, quam interpretandi facultas promotis tribuitur, sub his *Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est indicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.* Ita mandauit Pius IV. in sua 89. incip. *Iniunctum nobis.* Et in alia præcedenti 88. eiusdem incip. *In sacrosancta.* Sanctorum igitur Patrum vnanimis interpretatio accipienda omninò est à Theologis. Nota quod Concilium Tridentinum & Pius IV. dicunt interpretandam esse Scripturam secundum *vnanimem consensum Patrum.* Non dicunt, *Patrum Sanctorum*, sed simpliciter, *Patrum*, insinuando, illos loqui potissimum de Patribus in Conciliis Congregatis, à quorum sententiis recedendum non est in eisdem stabilitis, & à Sede Apostolica confirmatis.

89

Doctrinam Patrum multum commendat Bessarion in Concilio Florentino his verbis. *Quamvis in Doctorum, & Patrum Scriptis nulla sit contradictio, si tamen aliquid tale saltem apparenter esset, nos oportet conari concordare, tanquam summè necessarium fidei nostræ. Etiamsi contradictoriè sermo proferetur à Patribus, nec tunc auderem dicere, Sanctos Patres inuicem contradicere, sed potius meipsum accusarem tanquam non percipientem illorum intellectum. Nobis ipsis potius culpam ignorantiæ imputare debemus, quam illos credere discordare. Si quis fortè sit, qui Sanctos Patres nostros contraria inuicem dixisse existimet, eum profectò cum infidelibus, & crucis hostibus connumerari fas est, qui hinc fidem nostram arguere consueuerunt.* Hæc habet in Decreto Vnionis capite secundo. Exagerat negotium fauore Patrum pro fide, quæ vna est apud omnes bene sentientes, si enim expedit concordare ad inuicem iura humana tendentia ad beneficium corporis, ne in illis admittatur contradictio, & absurdum, *cap. Cum expediat 29. de elect. in 6.* quod etiam fit, ne legislator videatur inconstans, & immemor, quanto magis concordanda sunt iura legis Euangelicæ, & dogmata Patrum, quæ animæ beneficium concernunt. Si ergo quod à Patribus determinatum est in vno Concilio videatur aduersari determinationi Patrum in alia Synodo, non hoc credendum est, sed benè perpendenda sunt verba vtriusque loci, ex quibus apparebit in nullo dissentire, sed maximè conuenire, decreta enim fidei vnicam habent veritatem, quæ dissensionem, nec diuisionem patiuntur, ideo in eis Patres contrarietatem ponere impossibile est, dum Spiritu Sancto assistente illuminantur.

90

In Scripturarum igitur interpretatione recurrendum est primo ad ipsammet Scripturam, quia vt inquit Paulus 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Et Ioannes 5. 39. hortatur fideles in mysteriis fidei, vt recurrant ad Sacras Scripturas, si volunt venire in cognitionem veritatis, illis verbis: *Scrutamini Scripturas.* Quoniam autem illæ sunt valdè obscuræ, & multum difficiles intellectu, vt dicam infra quæst. 27. ideo pro earum intelligentia consulendi sunt Patres, qui Scripturæ sunt veri interpretes. Vnde S. Hilarius libro 8. de Trinitate ad idem exhortatur his verbis. *Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur.* Parum est, immò nihil legere, & non intelligere, id enim facere, est negligere, & non legere. Sacra igitur Scriptura est prima Regula scilicet obiectiua, per quam Patres diriguntur ad certam, & veram cognitionem de illius vero sensu, qui dicuntur Regula intellectiua, & interpretatiua veri sensus latentis in littera. 91

Secunda pars, de contorquentibus Scripturam contra vnanimem consensum Patrum probatur ex Tridentino eadem sess. 4. his verbis. *Vt nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & mortem ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes vllo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint per ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* Sensus contortus potest spectari dupliciter, primo vt hæreticus iam in aliquo Concilio damnatus, vel de hæresi suspectus, quia ex eo infertur aliqua hæresis, sub vtroque sensu ita extorquens subiicitur pœnis hæreticorum, & suspectorum, de quibus suis locis. Et tunc nomine *Ordinariorum* veniunt tantum Episcopi, & Inquisitores, ad eos enim tantummodo spectant delicta hæresis, vel eius suspicionis. Quamuis alias sub nomine Ordinariorum in Tridentino venirent etiam superiores Regulares, eis tamen sublata fuerunt priuilegia cognoscendi causas suorum subditorum in delictis huiusmodi. Hos S. Hieronymus relatus cap. Hæresis 27. 24. quæst. 3. vocat hæreticos his verbis: *Quicumque igitur aliter Scripturam intelligit, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo scripta est, licet de Ecclesia non recenserit tamen hæreticus appellari potest.* Intellige si directè aduersetur veritati iam definitæ. *Secundo*, vt sensus contortus continet aliquid absurdi, sed non contra fidem, qua ratione Ordinarij quicumque punire possunt etiam Regulares suos subditos; & contra Prædicatores in specie Concilium Lateranense sub Leone X. inflixit excommunicationem reseruatam, prædicantes contra verum sensum quem Ecclesia & Patres tenent, de qua excommunicatione vide Caietanum v. Excommunic. in fine numero 81. Nauarr. capite vigesimo septimo, num. 111. excommun. 30. 92 93 94

Tertia pars, de conuertentibus verba, & sententias Scripturæ ad profana probatur ex eodem Tridentino sess. 4. illis verbis. *Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque conuertuntur verba, & sententiæ Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, & fabulosa, vana, adulationes, detractiones, supersti-* 95

superstitione, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & præcipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Sacræ Scripturæ ad hæc, & similia audeat vsurpare; & vt omnes eius generis corruptores, temeratores, & violatores verbi Dei iuris, & arbitrij pœnas per Episcopos coërceantur. Quamvis hic fiat mentio de solo Episcopo, tamen contra hos temeratores possunt etiam procedere Inquisitores, non solum quando est abusus sortilegiorum, sed etiam, quãdo verba trahuntur ad scurrilia, & ita docent Pegna *par. 3. comment. 17. Paragrapho Postremo*, Salcedo *ad capite 113.* Diaz *Paragrapho. Quæ sane*, Carena *par. 2. titulo septimo, de Blasphem. numero 36.* Locutus ad calcem sui Iudicialis casu primo ex decisione facta Romæ de quodam, qui Hymnis sacris miscebat verba scurrilia, & ridicula, punitus per decennium voce, & ieiunio singulis sextis feriis per triennium.

Quæres 8. An Sacra Scriptura sit iudex quæstionum fidei, ac proinde seipsam interpretari possit?

96 Respond. Negatiuè, provt multis probaui *capite 2. quæst. 51. capite 5. quæst. 31.* illuc Lectorem remitto. Proposui quæstionem, quæ directè spectat ad hoc caput, ne tractatus remaneat imperfectus, præsertim cum hæc quæstio celebris reputetur apud hæreticos modernos, quorum rationibus seu potius erroribus responsum dedimus locis præcitatis.

Quæres 9. An vera, & realis versio Scripturæ quam dictauit Spiritus S. sit tantum apud Ecclesiam Romanam?

97 Respond. Affirmatiuè, & hoc de fide tenendum est cum eam Christus Apostolis, & per Apostolos successiuè fidelibus sub Pontifice Romano fidem profitentibus tradiderit intactam, immutatam, & puram ab omni vitio falsitatis, vt docet Tridentinum sess. 4. vbi in fine anathematizatur sentiens oppositum. Eamque versionem commendat, & approbat, quæ circumfertur sub nomine sacrorum librorum vetus, & vulgata editio edita iussu Sixti V. sub nomine Sacræ Bibliæ.

Quæres decimo. An extra Ecclesiam apud Iudæos, & Hæreticos detur vera interpretatio Scripturæ?

98 Respond. Negatiuè, quoad Iudæos patet, quia vt in sua permaneant obstinatione vetus Testamentum rectè interpretari non possunt, cum nullatenus velint credere Incarnationem Filij Dei iam factam, quam prædicant futuram consequenter veram interpretationem habere non possunt, cum repugnet intelligere mysterium iam factum pro eo quod faciendum est.

99 Contra Hæreticos probatur, quia illa est legitima Scriptura, quæ vna est respectu canonizationis, versionis, & interpretationis, ex vnitate enim fidei sumitur vnitas Scripturæ, & illius vera interpretatio; sed hæretici non habent huiusmodi vnitatem conformem Scripturæ in prædictis tribus, ergo non habent legitimam Scripturam, neque proinde Canonicam interpretationem, quæ nititur certæ, & inuariabili versioni. Minor probatur quoad illa tria, nam Hæretici quoad primum non omnes Canonicos libros recipiunt, sed illos tantum, quibus suos errores ex sinistra interpretatione conantur sustinere sub nomine veritatis, à qua omnino sunt alieni. Quoad secundum non vnam, & eandem habent versionem, sed plures, & tot, quot sunt eorum sectæ, adeo quod Scripturam accommodant ad proprium genium, & ipsi non se accommodant vero sensui intento à Spiritu Sancto, versionem ergo sacrorum librorum sibi voluntariam fingunt accommodam suis falsis dogmatibus; ex quibus tertium sequitur esse impossibile, illos habere veram, & legitimam interpretationem. Confirmatur. *Tum quia*, illi habent legitimam interpretationem, quibus Spiritus Sanctus aperuit os sapientiæ, sed solis Catholicis, & 100
successoribus Apostolorum aperuit os, & dedit intelligentiam Scripturarum, vt probaui *cap. 2. quæst. 51 capite 3. quæstione 42.* ergo non Iudæis, neque Hæreticis. *Tum quia*, sine fide, & gratia auxiliante non potest verbum Dei interpretari, quibus Iudæi, & Hæretici carent, ergo apud illos nulla potest esse sana interpretatio Sacræ Scripturæ. *Tum quia*, obstinatorum, & superborum ambitione plenorum Deus corda, & intellectum non illuminat ad intelligenda mysteria fidei, quia hæc reuelantur paruulis, id est, humilibus, non ambitiosis, Matth. 11. 25. & superbis resistit, Iacobi 4. 6. quod propriè 101
intelligitur de hæreticis, qui sunt superbi, & elati, in sua opinione, seu potius erroribus tenaces, & obstinati, vt docet D. Augustinus *Epistola 162. & libro 8. de Ciuit. capite decimo quinto.* Non ergo est vero cognitio, & interpretatio Scripturæ apud Hæreticos.

Quæres 11. An hæretici falsificent Sacras Scripturas?

Respond. Affirmatiuè, id enim illorum est pro- 102
prium vitium, neque enim error regi potest, & probari sub specie veritatis, nisi per alium errorem, vnde pro illis facit illud Psalm. 41. 8. *Abyssus abyssum* 103
inuocat. Super hoc affero duo exempla in confirmationem huius conclusionis de falsificatione Sacrarum Scripturarum, vnum ex sexta Synodo Constantinopolitana sub Act. 3. his verbis: *Exurgentes Legati Apostolicæ Sedis Romanæ exclamauerunt: Piissimè Domine (loquebantur Imperatori) falsatus est præsens liber quintæ Synodi, nequaquam relegatur sermo, qui dicitur. Menæ ad Vigilium quia fictus est, sed iube diligenter aduertere præsentem librum, & inspicientes Imperator vna cum iudicibus, & quibusdam de sancta Synodo Episcopis, inuenerunt tres quaterniones in principio libri additos non habentes subnotationem numeri, falsatus enim erat liber ab hæreticis in nonnullis locis.* Secundum falsificationis exemplum habetur in Epistola Iacobi 2. ad illam sententiam. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Hæc sunt germana verba, quæ Spiritus Sanctus locutus fuerat per os Iacobi. Hæretici, qui sustinent, solam fidem sufficere ad salutem, exclusis bonis operibus, conantur eludere sacra verba sic legentes. *Videtis, quoniam ex operibus non iustificatur homo, sed ex fide tantum.* Non poterant suum tegere errorem nisi adiutorio alterius erroris; qui fuit peior priore. Mirum non est si prolabuntur ex vno in alium errorem, quia pro basi, & fundamento habent mendacium, & pro auctore, & Patre Satan. Vide quæ de hæreticis dixerunt Cyrillus Alexandrinus Archiepisco- 104
pus *tom. 1. Concil. fol. 873. Paragrapho, Dixerit & fol. 119. Paragrapho, Retulerit,* & Epiphanius relatus in secunda Synodo Nicæna pro sacris imaginibus, inuehitur enim in hæreticos vocando eos mendaces, & falsificatores Scripturarum, Canonum, & Patrum Doctrinæ, vide ipsum *tomo 3. Conciliorum à fol. 545. Act. 6. fol. 564. 570. & 575.*

Quæres 12. An Scriptura sit supra Ecclesiam, Papam, & Concilium, ac proinde sit maior istis? Pro resolutione notandum est, quod vna res dicitur maior alia duobus modis, primo maioritate perfectionis, iuxta illud Matth. 11. 11. de Ioanne. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Ioannes Epistola 1. capite 5. 9. dicit, quod testimonium Dei maius est testimonio hominum, nam illi non potest subesse mendacium, quod eius tollit, perfectionem, sicut potest esse in testimonio hominis, quia

quia homo mendax est, Deus autem verax. *Secundò*, maioritate potestatis, de qua Matth. 20. 24. Marci 10. 41. Lucæ 22. 25. sic Dominus est maior seruo, maritus vxore, superior subdito. Obseruandum præterea est, quod Scriptura Sacra spectari potest dupliciter, pro collectione omnium rerum à Deo reuelatarum in scriptis redactarum, seu pro composito omnium articulorum, seu propositionum de fide, quod vocatur obiectum materiale res scilicet de fide credendæ; secundo pro obiecto formali fidei, quod est prima veritas Dei reuelantis. Quæstio procedit in prædictis omnibus sensibus.

106 Respond. Scriptura accepta pro obiecto formali maior est Ecclesia, Papa, & Concilio, quod de se patet, quia sub eo sensu est ipsemet Deus reuelans, & reuelatus, quo nihil maius excogitari potest. Provt vero accipitur materialiter subiacet perfectioni, & potestati interpretatiuæ Ecclesiæ, itaque Ecclesia, Papa, & Concilium est maior Scriptura pro materiali accepta. Nam Ecclesia in Papa & Concilio interpretatur Scripturam, quæ illi inseruit pro Regula, & pro via ad salutem, vt enim ait Paulus ad Rom. 15. 4. *Quæcumque scripta sunt ad nostram Doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Consolatio igitur nostra, & spes salutis consistit in Scripturis, quatenus illis instruimur, & eisdem credimus. Quare cum Scriptura pro Ecclesia data sit, & non e contra, sequitur eam esse seruam Ecclesiæ in ordine ad salutem animæ, ac proinde, Ecclesiam esse super illam, tanquam Patronam super Ancillam. De qua re etiam dixi cap. 1. q. 37.

Hæretici dicunt, Scripturam esse supra omnem Ecclesiam, eo ipso, quod illam constituunt iudicem controuersiarum, quæ in Ecclesia oriuntur circa fidem, vnde illam anteponunt Ecclesiæ, Papæ, & Conciliis, sicut superior, & iudex præfertur subditis, & reis. Sed locis præcitatis id reprobatum fuit tanquam falsum, & hæreticum, nam Scriptura nulla ratione iudex est, sed tantum norma, regula, & idea, secundum quam Ministri Ecclesiæ controuersias occurrentes decidere debent, in quo respectu ipsa Scriptura inseruit homini tanquam instrumentum regulatiuum intellectus, quo homo vti debet in definitionibus fidei.

107 Concedo verò singulos homines, Papam, & Concilium subiici Scripturæ in ratione legis, quatenus quilibet tenetur credere, sperare, diligere, & operari iuxta regulas in ea à Deo traditas; sed tunc subiectio magis refertur ad Deum legislatorem, quam ad Scripturam legem ab eo latam, cui homo solum regulatiuè, & directiuè subditur quoad operandum.

108 Itaque Scriptura dicitur maior ex triplici capite, *Primò*, quia Deum habet pro auctore; *Secundò*, quia omnes subiiciuntur obligationi legis diuinæ; *Tertiò*, quia est infallibilis veritatis. Ministri vero Ecclesiæ sunt maiores Scriptura ex triplici pariter capite, *Primò*, quia habent potestatem interpretandi eam; *Secundò*, quia illa vtuntur tanquam regula, & instrumento ad decidenda recurrentia dubia; *Tertiò*, quia à Deo inducta est pro salute fidelium, Scriptura igitur inseruit homini. Vide quæ dicti cap. præcedenti q. 41.

Quæres 13. Quid, & quotuplex sit sensus Sacræ Scripturæ?

109 Respond. Sensus Sacræ Scripturæ est ille, quem Spiritus Sanctus intendit in eius compositione, qualis est, quem Sancta Mater Ecclesia tenet, & docet suos fideles, instructa ab eodem Spiritu Sancto, qui omnem docet veritatem, illuminata immediatè in Summo Pontifice, & ab eo dependenter in Patribus, in Conciliis Generalibus, vel aliter Congregatis in nomine Domini. Hæc omnia patent in præcedentibus capitibus, nam Christus antequam in cœlum ascenderet, potestatem dedit Petro, & Apostolis, ac proinde horum successoribus interpretandi Sacram Scripturam secundum verum sensum, quem Spiritus Sanctus intendit, cum dixit: *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Lucæ cap. fin. 45. Hanc autem potestatem esse in Ecclesia, & non extra illam docui cap. 2. quæst. 51. & definit Tridentinum sess. 4. in decreto de editione, & vsu sacrorum librorum, Paragrapho, Præterea, *Contra eum sensum quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum.* Nomine Ecclesiæ hic non venit vniuersitas fidelium, sed Pontifex Romanus cum Patribus in Conciliis, seu Congregationibus, ab 110
eodem Congregatis, & dependentibus in consulendo, docendo, & decidendo, iuxta dicta præcedenti capite de Conciliis.

Quaduplex communiter assignatur sensus Scripturæ Literalis, Allegorius, Moralis, & Anagogicus, qui explicantur in duobus sequentibus versibus. 111

Littera gesta docet; quid credas Allegoria.
Moralis quid agas; quid speres Anagogia.

In his quatuor sensibus excelluerunt primarij quatuor Patres Ecclesiæ Doctores lumina Ecclesiæ, Hieronymus in sensu litterali, Ambrosius in Allegorico, Augustinus in Anagogico, & Gregorius in Morali. Et colliguntur etiam ex Sacra Scriptura Pauli ad Timoth. 2. cap. 3. 16. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum* refertur ad litteralem, *ad arguendum*, refertur ad allegoricum, ex figura enim arguitur ad figuratum, *ad corripiendum*, refertur ad moralem, quia homines à vitiis per instructionem sacræ lectionis corripiuntur, demum *ad erudiendum in iustitia* respicit sensum Anagogicum, nam homo iustus habet ius ad gloriam, ad quam sperat peruenire. Ita Vasq. in partem primam D. Thomæ disp. 13. cap. 14.

Est alia diuisio sensus Scripturæ primo in Litteralem, & Spiritualem, subdiuiso vtroque, Litterali in Historicum, Metaphoricum, & Parabolicum, Spirituali in Allegoricum, Moralem, & Anagogicum. Ea diuisio in sensum Litteralem, & Spiritualem colligitur ex D. Dionysio *de cœlesti Hierar, capite secundo, & ex D. Augustino libro 1. de Genesi ad litteram capite 2.* 112

Quæres 14. An sub sensu litterali comprehendantur Historicus, Metaphoricus, & Parabolicus?

℞. Affirmatiuè, quia sensus litteralis duplex est, proprius, & improprius, vnde ille dicitur sensus litteralis, qui immediatè significatur per verba, siue accipiantur in propria significatione, siue in significatione impropria. Verba igitur immediatè substituuntur pro rebus, quas significant quovis modo, siue propriè, siue impropriè. Sensus autem Historicus est ille, qui significatur immediatè per verba propriè accepta. Exemplum, de Christo legitur in Euangelio, quod natus est de Maria Virgine, quod prædicauit, quod passus, & mortuus, quod resurrexit, & ascendit in cœlum, sensus huiusmodi Historicus litteralis dicitur, quia res gesta de Christo exprimitur immediatè per verba in significatione propria accepta. 113

Metaphoricus vero sensus Tropicus, seu figuratus, & Parabolicus est ille, qui significatur immediatè per verba impropriè accepta per quandam similitudinem, & analogiam, est enim Metaphora translatio 114
verbi, seu sententiæ à prppria significatione ad impropriam propter aliquam similitudinem repertam in vtrisque rebus, ad quas verba referuntur. Exemplum de 115

de Metaphora expressa in verbo de Christo, qui metaphorice dicitur Leo, Agnus, ouis &c, ex quadam similitudine, quam Christus habet cum illis animalibus. Exemplum de Parabola expressa per sententiam
116 in illo homine patrefamilias, cui erant duo filij, quorum vnus vixit cum patre suo, alter vero suam portionem ab eo obtentam consumpsit luxuriosè viuendo in regione longinqua, & cum non posset amplius viuere rediit ad patrem suum, qui misericordia motus illum recepit iterum in domum suam, vt legitur Lucæ 15. Parabola hæc intelligitur de Deo magno Patrefamilias, qui duos genuit filios, populum scilicet Hebræum, qui cum Patre suo mansit, quia non adorauit idola, & populum Gentilem, qui Deo relicto luxuriatus est cum idolis, demum in se reuersus à Christo Deo, & Domino nostro amplexatus fuit. Istæ voces, *Pater*, & *Homo* supponunt pro Deo, qui est Pater noster, factus Homo pro redemptione generis humani, vox *Filij* supponit pro vtroque populo. Matthæi 13. 33. legitur sequens Parabola. *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier in farina satis tribus donec fermentatum est totum.* Vasq. ad partem primam disp. 15. cap. 4. explicat nomine regni cælorum intelligendo Euangelium comparatum fermento, nam sicut fermentum immissum in massam farinæ reddit eam ampliorem, & aptiorem, vt fiat panis necessarius ad conseruationem vitæ corporalis; ita Euangelium Christi prædicatum primo in Ierusalem fuit subsequenter tantæ efficaciæ, vt Ecclesiam significatã in illa massa farinæ, per vniuersum orbem ampliauerit, sine quo vita spiritualis animæ conseruati non potest. Quælibet autem Parabola duo continet, vnum est res adducta in similitudinem, vt factum mulieris miscentis fermentum in farina, alterum est applicatio nempe Euangelium assimilatum fermento. Vterque sensus literalis est, quia in vtroque verba supponunt pro rebus comparatis ad inuicem, adeo quod verba propriè significant rem, cui alia comparatur, quæ impropriè venit sub illis verbis, concurrant ergo ambo sensus proprius, & improprius in literali Parabolico, & Metaphorico, in Historico verò tantum sensus proprius, quod etiam deducitur ex definitione Metaphoræ, quæ est translatio verbi à propria ad impropriam significationem, & sic complectitur vtrumque sensum.

Quæres 15. De sensu spiritali quid, & quotuplex?

117 ℞. Sensus Spiritualis dictus etiam mysticus, id est, reconditus, & occultus, quia assimilatur animæ absconditæ in corpore, & lucernæ sub modio positæ, definitur ille, quo vna res aliam immediatè significat mediantibus vocibus. Mysticus ergo sensus non significatur proximè per verba, sed per rem verbis ipsis significatam, deducitur enim immediatè ex rebus significatis per verba ipsa. Itaque sensus litteralis supponitur ad sensum spiritalem cum ea differentia, quod in sensu litterali verba immediatè supponuntur pro rebus, in spirituali res ipsæ immediatè supponunt pro aliis rebus significatis per ipsa verba, quæ tunc proximè non attenduntur. Triplex autem est sensus spiritalis, Allegoricus, Anagogicus, & Moralis dictus Tropologicus.

118 Allegoricus significat aliquid spectans ad Christum, & Ecclesiam militantem, vnde respondet fidei; vt serpens æneus fuit figura crucis Christi, vt habetur Ioannis 3. 14. Iona, qui post tres dies exiuit de ventre cete, figurat Christum, qui post tres dies, quibus fuit in sepulchro, resurrexit, & exiuit de sepulcro, vt legitur Lucæ 11. 30. Huc spectant, quæ Prophetæ dixerunt etiam de Beata Virgine Matre Christi proportionaliter neque enim Mater, & Filius indicari debent ad imparia in iis, quæ de ipsa dici possunt sine præiudicio fidei, & eius Filij, nam D. Bernardus Homil. 2. de laudibus Virg. inquit *Ab Altissimo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis seruatam, & Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam; scrutare Scripturas, & proba, quæ dico.* Idem Homil. 4. his verbis: *Non est dubium quicquid in laudibus matris proferimus ad Filium pertinere; & rursum cum Filium honoramus; à matre non recedimus.* Præcipuè autem ea quæ dicuntur in Cantica Canticorum figurantur non solum dicta de Ecclesia sponsa Christi, sed etiam de eius Sanctissima Matre Virgine Maria, quæ nobis viam aperiunt potissimum ad eius mysterium Immaculatæ Conceptionis illis verbis: Tota pulcra es, & macula non est inte. Vide Franciscum Mendoza Iesuitam in quatuor libros Regum lib. 1. c. 4. Annot. 11. circa finem.

Anagogicus sensus respicit mysteria Ecclesiæ triũphantis, ac proinde beatitudinem, & vitam æternam, 119
quam homo sperat dum viuit in Ecclesia militante, ideo ei respondit virtus Theologica spei, quæ nos inclinat ad eandem vitam æternam. Exemplum sit in Psalmo 94. 10. *Si introibunt in requiem meam.* Nomine quietis litteraliter venit terra Palestinæ, in sensu anagogico venit beatitudo, & vita æterna, quæ est requies in patria.

Moralis sensus refertur ad instructionem animæ, 120
& spectat ad officia charitatis, cui ideo virtus charitatis respondet inclinans hominem ad amandũ Deum super omnia, & proximum. Exemplum sit in Deuter. 25. 4. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Sensus litteralis est de boue animali bruto triturante, Tropologice verò bos significat Parochum, & Concionatorem, qui alendi sunt à suis auditoribus.

Non est dubitandũ de hoc quadruplici sensu Scripturæ, quia si apud homines in rebus humanis vsus significandi tribuitur non solum vocibus, quæ immediatè res significant, non solum propriè sed etiam impropriè, vnde vtriusque iuris interpretes vtramque significationem propriam, & impropriam legibus humanis tribuunt, adeo quod idem verbum propriè, & impropriè sumitur, cuius rei exemplum habes apud Glossam v. Legaui cap. Raynaldus 18. de testam. verum etiam rebus ipsis, quæ alias res significant, vnde non solum voces, sed etiam res vocantur signa aliarũ rerum, nam signum est id, quod præter sui cognitionem, ducit nos in notitiam alterius rei, vt patet in tabula exposita ad Cauponam, in fumo indicante ignẽ; à fortiori id verificatur in Sacra Scriptura, cuius inuentor non est homo, sed Deus ipse, qui nomina rebus suo modo imponere potest, & pro rebus aliás res substituere, vt vicaria significatione fungantur. Vnde sicut duplex est vsus significandi res, vnus per voces propriè, siue impropriè, alter per res alias res, ita duplex est sensus, vnus litteralis proprius, qui dicitur Historicus, & improprius, qui vocatur Metaphoricus, & Parabolicus, alter Spiritalis, seu mysticus, quo vna res aliam significat Allegorice, vel Anagogice, vel Moraliter, vt dictum fuit. Theologi in supradictis ferè omnes conueniunt, excepto Lirano, qui non admittit sensum litteralem in Metaphoris, & Parabolis, seu Tropicis, horum enim sensum vult esse mysticum, & Spiritalem.

Quæres 16. An in vno verbo, & eadem sententia reperiantur illi quatuor sensus?

℞. Affirmatiuè. De verbo, patet exemplo harum 121
duarum vocum *Ierusalem*, & *Lux*, Nam *Ierusalem* litteraliter significat ciuitates Palestinæ, Allegorice Ecclesiam militantem, Anagogice triumphantem, moraliter animam. Pari ratione hæc vox *Lux* notat litteraliter lucem corporalem factam prima die, Genes. 1. 3. Allegoricè Christum, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum;

Anagogice gloriam, & beatitudinem, quæ est lux æterna, vt dicitur in Missis defunctorum; Tropologice demum animam iustam, quæ habet lucem gratiæ. Idem patet respectu eiusdem sententiæ, de qua sit sequens exemplum in Matth. 13. 24. de homine seminatore boni seminis in agro suo, hominibus autem dormientibus inimicus superseminauit zizania in medio tritici, tempore autem Messis Messores primo zizania collegerunt ad comburendum igni, demum triticum congregauerunt in horreum Domini sui. Litteraliter homo seminator est Christus, qui in agro suo seminauit bonum semen, Allegorice ager est Ecclesia, in qua seminauit Christus, id est, prædicauit bonum semen, id est, bonam doctrinam fidei, hoc est, Euangelium; dormientes homines sunt Prælati Ecclesiæ negligentes extirpare hæreses, & hæreticos, qui tritico bono miscent zizania errorum ad comburendum igni, quia condemnantur ad inferos. Triticum congregatur in horreum, id est verè fideles sunt in horreo Ecclesiæ militantis, qui post mortem secundum sensum Anagogicum consequentur Paradisum, qui est horreum cæleste: demum moraliter instruimur, peccatorem, & hæreticum non statim esse colligendum, & comburendum, sed esse expectandum tempus opportunum Messis, quia forsan interim conuertetur de zizania in bonum triticum. Vide Antonium de Ghislandis Ordinis Dominicani, qui in singulis ferè Euangeliis hos quatuor sensus extendit, & applicat.

Quæres 17. An eadem Scriptura simul æque possit habere duos sensus litterales?

122 ℞. Affirmatiuè, quia Deus, qui est auctor, id efficere potuit, neque enim repugnat, vt vna vox æque primo plures habeat significationes, cum id videamus in dictionibus ad humanum vsum præparatis, in legibus enim humanis idem verbum diuersificatur secundum adiecta gloss. fin. cap. Si Papa 10. de priuileg. in 6. cum iuribus ibi citatis, ergo de hoc nulla debet esse difficultas in legibus diuinis. Id patet exemplis, nam quæ leguntur in Psalm. 2. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; duplicem habent sensum litteralem, nam significant non solum generationem æternam Christi provt explicat Apostolus ad Hebræos 1. 5. sed etiam temporalem Resurrectionis, vt legitur Act. 13. 33. Pariter illud Isaiæ 53. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* intelligi æque potest de generatione æterna, & temporali Christi. Ita docet D. Thomas part. 1. q. 1. art. 10. Becan. de fide cap. 3. q. 5. de communi contra Medinam de recta in Deum fide cap. 25.

Quæres 18. An cuilibet loco Scripturæ conueniat sensus literalis?

123 ℞. Affirmatiuè, quia sensus spiritalis est accessorius ad litteralem, ergo is supponitur in omnibus locis, cum omnes possint recipere sensum mysticum. Confirmatur, quia sensus litteralis sumitur non solum ex significatione propria, sed etiam impropria, vt visum fuit sub q. 14. vt saluetur, in Scriptura nullum inueniri sensum absurdum, aut falsum ex littera, nam similes locutiones. *Si oculus scandalizat te, eiice eum.* Marci 9. 46. *Seruus ligna, vt vngerent super se regem; dixeruntque oliuæ, impera nobis.* Iudic. 9. 8. si ad litteram secundam propriam significationem naturalem accipiantur, absurdæ sunt, & falsitatem continent, vt de se clarum est, nam ligna sunt incapacia regis, & imperij, ideo earum sensus litteralis erit Metaphoricus huius significationis. *Si oculus tuus*, id est proximus *scandalizat te, eiice eum*, id est fuge eius conuersationem. Nomine lignorum regem quærentium venit populus Sichem, & Mello, qui sibi elegerant in regem Abimelech. Ita ferè omnes cum Vasq. ad p. 1. disp. 15. cap. 31. contra Lyranum, qui negat omni loco Scripturæ sensum litteralem, vult enim in exemplis allatis sensum litteralem ex proprietate verborum esse falsum, & absurdum, ideo recurrit ad missiuam, & Spiritalem.

Quæres 18. An loca Scripturæ veteris citata in noua intelligantur tantum allegata in sensu litterali?

℞. Vtroque modo interdum litteraliter, interdum 124
missice, & spiritaliter. Exempla sensus litteralis apud Matth. 19. 4. *Masculum, & fœminam fecit eos.* Gen. 1. 27. apud D. Paulum ad Roman. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Gen. 15. 6. Exemplum citationis missicæ Genesis 21. 10. *Eiice ancillam hanc, & filium eius*, loquitur litteraliter, & Historice de Agar ancilla Abrahæ, & de Ismaele filio eius; quod citatum ab Apostolo ad Galat. 4. 30. intelligitur mystice de Synagoga ancilla reiecta à Deo.

Quæres 19. An supradicti quatuor sensus Litteralis, Allegoricus, Moralis, & Anagogicus intenti fuerint à Spiritu sancto?

℞. Affirmatiuè, probatur, quia Deus est auctor 125
non solum vocum, sed etiam earum sensus, siue sit litteralis, siue mysticus, & spiritalis, ergo vterque sensus intenditur ab Auctore, qui vtrumque imposuit Scripturæ à se compositæ. Confirmatur, quia sine dubio intendit litteralem, ergo & mysticum accessorium consequentem ipsum, accessorium enim sequitur suum principale. Et patet id ex præcedenti quæstione, nam in ea probauimus in vtroque sensu legem nouam citare veterem, citatio autem est ipsiusmet diuini auctoris, ergo vterque sensus à Spiritu sancto intenditur. Ita docet Vasquez *in part. 1. disp. 13. cap. 2. §. Verum, §. Recta.* Becanus *cap. 3. de fide quæst. 6. initio.* Vt autem sensus dicatur intentus à Spiritu sancto siue litteralis, siue Spiritalis debet esse approbatus & cognitus pro tali ab Ecclesia Romana de vnanimi consensu Patrum, vt dixi supra quæstione 13. initio.

Quæres 20. Qualis sensus adhibendus sit in explicandis mysteriis fidei dubiis, inter arguendum litteralisne, an spiritalis?

℞. Primarium locum obtinet litteralis, quo potis- 126
simum semper vti sunt Patres, quia is ita manifestus est, & vt plurimum carens ambiguitate, vt ex eo efficacissima deducantur argumenta ad confirmanda fidei nostræ dogmata, & is est communis sensus Theologorum, quos citat Vasquez *in part. 1. disp. 16. cap. 5.* Vnde D. Basilius in Examer. congress. 9. dicit, quod sensus litteralis maximè commendatur, vbi commodè fieri potest. Non ideo excluditur sensus mysticus, quando de illo potest haberi certa notitia ex communi intelligentia Patrum, quia tamen iste valde reconditus est, ideo ab eo efficax argumentum raro efficax argumentum deduci potest ad decidendas res fidei controuersas.

Quæres 21. Qualis sensus sit nobilior litteralis, an Spiritalis?

℞. Si spectentur in ordine ad auctores, pares 127
sunt, & æque nobiliores, quia ambo sunt à Spiritu sancto; respectu nostri, & in ratione sensus nobilior est litteralis, tum quia ex propria significatione, & primaria est illi de se competens, mysticus ex secundaria, & impropria; tum quia mysticus supponit litteralem vti principalem, cui mysticus est accessorius; tum quia litteralis magis facit ad arguendum, quam mysticus; tum quia litteralis clarus est, mysticus obscurus, & reconditus sub medio. Nec obstat, quod littera occidit, & Spiritus viuificat, quia littera accipitur pro lege veteri, Spiritus pro noua, de vario sensu huius propositionis dicam infra sub q. 24.

Quæres 22. An verba Sacræ Scripturæ accipienda semper sint in proprio sensu?

℞. Affirma

128 ℞. Affirmatiuè, quando non sequitur absurdum aliquod, ratio est, quia sensus proprius litteræ vti principalior præferendus est improprio, ergo ille accipiendus est in ea interpretanda. Quod si sequatur absurdum, ad illud euitandum recurrendum est ad impropriam significationem verborum. Vnde ea verba: *Si oculus tuus scandalizat te, proiice abs te*, in propria significatione continent absurdum, quod oculus eruatur è capite, ideo impropriè accipiuntur pro proximo scandalizante, quem à nobis debemus longe proiicere. Ita omnes sancti Patres, & Theologi.

Quæres 23. An quicquid narratur in veteri testamento figurà in nouo faciendum, & exequendum, prius factum sit in veteri?

129 ℞. Quamuis in Testamento veteri multa sint dicta, & facta quoque quæ figurant alia facienda in nouo Testamento, nihilominus multa etiam referuntur, quæ non fuerunt gesta tempore veteris legis, facienda solum in noua Euangelij. Accipe exemplum illius sententiæ Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet*, quod suum effectum habuit pro lege noua, nulla enim Virgo vnquam genuit, præter Mariam, quæ Christum concepit, & genuit sine violatione Virginitatis. Vasq. *ad part* 1. D.Thom. *disp.* 16. *cap.* 4. §. *Tertiò.*

Quæres 24. Quid significent illa verba. *Littera occidit, Spiritus viuificat?* Quæ habet Diuus Paulus 2. Corinth. 3. 6. alludit ad duplicem sensum Scripturæ.

130 ℞. *Littera occidit*, id est, lex vetus, quæ licet præciperet, quod bonum est, non tamen præbebat auxilium ad implendam legem, ideo vti littera occidebat; & secundum D. Augustinum lib. 1. ad Simpl. q. 1. *Lex tantummodo lecta*, inquit, *& non intellecta, vel non impleta, vtique occidit, tunc enim appellatur littera.* Et Serm. 22. dicit, quod sola littera sine gratia, quę est Spiritus, occidit, littera ergo simul cum Spiritu viuificat, & non se sola, ita quoque D.Thom. 1. 2. *q.* 98. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 99. *art.* 2. *ad* 3. *q.* 106. *art.* 2. Vnde Dauid in Psal. 70. 16. dixit: *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Glossa exponit de littera veteris legis, quæ quoniam occidit, dicit Propheta, se eam non cognouisse, sed solum virtutem Christi Domini. Vide quæ dixi *c.* 3. *n.* 109.

Quæres 25. An præter supradictos quatuor sensus detur quintus nuncupatus accommodatitius, & ille sit intentus à Spiritu sancto?

131 ℞. Datur inuentus à Patribus, & Concionatoribus, non tamen intentus à Spiritu sancto.

Accommodatio est vsus vocum, & sententiarum Sacræ Scripturæ ad laudem sanctorum, & vtilitatem fidelium. Iste sensus est familiaris scriptoribus Ecclesiasticis, legislatoribus, & Concionatoribus, qui in laudandis sanctis, & reprehendendis vitiis vtuntur auctoritatibus sacris, quas extendunt ad suum propositum. Exemplum de Confessoribus Pontificibus. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Eccli 44. 20. vbi ea laus tribuitur Abrahamo, ab Ecclesia sanctis Pontificibus. Legislator, seu Doctor volens demonstrare Papam esse maiorem Imperatore, & Regibus adducit in exemplum illud Genesis 1. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.* Innocent. III. in cap. Solitæ 6. de maior. probat dignitatem Pontificiam esse maiorem, & excellentiorem imperatoria, quia Papatus assimilatur luminari maiori, & imperium luminari minori. S. Hieronymus relatus cap. Ne innitaris 5. de constitut. innixus Prouerbiis Salomonis dicentis 3. 5. *Ne innitaris prudentiæ suæ*, probat, quem non debere sequi suam opinionem, sed obedire constitutioni Pontificiæ.

132 Sensus autem iste accommodatitius non intenditur à Spiritu sancto, cum non sit proprius litteræ, nec rei ad rem, sed inuentus ab hominibus ad laudandum aliquem Dei seruum, vel ad probandum aliquid spectans ad ius humanum. Ita docent Vasquez *ad primam part. disp.* 14. *cap.* 1. Becan. *cap.* 3. *de fide quæst.* 6.

Quæres 26. An Apostoli cum Christo prædicauerint Euangelium secundum illos quatuor sensus?

℞. Affirmatiuè, quia in Euangelio reperiuntur illi quatuor sensus litteralis, Historicus, Metaphoricus, & Parabolicus, atque spiritalis de fide, spe, & charitate; sed Christus, & post ipsum Apostoli Euangelium prædicarunt, ergo secundum illos quatuor sensus. De Christo constat ex illo Ioan. 15. 15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Sed à Patre Christus audiuit Euangelium secundum omnes illos sensus, quibus erat audibile, neque enim Deus in hoc mancus fuit, ergo illud prædicauit sub omnibus illis sensibus. De Apostolis colligitur ex Paulo scribente ad Corinth. Epist. 2. cap. 3. num. 6. illis verbis: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti non littera, sed Spiritu, littera enim occidit, Spiritus autem viuificat.* Idoneos autem ministros non fecisset, si non prædicassent Euangelium secundum vtrumque sensum, litteralem, & spiritualem. Nec obstat ea verba *Nam littera*, quæ referuntur ad vetus Testamentum, vt dixi q. 4. Vel dic, non esse ministros solius litteralis sensus, sed etiam spiritalis, & mystici. Imò etiam in sensu Accommodationis prædicatum fuit, nam Christus Matth. 15. 8. loquens de Scribis, & Pharisæis applicat illis sententiam Isaiæ 29. 13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*, quæ ab Isaia dicta fuerant de populo Hebræorum, Vasquez *disputa.* 14. *cap.* 5. §. *Sic ergo.* 133

Quæres 27, An sensus Sacræ Scripturæ sit obscurus, & difficilis intellectu?

℞. Affirmatiuè, & de fide credendum, vt testatur Petrus in sua Epist. 2. cap. 3. 16. loquendo de Epistolis S.Pauli *In quibus sunt quædam difficilia intellectu.* Christus duobus discipulis euntibus in Emmaü ignorantibus explicauit in figura peregrini, Lucæ 24. 27. Et Eunuchus Reginæ Candacis non intelligebat prophetiam Isaiæ de morte Christi sibi declaratam à Philippo Act. 8. 31. Vnde Christus volens Apostolis obscuritatem illarum tollere eisdem aperuit sensum ad earum intelligentiam, Lucæ cap. fin. num. 45. Ratio obscuritatis est. *Tum quia*, materia fidei, qua est plena Scriptura, postulat ex sua conditione obscuritatem. *Tum quia*, ea habet plures sensus, quæ talem obscuritatem causant, nam mysticus talis de se est, cum sit absconditus, & sub modio occultatus. Tum excommunicatione idiomatum Verbi diuini, quod modo vt Deus intelligendus est, modo sub ratione hominis. 134

Pono exemplum in verbo *Pater*, nam Matth. 6. 9. dicitur. *Pater noster, qui es in cælis*, & sumitur essentialiter, quia Deus vnus, & trinus est Pater noster, ad extra tota concurrit Trinitas sine diuisione. In sequenti vero exemplo Ioan. 20. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Nomen *Patris* primo loco sumitur personaliter & relatiuè pro prima persona, secundo loco essentialiter pro tota Trinitate; similiter nomen *Deus* primo sumitur relatiuè pro Patre, deinde essentialiter vt dicitur de tribus personis. 135

Hæretici Lutherani errant dicentes Scripturam de se esse claram, adducentes pro se Psal 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Coguntur autem hoc dicere, quia vt supra dictum fuit, volebant, quod ipsamet Scriptura esset iudex controuersiarum fidei, si enim debebat declarare dubia, præsupponenda erat ab ipsis in se clara, & sua claritudine posset illustrare dubia detersione obscuritatis.

Contra

Contra istos est, quia ex vno absurdo in aliud cadunt, & inducunt contradictionem in suis dictis, si enim Scriptura de se clara, non eget iudice ad eam declarandam, & tamen eandem faciunt suiipsius iudicem in obscuris, nam iudex est ad decidenda dubia, ergo erit simul clara, & non clara, obscura, & non obscura.

Respondetur ergo ex eodem Psal. sub num. 109. *Declaratio sermonum tuorũ illuminat, & dat intellectum paruulis*, id est, ignorantibus, verbum ergo diuinum declaratum iuxta verum sensum, quem tenet Romana Ecclesia, lucerna est cum lumine accenso, quo mens hominis bene intelligentis ambulat sanis pedibus, ad quod facit illud ad Timoth.1.9. *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam & fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere* Doctrina ergo in explicanda Sacra Scriptura debet procedere ex fideli sermone, qualis est, quam sancti Patres vnanimiter tenent, approbatus ab Ecclesia.
136 Verbum igitur Dei est obscurum, quod non declaratum non potest illuminare, sicut nec lucerna lucere, nisi sit accensa, & extra modium sub modio autem, & sine lumine dicitur esse verbum Dei obscurum, & nondum declaratum. Itaque Sacra Scriptura apud hæreticos est lucerna sine lino, & lumine adhuc sub modio, quos nunquam illuminabit, nisi resipiscant, & lucernam sui intellectus accendant reconciliatione cum Ecclesia Romana; adeo quod eorum mala interpætatio est lucerna fumigans inficiens nares.

Quæres 28. Cur Deus voluerit Scripturam esse intellectu obscuram, & difficilem?

137 ℞. Ex tribus causis. *Prima*, ne daretur nobis occasio superbiendi, si intelligeremus sine labore profundissima Dei mysteria. Sicut enim Margaritæ in profundo maris, metalla auri, & argenti in visceribus terræ occultantur, quia præcisa sunt, ita Scriptura sub difficili sensu tegitur, ne vilescat. *Secunda*, quia ex sua claritate vilesceret, si statim intelligeretur indifferenter ab omnibus sine aliquo studio, quod eius auctoritas non patitur. Sicut enim res prætiosæ custodiuntur in locis reconditis domus, ne ab omnibus videantur, nisi de licentia patroni, ita sensus Scripturæ nemini manifestatur, nisi de licentia, & gratia Patroni, qui est Spiritus sanctus, consilia enim de rebus grauioribus non omnibus manifestantur, sed tantum amicis. *Tertia*, ne tolleretur ordo inter Doctores, & Scholares, inter Pastores, & oues, si enim manifesta, & clara esset omnibus, nulli essent discipuli, omnes magistri.

Quæres 29. Quænam sint causæ huius obscuritatis.

138 ℞. Sunt plures, quas reduco ad quatuor. *Prima* causa obscuritatis est contradictio in sacra Scriptura, nam in vno loco negat quod in alio loco affirmat. *Secunda* est locutio figurata in Metaphoris, & Parabolis, & aliis modis, quibus sensus illius obscurus manet, ita quod vnum, & idem verbum sumitur modo propriè, modo impropriè, exemplũ ex Ioan.4.13. *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterum; qui autẽ biberit ex aqua, quam dabo ei non sitiet in æternum.* In priori sermo est de aqua naturali, & elementari, in posteriori de aqua supernaturali, id est, gratia inhærente. Pariter verbum *bibere, & sitire* duplicem habent sensum, corporalem scilicet, & spiritalem. Oritur ergo obscuritas ex pluralitate significationis eiusdem vocis.

Tertia causa obscuritatis oritur ex speciali sensu intento à Spiritu sancto, qui est contra communem vsum loquendi apud prudentes, exempli gratia nullus prudens dicet tria esse quinque, neque vnum esse tria. Et tamen in diuinis duo sunt vnum, & vnum sunt tria, & tria sunt vnum. Tres enim personæ sunt, & in essentia vnum; vnde Christus Ioan. 10. 3. dicit *Ego, & Pater vnum sumus* hoc est, vnitate essentiæ, non Trinitate personarum.

Quarta demum causa obscuritatis est translatio vnius rei ad significandam aliam rem, exempli gratia Agnus Paschalis figurabat Christum, mare Rubrum Baptismum, Manna Eucharistiam. Hæc bene prosequitur Becanus *de fide c.3.q.8.*

Quæres 30. Quomodo tollatur obscuritas ex illis quatuor causis?

℞. Vnica assignatur Regula ad tollendas contradi- 139
ctiones, repugnantias, & obscuritates, nimirum distinctio diuersorum sensuum, quos potest habere verbum propositum, distinctio enim tria bona affert distin- 140
guendi, primo namque distinguens proximus fit veritati, secundum Surd. *decis.*58. *num.*5. secundo distinctio dat melius intelligere ambiguum, vt ait Glossa *initio Clem.*1. *de verb. signif.* tertiò demum contradictiones, & repugnantiæ, quæ tales apparent tolluntur distinctione, vt dicit D. August. relatus cap. Si peccauerit 19. 2. q.1. *Distribuite tempora, concordabit Scriptura.* Et ita procedendum est, sicut etiam fit in concordandis legibus humanis, in tollendis, ab illis contradictionibus, repugnantiis, & absurditatibus, opus enim est interpretatione, & distinctione sensuum, temporum, & diuersorum respectuum, vnde dicitur cap.1.2. & 3. dist. 29. quod iura concordantur tempore, loco, personis, & ratione. Si ergo conuenit ita interpretari, & distinguere in legibus humanis, ad euitandas contradictiones, & absurditates, quæ in illis accidere possunt, ne appareant accidisse, à fortiori huiusmodi remedia adhibenda sunt in lege diuina, in qua nullæ in re sunt contradictiones nullum absurdum, licet ex mala intelligentia concipiantur esse, quę longe absunt, in legislatoribus enim non inuenitur alter similis Deo, vt dixit Iob 26. 32. imò vnus est, & non multiplex diuinus legislator, vt dicitur Iacobi 4.12. Nulla ergo est contrarietas in sacra Scriptura, 141
vt testantur omnes S. Patres, vnde Origenes in Epistola ad Rom.3.lib.3. sic scribit. *Contraria, quæ videtur esse in Sacra Scriptura, contraria non esse debet ostendere, qui fideliter, & integrè sacrorum voluminum colligit sensum.* S. Chrysostomus homil.1. in Gen. inquit. *Nihil contrarium in sanctis Scripturis.* D. August. tract.112. super Ioan. *Euangelista non est Euangelistæ contrarius in his, quæ narrat, licet non concordet.* Vnde loquens de Blasphemia in Spiritum sanctum hæc habet. *Nulla alia causa est, cur Euangelistæ non eodem modo dicant, nisi vt inde dicamus, res verbis, non rebus verba præponere.* Instrumentum ergo distinctionis diuersorum sensuum, temporum, locorum, & causarum dat vobis, veram intelligentiam Sacrarum Scripturarum, remouendo absurda, contraria, & repugnantia, quæ nobis apparent inesse verbo Dei, à quo tamen longè sunt, & à nobis elongantur, si verum sensum per sanctos Patres quærere volumus. Quare cum Scripturæ loquantur de Deo, de Christo, de aduentu eius, de Ecclesia, & aliis, distinguendum est, & videndum, in quo sensu sit accipienda proposita sententia, an de Deo secundum essentiam, an secundum personas, an secundum attributa, an de Christo incarnando, an incarnato, venturo vt Redemptore, an vt iudice, an de Ecclesia militante, an triumphante, & sic de reliquis theologizandum est. Vide Becanum cap. 3. de fide q.8. vbi refert quamplura exempla locorum Sacræ Scripturæ, quæ videntur repugnare & sibi adinuicem contradicere, quibus distinctione satisfacit.

Quæres 31. An vnus locus Scripturæ obscurus declaretur per alium clarum, seu magis intelligibilem?

℞. Affirmatiuè, hoc enim remedium habent le- 142
ges humanæ, vt vna pars etiam eiusdem contextus aliam declaret, vnus locus alium declaret, limitet, vel ampliet,

ampliet, vna lex aliam explicet, noua veterem, & è contra, *l. Qui filiabus 17.ff.de legat.1.* Gloss. v. *In verbis cap. Quid crudele 44.23.q.4.* Rodr. *tom.1.q.11.a.6.* Decius *consil.442.n.2. l. Non dubium ff. de legib. l. Sed & posteriores, eod.* à fortiori leges diuinæ gaudere debent hoc beneficio, cum aliis sint obscuriores, & intellectu difficiliores, affero exemplum Psalm. 34. *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Quid sunt hæc arma, & scutum? nisi bona voluntas Dei, qua protegit, & coronat seruos suos, vt explicatur per alium Psalmum 5. *Domine vt scuto bonæ voluntatis coronasti nos.* Ita docet D. August. vbi de adulter. coniug. cap. 11. & 12. inquit. *In vnius Euangelistæ expositione videndum est quid alij Euangelistæ dicant, cum ille locus exponitur.* Item lib. 3. de Doctr. Christ. scribit. *Ambiguitas, & repugnantia, quæ videtur in sacris litteris, ex ipsius textus consequentibus, & adiunctis tollenda est. Si autem Scripturæ repugnantia pertractari, ac discuti non potest, saltem id intelligatur, quod fides sana præscribit.* Repugnantia autem magis ex sensu litterali in propria significatione apparet, ideo tunc recurrendum est ad impropriam significationem, quæ tollit repugnantiam, & absurditatem. Accipe exemplum ex Isaia cap. 11. *Habitabit lupus cum agno* Hic, *lupus*, & *agnus* non accipiuntur pro illis duobus animalibus brutis, lupus enim agnum deuorat, ideo simul non habitant, literalis sensus ex verborum proprietate hic locum non habet, sed eius loco illi duo termini impropriè accipiuntur, & substituuntur ad significandum ferocem, & mansuetum, qui simul morabuntur, cum Christus venerit, vel simul habitabunt, id est, ferox homo fiet mansuetus. Vnde D. August. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 5. admonet nos his verbis. *Cauendum est, ne figuratam locutionem ad litteram accipias. Quia littera occidit spiritus autem viuificat.* Litteralis ergo sensus ex propria significatione inducens absurdum, & falsitatem abhorrendus est, quia occidit, & tunc eius loco accipiendus est litteralis significatio impropria, vt euitetur absurdum.

CAPVT VIII.

De Fide Ecclesiæ Romanæ.

SVMMARIVM.

1 *Fides vocatur, quia fit, quod dicitur.*
2 *Duplex humana, & diuina.*
3 *Illa vocatur potius fidelitas.*
4 *Definitur fides diuina.*
5 *Virtus est Theologica.*
6 *Virtutes Theologicæ tres sunt.*
7 *Fides est substantia rerum sperandarum.*
8 *Fides diuina supernaturalis est.*
9 *A Deo auctore homini infunditur.*
10 *Res reuelatæ sunt obiectum materiale.*
11 *Fides diuiditur in actualem, & habitualem.*
12 *Differunt inter se.*
13 *Habitualis diuiditur in Infusam, & Acquisitam.*
14 *Fides est qualitas supernalis homini infusa.*
15 *Habitus fidei infusus, & acquisitus in multis differunt.*
16 *Habitus fidei infusus non dicitur ab actibus, sed eo quod habeatur.*
17 *Fides modo mortua, modo viua dicitur.*
18 *Fides Historica, Miraculorum, & Promissionis.*
19 *Fiducia est voluntatis adhæsio firma circa obiectum sperandum.*
20 *Obiectum materiale fidei quodnam sit?*
21 *Articulus, & propositio de fide in quo differunt.*
22 *Obiectum formale fidei prima veritas reuelans.*
23 *In veritate hac duæ sunt perfectiones.*
24 *In obiecto formali spectantur tria.*
25 *Fides veteris legis reuelata à Deo Angelis, & per Moysen Iudæis.*
26 *Fides Euangelij per Christum omnibus.*
27 *Fides ab Ecclesia promulgata fuit.*
28 *Promulgatio est de ratione legis, vt obliget.*
29 *Promulganda est singulis fides quoad ea, quæ sunt salutis.*
30 *Lex aliter singulis non est promulganda.*
31 *Reuelatio priuata alios non obligat.*
32 *Omnia mysteria ante Ascensionem Christus non reuelauit.*
33 *Spiritus sanctus Apostolos docuit mysteria fidei quatuor modis.*
34 *Fidei non potest subesse falsum.*
35 *Fides vna, Sancta, Catholica, & Apostolica est.*
36 *Catholicum dicitur commune omnibus.*
37 *Obscuritas est de ratione fidei.*
38 *Exponitur definitio fidei tradita ab Apostolo.*
39 *Idem articulus potest fieri, & credi ex diuersis actibus, & mediis.*
40 *Fides prima virtutum Theologicarum.*
41 *Fides virtus supernaturalis.*
42 *Fides informis adhuc est virtus.*
43 *Ei competit definitio Aristotelica virtutis.*
44 *Virtus intellectiua diuiditur in quinque species.*
45 *Scientia est cognitio vera, certa, & euidens rei necessariæ.*
46 *Certitudo est firma adhæsio intellectus obiecto sine formidine.*
47 *Euidentia scientiæ, & obscuritas fidei quid.*
48 *Prudentia, & Ars quid?*
49 *Fides vocari potest intellectus principiorum.*
50 *Fides vocatur Sapientia.*
51 *Fides est scientia.*
52 *Cum sit cognitio vera, & certa.*
53 *Cognitio fidei in certitudine, & veritate excedit scientiam naturalem.*
54 *Theologia est scientia.*
55 *Scientia in tota sua latitudine quomodo definienda.*
56 *Scientia diuiditur in naturalem, & supernaturalē.*
57 *Euidentia non est de ratione scientiæ vt sic.*
58 Persona *quomodo definienda.*
59 *Necessitas obiecti scientiæ sufficit in connexione extremorum.*
60 *Procedere ex propriis est nota discursus.*
61 *Scientia vt sic vniuoce dicitur de scientia naturali, & supernaturali.*
62 *Aliter dicere inducit absurdum.*
63 *Ratio euidentiæ non facit vt scientia excedat fidem.*
64 *Donum quid sit? Fides est donum Dei.*
65 *Durat fides vsque ad finem sæculi.*
66 *Minui non potest, & reduci ad paucos.*
67 *Quomodo in sola Virgine mansit fides in morte Christi.*
68 *Initium credendi à Deo est sine nobis cum nobis.*
69 *Actus credendi est à voluntate iubente, & ab intellectu eliciente.*
70 *Qui cito credit leuis est corde 161.197.*
71 *Actus credendi sunt supernaturales in entitate.*
72 *Intellectus cum sit potentia naturalis non meretur, nec demeretur.*
73 *Hæreticorum actus credendi sunt naturales.*
74 *Actus credendi eliciti ex alio motiuo non sunt supernaturales.*
75 *Assensus in fidem non potest gigni ex discursu.*
76 *Fides infunditur in baptismate.*

77 *Baptismus triplex Flaminis, Sanguinis, & Fluminis.*
78 *Baptismus cur vocatur Sacramentum fidei?*
79 *Baptizato incredulo non infunditur fides.*
80 *Iudæis fides infundebatur in* Circuncisione.
81 Circuncisio *vocatur signaculum fidei.*
82 Fides *in Hebræis cessauit in aduentu Christi.*
83 *Maria Virgo fidem habuit perfectissimam.*
84 *Maria Virgo à Christo baptizata fuit.*
85 *Christus nunquam fidem habuit, sed claram visionem.*
86 *Cathecumenis per Baptismum infunditur fides.*
87 *Apostoli fidem habuerunt.*
88 *Damnati carent fide.*
89 *Purgantes retinent fidem.*
90 *Angeli omnes habuerunt fidem.*
91 *Beati in cælo fidem non retinent.*
92 *Differentia fidei, & visionis.*
93 Fides, *& Visio de potentia Dei absoluta non repugnant simul in eodem*
94 *Pauli raptus quoad fidem, & visionem expenditur.*
95 *Habitus fidei recipitur in potentiis animæ.*
96 *Distinguitur ab obedientia, religione, & charitate.*
97 *Habitus acquisitus fidei est necessarius ad discurrendum de fide.*
98 *Habitus fidei multum prodest infantibus.*
99 *Habitus fidei infusus est operatiuus in adultis.*
100 *Habitus infusus vocatur lumen fidei.*
101 *Infantibus habitus fidei infunditur dum baptizantur.*
102 Accedentem ad Deum oportet credere *Refertur ad adultos.*
103 *Ioannes Baptista exultauit in vtero materno ex sanctificatione.*
104 *Habitus infusi, & acquisiti differentia.*
105 Fides *augetur, & minuitur.*
106 Fides *Apostolorum perfectior quam in aliis.*
107 Fides *homini datur nullo præcedente eius merito.*
108 Fides *à Deo infunditur electis, & præscitis.*
109 *Certitudo triplex.*
110 *Nemo certo scire potest se habere fidem.*
111 *Neque id credere tenetur.*
112 Fiducia *spectat ad spem, & non ad fidem.*
113 Cordis *nomen supponit pro voluntate, vel pro intellectu.*
114 *Diffidentia id est incredulitas.*
115 Fides *sine operibus neminem iustificat.*
116 Fidei *scutum vocantur opera bona.*
117 *Omnes virtutes disponunt ad iustificationem.*
118 *Virtutes omnes ab vno patiuntur vitio.*
119 *Virtutem vnam habens omnes habet.*
120 *Certo quis scire non potest sibi peccata esse remissa.*
121 *Incertum est an quis sit in gratia.*
122 *Reuelatio Dei est de obiecto in genere, non de hoc, vel illo homine.*
123 Fides *infusa per vnicum etiam actum infidelitatis tantum perditur.*
124 *Habitus fidei infusus per vnicum actum perditur, non sic acquisitus.*
125 *Nullum peccatum præter infidelitatem facit perdere fidem.*
126 *Connexio non est inter fidem, & charitatem.*
127 *Dubius in fide est infidelis.*
128 *Fides iustificans vnica est.*
129 *Credere Deum, Deo, & in Deum quid.*
130 *Status sunt quatuor* 149.
131 *Necessarium necessitate medij, & præcepti.*
132 *Necessarium necessitate medij etiam præcepti.*
133 *Fides profitetur interne, & externe.*
134 *Fides in omni statu est necessaria.*
135 *Fides actualis omnibus ratione vtentibus.*
136 *Adam cum Eua habuit fidem.*
137 *Fides necessaria ad gratiam, & gloriam.*
138 *Nutritus in siluis quomodo saluatur.*
139 *Ignorantia inuincibilis circa res fidei datur.*
140 *Respectu infidelium.*
141 In omnem terram exiuit sonus eorum. *Exponitur.*
142 *Ignorantia negatiua, & contraria quid?*
143 *Ignorantia fidei in genere dari non potest respectu fidelium.*
144 *Ignorans ea, quæ spectant ad suum officium peccat.*
145 *Ignorare non licet, quæ publice fiunt.*
146 *Ignorantia fidei in Iudæis, & hæreticis non probatur.*
147 *Solius Dei cognitio est necessaria necessitate medij.*
148 *Aliorum vt Trinitatis, & Incarnationis non.*
149 *Status sunt quatuor.* 130.
150 *Sola fides Romana saluat.*
151 *Dictio* omnino *quid importet.*
152 *Saluantur omnes in fide* Christi *venturi, vel præsentis.*
153 *Infantis Baptismus ab hæretico datus tenet.*
154 *Error hæretici non impedit effectum Sacramenti.*
155 *Fides explicita de vno Deo omnibus adultis necessaria.*
156 Sufficit in genere credere quicquid credit Ecclesia. *An hæreticum.*
157 *Quæ de necessitate præcepti discenda sunt.*
158 *Symbolum Apostolorum discendum est.*
159 *Sacramenta discenda antequam recipiantur.*
160 *Quandonam obliget præceptum eliciendi actum fidei?*
161 *Credendum non est ita facile.* 70. 197.
162 *Fides continet tria præcepta.*
163 *Confessio fidei necessaria est ad salutem.*
164 *Confiteri fidem non est necesse sine vtilitate vel cum periculo perturbationis.*
165 *Interrogatus de sua fide à iudice tenetur respondere.*
166 *Fuga priuatis est licita.*
167 *Non Pastoribus.*
168 *Cur vero Apostolis.*
169 *Ad euitandam mortem nunquam licet negare fidem.*
170 *Negans se esse Christianum peccat mortaliter.*
171 *Vocans se Iudæum, seu Gentilem peccat mortaliter.*
172 *Negans se Sacerdotem esse, aut Religiosum non peccat contra fidem.*
173 *Negans se Papistam peccat contra fidem.*
174 *Depositio vestium suæ fidei licita est ex causa.*
175 *Mendacium quid sit.*
176 *Incensare idolum, & ei genua flectere peccatum contra fidem.*
177 *Signis falsæ fidei vti licet ad euasionem mortis.*
178 *In repræsentationibus potest simulari falsa Religio.*
179 *Præsens officiis Iudæorum ex curiositate non negat fidem.*
180 *Non est obediendum Principi cogenti interesse.*
181 *Carnium concessio licet ad euitandam mortem.*
182 *Fabricare Idolum, &c. illicitum.*
183 *Hebræis, aut Agnum vendere.*
184 *Immolata comedi possunt in extremis.*
185 *Disputare de fide quibus prohibitum.*
186 *Professio fidei à quibus facienda.*
187 *Disputare quid importet.*
188 *Clericis, & laicis prohibetur disputatio de fide.*
189 *Disputantes puniuntur ab Inquisitoribus.*

190 Diuis

190 *Disputatio cum omnibus prohibetur.*
191 Fides *proposita an recipienda sit statim.*
192 *Differentia inter infidelem, & fidelem in recipienda fide.*
193 *Sanctitas vitæ magis prædicat, quam verbum oris.*
194 *Non est infidelis conuincendus rationibus.*
195 *Non excusatur infidelis putans se habere meliores rationes.*
196 *Prudens est statim recipiens fidem,*
197 Qui cito credit leuis est corde *exponitur* 70.161.
198 *Argumenta quibus vera fides secernitur à falsa.*
199 *Fides hæreticorum diuisa est, & non vna.*
200 *Vbi est libertas fidei, ibi non est vera fides.*
201 *Vera fides cognoscitur ex sanctitate.*
202 *Quales fuerunt nuptiæ in Cana Galileæ.*
203 *Dogmata hæreticorum, in quibus conueniunt nobiscum, rationem fidei non habent.*
204 *Hæretici nullos habent sanctos.*
205 Fides *illa est, vera, quæ est vniuersalis.*
206 *Vera fides, quam prædicarunt Apostoli.*
207 *Miracula dant cognoscere veram fidem.*
208 *Miracula fiunt etiam à malis.*
209 *Persecutio, & martyrium indicant veram fidem.*
210 *Fides vera nunquam defecit.*
211 *Capitis vnitas veram fidem notat.*
212 *A legislatore dignoscitur vera fides.*
213 *Legislator debet esse persona publica.*
214 *Hæreticus perdit rationem personæ publicæ, si ante erat,*
215 *Fidei difficultates publicæ proponuntur discutiendæ.*
216 *Sine consilio nihil deliberandum.*
217 Sententia *communissima ab omnibus sequenda.*
218 *Principiata male bonum exitum habere non possunt.*
219 *Hæresis initio crescit, sed cito euanescit.*
220 *Fides declaratur ab Ecclesia, vt obliget.*
221 *Non sufficit interna inspiratio.*
222 *Martyrium specificatur per confessionem fidei.*
223 *Latro bonus dicitur martyr.*
224 *Moriens pro peste non est martyr.*
225 *Mittere ad conuersionem infidelium spectat ad Papam.*
226 *Auctoritate magis, quam ratione fides persuadetur.*
227 *Articuli fidei, vt credantur, ab Ecclesia sunt proponendi.*
228 *Nullus præter Papam declarat articulos fidei.*
229 *In Conciliis tria genera capitum sunt.*
230 *Quænam sint de fide ex illis Capitibus.*
231 *Non acceptatio, lex positiua, & consuetudo non infringunt fidem.*
232 *Propositiones de fide, aliæ tales certo, aliæ in opinione.*
233 *Theologia habet propria loca ad probandum.*
234 *Sacra Scriptura est argumentatiua.*
235 *Probat sua principia si negentur.*
236 *Loca Theologica numerantur.*
237 *Consuetudine tolli non potest lex de fide.*
238 *Reuelationes S. Brigittæ non sunt de fide credendæ.*

1 Fides vocatur, quia fit, quod dicitur per ipsam, vt docet D. Augustinus Epist. 19. ad Hieronymum. Fit autem credendo, & operando, quia Fides sine operibus mortua est Iacob. 2. 17. fides fit, credendo per assensum, conseruatur vero, & perficitur per exe-
2 cutionem eius, quod ipsa proponit agendum. Fides duplex est, Humana, & Diuina. Humana respicit homines secundú naturam: qua vnus habet fidem alteri, & est duplex; prima est, qua vnus alteri credit, quod dicit, Prouerb. 14. 5. *Testis fidelis, non mentitur.* Secunda est illa, qua statur promissis Eccli 22. 18. *Fidem possideo cum amico.* 2. Machab. 9. 26. *Vnusquisque conseruet fidem ad me, & ad filium meum.* Item cap. 11. 19. *In negotiis fidem conseruaueritis.* Hæc duplex fides, quæ versatur inter homines potius vocatur fidelitas in dicendo, & negotiando, quam fides, quo 3
nomine propriè venit fides diuina, quæ hominem secundum gratiam ordinat ad Deum, cui credere tenetur.

Quæres 1. Quid sit Fides diuina?

℟. Est virtus supernaturalis à Deo infusa homini 4
inclinans eius intellectum ad credendum ea, quæ ab ipso vti prima veritate reuelata sunt Ecclesiæ Christi pro salute hominum.

Dixi primò, quod fides est virtus, quia participat 5
de ratione virtutis, sicut enim secundum Aristotelem 7. *Physic. text.* 17. virtus est dispositio perfecti ad optimum, & 2. *Ethic. cap.* 5. dicitur habentem perficere, vt opus suum reddat bonum, ita fides disponit hominem, qui per eam perficitur, ad optimam operationem, quod est credere mysteriis fidei. Tres autem 6
sunt virtutes Theologicæ enumeratæ per Apostolum 1. *Corinth.* 13. 13. Fides, Spes, & Charitas, ea obtinet primum locum, quia est radix, basis, fundamentum, & initium nostræ salutis, vnde merito *ad Hebr. cap.* 11. vocatur substantia rerum sperandarum, sicut 7
enim inter entia decem prædicamenta substantia est primum in ordine, ad quam reliqua referuntur & subiiciuntur, cum omnium sit subiectum, & fundamentum, ita fides inter virtutes primum obtinet locum, & ad eam cæteræ referuntur virtutes, quid enim valet spes, nisi credantur, quæ sperantur, charitas, & diuina gratia nulli inesse possunt, si caret fide, fides ergo merito vocatur substantia aliarum virtutum, quæ sine ipsa nihil sunt in homine, qui salutem consequi non potest sine fide, Hebr. 11. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Initium igitur vitæ spiritualis in homine est fides.

Dixi 2. Hanc virtutem esse supernaturalem, vt di- 8
stinguerem à naturali, qua non solum vnus homo alteri credit in rebus humanis, quæ vt dixi potius vocatur fidelitas, quam fides, verum etiam per quam homo labore, & industria acquirit cognitionem rerum fidei diuinæ, & vocatur fides acquisita ad distinctionem fidei supernaturalis, quæ dicitur infusa, de qua infra.

Dixi 3. A Deo infusa hominis, quia illius solus 9
Deus est auctor, vt probaui præced. cap. 7. q. 2. ideò dicitur infundi ab eo nobis, in cuius productione non indiget alterius consortio.

Dixi 4. Inclinare hominem ad credendum à Deo 10
reuelata, obiectum enim materiale fidei sunt omnes res à Deo reuelatæ, vt ab hominibus creduntur in ordine ad eorum salutem, & per hoc fides distinguitur ab aliis duabus virtutibus Theologicis, nam per fidem credimus, per spem vero tendimus ad cælestia, & per charitatem diligimus Deum, & proximum in ordine ad Deum.

Dixi 5. Eidem referri ad reuelata non quibuslibet, sed Ecclesiæ suæ, sufficit enim homini credere ea, quæ sunt reuelata Ecclesiæ à Deo, vel immediatè, vel mediantibus eius ministris, vt suo loco dicetur.

Dixi 6. Pro salute hominum, quia fides ita necessaria est cuilibet homini, vt sine illa impossibile sit placere Deo, & ab eo consequi vitam æternam, Deus enim præcipiendo Apostolis, vt Euangelium prædicarent omni creaturæ scilicet rationali, ostendit fidei necessitatem ad salutem, de qua necessitate infra dicetur.

Quæres 2. Quotuplex sit fides explicata mox?

℟. Fides primo diuiditur in actualem, & habi- 11
tualem.

tualem. Actualis est ipsemet actus credendi consistens in assensu intellectus circa res à Deo reuelatas, & cum ad voluntatem spectet imperare productionem huiusmodi actuum fidei, ideo fides actualis in voluntate erit illud imperium, quo voluntas iubet intellectui, vt eliciat actum credendi. Fides hæc actualis reperitur solum in adultis vsum rationis habentibus, non autem in amentibus, nec in infantibus, qui carent vsu rationis, idem enim est vsus rationis, quod actus rationis, qui assensus est mentis in obiectum. Habitualis vero est inclinatio vtriusque potentiæ ad productionem assensus in res reuelatas, quæ in voluntate dicit piam propensionem ad imperandum intellectui ad credendum, & in intellectu dispositionem ad eliciendum actus fidei circa res reuelatas. Prior autem est actus credendi in adultis, quam habitus ad credendum, est enim hoc regulare, quod quilibet actus præcedit habitum, neque enim aliquid habetur nisi per
12 actum præcedentem. Differunt ergo primum in prioritate prædicta; secundo in existentia, quia fides actualis transit cum sua actione, remanet vero habitualis consequens actum: tertio in subiecto, quia actualis est in solis vtentibus ratione, habitualis etiam in carentibus vsu rationis.

13 Secundò fides habitualis diuiditur in Infusam, & Acquisitam. Infusa est quædam spiritualis qualitas inhærens animæ de genere habitus, quæ perficit potentiam, cuius est, vt non possit errare in suis operationibus, quæ sunt credere mysteria fidei. Habitus igitur iste vocatur supernaturalis, quia non est debitum naturæ humanæ, sed à Deo gratis donatur, & infunditur animæ, vt homo fiat habilis, & dignus ad credendum, & ideo actus credendi ab homine fideli mediante hac supernaturali virtute producti vocantur supernaturales. Inhæret autem hæc qualitas animæ, tum ex conditione infusionis, quia intus funditur; tum quia infusionis actio aliquid habet pro termino,
14 sequitur ergo quod fides sit quædam supernaturalis, & spiritualis qualitas animæ, cui infunditur, inhærens, hominem de infideli reddens fidelem Deo, cuius mysteria credit. Fides acquisita est quędam qualitas in homine genita ex frequentatis actibus, per quam homo illam habens perficitur, & fit promptus ad eliciendos similes actus, ad quorum productionem illa mediante viam sibi facilitat. Remanet iste habitus fidei naturalis in homine hæretico, quia illum acquisiuit proprio labore, & studio, experimur enim hominem hæreticum ita facile discurrere de fide, sicut faciebat antequã esset hæreticus, perdit vero infusam, vt infra patebit. Differunt autem habitus infusus, &
15 acquisitus, *Primò*, quod infusus est à Deo in nobis sine nobis, acquisitus vero à Deo, & à nobis; *Secundò* infusus non supponit in potentia virtutẽ adæquatam ad actum, sicut facit acquisitus, ideo ille complet virtutem actiuam potentiæ naturalis, quam proximè constituit potẽtem ad actum supernaturalem, habitus ergo naturalis, & acquisitus facit proximè potentiam potentem ad actum naturalem sibi correspondentem, & habitus infusus eandem potentiam de se remotam facit proximè potentem ad eliciendum actum fidei supernaturalem. *Tertiò*, acquisitus supponit semper actus, ex quibus generatur, & quidem plures, quia secundum Philosophum habitus fit ex frequentatis actibus; infusus vero in carentibus vsu rationis nullum actum supponit, vnde infanti baptizato fides habitualis infunditur à Deo sine vllo actu credendi ipsius baptizati, in adultis vnicus sufficit actus credendi à Deo excitatus, & productus concurrente illo, qui ad fidem conuertitur, quo transeunte remanet in ipso firmiter credente habitus fidei à Deo illi infusus, & sic habitus fidei infusus propriè non
16 dicitur habitus ab actibus, vt sit acquisitus, sed vocatur habitus, eo quod habeatur permanenter ab homine credente. *Quartò*, habitus fidei infusus potentiam eleuat; vt simul cum speciali Dei auxilio credere possit, acquisitus vero potentiam non eleuat, sed tantum facilitat ad cognitionem, & discursum circa res credibiles, iuxta notitiam sibi comparatam industria, & labore.

Tertiò fides diuiditur in fidem viuam, & fidem 17
mortuam. Fides viua est illa, quæ est coniuncta cum charitate, & gratia, quam dicitur habere homo iustus, & amicus Dei vnde de ea dicitur, quod iustus ex fide viuit, homo fidelis initiatiuè ex fide, perfectiuè ex gratia iustificatur ad vitam spiritualem. Fides mortua est illa, quæ reperitur in homine existente in peccato mortali, in eo fides mortua est quoad actus credendi, qui non sunt digni aliquo merito ex defectu charitatis. & gratiæ inhærentis, quæ est principium vitæ spiritualis, & meriti, adeo quod fides ratione sui in peccatore fideli viua dici potest, quia homo non obstante peccato elicere potest actus credendi supernaturales, licet carentes vita spirituali gratiæ, & merito. Est autem eadem in entitate fides habitualis, quæ modo recipit denominationem vitæ, modo mortis ex societate gratię, vel eius carentia. Desumitur hæc diuisio à D. Iacobo cap. 2. à num. 17. vbi fidem sine operibus vocat mortuam, quia caret vita gratiæ, qui enim non operatur, nec seruat Dei mandata sine dubio existit in peccato mortali, ac proinde fidem habet mortuam per peccatum exclusiuum gratiæ, quæ fidem viuificabat, fidem vero cum operibus nuncupat viuam, quia opera hominem fidelem iustificant per infusionem diuinę gratię. Alij fidem mortuam vocant informem, id est, sine forma gratiæ, viuam vero formatam scilicet gratia, per quam eius actus dicuntur meritorij vitæ æternæ. Hæc diuisio competit fidei tam habituali quam actuali tum infusæ, tum acquisitæ, vt colligitur ex discursu facto super eius diuisione.

Quartò fides superius explicata diuiditur in fidem 18
Historicam. Miraculorum, & Promissionis. Fides Historica est illa, qua credimus esse vera, quæ narrantur in Scripturis, de qua afferri potest exemplum ex cap. 11. ad Hebr. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Verbum illud *intelligimus* significat idem quod *credimus* actus enim fidei explicantur per verbum credere, & cum sit actus intellectus assentientis propositionibus reuelatis, merito Apostolus fidem exposuit per actum intelligendi, cum reuera sit talis. Fides miraculorum est illa, qua credimus, Deum posse facere mirabilia, & quæ ipsi non implicant, de qua 1. Corinth. cap. 13. n. 2. *Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* De qua etiam Matth. 17. 19. Iterum *cap. 21. num. 21. & 22. Lucæ* 17. 6. & gratia gratis data Christo faciendi miracula vocatur ab Apostolo fides 1. *Corinth.* 12. 8. quod idem dici potest de gratia miraculorum donata seruis Dei, includit autem hæc fides miraculorum duo, vnum, nempe assensum intellectus, quo vir Dei firmiter credit, se posse facere Dei auxilio, quod excedit vires naturales; alterum fiduciam voluntatis, per quam confidit, Deum sibi non 19
defuturum ad faciendum miracula. Fides demum promissionis, quam Deus hominibus fecit saluandi eos, si crediderint, & baptizati fuerint, atque seruauerint eius mandata, receperintque Sacramenta pro remissione peccatorum per merita Christi. Hæc diuisio fidei, quæ vna est secundum entitatem suam, suam recipit diuersitatem ex obiectis, circa quæ versatur, ratione factorum, ratione mirabilium, & ratione salutis.

Quæres 3. Quodnam sit obiectum materiale, & formale fidei?

℞. Obiectum materiale fidei sunt omnes res, seu 20
propositiones à Deo reuelatæ vel Scripto, vel Traditione.

ditione. Fides scripta continetur in libris Canonicis comprehensis in sacra Biblia, iuxta dicta cap. præcedenti. Non scripta vero continetur in Traditionibus, quas Christus docuit Apostolos, & Apostoli successiuè per seipsos, & per successores suos tradiderunt Catholicæ Ecclesiæ, de quibus actum est in præcitato præcedenti capite. Fidem obiectiuam vocaui propositionem de fide congeriem, quia cum sit actus intellectus iudicatiuus vnius rei de alia affirmatiuè, vel negatiuè, congruenter ad potentiam intellectiuam nuncupatur propositionum congeries. Theologi faciunt differentiam inter propositionem
21 de fide, & articulum fidei, nam articulos fidei vocant eas propositiones, quarum cognitio omnibus fidelibus necessaria est ad salutem, & exprimuntur in symbolo Apostolorum. Aliæ verò propositiones de fide, quorum cognitio non pertinet ad salutem, vt quod Abel occisus sit à Cain, quod fuerit diluuium &c. non comprehenduntur sub nomine Articulorum. Articuli tamen, & cæteræ Propositiones de fide hoc commune habent, quod ab omnibus indifferenter credendæ sunt sicut & ipsi articuli, quando ab Ecclesia declaratæ sunt tales, & prout reperiuntur in libris Canonicis, iuxta dicenda infra de promulgatione fidei in ordine ad obligationem credendi.

22 Obiectum vero formale fidei est Deus quatenus verax est, vt prima veritas reuelans, ita quod ratio eius formalis consistit in reuelatione diuina obiecti fidei materialis, seu in Deo, quia verax est in dicendo, seu vt est prima veritas reuelans fidem, hæc omnia coincidunt. In veritate autem duæ perfectiones
23 spectantur; vna, quod veritatem dicens sciat se vera loqui, ac proinde debet omnia scire, quæ reuelat, an sint vera; altera est, quod per reuelationem non decipiatur, nec fallatur ab aliquo, & etiam ne decipiat, aut fallat alios, quibus rem reuelat, hoc autem soli Deo competit, quia solus Deus verax est, & omnis homo mendax, ad Rom 3. 4. & Psalm. 115. pariter ipse solus est summè sapiens, ratione cuius ab aliquo decipi non potest, cum omnia sciat; atque solus est summè bonus, ratione cuius neminem fallere, & decipere potest, ergo ex his sequitur ipsum Deum solum esse auctorem, & reuelatorem mysterio-
24 rum fidei. Colligitur ex his in obiecto formali fidei tria reperiri veritatem, sapientiam, & bonitatem, veritas denotat in fide non posse subesse falsum, quia veritas formaliter est exclusiua falsitatis ab eodem obiecto; sapientia connotat nobis, Deum à nullo posse decipi & ipsum perfectissimè scire veritatem reuelatorum; bonitas vero indicat, Deum neminem decipere posse in his mysteriis, quæ Ecclesiæ suæ reuelauit. Prædicta confirmantur, quia obiectum formale fidei est illud, per quod immediate creduntur articuli fidei, seu est id, per quod immediatè creduntur reuelata, seu id, in quod vltimo resoluitur assensus fidei, ita quod ipsum est ratio, qua articulis fidei assentimur, & hæc ratio vt talis propter seipsam cognoscitur, & non per aliud, aliter non esset prima, si per aliam ipsa cognosceretur; sed id est solus Deus sub ratione prioris veritatis reuelantis, ergo sub ea ratione est obiectum formale fidei. Nec obstat, quod prima veritas resoluatur in deitatem, quia hæc resolutio non est veritatis sub ratione, qua aliud cognoscitur, sed in ratione essendi, vnde veritas spectari potest vel in ratione obiecti, vel in ratione entitatis, respectu suæ entitatis resoluitur in deitatem, cum qua vnica est simplicissima entitas; respectu vero obiectiuitatis, & specificationis rerum reuelatarum seipsa est talis in aliud non resoluitur, ne detur processus in infinitum in genere veritatis reuelantis, vna enim debet esse, ad quam cæteræ omnes referantur, ipsa verò vti prima in se consistat irresolubiliter in aliud in genere suo. Neque opera, & miracula, quæ Christus fecit, habent rationem obiecti formalis Christum, & eius fidem reuelantia, sed tantum sunt signa cognoscendi illum, nam Deus filium suum, & fidem immediate reuelauit, vt colligitur Matth. 3. 17. *Hic est Filius meus dilectus.* Deus ergo vti prima veritas reuelans est immediatum, & solum obiectum formale Ecclesiæ suæ manifestans mysteria fidei.

Non desunt opiniones circa hoc obiectum formale fidei, nam *primo* Capreolus *in 3. dist. 24. art. 2.* dicit, quod est Deitas, in qua resoluitur fides tanquam in obiectum formale, quo illius articulis assentimur. Sed supra patet, Deitatem esse solum rationem ostendi, non assentiendi articulis fidei, quærenti enim cur Deus est Trinus? cur Deus est omnipotens? Respondetur, quia est Deus, adeo quod vlterius procedi non potest. Quærenti vero, cur credis, Deum esse Trinum, esse omnipotentem? bene respondetur, quia Deus prima veritas hoc reuelauit, non qua Deus, sed quatenus verax est; male vero responderetur, quia Deus est, hæc enim est ratio essendi, non assentiendi. *Secundò* Durandus in 3. dist. 24. q. 1. Michaël Medina lib. 3. de recta in Deum fide cap. 11. putant obiectum formale, in quod fides resoluitur, esse auctoritatem Ecclesiæ, vt instrumentum Spiritus sancti assistentis, & dirigentis eam in veritatem verbi gratiâ, si quæris ab istis, cur credis Christum resurrexisse à mortuis? Respondent, quia ita proponit Ecclesia credendum edocta à Spiritu sancto. Sed propositio Ecclesiæ non est formale obiectum, sed potius, aut promulgatio fidei in ordine ad obligationem credendi, aut declaratio alicuius articuli dubij, non vero ratio formalis, sub qua reuelatum est credendum, cum Ecclesiæ sic proponenti non credatur, quia ipsa dixit Spiritu sancto dirigẽte, sed vlterius quærendum sit, à quo Ecclesia talem habuerit veritatem, quæ tandem respondebit, se habere à Deo prima veritate reuelante, ergo hæc est propriè ratio formalis, qua assentimur mysteriis fidei, vltra quam procedi non potest.

Colligitur ex his vnicum esse formale obiectum fidei, prima veritas reuelans, in quā tandem resoluuntur quæcumque aliæ rationes & motiua extrinseca, quæ conducunt intellectum humanum ad credẽdum, cuiusmodi sunt propositio Ecclesiæ, quæ fidem promulgat, & eius dubia interpretatur; item miracula, quæ Christus faciebat, & sancti per ipsum, sunt signa, quibus Christus demonstratur Dei Filius; item indeficientia ipsius fidei in Ecclesia Romana certum argumentum est, mysteria fidei esse vera, & credenda, item communis sensus Catholicorum, continuata successio Pontificum Romanorum in rebus fidei nunquam discrepantium, sanctitas tot martyrum, Confessorum, Pontificum, & Virginum, sunt firmissimum fundamentum credendi ea omnia, quæ ad fidem spectant, & hęc omnia motiua tandem referuntur in vnicam primam veritatem Dei, qui omnium auctor est, & primus reuelator.

Quæres 4. Quis fidem reuelauerit, & quomodo id contingat fieri? Et à quo, & quando eadem promulgata fuerit hominibus? Differunt inter se reuelatio, & promulgatio, nam ea refertur ad auctorem, qui est Dominus vtriusque Testamenti, in quo fides continetur, vt notum est; hæc vero ad præconem mandante ipso legislatore, vt per eius notificationem habeat vim obligandi illos, quibus promulgatur.

℞ Deus fidem veteris legis à se reuelatam immediatè Angelis per Moysen suum præconem publicauit, & promulgauit soli populo Iudæorum, quem solum obligauit. Fidem vero nouæ legis, & Euangelij immediatè Christo Domino Filio suo reuelauit, 25

& per ipsum docuit eam Apostolis, & per Apostolos promulgauit omnibus hominibus, & dubia, quæ occurrant in dies, per Pontificem Romanum resoluuntur, definiuntur, & promulgantur credenda ab hominibus, adeo quod fides ad sui assensum, & obligationem postulat promulgationem, tam ratione earum propositionum, & articulorum, qui clari sunt, quam dubiorum, quorum resolutio, & definitio petit promulgationem, & publicationem, antequam non obligent.

Primum, quod vtriusque legis, & fidei Deus fuerit auctor non est dubitandum, cum sit de fide, probatum fuit præcedenti cap. q. 2. ad quem locum remitto lectorem.

Secundum, quod Deus veterem legem reuelauerit Angelis, & per illos Moysi, qui eam vti præco promulgauit, probatur auctoritate Pauli ad Galat. 3. 19. *Quid igitur lex? propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Deus ergo legem suam disposuit immediatè per Angelos, & per istos Moysi, qui tandem eam immediatè ab Angelis acceptam promulgauit, vt dicitur Ioan. 1. 17. *Lex per Moysen data est.* Et quod dicitur de Moyse: *Locutus est Dominus Moysi à facie ad faciem,* cum legem recepit, interpretandum est, Scripturam locutam fuisse secundum opinionem Iudæorum, qui credebant, Moysen immediatè vidisse Deum, & cum eo locutum fuisse, quod tamen non est verum, quia in textu dicitur, quod desiderabat videre gloriam eius, ita explicat D. Augustinus apud D. Thomam 1. 2. quæstione 98. art. 3.

Tertium, de promulgatione soli populo Iudaico, quem obligauit, probaui præcedenti cap. 7. quæst. 4. num. 57.

26 Quartum, quod fidem Euangelij Deus reuelauerit Christo Domino, & per Apostolos omnibus creaturis prædicauerit, & promulgauerit, probatur per Apostolum ad Hebræos cap. 2. per totum, & Ioannem cap. 1. 17. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est,* Præceptum promulgationis fidei, quæ in prædicatione Euangelij est, Christus dedit suis discipulis tanquam præconibus cum illis dixit: *Euntes in mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Non dixit Iudæis, aut Gentilibus, sed *omni creaturæ*, quia Euangelium Dei est medium ita necessariam ad salutem cuiuslibet hominis cuiuscumque sit nationis. vt sine illo nullus saluari possit, quia sine fide Euangelij impossibile est placere Deo, extra Ecclesiam, intra quam tantum est vera fides, non reperitur salus, vt probatum fuit c. 1. q. 32.

Quintum, quod dubia fidei definire sit Romani Pontificis, probaui cap. 5. q. 31. propter priuilegium, quod à Christo solus immediatè habet independenter à quocumque homine, habet non errandi in huiusmodi controuersiis.

27 Sextum de promulgatione fidei, & Euangelij constat ex cap. 1. quæst. 3. & ex dictis supra. Ratio promulgationis est, quia omnis lex in ordine ad obligandum necessario subditis publicanda est, vt sciant, quid agere, & facere debeant, aliter lex dicitur non esse, ac proinde non obligare, non entis enim nullæ sunt passiones, & qualitates, promulgatio igitur est de ratione legis, sine qua non subsistit, vt docent omnes cum Gratiano cap. 3. dist. 4. ibi: *Leges instituuntur, cum promulgantur.* Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæst. 90. art. 4. Sed fides, & Euangelium est diuina lex, ergo in ratione legis postulat promulgationem, quam Christus fecit Apostolis, & per Apostolos, dum misit illos prædicare Euangelium per vniuersum orbem.

Septimum, quod etiam definitiones controuersiarum expeditæ in Conciliis, seu alibi promulgandæ sint docui c. 6. q. 26. præsertim sub n. 97. & alibi.

An autem fides singulis promulganda, an vero sufficiat eam in communi per præconem, seu affixionem publicare?

℟. Quæ sunt fidei sunt in duplici differentia, alia sunt de necessitate salutis expresse credenda, ac proinde scienda, de quibus infra suo loco, & hæc singulis prædicanda sunt à Ministris Ecclesiæ, ideo Christus præcepit Apostolis, vt docerent omnes gentes quod & facere debent Ministri eorum successores; hinc est, quod Romani Pontifices in dies mittunt Prædicatores ad infideles, & nondum conuersos, vt Verbum Dei illis necessarium ad salutem recipiant. Alia vero scitu ad salutem non sunt necessaria, sed quando proponuntur, fidelis debet esse paratus ad ea credenda, & hæc singulis non sunt promulganda, sed sufficit ea in locis solitis publicare per præconem, & affigere vbi solent affigi, more aliarum legum, quæ singulas promulgandæ non sunt ex capite primo, de postulat. prælat. quod contingit in promulgationibus Conciliorum, & Bullarum Pontificum, in quibus aliquid de fide resoluitur. 29 30

Colligitur hinc, Reuelationem primam fidei fuisse à Deo auctore, qui legem veterem per Angelos reuelauit Moysi, & per Moysen suum præconem populo Hebræorum. Fidem vero, & legem Euangelicam per Christum Filium suum Apostolis, & discipulis, qui in die Pentecostes omnes simul congregati, agente Spiritu sancto, qui illos docuit omnem veritatem, fidem, & legem Euangelicam promulgauerunt, & prædicauerunt omnibus nationibus, quæ illuc conuenerant ad illud festum. De qua promulgatione loquitur Diuus Augustinus illis verbis quod non crederet Euangelio, nisi crederet Ecclesiæ sibi proponenti illud, vnde subdit, quod non vult credere Euangelio Nazareorum, quia non admittitur ab Ecclesia, vt refert Scotus in 3. distinct. 23. §. De primo. Necessaria autem est Ecclesiæ promulgatio post Apostolos, quia isti voce tenus prædicarunt, & licet per Euangelistas noua Christi lex in scriptis redacta fuerit, tamen quia postmodum hæretici, & alij pseudo Apostoli surrexerunt Christiani nominis inimici, & Euangelium adulterarunt, & falsificauerunt, ideo fuit necessarium vt Pontifex Romanus pro tempore præscriberet, & publicaret quidnam esset verũ Euangelium à Christo Domino traditum, & ab Apostolis promulgatum, ne deinceps quis errare posset, & decipi ab impiis hominibus.

Quæres 5. An reuelatio alicuius noui articuli, seu mysterij à Deo facta alicui particulari homini ab omnibus credenda sit, an solum ab illo, cui facta fuit?

℟. Credenda est tantum ab eo, cui facta fuit, & non ab aliis. Illud probatur, quia quilibet homo tenetur credere Deo in omnibus, quæ dicit, siue priuatim, siue publice, aliter nolens credere derogatur illius summæ, & infallibili veritati, quod est grauissimum peccatum. Hoc posterius constat, quia homo tenetur solum credere ea, quæ sibi proponuntur ab Ecclesia, non vero ab homine priuato, ideo non peccat dissentiendo articulo sibi proposito à persona priuata, quæ non habet ius obligandi ad credendum, quod in solo Pontifice Romano consistit, & in nullo alio, nisi dependenter ab ipso. 31

An autem regulatum eadem fide specie credendum sit ab eo, cui fuit reuelatum, an alia ratione? Sotus *lib. 3. de natura, & gratia cap. 11. art. 3* dicit, huic speciali reuelationi credi per assensum alterius particularis fidei. Corduba vero cum aliis *lib. 1. quæstione 17. §. 1. dub. 2. §. Alia est opinio*, dicit, hanc credi

credi eodem assensu fidei, quo cæteris creditur Ecclesiæ toti reuelatis, ea ratione, quia omnibus reuelatis à Deo creditur propter testimonium diuinæ veritatis reuelantis, & ita dicendum est, quia fides completur ex obiecto materiali, & formali, quod est complexum ex re reuelata, & prima veritate reuelante; quod deinde sit huic homini priuato facta reuelatio in ordine ad ipsum, vel ad vniuersam Ecclesiam, hoc est consequens ad rationem fidei, cum id potius referatur ad obligationem consequentem, quam ad ipsum esse fidei.

Adhuc dubitatur, quale peccatum sit istius nolentis credere, quod sibi specialiter reuelatum est à Deo? Vega, & Sanch. *lib.2. cap.7. num.32.* asserunt esse peccatum hæresis, quod ab eo incurritur cum suis pœnis, sicut cæteri fideles nolentes credere reuelata toti Ecclesiæ sunt hæretici, & incurrunt pœnas hæreticorum. Ratio est, quia licet Ecclesia non proponat hanc reuelationem ab omnibus credendam, tamen promulgat, ab omnibus credendum esse, Deum esse summam veritatem infallibilem, quam hic homo negat, dum non vult credere reuelationi sibi factæ. Corduba vero *lib.1. q.17. §.2.* negat illud peccatum esse hæresim, ac proinde incurrere pœnas hæreticorum, quia ad hæresim propriè dictam requiritur, quod dissensus sit contra fidem ab Ecclesia propositam ad credendum; hæc autem specialis reuelatio non proponitur ab Ecclesia, ergo ille, cui reuelata fuit priuatim, nolens credere non est hæreticus nec quoad culpam, nec quoad pœnam. Ego puto, hunc esse hæreticum, quia errorem habet in intellectu aduersans directè fidei, nam illud reuelatum habet omnem rationé formalem sibi necessariam, vt sit verè obiectum fidei, cum non careat reuelatione debita. Non incurrit tamen pœnas inflictas ab Ecclesia contra hæreticos, quia istæ imponũtur discredentibus ea, quæ ab Ecclesia promulgata sunt, vt credantur ab omnibus. Ad rationem Vegæ respondetur ex ea inferri tantum, illum esse hæreticum quia reuera discredit rem sibi reuelatam, quamuis ex alio capite non discredat summam veritatem, vt autem quis sit hæreticus & secundum culpam, & secundum pœnam, necesse est, quod neget obiectum sibi propositum ab Ecclesia credendum, iste autem homo, cui specialiter reuelatum fuit aliquid à Deo, discredens illud, est quidem reus culpæ, quia reuelatum non credit, non vero pœnæ, quia ab Ecclesia illi propositum non fuit.

Quæres 6. An omnia mysteria fidei reuelata fuerint à Christo Domine antequam cælum conscenderet suis Apostolis?

32 ℞. Negatiuè, sed successiuè etiam post Ascensionem, nam Ioan. 16. 13. dicitur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Spiritus autem sanctus Discipulos docuit in die Pentecostes, non solum rememorando illis, quæ à Christo audierant, sed de nouo de multis aliis edocti fuerunt, *Omnem veritatem* scilicet eo die scitu necessariam. Quod dico, quia postmodum Deus Petro reuelauit conuersionem Cornelij Act. 10. 10. ad 34. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, operatur iustitiam, acceptus est illi.* Et D. Paulo post vocationem multa fuerunt reuelata, vt ex Cornelio de Lapide asserit Becanus *cap.2. de fide 45. num.7.* qui antecedenti num.6. docet, Spiritum sanctum Apostolos docuisse quatuor
33 modis, *Primò* reuocando memoriæ eorum, quæ à Christo edocti fuerant obliti; *Secundò* explicando clarius quæ à Christo audita non bene intellexerant; *Tertiò* de nouo docendo alia mysteria, quæ nondum audierant; *Quartò* aperiendo illis verum sensum Scripturarum. His modis edocti fuerunt tantum Apostoli, quarto quoque modo Pontifex Romanus, & ab eo dependenter docetur Concilium, illuminando eorum mentem ad intelligentiam Scripturarum pro definitione dubiorum fidei, vt dixi in præcedentibus.

Dices, Christus Ioan. 15. 15. de seipso dicit: *Omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Verisimile autem est, quod Pater docuerit Filium omnia credenda, cum omnia Dei opera sint perfecta, ergo post Ascensionem nihil eos docuit Spiritus sanctus, quod ante ignorarent à Filio. Respondetur, quamuis Filius notificauerit Apostolis omnia, quæ didicerat à Patre, ex hoc tamen non bene infertur, quod Pater Filium docuerit omnia credibilia, quia hoc non exprimitur in Scriptura, imò oppositum colligitur ex allata sententia Ioannis ibi: *Docebit vos omnem veritatem* supple eorum mysteriorum, quæ remanent reuelanda successione temporis. De prædicatione, & promulgatione Euangelij facta per Apostolos docui capite 3. quæstione 48. & hic supra quæstione 4.

Fidem ergo à Christo edocti fuerunt Apostoli, & per Apostolos Ecclesia Dei instructa fuit, adeo quod illa postmodum in eadem Ecclesia non creuit, nec variata fuit, sed eadem mysteria fidei quoad substantiam semper fuerunt eadem ex veritate Catholica, vt omnes docent cum S.Thoma *2.2.q.1.a.7.*

Quæres 7. An veritas ita sit intrinseca fidei, vt illi non possit subesse falsum?

℞. Est infallibilis veritatis. Paulus 2. ad Thessal. 34
2, 12. *In fide veritatis.* Ioan. 8. 14. in persona Christi: *Verum est testimonium meum.* Est autem hoc testimonium de fide Euangelij, idem Ioan. 21. 24. *Et scimus, quia verum est testimonium eius.* Ad Galatas 2. 5. *Et veritas Euangelij permanet.* Ad Coloss. 1. 5. *In verbo veritatis Euangelij.* Ratio est, quia illius auctor est Deus, prima, & summa veritas, fons, & origo omnis veritatis, qui ignorat falsitatem, quam nunquam nouit exercitio sui intellectus in seipso. Id ergo est de fide, Diuus Thomas 2. 2. quæstione 1. art. 2.

Quæres 8. An fides sit vna, sancta, Catholica, & Apostolica?

℞. Fides habet illa quatuor prædicata sibi intrin- 35
seca de fide credenda, de singulis probatur.

Vna est fides. Paulus ad Ephes. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Infra num. 13. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei.* Idem 1. ad Corinth. 1. 10. *Obsecro vos Fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, vt non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Fides igitur est vna non solum vnitate auctoris, qui est Deus, sed etiam vnitate sensus, intelligentiæ, & sententiæ, in quam omnes conuenire habent, quia eius articuli, & propositione non patiuntur diuisionem opinionis, cum sint cognitiones certæ, veræ, & infallibiles nullam admittentes diuersitatem in sensu, & intelligentia. *Confirmatur* id, quia fides explicatur per collectionem multarum propositionum, quæ omnes in ratione veritatis, certitudinis, & infallibilitatis conueniunt sub eadem formali ratione vnius primæ veritatis Dei reuelantis, ita quod impossibile est illam diuidere quoad auctorem, & veritatem, vnde implicat, quod vna ex fide propositio sit simul vera, & falsa, quia veritas, & falsitas ita ad inuicem se habent, quod vnum destruit, & expellit alterum ab eodem subiecto. Quare si de fide est, prout est, quod Deus est vnus, & trinus, implicat omnino eius contradictoria. Concluditur ergo quod fides suam vnitatem sumit ab auctore, & veritate, quæ non patitur diuisionem opinionum, nec varietatem sensuum.

Sancta est fides, definitur. Rom. 7. 12. *Lex quidem*

sancta. Item infra 11. 16. *Si radix sancta, & rami*. Iudæ 20. *Superædificantes nosmetipsos sanctissimæ fidei nostræ*. Psalm. 18. 8. *Lex Domini immaculata conuertens animas*. Nomine legis venit fides, hæc enim explicatur in lege diuina in libris Canonicis contenta. Fides autem sancta est ex triplici capite, sanctitate auctoris, sanctitate obiecti, quia radix omnis nostræ iustificationis, iustitiæ, & sanctitatis, atque sanctitate subiecti, quia per eam homines sanctificantur, nam iustus ex fide viuit, iuxta inferius dicenda.

36 Catholica est fides, nam illud vocatur Catholicum, quod est vniuersale, & communicabile pluribus, imò omnibus, sed fides est huiusmodi, propter necessitatem salutis, impossibile enim est Deo placere sine fide, quia autem Deus vult omnes homines saluos fieri, ideo fidem suam fecit vniuersalem, & communicabilem omnibus ratione prædicationis Marci cap. fin. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Ad Roman. 1. 8. *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo*. Quod sit Catholica & communis omnibus testatur Paulus scribens ad Titum 1. 4. *Tito dilecto filio secundum communem fidem*. Fides igitur secundum quod est Catholica, hoc est, communis, & necessaria ad salutem ab omnibus hominibus amplectenda est, aliter nouam introducentes, vel ab hac diuersam tenentes, fides vera, nec Catholica est, sed fidei destructio, & perditio animarum.

Apostolica demum fides est. Vocatur Apostolica, quia per Apostolos primum publicata, & prædicata fuit omnibus populis, vt notum est, à prædicatione igitur, & promulgatione eius nuncupatur Apostolica, nam Apostoli fuerunt præcones Euangelij per vniuersum orbem in salutem omnium.

Quæres 9. An obscuritas sit de ratione fidei?

37 ℞. Affirmatiuè de fide ex Apostolo ad Hebr. 11. Fides est substantia rerum sperandarum argumen-
38 tum non apparentium. *Est substantia*, id est, principium, fundamentum, & origo *rerum sperandarum*, quæ sunt Deus, Incarnatio, Gratia, Gloria, & cætera mysteria, quæ speramus videre in patria cælesti, hæc sunt obiecta fidei nostræ, quæ in hac vita credere, & sperare debemus. *Argumentum non apparentium*, Id est, cognitio, & notitia dictorum sperandorum nobis non apparentium, quia earum cognitionem sensibilem, neque euidentem habemus, sicut rerum sensibilium visibilem & apparētem notitiam tenemus. Ea igitur, quæ pertinent ad fidem scimus, & credimus non vlla humana ratione, aut obiecto, quod possit sensibiliter mouere intellectum nostrum ad assensum, sicut faciunt sensibilia, quæ mouent nostrum intellectum ad sui cognitionem, eo quod nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, qua ratione hæc sensibilia dicuntur sciri apparenter, & euidenter, sed illa alia ratione sciuntur, nempe ex diuina reuelatione creduntur; mouetur ergo intellectus non ab obiecto vt fit in his naturalibus, sed à prima veritate reuelante ad credendum ea, quæ homo sperare debet obtinenda in patria; & hac ratione fides dicitur obscura, id est, de obiecto, & re, quæ videri non possunt in hac vita clare, & euidenter, ad quod facit illud 1. ad Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, id est, obscurè, *tunc autem facie ad faciem*. D. Augustinus hoc confirmat tract. 40. in Ioan. illis verbis: *Quid est fides? Nisi credere, quod non vides*. Diuus Thomas. *Quod non vides, animosa firmat fides*. Homo igitur in via nunc habet fidem de mysteriis diuinis, postea in patria habebit scientiam, & visionem. Beata Virgo, & Apostoli de Christo habuerunt cognitionem visiuam quatenus homo cognitionem fiditiuam, quatenus est Deus, nunc vero in patria solum visiuam. Viderunt ergo Hominem, quem Deum crediderunt. S. Thomas 2. 2. *quæst*. 1. *art*. 4. Scotus *in* 3. *distinct*. 24 *q*. 1.

Idem articulus fidei potest esse obscurus, & clarus 39
per diuersos actus, & media, vt credo Deum esse causam omnium, quia ipse id reuelauit. Scio similiter, eundem Deum esse causam omnium, quia omnia ab eo dependent, ita quod dandum est vnum primum est, quod à se est, & ab eo sunt cætera omnia. Patet id etiam in naturalibus exemplo Ecclypsis, quæ à me credi potest alicui narranti, & simul videri propriis oculis. Nec obstat, quod claritas, & obscuritas se inuicem excludunt, quia id verum est respectu eiusdem medij, quo non potest credi, & sciri idem obiectum. Vide D. Thomam 2. 2. quæst. 1. art. 5. Scotum in 3. distinct. 24. q. 1. Becan. de fide cap. 1. q. 3. num. 3.

Quæres 10. An fides sit virtus? An illi competat definitio virtutis traditæ ab Aristotele? & sub qua specie virtutis collocanda sit?

℞. Fides est prima virtutum Theologicarum. Illi 40
competit definitio, quam de virtute tradidit Aristoteles; & potest dici intellectus, Sapientia, & Scientia, vt de singulis infra apparebit.

Primum, quod fides sit virtus & quidem prima Theologica de fide tenendum est ex Apostolo 1. Corinth. cap. 13. 13. vbi eam primo loco connumerat tanquam reliquarum duarum originem, ipsa enim initium, fundamentum, & radix est omnis iustificationis, ex Tridentino sess. 6. cap. 8. parum enim refert sperare, & diligere sine fide, quia sine hac nemo potest placere Deo ad Hebr. 11. 6. Fides igitur anteponitur Spei, quia eius est substantia, & fundamentum, & præponitur charitati, quæ hominem iustificat, non quouis modo, sed existentem fidelem; *Iustus enim ex fide viuit* ad Roman. 1. 17. Demum fides est id, quo primum homo de non Christiano fit Christianus, iuxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere*.

Fides virtus est supernaturalis. Tum quia naturæ 41
humanæ ex se debita non est, sed supra illius conditionem, ergo illi supernaturalis est. Tum quia inclinat hominem eam habentem ad actus supernaturales credendi speranda, quæ humanas vires excedunt, ergo supernaturalis est. Tum quia totum suum esse habet à Deo, qui eam nobis sine nobis infundit, vt patet in paruulis baptizatis.

Fides etiam informis, id est, sine charitate, qualis 42
dicitur esse in eo, qui est in peccato mortali, adhuc est virtus. Probatur, quia, vt mox dicam, virtus dicitur perficere habentem, vt opus suum reddat bonum sub illo genere; certum autem est, fidem ex se præscindendo à charitate hominem perficere, cum illum licet peccatorem inclinet ad optimam operationem, quæ est credere mysteria fidei, non enim homo iustus tantum, sed etiam peccator elicit actus fidei, qui in substantia suæ bonitatis trahuntur ab ipsa fide. Fides ergo quatenus inclinat baptizatum ad eliciēdos actus credendi, habet rationem virtutis spectantis non solum ad intellectum, cuius est elicere, & producere fidem actualem cum ipsa, sed etiam ad voluntatem obedientem Euangelio, cuius est ex pio affectu intellectui imperare productionem huiusmodi actuū, tempore, & loco, quibus fides est profitenda, & protestanda à fidelibus cogitatione, verbo, & opere. D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 5. cum Magistro *in* 3. *dist*. 23. negat ratione virtutis fidei informi cum nimirum homo existit in peccato mortali, requirunt enim duo in fide, vt virtus dicatur, nimirum vt pendeat à diuina reuelatione ex parte intellectus, & à charitate ex parte voluntatis vt eius actus ordinentur ad Deum tanquam vltimum finem. Sed hoc posterius non est necessarium, sufficienter enim actus fidei ordinantur ad Deum cum sint de obiecto supernaturali etiam ab homine peccatore.

peccatore. Restat solum in hoc casu, quod tales actus non sint meritorij defectu gratiæ.

43 Secundum, quod fidei competat definitio virtutis traditæ ab Aristotele. Probatur. Aristoteles 7. *Physic. text.* 17. & alibi, Virtutem definit, quod sit dispositio perfecti ad optimum, id est, quædam qualitas, quæ hominem illam habentem disponit ad optimam operationem, inclinat enim intellectum ad eliciendam operationem conformem rei, circa quam versatur. Nulli autem dubium est, hanc definitionem competere fidei diuinæ, cum hæc disponat hominem Christianum illam habentem ad optimam operationem, qualis est actus credendi diuina mysteria. Nec obstat, quod virtus ab Aristotele definita sit naturalis, & acquisita, aliam enim ipse non agnouit destitutus lumine supernaturali, fides vero sit virtus supernaturalis, infusa, quia adhuc ea definitio illi competit, cum ab Aristotele tradatur per rationes generales, quæ communes sunt vtrique speciei virtutis tam naturalis, quam supernaturalis, vt patet, nam vtraque est dispositio perfecti ad optimum.

44 Virtus à Philosopho 6. Eth. cap. 2. diuiditur in quinque species, quæ sunt Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars. Intellectus principiorum versatur circa præmissas demonstrationis per se notas ex euidenti connexione extremorum, ita quod non egent probatione, vt earum veritas manifestetur, de quib. fuse primo Posteriorũ. Sapientia versatur circa cognitionem principiorum vniuersalissimorũ, & causarũ altissimarum, quam vocant Metaphysicam. Scientia est cognitio vera, certa & euidens rei necessariæ

45 per demonstrationem acquisita, quam ideo vocant discursiuam. Dicitur vera prout opponitur errori, & id est commune Intellectui, & Sapientiæ, hæ enim tres virtutis intellectiuæ species sunt cognitio non solum vera, sed etiam certa, & sic vocantur prout opponuntur opinioni, quæ licet sit cognitio, imò & vera, quatenus non est error, tamen non est certa, sed incerta, cum sit assensus vnius partis cum formidine

46 oppositæ. Scientiæ autem certitudo est firma adhæsio intellectus obiecto intellecto, quod iudicat ita esse, sicut reuera est à parte rei. Dicitur euidens, id est, manifesta, & clara, quia est de obiecto, quod tale se ostendit sicuti est à parte rei. Et in hoc distinguitur à cognitione fidei, quæ licet sit vera, immò verissima, quia illi subesse non potest falsitas ex q. 7. certa, imò certissima propter suam infallibilitatem ab auctore prima veritate, cui nihil latet, sed ante eius oculos omnia sunt certissima; non est tamen euidens, & cla-

47 ra, sed obscura, quia sub sensum non cadit. Euidentia autem cognitionis naturalis est illa, qua intellectus clarè cognoscit. Desumitur hoc nomen à videndo similitudine deducta à potentia visiua, quæ suum obiectum clarè, & manifestè, atque distinctè percipit melius aliis sensibus, quare cognitio tunc dicitur euidens, quando intellectus clarè, & manifestè percipit suum obiectum, sicut oculus distinctè videt sensibile coloratum. Euidentia autem oritur tam ex specie obiecti perfectè repræsentati, tunc ex connexione terminorum inter se immediatè cognitorum; tunc ex principio actiuo, vt visio beata ex lumine gloriæ. Illud obiectum dicitur euidenter cognoscibile, quod est sensibile vel in se, vel in suis speciebus, vel in suis effectibus. Prædictis caret fides, quia eius obiectum nullas habet species, per quas repræsentetur cognoscibile intellectui; nec termini ex se ipsis connexionem habent ad inuicem, vt quod vnum sit tria, quod sub speciebus consecratis sit Christus, hæc & similia nullam connexionem ad inuicem habent ex seipsis, per nullam speciem, aut effectum repræsentantur nostro intellectui, sed solum creduntur, quia à Deo dicta sunt nobis vt vera, & in hoc consistit obscuritas fidei, quæ non potest fieri clara defectu specierum, & sensibilis connexionis terminorum.

Prudentia est habitus cum recta ratione actiuus; 48
seu est virtus, qua intellectus regulat operationes voluntatis. Ars demum est habitus cum recta ratione factiuus. Seu est virtus intellectus regulantis potentiam motricem in suis operationibus.

Constat ex his fidem non esse artem, neque prudentiam, cum non sit circa factibilia, neque agibilia, sed circa credibilia per operationem intellectus immanentem. Potest vero fides vocari Intellectus. Prin- 49
cipiorum in eo, quo eius propositiones tanquam certissimæ assumuntur ad probandas conclusiones Theologicas, quæ si sunt scientificæ nituntur præmissis de fide, immò conclusiones sic deductæ ex se ipsis præscindendo à ratione Conclusionis, & ipsæ sunt de fide, vt dicam suo loco. Fides dici etiam potest Sa- 50
pientia in eo, quod illa versatur circa altissimas causas, cum agat de Deo, & eius mysteriis; atque ita eam vocat Paulus 1. Corinth. 2. ℣. *Loquimur Dei Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.*

Tertium, quod sit scientia, explicatur, & simul 51
probatur, nam Intellectus, Sapientia, & Scientia hoc commune habent, quod sunt cognitio, vera, certa, & euidens, de obiecto necessario saltem quoad connexionem extremorum inter se in propositione. Differunt vero, quod Intellectus habet rationem principij productiui conclusionis, ex quo dicitur Scientia discursiua, hæc ergo est effectus illius. Sapientia vero modo rationem Intellectus, modo discursus formam habere potest, solum in eo differens, quod est circa prima principia, & altissimas causas. Itaque si comparamus ea cum fide, apparet ex supradictis, eam dici posse Intellectum & Sapientiam. Remanet difficultas de scientia, de qua tamen certum est in comparatione ad fidem, quod ambo conueniunt in tribus, nam fides sicut & scientia est cognitio, vera, certa, & de 52
obiecto necessario, fides ergo à se excludit alia duo, nempe Euidentiam, & Discursum, quæ insunt Scientiæ Aristotelicæ. Quod Fides sit cognitio patet, quia est assensus intellectus; quod sit vera non est dubitandum, fidei enim non potest subesse falsum; quod sit certa notum est ex eo, quod in certitudine omnem 53
cognitionem excedit naturalem, hæc enim oritur ex connexione obiectorum, quæ possunt quandoque humanum intellectum decipere; fidei vero cognitio immediatè à Deo nobis proponitur, qui ex sua infinita bonitate, & sapientia fallere, nec falli potest, eius ergo certitudo immediatè est à Deo, cuius testimonium est infallibile, irrefragabile, immutabile, & inuariabile, vnde Ioan. Epist. 1. cap. 5. 9. dicit, quod maius est testimonium Dei, quam hominum. De certitudine fidei dicitur Eccli 19. 22. *Qui emittit verbum certum.* Fidei ergo cognitio excedit omnes alias cognitiones in veritate, certitudine, & necessitate connexionis extremarum propositionum de fide, quia cognitio huiusmodi hunc excessum immediatè habet à Deo, qui propositionibus de fide tribuit veritatem, certitudinem, & connexionem. In hoc ergo fides est scientia, & quidem supernaturalis, & excelsior qualibet scientia humana.

Dicendum igitur est, Sacram Theologiam tam ex 54
parte Principiorum, quam conclusionum habere rationem scientiæ propriè dictæ, & fidem rectè dici posse Intellectum principiorum, & Theologiam scientiam discursiuam collectam ex principiis fidei tanquam mediis intrinsecis, & præmissis. Id totum probatur, ostendendo allatam definitionem scientiæ, qua dicitur cognitio vera, certa, & euidens de obiecto vniuersali & necessario non conuenire scientiæ vt scientia est propriè accepta in tota sua latitudine, sed eam esse definitionem scientiæ naturalis, & in

specie subalterna; nam ea ab antiquis tradita fuit lumine naturali intellectus tantummodo ductis, iuxta exigentiam,& conditionem rerum,quæ cum ad sensum paterent, ideo earum cognitionem vocauerunt euidentem, cum innotescerent ex euidẽtia terminorum. Quod si notitiam desuper habuissent Fidei, & Theologiæ,absque dubio alia ratione latiori, & ampliori definiuissent Scientiam communem naturalibus, & super naturalibus, dicendo: *Scientia est cognitio*
55 *intellectiua, vera, & certa de obiecto necessario.* Quæ definitio sine dubio conuenit non solum scientiæ naturali, sed etiam Fidei, & Theologiæ, vtraque enim est cognitio intellectiua,vera,& certa de obiecto necessario,Fides quidem Intellectus principiorum continens præmissas veras, & certas inducentes conclusionem Theologicam. Scientia igitur Theologica est discursiua, non item fides, quæ habet tantum rationem principij cognoscendi conclusiones, ne detur processus in infinitum in principiis productiuis sciẽ-
56 tiæ discursiuæ. Itaque scientia propriè dicta superius definita tanquam genus diuiditur in naturalem, de qua in Philosophia,& supernaturalem,vt in suas species,ad quas illud contrahitur per euidentiam, & ineuidentiam, seu obscuritatem, quæ sunt differentiæ diuisiuæ huius generis. *Scientia*,& constitutiuæ dicta-
57 rum specierum. Ex quo patet Euidentiam non competere scientiæ vt sic in tota sua latitudine,& in genere,nulla enim differentia,quæ est diuisiua generis, prædicatur de illo, sed tantum de illa specie, quam constituit contractione generis ad eandem, vt patet exemplo *Rationalitatis*, quæ est differentia diuisiua generis *Animal*,de quo non prædicatur, & constitutiua speciei *Homo* contractione *Animalis* ad ipsum; neque enim rectè dicitur *Animal est rationale* si enim Animal vt sic esset rationale, nullum daretur animal irrationale, contingit ergo rationalitas animali, ac proinde ea propositio indefinita vti contingens resoluitur in particularem hoc modo. *Aliquod animal est rationale.* In proposito dici non potest rectè, quod Scientia vt sic est euidens,est obscura,nam sunt differentiæ illam vti genus diuidentes, Euidentia quidem constituens scientiam naturalem, Ineuidentia vero, seu obscuritas constituendo supernaturalem Fidem, & Theologiam.

58 In confirmationem prædictorum placet referre, & corrigere definitionem traditam à Boëtio, qui Personam sic definiuit. *Persona est indiuidua rationalis naturæ substantia.* In hac definitione *Personæ* per illam particulam *Rationalis naturæ*, excluditur ratio *Personæ* à diuinis,& nihilominus huiusmodi ratio in diuinis propriissimè accipitur à Sanctis Patribus, & ab omnibus Theologis. Corrigenda igitur est ea definitio,& Persona in tota sua latitudine,& propria significatione explicanda his conceptibus. *Persona est substantia indiuidua incommunicabilis naturæ intellectualis.* Hoc modo ratio Personæ conuenit Deo, Angelis, & hominibus. Sicut ergo corrigitur definitio Personæ à Boëtio restricta,eam ampliando,& communem faciendo increatis,& creatis,ita definitio scientiæ vt superius exposita fuit, accipienda est in tota sua latitudine; & sicut ampliata definitio competit propriè Personæ qua talis in tota sua latitudine, ita communis definitio scientiæ competit propriè in tota sua latitudine,neque enim assignari potest differentia,quæ humanum intellectum inducere possit ad dicendum oppositum, cum omnimoda paritas in vtrisque sit ex natura singulorum bene ad inuicem comparatorum.

Dices primo de ratione scientiæ propriè acceptæ est euidentia, & quod sit discursiua, quibus duobus caret Fides,&Theologia saltem priori. *Secundò*,scientia est de obiecto vniuersali;Fides autem & Theologia est de Deo, quod est ens singularissimum nullatenus vniuersale. *Tertiò*,scientia procedit ex propriis, & intrinsecis principiis, fides autem ex causis extrinsecis, nimirum ex diuina auctoritate, quæ non est de ratione essentiali rerum reuelatarum, ideo eius obiectum dicitur credi,& sciri. *Quartò*, Fides,& Theologia non sunt propriè & vniuoce scientia,sed tantum Analogicè, cum non participent omnes conditiones scientiæ,sed tantum aliquas,nempe quod sint cognitio vera, & certa de obiecto necessario, non tamen euidens, neque ex medio intrinseco, sed tantum extrinseco.

Respondetur *Primò*,rationem Euidentiæ esse propriam differentiam scientiæ naturalis,vt dictum fuit, ideo à Fide,& Theologia non tollit veram rationem scientiæ, quæ vt sic præcisè consistit in cognitione vera, & certa de obiecto necessario. Ratio vero discursus competit Theologiæ quatenus eius conclusiones deducuntur ex principiis fidei.

Secundò obiectum Scientiæ in tota sua latitudine 59
sufficit quod sit necessarium necessitate coniunctionis extremorum inter se præscindendo à ratione vniuersalis,vel singularis, quæ sunt extra rationem scientiæ vt scientia est. In scientiis naturalibus ideo obiectum debet esse vniuersale, quia de corruptilibus, vt sunt naturalia,non datur scientia;Deus autem cum sit incorruptibilis, & ens necessariissimum, consequenter de eo esto singulari datur propriissimè scientia.

Tertiò respondetur, illam rationem,quod scientia 60
procedat ex propriis esse peculiarem scientiæ discursiuæ, ac proinde competere etiam Theologiæ, non vero eius principiis, quæ sunt scientia, & principia cognoscendi conclusiones. Do exemplum. Omne ens increatum est Deus;sed Pater est ens increatum,ergo Pater est Deus. Hæc conclusio est scientia Theologica discursiua, deducta ex præmissis, quarum medium inest vtrique extremo,propter quod medium eadem extrema inter se sunt coniuncta. Istæ tres propositiones spectatæ in seipsis & veræ sunt, & intrinsecam habent connexionem ex natura rei,consequenter ex præmissis infertur conclusio, in ratione tamen fidei singulæ per se spectatæ extra formam syllogisticam non cognoscuntur, nisi per medium extrinsecum diuinæ auctoritatis reuelantis, adeo quod non requiritur in illis discursus,cum omnis propositio de fide nitatur principio extrinseco diuinæ auctoritatis sine discursu. Vel dic etiam procedere ex propriis in eo sensu, quod prima veritas reuelans est ratio formalis cognoscendi obiectum materiale fidei, quod constituit in ratione fidei, sicut proportionaliter rationalitas constituit hominem; & adeo prima veritas reuelans est propria ratio constitutiua fidei,vt per nullam aliam rationem dicatur constitui in suo esse.

Quarto obiecto respondetur, rationem scientiæ 61
propriè dictæ quatenus est cognitio vera,& certa de obiecto necessario conuenire vniuocè scientiæ naturali, & supernaturali, cum supradictus conceptus compositus ex illis tribus veritate, certitudine,& necessitate communis æqualiter sit vtrique scientiæ naturali, & supernaturali quatenus in genere, de quo prædicatur sine vlla limitatione, reperitur, & communicatur vtrique speciei,in quibus retinet suam rationem formalem, sub qua prædicabatur de genere vt sic,non enim diuersificatur,sed in illis idem manet sicut ipsum genus,cuius est essentia. Confirmatur id
ex absurdis,quæ sequerentur,si ratio scientiæ Fidei,& 62
Theologiæ conueniret analogicè, nam Theologia esset minus scientia, quam scientia naturalis,eo quod minus de conditionibus, & rationibus scientiæ participaret, quam faciant aliæ scientiæ, quæ adæquatè habent rationem eius. Deinde Theologia esset analogatum minus principale sub scientia analogante,

quod

quod quoque dicere absurdum est, ob eius excellentiam, cum omnes alias scientias excedat in veritate, certitudine, & necessitate obiecti propter specialem sui rationem, qua diuina auctoritate præcellit alias in
63 illis tribus perfectionibus. Demum ratio Euidentiæ non facit, vt scientia naturalis excedat supernaturalem respectu obscuritatis, quia respectu neutrius comparari possunt ad inuicem ratione defectus communis qualitatis, neque enim Euidentia, nec obscuritas vtrique communicantur, sed alterum alteri tantum, ex quo non potest fieri comparatio in vtroque ea enim supponit comparabilia ad inuicem esse capacia eius qualitatis, in qua essent comparanda secundum magis, & minus.

Quidam volunt, Theologiam esse scientiam etiam respectu Euidentiæ, quia & si euidentiam non habet ex obiecto, eam tamen habet ex parte formæ syllogisticæ, quod sufficit. Sed contra, quia Euidentia desumitur ex conditione, & natura ipsorum terminorum clarè, & distinctè repræsentatorum potentiæ intellectiuè, & non ex forma syllogistica, quæ est quid extrinsecum non inducens euidentiam, sed illam supponens in terminis, in quibus clarè apparet connexio, vel disiunctio eorum inter se. Quare infertur, Fidem esse cognitionem veram, & certam de obiecto necessario, ac proinde in hoc sensu scientiam propriè acceptam non tamen in se discursiuam, sed producentem discursum dictum scientiam Theologicam discursiuam.

Quæres 11. An fides sit donum Dei?

64 ℞. Affirmatiuè de fide Sapient. 3. 14. *Dabitur enim illi fidei donum electum.* Quia illud est donum, quod in dante nullam supponit obligationem, sed ipse ex mera sua liberalitate donum confert, cui vult; sed Deus nullam habet obligationem dandi fidem hominibus, sed id facit ex mera eius liberalitate, ergo fides, quæ hominibus datur, donum Dei est. Fides igitur est donum Dei adæquate, & ratione causæ, quia est à Deo, à quo est omne donum descendens a Patre luminum, & ratione obiecti, quia huius doni reuelatio est à prima veritate; & ratione effectus, quia hoc ordinatur ad actum credendi, qui supernaturalis est à Deo procedens.

65 Quæres 12. An fides perpetuo duratura sit vsque ad finem mundi?

℞. Affirmatiuè de fide Eccli 40. 12. *Fides in sæculum stabit*, ad Coloss. 1. 23. *In fide fundati, & stabiles, & immobiles.* Istam stabilitatem, & immobilitatem tribuit fides fidelibus. Tobias 2. 18. *Et vitam illam expectantes, quam Deus daturus his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Deus successiuis temporibus dat vitam æternam, ergo successiuè in illis, quos glorificat, conseruat fidem, vt per eam lucrentur mediantibus bonis operibus vitam æternam; in electis suis fides reperitur, ex illis autem multi erunt in fine mundi, iuxta illud Marci 13. 20. *Sed propter electos, quos elegit breuiauit dies*, qui sine fide esse non poterunt, ergo in fine sæculi durabit fides. Et de Petro, & eius successoribus dicitur Lucæ 22. 32. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Isti autem vsque ad finem mundi successiuè sunt duraturi, & cum illis fides, quos derelinquere non potest. Fides igitur indeficienter durat perpetuo, siquidem cum ea sit necessaria ad salutem hominum, qui duraturi sunt vsque ad finem mundi, necesse quoque est, vt pro illis hoc illis hoc fidei remedium in Ecclecelsia perseueret vsque ad consummationem sæculi. Confirmatur id auctoritate Patrum, S. Marcus Papa in Epist. ad Athanasium id firmat his verbis: *Sancta Romana Ecclesia, Beato Petro opem ferente, sine vlla hæreticorum insultatione firma, & immobilis omni tempore persistet.* Insultatio igitur hæreticorum, qui fidem tollere conantur suis falsis dogmatibus, non potest quidquam contra fidem, quæ firma, & immobilis est. Bernardus Epist. 190. ad Innoc. Papam. *Huius Sanctæ Sedis prærogatiua hæc est, vt ibi fides non possit sentire defectum.* Fides ergo indefectibilis est in se, in capite, & in membris, vsque ad consummationem sæculi.

Quæres 13. An fides licet sit indefectibilis, ita tamen minui possit, vt in vno tantum remaneat?

℞. Fides reduci non potest in vno solo, sed sem- 66
per, & vsque ad finem mundi vigebit in multitudine hominum. Probatur, quia de ratione fidei est, vt sit indefectibilis perfectissimè, ex mox dictis; talis autem non esset, si posset reduci ad vnum in vno, cum & ab eo facilè euanescere posset aliorum infidelium subuersione, ideo Deus continuè homines in fide innumerabiliter conseruat, ne possit defectum pati. Confirmatur, quia Ecclesia à Christo fundata fuit in duodecim Apostolis, vnus discessit Iudas, reliqui fidem conseruarunt, iuxta quod probaui cap. 3. q. 20. in morte Christi, & post Resurrectionem cum multis aliis tum viris, tum mulieribus, quæ Christum sequebantur; si ergo tunc ab initio Ecclesiæ fides in multis, & quamplurimis conseruata fuit, à fortiori successiuè adeò multiplicata fuit, & continuè augetur, propter hoc reduci non potest ad
paucos. Nec his obstat, quod dicit D. Bernardus, 67
fidem in sola Virgine in morte Christi remansisse, quia intelligendum id est, quoad excellentiam, & intentionem perfectionis. Deinde, Ecclesia, in qua fides conseruatur, & exercetur est Congregatio fidelium, quæ duratura est vsque ad consummationem sæculi, ita quod sublata Ecclesia militante tollitur fides; Congregatio autem ex vno constare non potest, sed ex pluribus, vnus enim seipsum congregare non potest, aliis non extantibus, ergo neque fides ad vnum, neque alterum reduci potest. Ecclesia habet rationem ouilis, quod constat ex Pastore, & pluribus ouibus; in fine mundi oues vnientur cum ouibus Ecclesiæ triumphantis, iuxta illud: *Fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Necesse ergo est, vt fides semper sit in pluribus.

Et quod Ecclesia de facto conseruet fidem in multitudine gentium probatur ex Sacra Scriptura Exodi 19. 9. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat sibi in perpetuum.* Dominus Deus legem daturus populo suo per seruum Moysen, venit ipse ad Moysen non Moyses ascendit in cœlum ad Dominum, vt in tradenda lege populus audiret Deum loquentem Moysi ad hoc vt perpetuo crederet, Moysen accepisse à Deo legem continentem mysteria fidei, vt simul crederent Deo tanquam reuelatori, & legislatori, Moysi vero vti summo Pontifici, & promulgatori legis. Populus ille, & Moyses mortui sunt. Quomodo ergo illi in perpetuum credent? Certè nomine illius populi Israelitici figurabatur populus Christianus, & nomine Moysis Pontifex Romanus, cui non vnus fidelis, nec alter credit, sed populus totus Catholicus, qui ferè infinitus est in perpetuum credet perpetuitate successionis vsque ad consummationem sæculi. Ioannes cap. 17. 21. *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & tu ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.* Sicut in diuinis Pater, & Filius sunt vnum in essentia, ita fideles sunt vnum in credendo omnia mysteria fidei sub vnitate vnius primæ veritatis; mundus autem hæc crediturus in vno saluari non potest, quia constituitur ex multitudine hominum infinita, ergo fides ad vnum, vel alterum diminui non potest; non enim Scriptura sine causa vtitur

vocibus

vocib. *populi*, & *mundi*, quæ in singulari multitudinem sine numeri definitione significant, ad indicandum, fidem in multitudine hominum semper vigere. Vide Abulen. id probantem in primo prologo super Euangelia quæst. 13. quem pro se citat Corduba quæst. 1. lib. 4. §. Hinc sequitur secundo, dum dicit, Ecclesiam in vno manere non posse, aut duobus, ergo nec fides, quæ extra Ecclesiam non reperitur.

Quæres 14. An assensus fidei, seu credere sit initiatiue à Deo, an à nobis tantum?

68 ℞. Initium non solum primi actus fidei, quo homo infidelis ad fidem conuertitur, sed cuiuslibet alterius iam fidem habentis est à Deo ex speciali eius auxilio gratiæ præuenientis, & vocantis hominem, quem allicit, & eleuat, vt possit cum ipsomet Deo credere quodlibet fidei mysterium, adeo quod Deus facit, vt assensum præstemus fidei, & simul cum illo operemur. Probatur per Ierem. 31. 18. *Conuerte me & conuertar.* Homo autem propriè dicitur conuerti, cum ab infidelitate derelicta cœpit credere, id autem incipere non potest homo nisi prius vocetur à Deo, qui in eo incipiat conuersionem ab infidelitate in fidelitatem. Vnde Isaia 26. 12. de omnibus nostris operationibus idem docet, eas à Dei auxilio habere initium his verbis: *Omnia opera nostra operatus es in nobis*, quod Ioan. 15. 5. confirmat. *Sine me nihil potestis facere.* Si nihil, ergo neque incipere, sine quo factum non existit, si caret principio, quod solius Dei proprium est. Initium credendi esse à Deo habetur Eccli 25. 16. *Timor Dei initium dilectionis eius, fidei autem initium agglutinandum est ei.* Sicut timor Dei est initium dilectionis eiusdem, ita initium fidei procedit ab auxilio Dei, cui coniungitur. Quod adhuc Clarius colligitur ex Marco 9. 23. quidam enim de turba incredulus, cuius Filius à Christo fuit liberatus à vexatione dæmonis, petiit ab eodem Domino initium suæ credulitatis, dum dixit. *Domine adiuua incredulitatem meam*, id est, fac me incipere credere, quod viribus meis credere non possum. Hoc autem de fide credendum est definitum in Conciliis Arausicano secundo can. 5. & 7. Mileuitano can. 4. & in Tridentino sess. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Pari passu hæc quatuor currunt, vt ab homine nullatenus haberi possint, nisi ex præueniente gratia interiore, & Dei speciali auxilio Dei igitur auxilium ad hæc quatuor necessarium est, in quo duo spectantur, vnum in ordine ad actus credendi, sperandi, &c. quod scilicet isti actus sint opportuni, id est, eliciti ex motiuo formali supernaturali primæ veritatis reuelantis respectu fidei; ex motiuo æternæ beatitudinis Dei glorificantis, & beatificantis, &c. Isti igitur actus dicuntur opportuni, quando ab homine eliciuntur in ordine ad suam supernaturalitatem; vnde si quis credit ex humana auctoritate, seu ex alio motiuo opinatiuo, in quibus potest subesse falsum, eius credulitas non est legitima, neque opportuna, cum deficiat in ratione formali, ideo actus huiusmodi non sunt fidei Christianæ neque Romanæ Ecclesiæ, neque supernaturales, sed naturales, & humani, de quibus Concilia non agunt. Alterum quod spectatur est, vt isti actus, qui præueniuntur, & adiuuantur à Dei gratia, sint ordinati ad iustificationem, sicut enim iustificatio vti quid supernaturale, quia excedit vires naturæ, à solo Deo est, ita illi actus debent esse supernaturales mediante speciali auxilio Dei, vt opportuni sint ad iustificationis gratiam. Ratio igitur, quare initium fidei sit à Deo vocante, inchoante, & cooperante cum homine consentiente & operante cum Deo, qui allicit hominem ad consensum, est, quia homo per proprias vires etiam iustus, & volens non potest attingere aliquem actum supernaturalem credendi, sperandi, &c. ergo necesse est, quod per gratiam præuenientem excitetur, vocetur, & speciali auxilio eleuetur à Deo inchoante, vt cum ipso operari valeat tales actus excedentes eius vires. Et ita tenent ex necessitate fidei omnes Catholici cum D. Aug. *lib. de dono persever. cap.* 17. & 19. & *in lib. de Spiritu, & littera cap.* 31. & 32. S. Prosper. *lib. 1. de vocat. Gentium, quos cum aliis citat* Didacus Aluarez Archiepiscopus Tranensis *lib. 3. cap. 7. de auxiliis diuinæ gratiæ.*

Pro perfecta prædictorum intelligentia notandum est, Deum & hominem elicere, & producere huiusmodi actus credendi, sperandi, &c. simul simultate temporis, non vero simultate naturæ, seu causalitatis, nam Deus prior est in operando, ipse enim efficit, vt homo libere se determinet ad consensum, & operationem, adeo quod primum esse consensus, & operationis humanæ est effectus diuinæ vocationis, & auxilij, ex quo sequitur in priori causalitatis Deum in nobis operari sine nobis, quia homo non mouet Deum, sed Deus hominem, ideo in hoc se posterius habet; nihilominus simultate temporis ambo operantur, quia homo in vocatione non habet se mere passiuè, sed cooperatur Deo per exercitium sui consensus, & assensus in id, ad quod vocatur; & id satis manifestè colligitur ex sacris litteris v.g. *Sine me nihil potestis facere*, ergo cum ipso Deo fauente in nobis facere cum eo possunt, facit autem in nobis sine nobis, quatenus ipse vocat nos, & nos non possumus vocare nosmetipsos, cum ab alio sit vocatio; non facit vero in nobis aliquid sine nobis, quia sine consensu nostro in nobis non operatur, iuxta illud: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Per priora verba notatur gratia præueniens, per posteriora cooperatio Dei cum homine, qui consensum præstitit vocationi Dei, qui inchoauit conuersionem peccatoris.

Quæres 15. An actus credendi proueniat ab vtraque potentia voluntatis, & intellectus, & quomodo?

℞. Actus quilibet credendi imperatur à voluntate, 69
& elicitur ab intellectu, & quia voluntas non fertur in incognitum, ideo antequam imperet actum dirigitur ab intellectu per alium actum præcedentem actum imperatum, & elicitum. Itaque ex parte intellectus duo sunt actus, vnus dirigens voluntatem ad præcipiendum eidem intellectui ad productionem assensus, alter elicitus, quod est ipsum credere. Probatur id totum, nam voluntas cum sit cæca alteri potentiæ non valet aliquid præcipere, nisi prius edoceatur, & dirigatur ab intellectu, qui voluntati proponat causam, quare potentia possit, & debeat elicere suum actum circa obiectum sibi propositum, dum igitur voluntas imperat intellectui, vt aliquod mysterium credat, iam edocta fuit expedire illud credere, quia bonum est, eo quod Deus reuelauit, neque enim voluntas suo imperio potest ferri in incognitum, ideo non imperat intellectui aliquid credendum, nisi præcognoscatur esse bonum, & credibile, vt possit subiici imperio voluntatis, ad id facit illud Eccli 19. 4. *Qui* 70
credit cito, leuis corde est. Non enim facile credendum est, *cap. Si quid* 23. *dist.* 86. & facilitas credendi imputatur Gl. *v. credulis cap.* 1. 16. *quæst.* 2. Igitur voluntas non edocta præcipere non potest credenda, nisi constet de earum veritate, & bonitate explicatur infra 161. & 197.

Voluntas igitur instructa ex suo pio affectu erga fidem præcipit, & imperat intellectui, vt credat fidei mysteria, mouet igitur intellectum ad præstandum assensum veritati, cuius motio, & volitio vocatur obedientia ad Euangelium, obedientia fidei Rom. 10. 16.

Non

Non omnes obediunt Euangelio. Idem 2. ad Thessal. 1. 8. Item Rom. 1. 5. *Ad obediendum fidei.* Actus ergo obedientiæ Euangelij, & Fidei spectat ad voluntatem, quatenus imperat intellectui ad eliciendum actum credendi. Adeò autem est necessaria voluntas per suum imperium ad actum credendi, vt sine illa non possit dici actus meritorius, nam actus meritorius de necessitate est à principio volũtario, nullus enim actus intellectus potest dici meritorius, nisi à voluntate imperatus, à qua habet rationem boni ex parte principij productiui. Et colligitur ex ipsa Scriptura, quæ actum credendi vocat voluntarium, & liberum Marci vlt. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui non crediderit condemnabitur.* In optione ergo, & libertate est actus credendi, dependet ergo non solum ab Intellectu, à quo nullam habet optionem, nec libertatem, sed etiam à voluntate, quæ sola est potentia libera, actui credendi tribuens libertatem.

Quæres 16. An actus credendi mysteria fidei sit supernaturalis secundum se totum?

71 ℞. Affirmatiuè, actus fidei Christianæ, & diuinæ sunt supernaturales in entitate, essentia, & substantia. Probatur. *Tum quia,* ille actus est supernaturalis, qui nullo modo produci potest viribus naturæ, sicut vocatur naturalis, qui à natura prouenit sine illo speciali Dei auxilio; sed actus fidei Catholicæ sunt huiusmodi, nam dependent à gratia præueniente, & Dei auxilio speciali ex probatis q. 14. ergo in entitate sua sunt supernaturales. *Tum quia,* si actus credendi esset tantum supernaturalis ex parte modi, sequeretur, quod secundum potiorem rationem, quæ est eius entitas, & substantia, esset naturalis, ac proinde quod viribus naturæ assequi posset, quod est error Pelagianorum, contra quos actum est præfata q. 14. *Tum quia,* actus fidei materialiter spectatus, reuera non est in suo esse formale in quo constituitur per reuelationem primæ veritatis, hæc autem est supernaturalis, ergo est actus per illam constitutus. *Confirmatur*, id rationibus naturalibus, & legalibus, nam causa potentior potentiorem producit effectum, ex cap. fin. de conuers. coniugat. Sed potentior est causa supernaturalis causa naturali, ergo effectus credendi ab illis productus debet esse supernaturalis, quia sequitur magis conditionem causæ potentioris. *Tum quia,* causa naturalis in productione actus credendi excedentis eius vires, eleuatur à gratia præueniente, & quasi ponitur in genere causæ superioris, ergo effectus procedens non potest non esse supernaturalis. *Tum quia,* concurrentibus duabus causis, effectus denominatur ab ea, quæ est efficacior, & à qua altera minus efficax adiuuatur ad operandum, secundum Felinum *in cap. Cum ex officij, de præscript. concl. 6.* ergo idem dicendum est hic. Quare actus credendi in seipso, & secundum suum substantiam est supernaturalis non solum ex parte principij producentis, quod est diuinum auxilium, sed etiam ex parte obiecti formalis, quod est prima veritas reuelans. Hanc responsionem docent Scotus *in 3. dist. 23. ibi* Richardus Medina 1. 2. *quæstione* 62. *articulo* 2. quos pro se citat Becanus, *capite* 8. *de fide quæstione* 4. Tamaritus *tractatus* 4. *de Gratia quæstione* 4. Nota autem, quod actus fidei dici possunt aliquo modo naturales, quatenus recipiuntur in subiecto, quod illis non repugnat, sed valdè conueniens est.

Capreolus *in* 1. *distinctione* 17. *quæstione* 1. *ad* 3. Caietan. 2. 2. *quæstione* 171. *articulo* 2. Sotus *libro* 1. *de natura, & gratia capite* 12. apud dictum Tamaritum docent, actus fidei esse naturales quoad entitatem, supernaturales quoad modum illis superadditum; hunc autem modum aliqui illorum vocant honestatem specialem; alij maiorem certitudinem, alij meritum ad vitam æternam. Sed quicquid sit de explicatione huiusmodi, certum est, actum fidei non esse naturalem in substantia ex probatis; nam præterea inconueniens est, quod tota perfectio actus fidei consistat in aliquo accidentali, qualis est ille modus adueniens entitati actus naturalis, quouis ex prædictis modis accipiatur, nam illa maior certitudo nihil aliud potest esse, quam diuina reuelatio, supra autem patet, eam esse essentialem differentiam constitutiuam actus fidei, & non modum accidentalem; neque ratio meriti potest esse ille modus, siquidem tunc actus credendi ex fide informi non esset actus fidei; præterquamquod ratio meriti à sola voluntate deducitur, & non ex aliis potentiis, intellectus enim cum sit 72
potentia naturalis non meretur; neque demeretur. Demum si actus fidei est secundum entitatem naturalis, viribus naturæ ad minus inchoari poterit, & perfici per superuenientem Dei gratiam, quod dicere semipelagianum est fouens etiam hæresim Pelagianam.

Dices hæreticus obstinatus in suis erroribus elicit 73
multos actus fidei veros, numquid illi erunt supernaturales? Respondetur negatiuè, quia illi actus proueniunt præcisè ab eius habitu acquisito sine vllo speciali Dei auxilio, quo intellectus eleuari possint ad attingendos veros, fidei actus supernaturales, & id constat, quia carent principio supernaturali productiuo, & diuina reuelatione, cui illi actus inniti non possunt, quia per suam infidelitatem euacuauit diuinam reuelationem.

Quæres 17. An actus credendi elicitus ex alio motiuo, quam ex diuina reuelatione sit supernaturalis? Vt, credo, quia Papa definiuit.

℞. Adhuc esse supernaturalem quia motiuum ab 74
auctoritate Papæ implicite, & virtualiter includit diuinam auctoritatem, qua Papa nititur ad definiendum, non enim ex propria voluntate, neque sua intrinseca facultate sententiam fert, sed vt Christi vices gerens ex potestate sibi à Deo communicata, profert, quod sibi Spiritus Sanctus reuelauit. Confirmatur, quia Papa dum controuersias fidei definit, & declarat repræsentat immediatè personam Dei, cuius veritate edoctus loquitur fidei mysterium, consequenter fidelis motus ab auctoritate Pontificia ad credendum, producit in seipso actum fidei supernaturalem, quia illud motiuum includit essentialiter diuinam reuelationem, in qua Pontifex Romanus fundatur in definitione dubij circa fidem.

Quæres 18. An assensus in fidem produci possit per discursum?

℞. Non potest produci, si nomen discursus sumatur propriè pro deductione ignoti ex noto ex princi- 75
piis intrinsecis. Nulli enim dubium est, quod fides hoc modo non potest generari ex discursu; tum quia præmissæ æquæ certæ & notæ sunt, sicut conclusio, adeo quod conclusio est tam nota, quam præmissæ, cum omnes notificentur per idem medium diuinæ reuelationis, in tantum enim creduntur, & sciuntur veræ, in quantum eas singulas Deus reuelauit, non igitur potest procedi à noto ad ignotum, neque à magis noto ad minus notum. *Tum quia*, medium, quo creditur, & cognoscitur propositio de fide, non est intrinsecum ipsis extremis, quibus non coniungitur, sed tantum indicat, & certificat de veritate ipsarum. Et in hoc sensu bene negant fidem gigni ex discursu Capreolus *in* 3. *distinctione* 34. *quæstione* 1. *articulo* 3. *ad* 3. Bannez 2. 2. *quæstione* 1 *articulo* 1. Valent. *tomo* 3. *disputatione* 1. *quæstione* 1 *parte* 2. Turrianus *disputatione* 6. *de fide dubio* 1. Suarez *disputatione* 6. *sectione* 4. quos refert Laymanus *de fide capite* 4 Becan. *capite* 8. *quæstione* 3. Affirmant Durandus Vasq. *ad par.* 1. *disputatione* 8. *capite* 3. cum aliis, qui intelligendi sunt

sunt de discursu, qui est deductio vnius ex alio, quodcumque hoc aliud sit, siue principium intrinsecum, siue extrinsecum, siue certius, & notius, siue non, in hoc sensu fides generatur ex discursu. Id autem contingere potest tripliciter. *Primò*, entimemate hoc modo: Deus reuelauit Verbum esse incarnatum, ergo verum est Verbum esse Incarnatum. *Secundò*, formando syllogismum sic: Omne id, quod à Deo reuelatum est, credendum est esse verum: sed est reuelatum, quod Verbum caro factum est, ergo credendum est, verum esse, Verbum caro factum esse. His duobus modis probatur fides ex medio extrinseco, quod semper est idem respectu omnium conclusionum, & potius dicitur discursus in actu signato, quia veritas concluditur semper, & designatur per idem motiuum, à quo veritas immediatè pendet. *Tertiò*, discursus fieri potest in actu exercito ex principiis intrinsecis, quæ tandem resoluuntur in illud primarium, & adæquatum reuelationis diuinæ à qua pendet veritas totius syllogismi etiam conclusionis, quandocumque præmissæ sunt ambæ de fide, tunc etiam conclusio est de fide, conclusio enim non degenerat à conditione præmissarum, iuxta quod dicam suo loco. Pono exemplum. Omne ens à se est Deus. Pater est ens à se, ergo est Deus. Omne ens increatum est Deus. Filius est ens increatum, ergo est Deus. In his & similibus, vt notum est, conclusio deducitur ex principiis intrinsecis, & tamen singulæ argumentorum propositiones non solum præmissæ sed etiam conclusiones in seipsis sunt de fide non ex illatione, sed ex immediata Dei reuelatione.

Vide Scotum *in* 3. *distinctione* 23. *Paragrapho, Quæro igitur à te*, vbi probat, fidem non generari per discursum, loquendo in rigore, vt dictum fuit, siquidem articulis fidei, & rationi eorum formali sub qua, seu propter quam creduntur, credimus propter eandem auctoritatem primæ veritatis, non enim alia est ratio assentiendi obiecto materiali, & alia assentiendi obiecto formali, sed vtrique assensum præstamus propter eandem rationem reuelationis, & diuersitas solum est in prioritate, qua vnum creditur propter aliud, nimirum materiale propter formale, quod propter seipsum cognoscitur, cum sit aliorum causa cognoscendorum, quæ creduntur, obiectum igitur materiale est id, quod creditur, formale vero non quod, sed quo illud creditur, & scitur esse verum.

Quæres 19. Quandonam homini infundatur fides habitualis à Deo?

76 ℞. Fides homini infanti, quam adulto à Deo infunditur cum recipit baptismum, ad quod sequitur.

77 Est autem baptismum triplex Flaminis, Sanguinis, & Fluminis, Flaminis baptisma consistit in contritione assumpta pro peccatis ob amorem erga Deum, quem nollet offendisse, de quo Lucæ 3.3. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ*, id est, contritionem, quæ vocatur virtualis pœnitentia, *in remissionem peccatorum*. Quando adultus non potest in re baptismum Fluminis recipere, tunc illi prodest contritio de peccatis, quorum est destructiua cum desiderio illud recipiendi in effectu cum poterit, Sanguinis baptisma consistit in martyrio passo pro Christi fide, de quo Marci 10. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Hoc pariter vices gerit baptismi Fluminis, quando cathecumenus ducitur ad mortem propter Christi fidem, vel aliam virtutem Catholicæ Religionis, cum intentione baptismi, si posset illud recipere, tunc enim in proprio sanguine ex meritis Christi baptizatur. Demum Fluminis baptisma nouæ legis Sacramentum consistit in spirituali ablutione hominis facta per sensibilem aquæ ablutionem. De istis tribus baptismatibus agitur à Gratiano cap. Baptismi 34. distinctione quarta, de consecrat. Doctores communiter dum agunt de Baptismo.

Infusio fidei habitualis in receptione baptismatis colligitur ex Tridentino sessione 6. capite 7. *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & Charitatem.* Et Paulo ante dixerant Patres quod Baptismus est causa instrumentalis nostræ iustificationis, ibi: *Quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* Et infra. *Hanc fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione cathecumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem vitam æternam præstantem.* Infunditur igitur fides hominibus per receptionem baptismi, dum illam ante collationem eius petunt, adulti quidem per actum credendi, infantes per Ecclesiam, quæ pro illis nondum scientibus fari loquitur. Et ex his patet cur Baptismus vocatur Sacramentum fidei, quia ad eum accedentem oportet credere, vt ei possit à Deo digne infundi præparato. Ita 78
docent omnes cum Magistro *in* 4. *distinctione* 4. Scotus *quæstione* 2. Faber *disputatione* 14. D. Thomas, *parte* 3. *quæstione* 69. *articulo* 4. Canonistæ *in capite* 3. *de Bapt. capite* 1. *de sacra vnct.* Et hoc de fide tenendum est, nimirum fidem à Deo infundi baptizato in ipso actu administrationis baptismi, si obicem non ponat baptizatus, non enim frustra vocatur Sacramentum fidei, quia fides infunditur recipienti illud.

Quæres vigesimo. An accedenti ad Baptismum sine actuali fide, simul cum Baptismo infundatur fides?

Respond. Negatiuè. Probatur ex cap. fin. Marci. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo qui baptizatur incredulus, cum damnetur, caret fide, damnatio enim hic tribuitur defectui fidei. *Tum quia,* 79
actualis dissensus à fide non potest stare cum assensu actuali eiusdem fidei, se inuicem enim excludunt ab eodem subiecto, ergo neque à Deo tunc infunditur fides habitualis, cum subiectum non sit dispositum ad huiusmodi formam per actum credendi, qui deest baptizando, sicut enim per vnicum actum infidelitatis perditur fides infusa, ita per vnicum eiusdem impeditur, ne fides in baptismate infundatur. *Tum quia*, Deus nihil imperfectum facit, omnia enim eius opera sunt perfecta, & valdè bona, ergo neque homini infundit fidem imperfectam & informem, qualis esset infusa homini incredulo. *Tum quia*, secundum Concilium sessione 6. capite 7. vt dictum fuit præcedenti quæstione, virtutes Theologicæ, inter quas fides est prima, tanquam effectus baptismi consequantur ad gratiam Sacramentalem, quæ huius Sacramenti est primarius effectus. *Confirmatur* id, quia sicut in naturalibus forma non introducitur in subiectum indispositum maximè ex forma directè contraria adhuc existente; ita neque in spiritualibus inducitur forma in subiectum, quod remanet indispositum per formam præcedentem adhuc existentem formaliter contrariam introducendæ, vt est infidelitas eius, qui non vult credere se disponendo ad receptionem fidei habitualis in susceptione baptismatis.

Sed quandonam huic incredulo baptizato infunditur fides? Respondetur, quod ei tunc fides infunditur, cum in se reuersus elicit actum credendi, cum contritione, seu Sacramentali confessione absoluitur à peccatis suis. Colligitur ex D. Aug. relato cap. *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit* 40. distinctione 4. de consecrat. D. Thomas *par.* 3. *quæst.* 69. *art.* 10. dicit, fictionem

ctionem non tolli per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem, qua tollitur culpa, & reatus omnium peccatorum non ſolum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo, adeo quod tunc Baptiſmum cum pœnitentia tollit ea omnia, quæ ablaturus erat, niſi impedimentum fuiſſet interiectum. Vide Scotum *in* 4. *diſt.*4.*q.*5. Suar. *de Sacram.diſp.*28.*ſect.*4.*&* 5. Dianam *reſol.*14.*de Sacram.* Fabrum *in* 4.*diſp.*12.

Quæres 21. Quandonam in lege veteri infundebatur fides Iudæis.

80 ℞. Tunc infundebatur fides Hebræis, cum illis applicabatur remedium, & Sacramentum, quo tollebatur peccatum originale, vt contingebat in Circunciſione, quæ incæpit ab Abraham. Probatur, quia diuina fides ſemper viguit ab Adam vſque ad conſummationem ſæculi, omni enim tempore ſemper fuit neceſſaria fides vt dicam infra ſub q. 45. Cum autem Adam & Eua creati fuerint recti, iuſti, & in gratia à Deo, conſequenter ſimul illis fidem infudit, vt cognoſcerent myſteria diuina; placuerunt enim Deo ab initio, ergo fidem habuerunt, impoſſibile enim eſt ſine fide placere Deo. Cæteris vero fides infundebatur tunc, cum ab illis auferebat peccatum originale per remedium ignotum, & Circunciſionem reſpectu maſculorum. Probatur ab Apoſtolo ad Roman.4.11. vbi Circunciſionem vocat ſignaculum fidei illis verbis:
81 *Et ſignaculum accepit Circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium.* Deus enim per Circunciſionem voluit diſtinguere fideles ab infidelibus, ergo in Circunciſione fides infundebatur Iudæis, vt diſtinguerentur à Gentilibus, qui carebant fide, ideo in Baptiſmate, quod ſucceſſit loco Circunciſionis præerequiritur fides actualis, vt habitualis infundatur ſubſequens gratiam iuſtificationis, ex quo Baptiſmus vocatur Sacramentum fidei. Vide D.Thom.p.3 q.70 a.2.

82 Fides autem Hebræorum fuit vera fides à Deo illis data de Chriſto venturo, de qua Geneſ.15.6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Iob 2.18. *Vitam illorum expectamus, quam Deus daturus eſt illis, qui fidem ſuam nunquam mutant ab illo.* Fidem mutauerunt Iudæi ab illo, dum credere noluerunt præſentem eſſe verum Meſſiam, nam per ſuam incredulitatem mutauerunt fidem, quam continuare debebant credendo aduentum Filij Dei in carne; contra quos Chriſtus ipſe reclamat Ioan.15.24. *Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo,* id eſt, de peccato incredulitatis, eo quod Chriſtus verbo, opere, & miraculis manifeſtè illis oſtendebat ſe eſſe Meſſiam, & verum Dei Filium, ideo obſtinati manentes moriuntur in ſuo infidelitatis peccato, vt teſtatur idem cap.8.24. *Si enim non credideritis moriemini in peccato veſtro.* De quibus intelligitur illud Ierem.7.28. *Periit fides, & ablata eſt de ore eorum.* Nunc autem poſt aduentum Chriſti in quem nolunt credere, fides Hebræorum periit, & ablata eſt ab ore eorum, & tranſlata ad Eccleſiam Catholicam, quæ Chriſtum confitetur veniſſe, & eſſe ſuum caput olim viſibile, nunc inuiſibile. Fides ergo Iudæorum vera, & ſancta fuit vſque ad aduentum Chriſti, deinceps deſinit in illis eſſe facta infidelitas propter eorum incredulitatem.

Quæres 22. An in Beata Virgine Maria fuerit fides?

83 ℞. Mariæ infuſa fuit à Deo fides in inſtanti ſuæ conceptionis, quam ſemper intactam conſeruauit in gradu perfectiſſimo de pluribus myſteriis, & in Baptiſmo eius augmentum recepit.

Primum de fide infuſa in Conceptione eius probatur, quia Hebræis fides infundebatur in regeneratione, & emundatione à peccato originali; ſed Virgo illo caruit ex ſpeciali Dei priuilegio, ideo eius Conceptio vocatur Immaculata, & ab vniuerſa Eccleſia hoc myſterium recognoſcitur, & colitur ſub præcito nomine Conceptionis ex Decreto Gregoriano; ergo in ſua creatione recepit cum gratia, in qua creata fuit, infuſionem fidei Chriſti venturi, quem fide credidit, & contrectauit ex propria carne.

Secundum de illius perpetua conſeruatione probatur, quia fides perditur ſolum per peccatum infidelitatis, in quam nunquam ipſa incurrit, cum ſemper fuerit immunis à qualibet culpa tam veniali, quam mortali. Ita teſtantur omnes Sancti Patres cum Diuo Bernardo de Lament. Virg. illis verbis: *Fidem, quam à Deo ſemel accepit, nunquam perdidit,* Et multa alia ſubiungit, præſertim pro illo triduo mortis, nam tunc potiſſimum firmam habuit fidem de morte, & reſurrectione Filij ſui pro redemptione generis humani.

Tertium de fide perfectiſſima probatur, cui enim perſonæ Deus poterat perfectiſſimè fidem communicare, quam Matri Filij ſui? vnde S.Ambroſ. *lib.*3. *de Virg.* Mariam vocat magiſtram fidei, plenam fide, & dicit cum aliis ſanctis multa myſteria Apoſtolos, & alios docuiſſe, & declaraſſe. Bernard. *Homil.*4. *ſuper Miſſus eſt cap.*7. inquit: *Licet ipſi Apoſtoli per reuelationem Spiritus ſancti edocti fuerint in omnem veritatem, incomparabiliter tamen, eminentius, ac manifeſtius ipſa per eum Spiritum ſanctum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in ſe non ſolum ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu ipſo experimento didicerat de myſteriis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vide Bonacinam *de Incarnat. diſputat.* 1. *quæſt.*3. *per totam*, vbi probat, Mariam Virginem in fide omnes excelluiſſe.

Quartum de augmento fidei in receptione Baptiſmatis, probatur, quia duplex fidei habitus in eadem perſona non eſt neceſſarius, cum vnus ſatis ſit ad præſtandum quicquid eſt opportunum, & neceſſarium, ergo in collatione Baptiſmatis aucta fuit illi fides. Fuit autem Beata Virgo baptizata à Chriſto, vt teſtantur Theologi *in* 4. cum Scoto *diſt* 4.*q.*6. Fabro 84
*ibidem diſp.*13. Bonauentura Theulus, *in ſua Scoto Morali tit.*2. *n.*143.

Quæres 23. An Chriſtus fidem habuerit? Nomine fidei hic non venit fidelitas ſtandi promiſſis, quia hanc habet ſibi innatam, de qua intelligitur illud Iſaiæ 11.5. *Fides cinctorium renes eius*, ex Suar. apud Bonac. *de Incarnat.diſp.*2.*q.*7.*p.*4. ad ſecundam obiectionem. Neque ſumitur pro fide vnũ ex nouem donis, quod vocatur fides miraculorum 1.Corinth.12. Fides enim, ſeu fiducia faciendi miracula fuit in Chriſto. Sed ſumitur pro cognitione actuali, & habituali rerum ſperandarum nec viſarum, nec poſſeſſarum, quæ includit obſcuritatem.

℞. Fides in Chriſto nunquam fuit ſecundum actũ, 85
nec ſecundum habitum. Probatur, quia ille non habet fidem actu, nec habitu, qui videt, & poſſidet res, quas credunt alij carentes illis, fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & ſic rerum non viſarum, nec poſſeſſarum, ſed Chriſtus ab inſtanti ſuæ Conceptionis vidit, & videt, & poſſedit, & poſſidet eas res, quam alij ſperant, & hoc propter vnionem hypoſtaticam, ergo non habet fidem, ſed ſemper claram viſionem rerum omnium habuit, erat enim ſimul Viator, & comprehenſor. *Confirmatur,* quia in Chriſto non eſt dabilis aliqua cognitio obſcura, cum dicat imperfectionem; ſed cognitio fidei eſt obſcura, ergo in Chriſto non eſt dabilis. Ita D.Thomas *part.*3.*q.*34. *art.*4. Scotus *in* 3.*diſt.*13.

Dices, in baptismate confertur fides habitualis baptizato, vnde baptismus dicitur Sacramentum fidei; sed Christus à Ioanne baptizari voluit, ergo recepit tunc fidem. ℞. primo, baptismum Christi non fuisse Sacramentum, sed potius institutionem eiusdem, non collationem; secundo in collatione baptismi à Deo fidem infundi viatoribus tantum, & non simul comprehensoribus, vt fuit Christus, qui videbat, & fruebatur diuina essentia, ideo non egebat fide ad cognoscendum in ænigmate, quod immediatè videbat, & possidebat.

Quæres vigesimoquarto. An Cathecumeni fidem habeant?

86 ℞. Cathecumenis, id est, adultis in fide instructis à Deo fides infunditur in collatione baptismatis fluminis, si ante illam non perceperunt per alia baptismata, & hoc patet ex quæst. 19. & docet D. Augustinus relatus *cap. Baptismi* 34. vbi de triplici baptismo, ad quod sequitur fides habitualis, *cap. Cathecumenum* 37. *dist.* 4. *de consecrat.* vbi de eisdem baptismatibus. Nec obstat præcitatum cap. *Cathecumenum*, inquit, *quamuis in bonis operibus defunctum vitam habere non credimus*. Quia intelligitur de illo, qui caret dictis baptismatibus. Vel dic, intelligi de eo, qui habebat tantum desiderium baptismatis, & illud nunquam recipit, debet enim baptisma fluminis cum effectu recipi à Cathecumeno, non enim ad vitam æternam sufficit bona voluntas, sed operatio necessaria est baptismi, ad quod sequitur fides, sine qua impossibile est placere Deo. Cornelius de quo in Actis Apost. 10. ex dilectione erga Deum, & suorum peccatorum contritione, iustificatus fuit, ac proinde à Deo fides infusa fuit, antequam baptizaretur. Idem dicitur de S. Martino, vt colligitur ex illis verbis: *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veste contexit* à Christo prolatis, quæ indicant, Martinum baptismo flaminis tunc à Deo baptizatum fuisse.

Quæres 25. de fide Apostolorum?

87 ℞. Apostoli antequam à Christo vocarentur erant fideles non solum per actum credendi, sed etiam per inhabitantem in eis fidem receptam in Circumcisione, sicut dictum fuit de cæteris Hebræis supra q. 21. quam per consensum in vocationem ad Apostolatum Christus eisdem auxit; pariter cum fuerunt baptizati eiusdem augmentum receperunt. Et eam semper retinuerunt quoad ea mysteria, quæ illos Christus docuerat, sicut probaui cap. 3. q. 20. n. 58.

Quæres 26. An damnati tam Angeli, quam Homines careant fide?

88 ℞. Affirmatiuè. Probatur, quia vbi non est spes, neque fides potest esse, frustra enim credis, quod sperare non potes; sed in damnantis nulla est spes salutis, Iob 7.7. *Non reuertetur oculus meus vt videat bona.* Item num. 9. *Qui descenderit ad inferos non ascendet*, quia vt canit Ecclesia. *In inferno nulla est redemptio.* Ergo damnati cum nihil sperare possint carent fide, quæ in illis frustra esset, si daretur. Nec his obstat illud Iacobi 2.19. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Quia verbum credere ibi sumitur pro credulitate naturali, & cognitione experimentali, qua experiuntur Deum iustum eorum iudicem, & ideo contremiscunt, dum huius seueritatis recordantur. Itaque, quod damnati ante credebant, adhuc credunt, sed non fide Theologica consistente in pio quodam affectu, & pietate, qua voluntas præcipit intellectui ad eliciendos actus fidei supernaturales concurrentibus Dei auxilio speciali, & lumine fidei, quod est fides habitualis, quibus omnibus cum damnatus careat nullum fidei actum elicere potest Theologicum, & supernaturalem, sed tantum naturalem ex habitu acquisito fidei, dum in sui afflictionem recordatur mysteriorum fidei, recognoscens se per sua peccata tot bona perdidisse, quæ credebat, & sperabat dum erat in via, quorum memoria maximum est illis tormentum. Vide D. Thomam 2.2. *q.* 5. *art.* 2. Viguer. *de fide vers.* 15.

Quæres vigesimo septimo. An existentes in Purgatorio retineant fidem, quam in hoc mundo habebant?

Respond. Affirmatiuè, quia vbi est spes, ibi est 89
fides, cum hæc sit assensus in res sperandas, ad quod facit illud Psal. 26.13. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*: sed in purgantibus est, spes, Prouerb. 14.32. *Sperat autem iustus in morte sua*, 2. Machab. 12.4. *Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos sperare̱t.* Mortui in Purgatorio spem habent ad vitam æternam, ergo & fidem habitualem, & actualem, dum actus eliciunt credendi in quod sperant. In his nullus contradicit, cum sint de fide ex dictis auctoritatibus.

Quæres 28. An in Angelis tum bonis, tum malis fuerit fides, antequam illi assequerentur gloriam, & isti damnationem? Nota autem, quod in Angelis possunt statui tres morulæ. In prima Angeli omnes in gratia creati fuerunt; in secunda boni perseuerarunt laudando Deum, & merendo vitam æternam, mali à gratia recedentes peccauerunt; in tertia boni assecuti fuerunt vitam æternam, mali vero æternam damnationem.

℞. Angeli omnes à prima morula vsque ad tertiam 90
exclusiuè tam boni, quam mali, vti viatores, fidem cum qua creati fuerant, retinuerunt, boni fidem, & spem commutantes in visionem, & fruitionem diuinæ essentiæ, mali vero in æternam damnationem, & desperationem. Quod Angeli fuerint viatores, & sic in fide, & spe futuræ beatitudinis pro illa secunda morula colligitur ex Epist. 1. Petri 1.12. *In quem desiderant Angeli prospicere* Quod de viatoribus intelligendum est, desiderabant enim, quo carebant, ac proinde sperabant, quod nondum habebant, & si sperabant, certè credebant, quia obiectum fidei est quod speratur, cum sit substantia rerum sperandarum. Angeli igitur boni credentes quod sperabant, per vtramque virtutem illis infusam Deum dilexerunt, & sic meruerunt vitam æternam, quam consecuti fuerunt; mali verò licet vtramq; habuerint, qua potuissēt bene vti operando, & diligendo Deũ tamen pro eorum libero arbitrio noluerunt bene facere, sed peccauerũt, & sic detrusi deorsum perdiderunt fidem, & spem, in quibus nihil antea profecerant. Et ex his colligitur concordia illius alterius propositionis Matth. 18.10. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris*, quæ videtur pugnare cum præcedenti, quod *Angeli desiderant prospicere in faciem Patris*. Nam hæc de desiderio refertur ad eosdem Angelos quando erant viatores, & nondum beati; illa vero refertur ad beatos Angelos, qui post terminum viæ cœperunt videre faciem Patris, id est, Dei quam semper vident, quia visio Dei indefectilis est, & inamissibilis.

Sed quodnam fuit obiectum fidei in Angelis viatoribus? Fuit essentia diuina, & Trinitas personarum, nam credebant, & sperabant beatitudinem supernaturalem, quæ consistit in visione Dei, qui vnus, & trinus est. An incarnationem Christi crediderint? Affirmat D. Thomas cum suis, & D. Augustino. Alij melius negant, quod deducunt ex Ep. ad Ephes. 3. & 1. ad Timoth. 3.16. in quib. locis Incarnatio dicitur Sacramentum absconditum Angelis, qui illum admirantes dicebant Ps. 23. *Quis est iste Rex gloriæ*, quod intelligitur de Christo incognito Angelis. Vide Becanum cap. 2. de Angel. q. 6. & cap. 3. q. 6.

Quæres vigesimo nono. An beati in cœlo retineant

neant fidem, quam in hoc mundo habebant?

91 ℞. Negatiuè, de fide, ex prima ad Corinth. 13. 9. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Loquitur Apostolus de fide viatorum, & de visione beatorum, ad cuius aduentum fides cessabit, de qua subiungit. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem.* Fides est cognitio

92 ænigmatica, & specularis, visio autem perfectissima cognitio, & facialis, quæ se habet vt lumen solis, quo adueniente sicut lumen lucernæ euacuatur, ita adueniente visione diuinæ gloriæ extinguitur fides, & cessat. Ratio Thomistarum est, quia cognitio perfecta, & imperfecta non possunt manere simul de eodem obiecto; sed fides est cognitio imperfecta, & visio cognitio perfecta, ergo fides & visio simul cū beato stare non possunt, sed vna expellit aliam, nempe visio. Ita cum D. Thom. *l. 2. q. 67. a. 4.* Scotus cum suis *in 3. dist. 31.* dicit, ideò fidem non manere in beatis, quia illis esset superflua, nam fides inclinat in verum latens, & obscurum, & non visum; in patria autem obiectum diuinæ visionis est potentissimum, & clarissimum omnem excludens obscuritatem, ergo frustratorius est habitus fidei, cum non possit deseruire ad aliquid, neque enim beatus potest aliquem actum obscurum elicere erga Deum à se clarissimè visum, quare in beato non potest esse fides nec secundum habitum, nec secundum actum.

93 Quamuis sit de fide in beatis non manere fidem, nihilominus de potentia Dei absoluta non repugnat lumen fidei cum lumine gloriæ in Doctrina Scotistarum contra Thomistas, quia isti habitus sunt cōpossibiles in eodem intellectu, quod probant exemplo Diui Pauli, qui habebat fidei habitum, dum in illo raptu vidit Deum. Confirmatur, quia simul stare potest lumen solis, & lumen candelæ, vtrumque enim simul illuminat, illud perfectè, hoc imperfectè, ita & lumen gloriæ, & fidei.

94 ℞. Caiet. quod ea visio Pauli fuit in ipso per modū transeuntis, & dispositionis, non per modum habitus, & sicut possunt stare simul dispositio, & habitus, ita habitus fidei simul esse potest cum dispositione transeuntis visionis, vt videmus stare simul actum intemperantiæ cum habitu temperantiæ, sicut dispositio, qui dicitur habitus imperfectus, actus vero duorum habituum perfectorum non possunt stare simul, sicut sunt habitus fidei, & visionis, quæ non poterant stare simul in D. Paulo, ideo in illo fuit solum habitus fidei, non vero visionis, sed solum lumen gloriæ habens rationem dispositionis. Hanc responsionem impugnat Medina apud Fabrum *lib. 6. Metaph. disp. 14.* §. At hæc, vbi rem fusè tractat. Ad rationem Caietani, negatur, illud lumen gloriæ in raptu Pauli fuisse solum dispositionem, quia reuera erat idem specie cum lumine beatorum, eodem enim modo perfectissimo pro illo paruo tempore vidit, quod sibi Deus ostēdit, quo beati vident, sola existente differentia in tempore; dispositio præterea arguit imperfectionem in visione, cuius tamen capax non est, cum ad visionem nulla sit necessaria dispositio, quia in instanti attingitur à vidente.

Quæres 30. In quanam potentia infundatur habitus fidei?

95 ℞. Habit⁹ supernaturalis infunditur in potentia volitiua, & intellectiua, in quib. dicitur esse vterq; habitus subiectiuè, & operatiuè, distincti ab inuicē, & ab aliis habitib. charitatis, religionis, & obediētiæ. Quod sint in illis potentiis est cōmunis doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 4. a. 2. Scoti *in 3. dist. 24.* nam cum vtraque potentia volitiua, & intellectiua naturalis sit, ac proinde non possit attingere actum supernaturalem fidei, indiget eleuari ab huiusmodi vtroque habitu in ea infuso, vt valeat producere actum credendi, vnde voluntas eleuatur ab habitu sibi infuso ad imperandum intellectui; & intellectus à suo habitu informatus simul cum eo elicit supernaturalem actum credēdi. Distinguuntur autem ab inuicem isti duo habitus fidei, nam existens in voluntate actum fidei reddit voluntariū, liberum, & meritorium; allicitque quoque ex pio voluntatis affectu intellectum ad credendum; habit⁹ vero fidei existens in potentia intellectiua concurrit cū ead. ad eliciendum assensum in obiectum fidei, ratione cuius nihil habet voluntarij, nec meriti, quia potētia intellectiua cum suo habitu necessario tendunt in suum obiectum sub ratione veri reuelati, cui nō possunt non assentiri. Isti duo habitus sunt distincti ab obedientia, quia habitus fidei voluntatem inclinat ad imperandum intellectui ad credenda mysteria fidei, propter suam honestatem, & bonitatem, intellectum ad assensum propter veritatem reuelatam. Obedien- 96
tia vero versatur circa materiam præceptam prout est talis obligans illos, quibus promulgatur lex, vnde obedientia inclinat ad obtemperandum legi promulgatæ, prout subditos obligat ad sui obseruationē, vnde etiam obiectum fidei comprehenditur sub obediētia, quatenus fidelis tenetur credere, quod Ecclesia credēdum præcipit. Charitas inclinat ad diligendum Deum quatenus summū bonum, & creaturas intellectuales propter ipsum Deum. Religio versatur circa Deum propter eius excellentiam, tanquam primum principium à quo omnia habent esse, conseruantur, & gubernantur. Nec obstat, quod in Scriptura Fides vocetur obedientia, quia sic vocatur, quatenus Deo obedit homo credendo ea, quæ non videt, vel quia mysteria fidei obligant sicut aliæ leges, vnde cadit sub præcepto obedientiæ, in quantum fidelis obligatur credere, & confiteri fidem, cum opus est.

Quæres 31. An ad credendum præter habitum fidei infusum à Deo potentiis voluntatis, & intellectus, necessarius sit habitus acquisitus viribus naturæ in eisdem potentiis?

℞. Requiritur etiam habitus acquisitus, qui simul 97
cum supernaturali, & intellectu illis informato eliciat assensum in mysteriis fidei. Itaque ad productionem actus credendi concurrunt cum intellectu duo habitus fidei supernaturales infusi potentiis voluntatis, & intellectus, & præterea habitus acquisitus; & sunt isti tres habitus principia non solum actiua, sed etiam passiua recipientia in se actus credendi.

Primum, quod requiratur habitus acquisitus, probatur, de fide ad Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei, quē non audierunt.* Item n. 17. *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Ratio est, quia non possunt cognoscere, neq; elicere actum credendi, id quod ignoro, necesse ergo est, vt homo addiscat prius mysteria fidei per proprium laborem acquirendo sibi habitum fidei, vt per illum deinde possit discurrere circa mysteria, quæ ad fidem spectāt. Ad credendum igitur præter habitum fidei infusum requiritur habitus acquisitus, adeo quod infusus sine illo non operatur, vt experientia constat in paruulis, & etiam adultis, qui antequam doceantur nihil de fide sciunt in specie. Sed quid prodest illis habitus infusus, si in il- 98
lis non est operatiuus? Interim dat illis ius ad gloriam, facit habentem amicum Dei, iustus enim ex fide viuit, ac proinde in illis conseruatur, vt suo tempore illo fideles vtantur ad credendum, ex eo enim vti supernaturali habitu erit supernaturalis actus credendi, qui talis non esset, si careret eo habitu infuso, sed esset tunc solum actus naturalis ex habitu naturali acquisito viribus naturæ.

Secundum, quod habitus fidei infusus, supposito 99
acquisito, sit operatiuus in actu, in vtraque potentia imperando, & eliciendo, probatur de fide, 2. Cor. 4.

13. *Habentes autem eundem spiritum fidei sicut scriptũ est; credidi propter quod locutus sum.* Nomine, spiritus venit habitus fidei infusus, propter quem homo fidelis elicit actus credendi. Ad Thessal. 1. c. 2. 13. *Quoniã cum accepissetis à nobis verbum Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum sed sicut est verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Hinc colligitur habitus acquisitus à fidelibus edoctis ab Apostolis non verbum hominum, sed Dei, quia mysteria fidei à solo Deo habentur, à quo reuelantur. *Operatur in nobis,* hoc est Deus nobis audientibus fidem infundit habitum supernaturalem eiusdem fidei, cum qua in nobis, & cum nobis producit actus credendi.

Tertium, quod vtraque potentia voluntatis, & intellectus simul cum habitibus compleant vnum principium actiuum in genere causæ efficientis, singulæ respectu sui actus imperando, vel eliciendo, probatur, ex Sacris Scripturis superius expressis, ex quibus clarè colligitur, habitus fidei cum potentiis esse operatiuos, & productiuos assensus fidei. Ratio est, quia si solus habitus esset actiuus, & non etiam intellectus, assensus in obiectum non esset actus vitalis, sed talis, quales sunt operationes inanimatorum, & id confirmatur exemplo Lunæ agentis per lumen receptum à sole, & aquæ calefactæ ab igne calefacientis per accidens, & sic homo extrinsecè, & per accidens diceretur credere, si actus credendi procederet ab habitu, & non à potentia effectiuè, producitur ergo ab vtroque tanquam ab vnico principio agente conflato ex duobus partialibus principiis, quæ per modum vnius producunt actum vitalem credendi, à quo suum habet esse supernaturale in eo, quod intellectus
100 per lumen fidei eleuatur ad agendum supernaturaliter, sic enim in Sacra Scriptura habitus fidei vocatur Lucæ 2. 32. *Lumen ad reuelationem Gentium.* Item Act. 26. 23. *Lumen annuntiaturus est.* Fides enim verè lumen est, quia illuminat omnem fidelem circa cognitionem mysteriorum fidei.

101 Hæretici nonnulli negant in paruulis habitum fidei infusum in baptismate, quia accedentem ad Deum oportet elicere aliquem actum fidei, accessus autem ad Deum fit potissimum per baptismum, infantes autem cum careant vsu rationis nullum possunt elicere actum fidei, consequenter neque se præparare ad receptionem habitus fidei. Alij plus dicunt, infantem in collatione baptismi recipere non solum fidem habitualem, sed etiam actualem, quod suadent ex illo Lucæ 1. 44. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo,* interpretantur de fide, quæ homini affert gaudium iustificationis.

℞. Hæreticos, eo quod fide carent, & vero sensu sacrarum litterarum, ideo nunquam posse bene interpretari easdem, ac proinde in varios incidere errores. Ad primum dico, Ecclesiam pro paruulis baptizandis fidem profiteri, *cap. paruuli 74. Cap. Cum pro paruulis 77. cap. In Ecclesia 130. Cap. Mater Ecclesia os maternum paruulis præstat, vt sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem* 139. dist. 4. de consecr. Accedentem ergo ad Deum oportet credere actu proprio, si est adultus, & ratione vtitur, aliter sufficit, quod credat ore alieno eius, qui infan-
102 tem offert, vt baptizetur. Deinde in rigore loquendo, ea verba. *Accedentem ad Deum oportet credere* intelligenda sunt de adultis, qui propriè ad Deum accedere dicuntur motu, & accessu propriæ voluntatis, vt baptizentur, paruuli autem proprio accessu, & motu liberi arbitrij accedere non possunt ad Baptismum, quia carent vsu pedum, & liberi arbitrij, ideo ea auctoritas nihil probat. Adde, quod habitus fidei infusus nullum supponit actum credendi ex sua conditione, cum ille non generetur ex actib. sed infundatur sine aliquo actu ipsius baptizati, licet requiratur in adultis vt dispositio ad recipiendum dignè Sacramentum. Et pro prædictis facit definitio Tridentini sess. 7. can. 13. de Baptismo, vbi anathematizantur, qui asserunt *Paruulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac proinde cum ad annos discretionis peruenerint esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ.* Ex quibus comprobatur, validum esse baptismum paruulorum, quamuis nullum præcedentem actum fidei habuerint, & pro illis Ecclesiam sufficienter credere in ordine ad illorum salutem. Ad auctoritatem de gaudio Ioannis Baptistæ, qui exulta- 103
uit in vtero materno respondetur, eam intelligi de gaudio sanctificationis, nam in ventre Matris sanctificatus fuit, & emundatus à peccato originali, vt docent omnes cum D. Thoma *par. 3. quæst. 27. art. 6.* & simul cum illo gaudio recepit infusionem gratiæ tantum habitualis, adeo quod nullum fecit actum fidei existens in vtero Matris, quia tunc carebat vsu rationis; quod si volumus credere aliud priuilegium, quod ei Deus dederit tunc vsum rationis, sequitur elicuisse actum fidei.

Supradicti habitus naturalis, & supernaturalis diffe- 104
rũt inter se *Primò,* quia infusus est supernaturalis à Deo in nobis productus sine nobis; Acquisitus verò à nobis prouenit ex propriis laboribus, & industria, ideò naturalis dicitur. *Secundò,* supernaturalis non dicitur fieri ex frequentatis actib. sicut acquisitus, vnde ille non generatur, nec supponit aliquem actum; sicut acquisitus, qui ex præcedentibus actibus naturalibus gignitur; infusus per actus subsequentes magis confirmatur: & augetur sicut acquisitus, & ambo sunt principia ad sequentes actus. *Tertiò,* infusus dat simpliciter posse operari, sed exire in actum non potest sine habitu acquisito; dat simpliciter posse operar etiam potentia nihil de obiecto supernaturaliter attingere potest sine illo; acquisitus vero non dat simpliciter operari posse, quia iam potentia est in actu primo per infusum, sed facilitat, & facit operari simul cum infuso, qui non facilitat, sed tantum cum illis operatur ad actum supernaturalem, à quo supernaturalis dicitur.

Quæres 32. An in nobis fides augeatur, & vnus alio maiorem habeat fidem?

℞. Ad vtrumque affirmatiuè de fide, Lucæ 17. 5. 105
Adauge nobis fidem. Petierunt Apostoli hanc gratiam à Christo, & Ecclesia illorũ imitatione idem augmẽtum postulat in tribus virtutibus Theologicis in orat. Dom. 13. Pentecostes, his verbis: *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Ex his sequitur posterius, quod vnus alio maiorem habeat fidem non solum extensiuè, cum doctus plures articulos sciat indocto, sed etiã intensiuè, eo quod vnus alio firmius, fortius, & tenacius adhæreat mysteriis fidei ex pio affectu volũtatis, maximè cum huiusmodi adhæsio fundetur in certitudine diuinæ auctoritatis, Id clarè deducitur ex pluribus locis S. Scripturæ, vt de Centurione Matth. 8. 10. *Non inueni tantam fidem in Israël.* Et infra n. 26. *Quid timidi estis modicæ fidei.* Item c. 15. 25. *O mulier, magna est fides sua.* D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 4. Quod fides in Apo- 106
stolis fuerit perfectior, & feruentior probatur, quia à Christo immediatè instructi fuerunt, & illos docuit omnia, quæ à Patre suo didicerat Ioan. 15. 15. Et in die Pentecostes à Spiritu S. omnem edocti fuerunt veritatem, ex eodem Ioan. 16. 13. Vnde Apostoli 2. Corinth. 3. 6. dicuntur ministri idonei noui Testamenti non littera, sed spiritu, posteriores vero Ephes. 2. 20. dicuntur superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum; ideo Pontifices Romani, & Episcopi, cæterique Ministri Ecclesiæ non

non ita excellunt in cognitione mysteriorum, sicut Apostoli, tamen talem habent perfectionem, maxime Pontifex Romanus in decidendis fidei controuersiis, quod non potest errare, nec Patres ab eo dependentes errorẽ incurrere possunt, si eius instructionem in Conciliis sequantur, iuxta alibi dicta in præcedentib.

Sed nunquid fides informis augeatur? Non est dubium de augmẽto extensiuo, quia fidelis peccator potest discere plures, & plures articulos; sed de augmẽto intẽsiuo, quo fides radicatur, & magis firmatur in credente; & respondetur affirmatiuè, probatur. *Tum quia*, fides non obstante informitate, & defectu charitatis adhuc est spiritualis qualitas inhærens animæ, ergo capax est augmenti, vt sunt aliæ qualitates. *Tum quia*, Ecclesia petit augmentum fidei prout distinguitur à Charitate, sine qua dicitur informis. *Tum quia*, peccator non minus, quam iustus elicere potest plures, & plures assensus, etiam cum firmiori applicatione, & adhæsione. *Tum quia*, ad augmentum fidei non est necessarium meritum, vt in augmento gratiæ, nam hæc de condigno tantum augetur, illi vero de congruo, & ex propriis actibus, Charitas vero ex actibus etiam aliarum virtutum.

Quæres 33. An fides à Deo gratis data sit homini, an ex eius meritis?

107 ℞. Datur gratis nullo præcedente eius merito, vt de fide probatur ad Philip. 1. 29. *Et hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Ad Ephes. 2. 8. *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc nõ ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Ex quib. & aliis auctoritatibus hoc definiuit Cõcilium Arausicanum secundum Can. 5. his verbis: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationẽ baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spir. Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur.* Fides igitur est donum gratiæ Dei, quæ nobis inest supernaturaliter, & non naturaliter, non enim naturæ nostræ est debita ex eius conditione, sed ex mera Dei liberalitate nobis donatur, nullis ex nostris meritis præcedentibus à Deo collata, sed nobis donata sine nobis, homo enim antequam fidem habeat est inimicus Deo, cui non potest per seipsum fieri amicus, ergo gratis per fidem iustificatur.

Quæres 34. An fides à Deo solis electis, & prædestinatis detur? an omnibus etiam reprobis?

108 ℞. Datur omnib. hominib. ad baptismum accedentibus siue electis, siue reprobis de fide credendũ Ioan. 6. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est.* Omnes autem Apostoli fidem habebãt, & profitebantur cum Christo præceptore, qui de illis Matth. 13. 12. dixit: *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum*, quæ cognoscuntur per Christianã; Christus autem loquebatur omnibus Apostolis, vt patet, inter quos vnus Iudas erat præscitus, cæteri prædestinati, ergo fides donatus omnibus. *Confirmatur*, quia Simon magus hanc fidem habebat, quia Act. 8. 13. dicitur credidisse, & tamen erat reprobus, vt colligitur ibid. Item Nicolaus crediderit, & erat plenus Spir. Sancto vnus ex septem Diaconis Act. 6 5. & tamen inter reprobos est connumeratus ex Apoc. 2. 6. Iste enim, ne videretur zelotypus erga suam vxorem statuit eam in medio Apostolorum, & de propria vxorẽ fecit communem omnibus, ac si adulterium non esset peccatũ, vt refert Elenchus hæret, *v. Nicolaitæ*. Et ita tenendũ est contra Caluinum, & alios hæreticos affirmantes, fidem solis prædestinatis à Deo dari, respondentes in prædictis reprobis, & aliis præscitis veram non esse fidem, sed tantum fictam, & vmbram veræ fidei. Sed errant, cum ex sacris litteris pateat vnicam fidẽ veram, & Catholicam Deum donasse omnib. indifferenter, qui accedunt ad baptismum, dixit enim, & præcepit Christus Dominus, vt Apostoli docerent omnes gentes sine vlla restrictione, & quomodo Apostoli poterant discernere electos à reprobis, vt illos veram fidem docerent, & hos ficta imbuerent. Fides est ex auditu, cuius capaces sunt tam reprobi, quam prædestinati, ergo eiusdem fidei Christianæ. Vera fides cum baptismate quemlibet hominem de non fideli facit fidelem, & membrum Catholicæ Ecclesiæ Romanæ, vt probaui loco suo, quæ componitur ex bonis, & malis, & reprobis, & electis *cap. 1. q. 18.* ergo vera fides in vtrisque reperitur.

Quæres 35. An quis certo cognoscere possit, se habere fidem? Pro responsione nota triplicem certitudinem cognitionis. *Primò*, aliquid potest esse certum certitudine naturali euidentia, seu experientia. *Secundò*, certitudine Theologica, qualis est cognitio conclusionis deductæ ex præmissis. *Tertiò*, certitudine reuelationis, quatenus Deus reuelauit hunc, & illum tenere fidem, vt constat nobis ex Scripturis Apostolos habuisse fidem, item Magdalenam, Zachæum, &c. 109

℞. Nulla ex dictis certitudinibus quis scire potest, se habere habitum fidei supernaturalem; neque actũ pariter fidei supernaturaliter. Habitum vero fidei naturaliter acquisitum quis certo se habere cum suis actibus scire potest certitudine naturali, Theologica, & experientia. 110

Primum de vtraque fide actuali, & habituali supernaturalibus, probatur, quia loquendo de certitudine naturali euidentiæ, seu experientiæ, hæc non sunt circa habitus, nec actus supernaturales, neque ex obiecto propter supernaturalitatem; nec ex actu aliquo, cum is possit esse ex habitu acquisito; neque ex facilitate ad credendum, quia hæc prouenit ex habitu acquisito, quod experitur etiam in hæreticis, qui carent fide infusa. De certitudine Theologica patet, quia non dantur huiusmodi præmissæ, per quas fiat descensus ad singularia, vt docet Becan. *cap. 11 de fide q. 5.* præterquamquod talis cognitio cum inferatur ex medio syllogistico potius naturalem cognitionem sequitur, quã supernaturalẽ, ideo non potest cognoscere aliquid supernaturale in fide. De certitudine per reuelationes non constat, nisi Deus ex priuilegio speciali reuelet, vt fecit Apostolis, & aliis supra. Vide Scotum in 3. dist. 23. §. Sed quid dicis, vbi probat, me non posse scire euidenter habere actum supernaturalem fidei, quia huiusmodi cognitio supponit aliam cognitionem euidentem, nempe illud esse verum, quod creditur; sed mysteria fidei non euidenter, sed obscurè cognoscuntur, ergo & actus supernaturales versantes circa ipsa.

Secundum de cognitione fidei secundum habitum acquisitum, & actum spectatum à supernaturalitate exutum, patet de se, quia hoc totum vti naturale, & non excedens vires potentiæ sciri potest euidenter, & experiri à quouis homine discurrente de hac materia.

Quæres 36. An fideles teneantur credere certo se esse de numero prædestinatorum? Quæstio cohæret alteri sub q. 34. hæreticorum asserentium fidem à Deo dari solis prædestinatis, ac proinde in illorum sententia, seu potius errore sequitur, eos se debere tenere in numero prædestinatorum.

℞. Nemo fidelis tenetur hoc credere, vt de fide definitum fuit in Tridentino sess. 6. can. 15. *Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit.* Ratio est, quia obligatio credendi virtute fidei est tantum circa obiecta à Deo reuelata; sed quod hic, vel ille sit in numero prædestina- 111

prædestinatorum non est à Deo reuelatum, non enim singularis prædestinatio est obiectum fidei, ergo nullus id credere debet, imò id dicens hæreticus est ex determinatione dicti Canonis.

Caluinistæ sentiunt oppositum, & probant ex Epist. 1. Ioannis 5. 13. *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.* Qui scit se habere vitam æternam certo scit, & credit se esse in numera prædestinatorum. Respondetur hanc cognitionem non prouenire ab assensu fidei, sed à fiducia, qua quis actu habet certam spem futuræ vitæ, vt exponit ipse Sanctus Euangelista in sequentibus verbis. *Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum*, de qua mox dicendum.

Quæres 37. An idem sit fides, quod fiducia?

112 ℞. Fides non est fiducia, Matth. 9. 2. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ecce fides supponitur à fiducia, quæ nihil aliud est, quam firma spes æternæ salutis, de qua S. Thomas 2. 2. *quæstione* 127. *articulo* 9. debemus enim certam spem, & firmam circa promissiones Dei, qui suis stat promissis. Fiducia spectat ad voluntatem, cuius est actus, sicuti est spes; Fides vero ad intellectum, cuius est actus, Hebr. 11. 3. *Fide intelligimus.* Deinde fiducia dicit certitudinem in spe eorum, quæ speramus, nempe diuinas promissiones, cum igitur fides alia sit virtus à spe, est quoque quid diuersum à fiducia, quæ inest spei, Et ita de fide definiuit Tridentinum sessione 6. Canon. 12 *Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit.* Fides ergo in his nihil commune habet cum fiducia, sed ita pertinet ad spem, vt semper supponat fidem.

Lutherani affirmant fidem esse fiduciam de misericordia Dei remittentis peccata per Christum. Probant ex illo Roman. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Cor autem supponit pro voluntate, iuxta illud: Diliges Deum ex toto corde tuo, id est, voluntate. Deinde ibidem 4. 20. dicitur: *Non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide.* Ecce fides opponitur diffidentiæ, sicut fiducia, ergo sunt vnum, & idem. Demum Iacobi 1. 6. *Postulet in fide nihil hæsitans.* Fiducia autem excludit hæsitationem, sicut fides, ergo coincidunt.

113 Respondetur his auctoritatibus malè intellectis ab ipsis, Primæ quidem, nomen cordis supponere pro intellectu loco citato, vbi clarè constat Apostolum loqui de fide quatenus est assensus intellectus in res reuelatas. Secundæ, nomen diffidentiæ ac-
114 cipitur pro incredulitate. *Non hæsitauit diffidentia*, id est, non fuit incredulus Abraham, sed in fide constans. Tertiæ, Iacobus loquitur de fiducia, qua quis firmiter sperat futurum miraculum, gratiam, aut aliud à Deo. Constat ergo ex his nomen fidei quandoque exire à propria significatione ad extraneam, significare nimirum firmitatem spei circa diuinas promissiones, non ideo tamen sequi fidem esse fiduciam.

Quæres 38. An sola fides sine operibus possit hominem iustificare?

115 Respond. Negatiuè, sed fidei bona opera sunt adiungenda cum pœnitentia, est Doctrina certa, & clara de fide exposita à Sancto Iacobo capite secundo, numero decimo quarto. *Quid proderit Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Item numero 17. *Sic fides si non habet opera, mortua est in semetipsa.* Item numero vigesimo. *Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham nonne ex operibus iustificatus est?* Item num. 24. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Et tandem concludit. *Sicut enim corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Paulus scribens ad Galat. 5. 6. dicit: *Fides per Charitatem operatur.* Vnde 116
opera vocantur Scutum fidei, quia fides per illa se conseruat viuam, & defendit hominem à morte, ad Ephes. 6. 16. *In omnibus sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Hanc veritatem notam apud Catholicos definiuit contra hæreticos Tridentinum sess. 6. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit.* Homo igitur per solam fidem non iustificatur, sed ad gratiam se præparare debet, & disponere per propria bona opera, quæ fidem viuam contineant. Ratio igitur est, quia iustificare hominem est illum de morte spiritali animæ reducere ad vitam spiritualem; fides autem sola sine operibus caret vita salutis, ergo hominem iustificare, & viuificare non potest, nisi adiuuetur bonis operibus, quibus se disponat homo ad gratiam iustificationis. Omnes autem virtutes cum fide coniunctæ hominem præparant ad iustificatio-
nem, concurrit enim timor Dei, Eccli 1. 28. Miseri- 117
cordia, & veritas, Prouerb. 16. 6. Baptismus, & Pœnitentia Act. 2. 38. Charitas, & dilectio Lucæ 7. 47. Spes, Prouerb. 28. 25. Roman. 8. 24. Epist. 1 Ioann. 3. 3. Omnes igitur virtutes, per quas homo bene operatur concurrunt ad iustificationem hominis, & remissionem peccatorum præparatoriè, & dispositiuè; sicut enim omnes virtutes detrimentum patiuntur ab vno vitio, inquit D Aug. relatus cap. 1. dist. 5. de
Pœnit. ita omnes concurrunt ad destructionem pec- 118
cati, quasi in illius vindictam.

Fides igitur se sola non potest hominem disponere ad iustificationem, nisi coniuncta habeat opera, quæ illi vitam tribuant ad iustificationem, vt probatum est. Per fidem igitur viuam dicitur homo iustificari dispositiuè, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix iustificationis ex Tridentino *sess. 6. cap.* 8. Homo autem gratis per fidem, & opera dicitur iustificari, quæ nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur, non enim esset gratia, si ex operibus daretur.

Fides demum hominem iustificat non formaliter, & immediatè producendo gratiam simul cum operibus, id enim spectat ad Deum, & ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt docent omnes Sancti Patres; sed tantum præparatoriè, & dispositiuè, vt forma gratiæ possit induci in subiectum dispositum ad similitudinem formarum physicarum, quæ non introducuntur in subiectum, nisi prius præparetur, & disponatur ad illas recipiendas. Quod autem fides non iustificet formaliter fidelem patet ex eo, quia sequeretur, quod homo Christianus semper esset iustus, quia semper habet fidem, ac proinde sequeretur, quod simul posset esse iustus, & peccator, cum in vtroque sit fides. Quod nec sit causa productiua gratiæ, patet, quia solum Sacramenta hanc virtutem à Deo obtinuerunt, est igitur fides causa solum dispositiua subiecti, & non introductiua gratiæ.

Hæresis fuit ab initio Ecclesiæ in Simone Mago, qui per solam fidem putauit hominem iustificari, cuius errorem renouauerunt hæretici Lutherus, & Caluinus, & alij, quib. tanquam impigris, & accidia plenis placuit inertia, & otium, arbitrantibus in curru vitiorũ, seu potius in lecto deliciarũ huius mundi se paradisum cõscendere posse, vt hac plausibili via post se abducerent Discipulos in profundum inferni. Probant hoc locis Sacræ Scripturæ. Primò Rom. 3. 28.

Arbitra

Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus. Secundò ad Ephes. 2.5. *Saluati estis per fidem, non ex operibus.* Item Tertiò Rom. 3.24. *Iustificati eratis per gratiam ipsius*, ergo sine operibus Quartò Luc. 17.50. *Fides tua te saluum fecit.* Item Ioan. 1.12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Idem Ioan. 3. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* Clarum est ex his, inquiunt hæretici, solam fidem iustificare, non ergo necessaria sunt opera.

℟. Ad primum, & secundum locum, ibi Apostolum loqui de fide Euangelij, per quā putat hominē iustificari, & non per opera legis quæ per mortem Christi, cessauerunt, non excludit opera, quę includuntur in fide Christi, nam Euangelium vtrumque continet fidē Christi, & opera, quæ homo facere debet, vt se disponat ad iustificationem, igitur Apostolus bene locutus fuit, fidem iustificare sine operibus legis, quia post mortem Christi opera legis non amplius viuunt, sed opera fidei à Christo Domino præscripta in suo Euāgelio; & hoc colligitur ex eodem textu sub n. 20. ibi: *Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo.* Ad tertium, homo dicitur per gratiam iustificari, id est, gratis, non ex propriis meritis, non ideo tamen excluditur præparatio operum à iustificatione cum fide. Ad quartum dico, in illis locis, in quibus iustificatio tribuitur fidei, nulla est dictio taxatiua excludens opera, neque subintelligi potest, quod suadetur, quia aliter sequeretur, alias etiam virtutes per se ipsas tantum posse hominem iustificare sine concursu aliarum virtutem, iuxta auctoritates superius hic citatas. Deinde non est maior ratio, cur vna virtus concurrat ad iustificationem, & non aliæ, cum bonum sit ex integra causa, malum vero ex singulis defectibus, sicut enim qui vnam possidet virtutem omnes habet, ita qui caret vna, omnibus est priuatus, ex Gloss. v. *Flore cap. Nisi pridem* 10. *de renunt.*
119 ergo ad vnam recuperandam aliæ concurrunt; neque releuat, quod sine fide nihil valeant aliæ virtutes, quasi in virtute illius cæteræ operentur; hoc enim solum probat fidem esse radicem, & fundamentum cum quo aliæ operantur, quibus per illud non tollitur propria virtus operandi ad dispositionem iustificationis.

Quæres 39. An ad iustificationem sit necessarium vt quis certo credat, omnia peccata sibi esse remissa per merita Christi?

120 ℟. Negatiuè, quod de fide definitur in Tridentino sess. 6. can. 13. & can. 14. his verbis: *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, vt credat certo, & sine vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & dispositionis, peccata esse sibi remissa, anathema sit.* Canone 14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis absolui, & iustificari ex eo, quod se absolui, & iustificari certo credat, an neminem esse iustificatum, nisi qui credit, se esse iustificatum, & hoc sola fide absolutionem, & iustificationem perfici, anathema sit.* Damnantur ergo illi tanquam hæretici, qui ad assequendam iustificationem, aut ad eius effectum postulant certam credulitatem, quasi iustificatio, & absolutio à peccatis per fidem perficiatur. Fides enim esto sit initium nostræ iustificationis, non tamen certam cognitionem ad id postulat, quia nemo scire potest an dignus sit odio, an amore ex illo Eccles. 9. 1. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.* Clarius Eccli. 5.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* D. Paulus ad Rom. 11.20. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Ad Philipp. 2. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Iob. 9. 21. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* Salus ergo hominis non pendet à certa cognitione, sed tantum creditur cum timore, & tremore.

Hæretici cum Caluino asserunt, hominem iustificari ex fide nihil aliud esse, quam certo credere peccata sibi esse remissa per merita Christi, quod probant Matth. 9. 2. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Et infra num. 22. *Confide fili, fides tua te saluum fecit.* Item ex Symbolo *Credo remissionem peccatorum.* Ergo nemo iustificari potest nisi certo credat, sibi remissa fuisse peccata; credere enim secundum fidem est certo tenere, quod creditur.

Contra est, quia obiectum fidei certo, & sine vlla hæsitatione credendum est omne id, quod à Deo reuelatum est, Deus autem nulli reuelauit in indiuiduo, quod sint illi remissa peccata, exceptis nonnullis paucis, de quibus in Euangelio, exemplum sit in Magdalena, cui Christus reuelauit peccata sibi esse remissa, quod ipsa credere omnino debebat, hoc tamen non facit ad iustificationem, quia reuelationem, qua certo credidit remissionem propriorum peccatorum, habuit postquam absoluta, & iustificata fuit. Ad auctoritates respondetur, nam confidere, & credere non habent pro obiecto remissionem propriorum peccatorum, sed quod Christus possit illis conferre illud beneficium, si enim non credidissent, beneficium non recepissent, vt dicitur Marci 9. 22. de illo patre, cuius filius à Christo non fuisset liberatus, si non credidisset, Christum posse liberare à vexatione dæmonis, ibi: *Si potes credere omnia possibilia sunt credenti: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Ad illud *Credo remissionem peccatorum.* Respondeo, actum credendi hic habere pro obiecto remissionem peccatorum in genere, non huius, vel illius, quia fides ad singularia non se extendit, dum in genere refertur ad obiectum.

Quæres 40. An quis certo credere debeat se esse in gratia, & habere donum perseuerantiæ?

℟. Non debet, nec potest definitum in Tridentino sess. 6. can. 16. *Si quis magnum illud vsque ad finem perseuerantiæ donum, se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Hoc patet etiam ex præcedentibus, quia ad hoc certò credendum necessaria est specialis reuelatio a Deo, de qua certum est non constare, & oppositum colligitur ex allatis auctoritatibus in præcedentibus. Ad quod etiam facit illud Christi præceptum, dum Lucæ 10.4. mittendo Apostolos ad prædicandum Euangelium, prohibuit illis: *neminem per viam salutaueritis*, id est, certum feceritis de sua salute. 121

Caluinistæ docent, nos certo credere debere, habere gratiam, & donum perseuerantiæ, innixi diuersis locis Sacræ Scripturæ. *Primò* ad Roman. 8.16. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Hoc est, Spiritus sanctus nos facit certos de nostra salute, ergo certo scimus, nos esse in gratia Dei. *Secundò* Epist. 1. Ioan. 3. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam.* Item c. 4. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Item c. 5. 18. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Patet ergo certitudo gratiæ in nobis. *Tertiò*, Paulus 2. Corinth. 13.5. *Vosmetipsos tentate si estis in fide, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis.* Ratio est, quia petentibus cum oratione Deus concedit quicquid petunt, Marci 11. 24. *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Ergo petitam gratiam & perseuerantiam certo habemus.

Respondetur ad omnes supradictas auctoritates, illas esse intelligendas de cognitione, & reuelatione diuina in genere, per quam certo scimus, & credimus esse reuelata mysteria, & reperiri in nobis præscindendo ab hoc, vel illo homine, certissimum enim est Christum manere in nobis dum illius gratiam habemus. Hæc vero omnino incerta sunt, & ignorantur respectu singularum personarum, non enim ego dicere 122

cere possum, me scire, habere gratiam, esse iustum, & habere donum perseuerantiæ, quia hæc scire non possum, nisi per specialem reuelationem, quæ non datur, nisi ex speciali Dei priuilegio certis personis. Vide Becanum q. 11. de iustific. Caluini, vbi respondet ad singula loca.

Quæres 4. An fides semel à Deo homini infusa perdi possit?

123 ℞. Fides infusa perditur solum per peccatum infidelitatis ei oppositum; nequaquam vero per quodcumque peccatum aliud quantumcumque graue. Fides vero acquisita non perditur etiam per peccatum infidelitatis.

Prima pars, quod fides infusa perdi possit, probatur de fide 1. ad Timoth. 1. 19. *Quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Cap. 4. initio. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide* cap. 6. in fine. *Quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Ioan. 7 28. *Periit fides, & oblata est de ore eorum.* Quod magis patebit in sequentibus.

Secunda pars, quod fides per infidelitatis peccatum perdatur, probatur de fide Ierem. 7. 28. *Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam, periit fides, & ablata est de ore eorum.* Loquitur de Iudæis obstinatis nolentibus audire vocem Christi, ideo facti infideles fidem perdiderunt. Paulus Epist. 1. ad Timoth. 6. extremis verbis. *Deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* Nomine prophanarum nouitatum, & oppositionum veniunt hæreses, quæ destruunt fidem. Vnde idem Paulus 2. Corinth. 6. 14. inquit fidelibus contra infideles. *Nolite iugum ducere cum infidelibus quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate; aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Comparantur ad inuicem fidelis, & infidelis, sicut iustitia, & iniustitia; sicut lux, & tenebræ; sicut Christus, & Dæmon; sicut Deus & idolum, sed impossibile est, quod hæc simul sint in eodem subiecto, quia vnum destruit aliud, ergo impossibile est, quod fides maneat in homine facto hæretico, & infideli. Ratio igitur est, quia vnaquæque virtus, & vnusquisque habitus destruitur, & corrumpitur per suum contrarium vitium, & habitum; sed infidelitas, & hæresis est vitium directe oppositum virtuti, & habitui fidei, ergo infidelitas superueniens corrumpit fidem, etiamsi sit vnicus hæresis actus, quia

124 fides infusa non pendet à pluralitate actuum, imò neque ab vno, quia nobis sine nobis infunditur, ideo per vnicum actum infidelitatis destruitur etiam in ratione habitus, qui in subiecto non generatur, sicut fides acquisita, quæ per vnum, aut alterum actum non corrumpitur, sicut enim per plures actus acquisitus fuit habitus fidei, ita & plures corrumpi necesse est.

125 Tertia pars, quod per alia peccata quantumuis enormia non perdatur fides, probatur ex doctrina Concilij sess. 6. cap. 15. ibi: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Ex quibus probatur præcedens pars responsionis, quod per infidelitatem perditur fides, & sequens, quod per alia peccata mortalia non perditur fides. Ratio est, quia vnaquæque virtus, & vnusquisque habitus bonus corrumpitur tantum per suum vitium sibi directè contrarium; sed habitui fidei, præter vitium infidelitatis, nullum aliud peccatum aduersatur, ergo nec corrumpitur.

Quarta pars, quod fides acquisita remaneat, nec per vllum peccatum etiam infidelitatis destruatur, probatur non alia ratione, quam experientia, nam hodie doctissimus Theologus fidelis, cras factus infidelis, imò & Apostata omnia negans, nihilominus eodem modo, eadem facilitate discurrit: quibus de hac eadem materia disserebat præteritis diebus, ergo signum est eandem manere de fide cognitionem habitualem, quam ante habebat. Alia non est differentia nisi quod propositiones, quas alias credebat veras, nunc pro falsis habet, & pro veris, quæ reuera falsæ sunt, nihilominus de vtrisque facile discurrit.

Durandus *in 3. distinct. 23. quæst. 9.* putauit, fidem remanere in infidelibus, Tum quia discurrunt, sicut ante; sed iam respondi, hunc discursum prouenire ab habitu acquisito, non infuso, quo carent. Tum quia multa credunt communia fidelibus, ac proinde ex eodem motiuo diuinæ reuelationis, non enim negant Deum esse veracem reuelatorem. Respondeo, vtrumque quidem credere communia mysteria fidei ex eadem diuina reuelatione, sed non eodem modo, nam Catholici credunt prout sunt prpposita ab Ecclesia, hæretici verò ex propria voluntate, & persuasione. Demum dicit, posse conseruari habitum cum vnico actu contrario, consequenter per vnicum hæresis actum non destrui fidem. Dico, id procedere in habitibus acquisitis, sicut enim ex pluribus actibus eiusdem rationis generantur habitus, ita pariter per plures destruuntur, & non per vnicum; habitus vero infusi non generantur, nec ex sua conditione postulant præcedentem actum, vt patet in paruulis, qui nihil credunt, & tamen illis infunditur a Deo fides habitualis, ideo mirum non est, si per vnicum actum corrumpuntur.

Lutherani volunt per quodlibet peccatum mortale perdi fidem. Probant, quia putant esse necessariam connexionem inter fidem, & charitatem, ita vt vno sublato, alterum corrumpatur; sed per quoduis peccatum mortale tollitur charitas, ergo & fides indiuisibiliter illi coniuncta. Volunt ergo, hominem aut non habere fidem, aut in eo illam esse semper viuam. Confirmant id Ioan. 13. 35. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Psalm. 32. 4. *Et omnia opera eius in fide.* Per dilectionẽ quis cognoscitur discipulus Christi, ac proinde habere fidem, ad quam omnia opera referuntur. Itaque habens fidem habet omnes virtutes, & qui illa caret, est sine illis, ac proinde fide destitutus dilectione caret.

Supponit vnum falsum, nimirum eam connexionem inter fidem, & charitatem, adeo quod vnum dari non possit sine altero, nam oppositum probaui supra remanere fidem in peccatore, quod Paulus 1. Corinth. 13. 2. apertè docet: *Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Manet ergo fides sine charitate. Rahab erat peccatrix, quia meretrix, & tamen fidem habebat, vt dicitur ad Hebr. 11. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis.* Vnde contra istos definiuit Tridentinum sess. 6. Can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Tres articulos continet hic Canon. Primus est, quod fides non semper perditur amissa gratia. Dicitur *Non semper* propter peccatum infidelitatis quod solum facit cum gratia perdere fidem. Secundus est, quod fides peccatoris est vera fides non ficta, remanet enim in seipsa sicut erat ante, licet de formata facta sit informis, quod illi non nocet quoad veritatem suæ entitatis. Tertius est, quod habens fidem sine charitate remanet adhuc verus Christianus, cum non obstante peccato possit profiteri fidem sicut ille, qui habet charitatem. Quod fides non habeat connexionem cum charitate adhuc probatur 126

probatur ratione Philosophica, quia prius potest esse sine suo posteriori, cui ex necessitate non coniungitur, licet posterius non possit esse sine suo priori; sed fides est prior charitate, quæ est posterior secundum veritatem, & enumerationem factam à D. Paulo 1. *Corinth.* 13. 13. impossibile enim est placere Deo sine fine, *ad Hebr.* 11. 6.

Nec quicquam probatur per illa duo loca, nam in primo non est sermo de cognitione fidei, sed de cognitione discipulorum, qui censentur Christi sectatores per dilectionem, amorem, & conuersationem cum illo. Ad secundum, omnia opera eius in fide, id est, sunt bona, vera, & perfecta. Itaque nihil est pro hæreticis. Demum tribuantur omnia opera fidei, nihil inde sequitur fauore hæreticorum, sed solum infertur, fidem esse initium, & fundamentum, super quod Christianus ædificat omnes suas operationes, quæ sicut sine charitate non sunt meritoriæ vitæ æternæ, ita neque acceptantur à Deo, nisi fiant ab homine fidem habente in Deum.

Quæres 42. An dubitans de fide perdat fidem?

127 ℞. Affirmatiuè, quia infidelis non habet amplius fidem, vt probaui præcedenti quæstione; sed dubius in fide est infidelis cap. 1. de hæreticis, ergo dubius in fide perdit fidem. De qua re infra cum de hæresi sermo erit.

Quæres 43. An fides iustificans differat à fide miraculorum, & historiæ, adeo quod illa sola iustificet fidelem?

128 ℞. Vnica est fides, quæ iustificat, assumens diuersitatem nominis ab obiectis. Probatur ex Epist. 1. Corinth. 15. 1. *Notum facio vobis Euangelium, per quod Saluamini, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris.* Sed in Euangelio fit mentio de miraculis, & historia, & aliis omnibus mysteriis Religionis Christianæ, ergo fides quocumque denominetur disponit ad iustificationem, & salutem. Rom. 10. 9. *Si in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Quæcumque ergo sunt registrata in sacris litteris siue fides remissionis peccatorum, siue miraculorum, siue historiæ parabolarum, & metaphorarum, quouis modo spectata necessaria sunt ad iustificationem, non enim homo iustificari potest coram Deo, nisi hæc omnia credat.

Caluinus ait solam fidem promissionis iustificare, quam diuidit in generalem, qua creditur remissio peccatorum promissa omnibus in Christum credentibus; & specialem, qua quilibet firmiter credit sibi fuisse remissa peccata, hæc posterior iustificat quemlibet in singulari, non illa, quæ est fides generica, & doctrinalis. Vide Becanum de Iustificat. Caluini quæst. 8.

Errat, quia superius patet fidem secundum omnia mysteria cópleri in ratione fidei, adeo quod fides deficit, sit alis non est respectu omniú credibilium, vnica est erga omnium fidelium fides, & eadem in omnibus, nec dabilis est ea distinctio fidei in generalem, & specialem in eo sensu, quod quilibet certificatur de sua iustificatione, hæc enim, vel illa iustificatio non est de ratione obiecti fidei, quia non constat de hac speciali reuelatione, nisi legatur in Sacra Scriptura, in qua de hac re ne verbum quidem.

Quæres 44. Quid sit credere Deum, Deo, & in Deum?

129 ℞. Credere Deum est credere Deum esse, seu credere in omnes articulos fidei, qui enim credit Deum esse, credit omnes articulos fidei esse veros. Credere Deo, est illi credere vti reuelatori mysteriorum fidei. Credere demum in Deum, est credere in omnes articulos ab ipso reuelatos, seu ipsum Deum amare. Itaque credere Deum refertur in obiectum materiale fidei, credere Deo refertur in obiectum formale eiusdem fidei. Credere in Deum refertur in vltimum finem, ad quem referuntur omnes actus fidei. Hæc collegit D. Thomas 2. 2. *q. 2. a. 2.* ex D. Augustino *serm.* 181. Gloss. v. *Additio cap. Charitas* 14. *dist. 2. de Pœnit.* Primus, & secundus actus credendi referunt ad omnes fideles, siue iustos, siue peccatores, tertius est solum iustorum ex fide formata.

Dices quotidie fideles tum iusti, tum peccatores dicunt: *Credo in Deum*, dum Symbolum recitant, ergo iste modus credendi refertur indistinctè ad omnes. Respondetur primo dici quoad actum credẽdi Deum esse vltimum finem nostrum, non quoad meritum, solum enim iusti hoc modo credunt ex fide formata; secundo ad tollendum mendacium, sufficit, quod boni nomine totius Ecclesiæ orent, & credant meritoriè. Ad credendum igitur in Deum vti vltimum finem sufficit fides informis.

Quæres 45. An fides in omni statu, & pro omni statu fuerit necessaria omnibus hominibus ad consequendam gratiam, & gloriam æternam?

Pro responsione, nota *Primò* quod quatuor sunt 130
status, primus vocatur status innocentiæ ab Adamo vsque ad eius peccatum, quo cæpit secundus status legis naturæ lapsæ propter peccatum Adami vsque ad Moysen, à quo cæpit tertius status naturæ pariter lapsæ dictus status legis scriptę vsque ad Christum, qui quartum dedit statum gratiæ dictum, quia hominem ab innocentia lapsum reduxit ad statum gratiæ, licet non ad statum innocentiæ, quia omnes nascimur filij iræ. Quæstio igitur proponitur super his omnibus
statibus. Nota *Secundò*, necessarium ad præsens dici 131
duobus modis, vno necessarium necessitate medij, quo omisso etiam inculpabiliter, & ignoranter salus non acquiritur. Hoc modo Baptismus, & Pœnitentia sunt necessaria ad salutem. Altero, necessitate præcepti illud dicitur necessarium, quo mandatur aliquid fieri, quo omisso, rationaliter tamen, salus adhuc acquiritur; sic qui non confitetur in Paschate defectu con-
fessarij, contritus tamen acquirit salutem. Omne au- 132
tem id, quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, quia illud cadit sub præcepto, non è contra, cum salus alio medio, rationabili ex causa, acquiri possit pręcepto non adimpleto, & iusta causa. *Nota tertiò*, quod fides profitetur duobus modis, primo per actum internum assensus in-
tellectus credendo; secundo per actum externum con- 133
fidendo fidem, quam credimus. Quæstio procedit de vtraque necessitate, & de fide secundum habitum, & actum internum, de eiusdem Confessione infra sub quæst.

℞. Fides tum habitualis tum actualis pro omni sta- 134
tu semper necessaria fuit omnibus hominibus non solum necessitate præcepti, sed etiam medij, adeo quod sine illa nullus potest acquirere salutem gratiæ, neque gloriæ.

Primum, quod fides habitualis omnibus, & actua- 135
lis habentibus vsum rationis semper in omni statu necessaria fuerit ad salutem, probatur de fide lib. 2. Paralipom. 20. 20. *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera.* Eccli c. 2. n. 6. *Crede Deo, & recuperabit te.* Ad Hebr. 11. 6. *Impossibile est sine fide placere Deo.* Fides igitur necessaria est ad securitatem, seu ad salutem; & prosperitatẽ spiritualiter; omnes in Adam, & cum Adam peccauerunt, ergo omnes egent fide, vt iustificentur à peccatis, & incipiant placere Deo. Ratio est, quia omnes ab initio, & successiuè in quolibet statu per peccatum ceciderunt à gratia Dei, ergo egent fide, vt iustificentur ad gratiam, & gloriam. De fide Adam
constat, quia creatus fuit rectus, & in gratia, ergo cum 136
fide, aliter non fuisset gratus Deo, quia sine fide impossibile est placere Deo. Confirmatur id, quia ab initio,

tio,& ante peccatum cognouit Deum vnum, trinum, & incarnandum, licet non præsciuerit suum peccatum, secundum D.August. lib. 2. de Genesi ad litter. cap.18. hæc vero non cognouit per scientiam visionis, quia erat viator, ergo per scientiam reuelationis, quæ est per fidem, habuit ergo fidẽ tum habitualem, tum actualem de nonnullis diuinis mysteriis. Ergo in statu Innocentiæ fuit fides in nostris parentibus,& illis necessaria, per quam ordinabantur ad credendum mysteria Dei, in ordine ad quem creati fuerant, multo magis eisdem & posteris, vt à peccato resurgere possent,& iustificari. Pro statu naturæ lapsæ habentur diuersa loca Sacræ Scripturæ, vt de Abraham, qui credidit Deo ex Gen. 15. 6. de Achior Gentili, qui relicta Gentilitate credidit Deo, Iudith 14.6. De meretrice Rahab, cuius fides remunerata fuit, ex Hebr. 11. 31. In statu gratiæ id testantur omnes Euangelistæ & Apostoli in suis Epistolis, ergo omni tempore fides necessaria fuit ad salutem, quia in omni statu homo est peccator, ergo in omni statu necessaria fuit
137 fides pro remissione peccatorum & consecutione gloriæ.

Secundum, quod fides necessaria sit tum ad gratiam, tum ad gloriã, probatur de fide respectu gratiæ Act.10.43 *Remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum.* Ad Galat. 2.16. *Non iustificatur homo ex operibus iustitiæ, nisi per fidem Iesu Christi.* Ad Rom. 3.22. *Iustitia Dei per fidẽ Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum.* De necessitate fidei ad gloriam Ioan. 3.14 *Vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Idem cap. 17.3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum veru Deum, & quem misisti, Iesum Christum.* Tridentinum Sess.6. cap.7. *Cum petunt fidem vitam æternam præstantem.* D. August. Serm. 28. de Tempore vtrumque clare testatur his verbis: *Fides est humanæ salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium peruenire potest, quia sine ipsa, nec in hoc sæculo quisquam iustificationis consequi gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam.* Fides ergo Catholica necessaria est ad consecutionem gratiæ, & gloriæ, itavt homo sine illa perit in æternam damnationem.

Becanus *cap. 12. de fide q. 1.* refert opinionem Vegæ *lib. 6. in Concil. Trident. cap. 20. & 21.* & aliorum asserentium, hominem sine fine iustificari posse, si naturaliter cognoscat Deum, bene agendo, supposito, quod habeat inuincibilem ignorantiam de fide, de qua nunquam audierit. Probat *Primò* Rom. 2. 13. *Non auditores legis, sed factores iustificabuntur apud Deum.* Ergo iustificatio pendet à solis operibus respectu eorum, qui pœnitus fidem ignorant. *Secundò* quia ab initio mundi vsque ad Euangelium sola obseruatione legis naturalis,& scriptæ cum naturali cognitione Dei saluabantur sine fide. *Tertiò*, quia nutritus in Syluis cum sola obseruatione mandatorum sine fide illi non prædicata, saluabitur, quia Deus non deest facientibus, quod in se est, ergo dabit illi gratiam, & gloriam sine fide. *Quartò* de eo adulto sine vlla fidei instructione baptizato,& statim moriente, iste enim consequitur baptismi gratiam, & vitam æternam sine fide.

℞. Omnibus hominibus necessariam esse fidem ad salutem, aliter carens illa peribit in æternum. *Ad primum* argumentum respondetur, quod per illam auctoritatem non excluditur fides, sed Apostolus probat non per solam fidem significatam in illis verbis, *Non auditores*, sed cum operibus iustificare hominem apud Deum, iuxta superius dicta sub q. 38. *Ad secundum*
138 patet supra in omni statu fidem fuisse necessariam ad salutem. *Ad tertium* respondent Becan. *Cap. 12. de fide q. 1. num. 18.* Faber *disp. 7. de Pœnit n. 36. & 41.* Corduba *lib. 2. q. 4.* Tabiena *v. Credere n. 5.* Deum illi non de futurum, sed illuminaturum per ministrum ad susceptionem fidei,& Baptismatis, vt illuminati fuerunt Eunuchus Reginæ Æthiopum Act.8.& Cornelius Centurio Act.10. iuxta illud: *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Id est, voluntate antecedenti, quantum est ex parte sua, & ex suppositione, quod non ponat Obicem, si enim male agit, non illuminatur instructione fidei, sed perit propter sua mala opera, neque enim Deus tenetur id præstare, cum pendeat tantum ex sua mera liberalitate. Neque enim est aliqua lex à Deo statuta dandi auxilia actualia gratiæ præuenientis facientibus totum quod in se est, ex sola facultate naturæ. Aluarez lib.4. cap. 1. de diuinis auxil. *Ad quartum* dico illi adulto sufficere fidem habitualem in Baptismate receptam, æquiparatur enim infanti, cui impossibile est elicere actum fidei, sicut adulto carenti vsu rationis. Neque obstat illud Marci: *Qui non crediderit condemnabitur*, quia intelligitur de habentibus vsum rationis cum cognitione fidei, quam nolunt credere, vt colligitur ex aliis verbis: *Docete omnes Gentes*, præ requiritur ergo cognitio fidei, cui si noluerint assentiri, sunt condemnati tanquam increduli, & infideles positiuè, qui enim nunquam audierunt de fide non possunt dici aduersari fidei, de qua nullam habent notitiam. Hinc

Quæres 46. An dari possit ignorantia inuincibilis circa fidem?

℞. Potest dari ignorantia inuincibilis fidei in genere respectu quorumcumque Gentilium in partibus 139
remotissimis, quo non peruenit Euangelij prædicatio; respectu vero Catholicorum, Hæreticorum,& Iudæorum non potest dari ignorantia inuincibilis fidei in genere, vtique vero circa aliquos articulos. Ignorantia autem respectu eorum, qui sunt necessarij necessitate medij, esto sit inuincibilis, nihil prodest, sed tantum respectu aliorum, qui sunt necessarij necessitate præcepti.

Prima pars, quod detur ignoratia inuincibilis res- 140
pectu Gentilium suadetur ex illo Pauli ad Rom. c. 10. n. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine prædicante.* Gentes autem fidem non audierunt, quia illis non fuit prædicata, in multis enim locis eorum à fidelibus remotissimis non habent, qui illos instruant, ac proinde nec viam, nec modum, aut aliud remedium habent, per quod suam ignorantiam vincere possint.

Nec obstat, quod *in omnem terram exierit sonus* 141
Apostolorum,& prædicatorum, quia aut id intelligitur respectu illorum, ad quos peruenit sonus illorum, & isti potuerunt vincere ignorantiam audiendo,& recipiendo fidem; aut sumitur indifferenter, & respectu locorum, non respectu omnium in indiuiduo, & sic qui non audierunt, retinent inuincibilem ignorantiã, neque enim dicitur, quod Euangelium peruenerit ad aures omnium in singulari, sed in omnem terram; vel accipitur pro omni temporis differentia, ac proinde, quod Euangelium, & fides prædicabitur vsque ad consummationem sæculi, ergo illi, quibus non fuit prædicatum, adhuc retinent ignorantiam inculpabilem. Ita docent Faber *disp. 7. de Pœnit. n. 45.* Clauis Sayri *lib. 2. c. 9. n. 15.* Bonac *q. 8. de peccat. p. 3. n. 9.* Sanch. *lib. 1. c. 16. n. 32.* cum D. Thoma *2.2. q. 10. a. 1.*
Vbi distinguit duplicem infidelitatem, negatiuam 142
eius, qui nunquam audiuit de fide; & contrariam eius; qui aduersatur fidei, cuius notitiam habuit, hic ergo ab ignorantia non excusatur, cum habere possit scientiam, ille verò excusatur propter ignorantiam inuincibilem.

Hæc est grauissimum hæresis peccatum, Negatiua vero non est peccatum, quod deducitur ex illo *Ioan. cap. 15. num. 22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum*

peccatum non haberent; *nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, id est, infidelitatis ex D. August. *tract.* 89. *in Ioannem*, licet autem infidelitas negatiua non sit formaliter peccatum, est tamen pœna peccati ex eodem D. Aug. *Epist.* 109. *ad Sixtum*.

143 Secunda pars, quòd respectu fidelium non detur ignorantia inuincibilis fidei in genere, neque principalium mysteriorum ad salutem necessariorum necessitate medij, probatur, Tum quia nullus reperitur Christianus, qui aliquando aliquid non audierit de fide, cum in illa omnes fideles enutriātur, & educentur. Tum quia turpe est ignorare ea, quæ omnes sciunt, Arist. 2. *Rhetor.* sed ad omnes Christianos pertinet scire fidem esse, quia *accedentem ad Deum oportet cre-*
144 *dere*, *cap.* 11. *Hebr.* n. 6. Tum quia culpabilis est ignorantia, qua quis ignorat ea, quæ ad suum statum pertinent, præsertim principalia Panorm. *in cap. Cum in cunctis*, *cap. Qualiter*, *de elect.* D. Thomas 1. 2. *q.* 76. *a.* 2. Sylu. *ver. ignorantia num.* 6. in terminis de mysteriis
145 fidei. Tum quia non licet ignorare ea, quæ publicè fiunt, *cap. quod dicitis dist.* 16. *cap. Qui & diuinis* 24. 12. *q.* 2. sed fides, & Euangelium publicè, & vbique prædicatur inter Catholicos, ergo quis non potest iuste ignorare saltem principaliora fidei mysteria, cuiusmodi sunt, Deum esse vnum, trinum, incarnatum, mortuum pro nobis. Quod verò detur ignorantia inculpabilis respectu multorum articulorum fidei, omnes concedunt cum Nauar. *c.* 11. *n.* 22. § 8. Sayr *lib.* 2. *Clauis c.* 9. *n.* 15. Sanch. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 20. & alij communiter.

146 Tertia pars, quòd in Hæreticis, & Hebræis locum non habeat ignorantia, sicut & in Christianis, suadetur. Tum quia nostram fidem quotidie impugnant ergò illius cognitionem habent. Tum quia commiscentur, & communiter conuersantur cum fidelibus, vbi notissima est fides Christi; ergo excusationem ignorantiæ non habent, si quidem conuersans dicitur bene scire mores eorum, cum quibus conuersatur. *cap. Postquam* 3. *de elect. cap. quosdam* 7, *cap. quanto* 8. *de præsumpt.* Quare Hæretico asserenti, se nihil scire eorum, quæ spectant ad fidem, & ideo non peccasse, neque proinde esse excommunicatum, credendo articulos suæ sectæ contra veram fidem, credendum non est. De istis Gratian. loquens *caus.* 1. *q.* 4. *in fine* dicit, quod ignorantia Iudæorum, & reliquorum infidelium illos non excusat ignorantes illa, quæ à Prophetis de Christo fuerunt pronuntiata. Prædicta confirmantur, quia errores illorum sunt contrarij, & aduersantur, imò contradictoriè opponuntur nostris articulis: ergò hos non possunt ignorare, quia cognito vno contrariorum cognoscitur & alterum, *l. Ex duobus ff. de vulgar. substit.*

Deducitur hinc, quendam confessarium non potuisse se tueri ab illicita, & inualida absolutione Hæretici, quem asseruit inuenisse tantum materialiter Hæreticum; quia interrogatus respondit, se nihil scire de spectantibus ad nostram fidem, nam id est incredibile, & quia Caluinista educatus fuerat in loco, vbi etiam degebant Catholici, & quia è patria discedens militauit plures annos in diuersis exercitibus Catholicorum, etiam Sanctitatis suæ, ex quo reiecta fuit excusatio confessarij tanquam falsa, & vana.

Demum aduertè, quòd in Hispania ab Hæreticis non potest allegari ignorantia, quæ eos excusare valeat ab incursu excommunicationis ob diligentiam, quam adhibent in prædicanda fide Catholica, vt docet Mendoza 2. 2. *disp.* 89. *sect.* 2. § 9. quam pro se citat Diana *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 18.

Quæres 47. Quænam explicite credenda sint non solùm ex necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij ad salutem.

℟. Ad consequendam gratiam, & gloriam oportet necessitate medij explicite credere vnitatem Dei tantum; cætera vero vt Trinitas, Incarnatio, & quæ in Symbolo exprimuntur solum necessitate præcepti.

Primum de vnitate Dei probatur ex illo Hebr. 11. 147
Credere oportet, accedentem ad Deum, quia est, & qui inquirentibus se remunerator sit. Verbum enim *oportet* necessitatem importat ineuitabilem, cum à solo Deo omne bonum procedat, & ideo necessitate medij explicite credendum est, ipsum existere vnum, & esse bonorum largitorem. Ratio est, quia initium nostræ salutis à solo Deo est, ergo ad eum accedere debemus per fidem, confitentes eum esse verum, & vnicum Deum supremum Dominum, & largitorem omnium bonorum. Ab hoc nullus Catholicus, imò nec hæreticus discrepat.

Secundum de Trinitate, & Incarnatione non cre- 148
dendis necessitate medij suadetur. *Tum quia*, nullibi in Sacra Scriptura, Traditionibus, aut in Conciliis stabilitur hæc obligatio, ergo asserētia non est. *Tum quia*, iugum Christi non esset suaue, & onus leue, sed rigidum, & asperum, ac proinde multi innocentes perirent, quia hæc mysteria sunt difficillima intellectu, quod vero vnus tantum sit Deus etiam lumine intellectus percipi potest, ergo verisimile est, Deum hominem non obligasse cum tanto pondere ad credendum hæc mysteria, quæ instructus tantum capere potest Dei auxilio, & quo tunc obligatur ea credere tantum ex præcepto. *Tum quia*, necessitas medij respicit omnem temporis differentiam pro quolibet statu, vt patet ex q. 45. semper enim fuit necessarium necessitate medij credere explicite vnum Deum esse, non vero eius Trinitatem, & Incarnationem, nisi post publicationem Euangelij, secundum aliquos, non vero eadem credere nisi implicitè ante Euangelij promulgationem.

Quod autem non sit necessarium necessitate medij, sed tantum præcepti credere explicite Trinitatem, & Incarnationem docent Ricardus *in* 3. *dist.* 25. *a.* 4. *q.* 1. Sotus *lib.* 2. *de natura & gratia c.* 11. & 12. & *in* 4. *dist.* 5. *q. vn. a.* 2. *dub. vlt.* quos cum aliis quatuordecim Doctores citat Vercellus *de Apostol. mission. tit.* 1. *de fide q.* 4. *sect.* 2. *n.* 8. de Incarnatione; de mysterio vero Trinitatis *q.* 5. Layman *c.* 7. *de fide* §. *Contraria*, Castro Palao *p.* 1 *tr.* 14. *disp.* 1. *p.* 9. *n.* 7.

Fidem vtriusque esse necessariam necessitate medij, & non tantum præcepti asserunt Molina, Valentia, Sanchez cum aliis apud præcitatos. Probant *Primò*, quia nemo salutem consequi potest sine Baptismo qui datur expressione Trinitatis, ergo sicut Baptismus est de necessitate medij, ita & fides explicita Trinitatis. *Secundò*, quia saluari nemo potest nisi fiat Christianus, & cum Christo vniatur in fide eius Incarnationis. *Tertiò*, quia lex Euangelij in totum fundata est in Christo, ergo impossibile est, quod quis saluetur sine eius cognitione, vnde Ioannis 17. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Eadem ergo necessitate cognoscenda est Incarnatio Verbi, qua intelligitur & creditur vnitas veri Dei, nisi non solum necessitate præcepti, sed etiam medij.

℟. Obiecta argumenta, & loca Scripturæ, quæ ab Aduersariis referuntur, nihil aliud probare, nisi cognitionem horum mysteriorum esse necessariam necessitate præcepti, non medij. Vnde ad primum dico, verum quidem esse, sine Baptismo non posse quemquā saluari, & in eo profiteri expresse Trinitatem personarum ex præcepto tantum, non ex necessitate medij, nam paruulus hoc ignorat mysterium, cui in hoc æquiparantur adhuc si sine instructione horum mysteriorum baptizaretur. *Ad secundum*, sicut paruulus per Baptismum sine actu fidei proprio vnitur Christo, & quare non vniri potest adultus, si casu sine instructione

structione baptizetur? *Ad tertium*, esto lex Euangelica tota sit in Christo fundata, id arguere aliud non potest, nisi quod de ea instructus habet debitum credendi ex præcepto, si vult saluari, non autem ex medio, cum sufficiat cognitio vnius Dei, in qua implicite cognoscitur eiusdem Incarnatio.

Quæres 48. Alias 30. An quilibet homo in sua fide bene viuens saluari possit, siuè ille sit Iudæus, siuè Paganus, siuè Lutheranus, aut alia ratione diuisus à fide
149 quam tenet Romana Ecclesia? Suadetur pars affirmatiua ex quadruplici statu hominis, primus dicitur innocentiæ, in quo homo primus conditus fuit in gratia, sanctitate, & iustitia, vt colligitur ex Tridentino *Sess.* 5. *Can.* 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam cum mandatum Domini in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, &c.* Hæc autem gratia illi data fuit vt donum naturæ, non personæ tantum, ac proinde data illi fuit simul cum natura, adò quod si non peccasset posteri à Deo cum innocentia creati fuissent, neque illi fuit necesse se disponere ad illam, quia dispositio prærequiritur tantum in peccatore ad recuperandam gratiam iam amissam. Istæ autem Innocentiæ status parum durauit, Adamo cadente ab illo ex comestione pomi vetiti. Secundus status dicitur naturæ corruptæ ad distinctionem præcedentis, in quo natura erat integra ante peccatum, & per hoc corrupta, & sic à peccato Adami incœpit naturæ corruptæ status, qui dicitur naturæ ad distinctionem status legis scriptæ, qui dicitur tertius status à Moyse, cui Deus per Angelum tradidit legem scriptam populo Iudæorum promulgandam, qui durauit vsque ad mortem Christi, à quo incœpit. Quartus status dictus legis Euangelicæ. In his omnibus statibus post peccatum Adæ reperiuntur saruati ex hominibus vnusquisque in fide sua bene viuendo; nam in statu naturæ Melchisedech Sacerdos, & Abraham Patriarcha salutem consequuti sunt, & fidem Christi non habebant, quia illis ignotus erat; Moyses cum aliis Sanctis Patribus iustificati fuerunt in fide Iudæorum erga Deum, qui *apparet eis, qui fidem habent in illum. Sap, c.* 1. *n.* 2. Inter Gentiles Cornelius, de quo *Act.* 10. & Eunuchus, de quo *ibidem cap.* 8. quia bene vixerunt, iustificati fuerunt. De Hæreticis, Caluinistis, Lutheranis, & similibus probatur, quia eorum infantes baptizati, si ante vsum rationis decedant, saluantur; quod idem dicendum est de adultis bene viuentibus, quia cum peccatis careant, censentur iustificati, sicut & infantes eo quod à gratia per peccatum, nunquam exciderunt: concluditur ergo quod vnusquisque bene viuendo saluari potest in sua fide. Confirmatur, quia vnusquisque cuiuscumque nationis sit, ad salutem præter bene viuere indiget fide; sed quisque eam habere potest, parum autem refert, quod denom netur extrinsecè ab hac vel illa secta, nam in genere accepta vnica est ab vno solo Deo, qui omnium Dominus, & creator est. His non obstantibus tanquam falsis.

150 ℞. Extra fidem Catholicam Christi, quam vnicam & solam veram tenet Ecclesia Romana ad salutem necessariam, nullus saluari potest, quod probatur ex illo *Act. cap.* 4. *num.* 12. *Et non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Deinde S. Paulus *cap.* 11. *ad Hebræos per totum* probat, sanctos Patres Veteris legis saluos factos fuisse per fidem Christi. Innoc. III. *in Concil. Later. relatus cap.* 1. *de summa Trin.* definiuit, in hæc verba: *Vna vero est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.* Nota, quòd vnica est Ecclesia fidelium, & illa est vniuersalis, in qua omnes conuenire debent in mysteriis fidei Catholicæ; ex hoc enim dicitur vniuersalis, quia vnius omnium debet esse versio & intelligentia Sacræ Scripturæ; si vnica est Ecclesia fidelium, ergo & vnica omnium fidelium fides, sic enim argumentatur Diuus Paulus ad Ephes. *cap.* 4. *num.* 5. *vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* Aduerte, quod Concilium clarè dicit *Nullus saluatur:* est enim dictio vniuersalis, neminem excipiens, cum non sit maior ratio de vno, quam de aliis: additur aduerbium, *omnino*, quod habet præcisam naturam, restrictionem aliquam non 151
patiens, vnde importat præcisam executionem, Menoch. *consil.* 2. *num.* 256. Tiraq. *in l. si vnquam v. Reuertatur, num.* 78. vbi subiungit, quod præcisè cogit ad factum, præcisamque denotat necessitatem, Grammat. *Voto* 31. *num.* 4. Cenedo *singul.* 24. *n.* 2. Concludendum igitur, fidem Catholicam, quam Romana tenet Ecclesia, ita esse necessariam, vt sine illa nullus penitus saluari possit:

Ad rationes dubitandi dicendum, quoscumque homines, qui coram Deo inuenti fuerunt iusti, consequutos fuisse gratiam, in veteri quidem testamento, in fide Christi venturi, in nouo autem in fide Christi 152
præsentis, vt benè colligitur ex citato *cap.* 11. *ad Hebræos*; consequenter pro omnibus illis statibus adfuit fides Christi Domini vti fundamentum, & radix omnis iustificationis. Vide, quæ dixi *supra sub. num.* 134. vbi de fide necessaria pro omni tempore, & statu, & citaui etiam doctores. Neque demum verum est dicere, fides, quas peculiares habent Iudæi nunc, Pagani, & Hæretici, esse sub genere fidei diuinæ, nam nihil commune habent cum fide diuina, & Catholica, quæ vna est in omnibus rectè sentientibus, & non multiplex: aliæ igitur fides æquiuoce fides dicuntur: humanæ sunt, non diuinæ: naturales & chimericæ, non supernaturales, & verè, vti est fides Ecclesiæ Romanæ à Domino Deo reuelata hominibus ad salutem. Vide cap. 1. q. 32.

Quæres 49. Alias 31. An infantibus Hæreticorum ab eisdem baptizatis, infundatur fides cum reliquis virtutibus, & si decedant ante vsum rationis & sine peccatis actualibus salutem consequantur. Videtur, quod non infundatur illis fides neque proinde saluētur. *Primò*, quia Lutherani nullam virtutem tribuunt Baptismo secuti Psallianistas, hoc idem docent Caluinistæ, Baptismum non delere peccatum originale: ergo si infans decedat, non poterit saluari cum adhuc sit reus peccati originalis. *Secundo*, ad Baptismum prærequiritur actus credendi, & fides explicita in subiecto recepturo hoc Sacramentum; sed illius infans est incapax: ergo illi non infunditur, ergo neque saluatur, cum illa careat. *Tertio* Baptismus ab Hæreticis collatis inualidus est ex determinatione Cypriani in Concilio Prouinciali Cartagin. celebrato circa annum Domini 256. cui subscripserunt plusquam octuaginta Episcopi, & refertur cap. *Si quis* 69. 1. q. 1. Quibus non obstantibus.

℞. Infans natus ex hæreticis, vel quicumque alius 153
ab eisdem baptizatus cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, recepit verum Baptisma, quod in eo operatur omne id, quod consequitur baptizatus à ministro Catholico, consequenter infanti deletur peccatum originale, & infunditur gratia iustificationis, & Sacramentalis cum fide, & aliis virtutibus, & donis spiritualibus, & si decedat sine peccato actuali, vt accidit præsertim ante vsum rationis, saluatur.

Primum, quod baptizatus ab hæretico in forma Ecclesiæ sit verè baptizatus, probatur; quia est idem Baptismus, ac si conferretur à Catholico, ac bono ministro, non enim suam virtutem accipit à ministro baptizante, sed eam habet à Christo Domino, & ex vi operis operati, dicente D. August. relato *cap. Cum tantum* 45. *dist.* 4. *de consecr. Cum tantum valeat Baptismus per hominem contemptibilem, quantum per*

Apostolum

Apostolum datus, ita nec istius, nec illius, sed Christi esse cognoscitur. Ergo siue conferatur à bono, siue à malo, siue à Catholico, siue ab hæretico, semper suum operatur effectum in infantibus, & etiam adultis non ponentibus obicem. Et hoc est de fide definitum in Trident. *Sess.7.can.* 4. his verbis. *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptisma, anathema sit.* Docuit hanc sententiam Catholicam D. August. *lib.5.de Baptismo,c.20.*& *lib.6. contra Donatistas,c.23.* & refertur cap. *Quomodo 39.dist.4. de consecrat.* & ante ipsum D. Hieronym. *in Dialogo contra Luciferianos* sequuntur Schol. *in 4 dist. 5. ibi* Scotus *quæst.1.* Vide Campanilem *in diuers.iuris Canon. Rubr.1.à n.103.* ex quo Barbosa *ad dictum canonem*, Becan.*c.5.de Sacram q.5.*

Secundùm, quòd infanti infundatur fides cum cæteris, probatur quia ex *cap.7.sess.6.* habetur, quod *in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui inseritur, Fidem, Spem,& Charitatem,* sed verus Baptismus iustificat hominem non ponentem obicem, qualem non potest ponere infans *ex definitis sess.5.can* 3. ergo per receptionem Baptismi prædicta omnia infunduntur infanti, ergo dicitur esse in statu salutis, ita vt si decedat antequam peccet, consequatur vitam æternam. Confirmatur id totum ex *can.13.sess.7.* quia ibi de fide definitur, infantes computandos esse inter fideles suscepto Baptismo.

Ad rationes dubitandi respondetur ad primam,
154 errorem hæretici, vel alterius baptizantis cum intentione faciendi Sacramentum, non impedire effectum Baptismi, cum Sacramenta efficaciter producant suos effectus *ex can.6.sess.7.* in non ponentibus obicem, non obstante etiam contraria voluntate; quia hoc ipso, quòd intendit facere Sacramentum, effectus eiusdem pendet ab intentione essentiali illud conficiendi, non autem ab intentione accidentali directa ad effectum, quem proinde contraria accidentalis impedire non potest, & hoc pluribus probat Suar. *de Sacram. disp. 13. sess.2. §.superest*, cum aliis Bonac. *de Sacram.quæst.3.part.2. §.4. num.7.* Recipit igitur infans effectum Baptismi, non obstante errore ministri hæretici putantis Baptismum non delere peccatum originale.

Ad secundum, fides actualis explicita in adultis necessaria est, iuxta probata superius *sub quæst.47.* non autem infantibus, quibus sufficit habitualis, & implicita Ecclesiæ Catholicæ, vt colligitur ex *sess.7. c.13.* D.Thoma; *p.3.q.69.a.9.ad 2.*

Ad tertium patet ex probatione responsionis, Baptismum ab hæreticis collatum intendentibus conferre verum Baptismum, esse verum, validum, & fructuosum infantibus.

Dices ex Aug. relato cap. *Quamuis 27. dist. 4. de consecr.* illis verbis. *Qui foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt Baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes nimirum formam Sacramenti, virtutem eius abnegantes.* Idem relatus *cap. Ecclesia 43. eodem dist 4. Ecclesia Paradiso comparata, indicant nobis, posse quidem Baptismum eius homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam Ecclesiam neminem vel percipere, vel tenere.* Baptizati igitur ab hæreticis licet recipiant verum Sacramentum, non tamen illius effectum in ordine ad salutem: ergo illis nihil prodest ad salutem.

℟. Illas auctoritates, & similes apud Sanctos Patres intelligendas esse de adultis, qui si possunt Sacramentum à fidelibus recipere, ab his baptizandi sunt, non ab hæreticis; consequenter cum adulti in receptione Sacramenti peccent mortaliter, non possunt recipere fructum Sacramenti, quod est gratia iustificationis, cui ponunt obicem, vt colligitur ex glossa priori loco. Id autem accidere non potest in pueris peccati incapacibus, & ideo illis obicem non ponentibus confertur gratia etiam si ab hæreticis baptizetur.

Quæres 50. An omne peccatum baptizati proueniat ex defectu fidei?

℟. Affirmatiue in eo sensu, quod defectu fidei practicæ fidelis non exequitur omne id, ad quod ipsa fides inclinat, ordinat, & dirigit; Vnde communiter Patres, & Theologi docent omnem peccatorem esse infidelem in eo sensu, quod transgreditur id, ad quod fides dirigit. Ita Corduba *lib.2.q.* 4.

Quæres 51. alias 33. An infidelis putans, suam sectam esse minus bonam nostra fide, peccet non amplectendo veram fidem?

℟. Iste peccat mortaliter fidem Catholicam non amplectendo, vt probabo *sub c.9.q.11.* vide ibi.

Quæres 52. Alias 34. An rudibus sufficiat credere quicquid credit Ecclesia, nihil procurando scire in particulari, & explicitè circa mysteria fidei? & an hæc propositio: *Sufficit ad salutem, credere in communi quicquid credit Ecclesia,* sit hæretica? Multi Canonistæ, quos refert Sanch. *lib.2. cap.3. num.3.* & Farinac. *q.179. de hæresi num.71.* quos sequitur Rosella *v. Fides num.1.* asserunt, rudibus sufficere ad salutem, quod sciant implicitè quicquid credit Ecclesia Reliqui omnes tenent necessarium esse ad salutem credere nonnullos articulos explicitè, de quibus Sanch. *loco citato*, Layman *c.9.de fide n.2.*

℟. Omnibus siuè doctis, siuè rudibus fides explicita de existentia vnius Dei remuneratoris necessaria est ad salutem necessitate medij, vt probaui *superius q. 47.* Necessitate vero præcepti non solum fides explicita de prædictis est necessaria ad salutem, quia quicquid est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, vt ibidem dictum fuit, sed etiam de articulis fidei expressis in Symbolo Apostolorum, vt sequenti quæstione probatur. 155

Alterum quæstionis dubium, an dicta propositio sit hæretica, vel erronea tantum? Vocant erroneam nonnulli cum Sanchez *lib.2. cap. 3. num. 3.* quos sequitur Layman *cap.8. de fide num.2.* Vide etiam Farinac. *q.179. num.70. & 71.* Ego puto, illam propositionem esse hæreticam tam respectu medij, quam præcepti, quod probatur ex allatis auctoritatibus Sacræ Scripturæ *supra sub q.47.* nam ea, quæ dixi, *oportet accedentem ad Deum credere*, refertur ad necessitatem medij; reliquæ ad necessitatem præcepti; & ibidem nomine actus credendi venit fides actualis, & explicita; ergo. Tum quia in hoc sensu ferè nihil est credere, sed tantum scire hoc generale obiectum, nihil in particulari cognito, ac proinde nulla speciali habita cognitione de aliquo fidei mysterio, sed hæreticum est dicere, quod aliquis adultus saluari possit sine vlla cognitione alicuius articuli de fide, maximè cum illi proponitur: ergo hæreticum quoque est dicere, quem saluari posse cum hac sola credulitate, *Credo quicquid credit Ecclesia,* si vlterius non procuret scire, quid in particulari credat Ecclesia. Confirmatur, quia sic credere est habere fidem tantum in actu signato, sed salutem autem hæc non sufficit in adultis, sed requiritur exercita, & in actu exercito per notitiam prædictorum articulorum. Et ita tenent Bannes *2.2.q 22.a.2.concl. 3.* & Eymericus *p.2. Direct.q.10. hæresi* 8. Erroneum id dicunt Valent. *2.2. disp.1.part.4.* Ledesm. *tom.2. tract.1.cap.2.* quos pro se citat Sanchez *lib.2. cap.3. num.3.* Sed si dicamus, hanc propositionem esse hæreticam, videtur fieri iniuria quamplurimis doctoribus asserentibus sufficere rudibus ad salutem, quòd credāt implicite articulos fidei, credendo nimirum quicquid credit Ecclesia, quos refert Farin. *quæst.179. n.71.* 156

de hæresi, sed ita non est; quia omnes ferè doctores, qui dicunt ad salutem sufficere credere quicquid credit Ecclesia, asserunt aliquos articulis explicitè esse credendos, de quibus articulis explicitè credendis dixi supra. Demum propositio intelligitur de actu credendi præcisè in actu signato, quod reuera non est credere, sed tantum habere illum vniuersalissimum conceptum credendi, quod credit Ecclesia.

Quæres 53. Alias 35. Quænam scire teneantur fideles de necessitate præcepti spectantia ad fidem?

157 ℞. Certum est, fideles debere scire illa, quæ omnibus necessaria sunt necessitate medij, & quia credi non possunt, nisi sciantur, & quia necessaria necessitate medij sunt etiam necessitate præcepti, ex dictis *initio quæst.* 45. Deinde tenentur scire articulos fidei, qui continentur in Symbolo Apostolorum vnusquisque iuxta capacitatem suam, & hoc sub mortali ex præcepto fidei. Item Sacramenta, Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem ex obligatione virtutis religionis.

158 Prima pars de Symbolo Apostolorum patet ex communi doctorum consensu; illud enim est fundamentum, & basis nostræ salutis, & vniuersale principium, in quo omnes fideles conueniunt: ergo illud necessario est addiscendum à fidelibus adultis, ne dicantur ignorare principium, & fundamentum suæ salutis. Ita omnes Theologi *in 3. dist.* 25. vbi articulos fidei enumerant duodecim secundum compositionem Apostolorum, & quatuordecim secundum obiecta credenda, vt distinguit Scotus *ib. d. q.* 1. Trombeta, imò & D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *a.* 8. Becan *cap.* 12. *concl.* 2. *num.* 8. & 10 Bonac. *p.* 2. *de fide num.* 13. Casuistæ *v. Credere & v. Fides.* Vnde in Concilio Agatensi iussum fuit prædicari in Ecclesiis, vt omnes illud addiscerent, cap. *Symbolum* 54. *dist.* 4. *de consecr.* & adulti antequam baptizentur, debent illud addiscere, ex cap. *Baptizandos* 56. cap. *Non liceat* 57. *eod.* quod indicat necessitatem addiscendi illud: quomodo enim quis credere potest illud, quod ignorat?

Secunda pars, quod obligatio addiscendi Symbolum intelligatur iuxta captum vniuscuiusque; patet quia Deus non obligat ad impossibilia, neque ad ea, ad quæ quis peruenire non potest per suam capacitatem. Quare rudes quidam excusantur, si illos omnes distinctè non sciunt, sed tantùm in confuso, modo sciant principalia illa quatuor de existentia, Prouidentia, Trinitate, & Incarnatione, quod Christus natus sit de Maria Virgine, passus, mortuus, & quod resurrexit propter nostram salutem. Vnde excusantur ignorantes mysteria Circumcisionis, Epiphaniæ, & Pentecostes, quia non exprimuntur in Symbolo: ex doctoribus citatis à Diana *part.* 3. *tractat.* 5. *resol.* 48. item articulos descensus ad inferos, Communionis Sanctorum ex eodem, & Sanchez *lib.* 2. *cap.* 3. *num* 7.

159 Tertia pars, quod debeant scire Sacramenta saltem illa, quæ recipere debent, constat ex eo, quòd illa sunt de necessitate salutis *sess.* 7. *can.* 4. ac proinde, cum sint à fidelibus sumenda, prius ab illis addiscenda sunt, vt sciant diiudicare spiritualia à temporalibus, & illa dignè recipere, ne dicatur de illis, *nolite proiicere Margaritas ante porcos*, hæc autem Sacramenta præcipuè sunt Baptismus pro adultis, Pœnitentia, & Eucharistia, etiam confirmatio, quæ omnibus fidelibus communia sunt, & sufficit ea addiscere, quãdo sumenda sunt. Ita omnes cum Suar. *disp.* 13. *de fide sect.* 4. *n.* 12. Sanch. *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 9. Bonac. *p.* 2. *de fide n.* 13. Becan. *cap.* 12. *de fide n.* 11. Diana alios citans *p.* 3. *tra* 5. *res.* 48.

Quarta pars, tenentur scire Orationem Dominicam, & Salatationem Angelicam, docetur ab omnibus, cum Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. Diana amicissimus, & nunquam satis laudatus *part.* 3. *tractat.* 5. *resolutione* 48 Sanchez *libro* 2. *capite* 3. Vide Benjam. *part.* 4. *casu* 1. *vbi de hac re multa dicit.*

Quinta demum pars, quod illa ignorantia sit peccatum mortale traditur ab omnibus locis præcitatis, quia agitur de re grauissima, & ad salutem valde necessaria, ergo illorum ignorantia, maximè Symboli erit peccatum mortale attentis dignitate articulorum, eorundem necessitate, conditione personæ, & negligentia Parochorum, quibus stantibus minuitur valde peccatum simplicium, & rudium personarum. Vide Sà Verbo Fides.

Quæres 54. Alias 38. Quando nam obliget præceptum fidei internæ? Quod est quærere, quando nam homo teneatur elicere actum fidei? Pro resolutione nota, quod circa obseruationem fidei sunt tria præcepta; vnum credendi mysteria fidei, seu articulos fidei; secundum sciendi illa, de quo dictum fuit præcedenti quæstione, tertium confitendi fidem exterius, de quo sequenti quæstione, de primo præcepto hic agendum est, quandonam obliget: Est autem certum, non obligare pro semper, sed pro determinato tempore, more aliorum, quæ sunt affirmatiua, in quo sensu.

℞. Præceptum credendi, seu eliciendi actum fidei, 160
obligat præcisè, & formaliter ratione sui in duobus casibus. Primò, quando alicui proponitur primò fides credenda, vt baptizatis, cùm primum habent vsum rationis; item infidelibus sufficienter illis proposita; item hæreticis reuersis ad fidem. Secundò, cùm quis patitur tentationes contra fidem, tenetur elicere actum fidei contra illas tentationes. Ita docent omnes cum Azor. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 8. Valent. 2. 2. *q.* 2. *p.* 5. ex illis Sanchez *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 3. Bonac. *punct.* 2. *de fide n.* 8.

Prima pars, de illis, quibus primò proponitur, probatur, quia isti omnes dicuntur accedere ad Deum; *sed accedentem ad Deum oportet credere, ad Hebr. c.* 11. *num.* 6. ergo isti tunc tenentur elicere actum fidei. Ratio est, quia aliud tempus magis opportunum non est assignabile, quàm illud, quo fides illis sufficienter proponitur: ergo illud obligat tunc ad credendum positiuè per actum elicitum. Ita omnes cum præcitatis. Tria autem personarum genera exprimuntur in responsione, pueri baptizati, Infideles, & Hæretici.

Pueri igitur, cùm ad vsum rationis peruenerunt, & edocentur mysteria fidei, & eius rudimenta per doctrinam (vt aiunt) Christianam, debent elicere actum fidei, illa credendo, sed quoniam vt plurimùm ad id formaliter non aduertunt, neque instruuntur in terminis huius præcepti, ideo videntur excusari à peccato ex inaduertẽtia, vel ignorãtia inuincibili, vt dicit Sanchez *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. illis ergo sufficit non contradicere articulis fidei, vnde qui processu temporis venit in cognitionem huius obligationis, tunc primò hunc formalem actum credendi mysteriis fidei eliciat, aliter non excusatur à mortali.

Infideles, cùm primum edocentur mysteria fidei, tenentur sub mortali hunc credendi actum elicere siuè velint conuerti, quia *accedentem ad Deum oportet credere*, siuè nolint, quia vnusquisque pro salute sua debet esse solicitus, fides autem salutis nostræ est fundamentum, initium, & radix omnis iustificationis, *Sess.* 6. *cap.* 8. ergo debet elicere actum fidei. Sed nunquid primùm, ac fidem audiuit, tenetur credere, & elicere hunc actũ? Si Infidelis, vti Hebræus, nutritus sit inter fideles, siue dubio debet statim credere, quia ex conuersatione cum Christianis videtur sufficienter informatus de vera fide, quæ talis est sola Catholica Romanæ Ecclesiæ Illi vero infideles, qui nunquam cum fidelibus sunt conuersati, prima vice crede-

re

re non tenentur, quia *qui cito credit, leuis est corde,*
161 *Eccl.cap.*19. *num.*4. non enim facile credendum, cap. *Si quid* 23. *distinct.*86. & facilitas credendi imputatur, *gloss.verb. credulus, cap.*1. 16. *quæst.*2. Sed tunc, cùm fides illis sufficienter, est proposita: quod accidit, quando illis proponitur sufficientibus rationibus, miraculis, signis aut coniecturis, ex quibus cognoscere possint, fidem Christi esse veram, & realem, propriam verò eorum sectam esse falsam, & causam illorum damnationis. Ita docent Vasquez 1. 2 *quæst.*76. *art.*2.*disp.*120.*c.*5. Sanchez *lib.*2. *cap.*1. *n.*4. Bonac. *p.*2. *num.*8. Vnde dicitur *Ioan.*15.*num.*22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Et *infra num.* 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ex quibus locis colligitur, infidelem non teneri credere cito, sed tunc quando fides proponitur sanis locutionibus, signis, & operibus.

Hæretici demum, cum redeunt ad fidem, tenentur elicere actum fidei, quod præstant per abiurationem omnium hæresum, quas asseruerunt contra fidem Dei, & in hoc nulla difficultas.

Hoc præceptum fidei plerique doctores apud citatos, & alios quos vocat Diana *p.*5. *tract.*13.*res.*19. dicunt obligare in aliis casibus, cùm est confitendum, in articulo mortis, etiam vltimi supplicij, semel in anno, cùm est confitendum, cùm est conterendum, & in similibus casibus. Quibus bene respondet Sanchez *lib.*2. *cap.*1. *num.* 3. non extare hanc obligationem sub huiusmodi formali præcepto, sed implicitè, & virtualiter illi satisfieri per solam exequutionem aliorum præceptorum sub illis casibus, ideo de illis nihil occurrit in specie agendum.

An baptizati, sed inter infideles enutriti, teneantur statim credere mysteriis fidei sibi primo propositis, sicut pueri inter fides educati?

℞. Negatiuè, sed cum primum sufficienter edocti sunt, vt infideles tenentur, quia in vtrisque militat eadem ratio: ergo eadem iuris obligatio. Ita Sanchez aliis citatis *lib.*2.*c.*1.*n.*8.

Quæres 55. Alias 39. An aliquando necessarium sit ad salutem, confiteri exterius coram aliis fidem?
162 Nota, quòd fides continet tria præcepta credendi, & sciendi; de quibus in præcedentibus dictum fuit, atque confitendi illam exterius, de quo in præsenti. Est autem fidei præceptum confessionis duplex, vnum affirmatiuum, quo tenemur eam confiteri; alterum negatiuum, quo tenemur illam non negare, quocumque imminente periculo; semper enim tenemur abstinere à dictis, aut factis, quibus fides negatur, vt dicam sequenti quæstione.

℞. Confessio externa fidei necessaria est ad salutem necessitate præcepti; non semper; cùm sit præceptum affirmatiuum, sed solùm tunc, quando necessaria est ad honorem Dei, aut ad vtilitatem proximi, in his duobus casibus illam subterfugere seu occultare, est peccatum mortale contra virtutem fidei.

163 Prima pars, quòd sit necessaria ad salutem, expressè docetur *ad Rom.cap.*10. *n.*9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris.* Et *n.*10. *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et in hoc nullus dubitat fidelis cum sit de fide, cum D.Thom.2.2.*q.*3.

Secunda pars, quod obligat in illis duobus casibus honoris Dei, & vtilitatis proximi, ostenditur; quia cum fides periclitatur, vel in se, vel in proximo, tunc adest obligatio illam confitendi, & docendi, vt debitus honor Deo tribuatur, & proximus subleuetur à miseria, & cæcitate infidelitatis; fides autem ponitur in discrimine, cùm quis interrogatus an habeat fidem, an Fides Christi sit vera fides tacet, cum tunc fidem confiteri teneatur, & hoc se tenet ex parte honoris Dei; ex parte vero vtilitatis proximi ponitur fides in discrimine, quando quis creditur dubitare de fide, aut eam esse negaturum, tunc confessione fidei tenemur illum edocere, & dirigere in viam salutis. Ita omnes cum D. Thoma 2. 2. *q.*3. *a.*2. qui *ad* 3. dicit, non esse præceptum confitendi fidem, quando nulla 164
speratur vtilitas ex confessione fidei, sed potius dubitatur de perturbatione in populo.

Tertia pars, quod non confiteri fidem sit peccatum mortale in illis casibus, exprimitur in diuersis locis Sacræ Scripturæ, *Lucæ c.*9. *n.*26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet. Matthæi c.*10. *n.*33. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo.*

Quæres 56. Alias 40. An interrogatus de sua fide teneatur apertè respondere, se esse Christianum.

℞. Si interrogetur à publica potestate tenetur, 165
etiam cum periculo vitæ, directè respondere, se esse Christianum; si à priuato homine, eludere potest responsionem, nisi tunc vtilitas proximi aliud suaderet.

Prima pars de respondendo publicæ potestati probatur; quia certum est, extare præceptum de fide confitenda: ergo maximè in hoc casu; quia interrogato tacente, vel dissimulante coram infideli, Turcha, aut Hæretico, vel Tyranno fides Dei ponitur in magnū discrimen: ergo tunc maximè hoc præceptum obligat, & facit illud *Lucæ* supra adductum *ad finem quæst.* 30. *Qui me erubuerit.* &c. Ita Sanchez *lib.*2. *cap.*4. *num.*6. Malder. Valent. Azor. apud Bonac. *q.*3. *de fide n.*7. Becan. *cap.*9. *de fide q.*4. etiam cum periculo vitæ, vt dicam *q.*58. quia non obstante periculo vitæ, fides negari non potest, neque dissimulari, quando vrget præceptum.

Secunda pars, de eludenda responsione respectu priuati, probatur; quia persona priuata nullum habet ius, neque præsumptum interrandi alium de iis, quæ ad eum non pertinent, sicut habet persona publica, cui est respondendum à quouis alienigena pertranseunte, cum dicatur esse de foro illius, dum ibi reperitur: ergo ad hunc, non ad illum, directè respondendum est, ac proinde priuati hominis interrogationem eludere potest respondendo similia verba. *Tuum non est me interrogare. Attendite tibi &c.* Ita præcitati omnes. Quod si interrogans dicat, se velle sequi eius fidem, vel edoceri eam, aut non esse bonam, in eo casu tenetur fidem confiteri; quia vrget præceptum in honorem Dei, & vtilitatem proximi.

Quæres 57. Alias 41. An tempore persecutionis licita sit fuga Christianis, aut occultatio, vt hoc modo mortem effugiant?

℞. Fuga est licita priuatis, non autem Pastoribus, 166
ad quos incumbit animare subditos ad constantiam fidei.

Prima pars, de fuga licita priuatis constat à fortiori *ex Matth.cap.*10. *num.*23. *Cum autem persequentur vos in vna ciuitate, fugite in aliam.* Ratio est, quia sic fugere non est negare, neque dissimulare, se esse Christianum; sed potius vitare periculum negandi fidem. Ita Becan. *c.*9. *de fide q.*4. *concl.*2.

Secunda pars, non licere Pastoribus, probatur; quia 167
in hoc casu vrget præceptum fidei confitendæ, etenim per fugam Pastoris fidei existimatio minuitur, & à subditis facilè deseritur. Confirmatur, quia maximè in eo casu tenentur consulere suis ouibus in fide, quæ est fundamentum salutis earum, ad quod facit illud *Ioan.cap.*10.*num.*11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis:* ergo qui non dat illam pro suis ouibus, à contrario sensu malus est, ac proinde peccat mortaliter. Ita D. Thomas 2.2.*q.*3.*art.*2. *ad* 2. Becan. *c.*9. *de fide quæst.*4. *n.*11. alios citat Bonac. *p.*3. *de fide num.*9.

Dices, auctoritas Sancti Matthæi adducta in probatione primæ partis, facit licitam fugam potius Pastoribus, quam priuatis, quia in eo capite Christus loquebatur cum discipulis suis, qui erant Episcopi, & Pastores omnium: ergo tam licet fuga Pastoribus,
168 quàm priuatis, imò à fortiori. Respondetur, illam auctoritatem referri ad Apostolos, & alios Pastores, quibus licita est fuga, quando apud persequutores nondum fides acceptata est, nec volunt illam acceptare; tunc enim frustra Prædicatores laborant, ac proinde licita est fuga, vt alibi valeat inducere fidem; Apostoli autem totius mundi erant Pastores, iuxta illud Marci *cap. 16. num. 15. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*, ad quod Sanctus Ioan. Chrysost. *homil. 13. in Matth. sub med.* inquit. *Non ad duas quippè vrbes aut decem, aut viginti, neque ad vnam gentem vos mitto, sicut mittebam Prophetas, sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumque mundum, & hunc variis criminibus oppressum*; & ideo illis fuga erat ne dum licita, sed etiam necessaria, vt sonus eorum prædicationis in omnē exiret terram; præsentibus autem Pastoribus designatur locus, in quo suas oues Euangelio fidei pascere debent, sibi specialiter deputatas, & ideo illis fuga non licet, sed oues sibi commissas verbo, & exemplo in fide confirmare debent. Limitant doctores cum Bonac. *p. 3. de fide n. 9.* nisi alium idoneum substituant, aut fuga tendat ad maius bonum commune: hoc posterius speculatiuum est, non morale.

Quæres 58. Alias 42. An interdum quis fidem negare possit ad euitandam mortem? Præceptum fidei non solum est affirmatiuum eliciendi, & confitendi fidem; sed etiam negatiuum abstinendi se à dictis, vel factis, quibus fides labefactari potest, ac proinde semper, & pro semper obligat more aliorum præceptorum negatiuorum.

169 ℞. Ad euitandam mortem nunquam licet negare fidem, sed pro ea tuenda mors, & mille mala toleranda sunt, quod intelligitur non solum corde, verum etiam voce externa. Ratio est; quia negans fidem, seu se esse Christianum, mentitur in sua fide, & grauissimam infert iniuriam Deo, subtrahendo debitum honorem Sanctæ fidei, ac proinde cum id sit intrinsecè malum, fidem negans ad euitandum mortem, non excusatur à peccato mortali, licèt solo ore illam neget, quod solum minuit peccatum. Confirmatur exemplo S. Petri, qui fidem negauit, cum asseruit, se non esse ex discipulis Christi. Ita Becan. *c. 9. q. 3. de fide.*

Quæres 59. Alias 43. An negans se esse fidelem seu Christianum, peccet mortaliter?

170 ℞. Vtique, quia hoc modo negat fidem, quam professus est, & mendacium dicit. Ita Becan. *c. 9. de fide q. 3.* Bonac. *part. 3. n. 17.* Sanchez *lib. 2. cap. 4. n. 8.* Distinguunt de nomine Christiano, nam duo significat; primò & simpliciter religionem Christi, & in hoc sensu nunquam licet negare, se esse Christianum, secundò significat nationem, seu factionem aliquam hominum, vnde in hoc sensu licèt Christianis militātibus contra Turchas fingere se non esse Christianos. Galli dicunt se Christianos, Hispani verò Catholicos vtrique tamen fideles sunt; distinguuntur verò illis nominibus secundum factiones, & illis nominibus gloriantur in fide Christiana, & Catholica.

Quæres 60. Alias 44. An vocans se Iudæum, Turcham, Caluinum, aut de alia secta, quæ falsa est, & contraria veræ fidei, dicatur fidem negare, & peccet mortaliter?

171 ℞. Affirmatiuè; quia nulla secta cum fide Christi stare potest, ac proinde fingens se de illis, negat propriè fidem Christi, ac proinde peccat mortaliter, grauem inferendo iniuriam Fidei Christi, quam confiteri deberet. Ita Reginald *lib. 17. n. 23.* Arrag. *2. 2. quæst. 3. a. 2. dub. fin.* Bonac. *part. 3. de fide num. 18.* Sanchez *lib. 2. cap. 4. num. 9.* Becan. *c. 9. de fide q. 3. num. 3.*

Quæres 61. Alias 45. An negans se esse religiosum, aut Sacerdotem peccet contra fidem?

℞. Non; quia fides stat sine prædictis statibus, 172
ac proinde negans se esse religiosum, aut Sacerdotem negat hos status, non fidem, quæ ab illis non dependet, non enim omnes fideles sunt religiosi, aut Sacerdotes. Ita Sanch. *lib. 2. c. 4. n. 10.* Caiet. *v. Habitus*, Becan. *c. 9. de fide q. 3. n. 4.*

Quæres 62. Alias 46. An negans se esse Papistam, peccet contra fidem?

℞. Affirmatiuè, quando interrogatur coram hæ- 173
reticis, qui negant potestatem Romani Pontificis, nam in hoc sensu dicere, se non esse Papistam, est negare religionem Christianam ab vno Romano Pontifice, qui est verus, & legitimus Christi Vicarius, & hæc veritas includitur in eo articulo. *Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Si verò alibi interrogetur, vt contingit in bello, quandoque inter Ecclesiasticos, & Laicos: tunc huiusmodi mendacium non est contra fidem: sed veracitatem, cum nomen Papistæ tunc summatur pro factione, non pro vera religione sub Romano Pontifice. Vide Azorium citatum à Sanchez *lib. 2. c. 4. n. 10.*

Quæres 63. Alias 47. An transeuntes per terras infidelium, si deponant vestes clericales, seu religiosas, aut alia signa, per quæ fideles ab infidelibus cognoscuntur, dicantur negare fidem factis, & peccent mortaliter?

℞. Depositio vestium, & etiam signi distinctiui, 174
licita est, quando depositio, aut occultatio fit ex legitima causa euitandi mortem, aut aliam incursionem, molestiam, ita quod neque peccant peccato mendacij, neque contra legem Ecclesiasticam, præcipientem illis gestationem sui habitus clericalis.

Prima pars, quod licita sit depositio, aut occultatio habitus quatenus non dicitur esse contra fidem, probatur; quia illæ vestes non sunt signum per se indicatiuum fidei, sed status clericalis, ac proinde per illarum depositionem, aut occultationem non negatur de facto fides, neque illi subtrahitur debitus honor, vt suppono; quia non vrget præceptum confitendi fidem. Ita Sanch. *lib. 2. cap. 4. num. 11.* Becan. *cap. 9. de fide quæstione 5. num. 39.* Bonacin. *part. 3. de fide num. 10.*

Secunda pars de signo distinctiuo, quod Principes infideles pro lege imponunt Christianis, probatur; quia lex humana maximè talis principis, non obligat cum tanto rigore. Ita præcitati Becanus, & Sanchez *num. 29.*

Tertia pars, quod non peccent vitio mendacij, pa- 175
tet; quia licet mendacium non tantum in verbis, sed etiam in factis consistat, quandocumque per factum significatur aliquid contrarium veritati, vt dicit Diuus Thomas, *2. 2. quæst. 111. in corpore articuli primi*, requiritur tamen intentio fingendi se talem, qualis non est, vnde à D. August. relato cap. *Is autem 4. 22. q. 2.* mentiri ille dicitur, qui contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi, & seq. cap. *Beatus*, dicit, quod mendacium est falsa significatio vocis cùm voluntate fallendi: ac proinde cum Iesus finxit se longius ire, mendacium non dixit discipulis, cum quibus loquebatur; quia non habebat intentionem fallendi illos, sed voluit significare, illos discipulos esse longius ab eius cognitione, ignorabant enim esse Iesum suum præceptorem, qui iam à morte resurrexerat: modò fideles pertranseuntes per terras indelium sine vestibus clericalibus, aut signo, neminem intendunt fallere, neque decipere; sed solum per illarum

rum depositionem, aut occultationem euitare periculum mortis aut alterius molestiæ sibi inferendæ ab infidelibus. Ita Sanch. *lib.2. c.4. n.11.* sustinens non esse mendacium, explicando dictum D. Thomæ ex ipso *ad* 4. intelligi, quando simulans intendit fallere, non vero quando bonis mediis intendit solum tacere, aut occultare suum statum.

Quarta pars, quòd non violent legem de deferendis vestibus clericalibus, communis est apud prædictos, quia leges humanæ non obligant cum tanto rigore. Quare religiosus pertransiens sine habitu regulari, excusatur à peccato, & consequenter ab excommunicatione, vt aliis citatis docui *ref.55.n.7.*

Quæres 64. Alias 48. An qui thus adolet, aut genuaflectit, vel quid sim le facit coram idolo, simulando se illi offerre actum adorationis, peccet mortaliter contra fidem?

176 ℟. Est peccatum grauissimum idololatriæ contra fidem, quod non excusat neque mors imminens. Probatur, quia præceptum de nunquam neganda fide non solum obligat, vt non negetur verbis, sed neque factis indicantibus falsam religionem, cuiusmodi est adoratio idoli per incensum, genuflectionem, &c. qui enim talia agit, licet fingendo, quia aliud in corde gerit, adhuc tamen facto abominabili negat fidem, cum simulet credere alium Deum qui reuera non existit: fides autem vnicum verum Deum, fatetur, & non plures, ergo exhibendo quis honorem soli Deo vero debitum, alteri ab ipso, exterius fatetur esse alium Deum, præter verum Deum, quod omnino falsissimum est; ac proinde cum indicet rem intrinsecè malam, non excusatur à grauissimo, peccato prætextu vitandæ mortis, idolis honorem exhibendo: in iis enim, quæ sunt intrinsece mala, metus mortis non excusat, vt omnes docent. Confirmatur, quia hic interuenit mendacium consistens in illa simulatione, eo quod semper adiunctam habet falsitatem, ita quod rem significat, quæ nunquam potest esse vera. Ita Sanchez *lib.2. cap.4. n.14.* Becan. *cap.9. de fide q.5. num.11.* Bonac. *p.3. de fide num.20.*

Quæres 65. Alias 49. An licitum sit Christiano transeunti per terras hæreticorum, seu infidelium, gestare illorum signa propria illius sectæ e.g. deferre pileum Hebræorum, aut Turcharum?

177 ℟. Licitum est ad mortis euasionem, vel alterius grauis periculi vti illis signis. Probatur tum quia illud signum magis institutum fuit ad distinguendum nationem, & gentem illam, quæ eo vtitur, quam ad protestandum eius sectam vnde & vocatur signum politicum, & distinctiuum nationis à natione, & non religionis falsæ à vera, nisi in consequentiam nationis, ergo illo vtens simulat illam nationem, non falsam religionem Tum quia vsus pilei Iudaici, aut Turcici est non tantum ad distinguendum sectam à secta sed etiam ad tegendum caput, ergo illo vtens potest habere hanc solam intentionem se tegendi, ac proinde eodem medio euitandi mortem; quoties enim aliquid potest habere multiplicem vsum, quis eo vti potest ad vnum vsum, & non alium. Tum quia quis licitè assumit habitum religiosum, quando alium non habet ad se tegendum, donec inueniat proprium; similiter ad euitandam mortem; & tamen per hoc non profitetur statum religiosum. Tum quia sequeretur, Papam præcipientem vsum pilei pallidi Hebræis, peccare grauiter, si per illum protestaretur falsa religio. Ita Sanch. *lib. 2. cap.4. n.19.* Gordonus *tom.2. lib.6. quæst.12 c.9. §.3. n.21.* Duuallius, Tannerus, Palaus, Coninch. Hurtad. Wigers, quos approbat Diana *part.5. tract.7. resol. 33.* subdens ex Duuallio, Sacerdotem Gentilem ad fidem conuersum non statim teneri deponere antiquas vestes, & se protegere cum euidenti periculo suæ vitæ. Hanc quæstionem Becan. *cap.9 q.5. dub.6.* fusé tractat, & tandem *num. 37.* Pro negatiua concludit per hoc argumentum. Omnem signum, vel Ceremonia externa, quæ instituta est ad protestandam aliquam fidem, vel religionem ex natura suæ institutionis ordinatur ad cultum illius fidei, & religionis; at quædam vestes infidelium institutæ sunt ad protestandum falsam religionem, ergo ex natura suæ institutionis ordinantur ad cultum falsæ religionis: ergo nullo modo licet illis vti. Ad argumentum dico, maiorem esse veram, quando illud signum, seu res alium vsum habere non potest, tunc illud adhibens, dicitur propriè protestari illam religionem falsam; quòd si res illa alium vsum habere possit, locum non habet protestatio, & cultus ille perniciosus, sed ille vsus, ad quem res illa assumitur, ac proinde cum gestatio vestis, seu pilei habeat proprium, & naturalem vsum tegendi personam hominis, & consequenter ex humana institutione distinguendi nationem à natione, deferens illum non dicitur eam sectam profiteri, sed tantum se tegere, & propriam nationem, seu professionem, & fidem cælare, quam tunc, vt suppono non tenetur exterius confiteri. Confirmatur exemplo hostiæ non consecratæ, & calicis, quæ duo ex primæua sui institutione inuenta sunt ad sacrificandum, & nihilominus, qui illis vteretur ad aliud, nimirũ ad claudendum litteras missiuas, & bibendum vinum, non diceretur protestari cultũ Dei, neque honorem exhibere Deo, sed potius irreuerentiam, extra casum necessitatis, irrogare sacris; ita pari ratione vtens vestibus infidelium etiam ordinatis ad protestandam eorum falsam sectam, alio fine ex rationabili causa, non dicitur illorum falsam religionem profiteri; neque illi exhibere cultum. Ita præcitati cum Sanch. *lib.2. cap. 4, num. 20.* citante pro se Azor. contra plures alios licet vestis illa esset Sacerdotalis, quia quis illa vti potest non solum ad se tegendum, sed etiam ad ornatum, &c. ac proinde nullus intenditur cultus. Ita Duuallius, Wigers, & Hurtadus cum Diana *p.5. tr.7. resol.34.*

Quæres 66. Alias 50. An in repræsentationibus liceat falsam religionem simulare sine præiudicio veræ fidei.

℟. Affirmatiuè, si fiat ad illudendum, & detestandam illam, quia id non est negare nostram, sed potius illam confiteri, & confirmare illusione falsæ religionis. Ita omnes cum Valent. *2.2. disp 1. quæst.3. p.2. dub.4.* Sanch. *lib.2. cap 4. num.15.* Becan. *cap.9. de fide q.5. n.34.* Reginald. *lib.7. n.23.* ex illis Bonac. *p.3. de fide n.24.* 178

Quæres 67. Alias 51. An audiens conciones infidelium, seu interueniens in eorum officiis dicatur negare fidem?

℟. Si intersit, vt approbet eorum concionem, & ritus, sine dubio negat fidem, cum non possit contingere approbatio illorum rituum sine contemptu & reprobatione sanctæ fidei; quia approbatio vnius contrarij est alterius reprobatio, & destructio. Si verò intersit, vt illis aduersetur, & refutet, vt faceret doctus, vel vt illos notaret, & illuderet, aut ex curiositate & loco, iam non diceretur fidem negare, sed potius fouere, hoc ipso, quod falsos ritus infidelium confutat, reprobat, & illudit. Et in hoc, non est difficultas. Ita Sanch. *lib.2. c.4. n.26.* Becan. *c.9. q.5. n.16.* Bonac. *p.3. de fide n.21.* 179

Quær. 68. Alias 52. An dicitur negare de facto fidẽ ille, qui à Principe infideli cogitur interesse concionibus, & Ceremoniis eorum, ad euitandam mortem, seu proscriptionem suorum bonorum, publico super hac re edicto promulgato? Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib.8. cap.21. q.5.* Asserit hoc licere, quia per hoc fidelis

delis nihil aliud intendit, si sit timoratæ conscientiæ, quam obedientiam principi debitam præstare, secluso scandalo, & periculo peruersionis; hoc enim modo licet iniquam redimere vexationem; neque enim ingredi templum infidelium & hæreticorum est de se malum, sed indifferens, & ingressus sumit suam malitiam ab intentione ingredientis aliter in nullo casu liceret ingressus contra responsionem præcedentis quæstionis.

180 ℟. Grauissimum id esse peccatum contra confessionem fidei, quam tunc potissimum fideles confiteri, & defendere tenentur etiam vsque ad mortem probatur. Tum quia in huiusmodi casibus multum fides periclitatur, & iniquus princeps alium finem non dicitur, nec præsumitur habere, quam velle fidem Catholicam destruere, & fideles peruertere ad sectam falsam, neque per hoc dicitur intendere distinctionem fidelium ab infidelibus præcisè in ratione politica, quia aliis medijs induci potest huiusmodi distinctio, imò maximè apparet separatio vnius sectæ ab alia, si fideles prohibeantur ab ingressu in templa infidelium, hac enim ratione præsumitur princeps velle sibi obedientiam præstari in ordine ad regimen politicum, non autem ad labefactandam, & destruendam fidem. Tum quia nobiliter Deo subtrahitur debitus honor, accedendo ad templa hæreticorum, & infidelium. Præferenda igitur est fidei propagatio, conseruatio, & honor tanquam bonum commune, & fundamentum nostræ salutis cuilibet bono vitæ, & facultatum. Ita Sanchez *lib. 2. cap. 4. n. 27.* Bonacin. *part. 3. de fide num. 22.* cum aliis omnibus. Et sic patet ad rationem dubitandi, non enim est obediendum edicto principis, cum sit iniquum, & fidei Christianæ destructiuum. Afferunt exemplum Naaman, quem Eliseus permisit comitari suum Dominum euntem ad templum idolorum, & cum eo genuflectere. Cui respondent Sanchez *lib. 2. cap. 4. n. 27.* Becan. *cap. 9 de fide q. 5. n. 14.* non fuisse genuflexionem per modum cultus, sed per modum debiti seruitij, & obsequij politici, tunc enim serui sustinebant suis humeris dominum adorantem idola, & stallorum officium subeuntes.

Quæres 69. Alias 53. An transeunti per loca infidelium liceat comedere carnes, & alios cibos vetitos ad euitandum periculum mortis, vel aliud damnum? Non esse licitum videtur probari exemplo Eleazari, qui noluit comedere carnes porcinas lege mosaica iudæis prohibitas, vt legitur *Machab. lib. 2. c. 6. num.* 18.

181 ℟. Fidelis debet primò se excusare dicendo, se non egere carnibus, aut esse pauperem, & pecuniam non habere ad illas emendas, si huiusmodi excusationibus non potest se tueri, & sit periculum mortis, aut alterius grauis damni, potest comedere, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore; neque comedens dicitur negare, aut violare fidem, & falsam protestari, quia abstinentia à carnibus, & aliis cibis non est signum protestatiuum, neque distinctiuum fidelium ab infidelibus, cum etiam apud hos abstinentia huiusmodi sit in vsu. Quod si ab aliquo infideli, vel alio homine impio quis cogatur comedere in contemptum religionis, eo in casu debet potius subire mortem, vel aliud etiam maius malum, quam comedere; quia contemptus, & dedecus religionis est, ita intrinsecè malum, vt nulla ex causa valeat fidelis excusari, sed propriam vitam postponere Sanctæ Fidei, & Religioni Christianæ; & ad hoc facit exemplum Eleazari, qui cogebatur in contemptum suæ religionis comedere carnes porcinas, & ideo Dei honorem prætulit propriæ vitæ, eligens potius mori, quam animam perdere. Ita Sanchez *lib. 2. cap. 4. num. 25.* Azor. Coninch, Hurtadus, Castrus Palaus, quos pro se citat Diana *part. 5. resol. 35. de Scandalo*, Bonacin. *part. 3. de fide num. 23.* Bacan. *cap. 9. de fide quæst. 5. num. 23.* vbi dicit, non licere comedere apud Lutheranos, vbi non est periculum vitæ, sed tantùm irrisionis, quæ non est tanti momenti, vt quis excusetur à peccato, intellige violationis præcepti ex virtute temperantiæ, & abstinentiæ, non fidei; vtique vero excusatur, si comedat, vbi viget persecutio, vt in Anglia. Intellige semper, nisi compelleretur ad manducandum in contemptum religionis, & Fidei Christianæ, tunc enim nullatenus licet comestio carnium.

Quæres 70. Alias 54. An liceat sine violatione fidei fabricare idolum vestem Sacerdotalem, aut templum; aut illa ædificata donare, aut vendere idololatris?

℟. Neutrum licet, etiam prætextu vitandæ mor- 182
tis. Probatur, Tum quia istæ actiones & ratione sui, & ratione cooperationis sunt malæ, quia de se diriguntur ad idololatriam, cum idolum, & templum alium vsum non habeant, aut saltem sine idololatria non contingant esse apud infideles. Tum quia sunt ex se quædam protestatio idololatriæ, & cædunt ex primaria sui institutione in perniciosum cultum falsi Dei. Tum quia fabricatio, seu prædictorum venditio habent coniunctum fidei, & Religionis Christianæ contemptum: ergo non possunt iustificari ex intentione dantis, cũ in eius potestate non sit auferre, quod idolum in se continet, vnde sicut idololatra non potest prescindere reuera indebitum cultum, hoc ipso, quod illum intendit, imò neque si illum intenderet fauore fidelis, ita neque Christianus potest non vendere, aut fabricare idolum sine illa obiectiua intentione idololatriæ, quam aptitudine includit illud templum, seu idolum. Tum quia fabricatio idoli petiti originem suam trahit ab idololatra petente, ergo ipsamet fabricatio in se includit malitiam indebiti cultus, hoc ipso quod primum esse habetur ab idololatra, ac proinde non solum famulatur in actione operis, hoc est, idoli, sed etiam in mala actione idololatriæ: consequenter vtraque actio de se peccaminosa est, taliter, quod nulla circunstantia etiam metus mortis excusari potest. Confirmatur, quia in Sacra Scriptura pluribus in locis abominatur Deus non solum idola, & templa deorum, sed etiam illorum ædificia, & mandantur pœnitus euerti. & funditus destrui. Nec est simile argumentum, quod nonnulli afferunt de dante instrumentum furi, aut gladium furioso, qui aliter mortem euadere non potest; quia licet is excusetur ob metum mortis, quia non dicitur cooperari furto, aut homicidio, sed propriè vitæ consulere datione illorum instrumentorum, quatenus non tenetur vitam alterius conseruare cum destructione propriæ; fidelis vero tenetur conseruare existimationem fidei cũ proprio vitæ periculo, ita quod permittere non potest, nec aliqua ratione cooperari alicui in eius contemptum, & dedecus. De fabricatione idoli, & vestis Sacerdotalis, ita docet Duuallius *2. 2. q. 7. de fide a. 9. concl. 1.* Iacobus Granado *ibidem controu. 1. tract. 15. disp. 12. n. 6.* Coninch *ibidem disp. 18. dub. 13. n. 213.* quos citat, & sequitur Diana *p. 5. tr. 7. resol. 6.* contra Palaum. De venditione illicita, Doctores refert Diana *ibidem resol. 36.* contra Valent. *tom. 3. disp. 1. quæst. 10. p. 6.* cum Sylu.

Quæres 71. Alias 55. An sine violatione fidei liceat fabricare Synagogam Hebræis, & eisdem vendere agnum ad immolandum? Videtur, quod sic; Tum quia laudatur Centurio *Lucæ capite 7. num. 4. Dignus est, vt illi hoc præstes*, id est vt sanes seruum eis, *diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis*, restituit autem illum sanitati: ergo ædificare Synagogam etiam nunc non erit ex se malum, sed

sed quia modo est prohibitum:ergo vrgente periculo mortis,poterit ædificari Synagoga Hæbreis sine peccato,quia conseruatio vitæ, est de lege naturæ, prohibitio constructionis Synagogæ de iure positiuo,illud autem huic præfertur. Tum quia Apostoli post extinctionem legis Mosaicæ adhuc Iudaizauerunt, nam Paulus cum Iudæis purificatus fuit, *Act. cap.*21. *num.*26.& Timotheum circumcidit, *Act.cap.*16.*n.*3. ergò ritus Hebræorum de se non sunt intrinsecè mali, sed solùm quatenus per mortem Christi incæperunt esse mali, promulgata lege Euangelij: ergò si tunc licuit Apostolo illis vti,cur & non fideli,vrgente casu mortis?

183 ℞. Neutrum licere, etiam cum periculo mortis, vt probant argumenta in præcedenti responsione adducta,& docent Granado 2.2.*contr.*1.*tract.*15.*disp.*12. *num.*6 Petrus Lorca *ibidem quæst.*10.*art.*9.*n.*5.contra Tannerum *tom.*3.*disp.*1.*quæst.*9.*dub.*5.*num.*144. asserentem fidelem magna paupertate infectum,posse operas suas locare in constructione Synagogæ;& Hurtadum 2.2.*dist.*76.*sect.*5.§.179. docentem,in simili casu posse vendi agnum immolandum per Iudæum.Sed hi casus habent multum speculationis,nihil moralitatis, consequenter id fieri nequit sine iniqua cooperatione,& peccato contra fidem; nam illis in casibus protestatur factis fides Christi venturi, quod est maximum Sacrilegium,& mendacium; neque enim fidelis sua intentione præscindere potest physicè, & reuera illud non esse Sacrificium Mosaicum, cum reuera tale sit de se, & ex mente Iudæorum, qui aliter non sacrificant: & per quod illorum Sacrificium post Christi mortem iniquitas est, quæ non potest stare cum sacrificio Euangelico, iuxta illud 2.*ad Corinth c.*6.*num.*14.*Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* Illorum enim sacrificia erant figura,vmbra & tenebræ,nostra autem ...is Euangelicæ sunt figurata in Christo,qui ex lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ac proindè omnis vmbra iam recessit, & tenebræ nullæ sunt.

Ad rationes dubitandi respondetur, ante Christi mortem ædificationem Synagogæ, & agni immolationem fuisse rem licitam,& honestam,quia Synagoga figurabat futuram Ecclesiam Christianorum, immolatio agni futuram Christi Passionem; modò his adimpletis,Passione Christi,& Ecclesiis Euangelicis constructis,in quibus sacrificatur,& immolatur Christus non venturus,sed qui iam venit,ideo Synagoga, & immolatio agni more Hebræorum non potest non esse maximum sacrilegium contra Fidem Christi,quæ profitetur Christum venisse,contra errorem, & obstinationem Iudæorum, consequenter cooperans in prædictis eorum actionibus, Fidem Christi violat. Ad secundum de Purificatione, & Circumcisione Pauli dicitur, legalia fuisse quidem mortua post Passionem Christi, quoad obligationem, non tamen omnem suam virtutem perdidisse; nondum tamen fuisse mortifera,id est,mortem afferentia illis vtentibus, ante sufficientem Euangelij promulgationem secundùm D. Augustinum apud Sanctum Thomam 1.2.*q.*103. *art.*4.

Quær. 72. alias 56. An in graui necessitate positus possit sine violatione fidei comedere carnes,& cibos immolatos idolis?

184 ℞. Licet;quia proprius vsus ciborum est comestio ad alendum hominem, & eius vitam propagandam, & conseruandam in esse: ergò per hoc propriæ vitæ consulens non dicitur profiteri falsam religionem;neque enim sacrificium iniquitatis illorum consistit in manducatione, sed in mactatione, & oblatione facta idolo.Ita Vasquez *l.*2.*quæst.*162.*cap.*5.Bonac.*q.*8.*de peccatis par.*2,*num.*18. Sed similes casus magis speculatiui sunt, quam practici,ita quod in praxi vix accidere possunt, ideo in foro externo probanda foret summa egestas.

Quæres 73.alias 57.An confessio & professio fidei exteriùs in aliis casibus sit necessaria.

℞. Affirmatiuè ex Tridentino *sess.* 24. *cap.*11. vbi 185
mandatur omnibus prouisis de Cathedralibus,& aliis quibuscumque beneficiis curam animarum habentibus, vt professionem fidei faciant à die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses,in manibus Episcopi, vel eius Vicarij Generalis. Idem præstare tenentur prouisi de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solùm coram vno ex prædictis, sed etiam in capitulo; alioquin prædicti omnes non faciunt fructus suos, nec illis possessio suffragari potest. Quam fidei confessionem Pius IV. in sua incip. *Iniunctum nobis*, extendit ad omnes regulares cuiuscumque Ordinis prouisos de suis conuentibus,& monasteriis,hoc est,ad promotos ad gradum superioritatis. Et in dicta Bulla exprimitur forma, ad cuius præscriptum facienda est professio fidei. Idem Pontifex in alia incip. *In sacrosancta*, præcipit emissionem professionis fidei sub eadem forma per quoscumque promouendos ad gradum doctoratus, aliosque cuiuscumque artis, & facultatis professores, aliter quæcumque promotio ad doctoratum irrita,& nulla sit. Sed hoc non est in vsu apud quosdam religiosos,vt dixit *contr.*46.*n.*44.

Quæres 74.alias 58.Quibus licitum sit,vel prohibitum disputare de fide.

℞. Licitum est viris doctis de fide disputare contra 186
hæreticos,& infideles; non solum scriptis, sed etiam viua voce, defendendo fidem Catholicam, quando opus est, in casu, quo fidem lacerarent aut peterent edoceri in aliquo,& tunc disputatio defensiua est necessaria.Extra hoc casus prohibitum est omnibus disputare de fide tam priuatim,quam publicè,siue cum hæreticis, siue cum infidelibus & laicis id prohibetur sub pœna excommunicationis comminatoriæ.

Prima pars,de disputatione defensiua siue scriptis, siue vocalibus rationibus, patet ex dictis de obligatione confitendi fidem exterius supra *sub quæst.* 55. Potest autem esse peccatum disputare cum hæreticis Primo,si disputans dubitaret de fide,quia tunc parum differret ab hæretico.Secundò,si disputatur cum hæretico pertinaci, à quo nulla speratur vtilitas, potius desistendum est, quam iacere margaritas ante porcos.Tertiò si dubitatur de aliqua peruersione vel sinistra opinione Catholicorum ignorantium disputationi præsentium. Quartò,indoctus,immò etiam doctus diffidens de sua sufficientia, non debet se exponere periculo,vt ab hæretico illudatur.Vide de hac re Sanch.*lib.*2.*cap.*6 Becan.*capite* 15.*de fide quæst.*7.Eimer. *par.* 1. *direct. quæst.*10. Pegna *comment.*25.Sanctar.*de hæresi cap.*8.Farinac. *quæst.*178.*de hæresi* §.5. Verbum autem *disputare* sumitur propriè, pro discurrere in vtramque partem ad colligendum, vtra earum sit vera, vel magis appropinquet veritati, est enim disputatio cribrum veritatis,Costa *in tractat.de* 187
facti scient.disputatione 64.*cent.*2. *num.*14. *apud Lazar.de Blasph.in quæst.de opinione eligenda num.*35.& dicitur disputatio esse de re dubia,secundum Nauarr. *tom.*3.*de lege pœnali num.*28.§.*Tum quia*, per l. *Ancillæ,Codice de furt.* Hinc est,quod prohibetur disputatio de fide, quia cum hæc certissima sit, & indubitata,incapax est disputationis; Docenda igitur est fides omnibus,& illis persuadenda,& nullatenus contra illam rationes aliquæ adducendæ sunt, cum sint fallaces, & plenæ falsitatis, neque facit illud commune axioma: *opposita iuxta se posita magis elucescunt*: quia mysteria fidei satis per se elucescunt,hoc est,certa,& infallibilia

infallibilia sunt, quia pro se Dei primam veritatem habent, quæ fallere, aut falli non potest.

188 Secunda pars, quòd clericis, & laicis sit prohibita disputatio de rebus fidei, habetur, ex l. *Nemo, Codice de Summa Trinitate. Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis de fide Christiana publicè turbis coadunatis, & audientibus tractare conetur.* Non igitur prohibet colloquia priuata, iure Canonico cap. Cum quibus 36. 24. quæst. 3. ibi: *Canonum Magistris, atque custodibus nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis aliena.* Prohibetur autem idem laicis sæcularibus sub pœna excommunicationis comminatoriæ, cap. Quicumque 2. de hæret. in 6. *Inhibemus quoque ne cuiquam laicæ personæ liceat publice, vel priuatim de fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit excommunicationis laqueo innodetur.* Cõuersi regularium, & Nouitij, qui solent vocari laici, ad distinctionem aliorum, qui clericali tonsura sunt signati, excluduntur ab hac pœna, cum non sint purè, & propriè laici, sed personæ Ecclesiasticæ, & regulares. Vide præcitatos cum Farinac. q. 178. num. 111. Barbosa ad dictum caput.

189 An si quis contra prohibitionem disputaret de fide puniri posset ab Inquisitoribus? Vtique, quia illorum proprium est punire violantes interdicta, & alias prohibitiones, quæ concernunt mysteria fidei, & fidem ipsam tueri debent inuiolatam. Excipiendi tamen sunt laici docti, qui Theologiæ operam dederunt, istis enim permittitur in publicis circulis disputare honoris gratia, *ex Scortia Theorem. 31. notat Carena par. 2. tit. 1. de hæresi n. 93.*

190 Dubitari etiam potest, an prohibitio sit tantum contra disputantes cum hæreticis, & infidelibus, an etiam cum fidelibus? Prohibetur indistinctè vt videre est in citatis *lege, & cap. 2. de hæret.* Prædicta intelliguntur, nisi adsit consuetudo in contrarium. Vide Bonac. *de fide p. 4.*

Quæres 75. An infidelis fidem sibi propositam sub mortali acceptare teneatur? Vide cap. 9. sect. 3. q. 10. de hac re.

191 R. Ille, cui proponitur fides acceptanda, si primo aspectu resistat, non excusatur à peccato infidelitatis; si vero fidem audiat, habendo se negatiuè, non assentiendo, neque dissentiendo, interim non peccat, sed solum quando post sufficientem instructionem non vult illam acceptare; dicitur autem infidelis sufficienter instructus, quando fides illi persuasa fuit bonis rationibus, & confutatione errorum, si quos obiicit Cathechizatus; non est autem necesse, quod infidelis conuincatur rationibus euidentibus; neque excusatur si putat se habere probabiliores rationes inclinantes illum ad permanendum in sua secta; demum prudens est, qui primo aspectu fidem acceptat.

Prima pars de peccato infidelitatis eius, qui resistit; Probatur, quia illum non potest excusare ignorantia inuincibilis de fide, cum illi proposita fuerit, & si enim nondum sit instructus, defectu cuius videretur laborare ignorantia inuincibili, tamen quia illam respuendo, eius cognitionem noluit habere, nullam dicitur adhibuisse diligentiam ad vincendum ignorantiam, ideo hæc ignorantia in eo reputatur vincibilis, & inexcusabilis de hoc peccato infidelitatis, noluit enim intelligere, vt benè ageret.

Secunda pars de dilatione non peccaminosa suadetur. *Tum quia*, habendo se negatiuè fidem non respuit, nec contemnit, sed quærit, an sibi expediat illam acceptare. *Tum quia*, prudenter se gerit inquirendo veritatem super re de nouo sibi proposita. *Tum quia*, sicut sæcularis cum festinatione non debet ingredi religionem, cap. Notificasti 3. 33. q. 5. extremis verbis, ideo datur annus ad deliberandum; ita neque infidelis prima facie tenetur acceptare fidem, sed super illa debet se bene informare, an sibi magis profutura sit, quam propria, non tamen potest interim illam respuere sine peccato, vt dictum fuit. *Tum quia*, in arduis, & rebus magni momenti properandum non est, sed cum matura deliberatione procedendum. Vide Laym. lib. 2. tract. 1 cap. 10.

Tertia pars, quod sufficienter instructus non excusetur, probatur ex Ioan. 15. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de suo peccato.* Christus sufficienter instruxit eos in fide, quam tenebantur recipere, sed respuerunt illam, ideo peccarunt. Confirmatur, quia posita sufficienti instructione, nullam rationem habent negandi fidem, ergo tenentur illam acceptare.

Quarta pars, de sufficienti instructione explicationis fidei, & errorum confutatione probatur Act. 8. 35. vbi Eunuchus fidem, qua instructus fuerat per Philippum, professus fuit in baptismate, insinuans per hoc textus, per eam instructionem contraxisse debitum recipiendi fidem sibi prædicatam ab Apostolo Philippo. Ergo idem dicendum est in cæteris casibus, vlterius enim morandum non est cum periculo animæ.

Doctores, qui de hac re tractant cum Sanch. *lib. 2. cap. 1. à num. 6.* vsque ad finem, plura requirunt, vt infidelis dicatur sufficienter instructus. Primo requirunt bonas rationes, quibus vera fides persuadeatur infideli, & hoc necessarium est, attenta conditione infidelis, qui si sponte fidem quærit sola instructio sine persuasione sufficit, si rationem quærit, illi aperienda est. *Secundò*, requirunt confutationem errorum, & id agendum est, demonstrando illis, dogmata, quæ tenent contraria fidei Catholicæ, esse verè errores, eo enim ipso, quod hæc obiiciunt, diluenda sunt à Catechizante, aliter non satisfacit muneri suo, nec sufficienter infidelis dicitur instructus. Est autē differentia 192
inter infidelem, & hæreticum natum, quod in illo sufficit instructio Doctrinæ Christianæ, & destructione errorum, si aliquibus detinetur; in isto autem maior diligentia est adhibenda propter errores, in quib. à parentibus fuit imbutus, docendo illum in vera fide, & faciendo cognoscere illorum dogmata esse falsa. *Tertiò*, infideles, & hæretici sanctitate vitæ, & bonis exemplis hortandi sunt ad fidem, multum enim id iuuat, & prodest illis, nam sanctitas vitæ magis prædicat, quam verbum oris, & efficacior est vox operis, quam sermonis prolatio, & D. Paulus scribens ad Titum 2. 7. dicit illi: *Te ipsum præbe exemplum bonorum* 193
operum, in conuersione infidelium, & prædicatione Euangelij. Et Salomonis instructio fuit per exempla, Prou. 24. 32. *Et exemplo didicit disciplinam*, quia magis mouent exempla, quam verba. Quamuis autem Catechizantis prædicatio non sit vitæ sanctitate, & bonis exemplis munita, nihilominus infidelis non excusatur, quia attendere debet ad Doctrinam, non ad vitam euangelizantis, & facit illud Matth. 23. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Requirunt quarto* signa, & miracula, per quæ infideles facilius conuertuntur ad credendum, nam per exempla magis sensatur ratio, & clarius apparet quod dicitur, & comprobatur. In primitiua Ecclesia pusillus erat grex, ideo in Apostolis abundabant signa, prodigia, & miracula, quibus facilis via aperiebatur Gentilibus ad conuersionem; nostris autem temporibus grex magnus est, & multum crescit, ideo non ita frequenter apparent miracula. Neque defectu signorum infideles, quibus fides prædicatur sine miraculis, excusantur à peccato infidelitatis, quia Deus non tenetur facere miracula, vt conuertantur, cum sufficienter vocentur à Deo per internam

nam inspirationem, & prædicationem seruorum Dei. *Quintò*, demum ex parte infidelis recurrendum est ad diuinum auxilium, ex corde humiliter illum precando, vt dignetur infidelem illuminare in verâ fide.

194 Quinta pars, non est necesse, quod infidelis conuinca ur rationibus, probatur, tum quia ratio conuincens idem est, quod euidens, sed res fidei creduntur & non sunt euidentes cum sint de obiecto non viso; tum quia rationes bonæ, & firmæ sufficienter mouent quemlibet hominem ad assensum rei sibi propositæ, & persuasæ per eas, ergo & infidelis moueri debet, aliter vt imprudens non est excusabilis.

195 Sexta pars, quod non excusetur putans se habere probabilem rationem permanendi in sua secta, probatur, tum quia nulla est dabilis ratio habẽs speciem veram probabilitatis, per quam prudenter persuaderi possit falsam sectam esse bonam, sunt enim mendacia, & errores contra veritatem. *Tum quia*, ex natis hæreticis pauci essent formaliter infideles, quia illis imbibita sunt falsa dogmata pro veris illis apparentia, & nihilominus omnes, si habent cognitionem nostræ fidei, sunt formaliter hæretici non resipiscentes. *Tum quia*, si rationes, quibus probant sua dogmata, essent probabiles, sequeretur veram fidem aut esse falsam, aut ad minus esse probabilem respectiuè ad eorum dogmata, si niterentur probabilitate.

Colligitur hinc, falsam esse Doctrinam eorum, qui docent, infideles excusari ab hoc peccato, & non teneri fidem recipere, nisi sint in intellectu conuicti, ita quod nullum in eis remaneat probabile iudicium partis contrariæ tam ab intrinseco, quam ab extrinseco. Id enim est ponere in discrimen Catholicam fidem, si falsa secta habeat rationes probabiles, aut conuincentes, quæ infideles cogant, aut persuadeant remanere in sua secta, hæc enim tunc ex parte rei, & vsquequaque falsa, & erronea non esset, si niteretur aliqua probabilitate.

196 Septima demum pars, quod ille sit prudens, qui fidem auditam statim recipit, probatur, tum quia Apostoli ad primam vocem, Christum statim secuti sunt; tum quia ita colligitur etiam ex Michæa 4. 2. *Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius.* Facile credendum est, & incontinenti in iis, quæ bona sunt,

197 & nulli præiudicant. Tum quia illud Eccli 19.4. *Qui credit cito, leuis est corde,* non intelligitur de illis, qui credunt diuinæ Doctrinæ ex D. Thom. 2.2.q.2.art.9. ad 3. & aliud Isaiæ 28.16. *Qui crediderit non festinet*, huic simile intelligitur de Christi fidelibus iam credentibus, qui non debent festinare in credendo noua dogmata illis proposita à falsis prædicatoribus, sed debent illos probare, cuiusnam sint professionis, & quo spiritu loquantur. *Tum quia*, historiæ primo auditæ statim creditur, cur ergo Doctrinæ fidei statim acquiescendum non est, siquidem fides diuina nititur infallibili veritate, humana vero tali auctoritati, cui potest subesse falsum. *Tum quia*, simplici homini propter ipsius hominis bonam famam creditur, ergo à fortiori credendum est Catechizanti in vtilitatem animæ eius, cui fides proponitur. Demum facilitas credendi non imputatur, immò laudatur, quando credere est vtile, & non est in alicuius præiudicium, cap. Innocens 25.22.q.4. magis ergo laudandus est infidelis, si cito credit, de cuius salute agitur.

Quæres 76. Quibus rationibus, signis, motiuis, & argumentis probetur, fidem diuinam, quam tenet Romana Ecclesia sub vno capite Pontifice Romano, esse illam veram fidem, quam Christus docuit Apostolos, & per Apostolos Catholicam Ecclesiam, quam profitetur Romana, ac proinde aliorum sectam, seu fidem huic repugnantem, & contrariam esse falsam, temerariam, & scandalosam?

℟. Argumenta, quibus secernitur, & cognoscitur vera fides diuina à falsa fide, & sectis hæreticorum, & infidelium, sunt sequentia explicanda, & confirmanda firmis, & solidis rationibus. 198

Primum argumentum desumitur ab vnitate fidei, quam probauimus spectare ad eius essentiam, & formalem rationem sub quæstione 14. Formatur autem sic. Vera fides est vna, non multiplex, nec patiens diuisionem, sed fides Romana (sic appellabimus veram fidem, quia reuera est talis, quam fideles tenent sub Romano Pontificê) est vna, non multiplex, nec patiens diuisionem, fides vero aliorum non est vna, sed multiplex, & patiens diuisionem, ergo Romana est vera fides, non alia. Maior constat ex q.8. Minor quoad primam partem, quod fides Romana sit vna, probatur, quia illa fides est vna, cuius professores vnanimiter conueniunt in dogmatibus per ipsam traditis in vnitate sententiæ, affectus & venerationis; sed Romani ita conueniunt semper, vt notum est, nam omnes credunt quicquid definitur à Papa, vel in Conciliis ab eo dependenter, ergo in illis est vera fides. Secunda pars minoris, quod extranea fides sit diuisa, probatur, *Tum quia*, isti fatentur verã fidem esse vnã, 199
& eiusdem sententiæ, & tamen illam diuiserunt, ergo illorum fides vera non est, nam hæretici agentes de fide abierunt in diuersas sententias non solum contrarias, & repugnantes fidei Catholicæ, verum etiam inter se oppositas, siquidem hæretici inter se sunt diuisi in sententiis, & in auctoribus, non enim sub eodem capite viuunt, neque eadem dogmata profitentur, sed contrarij sunt inter se in multis, vt patet ex sectis eorum, quæ quamplurimæ sunt; & quod magis ostendit eorum falsitatem, & insaniam, Discipuli quoque in multis aduersãtur suis hæresiarchis, vt patet ex titulis eorum, nam ex Pelagio hæresiarcha processerunt Semipelagiani; & Ario Semiariani, ex Lutero Semiluterani; ex Caluino Semicaluinistæ, sic dicti, quia ex parte sequuntur eorum dogmata, & ex parte non recipiunt; ex quibus manifestè patet, eorum fidem non esse sanam, nec verám fidem, cum non sit vna, sed multiplex, & compendium errorum. *Tum* 200
quia, ibi est diuisio fidei, vbi est libertas conscientiæ, nam hæc liberum facit hominem in dogmatibus fidei; hæc autem libertas reperitur modo in eadem domo Caluinistarum, in qua quod credit vxor, maritus discredit, neque vnus alteri contradicit, ergo isti colunt fidem diuisam, ac proinde Christum diuisum contra illud Apostoli 1. Corinth. 1. 13. *Christus diuisus est?* in eis ergo non potest esse vera fides, quæ diuisionem dogmatum non admittit propter suam indiuiduam vnitatem. Tum quia Romanus fidem non diuidit, cum semper sentiat cum capite, & legislatore; hæretici vero dissentiunt ab eo, vt notum est, ergo isti veram fidem non habent, sed tantum Romani, qui in vera fide indiuisi manent.

Obiicies, fides Christi diuisa fuit per Apostolos, & successores Apostolorum, atque per alios Romanos viuentes sub eodem capite Pontifice Romano, nam aliqui Apostoli diuiserunt articulum de Resurrectione Christi, multi enim non crediderunt, prout adduxi de hac eorum incredulitate sententias sub q.68. & 69. Paulus restitit in faciem Petro, ad Galatas 2. 11. quia reprehensibilis erat Petrus, nam simulabat vitam gentilem, & nihilominus cogebat gentiles iudaizare, vt dicitur seq. num. 14. D. Hieronymus, & D. Augustinus pugnant ad inuicem circa prædictam simulationem Petri, siquidem ille dicit, Petrum vsurpasse illas ceremonias non serio, sed simulate; iste vero asserit serio illis vsum fuisse, & peccasse, vide

Becan.

Becan. quæstione decima, de lege Mosaica.

Respondetur, verum esse, quod nonnulli Apostoli discrediderunt Resurrectionem Christi, iuxta quod dixi loco citato, postea tamen recognoscentes suum errorem redierunt ad fidem, & crediderunt in eum; ex quo aliqui Apostoli fuerunt increduli, non ideo fides diuisa fuit per illos ratione suæ vnitatis, quia remansit indiuidua, hæretici vero fidem diuidunt in eo, quod diuersa sentiunt non solum ratione subiecti, sed etiam ratione obiecti, quatenus veritatem veræ fidei negantes, proprios errores constituunt fidem, & inter se quoque diuersi sunt in sententiis, consequenter non tantum se diuidunt à fide, quam relinquunt, sed fidem ipsam diuidunt ratione obiecti, dum non solum diuersa sentiunt à fide Christi, sed etiam ad inuicem pugnant in dogmatibus. Illa resistentia Pauli in Petrum, fidem non infringit, quia non dissidebant circa aliquod obiectum fidei, sed circa exercitium Ceremonialium, quarum simulatio ex parte Petri non placebat Paulo. Pariter D. Augustinus, & Hieronymus non alterantur circa aliquem articulum fidei, sed circa illum modum iudaizandi an fuerit simulatus, & fictus, an vero realis, & ex affectu iudaizandi. Mansit ergo fides indiuisa in illis Patribus.

201 Secundum argumentum deductum à sanctitate sic formatur. Vera fides est illa quæ est sancta sanctitate iustitiæ, & perfectionis, tam ex parte obiecti, quia continet præcepta, & dogmata sancta, & perfecta, tam respectu subiectorum, & credentium, quos perficit, & sanctificat, vt patet ex q. 15. & dicitur Act. 15. 9. *Fide purificans corda eorum* Ad Galat. 2. 16. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Sed hæc fides in solis Romanis reperitur, quos perficit, & iustificat, ergo illorum fides vera est, & aliorum falsa. Minor probatur quoad sanctitatem obiecti fidei, quia Romani tenent fidem expressam in Sacris Scripturis, & Traditionibus, atque definitionibus Conciliorum, quam constare ex præceptis, & Doctrinis sanctis, & immaculatis; Hæreticorum vero fides maximè Modernorum continet dogmata scandalosa, & perniciosa, quæ docent non esse obediendum summo Pontifici, immò ipsum esse Antichristum, liberum esse religiosis, & monialibus matrimonium contrahere contra fidem datam Deo de castitate non violanda, & similia, quibus sensus adhæret, quæ quantum falsa sint, & perniciosa animabus hominum, omnibus manifestum est, ergo horum fides falsa est, & sola Romanorum vera, & Catholica est, quæ continet Doctrinam sanctam, piam, & vtilem hominibus. Eadem minor quoad sanctitatem credentium constat, quia sub Ecclesia Romana incipiendo à Christo fidei primo prædicatore, & simul auctore decoratur propagata in Apostolis, & Martyribus, qui propter defensionem fidei diuinæ ab hostibus eiusdem fidei interfecti sunt; in confessoribus, qui fidem suis prædicationibus, vitæ integritate, & sanctitate protestati sunt, & aliis prædicauerunt; in virginibus & viduis, quæ immaculatas se seruantes ab hoc sæculo propter fidem Iesu Christi meruerunt vitam æternam; infiniti ergo homines vtriusque sexus ex fide perfecti, & iustificati meruerunt à Deo sanctitatem iustitiæ, & tales esse à nobis creduntur, quod signum est manifestum, veram fidem in his reperiri, qui subduntur Romanæ Ecclesiæ. Hæc autem sanctitatis exempla apud illos non apparent, & si nominantur ab illis, non nisi vsurpatiuè, cum sint sancti Ecclesiæ Romanæ, à qua hæretici recesserunt, quod signum est, in illis non esse veram fidem.

Obiicies, fides hæreticorum sancta est sanctitate formali, & causali, quia si in omnibus non habet eadem dogmata cum Romanis, saltem in multis est eadem, ergo est eiusdem sanctitatis formalis; immò & talis in iis, in quibus discrepat, nam Euangelium non præcipit abstinere à matrimonio, immò illud suadet, cum sit vnum ex Sacramentis Ecclesiæ in sententia Romanorum, ergo fides hæreticorum indulgens matrimonium Ecclesiasticis non est perniciosa, sed sancta, & conformis Doctrinæ Christi, qui interfuit nuptiis in Cana Galileæ, & illas sanctificauit, & fuerunt celebratæ inter Ioannem Euangelistam, & quandam puellam Deo consecratam ex sanctis quibusdam Patribus apud Gislandam Dominicanum super Euangel. primæ Dom. post octauam Epiphaniæ dub. 1. 202

Quod ad sanctitatem credentium patet, quia Sancti communes sunt etiam illis, & multi illorum suo sanguine suam fidem defenderunt, ergo eorum fides vera est, quia sancta, & viuificat homines.

℞. Eorum fides neque in seipsa sancta est, neque illam credentes sanctificat, licet enim in multis dogmatibus conueniant cum Romanis, & Catholicis, non ideo tamen respectu illorum ea dogmata habent rationem fidei veræ, quia eo ipso, quod nolunt credere Ecclesiæ, ad quam omnia dogmata veræ fidei spectat definire, & promulgare, neq; illis dogmatib. 203 prout spectant ad veram fidem credunt, sed ex propria voluntate illis adhærent ex cognitione acquisita seu industria propria, seu ex auctoritate & prædicatione suorum maiorum. Neque exemplum de matrimonio illis quicquam prodest, quia aliud est, hominem liberum posse contrahere matrimonium, aliud est hominem ex propria voluntate se Deo obligare ad conseruandam castitatem priuando se potestate contrahendi matrimonium, nam in hoc secundo sensu grauissimum est sacrilegium matrimonium contrahere, violando fidem Deo datam de castitatis voto seruando; Ecclesia autem non prohibet abstinentiam à matrimonio in primo sensu, sed tantum in secundo illis, qui se priuauerunt ea libertate per solemnitatem Sacri Ordinis, vel voti professionis, quod omnino seruandum est secundum legem Dei præcipientis, vt sibi reddantur vota promissa iuxta illud. *Vouete, & reddite.* De sanctitate credentium dico 204 apud ipsos nullos esse sanctos, quia si loquamur de sanctis ante ipsos Hæresiarchas, falsum est, illos esse communes, nam sunt sancti Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, extra quam hæretici sunt, vt alibi probabitur; si loquamur de sanctis postmodum Canonizatis, iam isti proprij sunt Ecclesiæ Catholicæ, cuius caput tales illos declarauit Summus Pontifex, quem hæretici nolunt recognoscere, demum nullus de eorum secta potest fieri sanctus, aut martyr, licet mortem patiatur, quia præterquamquod sunt in statu damnationis spernentes mandata Ecclesiæ Romanæ, ac proinde ipsum Deum, qui enim spernit ministros Dei, ipsum Deum contemnit, vt dicit Lucas 10. 16. potestas canonizandi est solum Romani Pontificis.

Tertium argumentum ex vniuersalitate, fidei colligitur sic. Vera fides Christi est illa quæ vocatur 205 Catholica, hoc est, vniuersalis, & communis omnibus hominibus, quia illis communicabilis est per prædicationem propter necessitatem salutis, vt probaui q. 8. Fides autem secundum suam vniuersalitatem in ratione prædicationis, & vniformitatis dogmatum reperitur in solis Christianis, ergo in extraneis non est vera fides. Minor quoad vniuersalitatem prædicationis reperta fides in solis Romanis suadetur, quia Summi Pontifices multam adhibent diligentiam, vt Christi Euangelium propagetur etiam in terris infidelium, & hæreticorum, mittendo singulis annis per vniuersum orbem viros doctos, prudentes, & pios, qui in fide instruant ignorantes, & infideles reducant ad veram fidem; hoc autem non fit per ipsos hæreticos, qui extra loca, vbi hæresim non seminauerunt, non

non procurant suos errores docere, quia in cordibus suis illos cognoscunt pro talibus, & ideo nolunt spargere extra, quia non crederetur illis, ergo cum illorum fides ex hoc capite non sit vniuersalis, & Catholica, vera non est, sed falsa. Quoad vniuersalitatem vniformitatis dogmatum patet, nam Romani eadem omnino dogmata amplectuntur sine vllo discrimine; hæretici vero nec inter se conueniunt, cum faciant capita inter se diuersa, imò in pluribus etiam Discipuli à magistris recedunt, ergo illorum fides non potest dici vniuersalis, & Catholica, cum non conueniant in vniformitate dogmatum.

206 Quartum deducitur ex prædicatione Apostolorum, ex quibus vera fides dicitur Apostolica, quia illi per vniuersum orbem prædicauerunt Euangelium continens fidem diuinam Iesu Christi, ex probatis sub q.17. Sed sola fides Romanorum est Apostolica, ergo extraneorum est falsa. Minor suadetur, quia Romanorum fides est illa, quam reliquerunt Apostoli acceptam à Christo, & traditam per illos, & per successores illorum, qui sunt Summi Pontifices, qui successerunt Petro, & Episcopi, qui successerunt Apostolis sub vno & eodem capite Pontifice Romano, hæc enim vere dicitur Apostolica, quia ab illis successiuè in nos Romanos intacta, & eadem peruenit, & manet immutabiliter. Sed hæc non reperitur apud extraneos, cum eorum prædicatores non sint successores Apostolorum, neque sub obedientia Apostolici capitis, ergo carent vera fide?

207 Quintum argumentum à Miraculis desumptum est hoc. Miraculum est opus sensibile, arduum, & insolitum excedens vires naturæ à Deo factum ministerio hominis in protestationem, & confirmationem veræ fidei Catholicæ, vt apertè colligitur ex Sacra Scriptura, Miracula nimirum fieri in confirmationem veræ fidei, & illius cognitionem. Marci extremis verbis. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Ioan.2.23. *Multi crediderunt in nomine eius videntes signa, quæ faciebat.* Est ergo res certa de fide, quod miracula sunt in protestationem, & confirmationem fidei; ergo apud illos est vera fides, apud quos est factio miraculorum; sed miracula fiunt tantum apud Catholicos, & non pœnes hæreticos, ergo illi tantum habent veram fidem. Minor patet, quia ex historiis, & in dies apparent illuminationes cæcorum, locutiones mutorum, Resurrectiones mortuorum, & sæpè sancti Canonizantur non sine miraculis, quæ fecerunt in vita, & post mortem; nulla autem legimus facta per hæreticos, ergo signum est euidentissimum illorum fidem esse falsam, si enim esset vera, aliquando Deus per illius sectatores miracula faceret ad protestandam illius veritatem.

208 Dices, etiam mali homines possunt facere miracula, vt colligitur Matth.7.22. Marci 9.37. Lucæ 9.49. ergo miraculum non est sufficiens signum ad ostendendum veram fidem esse in eo, vel apud illos, apud quos fiunt miracula. Respondeo, miracula, quæ fiunt etiam à peccatoribus si sunt verè miracula, fidem adhuc protestantur, quia fiunt ab homine fideli, licet peccatore, non vero fiunt ab infideli, & hæretico ad hunc finem, sed ad alium effectum, nempe ad vtilitatem corporalem alicuius, si enim infidelis intenderet per miraculum autenticare suam fidem Deus id non permitteret, aut non esset verum miraculum, quale non fuit illud Simonis, qui contemnendo fidem diuinam suis falsis miraculis contendebat se esse Filium Dei, & velle in cœlum volare, quod vt magicis artibus facere cœpit eleuatus in aërem, statim cecidit confractis viribus, ex quo patet illud non fuisse verum miraculum, sed Dæmonis illusionem, Miracula igitur solum fiunt à veris fidelibus ad confirmationem fidei. Vide D. Maximum Episcopum Homil. 5. de Apostolis, relatum ad diem quartum Iulij infra octauam Apostolorum Petri, & Pauli de illo Mago lect. 6.

Sextum argumentum à persecutione, & martyrio euidenter probat fidem Catholicam esse illam, quam Christus prædicauit, & tenet Romana Ecclesia. Nam Christus, qui caput est martyrum, primo fidem Euangelij sui proprio sanguine dedicauit, & confirmauit, ad Roman. 3.25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ,* quam fidei confirmationem per persecutionem annuntiauit Discipulis suis, Ioan.15.20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur,* vnde & pro confessione, & prædicatione fidei omnes martyrium passi sunt; non solum Apostoli, verum etiam alij fideles ferè innumerabiles pro confessione fidei necati sunt à persecutoribus Catholicæ fidei. Ex quibus euidenter colligitur veram fidem reperiri in illis, in quibus viget persecutio propter confessionem fidei Iesu Christi; sed persecutio hæc reperitur solum apud Ecclesiam Romanam, ergo hæc sola veram fidem tenet. Confirmatur, quia hæretici diuersarum sectarum inter se non quærunt persecutionibus alterius sectam destruere, sicut contingit in fidelibus Romanis, qui constanter Christi fidem tuentes necantur ab hostibus fidei Catholicæ. De Martyrio infra q.98. 209

Septimum argumentum accipitur ab indeficientia fidei nostræ, & formatur sic. Illa est vera fides diuina à Iesu Christo, & ab Apostolis prædicata, quæ est constans, stabilis, & indefectibilis, tam ex parte obiecti, quam ex parte credentium capitis, & membrorum ex probatis sub q.12. & 13. Sed sola fides Ecclesiæ Romanæ est constans, stabilis, & indefectibilis, ergo aliorum fides falsa est. Minor probatur quoad obiectum ipsius fidei, seu respectu rerum credibilium, quæ in Ecclesia Romana semper fuerunt eædem immutabiliter, itaut, quod definitum fuit in vno Concilio circa fidem confirmatum fuit in sequentibus. Eadem minor quoad indefectibilitatem, & constantiam Ecclesiæ Romanæ, quæ semper perseuerauit, & perseuerabit vsque ad finem sæculi in eadem fide diuina, patet ex testimonio Iesu Christi dicentis de Petro primo capite & eius successoribus, Lucæ 22.32. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides sua.* De Ecclesia, seu Concilio Matth. 18.20. *Vbi duo, vel tres Congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Confirmatur tam de capite, quam de membris, de quibus Matth. 16.18. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Extant testimonia Patrum, Marci Papæ electi anno 336. in Epist. ad Athanas. *Sancta Romana Ecclesia, beato Petro opem ferente, sine vlla hæreticorum insultatione, firma, & immobilis omni tempore persistet.* Bernardus sanctus Epist.190. ad Innoc. Papam. *Huius sanctæ Sedis prærogatiua hæc est, vt ibi fides non possit sentire defectum.* Lucius Papa electus de anno 250. in Epist.1. ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ ita testatur de Ecclesia Romana, *quod sit Apostolica, Mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit.* Eulalius Episcopus Carthagin. in quadam sua Epist. testatur in Ecclesia Romana esse veram salutem, & veram fidem, & non extra illam. Caranza refert in compend. Concil. fol. 149. §. Extat. Fides ergo sub Romana Ecclesia indefectibilis est; extraneorum vero fides nulla est, sed euanuit. Ostende mihi fidem Arij, de quo dixit D. Hieron. *Ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est,* & de eodem legitur apud Ioannem Carion. lib. 3. Monarch. 4. Ætat. 3. *Ita autem placuit hic error.* (Filius in diuinis non est consubstantialis Patri) 210

orbi,

orbi, & Doctissimi Episcopi, & vniuersa ferè Ecclesia orientalis, plurimi etiam in occidente, eum amplexi sint. Nihilominus eius fides falsa euanuit, & aliorum multorum, nec remansit vestigium Deo fauente. Idem accidet Lutheranis, & Caluinistis, atque incipiunt declinare, cum inter se diuisi sint, & plures habeant altercationes.

Argumenta, quæ possent obiici contra indeficientiam fidei, & capitis referam cum de Conciliis, & Romano Pontifice agam.

211 Octauum argumentum desumitur ab vnitate capitis hoc modo. Illa est vera fides, cuius professores militant sub vno capite indefectibili, qui errare non potest in decidendis controuersiis fidei; sed huius generis sunt soli fideles militantes sub Romano Pontifice, qui in suis decisionibus circa fidem errare non potest, ergo apud alios non est vera fides. Maior patet, quia fides diuina dignoscitur ex reuelatione primæ veritatis per talem legislatorem, qui errare non possit in determinando hoc, & non illud dogma spectare ad veram fidem. Minor probatur, quia hæc vnitas capitis habentis auctoritatem circa rem fidei hactenus, & deinceps perpetuo seruatur in Romano Pontifice, sub cuius obedientia viuunt omnes veri fideles, qui cum illo sentiunt eadem fidei mysteria; hoc autem caput necessarium est ad conseruationem veræ fidei, vt docet S. Cyprian. lib. 3. Epist. 3. ad Cornelium Pontificem, illis verbis. *Neque enim aliunde hæreses ortæ sunt, aut schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei*, id est, Romano Pontifici, qui est Summus Sacerdos, *non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* In Concilio Calced. legitur Epistola Petri Rauennatis Episcopi ad Eutichetem his verbis. *Quoniam beatus Petrus, qui in propria sede, & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Hieron. lib. 1. contra Iouin. hæc habet. *Propterea inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Anselmus in cap. 15 Matth. ita scribit. *Potestatem soluendi vni Petro concessit Christus, vt ad vnitatem fidei nos inuitaret, si forte Ecclesia inter se dissiderent.* Patet ergo ex his vnitatem capitis necessariam esse in Ecclesia Dei ad stabilitatem fidei, & ad fugandas hæreses. Quare cum diuersa capita reperiantur ex pluralitate sectarum, nullatenus inter illos inueniri potest vera fides, cum tot sint sententiæ illorum, quot sunt capita. Remanet ergo quod vera fides sit in illis, qui sub Romano Pontifice viuunt in vnitate fidei.

212 Nonum argumentum accipitur à legislatore proponente, & decidente quæstiones ad fidem spectantes, quas ab omnibus obseruandas promulgat, vnde dicit Augustinus à Scoto relatus quolib. 14. §. De primo. *Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ auctoritas compelleret.* De legislatore, & promulgatore fidei infra q. 8 . & 81. Sic formo argumentum. Vera fides requirit Canonicam, & legitimam declarationem, & promulgationem in suis articulis, & propositionibus de fide, vt homines certo, & distinctè sciant, quid credere debeant, potest enim Euangelium Dei, quod est compendium fidei nostræ, falsificari, & adulterari ab impiis hominibus Iesu Christi hostibus, quod non semel accidit, ideo oculato superiore indiget fides, vt intacta conseruetur, & adulterata reducatur ad suam pristinam veritatem, & sinceritatem. Hæc maior constat ex locis citatis. Sed fides hæreticorum caret huiusmodi legislatore, & iudice, quem fides Romana perpetuo habet; ergo hæc est vera fides, & non illa. Minor quoad posteriorem partem de Romano Pontifice legislatore, & iudice veræ fidei constat ex dictis. Minor eadem quoad aliam partem, nimirum, quod fides hæreticorum careat legislatore, & iudice, probatur, quia si articuli hæreticorum; in quibus consistit eorum inanis fides, promulgantur de fide credendi ab ipsis, vt exigitur, id non potest fieri, nisi per eorum inuentores, & auctores; sed id ab ipsis legitimè fieri non potest. *Primò*, quia nulla persona priuata legem ferre potest, nec promulgare, aut proponere, vt obseruetur, sed debet 213
esse publica auctoritatem habens fori externi, vt docent omnes cum D. Thoma 1. 2. q. 90. art. 4. debet enim habere subditos sub se, quos cogere possit, & obligare ad obseruationem legis; sed quilibet hæreticus est persona priuata, licet alias esset publica ratione Episcopatus v. g. ergo legislator, nec iudex esse potest. Minor probatur. *Tum quia*, hæreticus amittit rationem personæ publicæ, per hæresim; *Tum quia*, 214
non est amplius sub capite, à quo dependebat in officio; tum quia esto esset adhuc prælatus, & officialis, non ideo potest esse legislator, & iudex legitimus, quia cum fides sit medium necessarium ad salutem omnibus hominibus, & non aliquibus tantum, necesse quoque est quod legislator, & iudex sit respectu omnium hominum per vniuersum orbem, & non respectu vnius, vel alterius nationis tantum. *Secundò*, qui heri erat Catholicus, & sub Romano Pontifice, quia credebat, quod credit semper Romana Ecclesia, & hodie fit hæreticus, & extraneus, ac rebellis à capite, quia pertinaciter non vult credere, quod reuera credendum est, mutando veram sententiam in falsam, aliis præcisis, apertè conuincitur de falsitate, & mendacio, atque suam fidem ab initio reddit falsam, & inanem ratione suæ inconstantiæ, & temeritatis, volens solus contra omnes alios sentire oppositum. *Tertiò*, vera fides statim ac proponitur, & promulgatur ab omnibus sine contradictione acceptatur, quia est verbum Dei, contra quod nulla apparet repugnantia; sed nullius hæretici fides ab initio suæ prædicationis acceptatur, cum vt plurimum occultè proponatur, ergo vera fides non est, nec publicatio est legitima. *Quartò*, vera fides quoad suas quæstiones palam 215
proponitur discutienda, conuenientibus Patribus, & Theologis ad disputandum de re proposita, vt ex oppositis elucescat veritas, & tandem vnanimi consensu, & sententia concurrunt in eundem sensum explicantes quod de fide credendum est, deinde à Papa definiendum, vt ab omnibus de fide teneatur. Quæ vero proponitur sine Concilio, sine disputatione, sine discussione, & sine plurium consensu, dependens tantum ab vno, vel altero, cuius est inuentor, certè vera fides esse non potest. Fides autem Romanorum primo modo discutitur & proponitur, & Hæreticorum secundo modo editur in conuenticulis, & in lectulis, ergo Romana est vera, & aliorum falsa. Confirmatur autè, quia priori modo negotium sapienter, maturè, & prudenter tractatur, posteriori vero insipienter, immaturè, & imprudenter dubium determinatur. De primis dicitur Prouerb. 2. 22. *Consilium custodiet te.*
Eodem cap. 11. 14. & cap. 24. 6. *Salus vbi multa consilia.* Item cap. 12. num. 15. *Qui sapiens est audit consilia.* 216
Sequenti cap. 13. num. 10. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* De secundis, id est, hæreticis dicitur Prouerb. 3. 5 *Ne innitaris prudentiæ suæ.* Et sequenti num. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Quod repetitur ab Apostolo ad Roman. 11. 25. *Vt non sitis vosmetipsis sapientes.* Eccles. 7. 17. *Ne plus sapias, quam necesse est.* Qui ergo acquiescunt bonis aliorum consiliis, consequuntur salutem, custodiam, & sapientiam; qui vero è contra non acquiescunt, illa perdunt, si habent, insolentes fiunt, ambitiosi quærunt sectatores suorum errorum, temerarij, & stulti habentur ab aliis. Qualis ergo poterit esse fides eius, qui propriæ innititur sapientiæ, seu potius ambitioni, & stultitiæ, contra Doctrinam vniuersæ Ecclesiæ à tot Patribus, & sapientibus

sapientibus viris vnanimi sententia confirmatam; non nisi vana, inanis, & ambitiosa,& erroribus plena? *Quintò*, sicut opinio communissima, quæ ab om-
217 nibus tenetur, sequenda est, ita quòd non licet ab ea recedere, quia continet veritatem, vt docent omnes cum Angel. *v. opinio*, Sylu. *q.* 2. Ioan. Andr. *in cap.* 1. *de constit.* Nauarr. *tom.* 2. *de reddit. q.* 1. *monit.* 48. *num.* 2. *& consil.* 1. *de condit. appos. n.* 7. asserente non esse recedendum à communi opinione, sine textu vel efficaci ratione; ita à fortiori non est recedendum ab Articulis, & propositionibus de fide, quæ opiniones non sunt, sed veritas ipsa, maximè cum recedentes nullum textum, nullam veram rationem pro se habere possint,
218 stulti ergo, & insani sunt, qui recedunt ab illis. *Sextò*, illa non est vera fides, nec bona, quæ infelicem habet exitum, nam quæ malo sunt inchoata principio, bonum non possunt habere exitum, *cap. Miramur* 4. *dist.* 61. *cap. Principatus* 25. 1. *q.* 1. Sed fides hæreticorum infelicem habet exitum, siquidem hæresis initio facilè crescit, sed non succrescit, neque enim incrementa habere possunt, quæ illicitè cæperant, sed statim cum praua sua æmulatione deficiunt, inquit
219 Cyprian. relatus *cap. Nouatianus* 6. 7. *q.* 1. *Septimò*, illa non est vera, nec sana fides, quæ pro inuentore, & auctore habet hominem stultum, & insanum, qui relinquit vniuersalem sensum, & consuetudinem totius Ecclesiæ, & sequitur proprium, & singularem sensum, vt inquit D. Aug. *epist.* 118. aduersari communi Ecclesiæ consuetudini esse insolentissimam insaniam, & Scotus *in* 1. *dist.* 11. *q* 1. fine ait, esse valdè periculosum errare circa ea, quæ non tantum descendunt ab Apostolis, sed etiam, quæ per consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ seruanda sunt, relinquere; errant ergo hæretici, & eorum fides insana est, & vana se opponentes determinatis vniuersaliter ab Ecclesia, per iudicium tot virorum Theologorum & sanctorum Patrum comprobatis.

Dices, non est necesse pro veritate fidei, quòd à persona publica fides edatur, & promulgetur, sed sufficit interna inspiratio à Deo facta hominibus, vt colligitur ex epist. 2. ad Timoth. cap. 3. 16. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum*; vnde Cephas epist. 2. cap. 1. fine sic ait: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

220 Contra est primò, quia licèt Scriptura à Deo illius auctore inspirata sit hominibus, qui per os Spiritus sancti loquebatur, nihilominus, vt ea cognoscatur de fide credenda à nobis, per publicam Ecclesiæ auctoritatem declaranda est, nam Christus non omnibus indifferenter mandauit prædicationem Euangelij, sed tantùm Apostolis, quibus in coadiutores designauit septuaginta duos discipulos, nulli igitur credendum est, nisi mittatur ab Apostolico. *Secundò*, in veteri lege insurgebant quidam falsi Prophetæ, qui asserebant, se à Deo esse missos, quod tamen verum non erat, de quibus dicit Isaias 9. 15. *Propheta docent mendacium.* Ierem. 23. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Isti vocantur Pseudo-Christi Matth. 24. 24. Pseudo-Apostoli 2. Corinth. 11. 13. Pseudo-Prophetæ 1. Ioan. 4. 1. & alibi sæpius. *Tertiò*, non solum interna inspiratio non sufficit, sed neque externa etiam per Angelum, quando non est conformis Euangelio, ad Galat. 1. 8. censetur enim non inspiratio, sed desperatio, & diabolica illusio. *Quartò*, cum agatur de interesse proprio hominis inuentoris nouæ sectæ, vt ab hominibus honoretur, & relinquat post se discipulos iniquitatis, vt liberiùs cum illis viuat, vt se clamat ab obedientia horum maiorum, illi nullatenus credendum est, quia in propria causa nemo est testis idoneus, *cap. si testes* 2. §. *Nullus* 4. *q* 2. *&* 3. *l. Nullus, ff. de testib.* ergo huius- 221
modi hæresiarchæ non sunt idonei prædicatores, & promulgatores veræ fidei, sed falsi, & mendaces præcones. *Quintò*, demum interna inspiratio, quæ est contra communem Ecclesiæ sententiam, non est censenda bona inspiratio, nec à Deo immissa, sed illusio dæmonis, aut hominis superbi, & ambitiosi astutia, & stulta deceptio; neque rationabile est, quòd doctrina, à qua pendet non vnius hominis, sed totius generis humani salus, in ratione fidei, sui esse originem occultam habeat fundatam in inspiratione facta vni soli homini, vt sæpius mendaci, & peccatori, vt experientia constat de his hominibus hæresum inuentoribus. Quare non solùm similis inspiratio non est vera, sed neque aliquam habet vmbram verisimilitudinis, sed omnino id absurdum est, & incredibile. Nec obstat, quod hæretici statim habeant sectatores, siquidem & natura hominis prona est ad malum; & habet liberum arbitrium; & quia hæreticorum vana fides indulget sensui, & libidini, ideò mirum non est, si habeant sequaces; his ergo non probatur inspiratio desuper, sed de subtus, quia homo libidine sua trahitur magis ad malum, quam ad bonum, & quærit libertatem, & sensum, quæ hæreses suis sequacibus præscribunt.

Quæres 77. An Martyrium specificetur per confessionem fidei? De Martyrio nonnulla notaui controu. 13. num. 32.

℞. Specificatur principaliter, tum quia Marty- 222
rium idem est, quod testificatio Christianæ veritatis, martyr verò idem est, quod testis fidei, & id deducitur ex cap. 1. Act. num. 7. *Eritis mihi testes in Ierusalem.* Ex D. Thoma 2. 2. q. 124. *art.* 2. *Tum quia*, à D. Maximo dicitur, quòd fides Catholica est mater martyrij. *Tum* ex multitudine quasi infinita Martyrum, qui in confessione fidei constantes, & viriliter se gerentes necati fuerunt. Dixi principaliter, quia non solùm perseuerantia in confessione fidei Iesu Christi specificat martyrium, sed etiam perseuerantia in veracitate aliarum virtutum, vnde Machabæi pro legibus Dei fortiter certantes Martyres effecti sunt. Ioannes Baptista Martyr occubuit pro reprehensione adulterij, tuebatur enim iustitiam violati thori, & pudicitiam. Sanctus Thomas Cantuariensis pro tuenda libertate Ecclesiastica interfectus fuit. Quare mortem patiens non solùm pro tuenda fide, sed qualibet alia virtute in honorem Dei, Martyr efficitur, quia pro Christo patitur, qua ratione etiam 223
bonus latro dicitur Martyr, quia illi mors fuit accelerata in odium mortis Christi. Concludit D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *art. fin. extremis verbis*, quòd *Potest esse quodcumque bonum humanum martyrij causa, secundùm quod in Deum refertur.* Spectat autem martyrium ad virtutem fortitudinis, ex qua viriliter elicitur, & ad virtutem fidei, à qua mouetur homo ad patiendum, atque ad virtutem Charitatis, quatenus ab ea imperatur suscipiendum alacriter, & pro amore Dei. Ex his deducitur ad martyrium plura requiri, *primò*, intentio patiendi in adulto; *secundò*, quod passio sit lethalis, hoc est ordinata ad mortem; *tertiò*, in adultis requiritur saltem actus attritionis; *quartò*, vt martyrium patiatur ex causa honesta; *quintò*, vt à persecutore inferatur in contemptum Christi, aut fidei, vel alterius virtutis. An autem inseruientes peste infectis euadant Marty- 224
res, si moriantur in ea seruitute? Non, defectu persecutoris, & odij in Christum, vel virtutem, prætterquam quòd mors martyrij debet prouenire à causa violenta, & extrinseca, non ab intrinseca, & morbo.

Quæres 78. An Papa, & Religiones teneantur mittere Prædicatores in terras infidelium ad propagandam fidem, ad conuersionem infidelium?

225 ℞. Ad solum Papam id munus spectat, tum quia grauissima negotia, quæ ad totum mundum pertinent, agenda sunt à capite omnium, qui est solus Papa. Tum quia nemo mittit seipsum ad negotium peragendum, sed ab alio mittitur, sic Deus misit Christum ad prædicandum Euangelium, & Christus suos Apostolos dependenter à Petro summo Pontifice, ratio quoque suadet, vt missionis officium spectet ad solum Papam, qui locum tenet Petri. Aliquæ sunt religiones, cuius professores promittunt ex voto obedire Papæ in his missionibus, & huius generis sunt Iesuitæ, de qua re Sanch. *lib.6.cap.*18.

Quæres 79. An in tractandis mysteriis de fide agendum sit potiùs orationibus, quàm auctoritate?

226 Resp. Producendum est per auctoritatem Sacræ Scripturæ, Ecclesiæ, & Patrum, qui res fidei tradunt ad cognoscendum per hoc, quod Deus ita dixit esse credendum hoc, vel illud, acquiescendum igitur est Ecclesiæ, & Patribus proponentibus aliquid de fide credendum, dum pro ratione afferunt auctoritatem Dei dicentis ita esse credendum, quia ipse dixit. Vnde D.Thomas *par.1. q.32. art.1.* in corpore dicit illum facere iniuriam fidei, qui quærit eius veritatem ratione naturali, *primò* quia fides est ex non apparentibus, ad Hebr.11.1. *secundò*, quia cum aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non sunt cogentes, cadit in irrisionem infidelium, credunt enim quòd huiusmodi rationibus fides innitatur, ac proinde rationibus non subsistentibus in eorum opinione, dicunt fidem nostram esse vanam. Ratio igitur naturalis non facit pro fide, quæ sola Dei reuelantis auctoritate nititur, nihilominus ratio est in subsidium fidei, quæ rationibus persuaderi potest, & interpretatione sacræ Scripturæ. Debent ergo Catholici arguere auctoritate sacrarum literarum & sanctorum Patrum contra hæreticos, & eorum vanis rationibus respondere, & id præcipit Paulus scribens ad Titum cap. 1. num. 9. *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari, in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Impugnandi ergo sunt hæretici his duobus mediis, auctoritate scilicet, & ratione, vt hoc modo confusi, redeant ad veram fidem, quam in baptismate receperunt; nec eorum interpretationibus credendum est, cum in sua Ecclesia Romana vera, & legitima librorum Canonicorum interpretatio, & declaratio inueniatur.

Quæres 88. An vt articuli fidei à nobis credantur, necessarium sit, quòd ab Ecclesia Dei proponantur, & promulgentur instar legum?

227 Resp. Affirmatiuè, quia more aliarum legum promulgandi sunt à legislatore, Deus autem, qui huius legis de fide auctor, & conditor est, promulgauit per Ecclesiam suam in Apostolis, dum illis præcepit Marci *cap.16.num.15. Euntes in Mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quod factum fuisse testatur S.Paulus *ad Rom. c.19.num.18. In omnem terram exiuit sonus eorum.* Ita autem necessaria fuit hæc promulgatio, vt si facta non fuisset ab Ecclesia per Apostolos, per Summos Pontifices, per Concilia, nulla esset obligatio credendi, vt apertè testatur D.August illis verbis. *Non crederem Euangelio nisi Ecclesia diceret*, quem citat Scotus *in 3.dist.23.q.vn. §.De primo.* Hactenus omnes articuli credendi ab omnibus propositi, & promulgati sunt ab Ecclesia, dum in diuersis Conciliis Summus Pontifex Canonizauit libros Sacræ Bibliæ decernendo, quinam pro Canonicis sint recipiendi, & qui non, decisis omnibus controuersiis circa fidem, vt videre potissimum est in Concilio Tridentino, in quo stabiliti fuerunt diuersi Canones circa mysteria fidei, quæ Hæretici in malam partem accipiebant.

Quæres 81. An Episcopo, vel aliquibus aliis, etiam Angelo, præter Papam, seu Concilium Generale cum isto, proponenti aliquid de fide, quod antea ignorabatur, vel controuersum erat, credendum sit, & propositum tanquam de fide habendum sit?

Resp. In hoc nulli ex prædictis credendum est 228 ex habitu, & præcepto fidei, quia id munus promulgandi Articulos fidei spectat solùm ad Summum Pontificem, & Concilium Generale dependenter ab ipso, vt dixi *num.* 27. Et de Angelo Euangelizante apertè dicitur, *cap.1.ad Galat.num.*8. *& 9. Sed licèt nos, aut Angelus de Cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis Euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Vnde D.Ioan.Chrysostomus super dictam Epistolam dicit: *Diuinis literis potius est credendum, quam Angelis de Cœlo descendentibus, aut mortuis resurgentibus.*

Quæres 82. An determinata in Conciliis Generalibus omnia sint de fide? an ea tantùm, quæ sub anathemate decernuntur? Pro qua re nota, quod in pluribus Conciliis tria distinguuntur: *Primò* aliqua 229 capita continent doctrinam in ordine ad id, quod de fide proponendum est, & declarandum. *Secundò* alia pertinent ad reformationem morum. *Tertiò* demum nonnulla alia referuntur ad canones, in quibus stabiliuntur articuli de fide ab omnibus credendi sub pœna excommunicationis ipso iure. Hæc tria quisque videre poterit in Concilio Tridentino, primi, & secundi generis continentur sub capitibus, materia tertij generis, quæ est propositionum de fide comprehenditur sub Canonibus.

Resp. Propositiones, quæ continentur in Capiti- 230 bus Conciliorum, extra Canones, non sunt de fide: nisi aliunde constet de illis, sed tantùm sunt Theologicæ ab omnibus amplectendæ, aliter contradicentes, aut simpliciter eas negantes temerarij sunt, in ipsis verò canonibus contentæ omnes sunt de fide; hoc posteriùs patet, quia in Canonibus mysteria fidei proponuntur credenda, & aliter sentientes excommunicantur, Priùs verò constat ex opposito, quia in capitibus nihil præcipitur credendum sub anathemate; ergo non sunt propositiones de fide. Deinde omnes fideles Concilia quo ad Canones tenentur recipere, in cæteris locum habere potest non acceptatio; ergo in his propositiones sunt tantùm Theologicæ. Confirmatur id per Bizozerum *cap.* 3. de Baptismo, vbi in fine dicit, hanc esse differentiam inter Sacram Scripturam, & Concilia, seu Canones Pontificum, quòd in Sacra Scriptura omnia sunt de fide, in Conciliis verò, & decretis Pontificum non omnia sunt de fide, sed tantùm determinationes ipsorum Conciliorum, & Pontificum. Dixi demum, negantes contenta in illis capitibus esse temerarios, quia quod prudenter, maturè, & discretè à Summis Pontificibus, & Patribus in Conciliis decernitur reprehendendum, neque negandum est, ex quo Nauarr. *tom.2. de incompat. benef.* illos vocat temerarios, qui propositiones Patrum erroneas dicunt. Confirmatur ex duabus sententiis *cap.7.n.*15. allatis.

Quæres 83. An non acceptatio locum habeat in articulis fidei propositus ab Ecclesia in Conciliis? Item, an eisdem lege, aut consuetudine derogari possit?

Resp. Negatiuè ad singula, quia articuli fidei in 231 ratione veritatis, reuelationis, & determinationis, seu explicationis, & propositionis Ecclesiæ omninò sunt à Deo, quoad veritatem, & reuelationem clarum est ex dictis in præcedentibus, quoad propositionem

etiam à Deo sunt, cum non proponantur, neque desiniantur ab Ecclesia nisi per assistentiam Spiritus Sancti, qui per eos Ecclesiæ tanquam per ministrum, & præconem veritatis proponit, declarat, & definit articulos fidei ab omnibus credendos; sed circa ea, quæ à Deo pendent tanquam ab Auctore, & Legislatore, nulla potentia, nulla actio humana potest: vt notum est, ergo contra articulos fidei nulla acceptatio negatiua, nulla lex humana, nulla consuetudo habet vim, & illis derogari non potest. Confirmatur, quia articuli fidei sunt propositiones æternæ veritatis fundatæ in Deo primâ veritate, qui immutabilis, & infallibilis est, vnde Barach dicitur *cap.* 4. *num.* 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ in æternum manet.* Lucæ *cap.* 2. *num.* 33. *Cœlum, & Terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Petrus *epist.* 1. *cap.* 1. *num.* 25. *Verbum Domini manet in æternum.* Nec obstat, quod lex vetus abrogata fuerit quo ad eius obseruationem in Cæremonialibus, & iudicialibus, in ratione figuræ præterquam quod id factum fuit à Christo, non verò quo ad veritatem, & figuratum, quatenus credere debemus quæcumque in ea scripta sunt, esse verissima, & infallibilia.

Quæres 84 An opinio locũ habere possit in articulis fidei? Duplicem sensũ potest habere quæstio, vnus est, an propositio de fide possit habere circa se assensum opinionis cũ formidine oppositi, & hoc falsum est, quia per lumen fidei intellectus firmiter, & certissimè assentitur omnibus Articulis sine vlla formidine, quod propositioni possit subesse falsum Alter est, an eadem propositio ab aliquibus probabiliter vocetur de fide, ab aliis verò negetur item probabiliter de fide, ab hoc.

232 ℞. Affirmatiuè, nam apud doctores controuersum est, & in opinione an aliqua propositio sit de fide, v. g. quod Christus sit risibilis, de qua *infrà cap.* 9. *quæst.* 23. Facit pariter quæstio, an ex vna de fide, & altera naturali, sequatur conclusio de fide, & aliis affirmantibus, aliis negantibus Affirmantes autem dicunt, illatam conclusionem, non quatenus illatam, & deductum, esse articulum fidei, sed vt explicatam per alias propositiones de fide, ad omnes autem non spectat explicare, sed solùm ad Papam, ideò Frustra est dicta consideratio.

Quæres 83. An dentur aliqua loca Theologica ad probandum non solùm conclusiones Theologicas, verùm etiam Articulos fidei, si negentur ab hæreticis, & infidelibus.

℞. Theologia est argumentatiua, & habet propria
233 loca, & argumenta ad probandas suas conclusiones, & aliqua principia, ad arguendum aduersantes suis principiis, & conclusionibus,

Prima pars, quod sit argumentatiua, colligitur ex D. Paulo *c.* 1. *ad Titum*, vbi loquens de requisitis ad Episcopum *num.* 9. ait. *Amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Item 2. *ad Timotheum c.* 3. *n.* 16. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, arguendum, corripiendum, & ad erudiendum in iustitia.* Hoc idem testatur D. Petrus *epist.* 1. *cap.* 3. *num.* 15. illis verbis. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Certum ergo est de fide sacram Scripturam esse argumentatiuam, & contradicentes arguere. Theo-
234 logus ergo conficit argumenta non quidem ad probanda principia Sacræ Scripturæ, & Theologiæ, qui sunt Articuli Fidei, eò quòd Theologia
235 conuenit in hoc cum alijs scientijs, quæ sua principia non probant, sed illa supponunt vt certa, & vera, & sicut per hæc supposita scientiæ

naturales procedunt ad probanda alia quæ ex ipsis deducuntur, ita Theologia per sua principia, quæ sunt articuli fidei, procedit ad probanda alia, quæ ex illis deducuntur. Si autem in Theologia negatur vnum principium, illud poterit probari per aliud concessum in eadem Theologia? si enim id præstatur in Metaphysica, quæ non solùm probat principia aliarum scientiarum, si negantur (scientiæ enim inferiores non disputant contra negantes sua principia, sed id munus relinquunt Metaphysicæ) sed etiam probat propria, quando ab aliquo negantur, ad aliud enim, quod non datur, recurrere non valet? à fortiori fieri potest per Theologiam, quæ est suprema inter omnes disciplinas. Quare Theologus per vnum & alterum fidei articulum ab hæretico concessum poterit argumentari, probando alium articulum negatum. Hac ratione D. Paulus 1. *Corinth. cap.* 15. ex Resurrectione Christi probat Resurrectionem omnium mortuorum. Non solùm autem probat vnum principium negatum ex alio concesso, verùm etiam per eadem principia, & articulos fidei probat conclusiones Theologicas vt ex rationalitate in Christo probat in eodem risibilitatem. Demum, si omnia negentur principia Theologiæ, nihil illi, cui negata fuerunt, superest ad disputandum positiuè, sed tunc alio vtitur medio, soluendo nimirum argumenta aduersariorum; hoc eodem modo procedit Metaphysica contra illos, qui omnia eius negant principia, soluendo argumenta obiecta.

Secunda pars de locis Theologicis, quæ diuersi- 236
modè numerantur, ostenditur recensione infra subiectorum.

Primus locus est ex auctoritate Sacræ Scripturæ, propositiones enim in ea expressæ sunt æternæ veritatis, adeò quòd illæ in præmissis acceptæ ad probandam aliquam conclusionem à Catholico, imò neque à quouis alio nullatenus negandæ sunt? quòd si vna negetur probetur per aliam, iuxta superiùs dicta, sacra enim Scriptura omnibus respondet, vt dicit D. Gregor. 23. *Moral. c.* 18. & 19.

Secundus locus est ex Traditione Apostolica, quæ parem habet auctoritatem cum Sacra Scriptura, ex probatis *c.* 7. *n.* 5.

Tertius est ex definitione alicuius dogmatis de fide per Romanum Pontificem per se, vel per Concilium Generale eius auctoritate legitimè congregatum.

Quartus est ex consensu totius Ecclesiæ, is enim consensus æquiualet definitionibus Summi Pontificis, & arguit sententiam aliquam à tota Ecclesia amplexatam esse veram infallibilem, & indubitatam. Quòd si nondum sit definita de fide tenenda, eidem aduersans non probatur formaliter Hæreticus, nihilominùs vehementissimè suspectus.

Quintus est consensus Patrum. Sextus consensus Scholasticorum, & peritorum iuris Pontificij. Septimus Historia Ecclesiastica. Octauus ratio naturalis; qua aliqua veritas euidenter demonstratur. Nonus demum auctoritas Philosophorum, Legistarum, & Historicorum profanorum. Hic autem locus licèt propriè non sit Theologicus, est tamen talis ministerialiter, quatenus iuuat ad inferendam conclusionem Theologicam, nam ex vna naturali, & altera de fide infertur conclusio Theologica Auctoritas laica à sacris Scripturis quandoque citatur, vt videre est, *Act. cap.* 7. ad Titum *cap.* 1. *epist.* ad Corinth. *cap.* 15. in quibus locis citantur dicta antiquorum ad quod facit *cap.* Turbat 7. *cap. Qui*

de mensa 10. *cap.* 15. *quid* 12. *cap. Relatum* 13. *dist.* 37.

Quæres 86. An lege, vel consuetudine contrariis possit derogari propositionibus de fide? Dixi aliquid
237 supra *quæst.* 3. *& cap.* 6. *q.* 28.

℞. Ad vtrumque negatiuè, & id est de fide Barach. 4. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ in æternum est.* Petrus epist. 1. cap. 1. 15. *Verbum autem Domini manet in æternum.* Lucæ *cap.* 21. 33. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Eccli. 40. 12. *Fides in æternum stabit.* 1. Obiectum fidei tam materiale, quàm formale est immutabile. Ratio est, quia fides constat ex propositionibus æternæ veritatis fundatis in diuina reuelatione; Deus autem secundùm se, & secundùm suam doctrinam à nullo mutari potest. Quare neque lege aliqua, neque consuetudine humanis, aut Angelica potestate destrui possunt articuli fidei, nulla enim consuetudo potest contra legem Dei, cap. fin. de consuet. etiamsi omnes homines contrafacerent, cap. Flagitia 13. 32. q. 7. In terminis de consuetudine Pius Papa I. in suo Decreto apud Caranzam in summa Concil. his verbis: *Et nos quidem iuxta seriem relationis vestræ consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem catholicam nihil vsurpare dignoscitur.* Homo sicut fidem non posuit, ita neque deponere potest.

Dices lex vetus iam abrogata est Lucæ 16. 16. *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem*; ergo amplius non subsistit lex antiqua, ac proinde abrogata est.

℞. Primò non fuisse abrogatam lege, aut consuetudine humanis, vt proponitur in generatione. Secundò, abrogatam fuisse quo ad obseruationem, exceptis moralibus, & quo ad significationem in ratione figuræ, non verò quo ad eius veritatem, quatenus credere debemus, quæcumque in ea scripta esse verissima, & infallibilia, nam figura transiuit in veritatem, & figuratum.

Quæres 87. An teneamur credere reuelationibus S. Brigittæ.

238 ℞. Non, ex præcepto fidei, quia ad fidem non pertinent, cùm toti Ecclesiæ, sed vni particulari personæ factæ fuerint, neque Ecclesia illas probauerit tanquam de fide credendas, *vt ex Delrio lib. 4. Mag. disquis. c. 2. q. 3. sect. 4. refert Portellus tom. 2. suorum Responsorum casu 37. fine.* Negans verò eas non est hæreticus, quia non subiiciuntur præcepto fidei, sed tantùm temerarius, & suspectus etiam vehementer de hæresi, cùm neget reuelationes quas tota Ecclesia acceptauit, vt legitur in eius officio, in oratione & 6. sect. intellige de acceptatione in genere: nam quo ad doctrinam, & veritatem huius, vel illius reuelationis dubitari potest, & exemplum pono, ex præcitatis doctoribus, nam S. Brigittæ, ferunt, reuelatum fuisse, quòd anima tandiu in Purgatorio cruciatur, donec restituatur ablatum iniustè. Id plerisque videtur non multùm probabile, quia aut restitutionem faciendam reliquit testamento, quam per seipsum non potuit exequi, & sic non videtur ex negligentia hæredum esse detinendus in suppliciis, quia hæc negligentia est hæredum, non defuncti. Si poterat per seipsum restituere, & non restituit, non videtur decessisse in gratia, ac proinde non sumus amplius in casu, aut si peccauit tantùm venialiter per seipsum non restituendo, non meretur tam diuturnum cruciatum, cùm pœna debeat culpæ commensurari.

DE SCHISMATE, APOSTASIA, & Hæresia.

Hæc tria magnam inter se coniunctionem habent in ordine ad destructionem fidei, quorum tractationem immediatè post posuimus illi de fide, vt contraria iuxta se posita magis elucescant, vt autem ordinem, & numerum capitum in præcedentibus alteratum deinceps seruemus iuxta priorem editionem, necesse est sub eodem capite subiicere alia duo de hac materia. Quare sit.

SECTIO I.

DE SCHISMATE, ET Schismaticis.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit Schisma?*
2 *Baptizatus tantùm fit schismaticus.*
3 *Differunt schisma, hæresis, & apostasia.*
4 *Schisma opponitur charitati.*
5 *Schisma minus Apostasiâ, & hæresi.*
6 *Schismaticus non est inobediens Episcopo.*
7 *Non quæuis inobedientia inducit schisma.*
8 *Schismaticus non est non recognoscens Papam dubium.*
9 *Schisma potest esse sine errore intellectus.*
10 *Schismaticorum triplex genus.*
11 *Inuasio Episcopatûs non est schisma.*
12 *Procurans Concilium est schismaticus.*
13 *Bellum indicens ex motiuo temporali non est schisma.*
14 *Antipapa schismaticus.*
15 *Recedens à Concilio coacto est schismaticus.*
16 *Ambrosiani ritus non inducunt schisma.*
17 *Appellans ad futurum Concilium schismaticus est.*
18 *Discredens articulis fidei est schismaticus.*
19 *Antipapa eiicitur per verum Papam.*
20 *Excommunicatus est.*
21 *Schismaticus sectator.*
22 *Schismaticus est extra Ecclesiam.*
23 *Potestatem ordinis non perdit.*
24 *Vtique iurisdictionis denuntiatus.*
25 *Sacramenta valent.*
26 *Pendentia à potestate ordinis tenent.*
27 *Priuatus beneficiis non est.*
28 *Recipiens ordines, vel dignitatem ab eo ipso iure priuatus.*
29 *Schismaticus infamis.*
30 *Irregularis minimè.*
31 *Gesta per Antipapam notum non valent.*
32 *Plurium Antipaparum gesta valent.*
33 *Papa verus non tenetur renuntiare pro tollendo schismate.*
34 *Schismaticus pertinax degradatur.*
35 *Schisma spectat ad tribunal Inquisitionis.*

36 *Schismaticus*

36. *Schismaticus vehementer suspectus de hæresi.*
37. *Suspectus de schismate, non est suspectus de hæresi.*
38. *Præsumptionem non facit præsumptum.*
39. *Abiurat schisma, & suspicionem hæresis.*
40. *Diuersis pœnis puniuntur.*
41. *Fautores non sunt excommunicati in Bulla.*

SChisma nomen ex Græco significat diuisionem, & scissuram, & separationem, *de Schisma* 34. *q.* 1. de quo in Sacra Scriptura *Ioan.* 9. *num.* 16. *Schisma erat inter eos.* 1. *Corinth. cap.* 1. *num.* 10. *Non sint in vobis Schismata.* Idem *cap.* 12. *n.* 25. *Vt non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro inuicem solicita sint membra.* Idem S. Paulus ibidem præced. *cap.* 11. *num.* 18. dicit *Audio scissuras esse inter vos.* Vtrumque ergo vocabulum vsitatum vsitatum est in Sacra scriptura. Hoc ergo genus peccati in Ecclesia grauissimum semper habitum scindit, diuidit, & dissipat pacem, & vnionem membrorum Ecclesiæ inter se, & cum capite, vitium contra virtutem charitatis, quæ hanc pacem, & vnionem præcipit, & commendat omnibus in vnitate amoris, & fidei. Ita omnes cum D. Thoma 2.2. *q.* 39. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. Quid sit Schisma?

1 ℞. Schisma est subtractio, seu discessio hominis Baptizati ab obedientia Ecclesiæ Catholicæ, in qua omnes fideles tanquam membra vnius corporis spiritualis, & mystici conueniunt inter se sub vno capite, quod dicitur Papa, & Romanus Pontifex. Diuisio igitur membrorum inter se, seu à capite constituit Schisma; & sicut vnio, cui opponitur diuisio, quod schisma vocatur, est duplex vnio membrorum inter se, & eorumdem cum capite, ita duplex illi opponitur Schisma, nimirum separatio membrorũ à membris, & separatio eorumdem à Papa capite, potest enim contingere, quod vna Ecclesia nationalis separetur in actibus religionis ab alia, & nolit cum ea communicare, vt si Hispanica nolit communicare cum Gallica. Sed hæc diuisio euenire non solet inter membra, nisi cum constitutione capitis, aut nisi confingendo sibi aliquam hæresim, ratione cuius recedit etiam à capite; omnis enim hæreticus est Schismaticus, *c. Inter hæresim* 26. 14. *q.* 3. consequenter Schisma principaliter dicit separationem hominis baptizati ab obedientia Romani Pontificis quatenus est Papa, & caput totius vniuersalis Ecclesiæ. Separantur igitur membra quatenus membra à capite Ecclesiæ, quia sequuntur aliũ hominem, qui se fingit caput Ecclesiæ, quẽ vocamus Antipapam, nimirum, contrariantem, & aduersantem vero Pontifici. Cuiuslibet autem hominis separatio obedientia Papæ non facit Schisma, sed hominis baptizati, quia non contingit separatio, & diuisio in membris nisi priùs illa iuerint inter se vnita, quia diuisio non potest habere locum, vbi non est vnio communionis, *l. Familiæ* 9. *C. commun. vtriusque l.* 1. §. *si quis ff. de separat.* Soli autem Christiani per susceptionem baptismi vniuntur, & fiunt mẽbra corporis Ecclesiæ, ergo hi tantùm possunt inducere Schismata, ex quo ab hoc vitio excluduntur omnes infideles, & Gentiles, &c. Glos. *penult. Clem. de vsuris de Hæbreis*, qui nunquam fuerint in vnione fidei, & charitatis.

2 *Quæres* 2. Quomodo differant inter se hæc tria, Apostasia, hæresis, & Schisma? Hæc enim separant apostatam, hæreticum, & Schismaticum, ab Ecclesia, & eius capite, idcircò vtile erit assignare illorum differentias.

3 ℞. Differunt, nam Apostasia, & Hæresis sunt recessus vitiosus à fide in baptismate, recepta illa quidem ex toto, hæc verò ex parte; per illam recedens fit Iudæus, vel Paganus, per hanc hæreticus se fingit verum Christi discipulum. Vtrumque vitium opponitur virtuti fidei, Apostasia ex toto, Hæresis ex parte. Schisma nullum est ex prædictis, sed formaliter est recessus ab obedientia Ecclesiæ, & Papæ, licèt ferè semper inuoluat hæresim, per quam, tanquam per motiuum coloratum, & apparens, qui recedit conatur suam separationem reddere licitam, & honestam licèt ex natura rei sit nulla, & vitiosa. Non opponitur Schisma fidei, sicut duo prædicta, sed charitati, quæ vnionem Ecclesiæ inter membra cum capite commendat, quam vnionem scindit, & dispergit 4 schisma. Apostasia autem & Hæresis sunt duo vitia maiora Schismate, 5 illa enim duo principaliter sunt contra Deum, hoc verò contra Ecclesiam, & Summum Pontificem.

Quæres 3. An ille dicatur Schismaticus qui se subtrahit ab obedientia Episcopi vel sui prælati?

℞. Negatiuè, quia Schisma est recessus ab obe- 6 dientia vniuersalis Ecclesiæ, aut Summi Pontificis tantùm, ex supra dictis. Ita ferè omnes cum Sanch. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 6. Bonac. in Bulla *disp.* 1. *q.* 2. *p.* 5. *num.* 3. contra Valentiam, & Lorcam ex eo, quod D. Cyprianus relatus *cap. Scire* 7. 7. *q.* 1. *cap. Loquitur* 18. 24. *q.* 1. videatur in illis capitibus asserere, sed reuera in solo posteriori capite sermo est de vnione Ecclesiæ vniuersalis, in priori de subiectione subditorum Episcopo, nulla tamen fit mentio Schismatis.

Quæres 4. An quæuis inobedientia contra Romanum Pontificium inducat vitium Schismatis?

℞. Negatiuè, sed solùm illa, qua quis resistit obe- 7 dire Pontifici Romano quatenus est caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi, nolendo eum recognoscere vt Papam, supremum superiorem in Ecclesia Dei. Quare, qui ex passione vindicta, aut alio modo se retrahit à subiectione Papæ, quem tamen credit, & fatetur esse verum superiorem totius Ecclesiæ, non est Schismaticus, quia per hoc non scindit vnitatem capitis, neque se subtrahit ab Ecclesiæ vnitate. Ita omnes cum Reginald. *lib.* 9. *num.* 159. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 3. & 4. vbi dicit fidelem subditum se retrahentem à dominio temporali Papæ non dici Schismaticum, quia ratio dominij temporalis cum sit quid temporale locum non habet ad constituendum Schisma, quod oritur ex inobedientia & scissione vnitatis spiritualis Ecclesiæ, & Papæ. Alios citant Bonac. Bulla *disp.* 1. *quæst.* 2. *part.* 5. *n.* 3. Farinac. *q.* 184. *num.* 11. & 12, Schisma igitur est cum rebellione, pertinacia eius, qui non vult recognoscere Papam vt superiorẽ, & caput Ecclesiæ.

Quæres 5. An nolens recognoscere Papam, de eius electionis valore dubitans sit Schismaticus?

℞. Non est Schismaticus non recognoscens pro 8 Papa illum, quem probabiliter putat, non esse electum canonicè in Papam, quia recessus & rebellio à verò Papa facit Schisma. Si verò plures sunt Papæ & ignoratur quis eorum sit verus Papa, in hoc Bonac. *de legib. disp.* 3. *q.* 4. *p. fin.* §. *v. num.* 2. & Bulla *disput.* 1. *quæst.* 2. *part.* 5. *num.* 3. §. *Secus*, dicit, vtrumque tanquam dubium in terris Christi Vicarium habendum esse, ratio est, quia sicut dubium est illud quod ad vtramque partem æqualiter pendet, ita vtrumque pro Papa sub dubio tenere debet Christi fidelis, non fauendo magis vni, quam alteri, nisi aliter suadeat ratio hoc idem docuit Armilla *num.* 2. cum Caietano. Et in hoc casu non est facile credendum hominibus asserentibus hunc esse verum Papam, non illum, sed expectandum est iudicium Concilij Generalis, ad quod spectat decisio huius controuersiæ vt dixi præcedenti capite.

Quæres 6. Ad incurrendum Schisma numquid credendum

credendum sit diuisionem per Schisma inductam spectare ad Ecclesiam? Seu an vt quis incurrat Schisma debeat discredere vnitatem Ecclesiæ, & capitis, sicut vtrumque ex Schismate sequitur, diuisio nimirum membrorum, & capitis inter se?

9 ℞. Vt quis incurrat Schisma, sufficit, quòd se separet ab vnione Ecclesiæ, vel capitis, quia Schisma formaliter cõsistit in illa discessione ab Ecclesia, quo ad membra, vel quo ad caput, absque vllo actu discredendi ea; quæ ad fidem spectant, quanquam vt plurimum adiunctam habet aliquam hæresis speciem, per quam Schismaticus intendit malitiosè tueri seipsum. Pro intelligentia huius rei notandum est triplex genus Schismaticorum, nam alij vocantur puri & sine hæresi, alij habentes adiunctam hæresim, alij demum sectatores vnius Papæ ex pluribus dubijs.

10 Schismaticus purus ille dicitur, qui se separat ab aliis membris, vel capite nullum habens errorem in intellectu, sed discedit ex aliquo prauo motiuo superbiæ, seu auaritiæ e. g. faciendo se recognosci vt Papam, contra verum Papam, is enim sic recedens potest esse, quod non habeat errorem in intellectu, credendo vnitatem Ecclesiæ in membris, & capite existimans, eum, qui legitimus est Pontifex Romanus, esse illegitimum, & Antipapam. Hoc solet accidere, quando plures simul sunt Pontifices; vnusquisque enim eorum putat esse verus Pontifex contra alium, ac proinde non habet errorem in intellectu, quo ad vnitatem capitis, quatenus is, qui se tenet verum Pontificem alios excludit à capite.

Schismaticus mixtus ex hæresi est ille, qui non solùm recedit ab obedientia sed etiam à fide quo ad aliquos articulos, vt qui nouos actus religionis fidei contrarios inducit, aut qui negat vnitatem membrorum inter se vel qui admittit plura capita, &c. Iste dicitur Schismaticus simul, & hæreticus, quia recedit ab obedientia, & credentia fidei.

Schismaticus Sectator dicitur ille qui sequitur obedientiam vnius Papæ, & non alterius, quando plures sunt Papæ, & reuera ignoratur quis illorum sit legitimus, in hoc casu non videtur peccare obediens vni, non alteri, e. g. illi, qui est de sua natione, vt si Hispanus sequatur Hispanum, Gallus verò Francum, &c. Quod si existat aliquis eorum verus Papa, omnes hunc sequi tenentur, aliter sunt Schismatici primi generis, seu propriè dicti.

Hoc triplex genus Schismaticorum à D. Thoma 2. 2. q. 39. art. 1. ad 3. desumpserunt Eymericus *part.* 2. Direct. q. 48. n. 2. Pegna ibidem Farinac. q. 184. *num.* 14. Ricciull. *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 17. ex illis Carena *tit.* 3. *de Apostasia, & Schism. nu.* 32. & 33. licet præcitati non omnes supracitatum triplex genus eodem modo explicent.

Quæres 7. An inuadens Episcoporum sedes, & subiectos illis populos ab obedientia abducens, dicatur Schismaticus? Affirmat Ricciull. *lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 17. ex Butrio, *Innocent, & Host. in c.* 1. *de Schism.* Socin, & Brunus, & pro se citat *c. Nouatianus c. Scire*, 7. q. 1.

11 ℞. Quando per hanc inuasionem non introducuntur noui actus religionis contra fidem, & obedientiam Papæ, sic inuadentes non dicuntur Schismatici, quia non se separant ab vnione vniuersalis Ecclesiæ, sed tantum intra alterius iniquè vsurpant; & præcitata capita, primùm quidem loquitur de Schismate Nouatiani contra Papam Cyprianum quod in Ecclesia Dei fuit primum Schisma, secundùm verò de inobedientia subditorum suo Episcopo. Est igitur impropium, & largè sumptum huiusmodi Schisma secundùm Angel. *v. Schisma num.* 1. ex illa Farinac. *q.* 184. *de hæresi n.* 30.

Quæres. 8. An procurans vt Concilium Generale conuocetur contra voluntatem Romani Pontificis sit Schismaticus?

℞. Sic quia ex hoc sequitur scissura in capite, cui subesse debet Concilium non subesset autem, si contra eius voluntatem coadunaretur, ergo cogi non potest sine Schismate. Ita Caiet. *v. Schisma* Sanch. *lib.* 2. *c.* 36. *num.* 5. Bonac. *Bulla disp.* 1. *q.* 2. *p.* 5. §. *Decimo*. 12

Quæres 9. An mouens bellum contra Ecclesiam, vel Summum Pontificem sit Schismaticus?

℞. Si per bellum intendit diuisionem inter membra Ecclesiæ à capite, sine dubio est Schismaticus, quia vult disrumpere vnionem Catholicæ Ecclesiæ. Quod si alia intentione bellum agat, vt, quia sentit se læsum in temporalibus à sede Apostolica in hoc casu nullum reperitur vitium Schismatis, quia bellum indicens non intendit scindere vnionem Ecclesiæ, sed quod suum est recuperare. 13

Quæres 10. An fingens se Papam, seu caput vniuersalis Ecclesiæ sit Schismaticus?

℞. Is propriè est Schismaticus, quia se diuidit ab vnione Ecclesiæ, & capitis, dum se fingit illud esse caput à quo se ipsum segregauit, *c.* 1. *de Schism.* Suar. *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. Bonac. *in Bulla disp.* 1. *quæst.* 2. *p.* 5. §. *Decimo*, & alij. 14

Quæres 11. An recedentes à Concilio legitimè Congregato, vel reuocatum à Papa prosequentes dicantur Schismatici?

℞. Affirmatiuè, quia in his duobus casibus scindunt vnitatem membrorum à capite, dum per recessum, vel per prosequutionem recusant obedientiam capitis. Ita Sanch. *lib.* 2. *c.* 36. *num.* 5. Caiet. 2. 2. *q.* 39. *ad art.* 1. Sousa *in Aphor. lib.* 1. *c.* 20. *n.* 6. & 7. & alij omnes. 15

Quæres 12. An non obseruans ritus Ecclesiæ Romanæ in administrandis Sacramentis, in ieiuniis, & huiusmodi sit schismaticus? Exemplum sit in Græcis qui non vtuntur forma Romanæ Ecclesiæ in Baptizando. Item Mediolanenses incipiunt Quadragesimam à prima Dominica contra Romanam Ecclesiam, quæ incipit ieiunium feria quarta Cinerum.

℞. Non, quia huiusmodi inobseruantia non est coniuncta cum rebellione, & diuisione à cæteris membris vniuersalis Ecclesiæ, & à capite, ad schisma enim non sufficit facere contra ritus & ordinationes Ecclesiæ, aliàs omnes transgressores essent schismatici, quod falsum esse patet, sed præterea requiritur, quòd sic agentes, ita faciant, ac si essent vnum corpus disiunctum ab Ecclesia Catholica, & ab eius capite, quod nõ accidit in præsenti quæstione, in qua præfati non intendunt facere vnum corpus, & caput segregatum ab Ecclesiæ vniuersalis corpore, & capite, cùm se fateantur membra Ecclesiæ, licet non obseruent nonnullos illius ritus illos excusante consuetudine legitimè introductâ. 16

Quæres 13. An appellantes ad futurum Concilium sint Schismatici?

℞. Affirmatiuè, quia per hoc discedunt ab obedientia Romani Pontificis vt Christi Vicarius est, & faciunt illius caput, & superiorem ipsum Concilium, appellatio enim semper fit à minori ad maiorem superiorem. 17

Quæres 14. An sit Schismaticus, qui asserit non esse obediendum Papæ, neque esse vnitatem in Ecclesia, & auertit alios ab huiusmodi obedientia, & vnitate?

℞. Negans esse obediendum Papæ, aut vnitatem Ecclesiæ primò, & principaliter est hæreticus, sed quoniam omnis hæreticus est etiam Schismaticus, quia discredens articulis fidei, consequenter ab vnitate 18

tate Ecclesiæ recedit, ideò non solùm hæreticus, sed etiam Schismaticus est, talia asserens. Auertens verò formaliter est Schismaticus, quia in facto procurat scissuram inter membra Ecclesiæ. Ita ex Regin. *lib.* 9. *n.* 259. Bonac. *disp.* 3. *de legib. q.* 4. *par. fin.* §.v.§. *Nono.* Turr. *lib.* 4. *de Eccles. par.* 1. *cap.* 4. Brunus *de hæret. cap.* 16. cum Ricciull. *lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 24.

Quæres 15. Ad quem spectet tollere Schisma ab Ecclesia Dei.

19 ℞. Quando existit verus, & indubitatus Papa, tunc ad eum spectat extirpare schisma inductum, non solùm pœnis spiritualibus, sed etiam temporalibus, atque auxilio brachij sæcularis, & Imperator cum cæteris Principibus tenetur in omnibus adiuuare Summum Pontificem, vt colligitur *ex cap. Vn. de schismat. in* 6. Quando ignoratur quis ex pluribus sit verus Papa, in hoc casu spectat ad Concilium Generale congregandum per Cardinales veros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt docui præcedenti *cap.* 9. *q.* 5. *Sed in hac editione cap.* 6. *q.* 22. *&* 23. *spectare ad solum Papam.* Sayr. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 22. Bonac. *in Bulla disp.* 1. *q.* 2. *par.* 5. §. *Secus dicendum*, & alij communiter.

Quæres 16. An Schismaticus sit excommunicatus?

20 ℞. Schismaticus propriè acceptus etiam purus, qui scilicet non est simul hæreticus, dictis, vel factis, aut signis externis schisma exterius manifestat, est excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini sub primo canone illis verbis: *Nec non schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* Hæc posteriora verba nihil diuersum significant à verbo *Schismaticos* cum huius sint definitio, ille enim dicitur Schismaticus, qui se pertinaciter subtrahit ab obedientia Papæ, de natura enim definitionis est explicare definitum per terminos notiores secundum Philosophum. Non est autem necesse, quod habeat errorem in intellectu, sed sufficit aliquis actus externus manifestans, seu indicans inobedientiam, & rebellionem, quia schisma perficitur per huiusmodi subtractionem, & rebellionem, absque vllo errore in mente, in quo differt ab hæresi, quæ talis non est, nisi perficiatur errore in intellectu, ex Sanchez *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 14. vnde quis exteriùs sequendo obedientiam ficti capitis, quam credit esse talem, non excusatur ab hac excommunicatione, quamuis teneat Antipapam non esse verum Papam, sed quem Ecclesia veneratur. Schismaticus purè mentalis, qui hanc suam prauam voluntatem recedendi ab vnitate capitis exterius nullatenus manifestauit verbis, factis, aut signis illud indicantibus non incurrit excommunicationem, quia Ecclesia actus purè mentales non subiicit censuris Ecclesiasticis, vt docent omnes cum Sanchez. Duard. Bonac. Catena *tit.* 2. *de Apostas. & Schism num.* 45. Non solùm Schismaticus habens adiunctam hæresim est excommunicatus, vt voluit Farin. *q.* 184. *n.* 59. verùm etiam purus schismaticus, qui errorem non habet in intellectu, sed credit vnitatem Ecclesiæ, subiicitur huic censuræ, quia sicut Schismaticus, & Hæreticus distinguuntur inter se per suas formales rationes, & vt tales etiam spectantur in primo Canone Bullæ, ita proprijs afficiuntur pœnis, hæretici enim primò excommunicantur, secundò Schismatici præcisè sumpti? si enim schismatici præcisè ratione hæresis excommunicarentur, bis Hæretici huic censuræ suaderentur, quod absurdum est.

21 Schismatici tertij generis, qui sequuntur vnum, & non alterum ex pluribus Pontificibus, non afficiuntur excommunicatione, quia tales non sunt propriè, neque dicuntur recedere, & se subtrahere ab obedientia veri Pontificis, quem ignorant, parati illum sequi, quem Ecclesia declarauerit esse verum Papam.

Quæres 17. An Schismaticus sit extra Ecclesiam? 22

℞. Affirmatiuè, quia nemo magis propriè dicitur esse extra Ecclesiam, quam ille, qui se extra illam ponit, separando se à membris, & capite illius corporis; sed ita se habet Schismaticus discedendo à membris, & capite, ergo is propriè est extra Ecclesiam, dum non vult stare, & communicare cum capite & eius membris. Et id deducitur ex multis auctoritatibus relatis *sub caus.* 24. *q.* 1. & alibi. in terminis probat multis Ricciull. *lib.* 9. *cap.* 2. per totum.

Quæres 18. An Schismaticus careat Ecclesiastica potestate? Et ab eo collata Sacramenta valida sint? 23 Non est difficultas circa potestatem Ordinis, quæ inamissibiliter coniuncta caracteri impresso animæ, euacuari non potest ab homine, sed semper manet, vnde Sacerdos etiam degradatus, & resuscitatus retinet hanc ordinis potestatem, per quam potest Sacrificium Missæ conficere. Hanc igitur non perdit Schismaticus, de communi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. Restat difficultas respectu potestatis iurisdictionis, quæ à superiore, vel iure confertur, an hac perdatur per schisma.

24 ℞. Schismaticus non caret Ecclesiastica potestate, nisi post denuntiationem, vnde ab eo gesta tenent, ratio deducitur ex illa cõmuni regula de duplici censurato nimirum occulto, seu tolerato, cui non dicitur adempta iurisdictio, & publico, atque denuntiato, cui adimitur facultas ligandi, atque soluendi, secundum omnes in materia de censuris. Et ita intelligendus est textus *cap. Didicimus* 31. 24. *q.* 1. vbi dicitur, hæreticos, & Schismaticos nihil habere potestatis, & iuris, vbi Glos. ait occultum tolerari, intellige nondum denuntiatum. Sic sentiunt Tolet. *lib.* 1. *cap.* 13. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 4. Bonac. *de legib. disp.* 3. *q.* 4. *par. fin.* §. *v. num.* 8. ex illis Catena *par.* 2. *tit.* 3. *de Apost. num.* 43. contra Azor. & Valentiam asserentes ipso iure priuatos iurisdictione.

Hinc deducitur alterius quæsiti responsio, gesta per schismaticos nondum denuntiatos valida esse, licet ipsi peccent, & infructuosè Sacramenta recipiantur ab illorum sectatoribus; & sic intelligenda sunt iura, dum dicunt, extra vnitatem Ecclesiæ non accipi Spiritum Sanctum, *cap. Loquitur.* 18. 24. *q.* 1. illos carere potestate ligandi, atque soluendi qui vnitatem Ecclesiæ Catholicæ non tenent, *cap. omnibus* 20. 24. *q.* 1. Non consecrare, nec consecrari in Schismate constitutum, *cap. Pudenda* 33. *quæst.* 1. Intelligenda ergo sunt huiusmodi iura de Schismatico denuntiato, qui ligare, & soluere, non potest, quia caret potestate, aut de eo qui non seruat formam Ecclesiæ in illis administrandis, aut qui intrusus est à se, vel ab alio Schismatico. 25

Episcopus igitur Schismaticus etiam denuntiatus licèt validè non absoluat, neque alia præstet, quæ à potestate iurisdictionis pendent, nihilominus efficaciter agit ea, quæ pendent tantùm à potestate ordinis, vnde validè conficit Sacramentum Eucharistiæ, & ordinis confert, quia hæc duo requirunt tantùm potestatem ordinis, quæ inamissibilis est fundata in caractere impresso indelebiliter in anima. Verùm quidem est quòd tàm ordinans, quàm ordinatus peccant mortaliter, & præterea sic ordinatus est priuatus ab exequutione suorum ordinum. *c. Ordinationes* 3. 9. *q.* 1. *c.* 1. *&* 2. *de Schism.* Bonac in Bulla *disp.* 1. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 24. 26

Quæres 19. An Schiſmaticus ſit priuatus beneficiis & ad alia inhabilis.

27 ℞. Schiſmaticus purus non eſt ipſo iure priuatus beneficiis, quia id nullo iure exprimitur, priuationis enim pæna inducenda non eſt niſi in iure reperiatur expreſſa, Gloſ. *ver. ex vi, c. fin. de iure patr.* & id confirmatur *ex c. Vn. de Schiſm. in 6.* ibi *omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & prælaturis perpetuò priuentur.* Papa in eo capite expreſſos priuat ſuis beneficiis, ergo ſignum eſt, quòd antè ex ſui Schiſmatis non erant priuati. Ita Bonac. in Bulla *diſp. 1. q. 2. p. 5. num.* 12. Sanch. *lib. 2. c. 36. num.* 19. Dixi, purum Schiſmaticum non priuari, quia ſi habet adiunctam hæreſim eſt ipſo iure priuatus ex dictis doctoribus, & aliis. Incurrit verò inhabilitatem, ad beneficia aquirenda, vt dicitur *in c. Quia diligentia 5. de elect.* ex eiſdem.

Quæres 20. An ſuſcipiens beneficium, vel dignitatem à Schiſmatico ſit ipſo iure priuatus, vel priuandus?

28 ℞. Eſt ipſo iure priuatus *ex cap. 1. de Schiſmat.* quia collationes ab Epiſcopo Schiſmatico factæ nullius ſunt firmitatis; Bonac. locis citatis, dicit eſſe priuandum, ergò ſupponit validas fuiſſe collationes, quod tamen eſt contra dictum caput dicens: *Careant impetratis.* Importat enim latam ſententiam ex allegatis à Barb. dict. 53.

Quæres 21. An Schiſmaticus ſit infamis?

29 ℞. Affirmatiuè, *ex cap. Infames 17. 6. q. 1.* ibi: *Omnes qui Chriſtianæ legis normam abiiciunt, & ſtatuta Eccleſiaſtica contemnunt.* Huius generis ſunt Schiſmatici, qui recedentes ab obedientia Eccleſiæ, & Papæ dicuntur abiicere normam Chriſtianæ legis, quæ potiſſimùm conſiſtit in vnitate fidei inter membra ſub vno capite. Farinac. *q.* 184. *num.* 41. probat *per tex. in c. Vn. de Schiſm. in 6.* ibi *Officiis, honorib. dignitatibus, & prælaturis perpetuò priuentur,* quare, quia tanquam infames non mætentur manere cum illis.

Quæres 22. An Schiſmaticus ſit irregularis? Affirmant Maiolus *l. 5. de irregul. c. 46. n. 4.* Azor, Duard. cum aliis, quos referunt citandi.

30 ℞. Non, quia non eſt expreſſa in iure. Ita ex Suar. Sanchez *lib. 2. c. 36. n. 20.* Bonac. *diſp. 3. de legib. quæſt. 4. p. fin. §. 5. n. 12.* Nec dicas, eſt infamis, ergo irregularis, nam infamia inducit irregularitatem. Quia reſpondetur, non ſequi hoc ex vi Schiſmatis, ſed infamiæ, ſicut etiam Schiſmaticus, hæreticus eſt irregularis non ex vi Schiſmatis, ſed hæreſis, & forſan ita intelligendi ſunt oppoſitum ſentientes.

Quæres 23. An geſta per Antipapas valida ſint?
31 Pro reſolutione nota, quod Antipapa cognoſcitur, & apud omnes habetur pro falſo, & intruſo, quando exiſtit, & præſidet Eccleſiæ Dei verus Pontifex Romanus, & alius quiſpiam inſurgit prætendens ex ſua ſuperbia, & ambitione, ſe eſſe verum Papam, qui tamen non eſt: Iſtius Pſeudopapæ intruſi geſta nullius ſunt momenti, nullius valoris, quia caret omninò poteſtate iuriſdictionis, vnde non poteſt cõferre beneficia, dare indulgentias, conſecrare Eccleſias, cenſurare, & huius generis facere, quæ pendent à poteſtate iuriſdictionis, & id clarè dicitur *in c. 1. de Schiſm.* vbi nulla declarantur geſta per Octauianum, & eius ſucceſſorem Gnidonem Antipapas aduerſus Alexandrum IV. Quare non valuiſſe geſta per Clementem VII. Antipapam aduerſus Vrbanum VI. quia declaratus fuit Schiſmaticus, deciſum fuit in vna Tullen. Prioratus 28. Martij 1584. coram Seraphino, nihilominùs in vna Ianuenſi iuriſd. 24. Ianuar. 1607. coram Ludouiſio, & in vna Valentina parochialis de Palma 2. Iunij 1606. coram Coccino deciſum fuit priuilegium conceſſum à Clem. prædicto in loco ſuæ obedientiæ præbuiſſe titulum habilem ad præſcribendum iuncta quadragenario tempori ſpatio Ricciull. *lib. 9. cap. 4. n.* 10. Quando verò plures ſunt Papæ ſine certitudine veri Pontificis aliud eſt dicendum.

℞. Quando ſunt plures Papæ, & ignoratur quis 32
eorum ſit verus, & legitimus, tunc à ſingulis geſta videntur valere in ſingulis eorum obedientiis, quod probatur; Tum quia hîc locum habet illa regula *ex l. Barbarius ff. de offic. prætoris,* quod error communis, & titulus coloratus dant iuriſdictionem non habenti. Tum quia contendentes de Papatu credunt vnitatem Eccleſiæ, & capitis, ac proinde vnuſquiſque eorum alterum deſtruere conatur, vt Papatus reducatur ad ſuam vnitatẽ, & parati ſunt ſequi verum Papam, quando is declaratus legitimè fuerit, non peccant, neque propriè ſunt Schiſmatici inquit Armilla *v. Schiſma num.* 2. ergo eis non deeſt poteſtas agendi. Tum quia Antipapæ tolerati æquiparantur excommunicatis toleratis qui nondum Carent iuriſdictione, & illorum geſta valere docent Abbas *in cap. 1. de Schiſm. num.* 4. Mar. Socinus, & Anania ibid. Franc, Marcus *deciſ.* 944. Cardin. *conſil.* 150. *num.* 17. *Ergo hic cap.* 5. *q.* 61.

Quæres 24. An verus Papa durante Schiſmate debeat renuntiare Papatui pro communi bono pacis?

℞. Negatiuè præcedenti capite *q.* 63.

Quæres 25. An Schiſmaticus gaudeat immunitate Eccleſiæ? 33

℞. Gaudet, quia in Bulla Gregorij non excipitur iſte caſus contra non gaudentes, procedit ſi Schiſmaticus ſit purus, ſi verò adiunctam habeat hæreſim, priuatur priuilegio immunitatis reſpectu hæreſis, quæ exprimitur in caſibus eorum, quibus non ſuffragatur immunitas Eccleſiaſtica Diana *p. 6. tr. 5. reſolut.* 24. prope finem.

Quæres 26. Quibus pœnis corporalibus puniendus ſit Schiſmaticus?

℞. Schiſmaticus habens adiunctam hæreſim pertinaciter in Schiſmate permanens degradandus eſt, & 34
tradendus curiæ ſæculari pro vltimo ſupplicio, *cap. De liguribus 42. cap. Qualis 43. 23. q. 5.* Farinac. *q.* 184. *num.* 51. & eorum bona præſcribenda ſunt ex dictis iuribus. Domini, magiſtratus, & omnes alij tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares tradẽdi ſunt curiæ ſæculari, qui Schiſma excitauerint, auxiliũ, &c. iuxta Bullã incip. *Cum ex Apoſtolatus,* 19. Pauli IV. in B.N.

Quæres 27. An Schiſmaticus ſit ſuſpectus de hæreſi, ac proinde ſubiectus tribunali Sanctę Inquiſitionis? Nulli dubium eſt, peccatum Schiſmatis ſpectare 35
ad tribulnal S. Inquiſitionis, quia ſecundùm omnes vt plurimùm adiunctam habet hæreſim, vel ſaltèm de illa ſuſpectus eſt, ita Petr. *ad conſtit. 9. Pauli V. num.* 14. Controuertunt doctores an Schiſmaticus ſit ſuſpectus de hæreſi grauiter an tantùm leuiter eſſe ſuſpectum vehementer docent Simanchas *de Catholic. inſtitut. tit.* 58. *num.* 8. Carena *p. 2. tit. 3. num.* 36. Menoch. *lib. 5. præſumpt. 6. num.* 24. Palaus *tom. 1. tract. 6. diſp. 4. part. 9. num.* 9. Eſſe verò tantùm leuiter docent Pegna *part. 2. direct. comment.* 73. Duardus *lib. 2. Bullæ can. 1. quæſt. 156. n.* 12. Souſa Aphor. *lib. 1. cap. 20. num.* 13. cum his Diana *part. 4. tract. 7. reſol.* 29. quamuis ex diuturnitate temporis argui poſſit, quòd ſit vehementer ſuſpectus.

℞. Antipapa, & quiuis alius Schiſmaticus per 36
ſeipſum inducens Schiſma aduerſus verum Pontificem, ſeu Eccleſiam, cum ſuis ſectatoribus eſt vehementer ſuſpectus de hæreſi, quia in his Schiſma non contigit ſine hæreſi, vnde bene dicitur *cap. Inter 26. 24. quæſt. 3. Cæterùm nullum ſchiſma eſt, niſi ſibi aliquam hæreſim confingat, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur.* Et

Origenes

Origenes *Homil. 9. in Ezechiel.* vocat schisma, & hæresim sorores, Nam isti indubitato existente Summo Pontifice, & contendentes recedere ab Ecclesia constituendo sibi vnum caput, & alium viuendi modum, certè præsumuntur credere, aut Romanam Ecclesiam non esse legitimam, aut eam recipere posse diuisionem in vnitate fidei, & Sacramentorum, aut non habere legitimum caput, quæ omnia sunt hæreses, ergo super his est vehementer suspectus. Si verò sit sermo de pluribus Antipapis dubiis, non videtur in his habere locum vehemens suspicio, imò quandoque neque leuis, quia vnusquisque eorum putat se verum Papam contra alterum procurando destructionem schismatis cum depositione alterius Antipapæ.

Quæres 28. An suspectus de schismate præsumatur etiam suspectus de hæresi?

37 ℞. Non, quia præsumptio ex præsumpto sumi
non potest, Farin. *vol. 1. consil. 55. n. 25. & vol. 2. consil. 114. n. 40.* sed nascitur ex facto certo, Bart,
38 *in l. 2. §. Diuus, ff. de iure fisci*, alijs citatis, & in terminis nostris Carena *par. 2. de Apost. & Schis. num. 41.*

Quæres 29. An & quomodo abiurare debeat Schismaticus confessus, vel conuictus?

℞. Schismaticus communiter duo abiurare
39 debet, *primò* schisma formaliter, & in terminis; huius autem abiurationis forma exprimitur *cap. Quoties. 8. 1. quæst. 7. secundò* suspicionem hæresis iuxta quod apparet schismaticum esse suspectum. Ita omnes cum Sanctar. de hæresi. *cap. 43. dub. 1. num. 16.* Sousa *lib. 1. cap. 20. n. 19.* Carena *par. 2. tit. 3. n. 39.* Diana *part. 4. tract. 7. resolut. 29. §. Nota tamen.*

Quæres 30. Quibus pœnis soleant puniri Schismatici, quando delictum eorum non patitur degradationem?

40 Resp. Possunt puniri pœnis triremium, carceris, relegationis, pecuniæ, exilij, & huius generis, de quibus Farinaccius *q. 184. num. 49.* Decian. *lib. 5. crimin. cap. 67.* Carena *par. 2. tit. 3. n. 51.* Sousa *lib. 3. cap. 27. n. 7.*

Quæres 31. Quid dicendum de fautoribus, defensoribus, & receptoribus Schismaticorum?

41 Resp. Quamuis ex communi doctorum non incurrant pœnas contra Schismaticos latas, quia censuras præsertim non incurrunt, nisi exprimantur, quia pœnæ non sunt extendendæ à persona ad personam, & quod non incurrant excommunicationem Bullæ docent Sanchez *lib. 2. cap. 36. num. 16.* Bonac, in Bulla *disp. 1. q. 2. par. 5. num. 10. §. Obseruo*, qui subdit incurrere aliam nulli reseruatam in Bulla incip. Cum ex Apostolatus Pauli IV. cum alijs pœnis ibidem expressis. Sousa *lib. 1. cap. 20. num. 18.* dicit bene, huiusmodi fautores Schismaticorum, habere contra se aliquam hæresis suspicionem, quia vnitatem Ecclesiæ destruere videntur velle.

SECTIO SECVNDA.

CAPVT IX.

De Apostasia, & Apostatis.

SVMMARIVM.

1 *Apostasia ab obedientia impropriè dicitur.*
2 *Apostasia quid sit?*
3 *Apostasia non includit ex se statum ad quem.*
4 *Apostata non est transiens ad Caluinistas.*
5 *Apostasia, Hæresis, & Schisma differunt.*
6 *Accidentaliter tantum.*
7 *Sacrificans idolopræsumitur Apostata.*
8 *Apostata factus Iudæus, vel Paganus.*
9 *Rebaptizatus an Apostata.*
10 *Inualidè baptizatus recedens non est Apostata.*
11 *Fingens se Baptizatum est in foro externo.*
12 *Coactus fidem negans Apostata est.*
13 *Vi præcisa inductus non est.*
14 *Coactus adorare idolum peccat.*
15 *Punitur licèt non habeat errorem in intellectu.*
16 *Suspectus de hæresi.*
17 *Pœnæ Apostatarum, quæ & Hæreticorum.*
18 *Apostata reuersus recipiendus.*
19 *Renego fidem est Blasphemia non Apostasia.*
20 *Punire Apostatam solius est Ecclesiastici.*
21 *Laicus cognoscit purum factum exceptione.*
22 *Apostasia ab obedientia quid sit?*
23 *Quomodo spectet ad Inquisitorem.*
24 *Potestatem in Ecclesia negans hæreticus est.*
25 *Apostasia ab ordine quid?*
26 *Non subditur Inquisitoribus.*
27 *Apostata à religione non punitur ab Inquisitoribus.*
28 *Nisi duxerit vxorem, & tunc.*
29 *Suspectus est vehementer de hæresi.*

Apostasia dicitur elongatio, rebellio, seu retrocessio à professione, & Apostata dicitur retrò abiens, *cap. Non obseruetis 16. 26. quæst. 7.* Quadruplicem statuunt doctores Apostasiam, à fide, ab obedientia, ab ordine & à religione; propriè autem loquendo, cum Apostasia sit derelictio prioris sta-
tus suæ professionis, videtur restringi ad triplex 1
genus, fidei, ordinis, & religionis qui dicuntur tres status, quos dicitur deserere ab illis recedens? qui verò ex contemptu, & superbia non vult obedire, non dicitur recedere à statu aliquo, nam adhuc est Christianus, qui contemnit Dei, & Prælatorum præcepta, sicut & qui resistit obedientiæ Episcopi, aut superioris regularis, ideò Apostasia in hoc sensu non ita propriè sumitur. Hic autem agendum est de Apostasia à fide tantùm, ne excedamus limites nostri instituti.

Quæres 1. Quid sit Apostasia à fide?

℞. Apostasia est temerarius recessus à fide suscep- 2
ta in baptismate; vt, quando quis ex Christiano fit Iudæus, aut Paganus, vnde Iulianus ex hoc dicitur Apostata, quia de Christiano rediit ad Gentilitatem. Ad perfectionem verò huius vitij Apostasiæ non est neccessarium, quòd Apostatata transeat ad
alienam sectam, sed satis est, quod relinquat suum 3
statum Christianitatis abnegando fidem, ac proindè omnes fidei articulos. Igitur Apostasia duo dicit, vnum essentiale, quod est relinquere statum Christianitatis, alterum non essentiale, sed illi consequens, accessum ad sectam infidelitatis, & cùm prius possit stare sine suo posteriori, sequitur Apostasiam consistere formaliter in recessu à fide. Ita ex Bannez, & Valent. Sanch. *lib. 2. c. 7. n. 16.*

Quæres 2. An accedens ad Sectam Caluini v. g. dicatur hæreticus tantum, an etiam Apostata? Videtur sic, quia fit transitus à statu ad statum, fidelis enim relinquit Christianitatem, & adhæret Sectæ Caluinisticæ, in qua nullatenus reperitur vera fides, neque salus:

Resp, Non est Apostata, sed hæreticus tan- 4
tùm, quia sic transiens non negat simpliciter fidem, & omnes articulos, sed aliquos tantùm, & in reliquis conuenit cum fidelibus; ex quo putant Caluinistæ,

ſtæ, & Lutherani, & huius generis homines cæci
ſe eſſe vera, & viua Chriſti membra, qui reuera
non ſunt viuentes; ſed mortui ſub falſis dogmatibus;
Apoſtata autem negat in totum fidem, ergo in hoc
ſenſu Caluiniſta non eſt dicendus Apoſtata, ſed tan-
tùm hæreticus;nec obſtat ratio in contrarium adducta,
quia per illum tranſitum non derelinquitur in totum
fides,ideò Apoſtaſia locum non habet.

Quæres 3. Quomodo differant inter ſe Schiſma,
Apoſtaſia, & Hæreſis? Conueniunt autem in hoc,
quòd dicunt vitioſum receſſum in reſpectante ad
Eccleſiam, nam per ſchiſma homo recedit ab vni-
tate Eccleſiæ, & capitis;per Apoſtaſiam relinquit
totam fidem;per hæreſim aliquos fidei articulos diſ-
credit.

5 ℞. Differunt, nam ſchiſma eſt formaliter diuiſio,
& ſubtractio à Romano Pontifice per inobedientiam,
quod eſt vitium contra Charitatem,ex dictis in præ-
cedenti ſect. Apoſtaſia eſt receſſus totalis à fide, ac
proindè vitium virtuti fidei oppoſitum ex toto, Hæ-
reſis verò eſt receſſus partialis à fide; vnde vitium
Apoſtaſiæ magis grauat delictum,quã Hæreſis, nam
vitium Apoſtaſiæ totam fidei virtutem deſtruit,hæ-
reſis verò ex parte tantùm fidem minuit. Deindè re-
periri poteſt ſchiſma ſine hæreſi ex dictis in præce-
dẽti ſect.vt patet exemplo plurium Pontificũ eodem
tempore inter ſe contendentium, quis eorum ſit ve-
rum caput,vnde ad reſtituendam Eccleſiæ vnitatem
ſub indiuiſibili capite vnuſquiſque eorum quærit al-
terius deſtructionem, vt Eccleſia reducatur ad debi-
tam vnitatem vnius capitis. Apoſtaſia verò Hæreſim
ſemper coniunctam habet, imò talis eſt formaliter,
quia totius fidei rationem deſtruit, ita quod valet
dicere Apoſtaſia eſt hæreſis,quia pars continetur ſub
toto, ſiquidem, ſi Apoſtaſia eſt deſtructio totius
fidei, ergo etiam partium fidei, ac proindè huius,
& alterius articuli. Vnde valet dicere: Eſt Apoſtata,
ergo eſt hæreticus, non autem,è contra: Eſt hæreti-
cus, ergo eſt Apoſtata. Ratio eſt,quia ex toto infer-
tur pars in ipſo contenta,non è contra,quia pars non
continet totum; iura enim habent quod valet argu-
mentum à toto ad partem, *l. Qua de toto, ff. de rei vend.*
Nau. *conſil. 35. de regular. num.* 1. Thomaſet. *reg.* 46.
vbi eum explicat, & facit Reg. 80. Partem non eſt
dubium in toto contineri.

Quæres 4. An allatæ differentiæ ſint eſſentiales;
ſeu an Schiſma, Apoſtaſia, & Hæreſis differant inter
ſe ſpecie, & eſſentialiter? Concedit Silu. & Canus
apud Sanch. *lib. 2. c. 7. n.* 16. Reliqui negant, quos ibi-
dem Sanch. ſequitur, & alios plures citat Diana *par.* 4.
tr. 1. *de immun. reſolut.* 12. ex eo,quod Apoſtaſia, &
Hæreſis ſint vnum ſpecie peccatum,inferens,iudicem
laïcum non poſſe punire Apoſtatam,quia non poteſt
punire hæreticum.

6 ℞. Apoſtaſia, & hæreſis non differunt ſpecie,in qua
habent rationem vnius, probatur. quia pecca-
ta ſpecie diſtinguuntur per oppoſitas virtutes, &
perfectiones ſecundum omnes cum D. Thoma.
1. 2. q. 71. *art.* 1. ſed Apoſtaſia, & hæreſis vni tantùm
virtuti, quæ eſt fides, opponuntur,ergo ſpecie non
differunt. Confirmatur ex illo communi axiomate,
quia magis, & minus non mutant ſpeciem,
l. fin. ff. de fund. inſtr. Thomas. *regul.* 225. Sed
ita ſe habent Apoſtaſia, & Hæreſis, nam illa
in maius ſe habet, quia totaliter opponitur
fidei, hæc verò tantùm ex parto? ergo non
ſpecie, ſed tantùm accidentaliter differunt? eſſentia-
liter verò differunt à ſchiſmate, cùm ſit contra-
rium charitati, illæ verò fidei? ſed fides, & chari-
tas ſunt duæ ſpecies virtutis, ergo & vitia illis op-
poſita ſpecie differunt.

Quæres 5. An qui ſacrificat Dæmoni, vel Idolo,
aut id fieri mandat ſit Apoſtata?

℞. Affirmatiuè, quia huiuſmodi cum Dæmoni-
bus commercium includit negationem fidei, id enim 7
primò diabolus ab homine poſtulat, quòd fidem
Chriſti neget. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 12.
art. 1. Farin. *quæſt.* 183. *num.* 17. Ricciull. *lib.* 6.
cap. 2. *num.* 3. Carena *par.* 2. *de Apoſt. tit.* 3.
num. 6. Nota hîc tamen,quòd id abſolutè verum non
eſt, ſiquidem poteſt dari caſus, quod quis adoret
Idolum, & tamen non dicatur in totum recedere à
fide, imò ſtare ſimul poſſunt hæc duo, quòd ado-
retur idolum, & quòd fides non negetur, ſi
quis cogatur id facere, quia adoratio perficitur illo
actu externo,& fides per actum interiorem diſſenſus
violatur.

Nihilominùs in foro externo habebitur,vt Apoſta-
ta,& deſertor Chriſtiani nominis, quia ille actus ex-
ternus proteſtatur directè idololatriam,& Apoſtaſiã?
itaque omnis idololatra eſt Apoſtata, quia facit actũ
Apoſtaſiæ proteſtatiuum, non verò omnis Apoſtata
eſt idololatria,quia Apoſtaſia eſſentialiter conſiſtit in
receſſu à fide ex toto, etiam ſine acceſſu ad alienam
ſectam, & ſine obſeruatione rituum illius, quamuis
dici non valeat manere ſine exercitio, & obſeruantia
falſæ religionis.

Quæres 6. An Chriſtianus tranſiens ad Iudaïſmũ,
ſeu Paganiſmum,vel ad Mahumetanos ſit Apoſtata?

℞. Affirmatiuè, quia is propriè dicitur Apoſtata, 8
qui fidem in Baptiſmo ſuſceptam abnegat tranſeun-
do ad infideles, qui ſunt inimici nominis Chriſti.
Ita omnes cum Farin. *q.* 183. *n.* 19. Ricciull. *lib.* 6. *c.* 2.
n. 3. Carena *par.* 2. *tit.* 3. *n.* 10.

Quæres 7. An ſe faciens de nouo Baptizare ſit
Apoſtata? Ita Farin. *q.* 183. *n.* 18. Catena *p.* 2.
tit. 3. *n.* 7.

℞. Qui dubitat de valore ſui Baptiſmi licitè imò
neceſſariò illud repetit,quod ſolet adminiſtrari ſub cõ- 9
ditione,vt tradunt omnes cũ Bonac. de *Sacram. Bap-
tiſmi q.* 2. *pun.* 5. *n.* 20. Qui verò validè Baptizatus eſt,
& Baptiſmum reiterat non eſt Apoſtata,quia non fa-
cit actuum proteſtatiuũ receſſus à fide,ſed potiùs in-
tendit perſeuerantiam in religione Chriſtiana,vel ad
hanc acceſſum; quidquid prætcitati dicant *ex c.* 2. *de
Apoſt.* nam ibi non dicitur,quod ille Clericus,qui ſe
fecit rebaptizari,fuerit Apoſtata, ſed ſolùm decerni-
tur, quod rebaptizatus pro recuperanda ſanitate non
promoueatur,ſi delictum fuit publicũ,niſi religionem
ingrediatur?ſi occultum,poteſt promoueri. Peccauit
igitur ille Clericus peccato ſacrilegij iteratione Sacra-
menti eidem iniuriam, & irreuerentiam, irrogando.
Reiterans Baptiſmum ſine neceſſitate eſt vehemen-
ter ſuſpectus de hæreſi,quia videtur credere reiterari
poſſe quod aſſerere hæreticum eſt definitum, *Seſſ.* 7.
can. 9. *de Sacram.*

Quæres 8. An nulliter Baptizatus ſit verè Apoſtata
tranſeundo ad ſectam infidelium?

℞. Non eſt propriè Apoſtata ſicut ille,qui validè 10
Baptizatus eſt,quia caret baptiſmo aquæ per quod ſo-
lemniter profitetur fides,nec obſtat quod habeat illud
flaminis,nempè ex contritione adeptum,quod Patres
vocant fidem Sacramẽti ſufficiẽs ad ſalutem, *ex c.* 2. *de
preſbit. non bapt. c. Debitum de bapt. c. fin. diſt.* 7. *de pœ-
nit.* ex Caſtro *de hæret. l.* 1. *c.* 1. *dub.* 3. Ricciull. *lib.* 6. *c.*
3. *n.* 3. quia hoc non ſufficit,cum per illud non ſolem-
nizetur fides, cuius negatio inducit Apoſtaſiam, &
hæreſim,vt Latiùs dicam *ſeq. ſect.*

Quæres 9. An qui fingit ſe baptizatum viuens in-
ter Chriſtianos,ſi recedat, ſit propriè Apoſtata, & vt
talis puniendus ſit?

℞. Is in foro conſcientiæ, & apud Deum fidelis 11
non eſt, quia caret baptiſmo, ac proinde cùm num-
quam fidem Catholicam habuerit, ab ea receſſiſſe
dici

dici non potest, neque consequenter incidisse in Apostasiam. In foro externo iste censetur Apostata, & pro tali puniendus est, quod probatur; Tum quia talis quis præsumitur, in quali vita, & habitu reperitur, *cap. Si iudex* 12. §. *Iustum est, de sent. excom. in* 6. *l.* Item 15. *ff. de iniur.* Sed iste viuit more, & habitu Christiano, ergo si delinquit vt alter Christianus puniendus est. Tum quia fingens se fidelem, & contra fidem sentiens, magnam iniuriam irrogat religioni Christianæ; ergo tanquam illius desertor puniendus est. Tum quia dum se gessit Christianum non fuit expers honoribus, & præmiis cum fidelibus, ergo retrocedens debet experiri infamiam, & pœnas suæ desertionis, æquum enim est, vt qui sensit commodum, sentiat & incommodum. Ita Ricciul. *lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 5.

Quæres 10. An per vim, & metum coactus fidem abnegans sit propriè Apostata?

12 ℞. Qui corde credit, errorem in intellectu non habens ex vi præcisâ coactus ad fidem abnegandam non est Apostata, nec peccat; si verò inducatur metu mortis, vel alterius mali ad eligendam abnegationem fidei verbis, aut factis, licet errorem non habeat in intellectu, peccat mortaliter, & ab Ecclesia punitur vt Apostata, nisi probet metum incussum, & tunc non obstante eâ probatione adhuc suspectus dicitur esse de hæresi, mitiùs tamen puniendus est.

13 Prima pars, qui vi præcisâ fidem factis abnegans non sit Apostata nec peccet, probatur, quia ex communi doctorum nullum est peccatum nisi voluntarium, sed ex vi præcisâ nullus dicitur voluntariè agere, imò nullatenus agere, sed tantùm pati, vis enim est maioris rei impetus cui resisti non potest, secundùm iura, & Arist. 3. *Æth. cap.* 2. violentum vocat illud, quod fit ab extrinseco, passo vim non conferente, igitur vis voluntarium omninò à se excludit, secundùm omnes cum D. Thoma 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. Paucis, sed clarè de vi, & metu dixi *Resol.* 38. *n.* 86. Vis autem hæc contingit, cùm quis omninò resistens ligatus circumciditur, vel eius genua ab alio flectuntur ante Idolum, aut manus ligatæ per alium mouentur ad incensandum; coactus igitur his modis nullatenus peccat, neque potest dici incidere in Apostasiam, quæ est peccatum. Ita expresè habetur *cap. Maiores, de bapt*, ibi: *Sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis cogitur violenter.* Farinac. *q.* 183. *n.* 31. Ricciul. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 2.

14 Secunda pars, quod eligens abnegare Christum, vt mortem euitet, peccet mortaliter, licèt non habeat errorem in intellectu, probatur, quia in iis, quæ sunt intrinsecè mala cuiusmodi sunt abnegare fidem, Christum verbis, aut factis Thurificando idola, patiendo circumcisionem, metus etiam mortis nullatenus excusat à peccato, quia illicitum in se, & intrinsecè in nullo casu potest fieri licitum, omnes cum Regin. *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 75. Sayr. *in Claui lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 50. Est communis omnium sententia cum Farin. *q.* 183. *num.* 22. & 31. Ricciull. *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 5. Glosa *cap. Non solum* 83. 11. *q.* 3.

15 Tertia pars, quod puniatur ab Ecclesia, probatur; Tum quia Ecclesiæ incumbit punire omnia peccata, vnde Paulus 1. *ad Timoth.* 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Tum quia cum Ecclesia non indicet de occultis, quæ intus latent, sed de manifestis tantùm *cap. Sicut* 33. *de sim. cap. Tua nos eod.* ac proinde in casu hoc cum manifestum sit, abnegationem fidei per actum externum esse de se malam, præsumi potest, mala mente, & prauo corde factam fuisse, siquidem ex effectibus præsumitur de affectibus, *cap. Nec solo* 12. 32. *q.* 5. *cap. Nuper* 4. *de bigam.* Tum quia metu mortis abnegans fidem redditur suspectus de hæresi vehementer, vel leuiter, iuxta facti circumstantias, ergo subditur in hoc iudicio Ecclesiæ. Ita Farin. *q.* 183. *n.* 29 Ricciull. *lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 7. probans igitur se metu mortis idolis Thus adhibuisse mitiùs punitur, quia sicut metus minuit voluntarium ita æquum est, vt pœna minuatur, vt culpæ fiat proportionata.

Quarta pars, quod sit suspectus, patet, quia similes actus de se ordinantur ad hæresim, & Apostasiam, quam & de se significant, vnde si quis illos actus idololatriæ, & abnegationis fidei faceret sponte, à fortiori, vt Apostata, & hæreticus deberetur. Censetur etiam vehementer suspectus, quando metus non est mortis, aut mutilationis, sed alterius mali minoris. Pariter, si cessante metu perseueret in illis actibus, huiusmodi enim perseuerantia arguit consensum mentis. Leuiter verò suspectus præsumendus est, si se retrahat ab illis actibus, cessante metu. Adde aliam differentiam, quod docti præsumuntur vehementer suspecti, quia sciunt ex huiusmodi factis sequi negationem fidei; leuiter verò indocti, iuuenes, & mulieres, qui ignorant hunc effectum ex illis actibus sequi. Ita colligo ex supra citatis doctoribus. 16

Quæres 11. Quibus pœnis efficiatur Apostata à fide?

Resp. Omnibus illis pœnis quas iura statuunt contra hæreticum, Ita omnes cum Farin. *q.* 183. *n.* 15. 17
Sanch. *lib.* 2 *cap.* 7. *num.* 18. Ricciul. *lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 4. Sousa *in Aphor. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 13. Carena *part.* 2. *tit.* 3. *n.* 25. & omnes alij apud citatos. Quare vide infrà suo loco de pœnis, & applica his.

Duo obiici possunt contra hanc responsionem; vnum est, quia contra hæreticos defunctos potest procedi vsque ad triginta annos, vt eorum memoria damnetur cum proscriptione bonorum, *l. Manichæus, C. de hæresi, l. quisquis, C. ad legem Iuliam Maiest.* sed contra Apostatam non nisi infra quinquennium à die mortis, *l. Apostatarum, C. de Apost.* Alterum est, quod hæretico redeunti ad fidem parcitur, non verò Apostatæ, cuius delictum per pœnitentiam non tollitur, *l.* 3. *C. de Apost. l. Manichæos, C. de hæret.* Habet hæc ex doctoribus Ricciul. *lib.* 6. *cap.* 4. & respondet. Ego dico Apostatas omnes pœnas hæreticorum incurrere, nisi aliter disponatur in iure, vt tandem concludit ille in fine citati capitis. De pœnis contra Apostatas Farin. *q.* 183. §. 4.

Quæres 12. An Apostata ad fidem reuersus sit recipiendus? Si inspiciatur allegata lex non videtur recipiendus, quia Apostasiæ flagitium nulla pœnitentia obliteratur. Sed quidquid sit de hoc textu iuris ciuilis, qui attendendus non est, si tamen loquitur de redeuntibus ad fidem, eorum cognito errore, & venia petita.

Resp. Est recipiendus, quia mater Ecclesia benigna est, & misericors nulli plandens gremium redeunti ad pœnitentiam, *l. fin. C. de sum. Trinit.* Præ- 18
tereà *cap. Quidam* 4 *de Apost. & cap. contra Christianos* 13. *de hæret. in* 6. coguntur redire, ergo à fortiori sponte comparentes sunt recipiendi. Hanc sententiam certissimam vocat Carena *part.* 2. *tit.* 3. *num.* 22.

Quæres 13. An proferens huiusmodi verba. *Renego Christum, & fidem eius*, sit Apostata? Videtur quod sic, quia Apostasia est formalis recessus à fide ex toto; sed qui renegat fidem, & Christum sine dubio recedit à fide, & Christo, verba enim cum effectu sunt accipienda, ex vulgatis iuribus, & indicant id, quod fit, aut quod dicitur, nimirum abiectionem fidei.

℞. Illa verba communiter interpretantur, vt sonent in Blasphemiam, quia derogant honori Dei, 19

vt

vt docent omnes cum Sanch. *lib.2.cap.32.num.11.* *& 36.* Lazar. *de Blasph. q.7.num.6.* Carena *part.2. tit.7. num.8.* siue illa proferantur ex consuetudine, siue ex ira, his enim duobus modis solet contingere, vt suo loco dicam. Quòd si quis extra iram, animo quietus proferret illa verba, valdè suspectus esset de Apostasia, quia in mente videtur habere id, quod ore profert; verba enim nostra sunt signa eorum, quæ in anima habemus; & anima quiescendo maximè intelligit, ergo præsumendum est de recessu à fide, quod protestantur, & indicant illa verba.

Quæres 14. An Apostasiæ delictum spectet tantùm ad Inquisitores, ita vt nullus laïcus in ea se ingerere possit?

20 R. Ad solos Ecclesiasticos iudices Episcopum, & Inquisitorem spectat, quia est eiusdem speciei ex probatis *q. 4.* consequenter eiusdem iuris, vnde in iure *cap. Vt inquisitionis 18. de hæret. in 6. §. Prohibemus*, expressè laïci arcentur ab hoc officio. Ita multis citatis Carena *part.2.tit.3.num.13.* Diana *par.4.tract.1. resolut.12.*

21 Subiungit Carena *§.V.* iudicem laïcum non posse esse iudicem quæstionis facti, an quis sit, vel fuerit Apostata, vel hæreticus, quia habet admixtã quæstionem iuris, ratione cuius est incapax, sed tantummodo posse esse iudicem quæstionis puri facti obiecti per modum exceptionis, an sit, & fuerit condemnatus, & denuntiatus hæreticus, non ad effectum puniendi, sed illum excludendi à iudicio, & hoc probat per *cap. Intelleximus, de iudic.* vbi, si coram iudice laïco opponatur Actori, quod non potest stare in iudicio, quia est excommunicatus. Si actor dicat numquam fuisse excommunicatum, poterit iudex laïcus recipere testes probantes excommunicationem, vt inde sciat, an iuxta fuerit exceptio, id enim est merum, & purum factum. Si verò Actor dicat, inualidam fuisse eam excommunicationem, iudex laïcus non potest se ingerere, quia id habet admixtam quæstionem iuris. Placet eius opinio, qui nihil cognoscit de quidditate, & circumstantiis censuræ, neque Ecclesiasticam sententiam alterare intendit, aut sibi subiicere superiorem Ecclesiasticum, & illa exceptione prout iacet vti mediantibus testibus, qui de illa notitiam habent. Confirmatur, quia iudex laïcus vti potest fide baptismali per testes ad probandum ætatem in ordine ad excludendum, vel approbandum aliquem in iudicio.

Quæres 15. An Apostata ab obedientia subiicia-
22 tur iudicio Inquisitorum. Ille dicitur Apostata ab obedientia, qui ex superbia, & contemptu non vult obedire præceptis Dei, & superiorum, *ex tit. de maior. & obed. cap. Si quis, cap. Illud.* Glos. *ver. Apostasia, cap.1. de Apost.* Angel. Sylu. Tab. *ver. Apostasia,* Farinac. *q.183.n.53. & 54.*

23 Resp. Apostata ab obedientia præcisè ex superbia, aut contemptu, aut ex alio fine, puta, quia præceptum sibi videtur arduum, incommodum, & graue non subditur iudicio Inquisitorum, quia in his casibus locum non habet hæresis, nec illius suspicio, quæ sunt obiectum, & materia circa quam ex officio procedit Inquisitor, & in hoc nulla difficultas; Quòd si obedire nolit, quia putat in Ecclesia Dei non esse potestatem apud illius Prælatos, seu Papam non habere potestatem condendi leges, ex his motiuis non tantùm est Apostata ab obedientia, sed etiam hæreticus, est enim error in fide discredere potestatem in Ecclesia Dei, contra auctoritatem Sacræ Scripturæ ad Titum 3. *num.1. Admone illos Principibus, & potestatibus sublimioribus subditos esse.* Ad Hebr. *cap.13. num.17. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.*

24 Est igitur de fide credendum in Ecclesia Dei esse potestatem condendi leges, & præcipiendi, aliter discredens, & inobediens est Apostata ab obedientia, & hæreticus, Ita doctores cum Angel. *ver. Apostasia, num.1.* Sylu. *num.3.* Armilla *num.5.* Tabien. *n.7.* Farin. *q.183.num.56.* Inobediens autem præcisè non præsumitur hæreticus, sed potius contemnere sui superioris iussionem, aut non obedire ad difficultatem præcepti, vel in odium superioris, contra quem, est male affectus.

Quæres 16. An Apostasia à Clericali statu puniatur ab Inquisitoribus? Est autem Apostasia ab ordine transitus temerarius ab ordine sacro ad statum 25
Laïcalem cum dimissione habitus, & tonsuræ sine animo reuertendi ad statum Clericalem. Ita omnes cum D. Thoma 2.2.*q.12.art.1.* Pesant. *disp.3.* Farinac. *q.183. n.115.* Requiritur ergo dimissio vtriusque ex veriori sententia, Ang. *ver. eod. num.1.* Sylu. *num.5.* Armill. *num.8.* Hæc autem Apostasia vtrumque statum includit ordinis Clericalis in sacris tanquam terminum à quo, & Laïcalem, ad quem transit; vnde transiens ad statum regularem non dicitur Apostata, neque si ex dispensatione Pontificia statum relinqueret, quia Apostasia contrahitur ex temerario recessu. Non est autem necesse, quòd ducat vxorem, quia sufficienter sine matrimonio dicitur transisse ad statum Laïcalem, per hoc tamen dicitur magis se elongare à statu Clericali, & clarè probatur Apostasia ab ordine, Farin. *de communi, q.183.n.70.* In minoribus constitutus nõ dicitur Apostata relinquens suum priorem statum, nec peccat retrocedendo, quia ordinatio in minoribus non constituit statum firmum, & immutabilem, sed liberum relinquit, vt antequam quis maioribus initietur, tempus habeat ad deliberandum, velit ne prosequi statum cœptum, an retrocedere, quod in iure non damnatur, sed permittitur, *cap. Quisquis 5. dist. 50. cap. Clericus 6. de vita, & honest. cler.* Habens verò beneficium licèt in minoribus dicitur Apostata, & cogitur ad resumendum habitum, Farin. *q.183.num.132.* dic tu in praxi non vocari, sed meliùs priuari beneficio, quia non videtur inclinare ad hunc statum, sed potiùs illum contemnere. Farin. *q.183. num.123.* refert diuersas pœnas contra Clericos Apostatantes, nimirum quòd sint infames, excommunicati, sine priuilegio Clericali, & perdant beneficia ipso iure. Sed illa excommunicatio ipso iure nullibi reperitur. His præpositis.

Resp. Apostata ab ordine Clericali in nullo casu 26
ex his subditur Tribunali S. Inquisitionis, quia nec est hæreticus, neque de hæresi suspectus. Ita Locatus *ver. Apostata,* Decian. *lib.5. cap.71.* alij cum Farin. *q.183. num.126.* nisi putaret, sic recedendo nullatenus peccare, & ideò id sibi licere.

Quæres 17. An Apostata à religione subdatur iurisdictioni Inquisitorum? De Apostasia à religione fusè tractaui *Resol. 41.* ideò illuc lectorem remitto.

Resp. Religiosus Apostata, si nullum aliud deli- 27
ctum habeat adiunctum, non subditur Inquisitoribus, sed à suis superioribus puniendus est, quòd si ducat vxorem siue clàm, siue palàm subditur Inquisitoribus puniendus, præterquam quòd est excommunicatus.

Prima pars, quòd religiosus Apostata subdatur suis superioribus regularibus, certa est, non solùm ex instituto singulorum ordinum, sed etiam de iure communi, *cap. fin. de regul.* Apostata enim ex hoc non perdit subiectionem, cum ex suo delicto non debeat referre commodum, & exemptionem, sed magis subiici, & puniri ab eo, cui obedientiam, & permansionem in religione promiserat. Confirmatur, quia hoc delictum non est hæresis, neque suspicionem hæresis importat, ergo solis prælatis regularibus est subiectus.

28 Secunda pars, quod Apostata coniugatus subdatur Inquisitoribus, tenetur à Rodr. *tom. 3. q. 1. art. 1.* cum suo Compend. *resol. 93.* Peirin. *ad constit. 9. Pauli V. num. 20.* Diana multos referens *par. 4. tract. 7. resol. 5.* Carena *par. 2. tit. 17. n. 10.* Farin. *q. 183. n. 71.* Ratio est, quia Religiosi professi, & Clerici in Sacris sunt suspecti de hæresi, & quidem vehementer; quia per hoc factum videntur approbare hæresim neotericorum hæreticorum, qui vota religiosorum damnant,
29 & asserunt licere matrimonium illis, facere autem opera ex genere suo mala ab omnibus ferè hæreticis commendata arguit vehementer suspicionem hæresis, ex Soto *in Relect. de hæresi.* Ex stilo Inquisit. Hispanicæ suspecti non torquentur, sed abiurant de leui regulariter, & puniuntur pœnis contrahentium binas nuptias. Quandoque etiam de vehementi sunt suspecti, quando Clericus, aut religiosus sunt de Prouincia Lutheranæ hæresis, quia per hoc videntur approbare eam hæresim ex Palao, referente Diana loco citato.

Tertia pars de excommunicatione nulli reseruata habetur *Clem. 1. de consang.* Nauar. *cap. 27. num. 141.* Caiet. *cap. 47.* Sayr. *lib. 3. cap. 33. n. 34.*

SECTIO TERTIA.

CAPVT IX.

De Hæresi, & Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Infidelitas triplex.*
2 *Infidelis priuatiuè, & contrariè.*
3 *Hæresis dicitur de electione.*
4 *Et ab hærendo.*
5 *Hæresis definitio.*
6 *Error intellectus.*
7 *Falsa propositio contra fidem.*
8 *Error, est voluntarius.*
9 *Voluntarium definitur.*
10 *Error voluntarius, & pertinax idem.*
11 *Error assertiuus, non narratiuus.*
12 *Baptizatus tantum potest dici hæreticus.*
13 *Hæresis error contrarius fidei.*
14 *Non in totum, sed ex parte.*
15 *Baptismum validum necessarium ad hæresim.*
16 *Non sufficit illud flaminis.*
17 *Cathecumenus discredens non est hæreticus.*
18 *Neque pœnis Ecclesiasticis subditus.*
19 *Cogendus non est ad fidem, sed exhortandus.*
20 *Nulliter Baptizati non subduntur pœnis.*
21 *Cogendi sunt ad verum baptismum.*
22 *Pertinacia est de ratione hæresis.*
23 *Quid illa sit.*
24 *Hæresis in instanti temporis committitur.*
25 *Pœnitens statim adhuc est hæreticus.*
26 *Ignorantia definitur, & diuiditur.*
27 *Iuris & facti ignorantia explicatur.*
28 Facti non iuris ignorantia excusat: *exponitur.*
29 *Ignorare ius dicitur lata culpa.*
30 *Et dolo æquiparatur.*
31 *Ignorantia iuris excusat in sex casibus.*
32 *Ignorantia contra fidem iuris, & facti.*
33 *Ignorantia solum inuincibilis excusat.*
34 *Hæc explicatur, & declaratur.*
35 *Excusat à censuris, & irregularitate.*
36 *Vincibilis ignorantia explicatur.*
37 *Non excusat à peccato, nec à pœna.*
38 *Nisi lex exprimat præsumptionem.*
39 *Aliqui tenent simpliciter crassam non excusare.*
40 *Tenuis ignorantia ex solo veniali.*
41 *Comitans ignorantia quid?*
42 *Affectata definitur.*
43 *Non excusat à quoquam.*
44 *Æquiparatur scientiæ.*
45 *Ignorantia crassa excusat ab hæresi secundum aliquos.*
46 *Nequaquam secundum alios.*
47 *Quos Author sequitur.*
48 *Cognitio qualibet etiam dubitatio sufficit ad hæresim.*
49 *Pertinacia non est speciale hæresis.*
50 *Ignorantia vt dicatur vincibilis prærequirit cognitionem aliquam.*
51 Scire, & debere scire paria. *Si præcessit aliqua saltem dubitatio.*
52 *Pertinacia hæresis adæquate definitur.*
53 *Ignorantia crassa neutro foro excusat.*
54 *Admonitio de hæresi non est necessaria, sed cognitio.*
55 *Tenens scienter contra fidem hæreticus est, licet paratus.*
56 *Nolens credere viro docto est hæreticus.*
57 *Episcopis, Inquisitoribus, & alijs credendum in rebus fidei.*
58 *Citò credens leuis est corde, explicatur.*
59 *Articuli nondum definiti sunt in opinione.*
60 *Fides sufficienter proposita Hebræis, & Hæreticis, quomodo?*
61 *Signa tria probantia fidem nostram esse bonam, aliàs non.*
62 *Infideles à nobis remoti efficaciter edocendi.*
63 *Opinio credita probabilis contra fidem nulla est.*
64 *Patiens tentationes inuitus non est hæreticus.*
65 *Protestatio vtilis scrupulosis.*
66 *Hæreticus est paratus ab Ecclesia corrigi, si conuincatur.*
67 *Hæresis sola mente committitur.*
68 *Non est hæreticus asserens hæresim, quam non credit.*
69 *Negans propositionem, quam falsò putat de fide non est formaliter hæreticus.*
70 *Fidem violans non semper hæreticus.*
71 *Propositionem falsam credens veram de fide definitam non est hæreticus.*
72 *Ad hæresim non requiritur formalis contradictio Ecclesiæ.*
73 *Paruitas materiæ hic locum non habet.*
74 *Dubius in fide est hæreticus.*
75 *Non crederem, licet hoc esset de fide, hæreticus est.*
76 *Hæreticus non est discredens articulum priuatim reuelatum.*
77 *Christum risibilem negans præsumptiue hæreticus.*
78 *Proferens verba ioco, aut ira, non est hæreticus.*
79 *Verba ambigua in bonum sensum trahuntur.*
80 *Ioco facta peccatum, nec pœnam inducunt.*
81 *Rea mens facit ream linguam.*
82 *Corrigere se sapientis est.*
83 *Protestatio fidei ne quis præsumatur hæreticus.*
84 *Auctoris protestatio fidei.*
85 *Libros componens vtiliter addit protestationem.*
86 *Protestatio est, eorum quæ ab animo pendent.*
87 *Libros componens excusatur.*

88 *Libris damnatis, non ideo nomen Auctoris.*
89 *Protestato quando non reuelat protestantem.*
90 *Manifestus, vel occultus hæreticus quis.*
91 *Manifestus hæreticus cuius error tergiuersari non potest.*
92 *Coram sex factum dicitur manifestum.*
93 *Quinque præsentia non facit manifestum.*
94 *Confessio proprij oris superat omnem probationem.*
95 *Auctor propriæ hæresis quando manifestus.*
96 *An approbatione libri hæresis fiat manifesta.*
97 *De Hæresiarchis, & Dogmatistis.*
98 *Traduntur curiæ seculari.*
99 *Istis contritis non negantur sacramenta.*
100 *Relapsus qui incidit in abiuratam hæresim.*
101 *Relapsus propriè, & impropriè dicitur.*
102 *Relapsus propriè, qui recidit in abiuratam.*
103 *Etiam alias purgatam.*
104 *Relapsus impropriè incidens in abiuratam de vehementi.*
105 *Relapsus, qui vehementer suspectus recidit in abiuratam formaliter.*
106 *Relapsus incidens in diuersam, si ante generaliter abiurauit.*
107 *Relapsus est abiuratus de formali postea factus fautor hæreticorum.*
108 *Relapsus semper reus vnius formalis abiurationis.*
109 *Ex vna de formali, & altera de leui non est quis relapsus.*
110 *Relapsus non est abiurans de leui, & vehementi.*
111 *Abiuratus fugiēs è carceribus nō dicitur relapsus.*
112 *Relapsus dicitur abiurans coram delegato carente facultate.*
113 *Relapsus non est abiurans coram Confessario.*
114 *In iudicio nullo abiuratio non infert relapsum.*
115 *Comparens spontè fit relapsus ex abiuratione.*
116 *Relapsis conceduntur sacramenta Pœnitentiæ, & Viatici.*
117 *Relapsi traduntur curiæ seculari.*
118 *Non vero admittuntur ad abiurationem.*
119 *Hæreticus pœnitens quis dicatur.*
120 *Pœnitens verè quis dicatur.*
121 Continuò, Confestim *quid importent.*
122 *Pœnitentes in certis casibus traduntur curiæ.*
123 *Hæretici affirmatiui, negatiui, & impœnitentes.*
124 *De negatiuo.*
125 *Eius conditiones.*
126 *Obliuio præsumitur spatio decennij.*
127 *Hæreticus impœnitens.*
128 *Hæretici reuocantes suam Confessionem.*
129 *Reuocatio propriæ Confessionis sine ratione non admittitur.*
130 *Perseuerare in hæresi quis præsumitur.*
131 *Credentes hæreticis quomodo ab illis differunt.*
132 *Quomodo hæretici sint recipiendi ad fidem.*
133 *Qui nunquam audiuit de fide non est hæreticus.*
134 *Sunt extra Ecclesiam.*
135 *Hæretici subsunt legibus Ecclesiasticis.*
136 *Baptizati semper subsunt potestati Ecclesiasticæ.*
137 *Eximere à iurisdictione est actus iurisdictionis.*
138 Quid mihi de iis, qui foris sunt, *exponitur.*
139 *Pluribus ex causis quis mouetur ad hæreticandum.*
140 *Perniciosa, & vtilis est hæresis.*
141 *Hæresim dari est de fide.*
142 *Hæretici deprauant sacras Scripturas.*
143 *Fides seruanda hæreticis in contractibus.*
144 *Hæretici vitandi propter duo.*
145 *Libertas conscientiæ nulli conceditur.*
146 *Tolerari potest.*
147 *In bello hæreticis fides seruanda.*
148 *Non licet contrahere cum infideli matrimonium.*
149 *Taliter contractum tenet.*
150 *Est indissolubile etiam in hoc casu.*
151 *Hæresis est causa diuortij.*
152 *Saluus conductus conceditur hæreticis.*

INfidelitas genus est ad Iudaïsmum, Paganismum, & Hæresim, quia hæc tria dicunt carentiam fidei, 1
quorum importat Infidelitas. Solet autem Infidelitas accipi duobus modis; vno, negatiuè qualis censetur 2
esse in eo, qui de fide numquam audiuit, ideo vocatur infidelis negatiuè, & respectu huius carentiæ non dicitur peccare; altero modo contrariè quis dicitur infidelis, qui scilicet de fide cognitionem habet, sed illi aduersatur nolens assentiri, cuiusmodi sunt Iudæi, Turcæ, & Gentiles multi fidei Catholicæ notitiam habentes, & illi nolentes credere. De Hæresi tantum hic agendum est, de qua.

Quæres 1. Eius Etymologiam?

℞. *Hæresis ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisque eligit disciplinam, quam putat esse meliorem.* Inquit S. Hieronymus relatus *c. Hæresis* 27. 24. *q.* 3. Licet Hæresis dicat electionem melioris sententiæ, ac proinde dicere etiam possit de Catholica doctrina, quam Paulus *Act.* 24. *n.* 14. asserit quosdam vocare Hæresim, nihilominus apud Catholicos vsu receptum est, quod accipiatur pro falso dogmate contra fidem Catholicam. Dic tu vocari Hæresim ab Hærendo, quia firmiter inhæret intellectui malè sentientis de fide, in quo tanquam hædera paulatim radices figit, & succrescit in graue damnum religionis Christianæ, & ita illi coniuncta est, vt in ea obstinate, & pertinaciter se habeat. 3 4

Quæres 2. Quid sit Hæresis?

℞. Est error intellectus voluntariè assensus ab homine Baptizato ex parte contrarius fidei Catholicæ. Hæc definitio in re non discrepat ab aliis per doctores traditis, quas ad verbum refert Farin. *q.* 178. initio. Explicandæ sunt singulæ particulæ. 5

Dixi primò, quod hæresis est error intellectus, quia cum sit sub genere vitiorum, nonnisi vitium, & errorem producere potest, sicut è contra fides, cui opponitur, cum sit virtus, necessariò habet gignere actum virtutis, qui erit verus assensus contrarius errori, & falsitati. Error autem iste est actus falsus intellectus praue sentientis consistens in discredere ea, quæ pertinent ad fidem. In iure autem Hæresis vocatur error *cap.* 1. 2. 3. 24. *q.* 1. *cap. Qui* 32. 24. *q.* 3. *cap. Qui* 2. *de hæret.* dicitur peruersum dogma *cap. Inter* 26. 24. *q.* 3. falsa, & noua opinio ex vana gloria, & affectu principandi *cap. Hæreticus* 28. 24. *q.* 3. Vnde benedixit Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 3. ibi. 6

Neque enim aliunde hæreses ortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Igitur de ratione substantiali hæresis est, quod sit error, seu propositio falsa, peruersum dogma, omnimoda carens veritate. 7

Dixi secundò, quod hæresis est error voluntarius, 8
quia cum iste error sit peccatum, necessarium est, quod sit voluntarium, siquidem voluntarium est de substantia peccati, quia nullum peccatum nisi voluntarium secundum D. Aug. & D. Chrysostomum relatum *c. Sicut enim* 10. 32. *q.* 5. Voluntarium autem secundum Aristot. est id, quod est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, consequenter, vt quis dicatur commisisse peccatum hæresis, necesse est, quod sciat, & aduertat se errare in fide, & discredere aliquid eorum, quæ Ecclesia præcipit esse credenda, aliter actus huius erroris non esset voluntarius, si errans ignoraret suum dictum, & errorem esse contrarium determinatis de fide. Vnde dicere, 9 10
quod hæresis est error voluntarius idem est ac dicere, est error pertinax, nam ille dicitur hæreticus pertinax, qui licet sciat, & aduertat, seu dubitet se

se dicere aliquid contra fidem, nihilominus vult tenere hunc errorem contra fidem. Ille igitur est hæreticus voluntarius, pertinax qui tenet aliquid quod scit, vel dubitat esse contra Catholicam fidem, seu qui scit suam opinionem esse contrariam Ecclesiæ Catholicæ. Sed de hac pertinacia infra, *quæst.* 5.

11 Dixi tertiò, quod hæresis est error assertus, nam quis non euadit hæreticus per solam narrationem hæresis, quia hoc modo doctores de hac materia tractantes, & hæreticorum errores confutantes, essent hæretici, quia illorum falsa dogmata impugnare nequeunt sine illorum relatione, & narratione, fit ergo quis hæreticus per assertionem, & assensum proprij intellectus falsi alicuius dogmatis contra fidem. Ex quo infertur, hæresim consistere in iudicando, seu dicendo assertiuè aliquid scienter contra fidem, non autem in faciendo aliquid contra eandem, vt lacerando imagines, adorando Idola, &c. Verum quidem est quod similia facta sunt significatiua hæresis reddentia perpetrantes illa suspectos vehementissimè de hæresi, vt docent omnes, cum quibus infra.

12 Dixi quartò, quod hæresis incurritur ab homine Baptizato, ab homine quidem, quia ad eius perpetrationem requiritur error, & falsitas ex parte intellectus, & consensus pertinax ex parte voluntatis, quæ duæ potentiæ reperiuntur in homine, & non in cæteris animantibus, quæ ideò sunt incapacia hæresis. Esto verò Angeli vtraque sint potentia præditi, tam boni, quàm mali, quia tamen illi, cum sint in gratia confirmati, & beati, errare non possint, hæretici non sunt præterquam quod in illis fides non est, ergo neque hæresis locum habere potest, isti verò, quia sunt peruersi, licet malè de fide sentire possint, non sunt tamen dicendi hæretici, quia non sunt Baptizati, neque subdi possunt Ecclesiasticis obligationibus, sicut nec boni; ideò in illis Hæresis locum non habet. Vt quis sit hæreticus necesse est, quod sit baptizatus, quia per hæresim quis dicitur aduersari, & contrariari fidei, quam in baptismate recepit; ergo qui illa caret defectu baptismi eidem fidei aduersari non dicitur.

13 Dixi quintò, quod hæresis debet esse error contrarius fidei, per quod alij errores, qui fidei non opponuntur, sed aliis virtutibus distinguuntur ab hæresi. Omne autem vitium aduersatur alicui virtuti, cuius destructionem intendit, & sicut fides inclinat ad credenda ea, quæ ab Ecclesia proponuntur credenda, ita hæresis vitium illi oppositum inclinat ad discredendum ea, quæ ad fidem spectant, fidei munus est conseruare res credendas à fidelibus, hæresis verò proprium est easdem destruere.

14 Dixi sextò, quod hæresis ex parte, & non in totum est contraria fidei, quia qui discrederet omnes articulos, ac proinde omnem fidei rationem, quæ ex illis componitur, non diceretur simpliciter hæreticus, sed propriè Apostata, vt si quis ex Christiano fieret Iudæus, vel Paganus, Turca, vel Gentilis, iuxta quod dixi præcedenti sectione.

Quæres 3. Vt quis incidat in hæresim an necessarium sit vt Baptismate sit initiatus, & quo? Triplex baptismum, fluminis, flaminis, & martyrij, de hoc tertio non est sermo, quia per illud homo moritur pro fide Christi, ideo amplius peccare non potest, neque incidere in hæresim, restat difficultas de duobus reliquis.

15 Resp. Ad incurrendum hæresis crimen necessarium est validum baptisma fluminis, per quod fides Catholica solemniter profitetur, quare fictè, seu inualidè baptizatus, licet postea habeat baptismum flaminis discredens articulos fidei non est hæreticus, sed Iudaïsmum, vel Paganismum perpetrare dicitur, similiter Cathecumenus hæreticus non dicitur discredens mysteria fidei, sed adhuc iudaïzare, vel paganizare iuxta sectam, quam sequebatur, antequam fieret Cathecumenus.

Prima pars, quod inualidè, vel fictè baptizatus non dicatur propriè hæreticus, suadetur, Tum, quia secundùm D.Thom. ab omnibus receptum 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 5. species infidelitatis sunt tres, Hæresis, Iudaïsmus, & Paganismus, quam distinguit per ordinem ad fidem professam, & susceptam in baptismate, vel non professam, neque receptam, qui igitur fidem non receptam impugnat committit peccatum Paganismi sic peccant Pagani, Mahumetani, & Gentiles, qui verò fidei receptæ in vmbra, & figura aduersatur, peccat Iudaïsmi peccato, hoc criminis genere inficiuntur soli Iudæi; qui fidem receptam in manifestatione veritatis negat, dicitur hæreticus, & is vocatur solus Christianus ex vero, & valido baptismo aquæ, in hoc enim manifestatur veritas fidei. Sicut enim homo caractere fidei in baptismo suscepto Christum profitetur, ita & eidem aduersari dicitur ille tantum hac ratione, qui Christum non profitetur caractere fidei recepto in baptismate, vt tradit Caiet. ibid. *quæst.* 11. *art.* 1. Ex his deducitur inualidè, aut fictè baptizatum fidem nullatenus profiteri in manifestatione veritatis. Nec placet responsio Becani *cap.* 14. *de fide, quæst.* 2. *num.* 5. dum explicat ea D.Thomæ verba: *In veritate*, id est, *Non in vmbra, & figura.* Quia esto aliàs hæc bona sit interpretatio, tamen hic non facit ad propositum, quia intelligitur proportionaliter in ordine ad fidem Iudæorum, qui sicut suam fidem profitebantur per Sacramentum circumcisionis, quod erat signum fidei vniens homines Congregationi fidelium, ex D.Thom. *par.* 3. *quæst.* 70. *art.* 1. ita qui fiunt Christiani fidem Christi profitentur per baptismum, quod vocatur Sacramentum fidei, ergo sicut fides Hebræorum, licet in vmbra, & figura non erat sine circumcisione, ita neque Catholicorum fides dicetur suscepta in veritate, nisi per receptionem baptismi. Tum, quia inualidè baptizatus, seu fictè idem est, ac simpliciter non baptizatus, quia Baptismus nihil in eo operatus fuit, quod enim nullum est, nullum effectum producere potest, *l.* 4. §. *Condemnatum, ff de re ind.* Rota *vol.* 4. *decis.* 693. *num.* 2. sed nondum baptizatus peccando contra fidem iudaïzare, aut paganizare dicitur, & non hæreticare; ergo idem dicendum est de inualidè, & fictè baptizato. Tum, quia per huiusmodi non baptismum nullam contraxit obligationem, ergo neque aliquod speciale genus peccati perpetrare dicitur, quod aliàs penderet ab ea obligatione ex vero baptismo. Tum à simili de inualidè professo, cuius inobedientia, proprietas, & luxuria non induit malitiam sacrilegij, vt probaui *contr.* 17. *num.* 4. ergo idem dicendum de inualidè baptizato. Confirmatur responsio ex infra dicendis. Quod inualidè baptizatus, aut fictè discredens res fidei non fit propriè hæreticus, docet Sanchez *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 34. & 35. citans pro se Arrag. Toletum, Vgol. & Sayr. Tabien. *verb. eodem num.* 1. *ad finem*, Nauarr. *cap.* 11. *num* 22. §. *Secundò*, Couar. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. & alij communiter cum D.Thom. *loco citato*, dum requirunt baptismum in hæretico, contra Castrum, Suar. & Bannez allegatos à Sanchez quos sequitur Catena *part.* 2. *tit.* 1. *n.* 28. quorum argumentis respondetur infrà in tertia parte.

16 Secunda pars, quòd non sufficiat baptiſmum flaminis in iis, qui carent baptiſmate fluminis, ſuadetur, Tum quia, per hoc non ſolemnizatur fides, ſed tantùm per baptiſmum aquæ, quod ideò à ſanctis Patribus vocatur baptiſmum fidei. Tum quia, quilibet homo etiam Iudæus, Paganus, &c. poteſt habere hunc baptiſmum flaminis, quod eſt habere contritionem de ſuis peccatis; quòd ſi poſtea aduerſetur fidei, hoc peccatum non dicetur hæreſis, ſed alterum ex illis duobus, non enim per hoc dicitur reliquiſſe priorem ſtatum. Oppoſitum ſentiunt doctores citandi infrà tenentes Cathecumenum eſſe hæreticum negantem res fidei, in terminis Ricciull. *lib. 6. cap. 3. num. 3.* aſſerens inualidè baptizatum diſcredentem eſſe hæreticum, quia quamuis baptizatus non eſſet, erat tamen baptizatus in flamine, & ſi contigiſſet ipſum decedere defectu baptiſmatis cœleſtis aditus illi non fuiſſet occluſus, *cap. 2. de presbyt. non baptiſm. cap. Debitum, de baptiſm.* Quamuis id verum ſit reſpectu ſalutis, nihil tamen probat pro hæreſi, quia hoc baptiſmum flaminis non durat in homine, niſi quando eſt in gratia, vnde ſequeretur, quòd ſi exiſtens in mortali, & diſcrederet, non peccaret ampliùs peccato hæreſis, quia caret baptiſmo flaminis, hoc igitur baptiſmum contritionis, quod ſic vocat Gloſa *in cap. Firmiſſimè* 3. 15. *quæſt.* 1. vnicum producit effectum nimirum ſalutis. Confirmatur, quia peccatum infidelitatis illud baptiſma flaminis deſtruit, non enim ſtant ſimul actus contritionis, & perpetratio peccati, cùm illa huius ſit deſtructiua, ergo non poteſt concurrere ad ſpecificationem infidelitatis.

17 Tertia pars, quòd Cathecumenus diſcredens non ſit hæreticus, probatur, Tum quia, hæreticus ex probatis dicitur ille, qui fidem ſolemniter profeſſus eſt in baptiſmate, Cathecumenus autem fidem addiſcit, quàm intendit ſolemniter profiteri, ergo ſi diſcredit non eſt hæreticus. Tum quia, ille eſt hæreticus, qui diſcedit à fide Chriſtiana *cap. Hæretici* 30. 24. *quæſt.* 1. ſed Cathecumenus recedens non ditur diſcedere à fide Chriſtiana, quia nondum Chriſtum induit per baptiſmum, Ad Galat. *cap.* 3. *num* 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, ideò enim quis dicitur habere fidem Chriſtianam, quia Chriſtum induit per baptiſmum, in quo profeſſio fit Chriſtianæ fidei. Ita Sayr. *lib. 3. de cenſur. cap. 4. n.* 11. Sanch. *lib. 2. c. 7. num.* 34.

Cathecumenos diſcredentes eſſe hæreticos docent Suar. *de fide, diſp.* 19. *num.* 3. *& de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. Sanct. *de hæreſ. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 3. citatis à Carena *par.* 2. *tit.* 1. *num.* 25. vbi eam vocat certiſſimam in foro interiori, & probat, quia ex eo, quòd iſte recedit ab eo, quod iam credidit dicitur infidelis, ſed non eſt Iudæus, neque Paganus, ergo eſt hæreticus, cùm ſint tantùm tres ſpecies infidelitatis.

Nego minorem, quia illis ſectis nullus cum effectu dicitur renuntiare niſi per realem baptiſmi flaminis receptionem, quo incipit eſſe in numero fidelium, non enim abſurdum eſt, quod quis ſit adhuc in priori ſtatu, & procuret tranſire ad alium ſine comparatione longè perfectiorem, nam videmus nouitium in anno probationis eſſe in quodam ſtatu medio inter laicum, & religioſum, ſed quo ad tranſgreſſiones, & peccata cenſeri adhuc in ſtatu laicali, quia nulla illius tranſgreſſio recipit malitiam ſacrilegij, ſi enim inobediens eſt, ſi fornicarius, non ideò ſacrilegus eſt, quia nondum profecit, pari ratione exiſtens Cathecumenus eo tempore eſt in quodam ſtatu medio inter illos, & Chriſtianiſmum, in quo ſi peccet contra fidem, hoc peccatum, quod hæreſis dicitur, non incurrit, quia nondum per baptiſmum fidem profeſſus eſt, ſed peccare dicitur eo peccato, quod illi adſcriberetur, ſi numquam cogitaſſet de fide Chriſti ſuſcipienda, ac proinde eius peccatum dicetur Iudaiſmum, ſi eſt Iudæus, vel Paganiſmum, ſi alterius ſit ſectæ.

Quæres 4. An inualidè, vel ficte baptizatus, & pariter Cathecumenus incurrant pœnas iuris, nimirum excommunicationis, infamiæ Confiſcationis bonorum, &c. ſi diſcredant aliquid, vel à fide recedant, & dictis pœnis, & aliis affici poſſint ab Inquiſitoribus, & cogi ad fidem per ſuſceptionem veri baptiſmatis?

℞. Cathecumeni in neutro foro ſubduntur illis pœnis, nec ad fidem recipiendam, ad quam ſunt tantùm exhortandi, cogi poſſunt. Baptizati verò inualidè, vel ficte in foro interno immunes ab illis pœnis, quibus in foro externo puniri poſſunt, quamdiu non probatur per ipſos nullitas, & fictio baptiſmi, quòd ſi ex eorum culpa accidit, puniendi ſunt, aut cogendi ad verum baptiſma, ſi pœnam effugere volunt. 18

Primum, de Cathecuminis exemptis à pœnis probatur, quia conſtat, illos non eſſe directè ſubiectos Eccleſiæ, cùm nondum receperint baptiſma, quòd ſubiicit legibus Eccleſiaſticis. Ita Sayr. *lib. 3. de cenſ. cap. 4. num.* 11. Sanchez *lib. 2. cap. 7. num.* 34. Pro foro externo, Suar. Sanct. Filliuc. Farinac. quos pro ſe citat Carena *par. 2. tit. 1. num.* 26.

Secundùm, quòd Cathecumeni recedentes non ſint cogendi ad baptiſmum, ſuadetur, Tum quia Eccleſia ſuper illos nullum ius habet, ergo cogere non poteſt illos. Tum quia ex parte baptizandi requiritur intentio ſaltem habitualis recipiendi baptiſma, ſecundùm Sylu. & alios, apud Bonac. *par. 6. de Baptiſmo, num.* 16. ſed in nolente recipere baptiſmum nulla eſt, intentio; ergo cogi non poteſt ad nullum actum. 19

Tertium, quòd baptizati immunes ſint ab illis pœnis in foro conſcientiæ, patet ex dictis, quia ſoli verè baptizati ſubduntur legibus Eccleſiaſticis. Ita docent omnes ſupracitati, Sayr. *lib. 3. cap. 4. num.* 11. Sanch. *lib. 2. cap. 7. num.* 35. *&* 36. In foro externo ſubduntur, quamdiu Eccleſia ignorat nullitatem, & fictionem, quia habet præſumptionem iuris pro ſe contra illos ex illo actu baptiſmali, qualiſcumque fuerit, cùm exteriùs reputetur verum baptiſma, donec oppoſitum probetur, vnde cùm ſuperior Eccleſiaſticus ſit in poſſeſſione iuriſdictionis poteſt declarare illos incidiſſe in pœnas, & punire. Faciunt quæ dixi præced. *ſect. q.* 9. Ita ſentit Ricciul. *lib. 6. cap. 3. n.* 5. Sanch. *lib. 2. cap. 7. n.* 35. Carena *part. 2. tit. 1. num.* 29. 20

Quartum, quod cogendi ſint ad verum baptiſma probatur, quia coactio conditionalis ad baptiſmum, vt pœna euitetur non aduerſatur baptiſmo, *cap. De Iudæis* 5. *diſt.* 45. *cap. Maiores* 3. §. *Dormientibus, de bapt.* quia dicitur habere intentionem, & voluntatem talem, quæ ſufficit ad baptiſmum. Ita omnes *in* 4. *diſt.* 4. vbi Scotus *quæſt.* 4. & cùm eo Faber *diſp.* 11. *num.* 2. Sylu. *ver. Baptiſmus, num.* 10. Id maximè procedit, quando nullitas non fuit ex ſua culpa, ſed miniſtri defectu, ſiquidem ex parte ſua dicitur illud ſuſcepiſſe, & ſic docet Sanchez *lib. 2. cap. 7.* extremis verbis. Eccleſia autem habet ius puniendi ficte, vel nulliter accedentem, ex culpa propria, aut quia diſcredit, conſequenter ad pœnam effugiendam cogi poteſt ad baptiſmum, quando nullum fuit, ſi verò nulla eſt cauſa puniendi, vt in 21

Cathecumeno,

Catechumeno, nullus cogi simpliciter potest ad recipiendum baptisma quando expressè contradicit, quia baptizandus caret omnino voluntate, & intentione recipiendi illud, & sic frustra, & sacrilegè attentatur Sacramentum. Videtur supradictis obstare, *cap. Sicut.* 35. 1. *q.* 1. *Sicut ficti veraciter non fictè recipiunt, nec eorum baptisma reprobatur.* Quod clarius habetur *c.* 3. §. *Dormientibus, de baptismo*, ibi *Baptismi suscipit Sacramentum sicut & is, qui fictè ad baptismum accedit, caractere suscipit Christianitatis impressum.* Ergo fictè accedens recipit validum baptismum contra supradicta. Sed his respondetur, in locis citatis fictionem sumi pro indispositione subiecti, nos autem superius locuti fuimus de fictione negatiua scilicet nolendi recipere baptismum, consequenter in hoc sensu baptismum fictè, & inualidè recipere ex parte subiecti idem est, quod carere intentione illud suscipiendi.

Quæres 5. An pertinacia sit de ratione essentiali hæresis, ita vt nullus sit dicendus hæreticus, nisi in sua opinione sit pertinax? & quid sit ista pertinacia?

22 ℞. Pertinacia est de ratione essentiali hæresis de communi sententia omnium doctorum fundata in doctrina S. Augustini pluribus in locis præsertim in duobus relatis. *Cap. Dixit* 29. 24. *q.* 3. ibi *Qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, persertim quam non audacia sua præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quarunt autem sua solicitudine veritatem corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Et *seq. cap. Qui in Ecclesia* 31. ead. *Qui in Ecclesia Christi morbundū aliquid prauūmque sapiunt, si correpti, vt sanum rectūmque sapiant, resistunt cōtumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.* Ista omnes doctores cum D. Thom. 2. 2. *q.* 5 *art.* 3. *q.* 11 *art.* 2. *ad* 3. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 4. *de cens. n.* 10. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 7. *initio* Becan. *c.* 14. *de fide, q.* 2. *num.* 12. Carena *par.* 2. *tit.* 1. §. 2. Ricciull. *lib.* 5. *c.* 2. Corduba *lib.* 1. *q.* 17. §. 7. Portellius *ver. Hæresis.*

23 Pertinacia autem in hæresi in eo consistit, quod quis consentiat firmiter in aliquid, quod scit vel dubitat esse contra fidem, & determinationem Ecclesiæ, pertinacia igitur est voluntarius consensus in aliquid, quod cognoscitur actu & aduertenter, vel dubitatiuè esse contra fidem, ita omnes supracitati cum aliis explicant pertinaciam hæresis, cum aliqua tamen differentia, de qua infra quæstione sequenti.

Et id totum colligitur ex D. Augustino locis supracitatis, qui alibi dixit: *Errare potero, sed hæreticus non ero.* Intellige, nisi postquam cognitionem habuero, me errare contra fidem, si iterum in errorem consentiam, & illum non damnem, cum primum scio, esse errorem contra fidem. Ratio est, quia Hæresis sicut alia peccata, non committitur, nisi præcedat consensus hæreticantis, sed ignorans, & inaduertens non dicitur consentire, *l. Nihil* 117. *de reg. iur. l. si per errorem ff. de iurisd. om. iud.* neque incidere in hæresim. Ad hæresim, sicut ad quoduis aliud peccatum, concurrit intellectus, & voluntas, ille quidem assentiendo, & iudicando id esse verum, quod scit esse contra fidem Christianam, vt puta, hæreticus iudicat verum esse, Papam non habere potestatem, quod scit esse contra determinationem Ecclesiæ; voluntas verò concurrit, in quantum consentit, & approbat iudicium prauum ab intellectu factum, respectu cuius hæresis dicitur voluntaria, siquidem voluntarium id dicitur, quod est in agente cognoscente singula in quibus est actio, ex quo voluntas cum sit cæca, dicitur ab intellectu, qui notitiam habet omnium circumstantiarum, quarum obiectum, circa quod versatur actio agentis, capax esse potest, duce igitur intellectu, & posito voluntatis consensu statim sequitur peccatum sub ea malitia, qua præcognitum fuit.

Deducitur ex his *primò*, pertinaciam non importare perseuerantiam, & permanentiam in asserto falso, cum hæresis posita cognitione erroris fieri possit in instanti, sicut quis potest scienter velle aliquid sine temporis diuturnitate, voluntas igitur, & intellectus in instanti suos actus tam veros, & bonos, quam falsos, & malos producere possunt, ergo & hæresim. 24

Secundò illum adhuc dici hæreticum, quem statim dicti pœnitet, paratum post assertam hæresim corrigi, quia pœnitentiæ signum arguit factam hæresim, sed eam non tollit, nisi sit contritio in foro animæ cum voto Sacramenti: Vnde bene dixerunt Turrecr. *in c. Diuortium, dist.* 1. *de pœnit.* quod subitanea pœnitentia non spectatur, sed delictum perpetratum. 25

Quæres 6. An pertinacia, ad hæresim spectans, ita includat in se cognitionem, scientiam eius, quod negatur ab hæretico, esse de fide, vt quælibet ignorantia etiam culpabilis, crassa, & affectata excuset ab hæresi incurrenda? Pro cuius resolutione notanda sunt nulla de ignorantia, quæ faciunt ad intelligentiam quæstionis.

Ignorantia, quæ est carentia scientiæ, diuiditur in ignorantiam Iuris, & Facti & vtraque, in ignorātiam Inuincibilem, & Vincibilem, hæc autem Vincibilis subdiuiditur in Affectatam, Crassam, Tenuem, & Comitātem. De quibus multa dixi *Resolut.* 35. hoc repetam pro illis, qui illum tomum non habent, & nonnulla addam pro expositione quæstionis. 26

Iuris ignorantia est illa, qua nescitur ius. Facti verò qua ignoratur factum esse peccatum. Exempli gratia, ignorantia, qua nescio legem prohibentem sub excommunicatione percussionem clerici, vocatur Iuris, seu legis. Ignorantia verò, qua ignoro Petrum à me percussum esse Clericum, dicitur ignorantia facti, quia ignoro circumstantiam Clericatus in Petro, licet aliàs sciam percussionem Clerici esse sacrilegam, & inducere excommunicationem, hæc scientia vocatur iuris. De quibus intelligitur illa iuris regula 13. *in* 6. *Ignorantia facti, non iuris excusat*: quæ propriè locum habet pro foro externo, Sanchez *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 10. & *lib.* 1. *c.* 16. *n.* 26. Megal. *consil.* 31. *n.* 4. Non excusat, quia ignorare ius est lata culpa, Parif. *lib.* 11. *de Resignat. q.* 13. *n.* 91. & æquiparatur, dolo, *l. Magna negligentia ff. de verb. signif.* ex eodem *q.* 21. *de Confidem. n.* 2. 27 28 29 30

In nonnullis tamen casibus excusat ignorantia iuris in foro etiam externo. *Primò*, in constitutionibus extra corpus iuris, Abbas in *cap. Pastoralis*, vbi Felin. *de fide instrum.* Graff. *par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 23. *Secundò*, quando ius est dubium, Nauar. *consil.* 4. *de vsur. n.* 7. & *consil.* 10. *de sepult. num.* 7 Sanchez *lib.* 5. *disp.* 3. *num.* 13. ex Dyno, & Couar. *Tertiò*, quando ignorantia est circa apices iuris, & similiter ius non est frequentatum, Nauar. *cit. de Vsur.* *Quartò*, excusantur mulieres, & rustici, atque minores, Gratian. *in cap.* 23. 22. *q.* 4. vbi Glossa *ver. Cui permittitur*, Grilenz. *consil.* 170. *num.* 16. Thomaset. *reg.* 141. excusat eos respectu casuum in iure expressorum, ex Baldo *in l. Cum allegas, C. de Vsur.* *Quintò*, excusatur, qui nouus est in loco inibi incipiens habitare, Seraphin. *de priuileg.* 4. *num.* 117. Gailard. *lib.* 2. *obseruat.* 48. *num.* 28. apud Barbosam *Axiom.* 113. *num.* 10. *Sextò*, quando ignorantia iuris habet admixtum errorem facti, Socin. *lib.* 1. *consil.* 47. *num.* 11. Mascard. *conclus.* 639. *num.* 20. Tuschus *lit. I. concl.* 13. *num.* 18. ex eodem Barbosa. 31

32 Sed qualis ignorantia est, qua quis nescit se errare contra fidem? iurisne, an facti? Est facti simul, & iuris, quia hæresis constituitur ex dicto, quod asserens scit esse lege Ecclesiastica contrarium fidei, ac proinde hæresis resultat ex scientia iuris, & facti. E contra posita ignorantia, hæresis non est, ergo hæc ignorantia respicit vtrumque, consequenter est tam facti, quàm iuris. Verùm quidem est, quòd magis pendet ex parte iuris, sicut enim assertum falsum in tantùm est hæreticum, in quantùm illud asserens scit, vel dubitat iure aliter esse definitum, ita idem assertum respectu alterius ignorantis ius, non dicitur hæreticum, in quantùm ignorat ius de fide definire oppositum.

33 Siue ergo ignorantia sit iuris, siue facti, vt non inducat peccatum præsertim in foro conscientiæ debet esse probabilis, & inculpabilis, seu inuincibilis, hæc enim sola excusat à peccato præsertim mortali, vt docent omnes, & deducitur ex Sacra Scriptura, Genes. *cap.* 20. *num.* 4. *Domine num gentem ignorantem, & iustum interficies.* Vides, homo iustus, & ignorans, intellige probabiliter, comparantur in eo, quod Deus neutrum interficit morte peccati, sed iustus non peccat, ergo neque ignorans. S. Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 1. *num.* 13. *Misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Quod ignorantia probabilis à peccato excuset, Glos. *in cap. Turbatur* 12. 1. q. 4. *cap. Apostolica* 9. *de cler. excom. ver. Ignorantia, cap. Si vir.* 2. *de cognat. spirit. cap. fin. dist.* 37. Nauar. *tom.* 3 *in cap. Consideret, num.* 87. Sanch. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 9. vbi id vocat certissimum, & citat D. August. *lib.* 1. *Retract. cap.* 18. D. Thom. 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. Ratio est, quia ignorantia efficit ne actus sequatur voluntarius, ac proinde ne fiat peccaminosus, nullum enim peccatum, nisi voluntarium. Sed modo videndum est, quomodo ignorantia cognoscatur probabilis ad excusandum à peccato.

34 Probabilis ignorantia est illa, quâ quis nescit ea, quæ scire non tenetur; aut si tenetur, nulla præcessit in eo aduertentia, cogitatio, aut dubitatio, & si aliqua præcessit, ignorans adhibuit sufficienter diligentiam inquirendo per se, si est literatus, vel per aliorum consilia veritatem rei, & non potuit eam scire, neque dubium vincere. Vocatur autem inculpabilis, quia caret culpa; inuincibilis, quia diligentia vinci non potuit; probabilis, quia probatur esse sine peccato; iusta, quia æquum est illa laborantem non peccare; demùm dicitur antecedens non solùm quia est ante actum, sed etiam quia præcedit consensum voluntatis in actum contra legem factum. Diligentia autem adhibenda ad excludendam ignorantiam, & sciendum quod ignoratur, quanta & qualis esse debeat, certa regula dari non potest, sed id relinquitur arbitrio prudentis, attentis circumstantiis, quæ ad factum pertinent; Veritas autem inquirenda est ab iis, quibus ex officio incumbit, vt à Parocho, à quo sui subditi erudiendi sunt. Item à viris doctis, seu ab aliis, qui facto interfuerunt. His enim consultis, si adhuc ignorantia remanet vocatur Probabilis, & Inuincibilis.

35 Hæc ignorantia non solùm excusat à peccato, sed etiam à censuris, & irregularitate ex delicto, & à pœnis priuationis vocis, & officiorum. Ratio est, quia hæc omnia sunt pœnæ, quæ semper supponunt culpam, *l. Sancimus, C. de pœnis*, Sanch. *lib.* 1. *disp.* 36. *n.* 4. & alij communes cum pœna sit medicina culpæ, D. Aug. *lib.* 1. *Retract. c.* 9. & colligitur ex Iob *cap.* 4. *Quis vnquam innocens periit? aut recti quando deleti sunt*, ac proindè illi proportionari debet, *cap. Non afferamus* 24. q. 1. & alibi, iuxta illud Deuter. *c.* 25. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus.* Sed ignorantia inuincibilis ex supradictis excusat à culpa, & peccato, ergo etiam à pœna quacumque ex prædictis, & ita docent omnes super *c.* 2. *de constit. in* 6. Felin. *in cap. Cæterum, de rescrip. n.* 19. Gratian. *discept. cap.* 631. *n.* 14. Sigism. *de elect. dub.* 3. *n.* 6. Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. Sanch. *lib* 9. *disp.* 32. *n.* 28. 29. 36. Nauar. *consil.* 10. *de sepult. n.* 4. Nald. *verb. Ignorantia, num.* 7. procedit siue censura adiecta sit legi Ecclesiasticæ, aut diuinæ, vel naturali, quia quis licèt non ignoret legem naturæ, potest tamen probabiliter ignorare pœnam illi adiunctam.

Crassa ignorantia est illa, quæ procedit ex maxima, vel magna negligentia, & temeritate sciendi necessaria quæ potuit scire à se præuisa: Vel est ista, qua quis ignorat publica, manifesta, & ea, quæ omnes ferè eiusdem professionis sciũt. Dicitur crassa ex similitudine crassorum, qui multùm negligentes sunt in suis operibus; supina vocatur, quia homines ita dispositi censentur otiosi. Benè Megalius 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 55. *& part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. Sanchez *lib.* 1. *cap.* 16. *n.* 7. Hæc autem inducit peccatum mortale, quia fundatur in magna negligentia, & temeritate, ita quod neque à peccato, neque à censuris, irregularitate, & aliis pœnis excusat, expressè *cap.* 2. *de constit. in* 6 *cap. Apostolica* 9. *de cler. excom.* Sanch *lib.* 9 *disp.* 32. *n.* 31. Portellus *ver. Ignorantia, n.* 27. Bonac. *q.* 2. *de cens. in genere, p.* 1 *n.* 10. Diana *part.* 3 *tract.* 5. *resol.* 13. *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 85. Cœlestinus ex nostris in suo Compend. Theol. *moral. tract.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Limita prædicta, nam quando ad incurrendam censuram lex præscribit scientiam, ausum, præsumptionem, aut temeritatem, non sufficit quæcumque ignorantia crassa, sed ea, quæ coniuncta est cum maxima negligentia, temeritate, & dolo, ita docui cum Sanch. præcitata *Resol.* 38. *n.* 64. in hanc sententiam Diana *par.* 3. *tract.* 5. *resol.* 13. §. *Notandum*, vocat Pontium, Sanch. Curiel. Henriq. Auilam, & Molinam. Sed oppositam sententiam Toler. *lib.* 1. *cap.* 48. Alterius *disp.* 11. *de cens. de susp. cap.* 5. §. *Hoc autem*, & multi alij, nullam ignorantiam crassam excusare à censuris, sicut non excusat à peccato, longè probabiliorem putant, quia est conformis viri pluribus in locis, *cap.* 2. *de constitut. cap. Apostolica* 9. *de cler. excommun.* præterquam quòd constitutiones, & statuta pœnalia ferè semper conduntur cum illis clausulis: *Qui scienter, temerariè, ausus fuerit præsumpserit.* Et iura allegata non distinguunt inter vnam, & aliam ignorantiam secundùm latitudinem maioris, vel minoris negligentiæ; vltra quod omnis ignorantia crassa à peccato mortali non excusat, ergò neque ab eius pœna, quæ ex illo infertur.

Tenuem ignorantiam vocaui citata *Resolut.* 38. *num.* 65. illam, quæ procedit leui negligentia addiscendi necessaria, habet plus de diligentia, licet non sufficienter, ratione cuius arguit solum peccatum veniale.

Comitans ignorantia dicitur illa, quæ si non adesset, actus tamen malus adhuc fieret, e. g. Petrus est ita malè affectus contra suum inimicum vt si sciuisset, ipsum fuisse in loco, vbi illum occidit loco feræ, adhuc voluisset illum occidere, hæc ignorantia semper est coniuncta cum actu peccaminoso ratione mali affectus ad peccandum. Vide loco citato.

Affectata demum ignorantia est illa, qua quis ex industria, & studiosè non vult addiscere vt liberius peccet, vel quia parũ pẽdet ea, quæ scire tenetur. Facit illud. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Hæc in omnium sententia nullatenus excusat à peccato, neque pœna, cum sit ex malitia, atque temeritate, & voluntarium augeat. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 40. Bonac. *q.* 2. *de cens. p.* 1. *n.* 10. Portell. *ver. ignorantia num.* 29. Ignorantia affectata æquiparatur scientiæ *c. Cum inhibitio* 3. *de cland. dispon*

36 37 38 39 40 41 42 43

44 *despon. cap. Eos 2. de temp. ordin. in 6. cap. Hac consideratione, de off. de leg. in 6.* Clem. 1. *de consang. ver. scienter.*

His hactenus in medium productis de ignorantia pro resolutione quæstionis, an locum habeat in perpetratione hæresis, communis est sententia Theo-
45 logorum ignorantiam crassam excusare à peccato hæresis, vt ex Cano, Bannes Valent. & aliis refert Sayr. *lib. 3. de Censur. cap. 4. num.* 15. Becan. *cap. 14. q. 2. de hæresi num.* 15. Carena *part. 2. tit. 1. de hæresi num. 66. & 67.* vbi ait hoc idem docere de ignorantia affectata, quos sequitur Diana *par. 4. tract. 7. resolut.* 36. vbi hanc materiam eruditissimè, & claré tractat, & Sanch. *lib. 2. cap. 7. num.* 20.

In contrarium, quod ignorantia vincibilis
46 crassa, seu affectata non excuset ab hæresi, sunt Sotus, Lorca, Toletus, Felinus Anchar, & alij citati à Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 36. *Bassæus v. Hæresis* 4.

47 ℞. Ignorantia crassa, & affectata non excusant à peccato hæresis, quod verum puto in vtroque foro. Probatur, Tum quia non maius voluntarium, & cognitio requiritur in perpetratione hæresis, quam aliorum peccatorum mortalium, sed ignorantia crassa, & affectata includit voluntarium, & cognitionem sufficientem ad alia peccata committenda, ex dictis superius, ergo & ad peccatum hæresis. Maior probatur, quia omnia peccata hoc commune habent, quod nullum eorum potest esse sine voluntario, quod est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, ergo nullum peccatum committi potest, nisi cognoscatur esse contra legem id, quod fit, vel omittitur? ideo enim ego pecco non ieiunando hodie, quia scio, vel dubito esse præceptum ieiunij, & nihilominus volo comedere, nulla adhibita diligentia ex parte dubij, sit ne præceptum, ergo non maior scientia requiritur ex parte vnius actus, quam alterius, vt exeat in peccatum.

Respondet Becan *cap. 14. de fide quæst. 2. num.* 17. & ex eo Diana *part. 4. tract. 7. resol. 36. §. Restat*, esse disparem rationem inter hæresim, & alia peccata, quia de ratione hæresis est pertinacia, at nemo in rebus fidei est pertinax, nisi sciat, & aduertat se sentire contra Ecclesiam, quare qui hoc ignorat pertinax non est, & consequenter nec hæreticus? at verò pertinax non est ratione aliorum peccatorum, ac propterea committuntur alia peccata non est necesse quod peccans aduertat se delinquere contra legem Dei, sed satis est, si aduertat, vel possit, ac debeat aduertere.

48 Contra est, quia hæc responsio supponit actualem, & claram cognitionem articulorum fidei, qui negantur ab hæretico formali, quod tamen falsum est, quia sufficit confusa, quæ oritur ex dubitatione vel suspicione, an aliquid sit de fide? siquidem si ego dubito, an de fide sit definitum quod anima rationalis sit immortalis, & non curo venire in illius cognitionem, sed firmiter teneo, esse mortalem, contra definitum in sacris literis, certè sum formaliter hæreticus, quia in omnium sententia operans cum dubia conscientia peccat eodem genere peccati, quo peccaret, si notitiam certam haberet, illud, quod dicit, esse peccatum contra fidem, siquidem habet prauum affectum ad peccatum & se exponendo periculo peccat mortaliter. Ita omnes Nau. *tom. 3. in cap. Si quis dist. 7. c. 4. num.* 61, Sanch. *lib. 1. cap. 10. num.* 2. Bonac. *de conscientia dub. num. 3. & 7.* Becan. *de bonit. act. intern. q. 8. n.* 5. Igitur si conscientia dubia operans in aliis peccat eodem genere peccati, quo claré, & scienter alter malè operans inficitur; quare hæreticus non erit, qui dubitās, an anima rationalis sit immortalis, nulla posita diligentia inquirendi veritatem ad deponendum dubium, firmiter asserit, esse mortalem? Licet enim certò non sciat definitionem Ecclesiæ, scit tamen, aut ex illo dubio tenetur scire, se non posse operari cum ea conscientia, ac proinde sic operans malè affectus est contra fidem. Nec dicas, peccare contra præceptum affirmatiuum sciendi articulos fidei, non verò negatiuum non negandi fidem. Quia hæc ignorantia non specificatur exclusione sciendorum, sed per ordinem ad hæresim. Deinde
hæc pertinacia vt dicit cognitionem, seu vt potius 49
illam supponit de articulis fidei non est quid peculiare ipsius hæresis constitutiuum, sed qui commune illi cum cæteris peccatis in ratione transgressionis, cum omne peccatum sit voluntaria legis violatio, ac proinde voluntate approbante, & intellectu sciente, aduertente, siue distinctè, siue confusè; ea est ratio, quia hæresis specificatur, & distinguitur à quibuscumque aliis peccatis etiam Iudaismi, & Paganismi, per hoc, quod est error baptizati partialiter contrarius fidei, si enim deesset ratio baptismi, non esset hæresis, sed alterius speciei peccatum, ergo non est quid speciale, & proprium solius hæresis. Concluditur ex dictis, illum dici pertinacem, qui contradicit articulis fidei, non solum à se claré scitis, sed etiam à se dubitatis, extent ne ab Ecclesia definiti.

Contra secundò, quia ex responsione illorum verborum? *Satis est, si aduertat, vel possit, ac debeat aduertere*: exenatur quæstio satis difficilis.
An nimirum, vt ignorantia dicatur Vincibilis 50
sufficiat, vt ignorans habeat debitum sciendi, seu aduertendi? Quam affirmant Valent. Zumel, Curiel, Gordonus cum aliis relatis à Diana *part. 4. tract. 4. resolut*, 36. à Sanch. *lib. 1. cap. 16. num.* 20.

Negantem verò sufficere debitum, sed prærequiri aliquam cognitionem, aut dubitationem de malitia, seu obligatione docent Sanch. & multi alij nimirum Salas. Vasq. Portellus, Palans, Alnar. Coninch. Sayr. Tanner. Laymann, quos pro se citat Diana supra. Et hæc posterior opinio verior est, quia impossibile est, vt vincam, quod pænitus ignoro, & mihi memoriæ non occurrit, præcedere ergo debet aliqua consideratio, seu dubitatio de re, quam ignoro, vt diligentia procurare valeam vincere ignorantiam, aut de vincibili facere inuincibilem, si non potero scire, quod sciendum est. Ex quo illud
iuris axioma. *Paria sunt scire, ab debere scire*. inter- 51
pretatur verum, si præcessit aliqua Cogitatio, seu dubitatio, Sanch. *cit. n.* 24. Bonac. *disp. 2. de leg. q. 2. p. 3. n. 12. & q. 2. de cens. part. 4. num.* 7. His præmissis impugnatur responsio *primò* quidem, quia nullus ab homine exit actus cum malitia, & peccaminosus, nisi præcognoscatur, aut saltem dubitetur de malitia eius, quia nullum peccatum, nisi voluntarium, quod est cum aduertentia rationis ex definitione eiusdem, ergo nulla est ratio distinguendi, quod hæresis prærequirat cognitionem, quod eius error sit contra fidem, & non alia peccata respectu quorum volunt sufficere debitum aduertendi. *Secundò*, posterior opinio, vt dixi, prærequirens aliquam cogitationem, aut dubitationem est verior ex adductis rationibus, ergo ignorantia vincibilis in hoc sensu includet sufficientem cognitionem ad hoc, vt quis dicatur pertinaciter, hoc est, scienter discredere articulos fidei, de quibus dubitatur, sint ne tales, ergo firmiter asserens oppositum hæreticus est, quia occurrit menti dubitatio, an faciat contra fidem, & nihilominus firmiter assentitur vni parti contra aliam forsan

determinatam de fide. *Tertiò*, Diana cum aliis ita distinguentibus sibi contradicit, dum in alio loco suprácitato tenet, ad ignorantiam vincibilem non sufficere debitum aduertendi, sed requiri aliquam cogitationem, aut dubitationem, seu scrupulum de malitia, seu obligatione, vel lege, seu præcepto obligante.

52 Concludendum ergo ex dictis, pertinaciam ad hæresim requisitam esse firmum consensum, quo quis adhæret suæ opinioni, quàm scit, esse aut saltem dubitat, posse esse contra oppositam de fide determinatam. Vide Graff. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 25.

53 Prædicta scilicet ignorantiam vincibilem crassam, & affectatam non excusare à peccato hæresis, non solùm vera sunt in foro animæ, sed etiam in foro externo, & à fortiori, quia omnia iura reprobant ignorantiam crassam, & affectatam ex dictis suprà sub *num.* 36. *ad* 45. Et ita docent Carena *part.* 2. *tit.* 1. *de hæresi*, *num.* 68. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 36. *§. Notandum.* Asserens igitur se ex ignorantia negasse aliquos fidei articulos, quia nesciebat esse contra fidem, non auditur, sed præsumitur scienter illis contradixisse, quando illi articuli sunt de genere illorum, quos quilibet fidelis tenetur explicitè scire. Ita Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. *q.* 7. Farin. *q.* 179. *num.* 34. Pegna *par.* 1. Direct. *q.* 7. *num.* 22. ex illis Sousa *lib.* 1. Aphor. *cap.* 12. *n.* 14.

Quæres 7. Vt quis sit, & dicatur hæreticus, necessarium sit, quod priùs admoneatur de suo errore, & tunc si velit in eo permanere deinceps censendus sit hæreticus saltem in foro externo? Alciatus *in l.* 2. *C. de Summa Trinit. num.* 3. Menochius *vol.* 2. *consil.* 149. *num.* 3. cum aliis, falsò asserunt, vt quis sit hæreticus requiri monitionem. Petrus de Arrag. 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. *concl.* 2. Sanct. *de hæresi, cap.* 1. *dub.* 4. *n.* 18. asserunt, prædictos loqui pro foro externo.

54 ℞. Huiusmodi admonitio ad constituendum aliquem hæreticum etiam in foro externo non est necessaria, sed sufficit, quod ille discredat id, quòd scit, vel saltem dubitat esse definitum ab Ecclesia; quòd probatur, Tum quia hæresis est error contrarius fidei articulis scitis, vel dubitatis ab hæreticante; ergo primò exit in suo esse essentiali, absque alia monitione. Tum quia sic iudicans scit se agere contra fidem, antequam admoneatur, ergo hæc admonitio non concurrit ad dandum hæresi suum esse. Tum quia, vt inquit Diana *par.* 8. *tract.* 7. *Resol.* 36. *§. Tertia opinio*, paucos admodum puniret Tribunal S. Inquisitionis, quia omnes admoniti, ab hæresi recederent, non amore Dei, sed propter timorem pœnarum, ac proinde id redundaret in damnum grauissimum reipublicæ Christianæ, quia ille recessus non esset ex animo, sed fictus, & simulatus. Ita Paramus de origine Inquisit. *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. *num.* 5. Lorca *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *disp.* 41. *n.* 8. & alij omnes, quos citat Diana *par.* 4. *tract.* 7. *Resol.* 36. *§. Tertia.*

Quæres 8. An tenens aliquid contra fidem, sed paratus corrigi, dicendus sit hæreticus? Glosa *fin. in cap. Dixit* 29. 24. *q.* 1. & *ver. Emendari, cap. Hæc est.* 14. *ead. quæst.* 1. & prima Glosa citat nonnullos doctores.

55 ℞. Si tenet scienter, vel dubitanter aliquid contra fidem, quamuis sit paratus corrigi, adhuc est verè hæreticus. Tum quia scit, vel dubitat, se discredere articulis fidei, quorum cognitionem, aut saltem dubitationem habet, ergo est verè hæreticus. Tum quia huiusmodi præparatio est potiùs simulata pallians vitium hæresis, quàm quod illam destruat, hoc ipso, quòd consultò discredit articulis fidei cum illa præparatione ad correctionem, quæ nihil prodest ad destructionem, vel impediendam hæresim, ne exeat in actum. Quare prædictæ glosæ, & alij doctores intelligendi sunt de eo, qui tenet aliquid contra fidem, ignorans, nec dubitans esse contra fidem, paratus enim corrigi admonitus de errore, non est hæreticus, ad quod faciunt duæ auctoritates D. Aug. allatæ suprà *q.* 5. & illud eiusdem dictum. *Errare possum, sed hæreticus non ero*, explicatum sub *n.* 23. Ita omnes, quos citat Farin. *quæst.* 179. initio.

Quæres 9. Sibi firmiter persuadens id quod credit, non esse contra fidem, an admonitus de errore ab Episcopo, vel Inquisitore, seu à viro docto, vel à Parocho, si sit homo indoctus, sit hæreticus, si velit adhuc permanere in sua opinione, putans se benè, & rectè opinari, & prædictos malè sentire.

℞. Est hæreticus non solùm in foro externo, sed 56
etiam in foro conscientiæ modo id, quod discredit, sit articulus fidei ab Ecclesia definitum, & sit inter Catholicos educatus Christianus. Probatur, quia error, quem habet in intellectu, aliàs materialis, incipit esse formalis, & pertinax, posita instructione illorum virorum, licèt enim illis nolit credere, tamen rationabiliter mens eius excitatur ad dubitandum, sit ne contra fidem eius opinio, vnde debet ex tunc animum præparare ad sentiendum oppositum, vel veritatem rei perquirere, ergo persistendo in sua credulitate agit contra conscientiam, ac proinde fit hæreticus per illum superuenientem scrupulum. Confirmatur, quia tenetur illis credere, ac proinde scit suam opinionem contradicere fidei, ergo est hæreticus. Antecedens probatur. Tum quia prædicti om- 57
nes habent rationem magistri, cui credendum est, oportet enim, inquit Philosophus, addiscentem credere. Tum quia rustici, & alij simplices, & rudes homines tenentur credere, ac proinde obseruare præceptum ieiunij tali die occurrens, aliter peccant mortaliter faciendo contra præceptum ieiunij, ergo & in casu præsenti credere suam opinionem aduersari fidei, cùm vtrobique audiat adesse præceptum ieiunandi, & non negandi fidem, & non est maior ratio cur vnum debeat credere, & iuxta illud sentire & operari, & non alterum. Tum quia vnicuique in sua arte, & scienti experto, & versato credendum est, *l. Septima, ff. de statu homin.* Tum quia personis fide dignis in non præiudicialibus credendum est, maximè cum credere prodest, & discredere nocere potest, arg. *l. In creditore* 38. *de euict.* Tum quia sicut præfati credunt pœnitenti pro se, & contra se, vt omnes docent cum Nauar. *cap.* 17. *num.* 150. *& tom.* 3. *in cap. Placuit dist.* 6. *à num.* 171. ergo & pœnitens illis credere debet, cùm agatur de salute animæ eius. Tum quia in his alicui credendum est, non semper autem in promptu habemus Papam, neque expedit Concilium congregare, ergo credendum est illis, qui ex officio, vel quasi mysteriis fidei alios imbuunt, quibus non credere impium est, dicente Leone Papa relato *cap. Quid* 30. 24 *q.* 3. *Quid autem iniquius est, quàm impia sapere, & sapientioribus, doctioribúsque non credere.* Tum quia D. August. cuius sententias ad verbum retuli sub 9. dicit, illos esse hæreticos, qui non curant emendare suos errores, cùm deueniant in cognitionem, illos esse contra fidem. Tum quia ignorantis conditio est, vt scientibus debeat credere, cùm ab istis erudiantur imperiti. Tum quia nemo debet inniti propriæ prudentiæ, sed aliorum consiliis vti, & acquiescere, *cap. Ne innitaris* 5. *de constit.* Prædicta autem puto vera non solùm respectu Episcoporum, Inquisitorum, Theologorum, Parochorum, Confessariorum, quibus ex officio incumbit instruere fideles, sed etiam aliis quibuscumque personis, quæ sunt fide dignæ, & profitentur præ aliis cognitionem mysteriorum fidei, & sunt Magistri, Concionatores, Parentes, maiores, &c. Ita

doset

docet Rebuffus in Bulla excom. 1. *ver. Hæreticus*, Vgolin. *part.* 2. *cap.* 1. §. 1. *num.* 10. Duard. *lib.* 2. *can.* 1. *q.* 25. *num.* 4. Farin. *q.* 169. *num.* 10. quos, & alios citat contra se Diana *p.* 4. *tr.* 7. *resolut.* 36. §. *Secunda*, alios plures citat Pasqualig. *pro se decis.* 162. & 163.

Contrariam sententiam, hunc admonitum nolle mutare opinionem non esse hæreticum docent Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 11. *par.* 1. *ff.* 4. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 25. Sanct. *cap.* 1. *de hæret. dub.* 6. *num.* 28. Sayr. *lib.* 3. *de censur*, *cap.* 4. *num.* 17. & alij plures apud Pasqual. & Dianam. Ratio est, Tum quia, qui citò credit, leuis est corde, Eccl. *cap.* 19. non enim facilè credendum est, *cap. Si quid* 23. *dist.* 86. & facilitas credendi imputatur, Glos. *ver. credulus*, *cap.* 1. 16. *quæst.* 2. Tum quia nisi quis credat, se opinari contra Ecclesiæ Doctrinam, non est hæreticus pertinax. Tum quia solius Ecclesiæ, inquit, Sanchez, ac Pontificis est res fide tenendas definire, cæteri autem fallere, & falli possunt, cum hic ergo certæ regulæ fidei non contradicat, minimè erit pertinax, neque hæreticus.

58 Respondetur ad primum, eum esse leuem corde, qui sine aliquo rationis motiuo credit, maximè in præiudicialibus sibi, vel alteri, vt colligitur ex *cap.* Innocens 23. 22. *quæst.* 4. iuncta Glosa, modò in re nostra credere nulli fit præiudicium, sed maximè consulitur conscientiæ proximi, & non sine ratione persuadetur veritas. Ad secundum verùm quidem est, eum non esse hæreticum, qui credit se non opinari contra doctrinam Ecclesiæ, sed admonitus de veritate, non amplius dicitur de iure, & rationabiliter credere, se non opinari contra doctrinam fidei, nisi voluntariè, & irrationabiliter, sine vllo fundamento, per illam siquidem instructionem saltem debet alterare suum iudicium, ad minus dubitando de veritate suæ opinionis, an sit contra fidem, ac proindè ne euadat hæreticus debet cessare ab ea opinione, ne faciat contra conscientiam, & incurrat hæresim. Deinde non est maior ratio cur debeat magis credere sibi, quam aliis imò maior ratio suadet credendum esse aliis, qui illo doctiores sunt. Ad tertium, Sanchez supponit ex suo argumento illum articulum, contra quem opinatur admonitus, non esse definitum, dum dicit, solius Ecclesiæ, ac Pontificis esse res fidei definire, quia cæteri fallere, & falli possunt, ex quo aberrat à quæstione, nam certum apud omnes est nullum esse hæreticum, nisi qui contra dicit articulis, & propositionibus iam ab Ecclesia definitis, & aliter non est intelligenda quæstio.

Quare bene dixi in responsione, putantem se non tenere contra fidem, admonitum fieri hæreticum, si non reuocet suam opinionem, quando opinatur contra articulum iam ab Ecclesia definitum; ex quo qui opinatur B. V. Mariam Conceptam fuisse in peccato mortali, hæreticus non est, neque oppositum sentiens, quia ab Ecclesia iste articulus nondum definitus est. Similiter quæstio locum non habet, vbi propositio aliqua controuertitur an
59 sit articulus fidei ex definitis, e. g. in opinione doctorum est, an hic sit articulus fidei. *Innocen. X. est Pontifex Romanus.* Affirmaui ego *c.* 5 *q.* 52. aliis negantibus, nam tenens vnam partem contra aliam non est censendus hæreticus, quia res cum sit in opinione ac proinde tam negans, quam affirmans prudenter iudicent, hæresim non incurrunt, quia habent pro obiecto negato non verum articulum, sed opinabilem.

Addidi præterea in responsione, hunc baptizatum debere esse educatum inter Catholicos, nam de aliis alia est ratio, vt dicam sequenti quæstione.

Nonnulli doctores Conciliant prædictas opiniones, asserentes, illum in foro externo esse hæreticum, qui admonitus non vult relinquere suam opinionem, nequaquam vero in foro conscientiæ, & hæc placet Dianæ *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 36. §. *Tertia*, vbi citat Merollam, Suarez Vasq. & Lorcam, & citat *cap. Ad abolendam de hæret.* Sed hæc differentia ex illo capite non colligitur, vt constat illud legenti; vnde in vtroq. foro censendus est hæreticus, vt bene docet Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *par.* 2. *num.* 6 illud suadetur, quia vtriusque fori idem iudicium est faciendum, nisi aliqua specialis ratio vrgeat in contrarium, & quando externum non fundatur in præsumptione Nau. *tom.* 3. *in cap. Si quis autem*, *n.* 36. Sayr. *lib.* 1. Clauis *cap.* 13. *num.* 24. Sanch. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Sed hic nulla diuersitas, nec præsumptio locum habet, siquidem certum est, negotium totius rei dependere præcisè ab iisdem circunstantiis, conditionibus, & motiuis respectu vtriusque fori, illæ enim rationes, quæ suadent iudicem fori externi ad iudicandum opinantem hæreticum, eædem inducunt iudicem fori interni ad inferendum, eumdem esse hæreticum, in vtroque enim foro asserit se velle permanere in sua opinione, quia credit, eam non esse contra fidem, ex parte autem rei, aut eius opinio est contra fidem, vel non; si est, ergo admonitus perseuerans in sua opinione, in vtroque foro hæreticus est, quia debet scire, ac proinde scit, se opinari contra fidem, consequenter hoc iudicium fieri debet in vtroque foro, cum procedatur in re ab vtroque per idem motiuum, quod constat esse verum? si verò non est contra, non amplius sumus in casu.

Quæres 10. An Baptizati inter infideles educati, siuè sint ex Catholicis, siuè ex Hæreticis, siuè ex Hæbreis, seu Paganis non Baptizati, admoniti perseuerãtes nihilominus in suis erroribus fiant infideles contrariæ, hoc est, illis imputetur eorum incredulitas? An verò, vt illis imputetur ad culpam vrgentiorem, & diligentiorem admonitionem, & instructionem postulent? Quod est etiam quærere quandonam fides Catholica istis dicatur sufficienter proposita, vt teneantur illi adhærere, relinquendo proprios errores? *Vide cap.* 8. *quæst.* 75. *de hac re clarius.*

℟. primò, Hebræi, & Hæretici cum Catholicis 60
commixti non egent instructione respectu quorumdam articulorum, qui communiter celebrantur in Ecclesia, ipsis videntibus, cuiusmodi sunt mysteria vnitatis, & Trinitatis Dei, Incarnatio Filij Dei, mors, & eiusdem resurrectio; item Sacramenta præsertim Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, pariter potestas vnius Romani Pontificis, hæc enim ita notoria sunt, Iudæis, & Hæreticis cum Catholicis commorantibus, sicut eisdem Christianis, ergo illis fides supponitur sufficienter proposita, in tantum enim fidei mysteria alicui proponuntur credenda, in quantum de eis nullam, aut modicam habet cognitionem. Confirmatur, quia inter nos conuersantes vident talia signa, ex quibus colligitur fidem nostram esse illam, quæ necessaria est ad salutem, aut ad minus, Catholicam esse meliorem, & perfectiorem sectis illorum, ergo sine alia instructione tenentur hanc sequi, relicta priori falsa, & inani. Respectu verò aliorum articulorum non ita celebriorum sufficienter dicuntur instrui per rationes illos persuadentes, & confutationem errorum, quos illi tenent, iuxta dicta præcedenti quæstione. Ita quod isti cum Catholicis æquiparantur, vtrique enim edocti de veritate alicuius

alicuius articuli, cui ignoranter contradicebant, tenentur illi adhærere, relicta propria opinione tamquam errore contra fidem. Confirmatur; quia Iudæi, Hæretici inter Catholicos commixti, non habent ea signa in suis sectis quibus probare possint, eorum sectam, & fidem esse meliorem nostra, sicut Catholica Ecclesia Romana, quibus corroboratur, & magis confirmatur, fidem Catholicam absolutè esse eam, ex qua omnium salus dependet, & quæ
61 pro aliis est perfectior, & melior, hæc autem signa principalia sunt tria martyrum tot virorum, & fœminarum pro amore Christi interfectorum, gloria miraculorum, quibus Deus per suos seruos dignatur facere, quibus illustrator Ecclesia, & Sanctorum Canonizatio, quorum meritis, & intercessione cæteri Christi fideles in virtutibus proficiunt. Hæretici autem & Iudæi cum cæteris infidelibus istis carent, & nihilominus cum hæc illis, qui inter nos viuuunt, nota sint, necessariò, debent inferre nostram fidem illorum esse meliorem, ac proinde teneri propriam deserere, & nostram
62 acceptare,

℞. Secundo, infidelibus in remotissimis partibus à nobis, tunc censetur fides sufficienter proposita, quando illis fuit prædicata optimis rationibus, contrariorum confutatione, & vitæ probitate confirmata. Ratio est, quia de nostra fide nullam, aut modicam cognitionem habent, eámque confusam, & in sua sunt bene instructi, ergo veram fidem efficientibus rationibus, & aliis signis ita edocendi sunt, vt per hæc eorum intellectus moueri possit ad credendum Catholicam esse meliorem, & necessariam ad salutem, & illorum propriam nullam esse, & vanam, bene Laymann *lib. 2. tract. 1. cap. 10. §. Secundo*, & pro se citat Bannez *22. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 3. & 4.* Quare cognito, quod nostra sit melior, illam sequi debeat, propria relicta.

Quæres 11. An infidelis cognitis conditionibus vtriusque fidei nostræ, & propriæ, putans nostram esse probabiliorem, suam verò propriam esse minus probabilem, tenentur relinquere suam, & nostræ fidei vti probabiliori adhærere? Excepto mortis articulo negat Sanch. *lib. 2. cap. 1. num. 6.* extra hunc casum putat, posse sine pecccato persistere in sua, quem sequitur Malderus 2. 2. *quæst. 2. art. 7.* Sanch. alter *disp. 19. num. 6.* reiiciens *num. 8.* casum mortis exceptum prædicti Sanchez Iesuitæ. Aliud non videntur habere fundamentum, nisi illud, quod ex duabus opinionibus, licet sequi probabilem relicta probabiliore, quia cum tunc prudenter agat, non
63 peccat.

℞. Quamuis infidelis putet propriam esse bonam, sed non meliorem nostra, adhuc eam relinquere tenetur, Ratio est quia non potest relinqui probabilior opinio, quando ex eius omissione sequi potest damnum irreparabile salutis, vt docent Sayr, *lib. 1.* Clauis *cap. 6. num. 6.* Becan. *tract. 1. de Bonit actuum quæst. 9. num. 13.* Sanch. *lib 1. cap. 9. num. 33. & 34.* Bonac. *quæst. 4. de peccat. par. 9. n. 5.* imminente ergo aliquo periculo salutis, cui alio modo occurri non possit, vt in præsenti casu, probabilior opinio sequenda est. Præterea ista duo indicia non se habent, vt duæ opiniones, sed vt veritas, & falsitas, quia non est opinabile neque absolutè, neque respectu prudentis, quod fides Catholica sit melior alterius sectæ fide, hoc enim opinari comparatiuè est alienam fidem, quæ nulla, & manis est, facere vtilem, & bonam, sed fides Catholica simpliciter ita est bona, vt nulla alia illi opposita nec speciem bonitatis præ se ferat, neque in se, neque ad intellectum alicuius, qui hoc ti ratione moueri, ergo non bene supponitur, vel prudenter iudicare non potest, nec aliqua sufficienfit comparatio inter duas opiniones, cum nulla earum, adsit in casu nostro, sed ad inuicem se habeant, vt veritas, & error. Deindè eneruatur veritas, & vnitas fidei nostræ, dum admittitur sub nomine opinionis probabilis, quod constat esse simpliciter error. Insuper hæretici possent se tueri huiusmodi opinionibus, ponendo in discrimen fidem Christianam, asserendo eorum dicta non esse quidem errores, neque hæreses, sed tantum opiniones minus probabiles, quam sint dicta, & articuli Catholicorum, ac proindè vnumquemque posse permanere in sua opinione. Relinquendæ sunt igitur huiusmodi opiniones magis metaphysicales, quam veræ, & reales. Vide Laymann *lib. 2. tr. 1. c. 10. §. Sed hec* impugnantem Sanch.

Quæres 12. An patientes graues tentationes contra fidem sint hæretici? 64

℞. Si eas patiantur contra suam voluntatem semper illi resistendo, & numquam consentiendo diabolicis suggestionibus sine dubio in omnium sententia nullatenus peccant, quia ad peccandum requiritur voluntatis consensus, & approbatio, ac proinde neque possunt dici hæretici, cùm huiusmodi tentationes non sint errores voluntarij. Ita omnes 65
cum Sanch. *lib. 2. cap. 7. num. 13.* Laymann *lib. 2. tract. 1. cap. 12. num. 5.* Protestatio formalis facta à Pœnitente coram Confessario, aut etiam per se, qua exprimit, se numquam velle tentationibus assentiri, sed potius mori, valde releuat tentatum à periculo incurrendi in hæresim, ideo ea præmissa, nō debet esse scrupulosus, & anxius in narrandis huiusmodi confessario, sed illas potest, & vt plurimum debet reticere, contemnendo, vt sic enim euanescunt cum phantasmatibus. Vide Carenam *par. 2. tit. 1. §. 4. à n. 19.*

Quæres 13. An sit hæreticus ille, qui paratus est ab Ecclesia corrigi, modo conuincatur in sua opinione 66
argumentis?

℞. Est hæreticus, quia iste Ecclesiæ minus credit, quam conuincenti illum argumentis, virtute quorum intendit, deserere suum errorem, non ex eo, quod sit, seu aduertit esse contra veritatem Catholicam. Deindè veritatem naturalem, seu opinionem hominum anteponit veritati Ecclesiæ, quæ est veritas procedens de ore Dei, quod est maximum sacrilegium, ergo est hæreticus. Ita aliis citatis per Sanch. *lib. 2. cap. 7. num. 6.* quia iste contradicit pertinaciter authoritati Ecclesiæ, dum vim argumentorum, vel auctoritatem vnius hominis mendacis vult præferre veritati Ecclesiæ Catholicæ.

Quæres 14. An hæresis committatur non solum mentis assensu, an etiam verbis, & factis, vt lacerando imagines, blasphemando hære- 67
ticaliter, &c.

℞. Hæresis formaliter committitur per solum intellectus iudicium voluntatis approbatione, quia hæresis est error ab intellectu productus ex consensu voluntatis, vt constat ex eius definitione? quare ex quouis dicto, seu facto quantumuis enormi non oritur hæresis, nisi error sit in intellectu, vt docent omnes cum Silu. *ver. Hæresis num. 4.* Graff. *par. 1. lib. 1. cap. 8. num. 2.* Ricciull. *lib. 5. cap. 1. num. 11.* Corduba *lib. 4. quæst. 16. §. 7.* dicens hæresim propriè non consistere in operibus, Carena *par. 2. tit. 1. de heret. num. 4.* Vnde factum vel dictum sine errore in intellectu numquam facit hominem formaliter hæreticum? hinc baptizare magnetem, & imaginem, adorare dæmones, conculcare Corpus Christi sortilegia, & incantationes facere, atque huiusmodi

di numquam hominem constituunt hæreticum formalem tam in foro conscientiæ, quam in foro externo; verum quidem est, quod huiusmodi signa reddunt talia operantem vehementer, quandoque vehementissime suspectum de hæresi, vt dicam suo loco.

Quæres 15. An mente firmiter tenens, Christum esse verè hominem, si ore exterius proferat, falsa est hæc propositio: *Christus est homo*, sit verè hæreticus?

68 ℞. Iste peccat mortaliter ea verba proferens in conspectu hominum, vel quando tenetur fidem exterius fateri, iuxta quod dixi *cap.1.q.29.* non est tamen hæreticus in foro conscientiæ, quia non habet errorem in intellectu, quod est necessarium ad constituendum aliquem vere hæreticum, sed tantum in ore, & labiis, ita docent Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 5.* Nauar. *cap. 27. n. 56.* quos pro se citat Ricciul. *lib. 5. cap. 3. num. 1.* In foro autem externo à iudicibus habebitur hæreticus formalis ex confessione proprij oris, qua nulla est verior probatio ista, *l. Generaliter, C. de non num pecun. cap. Per suas, de probat.* Cœphal. *vol. 2. consil. 192. num. 8.* Tum quia iudex de externis iudicium fert, non de occultis, cum secundum allegata, & probata sententiam debeat ferre, ex vulgatis iuribus. Tum quia mens talis præsumitur, qualia sunt verba illam indicantia, siquidem voces sunt signa earum passionum, quas in anima habemus, secundum Philosophum, *l. habeo, §. Idem Tubero, ff. de suppell.* Ita Ricciul. *lib 5. cap. 3.* interpretatur Caiet. *2.2. q. 11. art. 2. fine, & q. 94. art. 1.* ad finem, asserentem esse hæreticum. Quare cum huiusmodi dictum aliter explicari non possit, quam directè præ se ferens formalem hæresim, inducit in reum huius criminis omnes pœnas, quibus hæretici afficiuntur.

Quæres 16. An negans propositionem siue veram, siue falsam, quam putat esse contra fidem, quæ reuera non est, sit hæreticus.

69 ℞. Non est hæreticus formaliter, sed tantum suspectus vehementissime de hæresi, ex quo mortaliter peccat contra fidem ex conscientia erronea.

Prima pars, quod non sit hæreticus formaliter probatur. Tum quia, in tantum quis est hæreticus, in quantum errorem habet in intellectu contra ea, quæ sunt definita de fide, vt constat in omnium sententia ex definitione hæresis, sed certum est, eas propositiones non esse definitas de fide; ergo illas negans non est hæreticus formaliter. Tum quia, sicut percutiens laicum, quem putat clericum, qui reuera non est, non incurrit excommunicationem ob iniectionem manuum violentarum in clericum, quia hæc non solum prauum animi affectum postulat, verum etiam realitatem qualitatis repertæ in obiecto, esto enim sit sacrilegium ex parte conscientiæ erroneæ, non tamen ex parte obiecti, & actus externi, quod necessarium est secundum omnes ad incurrendam censuram, quia censura afficit subiectum secundum veritatem actus externi, non secundum conceptionem mentis errantis; ita negans propositionem conceptam de fide, cum reuera non sit, excusatur ab hæresi formali, quæ inducit excommunicationem, & alias pœnas. Nec responsio Sanchez *lib. 2. cap. 7. n. 30.* quem sequuntur Farinac. *q. 179. num. 2.* Carena *part. 2. tit. 1. de hæresi, num. 75.* Ricciul. *lib. 5. cap. 5. num. 7.* dicendo, credentem falsò se percutere clericum, cum is verè laicus sit, non incurrere excommunicationem, quia hic non est verus clerici percussor, at ille est verus hæreticus; placet, quia hoc est in quæstione, an sit hæreticus verus, quem Sanchez putat verum hæreticum, id autem est vitium in argumentatione, supponere verum, quod controuertitur, in solutione rationum. Quare enim percussor iste non est sacrilegus externe respectu passi, nisi quia non est clericus, sed merus laicus? Pari ratione, negans propositionem à se putatam de fide, quæ non est, externè non contrahit malitiam ab obiecto specificatam, quia reuera ea propositio non est de fide, sed tantum illi imputatur malitia mentaliter, & erroneè concepta, cui nihil ex parte rei respondet, sicut nec respondet ex parte percussi respectu percussionis; ergo propriè non potest dici hæreticus, cum exterius obiectum non detur talis malitiæ capax. Videtur melior responsio Ricciulli *cit. dicentis*, quod excommunicatio non nascitur ex animo, sed ex actu, qui cum tendat in laicum, licet animus feratur in clericum, non causat excommunicationem. Sed reiicitur, quia hæresis non solum oritur ex animo, sed etiam ex actu tendente in propositionem reuera definitam de fide, quæ cum hic realiter non reperiatur, non potest hæresis propriè habere locum. Idem Ricciull. affert tria exempla ad probandum hunc esse hæreticum, dicendo, quod adorans hostiam non consecratam, credens esse consecratam, non est idololatra. Item, venerans corpus, quod credit esse sanctum, & non est, non peccat. Item, obediens Antipapæ, quem putat verum Papam, qui non est, Schismaticus non est. His tanquã maiori præmissis subiungit minorem, at is, qui credit verum, putans illud esse contra fidem, virtualiter habet fidem repugnantem Ecclesiæ, ergo est hæreticus. Ad illa exempla, in quibus fundatur vi argumenti illius, dico, argumentum potius probare contra illum, quia sicut ex illis exemplis agens excusatur à peccato, ita & negans propositionem putatam de fide, cum non sit, excusatur ab hæresi. Ad minorem, habet fidem repugnantem, Ecclesiæ secundum imaginationem non secundum realitatem, cum non adsit verum obiectum, cui repugnet. Hanc vnicus tenet Simanch. *tit. 31. de Catholic. instit. n. 9.* alij apud præcitatos sunt in contrarium.

Secunda pars, quod sit vehementissime suspectus, constat ex eo, quod profitetur per illam negationem se non bene sentire de fide, excusatur autem à formali hæresi ex eo quod à parte rei non reperitur articulus negatus ab Ecclesia propositus de fide.

Tertia pars, quod grauissimè peccet, probatur, 70
quia contemnit veritatem fidei in se, licet illam in totum non destruat, sed tantum in ordine ad fictum articulum, ac si reuera extaret, & cum hoc peccatum proueniat ex conscientia erronea, reducitur ad peccatum violationis fidei; neque hinc sequitur id esse peccatum hæresis, quia non omnis fidei violatio est hæresis, si enim ignoro, quæ teneor scire ex virtute fidei, facio contra virtutem fidei, non tamen sum hæreticus, violatur ergo fides non solum contradicendo articulis fidei, ex quo est hæresis, sed etiam aliis modis, non addiscendo necessaria, non confitendo illam, quando est debitum, vel aliis modis, negando se esse Christianum ob metum mortis, in his peccatum est non hæresis, sed suspicionis hæresis.

Quæres 17. An credens veram aliquam propositionem in se falsam, tenens eam esse de fide, licet de fide sit eius opposita, sit hæreticus? e. g. Quis credit hanc esse de fide. *Pater est maior Filio*, & eam credit. Sic quædam vetula credebat, Trinitatem esse vnam fœminam, & putabat teneri id credere de fide, inquit, Angel. *ver. Fides, n. 6.*

℞. Ita credens ignorantia inuincibili non est hæ- 71
reticus, paratus corrigi, & instrui in veritate rei; probatur, Tum quia, est in bona fide tam ex parte sua, quam ex parte Ecclesiæ, putat enim dicere verum, quia credit Ecclesiam ita tenere. Tum quia, ille dicitur hæreticus, qui contradicit alicui propositioni, quam scit, aut credit esse reuera definitam ab Ecclesia,

sia, sed iste non contradicit formaliter, sed tantum materialiter, imò secundum imaginationem suam putat se accommodare definitioni Ecclesiæ, ergo stante ea bona fide peccat. Tum quia, negans propositionem, quam putat esse ab Ecclesia definitam, licet non sit, peccat, iuxta quod dictum fuit præcedenti quæstione, ergo illam affirmans, & credens non peccat. Consequentia tenet, quia in iure validum est argumentum à contrario sensu, Glosa intelligi, *cap. Cum Apostolica* 7. de iis, quæ fiunt à prælat. Euerard. in hoc loco. Ita docent communiter omnes, quos longa serie enumerat Farin. *q.* 179. initio, homo diligentissimus in citandis doctoribus, cui inseruiunt pro ratione.

Dixi, si laboret ignorantia inuincibili, quali dicitur laborare vulgaris & idiota, si errat in quibusdam articulis, qui non obligant omnes ad sui cognitionem, cuiusmodi sunt illi, qui non sunt in Ecclesia celebriores, patientes aliquam difficultatem ratione subtilitatis, alteriusve conditionis. Vnde isti etiam excusantur in foro externo allegantes ignorantiam, quia illos scire non tenentur, vnde excusantur personæ ordinariæ putantes, Patrem esse senem, Filium iuuenem, hoc illum maiorem, iuxta nostrum intelligendi modum, neque in aliquo videntur suspecti, dum instructi quoquomodo, credunt, quia ita credit, & firmiter tenet Ecclesia Catholica, secundum enim Apostolum per cognitionem creaturarum venimus in cognitionem mysteriorum Dei.

Quæres 18. An vt quis sit propriè, & formaliter hæreticus, necesse sit, quod directè velit sentire contra Ecclesiam? Videtur, quod sic, quia nullus est hæreticus nisi sciat, se sentire contra Ecclesiam, ergo directè vult sentire contra Ecclesiam, voluntas enim cum sit cæca non fertur, nisi in præcognitum.

72 ℞. Sufficit præcisè, quod sciat ad minus dubitatiuè se sentire contra Ecclesiam, quouis deinde fine sentiat, siue ex obstinatione, siue ex vana gloria, siue ex alio fine extrinseco, qui non constituit hæresim in suo esse formali; Ratio est, quia essentia hæresis consistit in contradicere Ecclesiæ articulis scitis, aut saltem dubitatis, in hac autem contradictione non includitur formalis intentio volendi contradicere Ecclesiæ, ergo hæc non facit ad constitutionem hæresis, neque hæretici. Nec obstat ratio dubitandi, quia aliud est contradicere Ecclesiæ, aliud habere directam, & formalem intentionem eidem contradicendi, hoc non est necessarium, illud sic, quod verificatur per solam negationem propositionis cognitæ de fide, absque alio actu directo contra Ecclesiam. Vide Sanch. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. Becan. *cap.* 14. *de fide, q.* 2. *num.* 19.

Quæres 19. An detur paruitas materiæ in hæresi excusans à mortali? Affirmat vnicus Sayr. *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 79. contra communem, & veram, Sanch. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.*... Merollam, Pallaum, & alios cum Diana *part.* 5. *resolut.* 28. *de paru. mater.* hanc non habere locum in hæresi.

73 ℞. Paruitas materiæ non datur in hæresi, quia hæresis ex intentione hæretici putatur verum dogma, licet ex parte rei, & veritatis sit falsissimum, oppositum vero verissimum, quod ex reuelatione Dei habet Ecclesia, existimatur falsum, qualecumque sit illud hæretici, ergo ex hoc sequitur grauissima iniuria contra Deum, qui aut reputatur falsus in reuelando, aut decipere Ecclesiam reuelando illi falsum pro vero, aut Deum non reuelasse, ac proinde tota iniuria refertur in Ecclesiam, quæ definit de fide, ea quæ non sunt reuelata à Deo, consequenter falsa reputatur, & deceptrix in suis definitionibus, quæ omnia grauissimum arguunt sacrilegiũ, quoduis igitur dogma peruersum hæresis peccatũ est mortale grauissimũ nõ obstante quauis materiæ paruitate, quæ non datur. Confirmatur, quia hæresis consistit in propositione falsa contradicens veræ de fide, ergo formaliter destruit veritatem oppositæ de fide, quæ in tantum creditur vera, in quantum est à Deo reuelata, ac proinde destruitur veritas Dei per propositionem hæreticam, sed id arguit peccatum mortale respectu cuiuslibet propositionis hæreticæ, cum singulis insit dicta ratio destructiua veritatis reuelatæ, ergo non potest habere locum paruitas materiæ.

Quæres 20. An dubius in fide sit infidelis, & hæreticus?

℞. Affirmatiuè si deliberate, & consulto dubitet, quod probatur. Tum quia, id clarè dicitur *cap.* 1. *de hæreticis. Dubius in fide est infidelis.* Tum quia, dubitans non habet certum assensum fidei, ergo caret fide, quæ solum perditur per hæresim, ergo sic dubitans est hæreticus. Tum quia, dubitans sumit certa pro incertis, & dubiis, ac proinde destruit substantiam, & essentiam propositionum de fide, quæ in se sunt certissimæ, ac consequenter à nobis vt tales apprehendendæ sunt. Tum quia vt dicit S. Bernardus *lib.* 5. *de consid. cap.* 2. *Fides ambiguum non habet, & si habet fides non est.* Ergo ambigens caret fide. Et D. Aug. *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 5. inquit, *non posse fide Catholica dici fortè de Virgine natus est Christus.* Ita communior turba doctorum grauissimorum, quos pro se citat Farin. *q.* 178. §. 4. per totum, Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 4. Carena *part.* 2. *tit.* 1. *de hæresi, n.* 17. Laymann *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 12. *q.* 1. & alij apud illos. 74

Contrarium sentiunt Sanch. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. Malderus, & Canu. à prædictis citati, quos sequitur Becanus *cap.* 14. *de fide, quæst.* 2. *num.* 7. qui distribuit intellectum dubitantem in negatiuum, quando is apprehendens aliquam propositionem non se determinat ad alteram, sed ad vtramque se habet mere negatiuè, & positiuum, quando iudicat rem sibi propositam esse ambiguam, intellectus positiuè dubitans est hæreticus, non autem negatiuè se habens, quia non assentit, neque dissentit, quod est necessarium ad hæresim, quam intellectus positiuus incurrit, quia iudicat propositionem certam esse ambiguam; Sed hæc distinctio metaphysicalis spectat potius ad intellectum speculatiuum, quam ad practicum, & moralem casus nostri, neque enim intellectus dubitans sterilis est, sed fœcundus, ambiguam reddens rem, circa quam dubitat, consequenter negatiuè se habere non potest, cum ex genere suo intellectus practicus sit operatiuus producens aliquid moraliter redundans in obiectum cognitum, & sic propositionem de fide, circa quam versatur, de certa facit dubiam. Confirmatur id, nam ideò propositæ propositioni de fide assensum non præbet, quia sibi incerta videtur, consequenter ad minus virtualiter iudicat illam dubiam, & ambiguam.

Probat Sanch. quia hæresis dicitur ab electione, sed dubitans neutram partem eligit sed pendulus manet. Confirmat, quia hæresis est error contrarius fidei consistens in assensu, vel dissensu; neutrum est in dubitante. Demum, hæresis & fides sunt duo extrema, illa dissensum, hæc assensum in rebus fidei dicit. Hæ rationes in vnum redactæ probant in dubitante nõ esse actum positiuum contrarium fidei, quod tamen falsum est, quia superius probatum fuit, intellectum dubitantem in moralibus esse semper practicum, ac proinde ponere aliquid in obiecto, circa quod vsquequaque non potest se habere mere negatiuè, sed tandem debet se determinare, cum moraliter operetur, habet enim pro termino ambiguitatem.

Ad auctoritatem iuris respondent tripliciter dubium in fide esse infidelem, primo intelligi de dubitante

tante contrariè, non priuatiuè, seu negatiuè, sed iam dictum est, in practicis dubitantem ponere saltem virtualiter aliquid in obiecto dubitato nempe incertitudinem. Secundo, intelligi pro foro externo ratione præsumptionis, ad quod dici potest, præsumptionem hic locum non habere, quia veritas est in contrarium, constat enim de dubio positiuo. Tertiò, intelligi de dubitante secundum actum reflexum, quatenus iudicat res fidei esse dubias; sed ex dictis patet dubitantem simpliciter quouis modo inuoluere saltem virtualiter iudicium ambiguitatis circa obiectum fidei, qui enim dubitat certum non habet intellectum, ergò incertum & ambiguum, ergo actum positiuum.

Dicerem, cum minus peccet dubitans in fide, quam enixe fidem negans, hic enim pertinax est formaliter, ille virtualiter, & remissius, mitius esse puniendum, iuxta qualitatem dubitationis, & articuli, super quem cadit dubitatio, ne pæna excedat culpam, cui debet proportionari, vnde crederem hunc non esse subiectum excommunicationi, confiscationi bonorum, neque supplicio grauiori mortis, &c.

Quæres 21. An sit hæreticus dicens: Non credo, vel non crederem hoc licèt esset de fide definitum, aut si de fide definiretur? Videtur quod non, quia nihil negatur, quod reuera sit definitum, sed tantum ostenditur voluntas non credendi.

75 ℞. Est hæreticus, quia in primo sensu negat articulum fidei ex suppositione, quod extaret: ergo habet errorem in mente contra fidem, sicut ille dicitur peccare mortaliter, qui facit aliquid ea intentione licèt esset prohibitum, quamuis non sit. In sensu posteriori est etiam hæreticus, quia habet prauum affectum negandi fidem, in quo æquiparatur effectui. Ita Sanch. *l. 2. c. 7 n. 29*, Nald. ex Henriq. *n. 15*.

Quæres 22. An sit hæreticus non credens articulum sibi priuatim reuelatum à Deo?

76 ℞. Non est propriè hæreticus, quia is dicitur, qui negat propositiones ab Ecclesia propositas ad credendum per omnes fideles, sed hæc non proponitur ab Ecclesia, ergo eam discredens hæreticus non est. Tum quia, per fidem vniuersalem Ecclesiæ non tenetur id credere, cum non numeretur inter credenda ab ab Ecclesia: ego speciali fide tantum tenetur, ac proinde non est hæreticus contra Ecclesiam. Ita docent Rhodr. *in Bulla Cruc.* §. 9. *n.* 14. Viuald. *in Bulla casu* 1. *num.* 30. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 17. *dub.* 2. asserens cum Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 9. *q.* 4. proinde non incurrere pænas hæreticorum, quamuis coram Deo sit verè hæreticus, ille subiungit, Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 12. *q.* 2. *conc.* 3. Sanch. *l.* 2. *cap.* 7. *num.* 32. cum Vega, & Catarino tenet hunc esse verè hæreticum pænis subiectum, quia licet Ecclesia illi non proponat speciale sibi reuelatum credendum, nec aliis, omnibus tamen proponit summam Dei veritatem credendam quam hic negat: ergo est hæreticus. Confirmatur, quia iste peccat mortaliter peccato infidelitatis, non iudaismi, aut paganitatis: ergo hæresis, cum alia à prædictis non detur species. Respondetur ad Sanch. in articulo reuelato duo spectari, propositionem reuelatam, & reuelationem ipsam, dum discredit veritatem propositionis, non ideo negat summam veritatem reuelationis in Deo, nisi id intendat, & aduertat, quamuis alioquin ex natura rei id sequatur, consequenter in foro externo suspectus tantum erit de hæresi, & quidem vehementissime ob illam connexionem necessariam, vnde fit, quod non sit dicendus formaliter hæreticus, sed tantum ex suspicione, si aduerteret, & in mente sua assentiretur, Deum in omnibus non esse veracem, iam esset formaliter hæreticus, non ex proposito casu, sed ex hoc nouo conceptu negante veritatem Dei in aliquibus. Ad Confirmationem dico hoc peccatum reduci ad hæresim, non esse tamen formaliter hæresim, quia non est error contra determinata ab Ecclesia, quæ non curat de priuatis reuelationibus, sed de publicis, & communibus tantum, ad quarum conseruationem in sua veritate apposuit pænas graues transgressoribus.

Quæres 23. An negans Christum risibilem sit hæreticus? Proponunt alij hoc modo, an sit hæreticus negans propositionem Theologicam ex vna naturali, & altera de fide collectam? Affirmat Canus *l.* 12. *c.* 9. *Valent.* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 11. *p.* 1. *diff.* 3. Grauina apud Carenam citandum.

℞. Non est hæreticus formalis, sed tantum præsumptus, illud probatur, quia, conclusio negatur vel propter ignorantiam illationis, vel quia principium naturale in omnibus non credit verum, ex Sanch. *l.* 2. *cap.* 7. *num.* 33. Deinde stare potest, vt quis credat omne reuelatum à Deo, cum negatione alicuius propositionis Theologicæ, ex eo quod non videtur rectè deduci ex præmissis, vel principio euidenti, ait Palaus apud Carenam *part.* 2. *tit.* 1. *de haret. n.* 35. Ita Bannes 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Corduba *l.* 1. *q.* 17. *dub.* 3. Sanch. cit. quos pro se citat Layman *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 12. *q.* 5. Portell. *ver. Hæresis n.* 9. Palaus quos pro se vocat Carena, vt supra, Diana *part.* 4 *tr.* 8. *resol.* 79. Cum Villalob. Suar. & Arrag. tenent esse hæreticum præsumptum, quia præsumitur negare conclusionem magis in ordine ad principium fidei, quam naturale, quia Christus est risibilis ex eo, quod est homo, ergo si non est risibilis, neque homo, intellectus enim primario videtur in hoc referri, quam in id tendere, quod non omnis homo sit risibilis. *Christus est risibilis:* non est immediatè, & formaliter de fide, quia nullibi in Sacra Scriptura reperitur expressa, ac proinde negans illam, non fit propriè hæreticus, sed tantum præsumptiuè, & quidem vehementissimè; ob connexionem necessariam risibilitatis cum humanitate? vnde ex Palao Carena asserit hunc hæreticum præsumptum in negatione persistenrem vti hæreticum esse puniendum. 77

Sed numquid prædicta procedunt in formali ratiocinatione tantum, an etiam extra in eo, qui simpliciter negaret Christum esse risibilem? Puto idem iudicium vtriusque, quia ex redditione rationis habetur virtualis illatio argumenti.

Quæres 24. An sit hæreticus proferens verba hæreticalia, ioco, ira, indignatione, aut linguæ lubrico: Ratio dubitandi est, tum quia D. Hieron. dicit, quod ex verbis inordinatis oriuntur hæreses. Tum quia, id maximè apparet in blasphemis auferentibus à Deo, quod habet, aut illi attribuentibus quod non habet? vnde D. Thom. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. dicit, blasphemiam esse contra confessionem fidei, ac proinde committi hæresim à blasphemante.

℞. Proferens huiusmodi verba non est formaliter 78
hæreticus, quia continent orationem imperfectam, ac proinde non includunt assensum, siue dissensum formalem contra fidem, maximè si attendatur locutio in blasphemis, & iurantibus? siquidem hæresis non consistit in qualibet locutione, sed tantum in dissensu contradicente rebus fidei cum adhæsione proprij erroris. Ita omnes. Verum quidem est quod est suspectus de hæresi talia verba proferens secundum magis, & minus attentis circumstantiis personæ loquentis, & significationis verborum, & motiuis, quibus proferuntur. Verba autem hæresim significātia vel sunt expressa, & sic non possunt interpretari in bonum sensum, ex quo neque excusationes, seu exceptiones reorũ admittēdæ sunt ab 79
Inquisitoribus, sed ab illis probandæ sunt, ex Sanct. *de Blasph. c.* 8. *dub.* 2. *n.* 3. & aliis apud Carena *par.* 2. *tit.* 1. *de haret. n.* 72. Vel sunt ambigua apta interpretari in bonum, & malum sensum, tunc in bonum trahenda sunt, *arg. l. Merito ff. pro soc. l. si procurator ff. de condit. indeb.* Nau. *consil.* 6. *de haret. consil.* 15. *de homicid.*

cid. Lazar. 3. *de Blasphem. numer.* 38. & tunc standum est interpretationi proferentis, *l. in ambiguis, ff. de reg. iur. l. Si quis de iud.* ibi: *Si quis intentione, vel oratione ambigua vsus sit, id, quod ei vtilius fuerit, accipiendum est.* Verum id est, nisi aliunde Inquisitor motiuum habeat, sentiendi aliter, vt quando loquens est malæ famæ, aut alias erat falsæ sectæ, vt si Caluinus Ecclesiæ reconciliatus quærendo missam, & non inueniens dicat: *Sola fides sufficit:* præsumptio enim contra eum est, quod adhuc sentiat cum hæreticis, solam fidem sine bonis operibus sufficere ad salutem. Ita Carena *par. 2. tit. 1. de hæresi, n.* 72. Vide suprà *c. 2. n.* 52.

80 Colligitur ex dictis, proferentem ioco hæresim non esse hæreticum, quia ioco facta aut dicta peccatum non inferunt neque iniuriam, *cap.* 2. 15. *q.* 1. neque mendacium reputandum, *cap. Quod autem* 18. 22. *q.* 2. neque inducunt excommunicationem in percutiente ioco, *cap. 1. de sent. excom.* neque confessionem aut obligationem *l. 3. ff. de seruo corrupt. l. obligationem ff. de act. & obligat.* neque pœnam meretur ioco factum, nisi sit noxius, *cap. 1. de præsumpt.* in terminis hæresis Albert, & Pegna, quos citat Sousa *lib. 1. cap. 13. n. 1.* Farin. *q. 179. n.* 40. *Secundò*, non est censendus hæreticus lapsu linguæ labens in verba hæreticalia, quia linguæ lubricum non facilè trahendum ad pænam, *l. Famosi ff. ad leg. Iul. maiest.* & præsumitur verba protulisse inaduertenter, & sine deliberatione, quia linguam ream non facit nisi rea mens;
81 *cap. 3. 22. quæst. 2.* aliis citatis Farinac. *quæst. 179. n.* 41. *Tertiò*, non reputatur hæreticus, qui talia verba profert ex indignatione, ira, magna animi perturbatione, aut dolore: quia hæc omnia mentem valdè perturbant, vt difficile sit aduertere ad malum, vnde est illud. *Ira impedit, animum, ne sciat cernere verum.* Ac proinde locum in his hæresis habere non potest, cum sit error hominis pertinacis cognitionem habentis, suum errorem esse contra fidem: Ita supradicti, cum Sousa *lib. 1. cap. 13. num. 2.* Farinac. *quæst. 179. num.* 32.
82 *Quartò* qui prolatis verbis statim se corrigit, censetur ea pronuntiasse contra suam voluntatem, & esse timoratæ conscientiæ, nam facti seu dicti emendatio laudabilis est, & sapientis opus, *cap. Magnæ* 10. 22. *q.* 3. & corrigere debemus nosmetipsi quæ male fecimus arg. *cap. 19. de off. ordin. & ex Authent. de nupt.* vbi inquit Imperator. *Non enim erubescimus corrigere, quæ prius diximus, nec ab aliis corrigi expectare volumus.* Consequenter dicendum est, se statim corrigentem non esse præsumendum de hæresi suspectum. Ita Farinac. *q. 179. n.* 46.

Prædicta procedunt, quando aliàs quis non est malæ famæ, & probat, se verba protulisse ioco, quia constat esse fabulosum, & personam facetam, aut iracundia, seu aliis ex prædictis modis, aliàs Inquisitor procedit contra Inquisitum iuxta tenorem delicti, ex citatis doctoribus.

Quæres 25. An Author libri continentis expressè hæreses sit hæreticus, nō obstante protestatione, quod intendit, omnia, quæ scribit, subiicere, & esse subiecta censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ? Est autem protestatio, inquit, Sousa *l. 1. c.* 14. initio, professio, seu confessio fidei exterius facta ad ostendendum quid protestans de fide sentiat. Seu per illam declarationem
83 intendit, si quandoque errabit in rebus fidei, talem non esse eius mentem, sed errorem contingere ex inaduertentia, aut ignorantia, & hanc protestationem, quam ex animo profiteor nunc, & pro toto tempore vitæ meæ in his, & aliis scriptis edo, & me declaro paratum esse
84 potius mori, quam fidem, scriptis, verbis, aut factis, violare, aut ab ea deuiare per quemlibet mentis conceptum, paratus in omnibus corrigi iuxta Catholicum sensum Romanæ Ecclesiæ.
85 R. Doctor componens libros cum hac formali, & expressa protestatione excusatur, modo non erret in iis, quæ vt doctor scire tenetur. Quod idem locum habet respectu aliorum protestantium respectu eorum, quæ expressè scire non tenentur, & modo non fiat aliquid, quod in re aduersetur protestationi.

Prima pars, quod protestatio iuuet protestantem, 86
probatur, quia per protestationem profitens declarat, animum suum non esse violandi fidem: ergo errantem releuat ab hæresi, quæ est error voluntarius contra fidē scienter contractus, hic autem error non potest esse voluntarius in errante, cum ratio voluntarij in eo intelligatur antecedenter destructa per protestationem. Protestatio autem maximè locum habet in hæresi, quia potissimum refertur ad ea, quæ pendent à mente, & voluntate nostra secundum omnes cum Bartolo *in l. Non solum, §. morte, ff. de noui oper. nunt. n.* 17. Felin. *in c. Cum M. de constitut. n. 79. fall.* 4. & multum prodest, cum acceptatur à parte, Glos. *ver. Protestatio, c. Cumana,* 50. *de elect.* Glos. *ver. Si contestatus c. 1. dist.* 27. Ita in materia hæresis D. Aug. ex duabus eius auctoritatibus relatis supra sub *q. 5. n.* 22. Farinac. *q. 178. n.* 150. Carena *part. 2. tit. 1. de hæret.* §. 14. Sousa *l. 1. c.* 14.

Secunda pars, quod Author librorum excusetur, pro- 87
batur per Albertin. *q. 12. n.* 10. ex ipso Sousa *l. 1. Aphor. c. 14. n.* 2. Farin. *q. 179. n.* 151. *ex c. Damnamus, de Sūma Trin.* vbi damnantur opera Abbatis Ioachim, non verò eius nomen, edita contra Petrū Lombardum de vnita- 88
te, & essentia Trinitatis, vt explicat Glossa penult. dicēs dānato Auctoris nomine, damnari quoque eius opera, licet aliàs bona, non verò è contra damnatis operibus censetur nomen damnatum, & numquam nomē damnari puto, quando Author protestatur, & confitetur se Catholicum, licet aliàs errauerit siuè ex ignorantia, siuè ex passione, modo ante mortem se corrigat.

Tertia pars, illos non excusari, quando errant in iis, quæ scire expressè tenentur, vel ex præcepto fidei, vel ex officio sui status. Probatur, quia in hoc casu error præsumitur ex malitia contractus, & non ex ignorantia, & infirmitate, quæ non habent locum, vbi quis ex præcepto fidei, vel sui status scire tenetur. Ita Farin. *q. 178. n.* 155. Sousa *l. 1. c. 14. n.* 6. Carena *par. 2. tit. 1. de hæret.* §. 14. Quare doctor errans in articulis fidei notis ex Symbolo, præsumitur ex malitia, & pertinacia deficere in rebus fidei tam notis. Imo & si erret in aliis, quæ in solemni professione fidei explicantur, & in quibusdam aliis non ita difficilioribus, non excusatur, sicut excusarentur alij non doctores, & personæ ordinariæ, quæ ex officio non tenentur explicitè scire alios articulos, vt docent prædicti. Idem dic de Episcopis, & Inquisitoribus, qui plura aliis scire debent, cum articulorum fidei defensores sint. Quid si sit doctor solo nomine, vt facile occurrit? In eo casu æquiparatur non doctori, si constat de eius ignorantia, ac proinde in pænam hoc nomen ab eo radendum est. Locutus sum de doctoribus Theologis, quia Iurisperiti, medicinæ, & Philosophiæ in rebus fidei comparari possunt cum mediocriter instructis, cum præsumantur scire aliquid longè plus aliis fidelibus ordinariis, & rudibus. 89

Quarta pars, protestationē non prodesse facto eidem aduersante, probatur, quia protestatio directè contraria facto non releuat protestantem, Glossa *in c. Cum M. de constit. & in Clem. 1. de procur.* l. Cum in plures, §. *Locator ff. locati,* Surd. *vol. 3. consil. 371. n.* 67. Ruin. *l. 2. cons. 173. n.* 2. Decius *cons. 460. n. 3. Doct. in l. Non solū, §. morte, ff. de noui oper. nunt.* quia protestans faciendo actum protestationi contrarium, videtur ab ea recedere, *l. cum in plures, §. Locator, cit.* Iason *in l. Non solum, cit.* ex aliis Sanchez *lib. 2. disp.* 45. *num.* 19. & protestationi censetur derogatum per actus contrarios, Puteus *lib. 1. decis.* 293. Rota Rom. *vol. 1. decis. 563. num.* 4. Vnde admonitus ab Inquisitore, se errare in fide, & nolle acquiescere, protestatio

testatio illi nihil prodest, quia censetur ab ea recedere, vel protestari tantum voce ad effectum euadendi pœnas. Item qui protestatur se tenere fidem de Incarnatione iam facta Christi, & nihilominus Agnum Paschalem, & alia more Iudæorum facit figurantia Christum in carne futurum, nihil id illi prodest, quia factum destruit protestationem. Ita Farin. *q.* 178. *n.* 153. Carena *par.* 2. *tit.* 1. *n.* 77. *&* 78. Sousa *l.* 1. *c.* 14. *n.* 7. *&* 8.

Quæres 26. Quis in iure dicatur Hæreticus Manifestus, & Occultus, seu secretus?

90 ℟. Per textum *in c.* Super 26. *de verb. signif.* ibi: *Illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra fidem Catholicam publicè prædicant, aut profitentur, seu defendunt errorem; vel qui coram prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate.* Quis ergo dicitur manifestus hæreticus dupliciter facto, vel iure, facto quidem præstando vnum ex illis tribus publicè scilicet, aut prædicando, aut profitendo, idest, faciendo professionem, obligando se ad eam sectam, aut defendendo errores hæreticorum, vel hæreticos ipsos manifestos, vel vendendo scienter illorum libros de hæresi tractantes, voce, vel scriptis. Iure verò per confessionem, probationem, aut sententiam, vt supra. Manifestus autem, & deprehensus in hæresi idem sunt, ex Glos. *ver. deprehensi cap. Ad abolendam, de hæret.* Ex his deducitur ex opposito quis dicatur hæreticus occultus qui scilicet sub iudice non fuit, neque prædicauit, aut professus fuit, vel defendit errorem hæreticum. Vide Farin. *q.* 185. §. 6. per totum, Carenam *par.* 2. *tit.* 1. §. 8.

Difficultas potest esse circa hanc qualitatem publicitatis, vt hæreticus dicatur manifestus, sufficit, prædicatio, confessio & defensio hæresis coram duabus personis, an plures requirantur? Item, an profitens vel defendens hæresim scriptis non diuulgatis dicatur manifestus?

91 Respondetur, vt hæreticus dicatur manifestus requiri, vt eius professio, & defensio nulla tergiuersatione celari possit, & gl. 11. publice cit. cap. Super quibusdam 26. de verbi sign. per cap. Cum olim 24. eod. ibi: *aut euidentiam rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari.* Sed adhuc laboramus in tenebris, quomodo delictum suum potest quis tergiuersatione celare? Dico quando aut legitimis testibus non probatur obiectum crimen, aut factum indifferens est, & trahi potest in bonum sensum, tunc delinquens tergiuersatur, ac proinde non potest dici manifestus; necesse enim est, quod delictum constet non quomodocumque, sed ratione illius malitiæ quæ personam denominat formaliter manifestam in eo genere peccati, *Nauar. cap.* 27. *num.* 255. Clariùs præterea

92 loquendo, dico, illum esse hæreticum manifestum ratione facti, qui coram plusquam quinque personis audientibus, & intelligentibus hæresim prædicauit, aut confessus fuit, aut defendit, colligitur id ex gl. in cap. Manifesta 15. 2. q. 1. ibi: *Occultum dicitur, quod quinque sciunt:* ergo illud dicetur manifestum occulto oppositum, quod scitur à pluribus, quam quinque & gloss. 11. pluribus cap. De manifesta 17. 2. q. 1. dicit. *Non requiritur omnium scientia, forte sufficiunt decem.* Vide Nauar. *cit. cap.* 27. *num.* 255. *Sanch. lib.* 2. *de censf. cap.* 12. *n.* 19. qui ad notorium delictum in sententia Henriq. requirit plusquam octo testes oculatos, loquendo de notorio percussore clerici, quod sibi non placet, quia istis nimis indulget *Sanch. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 55. *& lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 19. Panorm. in cap. Vestra, de cohabit. cler. & mul. ad manifestum requirit, quod sciatur à maiori parte viciniæ, collegij, seu conuentus, licet non ciuitati, & in vicinia requirit decem personas, & cum eo Nauarra citatus.

Concludamus ergo illum dici manifestum hæreticum, qui coram pluribus personis quam quinque prædicauit, professus fuit, seu confessus, & defendit hæresim audientibus illis, & intelligentibus hæresim; constat id, quia vt hæreticus dicatur manifestus legitima probatione conuictionis necessarij sunt duo testes legitimi, nullam receptionem patientes, qui magni æstimantur plusquam quinque personæ, quæ hæresim intellexerunt, vnde & certior est manifestatio iuridica, quam non legitima, & priuata; adde, quod sicut propria confessio facta coram iudice de sua hæresi euidentissima est, & certissima, quia nulla verior confessio, & melior quam proprij oris *l. cum te C. de probat.* superat enim omne genus probationis, *Sard. decis.* 326. *num.* 28. *Honded. concil.* 15. *n.* 22. ab ea enim confessus recedere non potest *l.* 1. *C. de confessis*, quia habet vim sententiæ, quodam modo enim confessus in seipsum per suam confessionem dicit contra se sententiam *Leoncillus decis.* 64. *num.* 46. ita priuata confessio, & extraiudicialis vti minus euidens coram vna persona non facit hæreticum confitentem manifestum, sed coram pluribus, quam quinque illam fateri debet, vt dicatur manifestus. Quare scribens tantum suam hæresim, & eam non diuulgans pluribus locutione, aut impressione, seu traditione copiarum non dicitur manifestus hæreticus, & in his etiam requiritur actualis scientia hæresis; impressio enim facta sine diuulgatione non sufficit, quia hæresis nondum dicitur manifestata, nisi velimus dicere manifestationem sufficienter sortiri suum effectum per approbationem factam ab illis qui licentiam dederunt imprimendi.

Quæres 27. De hæreticis Hæresiarchis, & Dogmatistis?

℟. Hæresiarcha dicitur propriè ab hæresi, & archi quod significat principem, & patrem hæreticorum; vel dic quoque ab hæresi, & arca, quasi Hæresiarcha sit arca ad conseruandos errores. Farin. *q.* 178. *n.* 15. Ad constituendum hæresiarcham vnum ex his tribus est necessarium, primum, aut quod inuentor sit erroris, illumque in medium proferat ad obseruationem per sectatores discipulos, de quibus D. Paulus 2. *ad Timot. cap.* 3. *numer.* 13. *Mali autem homines, & seductores, proficient in peius errantes, & in errorem mittentes.* Secundum, aut docens alios errores ab aliis inuentos, huius generis sunt Magistri, de quibus S. Paulus citatus *cap.* 4. *numer.* 3. dicit loquens de hęresiarchis instituentibus sibi Magistros, qui suos prædicent errores, illis verbis. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt*, supple isti Dogmatistæ, *sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Tertium, aut errores huiusmodi publicè ore, aut scripto defendunt. Isti omnes, sunt Hæresiarchæ, quia tamquam capita, & principales fouent hæreses procurantes manutenere in esse errores contra fidem.

Huius generis Dogmatizantes tradendi sunt curiæ seculari pro vltimo supplicio maximè quando errores suos iam disseminauerunt, facta instituta, irremissibiliter puniendi, quia illis nullatenus parcendum est, qui multorum animas in discrimen æternæ damnationis impiè deduxerunt, & leue supplicium videtur mors corporalis eius; qui morte spirituali multos insana loquacitate necauit. Ita Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 47. *de pœnit. & conuers.* & in Enchir. *tit.* 59. *de Dogmat.* Pegna in Direct. *part.* 2. *quæst.* 39. & alij apud Farin. *quæst.* 192. *num.* 6. *&* 9. Royas, & Suar. apud Dianam *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 23. Carena *par.* 2. *tit.* 1. §. 33. Excipiuntur sponte comparentes, aut etiam comprehensi non defendentes suum errorem, sed statim illum reuocantes, vt colligitur ex *cap. Ad abolendam* 9. *de hæret.* videntur enim isti ex corde pœniten

nitentes, præsertim sponte comparentes, cum deprehensis verò caute procedendum in remissione. Vide prædictos, & Sausam *lib. 1. c. 9. num. 14.* ex Simanch. & Farinac. ponentem eam exceptionem. Obiiciunt Berengarium Ecclesiæ reconciliatum, & ideo curiæ seculari non fuit traditus, licet esset Hæresiarcha, & haberet sui erroris de non existentia Christi sub speciebus consecratis sectatores, & magistros. Sed is comprehenditur sub exceptione, comparuit enim in Concilio centum quatuordecim Episcoporum, & suam hæresim ex corde abiurauit, *cap. Ego Berengarius 41. dist. 2. de consecr.* Præterea vnius erroris erat inuentor, & conditio illorum temporum inuitabat ad veniam, vt hæresis facilius distraheretur comparatione aliorum sectatorum Berengarij. 99 Hæresiarchis contritis, & pœnitentibus in extremo non negatur sacrum viaticum ex communi doctorum quos recenset Diana extremis verbis dictæ resolutionis. Habes ex vnico errore inuento, & sparso quem dici Hæresiarcham, tam enim dicitur pater, qui vnicum habet filium, quam qui pluribus gloriatur.

Quæres 28. De hæreticis relapsis?

100 ℟. Ille dicitur hæreticus relapsus, qui iterum cadit in hæresim abiuratam; iuxta dicenda.

Hæc definitio est in genere, modo descendendum est ad modos, quibus aliquis potest dici relapsus. 101 Dicitur autem quis relapsus duobus modis, vno propriè, & strictè, altero impropriè, & per fictionem iuris, & hoc quatuor modis, consequenter quinque modis aliquis relabi potest in hæresim. Vide interim Farinac. de hac distinctione *quæst. 195. n. 3.*

102 Primo. Relapsus propriè dicitur ille qui relabitur in eandem, hæresim iam ab ipso formaliter abiuratam in iudicio; colligitur ex cap. Ad abolendam 9. de hæret. §. *Illos quoque, qui post abiurationem erroris, vel postquam se proprij Antistitis examinatione purgauerint deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, seculari iudicio sine vlla penitus audientia decernimus relinquendos.* Et si non exprimatur verbum *relapsus* id tamen comprehenditur sub verbo *recidisse*, quod idem est *relapsum fuisse*, hoc ipso quod reus redit ad vomitum. Ita *Farinac. quæst. 195. num. 1. Castro Pal. par. 1. tract. 4. disp. 6. q. 2. num. 7. Carena par. 2. tit. 2. num. 28. Azor. par. 1. lib. 8. c. 14. alios colligit Barbosa ad hoc cap..... num. 15.*

Ad hoc vt quis dicatur relapsus propriè requiruntur sequentia. *Primò*, quod in priori iudicio sit conuictus, vel confessus de hæresi, & quod eã formaliter abiurauerit. *Secundò*, quod postea iterum ceciderit in eandem hæresim, quam antea abiurauerat, ipso enim iure dicitur relapsus statim ac commisit eandem in specie hæresim, de qua confessus vel conuictus; intellige in eandem hæresim formaliter acceptam, e.g. si abiurauit hanc *Deus est impotens*, non dicitur relapsus, si credat Deum iniustum; debet enim iterum credere impotentiam Dei, aliter non vt relapsus. Supponitur ergo ad relapsum vnica abiuratio, ad quam posito iterũ eodem delicto, sequitur vitium relapsus. Est autem commune omnibus modis, quibus quis relabitur, vt in primo iudicio præcedat vna abiuratio vel de formali, vel de vehementi, vt constabit infrà in eorum explicationibus.

103 Extenditur autem is modus relabendi in hæresim ad eum, qui labitur in hæresim purgatam, vt expressè dicitur in eo textu & cap. Excommunicamus 13. eod. §. Adiicimus? *Qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purgationem exhibitam, in pristinam fuerint relapsi perfidiam canonicè puniantur.* Ita *Direct. par. 3. com. 37. extremis verbis, Castro Pal. part. 1. tract. 4. disp 6. p. 2. n. 13. Carena par. 3. tit. 11. n. 41.* Sed hæc purgatio non est in vsu.

104 Secundò. Relapsus sed impropriè ille dicitur, qui abiurauit formaliter hæresim in secundo iudicio, de qua in præcedenti iudicio fuerat vehementer suspectus; is ergo relabitur, qui incidit formaliter in hæresim quam abiurauerat de vehementi, ita cap. Accusatus 8. de hæresi. in 6. §. 1. *Accusatus de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio certa erat, si hæresim in iudicio abiurauit & postea committit in ipsa censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licet ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum.* In primò igitur iudicio fit abiuratio de vehementi in secundo vero de formali, & vtraque abiuratio habet pro obiecto eandem hæresim. Dicit textus, *licet ante abiurationem* scilicet primam *hæresis crimen plene probatum non fuerit.* In eo enim casu esset relapsus propriè, & primo modo verè & non per fictionem iuris.

Subdit textus, quod leuis suspicio non facit relapsum ibi: *Si autem leuis, & modica suspicio illa fuerit, quamquam ex hoc sit grauius puniendus, non tamen debet in hæresim lapsorum pœna puniri.* Ratio potest esse, quia leuis suspicio neminem facit relapsum nec propriè, nec impropriè, ideo aliter puniendus est, sed *grauius*. i. grauiter.

Tertio ille dicitur impropriè relapsus, qui è contra 105 primo abiurauit formaliter aliquam hæresim, & in secundo iudicio probatus fuit vehementer suspectus de eadem hæresi quam primo abiurauit formaliter. Iste casus inuerso ordine deducitur ex eodem textu, nam hæresis siue præponatur, siue postponatur suspicioni, constat reum esse hæreticum, & suspectum de hæresi, in mixtione enim horum duorum specificatur hic duplex modus, secundus scilicet modus, & tertius relabendi; sufficit enim, quod de vtroque constet, parum curando de ordine abiurationum, qui non tollit rationem relapsus. Ita *Menoch. lib. 4. Consil. 82. n. 148. Alphons. de Castro lib. 2. cap. 2. Bursatus lib. 1. Consil. 7. Farin. q. 195. n. 17. Castro Pal. par. 1. tract. 4. disp. 6. p. 2. n. 9. § Cæterum.*

Royas par. 2. de hæret. n. 333. negat hunc modum relabendi, probando per Cap. litteras, de præsumpt. vbi habetur, quod quidam post confessionem, & abiurationem hæresis propriæ, & fratris, deinde negauit hæresim sui fratris, quam contra illum confessus fuerat, ob cuius negationem vti tantum hæreticus, & non relapsus condemnatus fuit, & tamen constat de formali abiuratione, & subsequente alia de vehementi: ergo non fuit relapsus. Castro Palaus hic respondet, in eo textu nullam fieri mentionem de abiuratione, ac proinde illum testem punitum fuisse ex eo, quod per illam negationem se reddidit vehementer suspectum de fide, & ita est, fit enim solum mentio de suspicione ibi: *Quocirca mandamus, quatenus cum per solam suspicionem, quamuis vehementem, nolumus illum de tam graui crimine condemnari*; quod signum est, illum non fuisse formaliter hæreticum, si de sola suspicione vehementi erat reus, neque proinde de formali potuit abiurare.

Quarto relapsus impropriè dicitur ille, qui in primo iudicio hæresim abiurauit simpliciter vel generaliter, & posteà in aliam diuersam incidit, vel clarius, ille dicitur relapsus, qui primo abiurauit non solum hæresim in quam inciderat, sed omnes alias in genere, & postea incidit in aliam hæresim diuersam ab ea, qua primo reus erat. Cap. Accusatus 8. §. *Eum vero qui in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu ecclesiæ sacramento errauit, & postmodum hæresem simpliciter, vel generaliter abiurauit, si ex tunc in aliam hæretici speciem, siue sectam, aut alio articulo, seu Sacramento committat, volumus vt relapsum in hæresim iudicari.* Tria requiruntur ad hunc relapsum incurrendum. *Primo*, quod de formali 106

formali abiurauerit hæresim, cuius erat reus probatus. *Secundo*, quod abiurationi speciali adiungat generalem omnes hæreses simul detestando. *Tertio*, quod incidat non in eandem, sed in aliam specie diuersam probatam in secundo iudicio.

Quod ad primum requisitum, ex eo sequitur, quod non sufficit abiuratio de vehementi in primo iudicio, sed necessaria est abiuratio de formali; igitur enim de hæresi probabo, quæ eam abiurationem postulat.

Quod ad secundum requisitum, illud deducitur ex illis verbis: *hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit*. Illud verbum *simpliciter* refertur ad abiurationem hæresis indicatæ; aliud vero *generaliter* indicat abiurationem in genere omnium hæresum, & sic vtraque abiuratio præmittẽda est, vt postea hæreticus dicatur relapsus dum iudicatur incidisse in aliam hæresim specie diuersam. Illa dictio *vel* sumitur coniunctiuè, & copulatiue pro *&* maxime quando cadit inter genus, & species ex allegatis *à Barb. hac dict.* 415.*n*.4. vt hic inter hæresim in specie, de qua dicitur reus, & in genere, dum omnes generaliter abiurat. Quare si abiuratio prior non est mixta ex speciali, & generali, committens postea aliam hæresim non dicitur relapsus. Ita gl. 11. simpliciter, Barbosa ibidem in hanc sententiam citat. *Eymer. par.* 2. *Direct.* *q*.40.*n*.5.§.*Secus si tantum, Pegna com.* 65 *lit. D. Decian. lib.* 5.*c*.47.*n*.10.§.*quod quidem, Menoch. consil.* 82. *punct.*156.*Farin.q*.195.*n*.43. *&* *n*.44. vbi ait nostris temporibus cessare hanc quæstionem, quia hæretici semper abiurant in genere omnes hæreses, licet in vnam inciderint. Quare cum in generali abiuratione comprehendantur omnes hæreses, etiamsi formaliter non abiuraret in terminis suis hæresim indicatã, adhuc diceretur relapsus incidens in aliam hæresim specie diuersam, quia sub genere comprehenduntur species, ac si illæ singillatim fuissent in eo expressæ.

Castro Pal. *par.* 1.*tract.*4.*disp.*6.*p*.2.*n*.13. cum multis sustinet illum adhuc dici relapsum, qui solum abiurauit eam hæresim, cuius erat reus, quia abiurans vnam hæresim omnes alias tacite abiurat, quia abiurat recessum à diuina reuelatione per Ecclesiam proposita, quæ in omni hæresi includitur, promittit tacitè ab Ecclesia non discessurus, ergo ex hac speciali tantum abiuratione, si in hæresim aliam labatur relabi censendus est. Et confirmari potest ad literam, quia disiunctiua *vel* ibi: *hæresim simpliciter vel generaliter abiurat*, ponitur inter vtrumque genus abiurationis, ergo alter eorum sufficit ad relapsum.

Contra est, *Tum quia* falsum est in abiuratione speciali comprehendi tacite generalem abiurationem: Aliud enim est considerare hæreses in ordine ad formalem rationem primæ bonitatis reuelantis in qua omnes conueniunt: aliud verò spectare eas in ordine ad earum detestationem, quæ si non specificatur, hæresis non dicitur abiurata, id enim illis est extrinsecum; destructio verò primæ veritatis inest hæresi, quæ profertur, expresse, & formaliter, & præcisè tantum, vult enim hæreticus discredere hoc, & credere illud, & sic Deum facere mendacem in hoc, non in illo. *Tum quia*, vis argumenti *Castro Pal.* sita est in hoc, quod tacita abiuratio omnium hæresum comprehensa in abiuratione speciali, & expressa tantam vim habeat, quantam habet abiuratio expressa, ex illo communi axiomate eadem; est virtus taciti, & expressi; sed reuera tacitum non idem operatur quod expressum, sed in eo est minor virtus quando agitur de nocumento, & præiudicio tertii, 1. Nonnunquam 51. de condit. & demonstra. ibi: *Expressa nocent, non expressa non nocent.* Ergo si cum abiuratione speciali non coniungitur expresse abiuratio generalis, hæc tacita nihil operatur in præiudicium alterius, & in materia edicta exclusionis, & priuationis, *Curt. iun. in l. cum quid ff. si cert. per. num.* 15. §. *Octauus Casus Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 40. *n.* 10. Ad confirmationem iam responsum fuit in explicatione illorum verborum ideo non est immorandum.

Quinto. Relapsus impropriè dicitur ille, qui abiurata hæresi de formali, deinde fit fautor hæreticorum. 107
Cap. Accusatus 8. in 6. §. *ille quoque de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticum receptet, deducat, visitet, siue associet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non possit merito debet iudicari relapsus.* Ita Bursatus *lib.* 1. *consil.* 7. *n.*36. *Menoch. consil.* 82. *n.* 148. *Mascar. consil.* 863. *n.*6. *Azor. part.* 1. *lib.* 8. *c.* 14. *apud Barbosam hic n.* 10. *&* 11. *Carena part.* 2. *tit.* 2. *n.* 31. §. *Hinc etiam.* Fautor autem dicitur relapsus *Primo* licet vnicum faciat actũ in fauorem hæretici, cum Carena, Zanchio, & Locato. *Secundo* siue sit fautor in eadem hæresi, quam ipse abiurauit, siue in alia, quia, textus simpliciter loquitur de fauente hæreticis: ergo quibuscumque hæreticis respectu cuiuscumque hæresis. Ita Gregorius, Cantera, & alij cum *Castro Pal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.*6. *p.*2.*n.*11. contra *Cassium, Menochium, & alios,* quorum rationes non vidi; nec eorum opinio subsistere potest, quia iste modus relabendi sic interpretatus coincideret cum tertio modo relabendi, ideo eorum opinio non est admittenda.

Ex præmissis emergunt nonnullæ difficultates. *Prima*, an his modis semper necessaria sit vna abiuratio de formali, itavt ex duabus de vehementi non possit dari relapsus? *Secunda*, an ex vna de formali, & altera de leui detur relapsus? *Tertia*, an ex vna de vehementi, & altera de leui detur relapsus? *Quarta*, an abiurans de formali, si è carcere aufugiat dicatur relapsus? *Quinta*, an abiurans siue de formali, siue de vehementi coram delegato, quando non constat de delegatione dicatur relapsus cadens in hæresim abiuratam? *Sexta*, an abiurans de formali, seu vehementi in primo iudicio nullo, quia postea constat, processum fuisse nullum e. g. quia denuntiatus post sententiam probat se esse minorem, cuius processus formandus erat coram curatore, sine quo formatus est nullus etiam in causis S. officij, Diana par. 4. tract. 6. resol. 31. *Septima*, an comparens sponte, si reincidat in hæresim abiuratã secreto, dicatur relapsus? *Octaua*, an relapsis curiæ seculari traditis ministranda sint Sacramenta? *Nona*, de pœnis relapsorum? *Decima*, An tradendi curiæ seculari admittantur ad abiurationem?

Primæ respondetur, necessariam semper esse vnam abiurationem de formali, quia relapsus dicitur formaliter hæreticus, vt patet considerando singulos modos, quibus quis relabitur; nam primo modo delinquens in primo & secundo iudicio abiurat formaliter, cum sit confessus, vel conuictus in vtroque formaliter de hæresi; secundo modo in primo iudicio abiurat de vehementi, in secundo de formali; tertio modo res è contra se habet; quarto modo, vtraque abiuratio debet esse de formali, in quo conuenit cum primo modo, à quo differt in eo, quod in illo abiuratio est circa eandem hæresim specie, in hoc vero est specie diuersa; in quinto demum modo, in priori iudicio abiuratio est de formali, in secundo de vehementi, est similis iste modus tertio ratione abiurationum, differunt tamen in eo, quod in tertio modo abiuratio cadit super idem delictum specie, non autem in hoc quinto modo in quo specificatur fautoria. Ex quibus patet in prædictis modis relabẽdi necessariam semper esse vnam ad minus abiurationem formalem; quare bene sequitur relapsum non posse habere locum ex 108

duabus abiurationibus de vehementi. Ita *Sanctar. de haeresi cap. 4. num. 11 locatus 11. Vehemens suspicio, ex illis Carena par. 2. tit. 2. num. 35. Farinac. quaest. 195. num. 22.*

109 Secundae, ex vna de formali, & altera de leui non datur relapsus, vt colligitur ex cap. Accusatus 8. §. 1. de haeretic. in 6. ibi: *Si autem leuis, & modica suspicio illa fuerit, non tamen debet in heresim lapsorum pana puniri.* Licet textus loquatur de suspicione leui in primo iudicio, quae non potest inferre relapsum in secundo iudicio, nihilominus idem iudicium est faciendum, si in primo abiurauit formaliter, & in secundo solum leuiter, quia non dicitur recidisse in eandem haeresim ex illa leui suspicione.

110 Tertiae, non dicitur relapsus, qui abiurauit de leui, & postea de vehementi, vel è contra, vt colligitur ex praecitato capite. Ratio est, quia ad relapsum necessaria est saltem vna formalis abiuratio. Ita *Carena par. 2. tit. 2. n. 34. & 36.*

111 Quartae, abiurans de formali, si fractis carceribus aufugiat non dicitur relapsus, quia fuga haec non arguit reum male sentire de fide, sed quaerere libertatem, & velle se per fugam eximere à poenis. Ita *Azor. par. 1. lib. 8. c. 14. q. 5. ex Simanca.*

112 Quintae, relapsus dicitur, qui abiurauit coram delegato, de cuius delegatione non constat, quia reuera abiurauit non minus, ac si scilicet verè delegatus ad hanc actionem recipiendam: ergo dicitur recidisse in haeresim abiuratam. Confirmatur id, quia ad valorem abiurationis sufficit, vt voluntas delinquentis exeat in actum detestando haeresim, quam alias amplexus fuerit; quilibet enim haereticus coram Deo per se ipsum sine radice propriam haeresim detestari potest, & reuocare extra iudicium, talis censenda est illa quae sit coram iudice non existente tali. Adde, quod in tali casu supplet iurisdictionem, si esset necessaria, Ecclesia; dum talis officialis ex eo quod officialis dicitur habere titulum ex vna parte verum, licet coloratum quoad hunc actum, qui illi non fuit communicatus, & communem errorem, quo creditur posse recipere abiurationes, ea enim duo, titulus coloratus, & error communis dant iurisdictionem non habenti *ex l. Barbarius 3. ff. de offi. prator.* ergo talis secundò cadens in haeresim abiuratam relapsus est. *Ita ex Lambertengo, & Bursato vol. 1. consil. 24. Carena par. 2. tit. 2. n. 36. §. Pulcherrimum.*

113 Sed numquid relapsus dicitur ille, qui cadit in haeresim, quam abiurauerat coram Confessario? Non, ita de communi Bassaeus Capucinus 11. Haeresis, num. 19. §. Poena; quia relapsus vitium dependet ab aliquo iudicio externo fori contentiosi, in casu autem praesenti iudicium est fori interni, cuius cognitio non debet exire in actum externum, quia materia confessionis cadit sub sigillo secretissimo, nunquam manifestando ex quacumque causa etiam licita, & honesta, nisi de licentia ipsius poenitentis, qui in tali casu praesumitur inuitus, ne sibi tam graue crimen relapsus inferat.

114 Sextae, primo iudicio existente nullo, recidens in haeresim in illo abiuratam non dicitur relapsus, quia prior abiuratio pro nulla habetur, ac si ille non abiurasset; iura autem de relapsis, vt visum fuit, postulant primum crimen esse vere propriè & legitime probatum; in processu autem inualido nihil dicitur probatum pro foro externo, ita quod confessio facta ab ipso reo in tali iudicio inualido habetur pro non facta, vt omnes docent, quos colligit *Barbosa ad l. 3. C. de auctor.* praestanda; consequenter non potest dici relapsus, qui antea haeresim, de qua est conuictus, vel confessus, non abiurauit. Ita *ex Riminaldo lib. 6 consil. 686. n. 29. Farinac. q. 195. n. 26.* vbi ait; Tunc demum illum dici relapsum, qui post abiuratam haeresim propter vehementem suspicionem iterum in haeresim labitur, quando talis abiuratio rite, & recte iudicialiter facta fuit, secus similliter; in casu autem nostro non est taliter facta defectu processus, ergo non dicitur relapsus; & ita videtur sentire etiam Carena par. 2. tit. 3. n. 34. dum dicit, vt quis relapsus censeatur, de necessitate requiritur, quod vere, & realiter constet de lapsu in haeresim formalem; id autem non potest constare ex nullitate processus, ergo. Direct. par. 2 Comment. 81. paulò post initium §. caeterum haec sententia, ibi: *vt aliquis damnetur & curia seculari tradatur velut relapsus, necesse est, vt saltem semel de haresi relapsi plene constet in iudicio.* In casu autem nostro haeresis non plene constat in iudicio, cum processus nullus nihil in iudicio faciat constare.

Dices ex resolutione quintae difficultatis sufficit quaeuis abiuratio etiam facta coram non iudice. ergo processus nullus non videtur obstare, quando reus reuera abiurauit, nam fuit vera abiuratio.

℟. Nam ille erat vere delegatus ad recipiendas informationes, sed non ad terminandum processum per abiurationem; nihilominus abiuratio in eo casu tenuit ob rationes ibi adductas, & quia legitimè constabat de crimine. In casu autem praesenti nihil iuridicè constat ex defectu processus, qui sanari non potest ex titulo colorato, & errore communi. Praetereà in eo casu erat probatum ritè delictum ex quo sequebatur de iure abiuratio; hîc autem nihil legitime fuit probatum.

Septimae respondetur, sponte comparentem dici vere relapsum, cum reciderit in eandem haeresim abiuratam, quam reincidentiam destruere non potest comparitio, quae solum illum facit dignum minori poena, illum eximentem comparitio ab ordinaria, quod non tradatur curiae seculari. Est autem differentia inter minorem 25. annis, & maiorem ea aetate, quod minor spontè comparens in secreto abiurat cum clausula: *citra panam relapsi*, maior verò abiurat sine illa, & praeterea ambo recipiuntur ab Inquisitoribus cum hac conditione: *Dummodo in aliquo sancto officio non sis praeuentus*, vt ex Farin. q. 193. n. 28. notat Carena par. 2. tit. 18. n. 11. & 12. Comparitio autem debet esse legitima cum omnibus suis requisitis, de qua dicam suo loco. 115

Octauae respondetur, relapsis concedenda esse sacramenta paenitentibus factis Paenitentiae, & Eucharistiae, vt dicitur cap. super. eo 4. de haeret. in 6. Ita omnes *cum Castro Pal. par. 1 tract. 4. disp. 6. p. 2. n. 14. qui* addit *Canteram. & Couar.* eis negare Eucharistiam, sed male, cum praecitatus textus eam illis concedat. Puto autem illis haec Sacramenta esse ministranda antequam actu tradantur vitae seculari, cum adhuc sunt sub iurisdictione inquisitoris, nam post sententiam incipiunt agonizare. 116

Nonae respondetur, relapsos in haeresim tradendos esse curiae seculari, licet poeniteat eos, & ad fidem redeant, *Cap. super eo 4. de haret. in 6. & cap. Ad abolendam. 9 eod.* extra. quia sufficit, quod semel per falsam conuersionem Ecclesiam deceperint. Poenitentes autem strangulantur, impaenitentes vero viui comburuntur, vt notat cum aliis Carena part. 2. tit. 2. num. 39. *Barbosa ad cap. Ad abolendam numer. 20. plures de more citans, & ad cap. super eo n. 2. & 3.* 117

Decimae respondetur, relapsos poenitentes curiae seculari tradendos non esse admittendos ad abiurationem respectu secundi delicti, quia per eam praesumuntur decepturos Ecclesiam, sicuti deceperunt per primam abiurationem hoc ipso, quod eam non seruauerunt in sua promissione iurata. Ita *Carena par 2. tit. 1. num. 127. ex Massenio in Praxi S. Officij part. 9. asser. 12.* 118

Quaeres

Quæres 29. Quis dicatur hæreticus pœnitens ad effectum euadendi pœnam ordinariam, vt scilicet, non tradatur curiæ seculari vltimo supplicio perdendus ?

119 ℞. Illum dici, qui ante sententiam sibi lectam conuertitur detestando suam hæresim; existenti verò in tabulato, vt aiunt; conuersio non prodest ex communiori sententia; demum in aliquibus casibus pœnitentia nunquam prodest.

Prima pars, quod ille dicatur pœnitens in ordine ad euitandas pœnas ordinarias, qui antè sententiam resipiscit. Probatur, quia ille dicitur pœnitens, qui puro corde, & spontanea voluntate suum reuocat errorem
120 conuertendo se ad Deum, *ex cap. Perfecta* 40. *dist.* 1. sed se conuertens ante sententiam dicitur pœnitere sponte, & ex corde, quia pœnitentia hæc ante illud tempus præsumitur facta sine metu, & coactione pœnarũ, cum hæc nondum illi sint notificatæ, & semper est aliqua spes illas euadendi, antequam infligantur, ergo censendus est pœnitens, suos reuocans errores antequam causa per sententiam expediatur. Quod dicatur pœnitens conuersus ante sententiam docent Farin. *quæst.* 193. *num.* 55. aliis citatis de communi, & veriori, Carena *par.* 2. *tit.* 2. *de hæresi num.* 4. vocat verissimam.

Secunda pars, quod non sit parcendum in tabulato genuflexo pœnitenti, nec post sententiam. Probatur, tum ex *cap. Ad abolendam* 9. *de hæret.* ibi: *Omni officio, & beneficio spoliatus Ecclesiastico, secularis relinquatur arbitrio potestatis animaduersione debita puniendus, nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem sponte recurrere & errorem suum ad arbitrium regionis illius publicè consenserit abiurare, & satisfactionem congruam exhibere.* Idem subiungitur de seculari hæretico formali conuicto, vel confesso; vbi doctores nonnulli vim faciunt in illis
121 aduerbiis. *Continuò, confestim*, illa rigorosè, & non ciuili modo, vt deberent, recipientes cum grano salis; explicantur ergò cum interuallo temporis inter eorum captionem, & sententiam, nam *Confestim*, significat factum etiam infra annum. ex Cenedo post librum *pratic. & canon. quæst. sing.* 74. *numer.* 4. *Continuò* factum, dicitur gestum interuallo temporis competentis, Tuscus *lit. C. consil.* 977. *numer.* 3. Surd. *consil.* 313. *numer.* 24. Calder. *consil.* 88. cum Barbosa *dict.* 68. *numer.* 2. & ex his patet responsio ad præcitatum textum, quem aduersarij opponunt volentes, illum non dici, pœnitentem nisi cum primo est captus, conuertitur. Sed nimis rigorosè, & contra ciuilem intellectum iuris, & legum. Probatio autem nostræ conclusionis ex textu formatur ex illis verbis *Sponte recurrere & errorem suum publicè consenserit abiurare.* Hic duo actus spectantur, conuersio explicata per illum recursum, & abiuratio, quæ non fit nisi immediate ante sententiam: ergo de mente legislatoris constat pœnitentiam admitti tantum ante tabulatum, & sententiam subsequentem immediatè abiurationem. Tum ratione, quia conuersio facta in tabulato præsumitur gesta, non sponte & ex corde, sed metu pœnarum, nullam amplius habente spem se eximendi à pœnis, nisi attentando reuocationem sui erroris, vt euadat easdem. Quod non parcatur pœnitenti in tabulato à fortiori tenent, qui volunt admitti nisi ante publicationem testium, de quibus Farin. *quæst.* 193. *numer.* 42. Ex consuetudine parcitur etiam conuersis post sententiam, quando manifestè ex signis apparet, resipiscentiam esse spontaneam, & ex corde, vt de communi testatur Farinac. *ea quæst.* 193. *à num.* 56. etiam postquam traditi sunt Curiæ seculari *num.* 62. Sed meo indicio, [serò medicina paratur,] & in fine vitæ pœnitentia est vehementer suspecta etiam naturaliter ægrotantibus, à fortiori timentibus certam pœnam vltimi supplicij sibi imminentis; ex D. Aug. relato *dist.* 7. *per totam de Pœnit.*

Tertia pars, quod conuersis condonentur pœnæ ordinariæ mortis, & confiscationis bonorum, habetur *cap. Ad abolendam* 9. de hæreticis; eo enim ipso, quod ad fidem conuersi non traduntur curiæ seculari, ad quam solum spectat exequutio mortis, & confiscationis, remanent immunes ab illis pœnis, quæ commutantur in pœnam perpetui carceris de iure *cap. Excommunicamus* 16. *eod.* extremis verbis, ex consuetudine tamen solent condemnari ad triremes, ne otiosi in carceribus nigrescant, vide doctores citatos à Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 24. post initium. De Confiscatione doctores refert Carena *part.* 2. *tit.* 2. *n.* 9.

Quarta pars, quod in certis casibus non parcatur 122
pœnitentibus, refertur à Sanctar. Scortia, Genuensi, Naldo, & aliis citatis à Diana ea *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 24. §. *Notandum*, Carena *part.* 2. *tit.* 2. *de hæret.* §. 2. numerat quatuor, Diana octo: Primus, nondum presbiteris celebrantibus. Secundus, non Sacerdotibus confessiones audientibus. Tertius, negantibus Trinitatem, diuinitatem Christi, Christum conceptum de Spiritu sancto, mortem Christi, vt nos redimeret, & Virginitatem Beatæ Mariæ. Quartus, Magistratibus, & Dominis Ecclesiasticis, seu temporalibus hæreticis, seu Schismaticis, aut hæresim, seu schisma excitantibus. Quintus, lamiis per maleficia occidentibus, ex Bulla Gregorij XV. incip. *Omnipotentis.*

Quæres 30. de Hæreticis Affirmatiuis, Negatiuis, & Impœnitentibus.

Resp. Affirmatiuus est ille, qui coram iudice fa- 123
tetur suam hæresim quam credit, & pœnitens facti iuxta dicta præcedenti quæstio. absoluitur à pœnis ordinariis mortis, & confiscationis bonorum, aliis pœnis plectendus, carceris, aut triremium. Vide Farin. *q.* 178. *n.* 19. Sousam *l.* 1. *c.* 16. Carenam *part.* 2. *tit.* 2. *de hæret. n.* 46.

Negatiuus dicitur ille, qui constanter negat hæ- 124
resim, de qua legitimè conuictus fuit, protestando se credidisse, & credere omnia, quæ credit sancta mater Ecclesia. Iste traditur curiæ seculari puniendus vltimo mortis supplicio, dummodo concurrant quinque conditiones. Prima, quod sit conuictus de vera, & formali hæresi certa in terminis, vnde non sufficit vehementissima suspicio. Secunda, quod verba, vel facta ita clara, vt nullam inuoluant ambiguitatem. Tertia, vt testes, per quos fuit conuictus, sint omni exceptione maiores. Quarta, quod isti testes depo-
nant reum asseruisse, se suam hæresim credidisse. Quin- 125
ta, quod delictum super quo conuictus fuit, sit recens non antiquum, itavt verisimiliter credatur illius oblitus. Obliuio autem præsumitur spatio decennij, Berous *quæst.* 73. *numer.* 5. Mascard. *conc.* 1122. *vol.* 3. Menoch. *lib.* 6. *præsumpt.* 32. Decius *consil.* 440. *numer.* 1. ex illis M. Anton. *lib.* 2. *resol.* 11. *num.* 39. Item in senibus, infirmis, & multis negotiis occupa-
tis, idem Menoch. *n.* 47. Mascard. *n.* 20. Paris. *lib.* 3. *de* 126
Resignat q. 6. *n.* 58. cum ibi allegatis, ob multitudinem negotiorum. Ita colligitur ex Concil. Biterrensi *cap.* 7. 8. 9. ex Narbonensi *c.* 26. & ex Decis. 875. in antiquis, de hæret. & docent Carena *part.* 2. *tit.* 2. *de hæret.* §. 9. Farin. *quæst.* 178. *num.* 20. & 22. refert tres conditiones, & alias quinque ex Royas, quæ in summa à supradictis non differunt. Vide etiam Dianam *part.* 4. *tr.* 7 *resol.* 25.

Impœnitens hæreticus dicitur ille, qui conuictus, 127
vel etiam confessus pertinaciter vult perseuerare in sua opinione, recusando abiurationem. Ita omnes cum Farin. *quæst.* 196. *numer.* 2. & *seq.* vbi dicit hunc tradendum esse curiæ seculari plures admonitum

de reuocando errore. Carena *part.* 2. *tit.* 2. *de hæret.* §. *Tertius.* vbi *numer.* 15. ex doctoribus allegatis dicit, hunc viuum comburi. Differt à Negatiuo, qui credit, tamen negat, hæresim, de qua fuit conuictus, commisisse, impœnitens verò discredit cōcedendo perpetrasse, pertinacia negatiui consistit in negatione commissæ hæresis, obstinatio impænitentis consistit in credere, quod dixit, esse veritatem. Impœnitens autem præsumitur primò negatiuus, Farin. *quæst.* 196. *num.* 16. Secundo, reconciliatus Ecclesiæ, qui omnes suos errores, & complices non reuelauit, ex Siman. Pegna, Royas, & Paramo. Tertiò, retractans suum errorem post sententiam asserendo se confessum metu tormentorum, Calder. Simanc. Reyas, melius dicitur temerarius. Quartò, qui non vult abiurare: hos modos refert Carena supra cum doctoribus.

Quæres 31. De Hæreticis reuocantibus suam confessionem.

128 *Resp.* Confessio incontinenti reuocata ab hæretico confesso admittitur pro bona; licet ratio non reddatur, modo sit facta coram iudice. Item admittitur, quando reuocat aliqua non plenè probata, ad excusandos complices amicos, affines, &c. Extra hos duos casus nullatenus admittenda fauore rei confessi, nisi doceat de errore.

Prima pars, de reuocatione incontinenti probatur per Dianam, *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 22. post initium. Ratio est, quia præsumitur errasse in primo dicto non plenè aduertendo initio, quod dixerit. Confirmatur, quia admittitur correctio testis qui incontinenti suum dictum reuocat, ex *cap. Præterea* 7. *de testib. cogend.* etiam fauore rei, ergo & ipsemet reus eodem modo potest se corrigere, explicando suam confessionem, & ita colligunt doctores ex *c. Cum dilecti* 18. *de Accusat.* ibi *Aretin.*

Secunda pars, de reuocatione eorum, quæ non fuerunt plenè probata docetur ab eodem Diana *part.* 4. *tr.* 7. *resol.* 22. §. *His tamē*, quia non præsumitur suam confessionem reuocare ex malitia & contra se, sed ex metu, & fauore aliorum.

Tertia pars, quod extra hos duos casus nullatenus admittatur traditur per Treuisanum *lib.* 2. *decis.* 31. Royas *par.* 2. *de hæret. assert.* 25. *num.* 265. Sesse *tom.* 4. *decis.* 272. *num.* 7. Sousa *lib.* 2. *cap.* 48. *numer.* 22. quos pro se citat Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 22. Farinac. *quæst.* 187. *numer.* 75. qui cum Cantera, & Simanch. docet prodesse reuocationem & si non doceat de errore; quos reiicit Diana, eo quod confessio præsumitur facta ex malitia, & prætextu euadendi pœnas, ità quod nulli punirentur, admissa huiusmodi reuocatione. Sed dic, illos doctores admittere illam reuocationem incontinenti factam non ex interuallo, nisi edocto de errore in hac secunda. Nota, quod reuocatio & quæcunque confessio
129 facta incontinenti non edocto de errore, negando simpliciter delictum, non est admittenda, quia videtur incredibile, quod confessus errauerit, primò asserendo se lacerasse, e. g. imaginem sacram, postea statim negando simpliciter eandem lacerationem eiusdem imaginis; hic enim locum habere non præsumitur subreptio, & inaduertentia, quia bene admonentur à iudice de veritate dicenda, ex quo se præparant ad respondendum.

Quæres 32. An quis in dubio præsumatur perseuerare in hæresi?

130 *Resp.* Affirmatiuè, ea ratione, quia semel malus super præsumitur talis, & nemo præsumitur suam mutare opinionem, sed in ea persistere, ex Peretto in extrau. Ambitiosè *cap.* 2. *numer.* 14. nam voluntas protestata præsumitur remanere. *gl. ver. Non timore, cap.* 1. de iis, quæ vi, per *cap. Lotarius* 21. *quæst.* 2. *l. Si quis in princ. ff. de legat.* 3. & qui mutatam asserit probare tenetur, ibidem, & per *l. Eum qui ff de probat.* Ita Felin. *in c. Scribam, de præsumpt.* Surd. *de alim. tom.* 7. *q.* 4. *n.* 26. ex Sanch. *lib.* 2. *c.* 14. *numer.* 11.

Quæres 33. Quomodo credentes hæreticis differant ab ipsis hæreticis formalibus? An & ipsi dici possint hæretici formales?

Resp. Hæreticus, & Credens non videntur differre in substantia discredendi, eo quod vterque negat aliquas fidei propositiones, siquidem credens hæretico, ille dicitur, qui distinctè, vel confusè credit erroribus hæretici? distinctè quidem negando eam propositionem de fide, quam primo negat hæreticus; confusè vero asserendo se credere, & tenere quidquid docet hæreticus contra fidem, vel protestando, seu dicendo, se velle tenere, aut mori in secta Caluini, aut alterius hæretici? ex quo patet sic hæretico credentem esse propriè, & formaliter hæreticum, ita docet Bonac. *disp.* 2. *de censur. quæst.* 5. *de excommun par.* 3. *& in Bulla*, *excommun.* 1. *par.* 3. Sousa *lib.* 1. *cap.* 22. *numer.* 2. credentes explicitè vocat formales hæreticos, & verè tales sunt, Carena *part.* 2. *tit.* 4. *n.* 80 Nauar. *c.* 27. *n.* 55. Sanch. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 2. *in fine.* Igitur quoad peccatum, & pœnas non differunt Hæretici, & eorum credentes; vnde Nauar. citatus dicit & si credentes non fuissent expressi in Bulla, adhuc essent excommunicati, quia verè sunt hæretici. Sanch. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 31. dicit hæreticos non contineri sub nomine credentium in *cap. Excommunicamus* 14. §. *Credentes*, dum respondet illis, qui probant incapacitatem hæretici excitato capite, dicendo ibi non fieri mentionem de hæreticis, sed tantum de credentibus, receptatoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum? sed audiendus in hoc non est, cum ex ipsius sententia inter se non differant, quo ad peccatum, & pœnas. Deinde secundum eumdem Sanch. *lib.* 2. *cap.* 24. *numer.* 2. *&* 3. aliunde non dicitur hæreticus intestabilis, nisi ex illo *cap. Excommunicamus*, §. *Credentes*, ergo hac voce venit propriè hæreticus. Differunt autem in eo, quod hæreticus est prior in inuentione hæresis, vnde & illius auctor dicitur; credens verò posterior, & eius discipulus. 131

Quæres 34. Quomodo Caluinistæ, Lutherani, 132
& similis farinæ Sectatores ad fidem venientes recipiendi sint.

Resp. Caluinistæ, & similes hæretici alij sunt Nati tales ex suis progenitoribus, & in eorum secta ab eisdem educati; alij sunt facti ex propria voluntate relicta Catholica fide, adhærentes Sectæ alicui hæreticorum. Contra hæreticos Caluinistas Factos Inquisitores cum omni rigore procedere habent, & maiori, quam contra hæreticum simpliciter aberrantem ab vno, vel altero fidei articulo, nam sicut magis peccat cum errore eligens sectam, quam ille, qui cum errore sine sectæ electione aduersatur Catholicæ fidei, ita sectarius magis puniendus est, quam non sectarius, vt culpæ proportionetur pœna. Isti autem tradendi sunt curiæ sæculari, & morte plectendi, nisi ex inspectione alicuius circumstantiæ perpetuo immutandi essent.

Caluinistæ nati spontè eligentes Catholicam fidem, benignè recipiendi sunt, quia non vitium proprium, sed parentum peruersa educatio ad talem perditionis statum illos perduxit, nihilominus de formali abiurare debent, quia sunt de falsa secta, & errore formali hæresis notati sunt, iuxta dicta *cap.* 11. *num.* 22. vbi de abiuratione istis indicenda à solo Inquisitore, exclusis quibuscumque confessariis, etiam respectu puerorū Caluinistarum, quod etiam docui *c.* 12. *n.* 11. *&* 48. non posse absolui, nisi ab Inquisitoribus, aut

Episcopis, & Ecclesiæ reconciliari. Huiusmodi autem abiuratio venientium sponte fieri potest tam palam, quam in occulto; hic Parmæ nonnulli pepierunt solemnem abiurationem, qua actione publica alij excitati à Spiritu Sancto fidem Catholicam amplexati sunt, eiurantes falsa dogmata. Si qui nolent publicè abiurare, non sunt cogendi, sed tantum in secreto, vt suauiter, & discrete disponantur ad sanctam fidem. Pœnitentiis salutaribus, & frequenti Sacramentorum susceptione animandi sunt, vt possint melius perseuerare proficiendo in Ecclesia Catholica. Necesse autem est, vt principales errores, quos pro fide habebant, singillatim abiurent, & reliquos in genere detestantes sectam, in qua nati sunt. Pater autem Inquisitor istis comparentibus debet assignare peritum Sacerdotem, qui illos in fide exactè instruat, & Sacramenta frequentius ministret, vt in fide magis confirmari possint.

131 Sed nunquid isti cogendi sunt ad tenendam fidem veram abiurando falsam sectam? Non est dubium de Factis, cum in omnibus, & per omnia subditi sint Catholicæ Ecclesiæ, & eius ministris, cum antea essent actu, & tales etiam sint post apostasiam per receptum baptismum à veris ministris Catholicis, *cap. Quidam 4. de Apostatis*. Cum natis verò non ita rigorosè procedendum est, sed suauiter compellendi, quia eorum vitium non à seipsis, sed ab eorum progenitoribus originem traxit.

Quæres 35. An infans post baptismum enutritus in siluis, vel inter infideles, cum primum sentit de fide, sit hæreticus si contradicat:

133 ℞. Talis persona de fide non instructus, quamuis baptizatus non est hæreticus, quia ad hæresim incurrendam præter baptismum necessaria est fidei professio, & cognitio pertinax, quibus caret ille factus adolescens. Confirmatur, quia ad incurrendam hæresim non sufficit habere fidem infusam ex baptismate, sed propterea necesse est illam profiteri cognitione, vt contradicens fiat hæreticus, iuxta dicta *cap.* 8. *quæst.* 75. *& hic n.* 60. Ita docent *Alphonsus de Castro lib. cap.* 8. ex doctrina D. Pauli ad Roman. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante.* Et infra num. 16. ex Isaia subiungit. *Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Necessaria ergo est fides aquisita ad credentem actu exercito, vt repugnans incurrat hæresim. Infert autem, quod non potest dici hæreticus etiam ille baptizatus, qui prædicatione, aut Catechizatione non fuit instructus; ita etiam docet. *Symanch. tit.* 51. *de Catolic. institut. num.* 4. 7. *&* 10. *Sanch. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 9. *Azeuedo ad constit. Regias Hispan. lege* 8. *tit.* 3. *à num.* 26. *ex illis Carena par.* 2. *tit.* 1. *num.* 30. Itaque huiusmodi iuuenes adulti, si instructi contradicant habendi sunt hæretici, quia incipiant post catechizationem, & instructionem habere pertinaciam sui erroris, quem edocti fuerint aduersari fidei catholicæ, quam in baptismo receperint.

Quæres 36. An hæretici sint extra Ecclesiam?

134 ℞. Affirmatiue, quia illis deest professio fidei sub Romano Pontifice, in qua perficitur, & cognoscitur qualis persona sit membrum Ecclesiæ coniunctum, vt probaui pluribus c. 1. n. 127. ad 133.

Quæres 37. An hæretici sint obligati legibus Ecclesiasticis, ieiuniis, festis, censuris, & similibus?

135 ℞. Certum est, hæreticos, hæresi eorum, propter quam dicuntur esse extra Ecclesiam iuxta probata c. 1. q. 24. non obstante, esse subiectos legibus Ecclesiasticis, non secus ac fideles, ac proinde delinquentes affici pœnis in legibus Ecclesiasticis expressis. Probatur

136 *Tum quia*, adhuc retinent Baptismum, ratione cuius dicuntur fieri subditi Ecclesiæ, *cap. Quod quidam* 97. 1. *q.* 1. *cap. Non in vobis* 43. *dist.* 4. *de consecr. cap. Quidam* 4. *de apostatis*, baptizati enim velint, nolint subsunt iurisdictioni, & potestati Ecclesiæ in omnium sententia, ac proinde etiam hæretici, & Apostatæ cum sint baptizati, *cap. Cum Christianos* 13. *eod. in* 6. *Ricciull. lib.* 2. *c.* 32. *n.* 33. Tum quia, cogi possunt ad redeundum ad obseruationem fidei, & legum Ecclesiasticarum, ex cap. Maiores 3. de Baptismo, etiam per censuras *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. ibi omnes Thomistæ, *Bonac. p.* 7. *de fide n.* 1. ergo subduntur legibus Ecclesiasticis. *Tum quia*, per caracterem baptimalem? ita ligantur legibus Ecclesiasticis, & quasi cum Ecclesia ineunt contractum in ea permanendi, & obseruandi vniuersam legem, vt Iudæi adstringuntur per Circumcisionem secundum Paulum ad Galat. 5. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Circumcisioni autem successit Baptismus, cap. Maiores lit. ergo hæreticus, qui habet caracterem Baptismi tenetur seruare leges Ecclesiasticas. Nec ab illis potest se eximere ex probatis cap. 1. quæst. 24. cum 15. sit actus iuridictionis, ac proinde spectans ad legislatorem, qui quos vult potest à sua lege eximere. *Tum quia*, iuste, & legitime 137
puniuntur per Ecclesiam ex probatis quæstio. præcitata.

Dices, prædictis obstat Paulus 1. Corinth. 5. 12. *Quid enim mihi de iis, qui potis sunt, iudicare? Nonne de iis, qui intus sunt vos iudicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit.* Loquitur Apostolus contra quosdam hæreticos impænitentes, quos relinquit Dei iudicio puniendos, quia non sunt de sua iurisdictione, sed foris: ergo hæretici non subduntur legibus Ecclesiasticis, cum non sint Ecclesiæ subditi, vt qui extra illam sunt per abnegationem fidei.

Respondetur, ibi Apostolum loqui de Paganis, & 138
Iudæis qui proprie foris sunt. i. extra iurisdictionem spiritualis potestatis censurandi, vt dixi c. 1. n. 5. & 12. c. 2. 16. & 201. & 207. non enim sunt nostri iuris, inquit *gl.* 11. *qui foris, cap. Multi corriguntur* 18. 2. *quæst.* 1. *vbi eadem gl.* 11. *Fornicariis*, explicat Iudæis, vel gentilibus, non ergo de hæreticis sermo est, id quod etiam Nauar. consil. 4. de hæret. notauit, asserendo illos non esse subiectos legis Ecclesiasticæ in iis, quæ contrariantur eorum legi veteri, de qua re est textus expressus *in cap.* 3. *Qui sincera, dist.* 45. quem non vidit Nauar. nec puniri censuris, sed aliis pænis nempe temporalibus. *D. August. homil.* 50. *de Pœnit. cap.* 12. *relapsus cap. Multi corriguntur cit.* sic explicat illa verba: *Quibus verbis satis ostendit non temere, aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesia communione, vt si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruerse malos quosque euitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.* Itaque Apostolus non negat iudicium, contra eos, qui foris sunt, sed negat iudicium, quod foris est. i. extra ordinem iuris, propter enim suspicionem quis iudicandus non est, sed solum, quando proprium delictum confessus fuit, aut de eo conuictus per legitimam probationem, vt ibidem dicit D. Augustin. Debet ergo iudex iudicare excessus, qui intus sunt. i. intra ordinem iuris non qui foris sunt. i. extra ordinem iuris, id enim ad solum Deum spectat.

Quæres 38. Propter quas causas mouetur quis ad hæreticandum.

℞. Pluribus ex causis, tres tantum refero. *Prima* 139
est vana gloria regnandi in spiritualibus, quod bene suadetur ex sit 8. Act. *Cum vidisset autem Simon quia*

per

per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens, Dare est mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Ecce cupiditas Simonis euadendi prælati, & esse similis in potestate Apostolis ex concepta hæresi, quod Spiritus sanctus venderetur, vnde duo committũtur peccata vnum hæresis, alterum illi adiectum Simoniæ, vt his duobus coniunctis, quo est Simoniaca hæresis, cap. Fertur 28. 1. q. 1. supra cap. Petrus 19. eod. tandem perueniret ad ambitum prælaturæ. *Secunda est.* ex mala intelligentia scripturarum, Paulus ad Ephes. 4. *Ambulant in vanitate sensus, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.* Melius ad Timoth. 1. cap. 1. *Quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquios, volentes esse legis Doctores & non intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Hilarius Sanctus de Synodis aduersus Arianos sic scribit: *Ex Sacris literis perperam intellectis, ortæ sunt hæreses, nulla tamen est Scripturarum, sed male intelligentium culpa.* Orta quoque hæresis est ex inobedientia ad summum Sacerdotem, quare *tertia causa* hæresum est nolle obedire Sacerdoti inquit S. Cyprianus scribens ad Cornelium Papam relatus tom. 1. Concilior. fol. 383. his verbis: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Hæc autem causa maxime cernitur in hæreticis nostrorum temporum Luteranis, Caluinis, & aliis qui nolunt recognoscere Pontificem Romanum caput vniuersalis Ecclesiæ, non quia nesciunt in corde suo, esse verum Sacerdotem, sed quia hanc supremam in eo potestatem eludere volunt, vt se eximant à pænis, quibus illos legitime, & iuste afficere potest.

Quæres 39. An Catholicis sit vtilis, an perniciosa hæresis?

140 ℟. Est vtrumque, suadetur ex eius necessitate apud Apostolicum Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. 19. *Nam oportet, & hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Subdit D. Ioannes Chrysostomus Serm. contra Ignat. *Itaque iam improbos vt malos in medio reliquit, vt boni eo illustrius inter eos eluceant.* Melius idem in cap. 7. Matth. homil. 19. *Hæresis quidem periculosa res est, sed vtilis valde, periculosa quidem, quia multi seducantur per eam, & pereunt: Vtilis autem est, quia tentantur fideles per eam, & ab infidelibus segregantur.* D. August. tom. 1. lib. de vera relig. cap. 8. super eadem verba scribit sic: *Vtamur ergo etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt catholicam disciplinam aduersus eorum insidias afferentes, vigilantiores, & cautiores simus, etiam si eos ad salutem reuocare non possumus.* Est ergo hæresis ex sua natura monstrum pestiferum, reipublicæ catholicæ infestissimum, & perniciosissimum; vtilis vero consequenter, quatenus fideles se exercent in defendendis Sacris Scripturis, profligendo, & exterminando errores hæreticorum, ex quo exercitio
141 magis eluceret veritas Christianæ religionis. Ex auctoritate Apostoli constat de fide, dari in rerum natura apud infideles hæresim, quam Ecclesia catholica semper impugnauit.

Quæres 40. An hæretici deprauent sacras Scripturas, & concilia à Patribus composita?

142 ℟. Affirmatiue ex abductis c. 7. q. 11. num. 102. Quibus adde sequentia Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi relati tom. 1. Concil. fol. 873. §. Dixerit: *Nam oracula, quæ cum in noua, tum in veteri quoque Scriptura ea de re passim occurrunt, ea quidem variis opinionibus ebrij, & tantum non dementati à vero, germanoque sensu in præposterum detorquent.* Lege contra hos deprauatores tom. 3. Concil. fol. 545. ait. 6. fol. 564. 570. 572. 575. Mirum non est, quia hæresis pro basi, & fundamento habet mendacium, pro patre Satan, à quo omnia mendacia originem trahunt, vt inquit Cyrillus tom. 1. Concil. fol. 1119. §. Retulerit his verbis? *Pestifera quidem lues, quæ orbem depasta est vniuersum, basim quidem habens mendacium, patrem vero Satanam* Hæc scribit ibidem ad Theodosium imperatorem.

Quæres 41. An seruanda fides hæreticis in contractibus suppositis validis, & licitis præcisè quia sunt hæretici?

℟. Affirmatiue, quia obligatio in contractibus oritur ex triplici virtute, veritatis, vt vere, & non ficte promittatur; fidelitatis vt stetur promissis adimplendo ea; & iustitiæ, vt tribuatur promissum promissario; hæ autem virtutes obligant iure naturæ, ergo omnes indistincte siue sint Christiani inter se, siue Iudæi, siue Pagani, siue Hæretici, diuisim siue coniunctim. Confirmatur exemplis veteris Scripturæ, nam Iosuë cum suis pactum cum Gabaonitis infidelibus seruauit, Iosuë cap. 9. Sedecias quia pactum datum Nabuchodonosori non seruauit, à Deo punitus fuit 2. Paralip. 36. Simeon, & Leui filij Iacob quia fregerunt pactum cum Sichemitis initum circa matrimonium ea conditione vt isti Gentiles circumciderentur, in eo quod occiderunt Sichemitas circumcisos contra pactum, à Deo puniti fuerunt, vt legitur Gen. 34. & 45. Rom. hanc prosequitur *Becanus de fide Cap. 16. q. 1. & in opusc. idem rescribens lib. 2. de fide hæreticis seruanda cap. 7.* Quod licet sit verum tamen id ipsi negant, sed mendaces sunt, ideo negare debent, vt non deuient ab eo, quod sunt. 143

Dices, hæretici vitandi sunt propter duo, primo propter hæresim, secundò propter excommunicationem, respectu primi quidem propter tria, nempe propter periculum subuersionis, quia sermo eorum vt cancer serpit, vt inquit Paulus ad Timoth. 2. c. 2. 17. Propter scandalum, nam Christiani cum eis conuersantes videntur approbare illorum doctrinam, & sic infirmi, & simplices inducuntur in errores; & propter ipsorum improbitatem, quorum vitia, & defectus refert Apostolus Scribens 2. ad Timoth. 3. 2. Respectu secundi, idest, excommunicationis, nullatenus conuersandum est cum hæreticis, nam id prohibitum est iure naturali, & diuino, nempe cum illis conuersare in rebus diuinis, vt in participatione sacramentorum, & publicis suffragiis Ecclesiæ, iure vero positiuo prohibita est conuersatio ciuilis in familiaritate, locutione, & negotiis: ergo cum ex his tollatur penitus conuersatio cum hæreticis, sequitur non solum non esse illis fidem seruandam, sed nec dandam nisi illicitè, ac proinde neque seruandam, iuxta illud: *In malis promissis rescinde fidem.* cap. In malis, 22. q. 4. 144

℟. Argumentum hoc solum probare non esse dandam fidem hæreticis in iis, quæ sunt mala, & vbi timetur periculum subuersionis, & scandali, non autem in aliis, quæ de se non sunt mala, nec ex circumstantiis prædictis, vnde data vtilitate Catholicorum, licita etsi conuersatio cum hæreticis in contractibus, & aliis negotiis, non obstante excommunicatione eorum, quia non excommunicatis non est prohibita conuersatio cum excommunicatis in ciuilibus præsertim, ante denuntiationem eorum nominatim factam, vt docent omnes innixi Bullæ Martini V. incip. *Ad euitanda* imo prohibitio hæc post denuntiationem intelligitur, quando nulla adest causa vtilitatis

tatis conuersandi cum illis. Intellige hæc, nisi adsit specialis prohibitio, vt facta fuit Italis, ne extra Italiam petant, vel habitent, vbi non est liber, & publicus Dei cultus, Clem. VIII. Bulla 42. incip. *Cum sicut.*

Quæres 42. An licitum sit concedere cuique vt possit viuere liberè in sua fide, quæcumque illa sit?

145 ℞. Nequaquam potest concedi libertas religionis, sed omnibus notis hæc impedienda est, & extirpanda sitis introducta, tamen ad euitandum grauius incommodum tolerari potest, & permitti, quando verisimiliter timetur perturbatio pacis in republica.

Primum de illicita concessione libertatis religionis probatur, quia libertas hæc est intrinsece mala, cum sit destructiua vnitatis fidei, est introductiua dissensionis, dissipatiua doctrinæ Christi, quæ vna est, quam omnes sequi debent, & desolatiua Ecclesiæ, cum omne regnum in seipsum diuisum, desoletur, talis fieret in Ecclesia Dei desolatio, si concederetur libertas conscientiæ, & religionis. Vide *Becan. cap. 16. de fide quæst. 4. & in opusc. lib. 2. de fide hæreticis seruanda c. 10.* Itaque super hac re fides hæreticis non est danda, & multo minus data est seruanda, cum id intrinsece malum sit.

146 Secundum de tolerantia libertatis conscientiæ, seu religionis, suadetur ex illo communi axiomate: *Ex duobus malis minus est eligendum.* Quando scilicet vtrumque euitare non possumus, *cap. 1. dist. 13. cap. Curauit. 4. cap. Non solum 7. 22. quæst. 4. cap. Si quod 9. 33. quæst. 2. l. quoties ff. de reg. iur.* Confirmatur etiam ex parabola zizaniorum Matth. 13. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Dicit ergo Christus, quod hæretici possunt, & debent tolerari, ne forte colligentes zizania eradicemus simul cum eis triticum, patiendi ergo tunc, quando ex eorum destructione sequeretur grauissimum incommodum in republica Christiana. Est sententia *D. Thomæ*, & omnium *cum eo 2. 2. quæst. 10. art. 11.* Quod si Princeps ineat cum illis pactum super hac tolerantia, omnino seruandum est illis, quia attentis his circumstantiis est de re licita, inquit Becanus locis citatis.

Quæres 43. An in bello fides sit seruanda hæreticis.

147 ℞. Fides hæreticis in bello seruanda est, sicut seruatur inter hostes Christianos, non enim est maior ratio de vno, quam de altero, si inspiciamus titulum hostilitatis. Est sententia D. Augustini relati in cap. Noli 3. 23. quæst. 1. quem sequitur D. Thomas 2. 2. quæst. 40. art. 3. intelligitur primo, si causa belli non referatur ad detrimentum religionis, tunc enim fides non est danda, nec data seruanda, ex dictis præcedenti quæstione. Secundo non seruatur fides, quando primo frangitur ab inimico, ex cap. 75. de reg. iur. in 6. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat.* Quia frangenti fidem fides frangitur eadem. Tertio non seruatur fides, si dolo, metu, aut alia via illicita extorta fuit, intellige, nisi adiectum fuerit iuramentum, exemplo Iosue, qui cap. 9. 19. seruauit fidem dolo extortam à Sabaonitis propter iusiurandum, non propter pactum.

Quæres 44. Circa matrimonium contractum inter fidelem, & hæreticum?

148 ℞. Non licet contrahere matrimonium cum persona hæretica, contractum tamen tenet, ita quod per superuenientem etiam hæresim in alio non dissoluatur, imo persona fidelis hæreticæ fidem seruare tenetur in rebus matrimonialibus; est vero hæresis sufficiens causa diuortij.

Prima pars de prohibitione matrimonij inter Christianum & hæreticum, habetur in pluribus Conciliis, *in Calcedonensi can. 14. Elibertino cap. 16. Laodiceno cap. 10. & 31. Carthaginensi 3. c. 12. Agathensi c. 67. relato cap. Non oportet 28. q. 1.* Estque peccatum mortale propter periculum subuersionis secundum omnes, *Sotus in 4. dist. 39. quæst. vn. art. 2. ad vltimum, Palacios ibid. P. de Ledesma quæst. 59. art. 1. Sanchez lib. 7. disp. 71. num. 4.*

Secunda pars de eius valore suadetur, tum quia 149 nullibi declaratur nullum aut in prohibitione apponitur decretum irritans, excepto can. 72. Sextæ Synodi, sed illi canones non sunt authentici, nec approbati, vt dixi cap. 10. num. 29. *Tum quia*, hic locum non habet impedimentum: *Cultus disparitas.* Nam respicit baptizatos, & non baptizatos docent omnes apud, *Sanchez lib. 7. disp. cit. 71. 72. & 73. Becan. cap. 16. de fide hæret. sent. quæst. 3. Tum quia*, non impedit ratio sacramenti, cum tunc ex parte hæretici spectetur vt contractus, respectu catholici etiam vt sacramentum.

Tertia pars, de indissolubilitate ex superueniente 150 hæresi definitur in Tridentino sess. 24. can. 5. *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge dissolui posse vinculum matrimonij anathema sit.*

Quarta pars de fide seruanda constat ex triplici 151 eius bono, primum, vt neuter altero viuente alij copuletur, Roman. 7. 2. secundum, alter alteri debitum reddere debet, 1. Cor. 7. 3. tertium, mutua debet esse inter eos habitatio, & administratio domus cum subordinatione vxoris ad maritum, 1. Corinth. 11. 3. In his enim tribus sibi inuicem fidem seruare tenentur, cum sint omnino consequentia ipsum matrimonium, tertium in aliquibus casibus non est obligatio seruandi, quando locum habere potest diuortium.

Quinta hæresis est causa diuortij, quando alter 152 allicit ad hæresim alterum, vel filios instruit in hæresi, est communis apud *Magistrum in 4. dist. 39. Sanch. lib. 10. disp. 15. Bonac. quæst. 4. de matrim. part. 5. n. 25. Becan. c. 16 de fide seru. q. 3. & lib. 2. opuscul. de fide hæret. seru. c. 9.* An sit suspectus de hæresi dicam seq. Cap.

Quæres 45. An in saluo conductu fides seruanda sit hæreticis?

℞. Est seruanda iuxta tenorem datum, nimirum 153 quoad personam, & quoad rem, non vero quoad causam, ne Ecclesia videatur approbare eos errores. Dicam latius infra cap. 24. quæst. 12.

CAPVT X.

De Suspectis de Hæresi.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus formalis quis sit?*
2 *Articuli à fidelibus concipiuntur affirmatiuè.*
3 *Ab hæreticis negatiuè.*
4 *Discredere mente, & ore facit hæreticum formalem.*
5 *Formalis hæreticus, qui certo discredit.*
6 *Cum errore in intellectu.*
7 *Circa articulum certo definitum.*
8 *Non verò putatum, cum non sit.*
9 *Toti Ecclesiæ reuelatum.*
10 *Debet constare de actu discredendi.*

11 *Suspectus*

11 *Suspectus de hæresi quis dicatur?*
12 *Delicta non præsumuntur.*
13 *Suspicio, & Præsumptio idem.*
14 *Suspicio, & Præsumptio, & Indicium quid?*
15 *Triplex leuis, vehemens, & violenta.*
16 *Quisque talis præsumitur, qualis de iure debet esse,*
17 *Quis præsumitur talis, in quali habitu inuenitur.*
18 *Præsumitur ex vno tempore ad aliud.*
19 *Semel malus semper præsumitur malus.*
20 *Mala fama tollitur per triennalem conuersationem bonam.*
21 *Intrinseca præsumuntur in esse.*
22 *Præsumptio cedit veritati.*
23 *Præsumptio fori externi est contra consulentem.*
24 *Præsumptio vna tollit aliam.*
25 *Præsumptio cessat in casu claro.*
26 *Præsumptio nulla in præiudicium tertij.*
27 *Præsumptio temeraria quæ à maleuolis ortum habet.*
28 *Præsumitur notitia facti ex vicinitate.*
29 *Qui habet regulam pro se dicitur habere præsumptionem.*
30 *Ex præsumptione non oritur præsumptio.*
31 *Præsumptio iuris de iure non admittit probationem.*
32 *Leuis suspicio quid.*
33 *Sufficit ad inquirendum, & examinandum reum.*
34 *Leuis suspicio in se grauis est.*
35 *Leuiter suspectus non torquendus.*
36 *Vehementer suspectus quis dicatur?*
37 *Violenter suspectus quis dicatur?*
38 *Duæ leues suspiciones vnam vehementem faciunt.*
39 *Facient opus ex se malum ab hæreticis laudatum suspectus.*
40 *Calendarium morte Catholicorum seruandum.*
41 *Probatio duplex directa, & indirecta.*
42 *Suspectus de hæresi se defendit probatione indirecta.*
43 *Suspectus de hæresi vehementer, aut violenter abiurat.*
44 *Suspectus non punitur pœnis hæresi eorum.*
45 *Suspectus de hæresi post mortem exemptus à iudice.*
46 *Suspectus vehementer interrogatur super intentione.*
47 *Torquetur pro certificatione veritatis.*
48 *Suspectus non fit, nisi indicium sit plene probatum.*
49 *Leui suspicioni respondet modica pœna.*
50 *Suspicio maior, vel minor ex circumstantiis colligitur.*
51 *Contrahens matrimonium cum hæretica est vehementer suspectus de hæresi.*
52 *Nomine Fornicationis venit idolatria.*
53 *Matrimonium inter baptizatum, & hæreticum prohibetur,*
54 *Tenet tamen, sed cum non baptizato nullum est.*
55 *Bulla Clementis VIII. prohibentis Italos cum hæreticis conuersari.*
56 *Italiæ sub nomine veniunt insulæ.*
57 *Ex vna aliam declarat.*
58 *Cuiusuis conditionis, & status quid importet?*
59 *Habitare non dicitur breui reuersurus.*
60 *Marito quicquid prohibetur vnietur interdictum vxori.*
61 *Infans hæretici baptizatus per catholicos etiam educatur.*
62 *Medico hæretico catholicus quando vtatur.*
63 *Infirmus infirmum curare non potest.*
64 *In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit vnum implere.*
65 *Ordinarij nomine venit Episcopus in causis fidei.*
66 *Vicariis pariter Generalis, &*
67 *Capitulum sede vacante.*
68 *Fautor hæreticorum quis dicatur?*
69 *Fautoria committitur tribus modis.*
70 *Fautor debet cognoscere hæreticum talem.*
71 *Non est necesse habere expressam intentionem fauendi hæretico.*
72 *Fautor est suspectus de hæresi.*
73 *Excommunicati ob causam fidei sunt vehementer suspecti, non est verum vniuersaliter.*
74 *Insordescentia in excommunicatione qualis.*
75 *Fauor respicit hæreticum quouis tempore.*
76 *Contra fautorem non proceditur, nisi prius constet de hæretico.*
77 *Præsumptio est contra denunciatum fautorem.*
78 *Ignorantia probatur ab allegante illam.*
79 *In dubio fautoria est pro consanguineo, non pro hæresi.*
80 *Fautoris probationes permittuntur.*
81 *Receptator qui scienter recipit hæreticum etiam pro vna vice.*
82 *Suspectus est de hæresi.*
83 *In quibus actibus consistat receptare.*
84 *Defensor hæreticorum quis dicatur?*
85 *Defendi non potest sine licentia Inquisitoris.*
86 *Quinam dicantur credentes.*
87 *Conuersatio cum hæreticis iure diuino prohibita.*
88 *Clericus relinquens hæreticis suspectus de hæresi.*
89 *Impedientes S. Officium sunt suspecti de hæresi.*
90 *Armorum priuilegia habent officiales.*
91 *Libertas maxima pro hoc tribunali statutis non impedienda.*
92 *Episcopus, Inquisitores fautores hæreticorum non debent esse.*
93 *Alios non reuocans ab errore ipse errat.*
94 *Principes, & Magistratus non debent esse fautores hæreticorum.*
95 *Denuntiare omittentes priuati sunt suspecti tantum leuiter.*
96 *Fauens suspectum de hæresi incurrit suspicionem hæresis.*
97 *Satisfactio idonea quandoque significat abiurationem.*
98 *Ex præsumptione non oritur præsumptio, explicatur.*

HÆRETICI, quantum facit ad explicationem huius capitis sunt in duplici differentia, alij vocantur Formales, alij tantum Suspecti.

Formalis hæreticus dicitur ille, qui negauit firmiter, & ex corde aliquem articulum de fide certum, & expressè definitum, quem scit esse talem, ab Ecclesia propositum ab omnibus credendum, exprimendo se illum non credere, Singulæ particulæ sunt explicandæ. 1

Primo dixi illum esse formaliter hæreticum, qui negat fidei articulum, sicut enim ille dicitur fidelis, & facere actum fidei, qui aliquid de fide affirmat, ac proindè assensum præstat rebus fidei, ita è contra ille dicitur infidelis, & hæreticus, qui negat res fidei, ac proinde per dissensum illis aduersatur, nam per actus contrarios tendimus in virtutem, & vitium opposita, per assensum in rebus fidei versemur, per dissensum actum assensui oppositum tendimus in vitium hæresis contrarium virtuti fidei. Fit autem quis hæreticus per actum intellectus negatiuum, quia maior pars articulorum fidei concipiuntur, & exprimuntur affirmatiuè, quia sunt verè res à parte rei, Deo reuelante, siquidem dicimus, & credimus, quod Deus est vnus in essentia, & trinus in Personis. Pater generat Filium. Deus est iustus, bonus, Omnipotens, Christus 2

Christus natus ex Maria Virgine, passus, mortuus, sepultus, rediuiuus,&c. Ecce articuli fidei positiuè,& affirmatiuè concipiuntur, intelliguntur,& exprimuntur à fidelibus. Hæretici verò, quorum finis est Catholicam fidem destruere,id efficere non possunt,nisi,
3 licet inaniter in proprium animæ eorum detrimentum, opponendo se illis, negatiuè aduersando, & contradicendo, sic asserendo. Deus non est vnus,non est trinus, non est iustus, &c. vel per verbum. *Discredo. Non credo.* Per quas dictiones manifestè cognoscitur hæreticus formalis, ideo in fine definitionis addidi. *Exprimendo se illum non credere*, subintellige, articulum negatum. Illa formalis assertio dis-
4 credendi ore prolata constare debet, aliter hæreticus non dicitur formalis, cum in ea constat ratio formalis Hæresis. Ita Albert. de Agnosc. *quæst.*8. *num.*8.*&* *quæst.*34.*num* 51. Gabriel. *lib.*1. *concl.* 178. *num.* 11. alios citat Carena *par.*2.*tit.*1.*num.*49. Hinc colligitur ex ipso formali modo loquendi malignitas Hæreticorum, qui sua falsa dogmata exprimere nesciunt, nisi per negationem, ac proinde cum negatio sit malignantis naturæ, ex Aristotele, ex ipsis verbis talem te præbet hæreticus,qualem illum præ seferunt verba malignantia.

5 Secundò dixi, *Firmiter*, ad differentiam eius, qui dubitat, & si enim is quoque sit hæreticus,quia virtualiter negat certitudinem, quæ in quolibet articulo reperitur necessario,non tamen est formaliter; & propriissime talis, vt sit plectendus pœnis rigorosis, prout dixi præcedenti capite *quæst.* 20.*sect.*3.

6 Tertiò, vt quis sit hæreticus formaliter debet ex corde negare,ita quod errorem exterius proditum habeat in mente, solius enim intellectus proprium est concipere hæresim,cum sit illius error, & non alterius potentiæ,vnde neque ex factis, aut verbis præcisè resultat formalis hæresis, ex dictis præcedenti *c. q.* 14. *Sect.*3.

7 Quartò,articulus negatus, ex quo fit quis hæreticus,debet esse clare definitus,nam negans articulum,de quo non constat an talis reuera sit, sed in opinione doctorum,quorum aliqui affirmant,alij negant, ponitur,non est hæreticus, vnde negans Vrbanum VIII. esse Pontificem,non est formaliter hæreticus, secundum opinionem eorum,de quibus dixi *c.* 5. *quæst.* 52. Pariter negans fictum articulum, quem putat extare non est formaliter hæreticus, *cap.*9. *quæst.*16. *&* 17. *sect.*3.

8 Quintò esse hæreticum formalem negantem verum articulum à se,vt talem cognitum,quia sicut ignorantia inuincibilis excusat in aliis,ita etiam in hoc speciali peccato, iuxta quæ dixi præced. *cap. q.* 5. *&* 6. *sect.*3.

9 Sextò, dixi, ab Ecclesia omnibus propositum,propter eum, qui non vult credere peculiarem articulum, non ab Ecclesia, sed à Deo, is enim propriè non est hæreticus, ex dictis præceden. *cap. quæst.*22. *sect.*3.

Septimò, demùm dixi non probari hæreticum for-
10 malem illum, de quo non constat expressè dixisse, se non credere hunc, vel illum articulum. Sufficit autem vnicum negare articulum, vt quis dicatur formaliter hæreticus, quia in vno offendens factus est omnium reus, in quantum destruit rationem formalem fidei, à qua dependet articulus negatus.

Suspectus de hæresi dicitur ille, qui probatur dixis-
11 se, vel fecisse aliquid,ex quo iudex rationabiliter mouetur ad credendum illum hæreticum esse; & quia hæc credulitas non est certa scientia, sed solum suspicio,& præsumptio, quod ille sit hæreticus, ideo vt iudex se certificet de hac re, sic exigente eius officio, indicit torturam reo præsumpto hæretico, vt venire possit in cognitionem,qualis fuerit eius intentio, consequenter reus hæresis præsumptus tortura purgat suspicionem.

Dixi primo,eum esse suspectum de hæresi, qui probatur dixisse,&c. quia delicta non præsumuntur, sed probantur,*l. Merito,ff. pro socio*,*l. Procurator. ff. de condit. indeb.* Nauar.*consil.*2. de eo qui sunt. *Megal.consil.* 21.*num.*2. *&* 12 Parisius *lib.*13. *de Resignat. quæst.*1. *num.*72.

Dixi secundo, *ex quo rationabiliter iudex mouetur*, 12
non enim omne id,quod dicitur,aut fit,potest esse sufficiens indicium, & signum ad præsumendum aliquem ex suo dicto, vel facto esse hæreticum, sed ea tantum dicta, vel facta iudicem habent prudenter ducere in suspicionem hæresis, quæ aliqua ratione referri, seu ordinari possunt ad ipsam hæresim, siuè ex necessaria, seu contingenti raro, vel sæpius connexione dicti, vel facti cum hæresi, vt apparebit in exemplis infra referendis.

Dixi 3. hanc credulitatem, qua suspicatur iudex, quem esse hæreticum, non esse scientiam certam, sed suspicionem,& præsumptionem, per quam iudex inclinatur magis ad affirmatiuam contra reum, quam ad negatiuam ex indiciis probatis, vnde iudex ex officio vlterius procedit inquirendo per torturam eius intentionem super illum fidei articulum, ad cuius destructionem referebatur illud dictum, vel factum probatum. Sed deueniamus ad quæstiones 13
explicando quid, & quotuplex sit suspicio, seu præsumptio, in idem enim recidunt in materia hæresis, & quod dicitur de vno intelligitur dictum de alio, Glos. *verb. Suspicione c. Excommunicamus* 14. *de hæret. contr.* 39. de Indiciis,& Tortura.

Quæres 1. Quid & quotuplex est Suspicio, & Præsumptio?

℞. Suspicio est opinio mali ex leuibus indiciis 14
proueniens, quæ si sunt probabilia faciunt suspicionem probabilem, per quam peruenitur ad præsumptionem, aliter dicitur iudicium temerarium. Præsumptio est verisimilis coniectura rei dubiæ, quæ ex natura rei, vel circumstantiis negotiorum, aut personarum procedit. Sousa *lib.* 1. *cap.* 10. Adde quod Indicium est signum probatiuum inducens iudicem in cognitionem delicti. Ex quo hæc tria differunt inter se, quod Suspicio est coniectura ex leuibus signis & indiciis. Præsumptio ex grauibus, & verisimilioribus. Indicium est causa vtriusque iuxta ea, quæ dixi citata contr. Sed vt supra dixi pro eodem hic accipienda est Suspicio, & Præsumptio. Est autem præsumptio triplex Leuis, Grauis, seu Vehemens, & grauis- 15
sima, seu vehementissima, & violenta, vndè quis de hæresi dicitur ab illis suspectus de leui, de vehementi, aut violenta. De singulis dicetur infra distinctè, præmissis nonnullis propositionibus in materia Præsumptionis, quæ multum faciunt ad intellectum huius materiæ.

Propositio prima. *Quisque talis esse præsumitur, qualis de iure debet esse lib. Nec Codicillos C. de Codicill.* Vnde cum iudex non dicatur nisi sit in eo iustitia, quam aliis ministrare debet, *cap. Forus* 10. *de verb. signif.* præsumitur iustus, *cap. Post cessionem, de probat. cap. Sicut, de re iud. cap. In præsentia, de renunt.* ex Glos. *fin. cap. Ad reprim.* 8. *de off. ordin.* Neque in, & aliis officialibus præsumitur negligentia, sed probatur, *l.* 3. §. *Si ad diem ff. de re milit. Afflict. decis.*13. *num.*18. Gratas *lib.*2. *consil.*100. *num.*1. *Bisignet. decis.*1. *de dolo Rota Rom. vol.*1. *decis.*514. *n.*3. Præsumitur pro Notariis,& aliis officialibus Paris. *lib.*8. *q.*8. *de Resignat. num.*59. 16

17 Secunda. *Quis præsumitur talis, in quali habitu inuenitur. Cap. Si iudex* 12. §. *Iustum est enim, vt ipse talis, quem gestat ex habitu, quoadusque appareat aliud, præsumitur, qualis is esse, cuius fert habitum, comprobatur, de sent. excomm. in* 6. *l. Item* 15. *de iniuriis*, vndè si quis deprehenditur cum habitu laicali, præsumitur laicus, non clericus ex citatis iuribus, consequenter eumdem capientes, & incarcerantes non sunt excommunicati, quia ex habitu laicali ignorant probabiliter, eum esse clericum, Grass. *prax. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 27. Megal. *lib.* 3. *de censur. cap.* 11. *numer.* 7. & alij communiter.

18 Tertia. *Præsumptio ex præsenti sumitur circa præteritum.* Item: *Ex præterito circa præsens.* Item: *Ex præsenti circa præsens.* Item: *Ex præsenti seu præterito circa futurum.* Glosa *ver. ostendentes c.* 1. 34. *q.* 1. *iurib.* ibi allegatis. Ex præteritis præsumitur circa futura, *c. Mandata* 6. *c. Scribam* 9. *de præsumpt. l. Ex persona C. de probat. l. Si tu qui C. de adult.* M. Anton. *l.* 3. *resolut.* 40. *n.* 4. vbi id multis exponit.

19 Quarta. *Semel malus semper præsumitur malus. Reg.* 8. *in* 6. Duen. *reg.* 303. Menoch. *l.* 5. *præsumpt. q.* 32. Mascard. *concl.* 1003. Barbosa *Axiom.* 142. vnde qui primò peierauit in ferendo testimonio, præsumitur deieraturus etiam secunda vice, *ex cap. Paruuli* 22. *q.* 5. Procedit in eodem genere mali, *lib. si cui*, §. 1. *de accusat. l. Non omnis*, §. *A barbaris, ff. de re militar.* Thomas. *reg.* 278. F. Franciscus Aretin. in sua praxi *c.* 7. *de secundo subst. indicij*, §. *Quarto*, vbi refert quinque fallentias. Fallit, si constat de emendatione,

20 præsumptio autem malæ vitæ tollitur per triennalem conuersationem bonam probatam, ex Felin. *in cap. Cum deputati, de iudic.* Nauar. *tom.* 2. *comment.* 2. *n.* 60. ex Alciato *reg.* 2. *præsumpt.* 7. Roland. *consil.* 63. *n.* 12. de hac regula in materia hæresis Carena *par.* 3. *tit.* 3. *de probat.* §. 7. vbi dicit, quod ex hac regula præsumitur contra aliquem ex ante acta vita, quod habet Glosa in casu *c.* 1. *de purgat. can.*

21 Quinta. *Intrinseca præsumuntur inesse.* ver. Glos. Scientiæ, *c. Si forte* 11. *de elect. in* 6. *per l. Si verò.* §. 1. *ff. qui satisd. cog.* exemplum sit in castitate, quæ præsumitur inesse, nisi oppositum probetur. Extrinseca verò, vt scientia, non præsumuntur, ideo examinatione probantur.

22 Sexta. *Præsumptio cedit veritati, l. Nuptura filio, ff. de iure dotium, l. fin. ff. quod metus causa*, alia iura, & doctores Barbosa *axiom.* 186. Paris. *q.* 31. *de consid. numer.* 34. Vnde præsumptio veritati proximior attenditur, *l. Filium, ff. qui sunt tui, vel alieni iur.* Nau. *consil.* 1. *de præsumpt.* Grilenz. *consil.* 161. *numer.* 11. quia de ratione præsumptionis est verisimilitudo, cum succedat in locum veritatis, & tamdiu pro veritate habetur, quamdiu non apparet ipsa veritas, cui cedere debeat, Paris. *q.* 7. *de consid. n.* 53. vnde quod verisimile non est, habet speciem falsitatis, Bald. & Iason. *in l. Si extremus, ff. de condit. caus. dat.* Decius *consil.* 644. *num.* 6.

23 Septima. *Præsumptio fori externi est contra consulentem, l. Merito, ff. pro soc.* Bonac. *q.* 2. *de restitut. in genere, par.* 4. *num.* 3. vt si quis certus sit de homicidio dubitat autem, an suo consilio euenerit, stat contra ipsum præsumptio, nullus enim præsumitur commisisse homicidium sine consilio, Sanchez *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 44.

24 Octaua. *Præsumptio vna tollit aliam, cap. Afferte* 2. *de præsumpt. lib. Quidam testamento, ff. de vulg. & pupilli subst. lib fin. C. de instit. & subst.* Mascard. *de probat. concl.* 405. *numer.* 5. Surd. *consil.* 361. *numer.* 35. Nau. *consil.* 42. *de regul. n.* 6. Barbosa *Axiom.* 186. *num.* 2. Item *Fortior, tollit minus fortem.* Glos. ver. Purgauit *cap. Literas* 14. *de præsumpt. per l. Diuus, ff. de in integr. restit. l. Non solum, ff. de ritu nupt.* Ioan. de Amic. *consil.* 114. *numer.* 23. Socin. Sen. *consil.* 21. *n.* 4. *vol.* 1. Franc. Beccar. *consil.* 52. *n.* 96. ex. M. Anton. *l.* 1. *resol.* 88. *n.* 12. *Præsumptio vna cedit pluribus, l.* 3. §. 1. *ff. de testib. l. Cum de debito ff. de probat.* Barbosa *Axiom.* 186. *n.* 3. alter Barbosa Vaz. littera P. *num.* 6.

Nona. *Præsumptio cessat in casu claro* arg. *c. Veritate* 4. *dist.* 8. quia cedit veritati, Megal. 1. 2. *l.* 2. *c.* 23. in fine. 25

Decima. *Præsumptio nulla est in præiudicium tertij.* Aymon. de antiq. temp. *par.* 2. *n.* 24. Rota Rom. *vol.* 1. *decis.* 64. *n.* 6. 26

Vndecima. *Præsumptio temeraria, quæ à malis hominibus ortum habet.* Bonifac. *in tr. de malef. in Rubr. de præsumpt.* Gand. ib. Megal. *consil.* 41. *n.* 4. 27

Duodecima: *Præsumitur notitia facti ex vicinitate. c. Quosdam* 7. *de præsumpt.* Item, ex conuersatione, *cap. Postquam* 3. *de elect.* Item, ex educatione, & conuersatione cum malis præsumitur malum ex illo Prouerb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Carena *par.* 3. *tit.* 3. *de probat.* §. 6. Item ex patria quis præsumitur bonus, vel malus, nam magis præsumitur hæreticus Germanus, quam Italus. Item ex parentibus, iuxta illud Ezechiel. *c.* 16. *n.* 44. *Sicut mater, ita & filia eius.* Et solet dici. *Qualis pater talis filius*, vt plurimum enim filij sequuntur vitia parentum, *c. Sigen.* 10. *dist.* 56. Vide supradictum Carenam, §. 4. & 5. 28

Decima tertia. *Qui habet regulam pro se dicitur habere præsumptionem iuris, l. Ab ea parte, ff. de probat.* Decius *in lib.* 1. *ff. de reg. iur. in* 6. ibi Glosa, Cagnol. *n.* 21. Alciat. *de præsumpt. præsump.* 28. *n.* 6. Peregrin. Theatinus *c.* 3. *de immun. n.* 5. 29

Decima quarta *Ex præsumptione non oritur præsumptio*, Farin. *consil.* 55. *n.* 25. & *consil.* 114. *n.* 40. Carena *par.* 3. *tit.* 12. *de abiurat. num.* 19. & 20. Vide intra *q.* 26. 30

Decima quinta, *Præsumptio iuris de iure non admittit probationem in contrarium.* Doct. *in l. Rescripta, C. de precib. imper. porrig.* Paris. *q.* 76. *num.* 3. aliis allegatis, *quæst.* 77. tum bene Glosa ver. contra præsumptionem *cap.* 15. qui fidem 30. *de sponsal.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 37. per totam Megal. 12. *lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 45. & 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 167. & *n.* 168. ex Glosa fin. *cap. Fraternitatem dist.* 54. Glos. fin. *cap. Ferrum dist.* 50. quas citando sequitur Cœpolla *in tr. de simul. contr.* & docet procedere solum, quando lex statuit, probationem non esse admittendam: Sanch. *lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 22. ait admitti in iudicio extraordinario per doctores ibi citatos, & *num.* 33. subdit, admitti indirectam probationem, per Glos. *ver. Fecisse, Clem.* 1. *de probat.* Mascard. *q.* 10. *n.* 65. & alij ibid. His præmissis. 31

Quæres 2. Quid sit leuis suspicio, & quis dicatur leuiter suspectus de hæresi?

℞. Leuis suspicio est illa, quæ oritur ex modicis coniecturis. Probatur ex vocabulo leuitatis, quia cum sit parui momenti animum indicis parum mouet ad suspicandum de hæresi, vnde facili negotio tollitur, siquidem oritur ex talibus signis, seu delictis, ex quibus raro infertur quem esse hæreticum, cum fere nullam habeat relationem ad crimen hæresis. Doctores exemplificant. Primò in eo, qui frequenter peierat, is enim dicitur leuiter suspectus, Decian. *lib.* 5. *crimin. cap.* 35. *num.* 47. Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæst.* 100. *numer.* 1. *Secundò*, perseuerantia in peccato mortali arguit quem suspectum de hæresi leuiter, Barbat. *numer.* 19. *de testibus*, apud Ziletum. *Tertiò*, faciens occulta conuenticula, aut deuians à communi conuersatione fidelium. Ita Ricciull. *lib.* 5. 32

lib. 5. cap. 11. num. 4. citatis Gerson. Simanch. & Locat. Sed hæc suspicio non est leuis, sed potius vehemens vt colligitur ex *c. Excommunicamus 15. §. Adiicimus de hæret.* Alia exempla habes in suis locis iuxta qualitatem delictorum.

Sed numquid de hæresi leuiter suspectus inquiri, & interrogari possit super intentione, & si neget hæresim præsumptam torqueri possit pro eruenda veritate?

Certum est, inquiri posse, & examinari, neganti vero hæresim tortura non est danda super intentione sed suspicionem sufficienter elidit per abiurationem de leui.

33 Primum, quod possit examinari, colligitur *ex c. Accusatus 8. de hæresi in 6.* vbi de leui suspicione, & multis citatis docet Farinac. *q. 185. num. 54.* Nec obstat, quod ex leuibus non suspicandum contra aliquem, quasi suspicio sit temeraria, & non probabilis, quia leuis suspicio spectari potest dupliciter, primo comparatiuè ad vehementem, & sic vocatur le-
34 uis, ex eo quod oritur ex indiciis raro inferentibus hæresim, vehemens verò ex aliis sæpe inducentibus hæresim, ac proindè faciliori modo tollitur leuis, quam vehemens: secundo absolutè, & secundum se spectata, in quo sensu grauis dicitur iudicem prudenter mouens ad præsumendum hæresim ex eo indicio probato, quantumuis leui, sufficienti tamen ex eo, quod quandoque ex illo infertur hæresis. Nota tamen cum Simanch, & Nauar. *consil. 2. de hæret. num. 8.* apud dictum Farin. *quæst. 185. n. 56.* personas graues, & bonæ famæ ex leuibus indiciis non esse de facili vocandas, vt respondeant, quid de fide sentiant.

35 Secundum, quod scilicet non sit torquendus, probatur eo, quod hæc suspicio sufficienter tollitur per abiurationem de leui. Genuens. *c. 58. n. 8.* Quod si subiiciatur torturæ, non est illi indicenda abiuratio, quia per torturam sufficienter ablata est suspicio hæresis Pegn. *part. 3. Conuent. 39. §. Quare in hoc articulo.* Suspectus vero de vehementi semper subiicitur torturæ, vt omnes docent, quia abiuratio non sufficit ad elidendam hanc suspicionem propter eius vehementiam.

Quæres 3. Quid sit suspicio vehemens, & quis dicatur vehementer suspectus de hæresi?

36 ℞. Suspicio vehemens est illa, quæ oritur ex verbis, vel factis, ex quibus frequenter, & vt plurimum deducitur, eum, qui talia, dicit, vel facit, esse hæreticum. Est communis omnium apud Farin. *quæst. 187. §. 3.* Sousam *lib. 1. cap. 10.* ex quo differt à leui, quod vehementem actus frequenter inducunt, leuem verò raro, & in hoc non est difficultas, exempla referam, *Primò*, Ignorantia crassa, seu affectata inducit vehementem suspicionem in eum, qui ignorat ea, quæ communiter omnes sciunt. Simanch. *de Cathol. inst. tit. 50. numer. 25.* Ricciull. *lib. 5. cap. 11. numer. 8.* Sousa *lib. 1. cap. 12. numer. 16* *Secundo*, obseruatio falsarum cæremoniarum inducit vehementem suspicionem, Ricciull. aliis allegatis, quamquam hoc exemplum potius spectat ad violentam, si bene inspiciatur *c. Contra de hæret in 6. Tertiò*, Incantatores, diuinatores, & Astrologi iudiciarij sunt vehementes suspecti, &c. sed de his dicetur in suis locis.

Quæres 4. Quid sit suspicio violenta, & suspectus de hæresi violenter, seu vehementissimè?

37 ℞. Suspicio violenta est illa, quæ oritur ex verbis, seu factis, ex quibus ferè semper colligitur, quod illa dicens, seu faciens est hæreticus præsumptus, & ex eo quod habent necessariam connexionem cum hæresi. Ita aliis citatis Farin. *quæst. 181. numer. 54.* Sousa *lib. 1. cap. 10. num. 7. lib. 2. cap. 25. numer. 15.* Ricciull. *lib. 5. cap. 11. numer. 24.* Exempla sint *Primò*, qui transit ad sectam antiquam est violenter suspectus de hæresi *cap. Contra 13. de hæret.* Ricciull. & Farin. locis citatis. *Secundò*, fautores, & defensores hæreticorum, ex eodem capite. *Tertiò.* publicè asserentes propositiones hæreticas, Siman. *tit. 50. n. 26.* Ricciull. *Tertiò*, dicitur violenter suspectus asserens Christum non esse risibilem iuxta quod dixi *c. præced. sect. 3. q. 23. Quartò*, adorantem idola, & similes actus latriæ illis præstando, esse violenter suspectum de fide. Sed de his in materiis particularibus dicetur.

Quæres 5. An duæ leues suspiciones faciant vnam vehementem; & duæ vehementes vnam violentam.

℞. Affirmatiuè, ex illo axiomate. *Et quæ non prosunt singula, multa iuuant* Relato per Glossam *ver. Collecta cap.* Tres sunt 81. *dist. 1. de pœnit.* ibi Nauar. *tom. 3.* Glos. adminicula, *c. Cum causam 13. de probat. per l. Sancimus C. de test.* Bald. *in l. 1. C. de confess.* Ita in materia hæresis Locatus *vel Suspicio.* Simanch. *tit. 57. in Rubr. de lapsis n. 5.* Pegna *in part. 2. comment. 83.* Decian. *l. 5. Crimin. c. 56. n. 13.* Farin. ex illis *q. 195. num. 22.* loquendo de duabus vehementibus vnam constituentibus violentam, *num. 24.* de leuibus vehementem facientibus, dixi ego *contr. 39. quæst. 28. & 29.* 38

Quæres 6. An faciens opus ex se malum, quod de se nullam admittit suspicionem hæresis, si laudetur ab hæreticis ex hoc inducat suspicionem, & qualem? Exemplum sit in religiosis ducentibus vxores, id enim de se malum est, & tamen ab hæreticis modernis laudatur. quia vota religiosorum improbant tamquam mala, & nulla, ac proindè illis licitum faciunt coniugium.

℞. Si religiosus, vel alius hæc faciat inter hæreticos in illis regionibus, in quibus degunt simul hæretici, & fideles, est vehementer suspectus de hæresi, quia facto approbat illorum hæresim, ex quo præsumitur errorem habere in intellectu, conuersatio enim arguit vt plurimum eosdem mores, cum quibus fit habitatio *arg. c. 1. dist. 41.* ac proinde communicare videtur eorum operibus malignis. Sic non ieiunantes more Calendarij noui, & hoc non seruantes in illis terris, in quibus respectu Catholicorum seruatur nouum, & respectu hæreticorum vetus, sunt suspecti de hæresi, & quidem vehementer recedentes à Calendario nouo, videntur enim approbare dogma hæreticum de nullitate Pontificiæ auctoritatis. Quod si omnes seruant vetus, nulla est suspicio, quia omnes in hoc conueniunt pro pace conseruanda, & conuenientia in negotiis, & non alio fine, in hoc sensu permittitur fidelibus se conformare cum hæreticis simul habitantibus, ad euitanda maiora scandala, & ruinas, intellige modo hæretici iubentes id non faciant in contemptum fidei, Ecclesiæ, & Romani Pontificis. In terris vero Catholicorum religiosus ducens vxorem & si vehementer sit suspectus de hæresi in ordine ad Sacramentum matrimonij ex doctoribus allegatis à Carena *part. 2. tit. 17. de variis delict. n. 10.* non tamen ex supradicto capite, cum non adsint hæretici, quorum opinioni præsumatur fauere. 39 40

Quæres 7. An suspicio vehemens, & violenta dicantur probationis iuris, & de iure itaut probationem in contrarium non admittant, Probatio duplex est, vna directa, qua testes, vel scripturæ ex quibus probatur suspicio, vti falsi, seu falsæ eliduntur, & hoc modo non admittitur probatio in contrarium, Simanch. *tit. 51. numer. 13.* Pegna *par. 3. ad comment. 80. §. Quamuis autem*, ex illis Ricciull. *lib. 5. cap. 11. num. 28.* Farin. *q. 187. num. 50.* Alia indirecta,

qua aliis mediis excusatur reus, de quibus mox dicam.

42 ℞. Notatus de suspicione hæresis, immo & de ipsa hæresi formali potest se multis excusare probando contrarium, quia licet præsumptio iuris de iure oriatur ex apertis & violentis coniecturis, *l. si quis locuples C. manumiss. testam.* procedat secundum veritatem, *l. fin. de eo* quod metus causa, consequenter dicatur indubitata probatio iuris, ita lege disponente, ex Abbate in *c. Veniens il. 2. cap. Is qui fidem, de sponsal.* Curt. *sen. consil. 4. num. 17.* Parisius *q. 76. de confid. num. 8.* nihilominus quia reuera potest ex parte rei illi quandoque subesse falsum, neque vnquam præsumptio sit veritas, sed illi quid proximum, ideo præsumptus hæreticus admittendus est ad probationem indirectam, vt suam probet innocentiam, exemplum habemus D. Marcellini Papæ, qui metu mortis coactus fuit incensum offerre idolis, & si enim thus diis adhibens sit vehementissimè de hæresi suspectus, si tamen hoc grauissimum delictum passus probet se timore mortis id perpetrasse, redeundo statim pœnitentia ductus, elidit omnino hanc suspicionem, ac proindè in hoc suspicionis genere puniendus non est, tamquam hæreticus iuxta ea quæ dicunt Barbosa *de Episc. alleg. 40. num. 33.* Duard. *lib. 2. Bullæ can. 1. q. 12. num. 18.* ex illis Carena *part. 2. tit. 1. de hæresi num. 85.* Item qui se probat furiosum, amentem, seu ebrium eo tempore, quo talia dixit vel fecit, ex quibus sumitur vehemens, seu violentia suspicio, omnem tollit suspicionem, vt latius dicam in proprio capite de defensione hæreticorum.

Quæres 8. An suspectus vehementer, seu violenter de hæresi cogendus sit abiurare hæresim?

43 ℞. In vtroque casu repertus reus debet abiurare suspicionem hæresis, id colligitur ex *cap. Abolendam 9. de heret. c. Accusatus 8. eod. in 6.* Ecclesia enim habet contra eum præsumptionem, consequenter cum eumdem habeat loco hæreticorum, si vult Ecclesiæ reconciliari, necesse est, quod hæresim præsumptam abiuret formali professione fidei illorum præcipuè articulorum, contra quos præsumitur egisse. Farin. aliis allegatis *q. 187. n. 40.* de vehementer suspecto, *& n. 51.* de violentia.

Quæres 9. An vehementer, seu violenter suspectus condemnandus sit pœnis debitis probatis hæreticis formalibus?

44 ℞. Quamuis de iure communi suspecti de hæresi essent puniendi pœnis ordinariis hæreticorum, ex *c. Ad abolendam 9. Excommunicamus 14. §. qui autem, de heret. cap. Cum contumacia 7. cap. Accusatus 8. cap. Contra 13. de heret. in 6.* de consuetudine tamen puniuntur pœnis extraordinariis, attenta grauitate delicti reum constituentis suspectum de hæresi, & circumstantiis personæ delinquentis immò id deducitur ex *c. Literas de præsumpt.* quod quis ob suspicionem quamuis vehementem non est condemnandus in crimine hæresis, Farin. *q. 187. n. 38.* de violentia *num. 51.*

Quæres 10. An suspectus de hæresi vehementer, si interim moritur, inquirendus sit, vel contra hæredes agendum?

℞. Non potest procedi contra illum, quia omnis suspicio morte extinguitur. Ita Simanch. *de Catholic. instit. tit. 46. numer. 77.* Pegna *part. 3. comment. 92.* apud Carenam *part. 2. tit. 19. n. 7.* Farin. *q. 197. n. 104.*

Quæres 11. An de hæresi vehementer, seu violenter suspectus interrogandus sit super intentione, & negans hæreticam intentionem subiiciendus sit torturæ pro eruenda veritate.

45 ℞. Interrogandus est super intentione, & negans torquendus, vt per hanc si persistat in negatiua, & abiurationem indicendam elidat suspicionem.

Primum, de interrogatione super intentione clarum est, quia iudex ius habet ex indiciis vehementibus, & vrgentibus interrogandi reum, cum de iure præsumat illum hæreticum, ergo per interrogationem potest deuenire in cognitionem huius. Confirmatur, quia leuis suspicio dat hoc ius respectu leuiter suspecti, ex probatis sub *numer. 33.* ergo à fortiori respectu vehementer, seu violenter suspecti. Ita omnes infra citandi. 46

Secundum, quod negantes sint torquendi, probatur, quia ex delicto, seu indicio legitimè probato Ecclesia habet suam intentionem in iure fundatam, quod reus sit de hæresi suspectus, quando ex eo delicto, seu indicio vt plurimum infertur hæresis, in quo casu aliud medium non habet ad se certificandum de veritate, nisi torturam, ergo illa vti debet iudex, vt deueniat in cognitionem, sitne hæreticus. Ita Zanardus in summa Decalogi *tom. 2. cap. 94.* Locatus *post iudiciale, Inquisit. q. 27.* alios de more vocat Farinac. *q. 179. num. 57.* Paucis, sed bene Genuens. *cap. 68.* Praxis Neapolit. *num. 8.* Persistens autem in negatiua sufficienter tortus elidit præsumptionem hæresis, & abiuratione se purgando illam omnino euacuat. Vnde tortura illi vtilis est, quia se purgat per eam à suspicione, adeo, quod iudex torturam illi negare non potest, cum sit species defensionis, qua se tuetur ab ea suspicione, vt dixi infra c. 26. n. 20. 47

Quæres 12. An vt quis dicatur de hæresi suspectus sufficiat, vt denuntiatus sit in Sancto officio, an præterea requiratur, quod delictum seu indicium sit plenè, & legitimè probatum?

℞. Necesse est, quod indicia obiecta sint plenè probata, aliter denuntiatus non potest dici suspectus de hæresi. Probatur, Tum quia indicia se habent tamquam præmissæ ad inferendam conclusionem, quæ non sequitur nisi ex præmissis veris, & certis, ergò ex indiciis nondum certificatis, & verificatis per legitimam probationem inferri non potest suspicio hæresis in denuntiato. Tum quia nondum probata æquiparantur dubiis, & incertis, ex quibus nihil certi deduci potest, *cap. In præsentia 8. de probat.* Surd. *decis. 75. numer. 17.* M. Anton. *lib. 1. resolut. 100. numer. 6.* Tum quia ex vna præsumptione non infertur alia, sed ex re probata, quod aiunt, ex præsumpto non sumi præsumptionem, *lib. 1. C. de dot. prom.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 132.* Rota *part. 1. diuers. decis. 800. numer. 17.* Itaque qui v. g. non probatur blasphemus, solicitator in confessione, Sortilegus &c. neque præsumendus est hæreticus etiam leuis suspicionis. Ità doctoribus citatis Farinac. *q. 187. n. 34.* Sousa *l. 2. c. 25. n. 34.* 48

Quæres 13. An probatus leuiter suspectus de hæresi, ac proinde de leui abiurans condemnari possit ad fustigationem, aut triremes?

℞. In Italia puniendi sunt pœnitentiis salutaribus, & etiam pecuniariis, seu carceris ad tempus, habita ratione personæ, & delicti perpetrati ratio est, quia pœna debet commensurari culpæ, & delicto, nec illud excedere, *cap. Non afferamus 21. 24. quæst. 1. cap. Felicis. §. Illud, de pœnis in 6.* vbi refertur illud Deuter. *cap. 25. Pro mensura delictis erit & plagarum modus.* Delictum autem ex quo oritur suspicio leuis regulariter loquendo est parui momenti, & leue, ergo ei habet correspondere modica pœna. In Hispania puniuntur pœnis grauibus fustigationis, & triremium, quia delicta in se sunt grauia, ex quibus deducunt non nisi leuem suspicionem, considerantes denuntiatum magis moueri ad delictum propter libidinem vehementem carnis agitatus stimulis, quam quod sinistram habeat intentionem hæreticandi, 49

vnde

vnde leuem tantum deducunt suspicionem ex huiusmodi delictis. De hac praxi refert doctores Diana *par.4.tract.7.resolut.* 4. §. *Igitur*. Et ex his saluatur doctrina Zanardi in suo Directorio, *par.3.capit.* 137. dicentis de leui abiurantes esse puniendos tantum leuibus pœnis, de quibus supra, non autem fustigatione, aut triremibus, & eum sequitur Genuens. *cap.68.num.*8. Ex quo paris erit rigoris pœna respectu delicti, nam Hispani ad triremes damnant bigamos, & solicitantes, quos iudicant solum de leui suspectos, & de qua abiurant, quia putant ductos ex impetu libidinis, & bigamum ex lucro dotis, quibus pœnis Tribunal supremum, & inferiora Italiæ afficiunt eosdem, licet dispar sit suspicio, & abiuratio de vehementi.

Quæres 14. An idem delictum, à diuersis perpetratum, in vno inducere possit leuem suspicionem hæresis, in alio vehementem?

50 ℞. Affirmatiuè, quia ex delicto præcisè, & in se spectato diuersitas suspicionis non accipitur, quia cum sit idem diuersum facere non potest, ergo diuersitas aliunde accipienda est, nimirum ex circumstantiis personæ, loci, & temporis, nam sicut peccatum minuitur, aut grauatur ex circumstantiis temporis, loci, & personæ, Gloss. *ver.cadit. cap. Homo* 5. *dist.*40.*cap.*1. *dist.*5. *de Pœnit.* Ita & suspicio hæresis maior, vel minor discernenda est ex circumstantiis prædictis in persona delinquente spectatis. Vnde Zanardus à Diana citatus *par.4.tract.7.resolut.* 1. dicit, quod ex consideratione personarum, & circumstantiarum quandoque vehementes suspiciones conuertuntur in leues, & è contra leues in vehementes. Exemplum sit in bigamo, qui in Hispania reputatur leuiter suspectus de hæresi, in Italia grauiter ex diuersitate locorum. In illis locis, vbi Caluinistæ cum Christianis mixti sunt bigamus reputaretur vehementer suspectus, quia illi negant Sacramentum matrimonij, cuius errorem per secundum matrimonium, primo constante, videtur approbare.

Quæres 15. An contrahens matrimonium cum hæretica persona, seu aliter infideli sit vehementer suspectus de hæresi?

51 ℞. Affirmatiuè, nisi promissionem habeat medio matrimonio infidelem conuertendi ad fidem. Probatur, quia conuersans cum infidelibus continuè, vt accidit in matrimonio, est vehementer suspectus de fide, vt colligitur ex libro Exodi cap. 34. 16. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis ne postquam ipsæ fornicatæ fuerint, fornicari faciant & filios suos in deos suos*. Deus prohibet Iudæis, ne cum mulieribus Gentilium commiscerentur in matrimonium, quia ex hac conuersatione traherentur ad cultum idolorum. Nomine fornicationis venit idololatria, vt

52 ibi Patres exponunt; idem interdicitur Deuter.7.c.3. *Neque sociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis*. Effectus ergo matrimonij inter fidelem, & infidelem est seducere fidelem & eum inducere in hæresim idololatriæ, in quam propter tale matrimonium lapsus fuit Salomon, qui ardentissimo amore captus mulierum alienigenarum obsequens illas idola coluit. Confirmatur id per quartam Bullam 42. Clem. VIII. incipit. *Cum sicut*. In B. N. prohibentis, ne Itali extra Italiam habitent in locis, vbi liber, & publicus cultus, siue vsus Catholicæ religionis non existit, & præcisè prohibetur inter hos matrimonium illis verbis sub §. 2. *Vtque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus*. Et §. 4. supponuntur suspecti de hæresi ibi:

53 *Quod si quis propriæ salutis immemor contra præmissa facere præsumpserit, possit aduersus eum per locorum Ordinarios, & Inquisitores hæreticæ prauitatis vti de hæresi suspectos procedi*. Quam Bullam postea confirmauit Gregorius XV. in sua incip. *Romani Pontificis* 28. contra hæreticos in locis Italiæ, & insularum adiacentium quouis prætextu commorantes, eorumque fautores. Ita Gloss. in casu notat. 2.cap. Decreuit 14. de hæret in 6. & ibi Direct. fol. mihi 210. part.2. Farinac. quæst. 190. numer. 50. & alij communiter.

Dixi, nisi certam promissionem habeat reducendi ad fidem coniugem, vt igitur fidelis euitet peccatum, & suspicionem hæresis necesse est, quod ante matrimonium appareat ea promissio, quæ excusat à peccato, & etiam à suspicione hæresis, id enim matrimonium cum tali permissione permittitur in Concilio. *Calcedonensi can.* 14. *tom.* 2. *fol.* 328. *sect.* 15. Esto res ita se habeat attento dicto Concilio, nihilominus ex vi præfatarum constitutionum omnino dicendum est, talem coniugem esse suspectum de hæresi, cum ambo summi Pontifices clare prohibeant inter illos matrimonium simpliciter: ergo sub nullo prætextu contrahendum est; quod si reperiatur aliqua mulier hæretica quæ velit Deo, & Ecclesiæ reconciliari prius id faciat, & postea copuletur coniugio, sic enim faciendo constat de vera eius reuersione ad fidem Catholicam.

Vnum obseruandum est, quod aliud est matrimonium inter Catholicum & hæreticum, aliud cum alia persona infideli, vt Iudæa, vel Gentili, nam in primo casu tenet omnino matrimonium in sententia omnium, quos magno numero citat Barbosa ad dictum cap. Decreuit. 14. de hæreticis in 6. num. 5. quia 15. contractus sufficienter eleuatur in sacramentum, ex basi baptismatis in vtroque quod est ianua, per quam fit ingressus ad alia sacramenta. In secundo casu est omnino nullum propter disparitatem cultus impedimentum dirimens, quod attenditur inter baptizatum, & non baptizatum, doctores ibidem Barbosa colligit, Et ex his habet, quod persona hæretica conficit sacramentum hoc, sed infructuosè, cum ex eo gratiam non recipiat. 54

Placet hîc subiungere errorem Bullarum, primo Clementis VIII. huius tenoris, Ordinamus, vt de cætero nullus Italus, siue mercator, siue cuiusvis alterius conditionis, vel status existat, quouis dicto colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in ciuitate, oppido, seu loco, vbi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua libere, & sine omni periculo palam, & publice celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia diuina officia, & conciones, ac sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri iuxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. 55

Vtque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum sepulturis; filios suos de sacro fonte leuari per hæreticos non permittant; nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur, leuare præsumant; Medicorum quoque opera, necessitate cessante, & vbi adsit copia Catholici Medici idonei, non vtantur.

Alia subiiciuntur, quod si Itali volunt ire ad morandum, seu inhabitandam in partibus prædictis, debent id significare suis ordinariis, vel Inquisitoribus, quibus singulis annis debent transmittere fidem de receptis Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, aliter contra præmissa facere præsumentes puniuntur ab eisdem tanquam de hæresi suspecti.

Circa hãc Bullam excitantur sequentia dubia. *Primò* quinam veniant sub nomine Itali? *Secundò*, an sub illis

illis verbis: *cuiusuis alterius conditionis, vel status existat.* Veniant etiam Prælati, & superiores, & officiales? *Tertiò*, num dicatur habitare, qui per paucos dies moratur deinde transiturus, vel domum reuersurus? *Quartò*, numquid mulier catholica prohibetur ducere virum hæreticum, sicuti catholicus interdicitur ducere mulierem hæreticam? *Quintò*, filius hæretici baptizatus more catholico à sacerdote pariter Catholico, & leuatus à Catholico numquid apud Catholicos educandus est? *Sextò*, an cesset necessitas, quãdo medicus est minus doctus medico hæretico, vel catholicus est infirmus, numquid in his casibus possit infirmus vti medico hæretico? *Septimò*, an ad eundum ad hæreticos necessaria sit licentia, an vero sufficiat recessum significare illis? *Octauò*, an sufficiat significare iter aggrediendum alterutro? *Nonò*, an ambo simul Ordinarius, & Inquisitor procedant contra transgressores? *Decimò*, quid veniat nomine Ordinarij?

56 Primò respondetur venire sub nomine Italorum etiam personas adiacentium insularum ex ea præcise ratione, quia in Bulla Gregoriana fit mentio de hæreticis in locis Italiæ, & adiacentium insularum, vna enim lex aliam declarat, l. *Non est nouum, vt priores leges ad posteriores trahantur* 26. ff de legib. *Trahantur*

57 declarentur, suppleantur, & corrigantur, sicut & posteriores ad priores pertinent, vt dicitur seq. l. 27. quod facit ad rem hanc, cum præfatæ Bullæ de eadem materia tractent. Confirmatur quia nomine Italiæ veniunt insulæ l. *Insulæ Italiæ pars Italiæ sunt.* l. 9. ff. de iudiciis, & vbi & l. Notionem 99. de verb. signif. dicatur: *Continentes Prouincias accipere debemus eas quæ Italiæ coniunctæ sunt vt puta Galliam, & Prouinciam, Siciliam magis inter continentes nos accipere oportet, quæ modico freto ab Italia diuiditur.* Aduerte quod in Bullis Pontificiis aliquando exprimitur Italia cum adiacentibus Insulis, aliquando sine illis, ac proinde illis omissis, excluderem ab Italia? nisi aliunde aliter nomen Italiæ esset accipiendum, & ratio huius fundatur in diuerso modo loquendi per Bullas Pontificias. Sub nomine adiacentium insularum veniunt Sicilia, Sardinia, & Corsica *ex Manello tom. 1. disp. 2. c. 2. dist. 4. n. 542. refert Diana part. 3. resol. 13. fine, de dub. regul.*

58 Secundò sub illis verbis venire quamlibet personam etiam qualificatam, nam, sub illis verbis comprehenduntur personæ, quæ alias non comprehenderentur, licet illæ essent Reges, serui, monachi, &c. *Sarnen. in proem. regul. q. 4. Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss.* 38. initio, & ex illis *Rubeus Claus.* 225. quælibet ergo persona quamuis dignificata includitur sub hac Bulla, agitur enim de fugiendo periculo animæ, quo remedio etiam maiores egent.

59 Tertiò, per paucos dies moraturus non dicitur habitare, quia habitare non dicitur transiens, l. Hæres absens 19. §. Proinde ff. de indic. Giurba Consil. 81. num. 44. vnde Scholaris, qui est reuersurus, non dicitur habitator, Roland. à Valle vol. 3. Consil. 79. num. 44. Nihilominus in tali casu non effugit iudicium ordinarij, & Inquisitoris, qui possunt præsumere illuc accessisse habitandi causa, cum eo tamen mitius videtur esse agendum.

Quartò, idem interdictum videtur esse etiam contra mulierem, cùm se exponat pari periculo subuersionis, sicut vir Catholicus ducendo hæreticam; non fuit autem facta mentio expressa, quia ordinarium est, quod masculus petat fœminam, non è contra, tamen tacite sub eadem dispositione comprehenditur etiam fœmina propter idem periculum subuersionis. Confirmatur id in ordine ad futurum matri-

60 monium, quod vxoratos, & coniuges non indicat ad imparia, ita quod quicquid prohibetur marito, intelligitur interdictum vxori, & è contra, quia sunt correlatiua, quæ non debent iudicari ad imparia, Cursiten. Consil. 11. num. 10. Et si in casu nostro agitur de prohibitione futuri matrimonij, tamen allata confirmatio, quæ est de iam coniunctis, facit ad propositum, in quantum periculum subuersionis respicit matrimonium iam contractum.

Quintò, filius hæretici more catholicorum, & à 61
Catholicis baptizatus, & leuatus debet educari per Christianos Catholicos, nam Patrini, hoc est, baptizans, & leuans de baptismo id munus habent instituendi in fide paruulum, ergo apud eos educandus est. Confirmatur, quia parentes hæretici permittentes filium suum per Catholicos baptizari, renuntiant iuri suo educandi filium sic baptizatum, facto enim suo videntur velle, quod puer Catholice educatur, ergo ex illorum manibus eruendus est velint, nolint.

Sextò, vtique in illis casibus potest infirmus vti 62
medico hæretico, quia in his necessitas locum habet, nam sicut iustum est quærere medium spiritualem doctiorem, ita & temporalem; & infirmus cum infirmo ad sanitatem procurandam se habent, sicut duo cæci, quorum si alter alteri ducatum præbet, ambo in foueã cadunt, Matth. 15. n. 14. Et facit illud Sapientiæ 13. n. 18. *Et pro sanitate infirmum deprecatur, & pro vita rogat* 63
mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat. Inutilis ergo est medicus infirmus pro infirmo, & consequenter hæreticus tunc vocatur, si nullus alius adsit Catholicus.

Septimò, nulla mentio fit de licentia in textu, in quo habentur hæc verba. *Cum vero Itali predicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum in partibus prædictis id significent suis Ordinariis, vel Inquisitoribus locorum, à quibus serio admoneantur, vt in eis perpetuo catholicam, & ortodoxam fidem retinentes.* Significare, & admonere non arguunt licentiam, vt ex terminis patet, sed solam cognitionem, & notitiam volentium transire ad hæreticos. Nihilominus id valde vtile erit euntibus ad partes hæreticorum, quia licentia fidem facit de requisita significatione facta ad præscriptum Bullæ.

Octauò, sufficit aggressionem itineris significare 64
vni eorum, nam textus loquitur disiunctiue per dictionem *vel*, quæ est alternatiua. ex allegatis *à Barbosa hac dist. 415. num. 2.* In alternatiuis autem est electio debitoris, & sufficit vnum implere Reg. 70. in 6. sufficit ergo recessum significare aut Episcopo, aut soli Inquisitori.

Nonò, ambo simul in his causis procedunt, quia 65
textus loquitur per coniunctionem *Et* copulatiuam ex natura suæ significationis primariæ ex allegatis à Barbosa ead. dict. 110. num. 3. Confirmatur, quia in cæteris causis semper ambo procedunt, ergo & in his; si enim Papa voluisset, vt alternatiue procederent ex præuentione, vsus fuisset disiunctiua, sicut fecerat paulo ante in præscribendo volentibus ire inter hæreticos, vt id significent vni eorum tantum.

Decimò, nomine Ordinarij venit solus Episcopus, 66
vel eius Vicarius Generalis, aut Capitulum sede vacante, quia isti in causis fidei dicuntur ordinarij, quia ex officio eorum incumbit procedere contra hæreticos, & de hæresi suspectos, *cap. per hoc 17. de hæret. in 6. cap. vt commissi 12. cod.* Vicarius enim dicitur Ordinarius, *ex gloss. 11. generaliter cap. Romana, de appellat. in 6 Barbosa appellat.* 177. *numer.* 15. Licet autem sub nomine ordinarij veniunt, qui ex Officio suo habent iurisdictionem ordinariam fori contentiosi, & externi, ac proinde alij præter Episcopum, tamen intelligendi sunt esse ordinarij in materia proportionata, & aptabili eorum officio, qualis non videtur materia de hæresi extirpanda, quæ commit

committitur tantum Episcopis, & Inquisitoribus, atque sede vacante Capitulo, qui dicitur ordinarius ex Clem. 1. de hæret.

68 Quæres 16. An fautor hæreticorum sit suspectus de hæresi, & qualiter? Nomine fautoris significatur ille, qui commissione, vel omissione facit aliquod seruitiũ hæretico in causa hæresis, defendendo, receptando consulendo, vel non carcerando, non puniendo illum, ex quo triplici modo fauetur reo, omissione, seu negligentia, cum scilicet non punitur; facto, & opere, cum defenditur, receptatur &c. atque verbo cum illi

69 datur consilium, &c. de hac triplici fautoria, *Pegna par. 2. com.* 78. §. *Trifariam*, *Farinac. q.* 182. *initio, Duard. lib. 2. Bullæ can.* 1. *q.* 32. *Carena par. 2. tit.* 4. *initio. Sair. lib. 3. de censur. c. 5. num. 6. Salelles lib. 1. Reg.* 104.

℞. Fautores illi dicuntur, qui scienter fauent hæreticis ratione hæresis, fauor specificatur quidem ab hæresi, non est tamen necesse, quod ex fautoria habeat formalem intentionem fauendi hæreticis ratione hæresis, sed sufficit, quod fauor illis prosit in ea causa sentientibus vtilitatem ex fauore; tales autem fautores sunt suspecti de hæresi, cui fauerunt, vel vehementer, vel leuiter, attentis circumstantiis, & actibus, vel omissionibus, quibus fit fauor hæreticis, in quouis tempore spectatis, siue ante denuntiationem, siue post; verum quidem est, quod iudex non potest procedere contra illos, nisi prorsus constet de hæresi illius, cui factum prætenditur; hæc autem suspicio semper præsumitur contra fautores, nisi ipsi contrarium probent.

70 Primo dixi eum esse fautorem, qui fauet hæretico pro tali cognito, & in causa hæresis. Duo ergo sunt necessaria ad constituendum aliquem fautorem. *Primo*, quod personam, cui fauet, sciat esse hæreticam, aliter fautor non est hæretici, sed personæ sub alio titulo, termini enim in omni materia accipiendi sunt formaliter respectu eius qualitatis, de qua sermo est, de hac scientia *Farin. q.* 182. *num.* 132. *Duard. lib. 2. Bullæ can.* 1. *q.* 28. *initio*, *Sanch. lib. 2. cap. 10. n. 4. Alterius lib. 5. disput. 2. cap. 4. ex illis Carena par. 2. tit. 4. num. 38. Castro Pal. par. 1. tract. 4. disp. 3. p. 5. n. 3.* Quare fauens hæretico, quem ignorabat talem, non est reus pœnarum contra fautores latarum, quia reuera non est fautor ratione hæresis, quam ignorat, sed fautor personæ ex alia causa, consanguinitatis, amicitiæ, negotij &c. *Eymer par. 2. q. 51. n. 2. Pegna com. 76. Duardus lib. 2. Bullæ can. 1. q. 28. num. 7. Alterius tom. 1. lib. 5. disp. 2. cap. 4. ex illis Carena par. 2. tit. 4. n. 46. Secundo* fautoria debet esse in causa hęresis, vt enim fautoria fauentem reddat suspectum de hæresi debet qualificari, & specificari ab hæresi personæ, cui præstatur fauor, aliter non est suspectus. Ita *Bonacina in Bulla disp. 1. q. 2. p. 3. Bassæus Capucinus* 11. *hæresis n. 8. Castro Pal. par. 1. tract. 4. disp. 3. p. 5. n. 3. Layman lib. 2. tract. 1. c. 13. §. Tertio loco, & alij apud Caren. par. 2. tit. 4. num. 40. Salelles Regul.* 104.

71 Secundo dixi ad constituendum fautorem in causa hæresis non esse necessarium, quod fautor habeat formalem intentionem fauendi personæ ratione hæresis, sed sufficit illi præstare fauorem ex causa hæresis, sine tali voluntate, & ratio est, quia sequeretur absurdum, quod fautor ad eludendas pœnas posset semper excludere, & reiicere eam formalem, & expressam intentionem, ea ergo necessaria non est, cum ex actu tendente in hæreticum sufficienter specificetur fautoria, cui fauor non præstaretur, si non esset hæreticus, sufficit ergo facere illum actum, ad quem sequitur fauor, nam in eo virtualiter, & interpretatiue comprehẽditur ea voluntas, & intentio. Ita sentit *Suar. de Fide disp. 24. sect. 1. n. 7. apud Carenam par. 2. tit. 4. n. 40. Laym. lib. 2. tr. 1. c. 13. §. Tertio loco, contra Caiet.* 11. *Excomm. cap. 1. & Sanch. lib. 2. c. 10. n. 5.* requirentes formalem intentionem, quia tunc excommunicatio Bullæ incurritur, quando motiuum receptationis, defensionis, vel fauoris hæretici est ipsamet hæresis, & probat quia cum non est intentio fauendi hæresi, sed soli personæ alia ratione, quam hæresis, non est formaliter fauere hæretico. Satisfit huic rationi dicendo, quod tunc fauor præstatur hæretico, vt hæretico, & in gratiam hæresis, quando fit aliquis actus, qui ordinatur ad seruitium hæretici, siue fauor habeat eam Sanchez intentionem, siue non, cum satis sit facere eum actum ordinatum ad seruitium hæretici, à quo specificatur suspicio hæresis; huiusmodi enim speculationes non multum conferunt ad moralia in quorum actibus ipsis virtualiter subintelligitur qualitas in esse moris.

Tertio dixi fautorem esse de hæresi suspectum, vt colligitur *ex cap. si quis 5. cap. In eos 6. cap. Sicut 8. cap. si aduenit* 11. *cap. Excommunicamus* 13. *§. credentes, de hæret. cap. 2. cap. Accusatus 8. eod. in 6.* In quibus locis iudicibus S. Inquisitionis subiiciuntur credentes, receptatores defensores, & fautores hæreticorum ergo dum isti non sunt formaliter hæretici, necesse est, quod sint de hæresi suspecti, obiectum enim S. officij est vel hæresis, vel eiusdem suspicio.

Quarto dixi fautores esse suspectos de hæresi vehementer, vel leuiter, regulariter autem videntur vehe- 72
menter suspecti ex Eymer. in Direct. par. 2. q. 56. num. 6. ex Carena part. 2. tit. 4. num. 20. ea ratione, quod excommunicati ob causam fidei sunt suspecti de hæresi vehementer, vt probatur *in cap. Cum contumacia de hæret. in 6.* sed fautores hæreticorum sunt excommunicati ex causa fidei *per cap. Excommunicamus 13. §. credentes, eod. Farinac. q. 182. num. 55.* Esto id esset verum, tamen maior argumenti non est vera vniuersaliter, nam denuntiationem omittentes
de leui tantum sunt suspecti *Carena part. 2. tit. 9.* 73
num. 43. Duard. lib. 2. Bullæ can. 1. q. 33. concl. 1. num. 17. Royas singul. 3. num. 18. Suar. de fide disp. 20. sect. 4. Simanch. Instit. tit. 19. Sanch. cap. 9. de hæresi dub. vn. num. 19. Diana par. 4. tract. 7. resol. 21. ex illis Salelles Reg. 104. num. 209. ergo non
omnis excommunicatus ex causa hęresis est vehemen- 74
ter suspectus de hæresi, qualis est negligens denuntiationem ex edictis Inquisitorum. Adde, quod insordescens in excommunicatione contracta non propter hæresim, quia tunc esset formaliter hæreticus, sed propter alia delicta, est vehementer suspectus de hæresi non propter excommunicationem præcisè, sed propter insordescentiam, & eam negligentiam non procurandi absolutionem, præsumitur enim negare virtutem excommunicationis de qua re late *Barb. ad cap. Excommunicamus 13. de hæret. à num.* 10. Quare cum varij sint actus, & omissiones, & quibus fauetur hæreticis, suspicio an sit leuis, seu vehemens colligendum est ex iis, quæ hic initio diximus q. 2. 3. & 4. de singulis speciebus suspicionis, de quibus *Castro Pal. par. 1. tract. 4. disp. 7. Salelles Reg.* 101.

Quinto dixi, eum dici fautorem, qui fauorem præ- 75
stat hæretico quouis tempore, siue ante denuntiationem, siue post quia iura, & doctores non distinguunt hæc tempora, cum persona ex illis temporis differentiis dicatur semper hæretica. Ita docent *Scortia Theorem. 410. Sanch. lib. 1. cap. 10. num. 10. cum aliis Carena par. 2. tit. 4. num. 39.* dum dicunt fautorem incurrere censuram, licet faueat hæretico ante denuntiationem.

Sexto dixi, quod Iudex non potest procedere contra
fautores nisi prius sibi legitime constet personam, cui 76
fauet, esse hæreticam, quia iudicium quod sumitur

contra suspectum de hæresi prætensum fundatur super fautoria qualificata in casu hæresis, ergo prius debet constare de hæresi personæ, cui præstitus fuit fauor in causa hæresis. Ita *Locatus* 11. *Fautores n.* 3. *Mandos. ad Repertor. Inquisit. liter. H Farin. q.* 182. *n.* 11. *ex illis Carena par.* 2. *tit.* 4. *n.* 19.

77 Septimo dixi, quod præsumptio est semper contra denuntiatum super fautoria quod qui fauit, id fecerit occasione hæresis, quia iura præsumunt semper contra huiusmodi fautores, dum hæreticis benefaciunt, ideo denuntiatus, qui prætendit, se non esse verum fautorem hæreticorum debet probare, se alio fine hæretico fauisse, nempe vt consanguineo, affine, amico, seu alio titulo, & motiuo, qui nō sit ex causa hæresis, vel quod ignorauerit personam, cui fauit, esse hæreticam, pro cuius intelligentia resoluenda sunt sequentia dubia.

Dubitatur ergo primo, à quonam probanda sit ignorantia, quod persona fauta ignoretur hæretica? *Secundo*, in dubio, an fauor sit ratione consanguinitatis, affinitatis, amicitiæ &c. an ex causa hæresis, quid sit concludendum? *Tertio*, an denuntiatus admittatur ad eligendam suspicionem, maxime quando illa est vehementissima?

78 Primo dubio respōdetur ea probādа esse ab allegante illam, cum in eius negatiua fundetur dictum, quare si allegatur à reo denuntiato, spectari potest hæreticus, cui fauit, ante denuntiationem hæresis, vel post, in prima inspectione ante quam quis declaretur hæreticus, denuntiatus fautor hæretici suam ignorantiam probare poterit iuramento, ad quod admitti poterit; quia verisimile est, ante illud tempus, illum fuisse hæreticum ignotum fautori, sicut aliis præsumitur ignotus, iure pro occulto habeatur hæreticus, dum à nullo prædicatur talis, solent enim hæreses in occulto committi, iuramento igitur suam ignorātiam facit inuincibilem; cōsequenter Nautæ, Caupones, & similes personæ receptantes in suis hospitiis aduenas iuramento probant ignorantiam hæresis eius, quod receptarunt, intellige prædicta, nisi notorium sit ante denuntiationem talem personam cui præstitus fuit fauor, esse notoriè hæreticam, quia tunc iuramentum illi non datur, sed proceditur contra ipsum, nisi alia via probet ignorantiam; igitur ignorans probatus non dicitur vere fautor. Ita Gloss. l. 1. ff. de receptator. gl. non possit c. Accusatus 8. de hæret. in 6. Castro Pal. par. 1. tr. 4 disp. 3. p. 5. n. 4. Pegna par. 2. com. 76. vbi ex Carreno, & Simanch. ait. *de ignorantia vero credetur receptatori per suum iuramentum*; subsequenter dicit, hanc sententiam non procedere, quoties hæreticus esset publice denuntiatus, & notorius, tunc enim scientia præsumeretur in receptante, ac proinde esse vere fautorem, ita etiam Salelles cum illis Reg. 105. n. 232. Carena par. 2. tit. 4. n. 47. & 48. & seq. vbi ait declaratum hæreticum Cremonæ præsumi cognitum vt talem ab omnibus Cremonensibus etiam in districtu manentibus, alibi vero denuntiatus præsumitur ignorari apud Cremonenses, posita igitur declaratione hæretici nullus ibidē excusari potest à fautoria formali, quia scientia præsumitur contra fautorem, & receptatorem. Negans autem hanc scientiam præsumptam ex notorio hæretico videtur puniendus pœna extraordinaria mitiori *ex Baldo*, *Menoch. cum aliis Farinac. apud Carenam num.* 51.

79 Secundo respondendum est pro fautore, quia censendus est receptasse consanguineum, seu amicum ob naturalem affectionem, & amorem erga suum sanguinem, vel amicum. Ita *Graff. par.* 1. *lib.* 4. *c.* 18. *n.* 35. *Duard. lib.* 2. *Can.* 1 *q.* 28. *n.* 15. *ex Bonac. disp.* 1. *Bulla q.* 2. *p.* 3. *Farinac. q.* 182. *n.* 143. *Salelles Reg.* 105. *num.* 232.

80 Tertio dicendum est, non esse admittendas eius probationes, seu permittas nihil probare, quando ex parte phisci probata fuit fautoria in terminis propriis, quia violenta suspicio non admittit probationem in contrarium regulariter loquendo, Eymer. par. 2. q. 55. n. 6. Pegna com. 80. §. Obseruandum, Salelles Reg. 101. num. 173.

Quæres 17. Quis dicatur fautor per receptationem hæreticorum, & quomodo sit suspectus de hæresi.

℟. Ille dicitur receptator, qui scienter recipit hæreticum ratione hæresis, licet illum semel receperit. Primum patet ex dictis de fautore, nam receptatio est species fautoriæ, ideo quicquid dictum fuit de genere applicatur huic speciei secundum quod vnicus sufficiat actus, patet, quia non ad verbum, sed ad sententiā hæc fautoria intelligenda est, sufficit enim semel fuisse in causa hæresis, vt inde oriatur suspicio hæresis. Ita *Pegna par.* 2. *com.* 76. *lit. B. Farinac. q.* 182. *n.* 152. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *n.* 39. *Salelles Reg.* 105. *n.* 225. *Castro Pal. par.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *p.* 5. *n.* 4. vbi ait, præsumi ignorantiam etiam quando denuntiatio facta fuit, absente à loco prætenso fautore, vel infirmo, vel occupato tunc in negotiis, *ex opinione Vgolini*, *Farinacij*, *& Azor.* quod potest habere locum pro foro conscientiæ, hæc enim inquisitus probare debet, & non habet locum iuramentum quando hæreticus est notorius, seu denuntiatus, iuxta dicta supra n. 58. 81

Suspectus autem est de hæresi, vt colligitur ex iuribus citatis sub n. 72. Suspicio autem at primum est vehemens, aliquando leuis, pro cuius cognitione consideranda est qualitas personæ receptantis, & modus receptionis. Ita *Pegna par.* 2. *com.* 76. *lit. c. ibi Eymer. n.* 6. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *n.* 57. *Castro Pal. par.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *p.* 6. *n.* 3. Videtur suspicio tantum leuis, quando recepit *Primo* consanguineum, quia videtur id fecisse magis amore sanguinis, quam fauore hæresis, siquidem iura hunc mitiùs puniunt, *vt Diana par.* 4. *tr.* 7. *resol.* 21. cum multis aliis *apud Salelles Reg.* 105. *n.* 229. si mitior debet esse pœna, ergo & minor suspicio; vbi dicendum, ait, idem de affinibus, & amicis, quod mitius puniendi sunt. *Secundò*, receptans per vim & metum sicut excusatur à pœnis ita & à suspicione hæresis, nam probata vis arguit receptasse ad mortem, vel aliud graue malum fugiendum sibi communicatum ab hæretico, non autem vt faueret eidem in causa hæresis. Quod excusetur à pœnis docent, *Sanch. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 8. *Farinac. q.* 182. *n.* 162. *ex illis Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 55. 82

Sed per quos actus quis dicitur receptator? Ille dicitur receptator, qui occultat hæreticum à se taliter cognitum, in domo sua, vel aliena, seu in quolibet alio loco, ne in manus iudicis incidat. Deducitur hæc definitio ex l. 1. §. 1. ff. de seruo corrupto, ibi: *Et est proprie recipere refugium abscondendi causa seruo præstare, vel in suo agro, vel in alieno loco, ædificióve.* In quouis ergo loco, vbi possit se abscondere receptus, siue sub terra, siue in aliquo ædificio, siue in arbore, siue cripta, dicitur receptatus. Imo etiam non occultatus, sed apparens omnibus in loco tuto alicuius hominis potentis adhuc dicitur receptus, quia hoc etiā modo defenditur è manibus iudicis, secundum *Castro Pal. par.* 1 *tr.* 4. *disp.* 3. *p.* 5. *n.* 4. 83

Quæres 18. Quis dicatur fautor quoad defensionem, & de eius suspicione?

℟. Defensor hæretici ille dicitur, qui hæreticum defendit in causa hæresis scienter, quod accidere potest tribus modis. *Primò* defendendo hæreticorum errores & iste est formaliter hæreticus, quia in tantum defendit aliorum errores, in quantum credit, illos esse veras propositiones non aduersantes fidei, de quibus Carena part. 2. tit. 4. alios citans num. 72. & de his hic non est sermo. *Secundò*, defendendo personam 84

personam hæreticam ratione hæresis, armis, potentia, viribus, suis facultatibus, mendaciis, fraudibus, &c. Ita Pegna com. 77. Sanetar. cap. 11. dub. 3. cond. 1. *Tertio* ratione officij, vt sunt Aduocati, & alij
85 officiales, qui pro ipsis faciunt in iudicio, isti debent habere licentiam ab Inquisitore patrocinandi personam denuntiati, aliter sunt falsi ministri, & de hæresi suspecti. *Farinac. quæst.* 182. *num.* 77. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *num.* 75.

Primi autem regulariter sunt hæretici formales, quia pro vera doctrina habent eorum errores, quos conantur confirmare. Zuare qui audit hæreticorum conciones, interest eorum ritibus, commendat eorum sententias, si non est hæreticus, talis tamen vehementissime, & violenter suspectus est. Vide. *Azor. apud Castro Pal. par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 5. *n.* 2.

Secundi generis defensores sunt suspecti vel vehementer, vel leuiter, iuxta qualitatem defensionis factam vel in iudicio, vel extra iudicium, vel armis vel verbis, aut persuasionibus, vel aliis modis, de quibus *Simanch. de Catohlic. tit.* 15. *n.* 9. *Farinac. q.* 182 *num.* 64.

Tertij generis defensores sine licentia Inquisitoris, & cum prauo consilio defendentes sunt suspecti de hæresi vehementer; quia ex officio suo defendere habent veritatem, & non personam, si reuera errauit. Si vero habent licentiam iudicis, & patrocinium non sit æquum, videntur excusandi à suspicione vehementi, quia ex suo patrocinio solum prætendunt liberare denuntiatum à pœnis, non autem fauere illorum hæresi. Vide præcitatos.

Quæres 19. Quinam dicantur credentes hæreticorum, & an sint suspecti de hæresi, & qualiter.

86 ℞. Illi dicuntur credentes hæreticorum, qui eorum erroribus explicite, vel implicite, seu in communi, vel in particulari consentiunt aliquo exteriori signo manifestante suam credulitatem. *Ita Nauar. cap.* 27. *num.* 55. *Bonac. disp.* 1. *Bullæ quæst.* 2. *p.* 3. Credens dicitur; qui fidem præstat erroribus hæreticorum, *Castro Palao par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *p.* 5. *initio*, *Salelles Reg.* 103. Signa autem sunt, si quis laudet eorum errores, si quis eorum conciones audiat, Castro Palao n. 2. Credens ergo hæreticis dicitur ille *Primo*, qui expresse credit hunc, vel illum errorem hæretici, & in re non differt ab hæretico, nisi in eo, quod credens est discipulus, & sectator alterius hæretici; *Secundo*, implicite credens, quod discredit hæreticus, & hoc modo etiam est hæreticus. *Tertio*, credens dicitur hæreticis quando asserit hæreticum tenere bonam fidem, esse virum probum, & doctum. *Quarto*, credens dicitur audiens eorum conciones. *Quinto* vocans illos in sua infirmitate cap. Filij 3. eod. in 6. Hæc colliguntur excitatis doctoribus, & tradit Carena *par.* 1. *tit.* 4. *n.* 76. *ad* 79.

In his omnibus casibus credens hæreticis videtur suspectus vehementer de hæresi, quandoque formaliter talis, vt in primo vsu, & in secundo, quandoque credens est leuiter suspectus secundum qualitatem personæ audientis hæreticum, & aliis circunstantiis attentis, *secundum peribid. in cap quicumque de hæret. in* 6. *num.* 2. *Ioan. Andr. num.* 3. *Gemin. n.* 3. *Sanetar. cap.* 11. *num.* 31. *Farinac. quæst.* 182. *n.* 120. *cum illis Carena par. de tit.* 4. *num.* 79. & 85. Ego crederem in præcitatis casibus, si credens non est hæreticus, saltem est vehementer suspectus de hæresi, quia tales actus ita ordinantur ex se ad confessionem hæresis, vt aliter præsumi non potest nisi talia proferentem, aut facientem esse suspectum de hæresi vehementer.

Quæres 20. Quomodo contingat fautoria per conuersationem cum hæreticis, & quam suspicionem arguat in conuersationibus cum hæreticis?

℞. Conuersatio cum hæreticis est interdicta iure 87
diuino, cap. 3. 10. ad Titum. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Idem Paulus 2. ad Corinth. 6. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate.* Conuersatio autem cum hæreticis cognoscitur ex multis actibus factis cum ipsis. *Primo*, conuersatio potissimum probatur per moram, & habitationem cum ipsis, quæ prohibita est ex probatis sub q. 15. *Secundo*, contrahendo cum ipsis matrimonium, de quo dixi eadem q. 15. *Tertio*, credendo eorum prædicationes, ingrediendo eorum templa, Castro Palao part. 1. tract. 4. disp. 3. p. 5. num. 2. ait, audientes bis conciones hæreticorum tamquam credentes hæretico non esse condemnandos, & pro se citat. *Pegnam part.* 2. *com.* 75. *Decian. lib.* 5. *crimen. cap.* 18. *vers.* 16. *Eraff. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 29. *Farinac. quæst.* 182. *num.* 115. & 116. *Suar. disput.* 24. *de fide sect.* 1. *num.* 3. Alij tenent talem conciones audientem esse vehementer suspectum de hæresi. Sed prior sententia videtur probabilior, quia qui semel audiuit, videtur id fecisse potius ex curiositate, quam vt concionem approbaret, & cum postea non prosequatur audire concionatorem censetur illius errores non approbare. *Quarto*, alloquentes cum hæreticis, dantes vel recipientes literas, munera, & alias res, id frequenter facientes vehementer suspecti sunt de hæresi, *Pegna part.* 2. *Com.* 81. §. *Iam vt vno verbo. Farinac. quæst.* 182. *num.* 168. *Carena part.* 2. *tit.* 4. *num.* 63. *Quinto*, negotiando cum ipsis, *Farinac. num.* 117. intellige sine licentia ad præscriptum Bullarum Clem. VIII. & Gregor. XV. de quibus sub q. 15. aliter sunt vehementer suspecti de hæresi, ex eodem Farin. Carena num. 63. *Sexto*, visitando illos, *Eymer. par.* 2. *quæst.* 56. *num.* 8. *cum aliis Farinac.* dicunt, visitantes esse vehementer suspectos de hæresi, intellige, si pluries visitarunt, nam semel videtur leuem inducere suspicionem Concil. Tarraconense apud Pegnam fol. 220.

Notanda sunt tria. *Primo* in his casibus non semper conuersantem esse iudicandum vehementer suspectum de hæresi, sed aliquando solum leuiter; considerandæ enim sunt qualitates personarum, loci, & temporis, & aliæ circunstantiæ. Ita *Simanch. de cathol. instit. tit.* 11. *num.* 9. *Farin. quæst.* 182. *num.* 166. *Carena par.* 2. *tit.* 4. *n.* 68. *Secundo*, non licere catholicis in terris hæreticorum ingredi templa hæreticorum, eorumque concionibus, & ritibus interesse, etiam Principe cogente sub pœna mortis, potius enim debent mori, quam tale scelus intrinsece malum committere. Ita *Sanch. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 27. *Sanetar. c.* 18. *dub.* 1. *ex Carena num.* 70. *Tertio*, conuersatio cum hæreticis est sufficiens indicium ad torturam, *Royas de hæret. par.* 2. *num.* 77. *ex Baldo vol.* 3. *consil.* 79. *Carena num.* 69.

Quæres 21. An instituens hæredem hæreticum, 88
vel legatarium, seu donatarium, & notarius scribens, atque testes in testamento scripti dicantur fautores hæreticorum?

℞. Prohibetur Episcopis, & aliis clericis restituere hæredem hæreticum etiam consanguineum sub pœna excommunicationis, in quam incurrisse declaratur etiam post mortem, *cap. si quis* 5. *cap. in eos* 6. *de hæret. Gloss.* 11. *Conferant*, ait, sub testamento prohibito fauore hæreticorum faciendo comprehendi etiam donationem inter viuos, *Ricciull. de iure person. lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 13. *Barbosa ad hoc* 6. *c. num.* 4. Quamuis textus vterque loquatur de Ecclesiasticis nihilominus per Doctores extenditur prohibitio, licet non pœna excommunicationis, etiam ad laicos, quia relinquere hæreticis est de se malum, per hoc enim

fouentur

fouentur in suis erroribus, & non conuertuntur. Vide Pracitatum Ricciull. & Socin. sen. super dictum textum.

Omnes concedunt relinquentem aliquid hæretico esse de hæresi suspectum licet consanguineo relinquat, *Socin. sen. super dictum cap. 5. num. 1. Farinac. quæst. 190. num. 108. Menoch. lib. 5. præsumpt. 6. num. 33. cum aliis Carena par. 2. tit. 4. num. 71.* Testator meo iudicio videtur vehementer suspectus, quod ditando hæreticum magis illum confirmat in hæresi, & videtur tenere illum esse capacem hęreditatis contra leges. Nisi affectus consanguinitatis illum excusaret à vehementi suspicione hæresis. Cæteros censerem tantum leuiter suspectos, quia præcisè insertunt actui iam disposito per testatorem, cuius vltimam voluntatem ad perpetuam rei memoriam Notarius scribit, & cum testibus scripturam firmat.

Quæres 22. An impedientes ne quis hæreticus puniatur à S. Officio dicantur fautores, & sint suspecti de hæresi?

89 ℞. Impedientes Inquisitores, eius Ministros, Denuntiatores, & Testes, ne purgantur officio suo contra hæreticos sunt hæreticorum fautores, suspecti vehementer de hæresi, quia fauent hæresi. Ita *Eymer. par. 2. quæst. 56. num. 2. in Pegna lit. A Farinac. quæst. 182. num. 70.* nisi affectus consanguinitatis excuset à vehementi, non tamen à leui, *Pegna com. 79. lit. B. Duardus lib. 2. Bulla can. 1. quæst. 33. n. 10. Carena par. 2. tit. 4. num. 30.* Contingit autem impedimentum multis modis. *Primo* molestando Episcopum, Inquisitorem, & alios officiales, iniuriando, minis, & verbis metum incutiendo, operando ne carceretur hæreticus, de quibus, & aliis actibus in Bulla: Si protegendis, de qua infra sub cap. d. 29. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 8. p. 16. §. vlt. *Secundo* Prohibendo familiares ab vsu armorum, Clem. 2. §. fin. de hæret. Farin. quæst. 182. num. 89. Pegna par.
90 3. com. 105. Carena par. 2. tit. 4. n. 24. Habent ergo omnes officiales huius tribunalis priuilegium deferendi arma pro defensione suæ personæ, pro cæteris officialibus, & ad capiendum hæreticum, siue sint clerici, siue seculares, siue regulares, Clement. enim loquitur generaliter de Inquisitoribus, & eorum officialibus, de quo priuilegio Ioannes XXII. in sua Bulla incip. *Exigit*, extensa *in Directorio fol. 63. Royas vol. 2. sing. 21. num. 7. Paulus Fuscus lib. 2. de veritat. cap. 32. num. 17. Roland. vol. 4. consil. 37. numer. 9. Menoch. de arbitr. casu 394. num. 66. cum aliis Barbosa super dictam clem. 2. de hæreticis num. 8. ad 11.* Quid si Princeps, vel Magistratus petat ab Inquisitore notulam omnium, quibus concessit arma, numquid petitio est licita, non impeditiua S. Officij? Non impedit, sed licet, ad eum finem præcisè, vt sciat quis & suis subditis portet arma, & quo iure. Non potest vero limitare numerum portantium arma, si vero officialis abutatur armis, potest Magistratus instare Inquisitori, vt puniat abutentem armis auferendo illa ab officiali, & ratio debet Inquisitorem cogere ad id faciendum, quia familiaris in tantum gaudet priuilegio armorum, in quantum inseruit officio, & seipsum in casibus occurrentibus defendit, ea vero non debet deferre in abusum, aliter priuilegio spoliandus est, cap. vbi ista 7. dist. 74. cap. Priuilegium 63. 11. quæst. 3. *Tertio*, impeditur S. Officium, cum hæreticus occultatur, ne perueniat ad manus Inquisitoris; vel eripitur de manibus officialium, vel precibus, minis, pecunia, seu alio modo excarceratur. *Farinac. quæst. 182. num. 95. ad 99. Sanctar. cap. 11. n. 8. Carena par. 2. tit. 4. n. 27. Quarto* impeditur per
91 statuentes leges fauore hæreticorum, vt nullus eos capiat, vel inquirat contra illos, id enim est contra libertatem Ecclesiasticam, quæ maxima esse debet in causis fidei contra hæreticam prauitatem, & isti incurrunt excommunicationem Bullæ, *de qua Bonac. disp. 1. quæst. 16. Quinto*, impedientes, ne familiares deferant arma pro sancto officio, læditur enim immunitas huius Sancti Tribunalis, & ideo subiiciuntur eidem excommunicationi; idem dic, quando fit statutum generale, ne quis deferat arma, &c. Ita *par. 2. Direct. quæst. 54. Pegna com. 161. Farin. q. 182. num. 24. & 75. Carena par. 2. tit. 4. num. 21. Sexto*, impediunt sanctum officium, qui carceratum prætextu infirmitatis faciunt fugere, vt si medicus testetur Inquisitori carceratum, graui morbo laborare, & non posse sanitatem recuperare, nisi extrahatur ad domum propriam, vt ibidem commodè curari possit, data fideiussione de redeundo sanitate recuperata, si aufugiat, Medicus conscius de astutia carcerati bene valentis suspectus est vehementer de hæresi cum cæteris sociis huius criminis, quia reuera impedierunt executionem iustitiæ contra hæreticum, ac proinde fauerunt hæresi, vt impune abiret. Si reuera erat infirmus, & nulla aderat malitia ex parte procurantium eius extractionem, nullatenus per ipsos impeditur sanctum officium, si aufugiat hæreticus, modo nullus ei consulat fugam, aut cooperetur.

Quæres 23. An officiales huius tribunalis, vti Episcopus, Inquisitor, & alij sint aliquando fautores hæreticorum, & ex fauore fiant suspecti de hæresi? Fauor autem præstari potest positiue facto, vel verbo, in quo sensu dicta in præcedentibus, locum etiam in his officialibus habere possunt. Vel omissiue negligendo exercere suum officium, & quo ad hoc.

℞. Inquisitores, Episcopi, & alij ministri contra 92
hæreticos non procedentes, nec punientes, permittentes lectionem librorum prohibitorum, & prædicationem falsorum dogmatum, sunt fautores hæreticorum violenter suspecti de hæresi, & possunt vti hæretici damnari. Episcopus autem ea negligendo remouetur à sua dignitate, cap. Excommunicamus 13. de hæret. §. Volumus. & in cap. 2. eod. de omnibus di-
citur: *Qui alios autem potest, ab errore non reuocat, se* 93
ipsum errare demonstrat. Hic sermo est de errore contra fidem vt textus congruat titulo, ita Socinus sen. super hanc regulam, Pegna com. 2. part. 2. §. Ex integra, quod aperte colligitur ex Epist. 5. Leonis 91. tom. 2. Consil. fol. 106. ex illius exordio sic incipiente: *Quam laudabiliter pro catholica fidei veritate moue aris.* Sic autem negligentes, quod ex officio præstare tenentur, quando possunt, errare dicuntur, scilicet esse participes eius erroris, cuius hæreticus reus est, consequenter si non constat ex eorum ore confessio hæresis, censendi sunt vehementer suspecti de hæresi, imo violenter, secundum *Pegnam par. 2. com. 3. §. Si de Episcopis,* idem dicito de Inquisitoribus *Farinac. quæst. 182. num. 26. Carena par. 2. tit. 4. num. 4. Salelles Reg. 104.*

Quæres 24. An Principes, Magistratus, & officiales laici sint fautores hæreticorum omissione, & commissione, ac proinde suspecti de hæresi.

℞. Affirmatiue ex cap. Excommunicamus 13. de 94
hæret. §. Moneantur, vbi Potestates seculares perpetui, vel temporales iurare tenentur, vniuersos hæreticos ab Ecclesia damnatos pro viribus exterminare, & Dominus temporalis non purgans terram suam hæreticis excommunicatur, & si perstiterit in excommunicatione per annum, nunciatur Papæ, qui fideles eius à iuramento absoluet, &c. Isti autem sunt violenter suspecti de fide. Ita *Pegna par. 2. com. 78. lit. A Farinac. quæst. 182. num. 15. Carena par. 2. tit. 4. num. 5. Suar. de fide disp. 24. sect. 1. num. 6. Salelles Reg. 104. num. 204.*

Quæres 25. An personæ priuatæ, quibus ex officio non incumbit, denuntiare hæreticos, seu

suspectos

suspectos de hæresi, negligentes denuntiare sint illorum fautores de hæresi suspecti.

95 ℞. Sunt fautores, sed leuiter suspecti de hæresi, eo quod id potius tribuitur cuidam illorum inertiæ, quam quod velint fauere hæresi: Ita plures asserunt, quos recensui sub q. 17. §. Quarto.

Quæres 26. An fauens suspecto de hæresi arguatur de suspicione hæresis? Ratio dubitandi, est quia in præcedentibus semper actum est de fautoribus hæreticorum, & nihil dictum fuit de fautoribus eorum, qui sunt non hæretici, sed tantum suspecti de hæresi. Potest autem quis esse suspectus de hæresi, vel ex crimine fautoriæ, vel ex alio capite nempe ex sortilegio, blasphemia, solicitudine &c. In vtroque sensu procedit quæstio. Videtur, quod non sit arguendus, quia ex suspicione non oritur suspicio, neque ex præsumptione præsumptio, ex allegatis hic sub num. 30.

96 ℞. Fautorem suspecti de hæresi esse arguendum de suspicione vehementi, vel leui attenta qualitate fauoris, & personarum. Id probatur quia aduocati, & notarij fauentes hæreticis, seu eorum credentibus, defensoribus, & fautoribus sunt excommunicati, suppressi ab officio & infames cap. si aduersus 11. de hæret. Item sepelientes hæreticos, eorumque credentes, receptatores, defensores. vel fautores, sunt excommunicati, donec tumulatum extumulent *cap. Quicumque 2. eod. in 6.* In his testibus eodem modo punientur fautores fautorum, sicut hæreticorum, sed fautores hæreticorum sunt suspecti de hæresi, ergo & fauentes suspectis. Et ita sentit Pegna par. 3. com. 89. §. Quare verius est, qui se fundat super
97 verba citati cap. 2. *vsque ad satisfactionem idoneam*, per eam intelligendo abiurationem, & canonicam purgationē, quæ nonnisi de suspectis, & diffamatis de hæresi agit, & concludit, in præsenti casu sepelientem de hæresi suspectum talem notatum ab Ecclesia, esse vehementer suspectum. Idem videtur sentire Eymer. ibidem ex titulo quæstionis, dum quærit, an Inquisitor possit procedere contra scienter sepelientes hæreticos in loco sacro, & alios credentes &c. Respondet sic. Sed in hoc tribunali non puniuntur nisi hæretici, aut de hæresi suspecti, quare cum sepelientes possint puniri ab Inquisitoribus, signum est, quod sunt suspecti de hæresi. *Suar. disp. 24. sect. 1. num. 13. & cum Castro Pal. par. 1. tract. 4. disp. 3. p. 5. num. 12.* dicunt hunc suspectum de hæresi exemplificantes in eo, qui fauet insordescenti per annum in excommunicatione ex causa fidei, non ex alio, capite,

98 Ad rationem dubitandi respondeo, probato plene delicto eius personæ, cui tantum fuit, ipsa iure censetur probata suspicio hæresis, quæ potest esse fundamentum alterius suspicionis in fautore suspecti de hæresi, probato vt dixi delicto, consequenter præsumptio non oritur ex præsumptione simplieiter accepta, vtique vero præsumptio procedit à præsumptione simpliciter accepta, vtique vero præsumptio procedit à præsumptione probata per probationem delicti, ex quo ea sequitur. Et facit illud quod dicitur *cap. Cum contumacia 7. eod. in 6.* Contumacia suspicioni præsumptionem vehementem addit, vbi vocatus tanquam suspectus de hæresi, nolens respondere, fit vehementer de hæresi suspectus, qualis non erat ante, ex præsumptione ergo qualificata per crimen probatum oriri potest alia præsumptio in fauente suspectum taliter probatum ex qualitate delicti certi.

CAPVT XI.

De Abiuratione Hæresum.

SVMMARIVM.

1 *Abiurationis definitio.*
2 *Abiurat etiam leuiter suspectus.*
3 *Abiuratio quadruplex.*
4 *Suspicio grauis tortura, & abiuratione tollitur, leuis sola abiuratione.*
5 *Abiuratio de formali pœna est.*
6 *In aliis non propriè.*
7 *Abiuratio supponit crimen plene probatum.*
8 *Abiuratio de graui publice fit.*
9 *Aliquando secreto.*
10 *De leui fit secreto.*
11 *Caluinista abiurant.*
12 *Abiuratio fit lingua vulgari.*
13 *Abiuratio continet in se sex actus.*
14 *Abiurantur generaliter omnes hæreses etiam à leuiter suspecto.*
15 *Nullus excipitur ab abiuratione.*
16 *Nec Imperator.*
17 *Absolutio sequitur absolutionem.*
18 *Aliter absoluitur hæreticus, aliter suspectus.*
19 *Nolens abiurare traditur curiæ.*
20 *Abiuratio fit coram Inquisitore, & vicario.*
21 *Hæreticus pure mortalis abiurat coram Deo in manibus confessarij.*
22 *Caluinista abiurat coram iudicibus, non coram confessario.*
23 *Abiuratio regulatur ad tenorem suspicionis.*
24 *Fautores hæreticorum, & suspectorum quomodo abiurent.*

DE Abiuratione, quæ est recantatio, seu retractatio propriorum errorum cum iuramento facta, fit mentio in iure pluribus in locis, sed non sub hac voce Abiurationis, sed confessionis fidei, aut anatematizationis erroris *cap. Quoties 8. cap. Donatum 19. cap. Saluberrimum 20. 1. q. 7. cap. Ego Berengarius 41. dist. 2. de consecr. sub nomine Abiurationis cap. Ad abolendam 9. de hæret. cap. Super eo 4. cap. Accusatus 8. cap. Vt officium 11. in 6.* ex quibus deducitur quid sit abiuratio, vt in quæstione sequenti.

Quæres 1. Quid sit abiuratio? 1

℞. Est solemnis detestatio hæresum iuramento firmata cum confessione Catholicæ fidei, & promissione permanendi in eadem fide, & nunquam incidendi in errores abiuratos, facta de præcepto Inquisitoris & coram ipso, & Vicario Episcopi, testibus præsentibus in scriptis redigenda. Ita omnes cum Farinac. *q. 194.* initio, Sousa *lib. 2. c. 40. n. 1.* Carena *par. 3. tit. 12.* & alij apud ipsos. Ex qua definitione habes Abiurationem constitui ex quinque actibus, quorum *Primus* est iuramentum, quo stabilitur, & firmatur reuocatio erroris hæretici, de quo iuramento in præcitatis capitibus, *Quoties 8. 1. q. 7. cap. Ego 41. dist. 2. de consecr.* & vox ipsa Abiurationis iuramentum inoleuit. *Secundus*, est reuocatio erroris, hoc est, hæresis, seu hæresum, de quibus abiurans conuictus, vel confessus fuit in quo principaliter consistit ratio Abiurationis, quæ secundum Nauar. *consil. 18. n. 1. de hæret.* est recessus ab hæresi cum iuramento

de

de non redeundo ad illam. *Tertius*, est actus, quo profitetur non amplius redeundi ad hæresim abiuratam, nihil enim prodest detestatio hæresis ei, qui ad illam redire intendit, hæc enim non est vera detestatio, & abominatio erroris, sed simulata, & palliata, quæ radicitus non euellitur ex corde, quando sono linguæ pulsat in ore. *Quartus*, est confessio Catholicæ fidei: qui enim contra fidem vnum committit errorem omnium se constituit reum quia vt dicitur *cap. Excommunicatus* 14. *eod.* hæretici facies quidem habentes diuersas, habent tamen causas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in id ipsum. Et quia etiam per vnicam hæresim perditur fides, ideo vt quis dicatur ad eam rediisse, necesse est quod illam de nouo profiteatur, *cap. Saluberrimum* 20. 1. *q*.7. *Quintus*, demum est promissio permanendi in eadem fide, nihil enim prodest fidei professio, nisi adsit animus permanendi in ea, qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit, perpetuò enim fides in homine necessaria est ad salutem: ista perpetuitas habetur eo *cap. Quoties* 8. 1. *quæst*. 7. ibi: *Et in communione Romani* Pontificis *semper, & sine dubio permanere.*

Abiuratio dicitur solemnis detestatio ex eo, quod ex præcepto iudicis, & coram testibus fit, in scriptis redigenda? de testibus, & scriptura colligitur ex citatis *cap. Quoties*, *cap. Saluberrimum*. *cap. Ego Berengarius*, Farin. *quæst*. 194. *num*. 20. Carena *par*. 3. *tit*. 12. *num*. 32 Nunc Inquisitores huiusmodi actus abiurationis registrant in suis processibus, vt notum est apud omnes, & si abiurans scit scribere subscribit, aliter signat cruce, ad minus prædicta supplet Notarius. Ex his patet abiurationem esse actum publicum, & iuridicum ex dictis solemnitatibus, ac proindè indici, & recipi tantum à iudicibus tribunalis S. Inquisitionis.

Quæres 2. An non solum hæreticus formalis, sed etiam suspectus de hæresi debeat abiurare.

2 ℞. Vtique, vnusquique in gradu suo, nulla autem est differentia inter vehementer, & violenter suspectum, pariter suspectus de leui debet abiurare leuiter.

Primum de hæretico formali patet exemplo Berengarij, qui enim vult se reconciliare Deo, & Ecclesiæ necesse est, quod detestetur assertam hæresim, & fidem profiteatur, aliter non dicitur redire ad fidem quod idem dicendum est de abiuratione de vehementi & de violenta patet ex eo, quod volens se reconciliare Ecclesiæ, cuius fidei videtur se opposuisse per delicta, vel indicia legitimè probata, necesse est, quod fidem de nouo protestetur, & confiteatur vti veram, solidam, & certam veritatem nostræ salutis, se declarando semper credidisse quidquid credit Sancta Mater Ecclesia, & in specie illos articulos, de quibus fuit notatus ex legitimis probationibus. Ita omnes cum Genuensi *c*.68.*n*.8. Sousa *l*.2.*c*.40. *n*.3. Carena *par*.3.*tit*.12. *de abiurat*. *n*.4. Farin. *q*.187. *n*. 40.

Secundum, quod inter vtrumque nulla sit differentia, docet Genuens. *cit*.*c*.68.*n*.8. Carena *par*. 3. *tit*. 12. *de abiurat*.*n*.6. alios citans.

Tertium, de leui abiuratione sustinetur eadem ratione, quia profitens se verum Christianum bene sententem de rebus fidei, tollere volens hanc suspicionem leuem de hæresi, abiurare debet protestando se semper bene sensisse, & velle sentire de fide Catholica. Ita omnes cum Farin. *q*. 187. *n*.31. Genuens. *c*.68. *n* 8. Sousa *l*.2.*c*.40.*n*.11. Carena *part*.3.*tit*.12. *de Abiurat*. §.3.

3 Nota ex his, quod quadruplex est abiuratio de formali, quæ fit ab eo, qui confessus, seu conuictus fuit de hæresi formali, & iste non solum debet fidem profiteri, sed etiam expresè se reum fateri de illis hæresibus, de quibus constat, abnegando illas; cum promissione non amplius adhærere illis &c. Secunda vocatur de vehementi. Tertia violenta. Quarta de leui, quæ distinguuntur iuxta maiora, vel minora delicta, seu indicia legitimè probata. Et in his tribus abiuratio fit sicut in fo rmali, excepto, quod non abiurat se discredisse, cum ex eius confessione ore, vel tortura constet non fuisse formalem hæreticum, sed tantum suspicione notatum, quod tollit hac abiuratione, quæ illi inseruit loco purgationis. Differunt autem inter se hæ duæ expurgationes, quod suspicio vehemens, & 4
violenta tolluntur tortura, & abiuratione, leuis verò sola abiuratione; ratio est, quia sicut suspicio vehemens oritur ex vrgentioribus indiciis, & leuis ex modicis, & parui argumenti, ita illa requirit maiorem, & efficaciorem expurgationem, hæc verò leuiorem, & sic facilius tollitur, quam illa, ac proinde vehemens eliditur duobus mediis, leuis verò vnico. Colliguntur hæc ex Pegna *part*. 3. Direct. *comm*. 39. §. *Quare in hoc*, vbi tria assignat remedia ad tollendam suspicionem hæresis, Purgationem, Torturam, & Abiurationem. Purgatio non est amplius in vsu ex Farinac. *quæst*. 194. *num*. 64. apud Carenam *par*. 2. *tit*. 12. *de Sortileg*. *num*. 249. de illa vide Sousam *l*.2. *cap*. 38. & 43. Zanardus in Summa *tom*.2. *cap*. 64. asserit leuiter suspectum de hæresi non esse cogendum ad abiurationem, sed eam suspicionem tolli per torturam. Id verum est, per torturam tolli posse, nihilominus à iudice cogi etiam potest ad abiurandum, cum à iure non prohibeatur, sed approbetur *c. Accusatus* 8. *de hæresi in* 6.

Quæres 3. An abiuratio sit pœna?

℞. Abiuratio de formali, non ex suspicione vehementi, violenta, aut leui, est pœna, illud probatur, quia in facie Ecclesiæ cogitur fateri suos errores, & pro talibus illos recognoscere cum magno rubore, & verecundia, quod esse pœnale omnibus constat. Addunt alij, quia exprimitur in sententia, & est quid maximi præiudicij. Carena *par*.3.*tit*.12.*de abiurat*. §.4. aliis citatis cum Farinac. *q*.194. *num*. 11: qui supponit illam pœnam, ac proindè sustinendam post latam sententiam *num*. 17. Quod verò abiuratio de vehementi &c. non sit propriè pœna suadetur, quia ea indicitur, vt per eam tollatur suspicio de corde audientium, dum abiurans protestatur numquam credidisse hæresibus, sed semper in fide Catholica permansisse, vnde cum id illi sit valde fauorabile, non potest dici pœnale, cum pœna de se sit præiudicialis. 5 6

Nec refert, quod hæc præcipiatur à Iudice, quia id pœnam non arguit, sed iudiciis officium esse, vt notam suspicionis in denuntiatione contractam diluat denuntiatus, & cognoscatur constans, & fidelis cum aliis Catholicis.

Quæres 4. Qualis probatio requiratur, vt quis cogatur ad abiurationem?

℞. Vt quis abiuret de formali, seu leui, aut vehementi debet legitimè constare de delicto, quod aut est formaliter hæresis, aut ex eo probato præsumitur hæresis. Ratio est, quia abiuratio habet rationem pœnæ, vel quasi pœnæ iuxta dicta præcedenti quæstione, & numquam imponitur nisi per sententiam, sententia autem non fertur, neque pœna imponitur, nisi secundum allegata, probata ex vulgatis iuribus *cap*. *Iudicet* 4. 3. *quæst*. 7. *cap*.2. & 3. 6. *quæst*. 2. D. Th. 2. 2. *quæst*. 66. *art*. 2. Clarus *quæst*. 66. *numer*. 2. ergo quis non est cogendus ad abiurandum hæresim, nisi prius constet, illum esse hæreticum formaliter, vel præsumptiuè, & hoc ex indiciis seu delictis plenè, & legitimè probatis. 7

Ita

Ita Menoch, *lib.1.consil.82. num.155.* Arelatanus *de hæret.notab.27.*Palaus *tract.4.disp.7.part.1.n.8. & 9.* ex illis Diana *par.4.tract.8.resol.39.§.Notandum,*Carena *part.3.tit.12.de abiurat.§.5.*

Quæres 5. Publicè, an secretè abiuratio facienda sit,& quo idiomate?

8 ℞. Abiuratio de graui, hoc est,de formali,vehementi, seu violenta fit regulariter publicè coram populo, de leui verò tantum secretè, nisi aliter suadeat aliqua specialis ratio. Fit autem vulgari lingua nota populo præsenti,& audienti.

Primum, de graui publicè agenda suadet ratio, vt reus huiusmodi rubore, & verecundia cum pœnis adiunctis suffusus deinceps talia non committat; populo audienti prodest, quia timore similium pœnarum continetur in vera fide Catholica, & per hanc publicam actionem glorificatur nomen Christi in fide nostra,in opprobriū,& deiectionem hæreticæ prauitatis.Ita *c. Ad Abolendam 9.de hæret.*ibi doctores, alios citat Farin.*q.194.n.3.*Carena *par.3.tit.12.de abiurat. n.21.*Diana *p.4.tract.8.resol 81.* Genuens. *c.68.n.9.*

Dixi, *regulariter*, quia ex rationabili causa secreto facienda est. *Primò*,quando quis sponte comparet,
9 ex supra dictis. *Secundò*, quando denuntiatus, sed nondum vocatus comparet, ex Carena *num.26.* vbi citat Locatum, & Rolandum. *Tertiò*, quando denuntiatus est nobilis, aut sacerdos bonæ famæ ex eodem Rolando. *Quartò*, confessarius reus de solicitatione secreto abiurat, vocatis confessariis, ne Sacramentum pœnitentiæ fiat graue laicis, qui facilè suas vxores, & filias non dimitterent ad sacram Confessionem, timentes proprij honoris detrimentum. In his, & similibus casibus Inquisitores prudenter se gerant indicentes secretam abiurationem coram suis Consultoribus tantum, & nonnullis confessariis, si agatur de crimine solicitationis. Et in hoc casu quidquam actuum in abiuratione alias narrandum non est, ex eo quod secreto acta fuit, ne proximi defectus ignorantibus innotescant.

Secundum, de abiuratione de leui facienda secreto
10 suadetur, quia leuitas suspicionis non debet inferre suspecto tam grauem ruborem, & verecundiam coram omni populo, æquum ergò est secreto eius abiurationem recipere, vt docet Genuens. *cap.68.num.9.* Simanch. Scaccia apud Carenam *part.3.tit.12. de abiurat.n.28.*Farinac.*q.194.n.10.* Immò Sanct.*c.41. de hæresi dub.2.n.4.*Saccacia *l.1. de iud.caus.c.59.n.10.* Pegna *par.2.com.40* Barbosa *in collect.t.2 lib.5.tit.17. cap.9.num. 12.* cum aliis dicunt non posse Inquisitorem de leui suspectum cogere ad abiurationem publicam, quos citat Diana *tract.7. resol. 33.* temperando illorum opinionem, nimirum cogi non posse, quando reus publicè non est suspectus; hoc idem docet ex Pegna, & Farinac. Sousa *lib.2.capit.40. numer.5.*

Sed quid dicendum de Caluinistis, & Luteranis militibus in hisce nostris partibus veram fidem no-
11 stram amplectentes, an cogendi sint ad publicam abiurationem? Isti, qui nati in sectā sunt, nec Domagistæ, benignè recipiendi sunt, & indicenda illis abiuratio, cum salutaribus pœnitentiis, in eorum verò arbitrio erit publicè, vel secretè abiurare, hoc enim modo benignè, & suauiter disponuntur ad conuersionem fidei. Sic obseruatum fuit hic Parmæ circa quosdā Caluinistas milites,qui spontè comparentes contenti fuerunt abiurare publicè, neque enim hæc abiuratio illis in ruborem, aut verecundiam est, sed in honorem, cum non increpentur, neque de aliquo delicto arguantur, sed tantum admoneantur de statu damnationis, in quo erant sequentes sectā Caluinorum, & per hunc abiurationis actum suam ostendunt conuersionem & professionem veræ fidei,vnde potius in magnum decus,& honorem illis resultat. Abiuratio autem ab istis facienda est de formali, cum formaliter sint hæretici, reuocantibus in specie errores,quos contra fidem retinent,cum promissione,&c.

Tertium, quod fiat vulgari lingua, docent omnes cum Farin.*q.194.n.18.*Carena *par.3.tit.12. de Abiurat.n.31.* Sousa *l.2.c.40.n.6.*Quod si abiuraturus non 12
intelligat linguam populi circumstantis, iuxta cuius idioma vulgatum fit abiuratio,pro ipso loquatur interpres,vt sciat,quid significent verba per Notarium prolata sua lingua.

Quæres 6. Quot actibus constet Abiuratio?seu quid in ea exprimatur.

℞. Continet sex actus. *Primò*, confessionem fidei Catholicæ. *Secundò*, detestationem hæresis formalis, aut suspectæ exprimendo eam in propriis terminis,siue 13
sit vna,siue multiplex Tertiò, detestationem generalem omnium aliarum hæresum. *Quartò*, Iuramentum non amplius committendi hæreses abiuratas formales, vel suspectas. *Quintò* Iuramentum de pœnis sustinendis, & pœnitentiis adimplendis. *Sextò*, Promissionem denuntiandi hæreticos, vel de hæresi suspectos. Colligit hos Carena *part. 3. tit. 12. de Abiurat.* de quibus dixi sub *quæst. 1.* Verum quidem est, quod tertius actus, quintus, & sextus, non sunt de iure, quia non colliguntur ex *cap. Quoties 8. cap. Donatum 19. cap. Saluberrimum 20. 1. quæst. 7. cap. Ego Berengarius 41. dist. 2. de consecr.* ibi Glosa. 1. dicit Berengarium non ex necessitate, sed ex abundanti abiurasse omnes hæreses, quia non tenebatur se purgare,nisi de hæresi,de qua erat infamatus,& id sequitur Glos. *ver. Simpliciter,c. Accusatus 8. eod. in 6.* nihilominus ex recepto vsu omnium tribunalium fit ab omnibus etiam de leui suspectis generalis abiuratio, ea ratione,quod omnes hæreses connexionem habent ad 14
inuicem ad destruendam fidem, & sicut simpliciter fidem abiurans profitetur per eius confessionem, ità necesse est simpliciter, & generaliter abiurare omnem hæresim etiā non incursam nec formaliter,neque præsumptiuè,quod enim dicitur de vno contrariorum, debet intelligi de altero, secundum contrariam rationem, *l.fin.ff.de eden.l.Quia accusare,ff. de accus.*quia contrariorum eadem est disciplina, Arist. 1. Tropic. Quare sicut abiurans in vniuersum fidem profitetur, & non tantum articulum negatum,ità & hæresim non solum tentam,sed in vniuersum omnem detestari debet. Qua stante rationabili consuetudine poterit iudex cogere leuiter suspectum de hæresi abiurare generaliter omnem hæresim, ex allegatis à Diana *part. 4. tract. 8. resolut. 68.* De reliquis duobus actibus promissiuis adimplendi, & denuntandi ne verbum quidem in iure, sed solum fit mentio in Formulis apud doctores. Et ambæ sunt rationabiles, & ex natura rei, qui enim ex corde hæresim detestatur, virtualiter quoque intendit satisfacere pœnis pro illius delictis contractis, & quantum est in se conseruare fidem protestatam,& denunciatione procurare, vt apud alios propagetur illibata,ergo isti duo actus quasi subintelliguntur in ratione abiurationis, quamuis alias non exprimerentur? sed quoniam magis nocent expressa, quam tacita, *l. Expressa 156. ff. de reg. iur. l.Non nunquam ff. de condit.pulcrum argumentum huius habes cap. Turbatur 12. 1. q. 4.* ibi: *Si quis infidelium vocauerit vos ad cœnam quidquid vobis appositum fuerit, comedite. Nihil interrogantes, si quis vobis dixerit, hoc idolis immolatum est, nolite comedere.* Ex quibus verbis habes expressionem immolationis nocere comedenti, non autem eius suppressio? vnde expressum maiorem vim habet tacito,

 l.Serui

l. Serui venditor ff. de euict. l. Precibus C. de impuber. consequenter secunda vice cadentes in hæresim grauius puniuntur non tantum ex relapsu, quam etiam ob illam generalem abiurationem omnium hæresum? & grauius etiam castigantur si deficiunt in denuntiatione, quam alij, qui numquam abiurarunt, vel specialiter non promiserunt denuntiare. Vide præced. c. sect. 3. n. 106.

Quæres 7. An aliqui excusentur ab abiuratione?

15 ℟. Nullus excusatur modò sit doli capax post decimum quartum annum masculus, post duodecimum fœmina, ex Concil. Tolet. *cap.* 11. & Bituric. *c.* 31. Farin. *q.* 194. *num.* 31. Carena *part.* 3. *tit.*
16 12. *de abiurat. à n.* 43. Nec etiam Imperator, qui inter laicos non habet maiorem, neque parem, vnde probatus hæreticus debet abiurare, si sit formaliter hæreticus, si suspectus tantum ex maiestate sua tollere potest aliis remediis suspicionem iuxta sibi præscripta à Summo Pontifice. Vide Pegnam à Carena citatum *par.* 3. *tit.* 12. *de Abiurat. num.* 40. Ex quo autem Imperator est, filius primogenitus Ecclesiæ Romanæ, & defensor fidei Catholicæ existit, *cap.* 1. *dist.* 97. *Clem. Romani, de iureiur. Auth.* Vt omnes obediant *indic. prou.* Et hoc considerantes, si deprehenditur seminator hæresum, & dogmatizare in populos subditos omnino abiiciendus, & deponendus, quia non est verus Imperator, sed inimicus Ecclesiæ, quæ intra suum templum nullum patitur viuere hæreticum, & Apostatam? si enim doctores asserunt Papam hæreticum desinere esse Papam, quia vt caput fidei toto corde illam profiteri, & totis viribus defendere debet, quod non præstans reddit se indignum huius supremæ maiestatis, cur, & non hoc dicendum est de Imperatore, qui se Papæ æqualem facit, vt plurimum, licet reuera non sit, cum ab eo dependeat ratione imperij, quando deficit in fide? Idem dic de Regibus, & aliis.

Quæres 8. An absolutio ab excommunicatione danda sit ante abiurationem, an post? Scaccia *de sent. & re ind.* Glosa 14. *q.* 7. *n.* 178. quem reprobat Carena *part.* 3. *tit.* 12. *de Abiurat. n.* 46. præponit absolutionem abiurationi.

17 ℟. Absolutio danda est facta abiuratione, quia sicut in naturalibus, ita & in moralibus forma non applicatur materiæ, & subiecto nisi bene, & vltimo disposito? sed reus hæresis non dicitur vltimo dispositus nisi peracta sententia, & abiuratione, ergò tunc, & non ante absoluendus est. Confirmatur per Carenam, quia absolutio non confertur pœnitenti nisi debitè disposito, qui talis censetur post abiurationem. Deinde ab hæresi nullus absoluendus est nisi procuret reconciliationem, quæ fit per abiurationem, ergò hæc præcedit absolutionem.

18 Nota autem, quod hæreticus formaliter simpliciter & absolutè absoluitur ab excommunicatione, & à peccato, quia de vtroque apertè constat. Loquendo verò de suspecto de hæresi, qui tortura, aut abiuratione suspicionem, quantum est ex parte sua, euacuauit, absolutio simpliciter danda non est, cum reuera non constet ipsum esse hæreticum, sed Ecclesia illum habeat tantum pro suspecto, sed sub conditione si est, aut fuit hæreticus, quæ absolutio semper solet præmitti etiam à confessario in foro pœnitentiali ex illa clausula *In quantum possum, & tu indiges.* Non est autem necesse conditionem hanc exprimere, sed satis est, eam mente concipere.

Quæres 9. Quid agendum cum reo negante velle abiurare?

19 ℟. Hæreticus formalis nolens abiurare tradendus est curiæ seculari, ex *cap. Ad abolendam* 9. *de hæret.* vbi id clare dicitur, non abiurantem tradendum esse curiæ, quia est impœnitens, & pertinax in suo 19
errore, qui illum non retractare, & fidem Catholicam profiteri, vult, quod fit per abiurationem. Omne cum Farinac. *quæst.* 194. *numer.* 34. Carena *par.* 3. *tit.* 12. *de Abiurat. numer.* 47. Suspecto verò etiam leuiter indicitur sub pœna excommunicationis, in qua si per annum permanserit traditur eidem curiæ puniendus, quia per hanc contumaciam, & obstinationem se constituit hæreticum formalem, nolens profiteri fidem in casu, quo tenetur hæresim detestari, quod debet, & confirmatur id ex *cap. Cum contumacia* 7. *de eod. in* 6. vbi excommunicatus propter contumaciam nolens respondere de fide vocatus, quia de hæresi erat suspectus, post annum damnatur, vt hæreticus, ergò à fortiori in vinculis constitutus reus. Ita supradicti de communi omnium sensu.

Quæres 10. An ad abiurationem necessario debeat interesse etiam Vicarius Episcopi, an fieri possit coram solo Inquisitore? Bernardinus Comensis in sua Lucerna Inquisitor. *ver. Abiuratio num.* 4. probat solum Inquisitorem posse recipere abiurationem arg. *c. Vt officium, §. Si quis verò, de hæret. in* 6. Glos. *ver. consueuit.* Confirmat, quia id potest ordinarius ex *cap. Ad abolendam*, ergò & Inquisitor, quia cum sit delegatus potest in causa sibi delegata, quidquid valet ordinarius ipse, cuius vices gerit. Neque enim id est de prohibitis per *Clem.* 1. *eod.* Quibus non obstantibus.

℟. Non potest Inquisitor se solo recipere indictam abiurationem, quæcumque ea sit, sed debet fieri 20
etiam coram Vicario, quod probatur per *Clem.* 1. §. *Propter quod, de hæret.* vbi inter alia Summus Pontifex statuit, quod Inquisitor sine Episcopo, & iste sine illo non possit procedere contra reum ad sententiam sed sub sententia continetur abiuratio, vt constat ex praxi omnium tribunalium ergò sicut indicitur simul cum Episcopo, ita & exequitur coram ipso. Vnde per dictam Clement. restricta est potestas Inquisitorum, qui multa facere poterant inconsulto Episcopo, quod notat etiam Glos. *ver. Procedatis c. Vt officium*, præcitati per prædictum Bernardinum, qui si benè rem considerasset tenuisset oppositum, & ita sensit Pegna ibidem in Annotat. *num.* 4. Limita in abiuratione facienda secreto à sponte comparentibus, quam faciunt coram solo Inquisitore.

Quæres 11. An in aliquo casu confessarius recipiat abiurationem alicuius pœnitentis? e. g. eius, qui solo corde hæresim tenuit, is enim cum non sit excommunicatus eo quod est hæreticus purè mentalis, absolui potest à quouis confessario, ac proinde præmittenda est abiuratio, per quam disponitur ad fructuosam absolutionem. Sic etiam casus in Caluinista, & Luterano tam rudi, & ignoranti, vt excusetur in foro conscientiæ ab incursu excommunicationis, quæ supponit formalem hæreticum, qualis non est taliter rudis, cum iste non peccauerit contra fidem vt hæreticus materialis, poterit à quouis confessario absolui ab aliis peccatis, nulla impediente excommunicatione, in quo casu præmittenda erit abiuratio hæresis, & propriæ sectæ vti falsæ, & perniciosæ, confidendo fidem Catholicam cum promissione permanendi in hac, quæ verum est fundamentum salutis humanæ.

℟. Confessarius benè recipit abiurationem hære- 21
tici purè mentalis, quem sicut potest absoluere, nulla obstante censura, ita & ex necessitate Sacramenti debet recipere ad abiurationem in foro Dei. Et in hoc nulla difficultas.

In

In secundo casu, maior est difficultas, quia videtur incredibile, & reuera est, inueniri hominem Caluinistam, aut aliter hæreticum ignorantem penitus nostram fidem, aut aliquos articulos ex celebrioribus, quos ipsi in sua facta impugnant, & id probaui *cap.* 1. *quæst.* 37. *num.* 87. Quare in hoc Tribunali Parmæ admissa non fuit abiuratio, neque absolutio cuidam Caluinistæ militi ad fidem conuerso, data à certo Confessario se excusante id potuisse facere, quia vti hæreticus materialis non inciderat in excommunicationem, quæ sola poterat impedire illius iurisdictionem. Sed hæc excusatio non est alicuius momenti, cum confessarius non potuerit probare innocentiam illius Caluinistæ, ad quam nec admissus fuit obstante præsumptione iuris de iure, præterquam quod ille erat miles, ac proinde sagax, & expers rerum nostræ fidei, qui diu militauerat in exercitu Pontificio vbi manu tetigerat, quam magna est potestas Pontificia tum in
23 temporalibus, tum in spiritualibus, quam negant Caluinistæ, & postea, fuit sub exercitu ducis nostri Parmæ, vbi se conuertit ad fidem. Insuper natus erat in loco quodam Franciæ, vbi commixtim viuunt Caluinistæ cum Catholicis, ex quo euidenter infertur non potuisse ignorare res fidei, ac proinde verum esse hæreticum formalem. Deinde abiuratio est actus iudicialis ex genere suo fori externi, cum committatur Episcopo, *cap. Ad abolendam* 9. *de hæret. & Inquisitoribus cap. Vt officium* 11. *eod. in* 6. quod colligitur etiam ex definitione allata *sub. quæst.* 1. Demum Pœnitentiarij Vrbis Romæ non solum Caluinista adultos, sed etiam pueros, & mulieres ad supremum Tribunal, quod facit illos abiurare de formali. Veniens igitur ad fidem nostram siue hæreticus, siue quiuis alius infidelis à nullo alio recipi potest ad abiurationem, & reconciliationem, nisi ab Episcopo, aut ab Inquisitore, quia agitur de re graui, & spectante ad forum externum in quibus confessarius quamuis humanæ, & diuinæ doctrinæ oraculum ingerere se non potest, cum carent iurisdictione fori externi.

24 Quæres 12. An ad vehementem suspicionem debeat sequi vehemens abiuratio?

℞. Affirmatiuè, quia abiuratio regulatur ex suspicione. Ita Genuens. *cap.* 68. *num.* 8. & alij omnes dum dicunt, leuiter suspectum cogi ad abiurationem de leui, vehementer de vehementi.

Quæres 13. An fautores hæreticorum abiurent de vehementi?

℞. Modò de violenta, modò de leui, iuxta dicta *cap.* 10. *quæst.* 16. *ad* 26.

CAPVT XII.

De Pœnis Hæreticorum, & Suspectorum de Hæresi.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus Internus, Externus, & Formalis.*
2 *Internus non est excommunicatus.*
3 *Absoluitur à quouis confessario.*
4 *Inquisitor indiget approbatione ordinarij pro confessionibus.*
5 *Inquisitor peccata sibi non reseruat.*
6 *Materialis hæreticus non est excommunicatus.*
7 *Quis potest esse talis pluribus modis.*
8 *Externus hæreticus præsumitur excommunicatus.*
9 *Iuramento probantur in animo latentia.*
10 *Externus non potest absolui à confessario.*
11 *Caluinista, & alij mittuntur ad Inquisitores.*
12 *Laymani dictum reiicitur.*
13 *Reiicitur opinio absoluentium hæreticos materiales*
14 *Inquisitor solum censuram sibi reseruat, non peccata.*
15 *Excommunicatus est hæreticus formalis.*
16 *Hæreticus formalis ex tribus constituitur.*
17 *Hereticus verè non est carens errore in intellectu.*
18 *Pertinax debet esse cum firma adhæsione.*
19 *Prodere extra debet errorem.*
20 *Signa quibus proditur hæresis.*
21 *Exempla quibus proditor non fit hæreticus externus*
22 *Intentio formalis prodendi hæresim non est necessaria.*
23 *Omissione proditur hæresis.*
24 *Actus externus prodens hæresim non necessario mortalis.*
25 *Comestio tantilli carnis prodit hæresim.*
26 *Signum insufficiens pro foro externo sufficit pro interno.*
27 *Fautores hæreticorum sunt excommunicati.*
28 *Quando fauent hæretico vti tali.*
29 *Termini semper formaliter intelligendi sunt.*
30 *Consanguineum hæreticum receptans non fauet hæresi.*
31 *Mitius punitur, quàm alter.*
32 *Fautores principaliter, & per se excommunicatum.*
33 *Credens hæreticis est formaliter hæreticus.*
34 *Receptator hæretici quis dicatur?*
35 *Fautor hæretici quis dicatur?*
36 *Omissione etiam fautor dicitur.*
37 *Defensor hæretici quis dicatur?*
38 *Credentes defensores, fautores, & receptores quomodo differant inter se.*
39 *Suspecti de hæresi non sunt excommunicati.*
40 *Fautores non hæreticorum non sunt excommunicati.*
41 *Filij hæreticorum, & fautorum non fauentes non sunt excommunicati.*
42 *Episcopus virtute Tridentini non absoluit ab hæresi.*
43 *Inquisitor nisi pro foro iudiciali.*
44 *Regulares prælati minime.*
45 *Confessarij regulares minus.*
46 *In Gallia, & Germania absoluunt, quia Bulla non fuit recepta.*
47 *Italus confessarius illos absoluit huc venientes.*
48 *Caluinista non absoluuntur illinc aduenientes.*
49 *Confessarius absoluit iuxta leges suæ diœcesis.*
50 *Hæresis non venit sub concessione casuum B. C.*
51 *Intrinsece quæ insunt subintelligitur, licet non exprimantur.*
52 *Signum vniuersale multum operatur.*
53 *Restringitur ratione subiectæ materiæ.*
54 *Excommunicationes nonnullæ in causa hæresis.*
55 *Excommunicatio multiplicatur in eodem per legem.*
56 *Sepeliens hæreticum non est excommunicatus in B. C.*
57 *Irregularis non est hæreticus internus.*
58 *Irregularis est hæreticus verè externus.*
59 *Non autem fictus ex delicto hæresis.*
60 *Fautores hæreticorum sunt irregulares.*
61 *Filij item hæreticorum, & fautorum.*
62 *Irregulares non sunt suspecti ex alio hoc delicto.*

63 *Inuocantes dæmones non sunt irregulares nisi ex infamia.*
64 *Dispensat Episcopus, & Prelatus in dictis irregularitatibus.*
65 *Non reseruatur ex B.C.D.*
66 *Maiora censentur prohibita illis quibus minora vetantur.*
67 *Dispensatio quandoque quid minus absolutione.*
68 *Dispensant supradicti quando delictum est occultum.*
69 *Hæretici, & fautores eorum sunt infames ex facto.*
70 *Item & ex iuris infamia.*
71 *Filij eorum non sunt infames.*
72 *Suspecti non sunt infames.*
73 *Nobilitas sanguinis non perditur.*
74 *Vtique priuilegij ab hæreticis, & fautoribus.*
75 *Non à filiis, quam acceperunt ab aliis.*
76 *Beneficiis priuati sunt ipso iure hæretici.*
77 *Titulo, sed non possessione priuandi per sententiam.*
78 *Eorum beneficia dicuntur vacare.*
79 *Fructus consumptos faciunt suas.*
80 *Condemnantur in pendentibus.*
81 *Illa non possunt resignare.*
82 *Inhabiles ad quæcunque alia.*
83 *Fautores, & filij eorum sunt priuati, sicut illi.*
84 *Verbum* Probantur *est verbum iuris.*
85 *Alij suspecti non sunt inhabiles, nec priuati.*
86 *Ordinis potestatem numquam perdit hæreticus.*
87 *Sacramenta validè ministrat.*
88 *Missam validè celebrat.*
89 *Iurisdictionem potestatis retinet vsque ad condemnationem.*
90 *Post priuatus est omnibus.*
91 *Illicitè, & infructuosè Sacramenta ministrat.*
92 *Alij suspecti non sunt priuati potestate.*
93 *Hæretici, & Fautores priuati omnibus publicis officiis.*
94 *Pœna capitis;* Excommunicamus *duo requirunt.*
95 *Hæreticus priuatus voce actiua, & passiua.*
96 *Filij, & nepotes hæreticorum priuati officiis.*
97 *Sepultura Ecclesiastica carent cum suis fautoribus.*
98 *Patria potestate filius liberatur à die criminis.*
99 *Testandi iure non sunt priuati ipso iure.*
100 *Filij non subiacent dictæ pœnæ.*
101 *Successionis capaces hæretici vsque ad sententiam.*
102 Amoueatur *importat sententiam ferendam.*
103 *Filij non succedunt patri hæretico.*
104 *Aliis vtique non hæreticis.*
105 *Non excluduntur filij fautorum.*
106 *Vasalli, & alij eximuntur.*
107 Quicumque *omne genus personarum.*
108 *Debitor post sententiam soluit fisco.*
109 *Confiscantur bona hæreticorum tantum.*
110 *Non autem fautorum.*
111 *Bona ipso iure sunt confiscata, remanent tamen in possessione hæretici vsque ad sententiam.*
112 *Fructus ideo facit suos.*
113 *Alienare potest ante sententiam.*
114 *Bona præsentia acquisita vsque ad diem delicti sunt fisci.*
115 *Hæreditas nondum adita ab hæretico, non est fisci.*
116 *Legitima filij hæretici est patris non fisci.*
117 *Fideicommissum non est subiectum fisco.*
118 *Maioratus non est subiectus fisco.*
119 *Infamia non respuit à dignitate consequente.*
120 *Peculium Castrense, & quasi Castrense explicatur.*
121 *Neutrum est subiectum fisco.*
122 *Peculium aduentitium, & profectitium explicatur.*
123 *Neutrum confiscatur.*
124 *Prædium censibus subiectum confiscatur.*
125 *Iuspatronatus intransitorius à solo fisco Ecclesiastico confiscatur.*
126 *Emphiteusis tantum intransitorius priuati confiscatur à laico.*
127 *Bona clericorum sunt in quadruplici differentia.*
128 *Primi, & secundi generis confiscatur.*
129 *Beneficia non confiscantur.*
130 *Quarti generis bona confiscantur ex more.*
131 *Fiscus non tenetur restituere pœnitenti.*
132 *Religiosi bona non confiscantur.*
133 *Casus, in quibus hæreticus traditur curiæ.*
134 *Quibus pœnis afficiantur hæretici.*
135 *Mortui hæretici quomodo puniuntur.*
136 *Mortui quomodo dicuntur excommunicari.*
137 *Hæresis crimen numquam præscribitur.*
138 *Eorum bona præscribuntur 40. spatio.*
139 *Imperator, & Reges hæretici excommunicati sunt.*
140 *Suspecti simpliciter de hæresi sunt tantum infames ex facto.*
141 *Non possunt promoueri, nec exercere in suspectis.*
142 *Fautores, & filij hæreticorum an iniuriant pœnas solum post condemnationem hæretici.*
143 *Inquisitio sola non probat delictum.*
144 *Quinam fi ij hæreticorum & fautorum incurrant pœnas.*
145 *Abbatissa monialis filia incurrit pœnas.*
146 *Hæresis reconciliati non nocet filiis quoad beneficium, & officia.*
147 *Nocet verò in confiscatione bonorum.*

POenæ in diuersis iuribus registratæ contra hæreticos, eorum fautores, & filios, sunt excommunicatio, irregularitas, infamia, priuatio omnium beneficiorum, inhabilitas ad illa, & alia, priuatio sepulturæ, confiscatio bonorum, perditio nobilitatis, demum mors. De singulis aliquid dicendum per sequentes quæstiones.

Nota pro intelligentia dictorum distingui quatuor genera personarum in ordine ad pœnas, sub primo, continentur Hæretici externi formales, de quibus patebit infra. Sub secundo, comprehenduntur sub nomine Fautorum credentes, receptatores, fauentes, & defensores hæreticorum, qui & suspecti de hæresi dicuntur, quorũ nomina breuitatis gratia venient sub voce Fautorum. Sub tertio, includuntur filij hæreticorum, & horum fautorum. Sub quarto, sunt omnes alij suspecti quidem de hæresi, sed ex aliis delictis vti blasphemi, superstitiosi, poligami, sollicitatores, &c.

Quæres 1. An, & quando hæretici incurrant excommunicationem? Triplex hæreticus: Primus, dicitur pure mentalis, qualis est ille, qui habet errorem in intellectu nullatenus extra proditum. Secundus, vocatur hæreticus pure externus, qualis est ille, qui errorem hæresis exterius proditum non habet in intellectu. Tertius, nuncupatur hæreticus mixtus, seu formalis ad differentiam præcedentis, qui dicitur materialis, & est ille, qui errorem hæresis in intellectu habens exterius prodit, & manifestat. His præmissis, 1

℟. Hæreticus pure mentalis excommunicationem non incurrit, vnde, & à quolibet simplici confessario absolui potest, si errorem iam abiecit. Hæreticus pure externus, seu materialis in foro conscientiæ eam non incurrit; in foro vero externo censetur incurrere ex præsumptione iuris, & ideo non est absoluendus à confessariis. Restat, quod solus formalis hæreticus propriè incurrat excommunicationem. 2

Prima pars, quod mentalis hæreticus non incurrat excommunicationem, patet ex eo, Ecclesia, cui soli competit promulgare censuras Ecclesiasticas,

cas, non iudicat de occultis, quæ soli Deo reseruantur, *cap. Sicut tuis* 33. *cap. Tuas nos* 34, *de Simon.* Est omnium doctrina cum D. Thoma 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. & 4. iuncta Doctrina Caiet. ibidem Sair. *lib.* 3. *de cens. cap.* 4. *num.* 21. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. Layman. *l.* 2. *tract.* 1. *c.* 13. *assert.* 1. Ricciull. *l.* 5. *cap.* 10. *n.* 10. qui refert oppositam sententiam Canonistarum Farin. *q.* 192. *à num.* 4. *ad* 7. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 240. §. *Notandum. Portellus ver. hæresis num.* 10. ait, de hac doctrina neminem dubitare, intellige nouissime, nam alias res erat in controuersia ex adductis à Ricciull. & Farin.

3 Secunda pars, quod ab omnibus confessariis absolui possit, probatur, quia hæresis peccatum non est reseruatum, nisi ratione censuræ, quæ cum in præsenti casu absit impedire non potest potestatem confessarij, quin absoluat, qui in absolutione danda debet inducere pœnitentem ad detestandam formaliter hæresim per illius abiurationem coram se factam cum promissione non amplius recidendi in similes errores. Ita præcitati doctores. Nonnulli dicunt peccatum hæresis mentalis esse reseruatum Episcopis, & Inquisitoribus, & ex hoc, nihil posse simplices confessarios; si Episcopi hanc reseruant confessarij non audeant manus apponere. In edictis Inquisitorum non legi hanc reseruationem; neque illis ex se competit; quia sunt iudices tantum fori externi, neque valent absoluere à peccatis sine approba-
4 tione ordinarij ex dispositione Tridentini, consequenter neque habent ius reseruandi sibi peccata quoad absolutionem Sacramentalem, cum in hoc non sint
5 ordinarij, quibus competit ius reseruationis, sed tantum delegati ab Episcopo.

6 Tertia pars, quod hæreticus materialis excommunicationem non incurrat, probatur, quia ille est excommunicatus, qui verè, & propriè est hæreticus, ex errore inhærente intellectui; sed hæreticus materialis non est propriè talis, cum careat errore hæresis in intellectu, ex dictis, ergo non est excommunicatus, corde enim credit mysteria fidei, licet exterius lingua, vel facto aliud exprimat ex aliquo motiuo. Est communis præsertim Modernorum, Sair. *l.* 3. *de censur. c.* 5. *n.* 25. Megal. *l.* 3. *de cens. c.* 1. *num.* 15. Nauar. *consil.* 10. *de hæret.* Sanch. *l.* 2. *c.* 7. *n.* 8. Portell. *ver. Hæresis n.* 3.

7 Nota, quod quis potest dici hæreticus materialis, & externus tantum sine formali errore in intellectu tripliciter. *Primò*, quando discredit articulum fidei, quem inuincibiliter ignorat esse articulum fidei, iuxta dicta *cap.* 8. *quæst.* 46. voco autem inuincibilem ignorantiam, quando ignorans non præuidit errorem contra fidem cognitione, aut dubitatione aliqua, ad quod vide dicta *cap.* 9. *quæst.* 6. *à Secundò*, cum quis solo ore, & lingua profert hæresim, metu, ioco, seu ira iuxta dicta *cap.* 9. *q.* 15. & *q.* 24. *Tertiò*, quando facit actum idololatriæ genua flectendo, incensando, & c. ex metu mortis vel aliter. In his tribus casibus, si prorsus error hæresis absit à corde hæreticus quis dicitur tantum materialiter ac proinde excusatur in foro animæ ab excommunicatione, quamuis in hoc tertio casu præsertim semper peccet mortaliter, illi enim actus, & similes, ita sunt intrinseci mali, vt nec metus mortis valeat excusare in omnium sententia.

8 Quarta pars, quod in foro externo hæreticus materialis præsumatur excommunicatus, probatur, quia constat de actibus externis ex quibus solet regulariter deduci error in corde, ergo cum iudex habeat suam intentionem fundatam in iure asserendi, talia dicentem aut facientem esse hæreticum formalem infert esse reum huius excommunicationis. Nisi notatus de hæresi contrarium probet, quod est quasi impossibile, non enim probari potest, aliquem non habere errorem in intellectu, cum sit negatiua, quæ directè improbabilis est, præ- 9
terquam quod ea, quæ in animo latent, non possint probari nisi per iuramentum, veritas enim in animo latens solo iuramento probatur, Glo. *ver. Si est ita, cap. Significasti, de homic.* Glos. *in* §. *Aliam, Instit. de act.* Couar. *l.* 2. Variar. *c.* 10. Mascard. *concl.* 45. *de probat. n.* 48. nec admittitur ad iuramentum, quia ad euitandas pœnas bene præsumitur falsum dicturus. Hanc igitur hæresis suspicionem purgabit tortura, & abiuratione iuxta dicta *c.* 10. & 11.

Quinta pars, quod hæreticus materialis præsum- 10
ptus formalis, & publicus non possit absolui, probatur. Tum quia, non potest absolui sine formali abiuratione, quæ est actus solemnis, & publicus fori externi spectans ad solos Inquisitores, & Episcopos, *c. Ad abolendam 9. de hæret. c. Vt officium* 11. *eod. in* 6. Farin. *q.* 194. initio & ego *cap. Praced.* Tum quia publicè perpetrata publicè etiam sunt corrigenda *c. Quæsitum 7. de Pœnit.* peccata enim manifesta non sunt occulta correctione purganda, ex D. Paulo 1. ad Timoth. 5. ibi: *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Idem dic de Caluinistis, Luteranis, & 11
aliis ex professo hæreticis, qui quandoque cum Catholicis versantur, & petunt reconciliari Ecclesiæ, à fotiori enim isti absoluendi non sunt, quamuis se dicerent de primo genere hæreticorum materialium se excusantes ignorare probabiliter articulos nostræ fidei, quod est improbabile, licet quoque essent pueri, & mulieres, nam confessarij, & Pœnitentiarij Romæ hæreticos omnes etiam pueros mittunt ad sacrum Tribunal, coram quo de formali abiurant, vt probaui *c. Præced. q.* 11. vbi de his Caluinistis aliquid notaui. Prudens ergo confessarius hos remittat ad Inquisitores, quando de errore externo notitia est in populo, aut hæretici sunt alicuius sectæ vti supradicti.

Deducitur hinc non esse audiendum Layman. *lib.* 2. 12
tract. 1. *cap.* 12. *num.* 4. asserentem illos absolui posse, per parochos facta professione fidei coram testibus, nam quod spectat ad absolutionem, hæc illis conferri non potest, cum fundamentum, quod illi sint hæretici materiales, falsum sit, quia non possunt instrui in propria secta sine cognitione articulorum fidei hoc ipso, quod illi negant, quod nos de fide asserimus, consequenter vtriusque cognitionem habent, cum affirmatio, & negatio sit circa idem obiectum. Quod spectat ad testes pro solemni professione, omnino id reiicitur, quia confessarius cum sit iudex fori occultissimi non indiget, neque vti potest testibus, cum id solum competat iudici fori externi; immò testium adhibitio videtur sigilli fractio, quin verè est, quando pœnitens occultus proditur Caluinista per confessarium coram testibus.

Non obstantibus hactenus traditis sub hac quin-
ta parte, quæ quidem vera sunt, & in praxi 13
amplectenda, est sententia grauissimorum doctorum, huiusmodi externos hæreticos carentes errore hæresis in intellectu, qui scilicet genua flectunt, incensant idola, &c. coacti ad euitandam mortem, absolui posse à quouis simplici confessario, quia non sunt rei excommunicationis, quæ sola potest impedire confessarium absolutione hæresis, quæ cum non extet, neque proinde ponit obicem absolutionis, hi autem sunt Iesuitæ Toletus, Suar. Sanch. Filliuc. Fagund. & alij aliorum ordinum, quos citat Diana *resolut.* 143. *de Sacram.* qui in calce ait id multis displicere, quia hoc peccatum est reseruatum Inquisitoribus. Sed apud nullos Inquisitores vidi hanc reseruationem, imò nec facere possunt peccatorum, quia non sunt ordinarij fori conscientiæ, neque

neque confessarij, nisi approbentur, vt dixi supra sub *n*.4. Confirmatur, quia in eorum edictis reseruatur solum absolutio excommunicationis latæ contra negligentes denuntiare. Deinde nullus tenetur seipsum denunciare, sed tantum alios, ergo nec confiteri sua peccata hæresis, vel contra fidem Inquisitoribus, cum sint tales tantum respectu fori contentiosi. Ratio igitur, quare non possunt absolui à simplici confessario, ea est, quia priusquam absoluantur, debent præmittere formalem, & solemnem abiurationem, quæ non potest indici, nec acceptari à simplici confessario ex supra dictis sub *n*.10.

15 Sexta pars, quod hæreticus formalis sit excommunicatus, expressa habetur, *c. Ad abolendam* 9. *c. Excommunicamus* 14. *de hæret. c. Nouerit* 49. *de sent. excom.* in quibus, & aliis locis non reseruatur, sed tantum in primo casu Bullæ Cœnæ Domini.

Quæres 2. Quid requiratur ad constituendum hæreticum mixtum, seu formalem in ordine ad incurrendam pœnam excommunicationis, & etiam alias pœnas.

16 ℟. Tria sunt necessaria. Primò, quod habeat errorem in intellectu contra aliquem articulum fidei verum Ecclesiæ reuelatum. Secundò, quod in eo sit pertinax, idest, firmiter illi adhæreat, quamuis sciat, aut dubitet esse contra fidem. Tertiò, quod errorem exterius prodat. De his tribus fere omnes cum Megalio *l*. 3. *de cens. c*. 1. *n*. 16. Diana *resol*. 1. *de absolut. de hæresi*.

17 Primo igitur, quis non potest dici vere hæreticus, qui non habet errorem in intellectu, quomodo enim quis potest extra prodere errorem, si illum prius non habet in mente? Itaque error externus supponit internum, & ex vtroque hæreticus denominatur formalis, & verè talis. Iste error debet esse contra verum fidei articulum, & non sufficit fictus, aut putatus articulus, vnde probaui *cap*. 9. *sect*. 3. *quæst*. 16. negantem propositionem, quam putat de fide, quæ reuera non est, non dici hæreticum formalem, neque proinde subiacere excommunicationi. Item ibidem *q*. 23. negantem conclusionem deductam, quæ in se non est de fide definita, non esse hæreticum formalem. Addidi: *Ecclesiæ reuelatum*? quia qui non credit aliquem particularem articulum sibi, vel alteri à Deo reuelatum, non tamen toti Ecclesiæ propositum ad credendum, non est formaliter hæreticus, vt probaui *c*. 9. *q*. 22.

18 Secundo, vt quis dicatur hæreticus formalis debet esse pertinax, quod duo importat, vnum est, quod neget aliquam propositionem, quam scit, vel dubitat esse de fide; alterum est, quod non obstante huiusmodi cognitione, seu dubitatione, adhuc vult firmiter tenere, & adhærere suo errori contra fidem. Ratione primi excusatur ille, qui negat aliquid de fide, quod inuincibiliter ignorat esse de fide, quia circa illud nihil fidei præuidit, aut cogitauit, vel dubitauit, iuxta dicta *cap*. 9. *q*. 6. Ratione secundi excusatur à pœnis dubius in fide? *cap*. 9. *q*. 20. *cap*. 10. *num*. 5.

19 Tertiò, vt quis dicatur verè, & adæquatè, & formaliter hæreticus debet extra prodere suum errorem, & in hoc consistit formalis ratio hæretici subiecti pœnis Ecclesiasticis. Hoc est difficile intellectu propter diuersitatem exemplorum, quæ per doctores adducuntur, modò culpantes, modò excusantes hæreticos à pœnis. Accipe sequentem regulam.

20 Signa ostendentia hæresim internam debent habere duas conditiones, vna est, quod actus externus connexionem habeat in ratione malitiæ cum actu interno hæresis, quam prodit, altera est, quod illa signa sufficienter internam hæresim prodant. Ratione primæ suam hæresim mentalem manifestans confessario, aut amico ad consilium capiendum, aut illam scribens in scedula, vt confiteatur, aut eam legens in aliquo libro, aut inaduertenter eam proferens, aut scienter narrans, quam amplius non tenet, in his, & similibus non dicitur formaliter prodere suam hæresim faciens illam de mentali externam in ratione constituendi hæreticum formalem, nisi habeat animum illam asserendi, quia in his omnibus casibus signum, seu actus externus non exit malitiosè, ac proindè non potest coniungi cum actu interno ad complendam hæresis malitiam, & illam manifestandam. Ita Sanch. *lib*. 2. *cap*. 8. *à num*. 19. Diana *part*. 4. *tract*. 4. *resolut*. 240. Sousa *lib*. 1. *cap*. 15. *num*. 4. 5. 7. & 8. Bonac. *par*. 2. *num*. 7. in prima excomm. Bullæ. Quando verò actus externus est in se malitiosus, & ordinatus ad actum internum, eo in casu benè manifestatur hæresis, vt si quis putando licere sibi comedere carnes in diebus vetitis, comedat inquit Sanch. *lib*. 2. *cap*. 8. *num*. 17. fit hæreticus formalis. Item putans licere reiterationem baptismi baptizando iterum, suam manifestat hæresim ex eodem *n*. 16. Ratione secundæ ille non manifestat suam hæresim, qui tacet alterum extremum propositionis hæreticæ; vt *Christus non est*, subintellige *homo*. *Non est homo*, subintellige *Christus* ex parte subiecti. Sanch. *lib*. 2. *cap*. 8. *n*. 8. Layman. *lib*. 2. *tract*. 1. *cap*. 13. §. *Ex. quo*. Non est signum sufficiens, quod nullum dicit ordinem ad ad hæresim, vnde actus fornicationis non indicat hæresim eius, qui putat licere fornicationem, secundum Viuald. apud Sanchez cit. *num*. 15. Ego dicerem manifestari hæresim, quando quis accedit ad fornicariam eo animo, quod credat talem accessum sibi licere, aliter non, neque obstat, quod fornicatione non præsumatur hæresis, quia hoc verum est pro foro iudiciali, non tamen tollit, quin hæresis exterius sufficienter ostendatur in ordine ad censuram. Item hæreticus formalis non est, qui hæresim internam ex blasphemia ostendit per blasphemiam non hæreticalem, quia hæc non sufficienter ostendit hæresim, Sanch. Sousa. *lib*. 1. *c*. 15. *n*. 10.

Sed numquid requiritur intentio prodendi hæresim, quam quis in mente habet, dum exterius dicit, vel facit aliquid illis manifestatiuum? Videtur vtique, quia actus exterior non videtur sufficienter ad interiorem ordinari, neque cum illo coniugi, nisi præuia illa intentione, potest enim accidere, quod quis falso putet Deum habere meretricem, & occurrat etiam memoriæ, dum ex ira in ludo perdendo blasphemat: Putana &c. & nihilominus non habeat intentionem prodendi hæresim, sed tantum indulgendi prauæ consuetudini blasphemandi. Item quis putat licere comestionem carnis in Quadragesima, & comedit, non ea intentione, quia est huius prauæ opinionis, sed vt ventri indulgeat, non videtur eam hæresim ostendere, sed vitium tantum gulæ, loquendo in ordine ad excommunicationem. Sed tutius est dicere in similibus casibus hæresim sufficienter manifestari posita actuali aduertentia ad actum internum, quia actus externus de se ordinatur ad suspicandum de hæresi, ergò & ad inferendam censuram, consequenter frustra ponitur illa intentio coniungendi actum exteriorem cum interiori, aliter quisque reiiciendo hanc intentionem posset semper se eximere ab hac censura, & irregularitate, quod est absurdum. 22

Non solum ex signis positiuis, nutibus, verbis, aut factis proditur hæresis, sed etiam ex omissione, vnde non credens in Sacramento Altaris, hanc prodit hæresim, si consulto non genuflectit, dum eleuatur. 23

Sair.

Sair. *lib.* 3. *de censur. cap.* 4. *num.* 30. Bonac. *par.* 2. super primam excommun. Bullæ *num.* 4. non dicitur verò prodere, si non aperit caput imaginibus, aut tabernaculo, vbi Corpus Christi custoditur, intellige tu nisi habeat actualem intentionem illam prodendi, quia illa omissio per hoc sufficienter ordinatur ad actum internum.

24 Sed an necessarium sit, vt actus externus, seu omissio actus boni sit in se peccatum mortale? Affirmant Sanch. cit. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17. aliis citatis Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 32. *de paruit. mater.* §. *Dicendum*, asserens non esse hæreticum externum illum, cui comedendo tantillum carnis, non peccat mortaliter, quia excommunicatio, & reseruatio est solum de peccato mortali interno, vt coniuncto cum mentali explicante internum; sed hæresis interna non explicatur in exigua quantitate, ergo non reseruatur, nec est hæreticus externus, minorem probat, quia exigua materia vesci solet homo Catholicus ob solam gulam, aut libitum gustandi carnes, licet nulla alia subsit causa. Sed nego minorem, ad cuius

25 probationem dico, illum hominem, si habet errorem in intellectu, non esse Catholicum, sed hæreticum etiam externum, non obstante quod tantillum comederit ob gulam, vel ad libitum gustandi, quia præsumi potest comedere etiam ad confirmationem suæ hæresis, ad quod persuadendum illa comestio spectari potest dupliciter, vel in homine Catholico, qui errorem non habet in intellectu circa cibos vetitos, respectu cuius cum facta fuerit comestio intuitu gulæ, vel gustus, reputatur parua, & peccatum veniale ex paruitate materiæ; vel in homine errorem habente in intellectu, quod licita sit comestio carnis tempore prohibito, ac proinde comedat vtique approbat, & prodit exterius suum errorem per illam modicam comestionem, quæ licet talis sit, idest, modica respectu materiæ, nihilominus in ordine ad errorem internum, quem exterius approbat, non est parua, nec modica in ratione malitiæ, sed mortalis, quia quantitatem suam recipit ab actu interno, quod semper est mortale peccatum. Neque tantillum carnis mãducatæ minus indicat approbationem hæresis, quã multum, & in quantitate notabili, siquidem sicut magis censetur gulosus, qui plus carni est, quam qui minus, ita minori vitio gulæ culpandus est ille, qui tantillum præcisè comedit, ac proinde parua comestio non minus inducit suspicionem hæresis, quam magna manducatio carnis, non obstante præsumptione gulæ ex modico, quod vitium magis spectatur ex quantitate notabili, igitur si ex lauta comestione carnis arguitur suspicio hæresis, etiam ex modica deducitur eiusdem argumentum, non enim ex sua modicitate desinit esse comestio inferens suspicionem. Concludendum igitur ex his quodcumque signum siue in se leue, siue tale respectu alterius circumstantiæ constituentis illud in esse peccati venialis, tale non esse, neque spectare posse in ordine ad hæresim internam, respectu cuius semper dicit peccatum mortale, quia illa tantum suam recipit malitiam, & cum hæresis semper sit peccatum mortale, aliam non potest communicare malitiam actui externo, quam peccati mortalis.

Adde, quod quamuis Prætor, vt aiunt, non curet de minimis, ac proinde Inquisitor non moueretur ad inquirendum contra eum, qui tantillum carnis in Quadragesima comedit, nihilominus, id non euertit nostram doctrinam, quia præterquamquod posset inquirere, modò non disputamus de manifestatione

26 hæresis in ordine ad iudicem, sed ad legislatorem tantum, vt sciamus quando hæreticus mentalis factus externus incurrat excommunicationem legislatoris, si enim hæreticus in deserto, vbi nullus est homo, suam asseteret hæresim, certè illam manifestaret, & fieret hæreticus externus excommunicatus, de communi Sanch. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. in ordine tamen ad iudicem ita est occultissima, vt possit dici adhuc remanere infra limites suæ causæ immanenter operantis. Deinde qui confingit sibi signum de se non significatiuum hæresis, & illo intendat eam prodere, secundum probabilem aliquorum opinionem, fit hæreticus externus, si eo signo vtatur, & tamen non est signum sufficiens pro iudice ad suspicandum hæresim contra vtentem eo signo sufficit verò ad excommunicationem in illorum sententiam. Quare licet dictum, factum, aut quoduis aliud signum non sit sufficiens ad manifestandam hæresim in ordine ad iudicem, sufficit tamen in ordine ad excommunicationem. Vide Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. §. Limitat, vbi pro nobis facit.

Quæres 3. An recedentes, receptores, fautores, & defensores hæreticorum sint excommunicati?

Resp. Sunt excommunicati, modò sciant illum, 27 cui fauent esse hæreticum, quamuis nondum sit denuntiatus, imò neque excommunicatus, modò intendant illi fauere quatenus est hæreticus; & sunt excommunicati, licet non sequatur effectus fauoris.

Prima pars, de excommunicatione habetur in *cap. Excommunicamus* 14. § *Credentes, de hæresi*, vbi non est reseruata, & in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini reseruata exprimitur. Et in hoc nulla difficultas, sed in modo explicandi illam iuxta mox dicenda.

Secunda pars, quod eam incurrant licet hæreticus non sit denuntiatus, constat ex eo, quod denuntiatio non constituit hæreticum, sed illum supponit, ergo ante est verè, & propriè hæreticus iuxta quod exprimitur in Bulla. Ita Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. Bonac. *quæst.* 5. *de excom. p.* 3. *& in Bulla punct.* 2.

Tertia pars, quod sint excommunicati licet ipse hęreticus non sit excommunicatus ex eo, quod probabiliter posset eam pœnam ignorare, probatur, quia præcisè excommunicantur fautores hæreticorum, qui tales sunt, licet aliàs ipsi non essent excommunicati. Ita præcitati.

Quarta pars, ad incurrendam excommunicationem necesse est, quod sciant illum, cui fauent esse hæreticum. Probatur, quia, vt patebit sequenti parte, excommunicatio non incurritur, nisi beneficium præstetur hæretico vt hæreticus est, quod fieri non potest, nisi à fautoribus cognoscatur esse hæreticus ille, cui fauetur. Carena *part.* 2. *titulo* 4. *num.* 46.

Quinta pars, quod necessaria sit intentio fauendi 28 hæretico vti tali, quod est fauere hæresi, non hæretico, probatur, Tum ex cit. *cap. Accusatus de hæret. in* 6. §. *fin. illis verbis. Cum non sit dubium, eos ipsa fauere in fauorem hæreticæ prauitatis.* Tum quia in omni materia termini accipiendi sunt formaliter ex Nau. *consil.* 23. *de sent. excommun. num.* 9. *per lib.* 29 *In delictis* §. 1. *ff. de noxa.* Caiet. *ver. Excommunicatio, cap.* 1. *in fine*, Tum quia, sicut hæretici excommunicantur ratione hæresis, ita simili ratione formali excommunicantur eorum fautores in causa hæresis. Itaque qui ex causa hæresis mouetur ad occultandum hæreticum, vt euadat pœnas, & ne incidat in manus iudicis, dicitur propriè fauere hæresi, seu hæ- 30 retico in causa hæresis, si vero moueatur ex consanguinitate, affinitate, amicitia, aut etiam ex metu ad occultandum hæreticum, ne incidat in manus iustitiæ, non dicitur fauere hæresi, sed hæretico materiali, ac proinde excusatur ab excommunicatione, nam licet ex defensione hæretici sequatur fauor, ex

quo non capitur hæreticus, ac proinde euadit pœnas, consequenter fauor redundet in hæresim, non ideo per se fautor intendit fauorem præstare in causa hæresis, sed per accidens sequitur ex motiuo honesto consanguinitatis, & præter intentionem, cum quandoque quis multum doleat de hæresi, dum parenti auxilium præstat. Est communior opinio Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 5. & 8. Bonac. *quæst.* 5. *de excom. p.* 3. & *in Bulla ex tom.* 1. *p.* 3. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 22. §. *Verum*, *contra* Sair. *lib.* 3. *de censf. cap.* 5. *num.* 3. Suar. Layman. & alios quos sequitur Carena *part.* 2. *tit.* 4. *num.* 40. Neque obstat, quod consanguinei receptatores, & fautores puniantur à iudicibus, ex allegatis à Farinac. *quæst.* 182. *num.* 141. ac proinde videantur incurrere excommunicationem, licet non haberent intentionem fauendi hæresi. Quia aliud est iudicium fori externi, aliud fori interni, quando illud fundatur in præsumptione, quod fauor tendat in fomentum hæræsis, non in beneficium personæ, cui annexa est hæresis, consequenter cum Inquisitor præsumat fauorem respicere hæresim, non hæreticum, ideo contra illum vti formalem fautorem hæresis, ac proinde excommunicatum procedit, verum quia circumstantia consanguinitatis multum minuit præsumptionem ideo mitius
31 punitur, quam alter fautor, qui consanguineus non est, ex iuribus & doctoribus citatis ab eodem Farin. *quæst.* 182. *num.* 144. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *à num.* 42.

32 Sexta pars, quod isti non dicantur excommunicati secundario, & accessorie, neque proinde sequuto effectu, sed principaliter. Probatur; quia ille dicitur accessoriè excommunicari qui suo influxu, auxilio, consilio, & fauore concurrit ad dandum esse principali effectui, propter quem inducta est excommunicatio contra principalem, & eius sequaces in illo crimine; vt patet in dantibus consilium, auxilium, seu fauorem, aut mandatum ad occidendum clericum, nisi enim sequatur mors illius, nullus illorum est reus excommunicationis; sed in casu nostro receptator, defensor, aut fautor hæretici iam existentis non concurrit suo influxu ad dandum esse hæresi cum iam extet in homine hæretico, & supponenda sit, vt dici possit fautor hominis hæretici, ergo non potest dici excommunicari secundario, & accessorie, sed omnes principaliter excommunicantur. Quare qui recipit in domo sua hæreticum, vt illum saluaret è manibus iustitiæ, vel dedit illi pecuniam, aut commoditatem ad fugiendum, & nihilominus captus non fuit, incurrit excommunicationem; quia illæ actiones sunt principaliter prohibitæ, siue deinde capiatur, siue manus iudicis effugiat, aut hæresim foueat sunt effectus subsequentes, qui excommunicationem nec inducunt, nec tollunt. Ita Sair. *lib.* 3. *de censur. cap.* 5. *num.* 4. Diana bene probat *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 21. §. *At his*, *contra* Sanch. Bonac. Suar. Layman, & alios.

Quæres 4. Quibus actionibus dicantur hæreticis fauere credentes, receptatores, fautores, & defensores? Singulis respondendum est. *Vide cap.* 10. *quæst.* 16.

33 Credens hæreticis ille dicitur, qui distinctè, vel confusè errorem hæreticorum sequitur, distinctè quidem tenendo illas propositiones, quas hæreticus tenet contra fidem. Confusè verò asserendo se velle sequi, seu mori in tali secta. Per has actiones sic credens fere nihil differt ab hæretico formali, saltem quo ad peccatum, & pœnas, vt dixi *cap.* 9. *q.* 33. Toletus apud Carenam *par.* 2. *tit.* 4. *n.* 77 distinguit credentem ab hæretico in eo, quod credens hæretico, dicitur ille, qui errorem implicite habet in intellectu, quem expresse hæreticus tenet.

Receptor hæretici dicitur ille, qui recipit occultè 34
in domo sua eum, quem scit esse hæreticum, illum occultando, ne incidat in manus iustitiæ *arg. l. fin. C. de eo, qui lat. lib.* 1. *ff. de recept.* vnica autem receptio hæretici in causa hæresis facit reum huius criminis, & pœnarum, de communi Megal. *lib.* 3. *de censf. cap.* 1. *num.* 29. Sousa *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 3. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *num.* 38. & 39. Quando ignorat se recipere hæreticum excusatur in foro animæ ab excommunicatione, & aliis pœnis; in foro externo non creditur, quando hæreticus iam est denuntiatus, aut fama in loco, quod talis sit, & ideo tenetur hanc ignorantiam probare quia iudex habet præsumptionem contra receptorem, quod sciat per se receptum, esse hæreticum ex denuntiatione, aut fama volante. Si verò hæreticus est occultus, præsumitur ignorantia in receptore, quam iustificare potest iuramento, nisi fiscus paratus sit probare scientiam. Ita Simanch. *tit.* 15. *n.* 18. Farin. *q.* 182. *n.* 164. Sanct. Duard. quos citat Carena *part.* 2. *tit* 4. *num.* 47. Si per vim, & metum recepit excusatur à pœnis; Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. Farin. *quæst.* 182. *num.* 162. de pœnis sub *num.* 133.

Fautor dicitur ille, qui hæretici cogniti commodum, vt vtilitatem ex animo tuetur in causa hæresis 35
arg. lib. 1. §. 1. *ff. de iustit.* ille igitur dicitur fauere, qui sua actione, vel omissione est in causa, ne capiatur, aut ne captus puniatur, aut dat illi modum respondendi ne confiteatur hæresim ex toto, vel ex parte aut ab ea excusetur, instructione accepta. Actione sua fauere dicuntur hæreticis, qui eis victum, pecuniam, indumenta tribuent; qui eosdem laudant, visitant, admonent, adiuuant ad fugam è carcere, &c. Vide Farinac. *quæst.* 182. Carena *part.* 2. *tit.* 4. *num.* 15. *ad* 20. Omissione verò præsertim personæ publicæ quibus ex officio incumbit tueri iura sanctæ fidei, dicuntur fauere Inquisitores, & Episcopi non procedentes ctõra hæreticos, nec illos punientes, ad quod vide *cap. Excommunicamus* §. *Volumus*, *de hæret.* & *Clem.* 1. de pœnis permittentes lectionem librorum prohibitorum, & prædicationem, seu disputationem defensiuam falsorum dogmatum &c. Item potestates seculares requisiti negligentes capere hæreticos, & *cap. cit* § *Moueatur.* Vnde dicit Carena *cit. num.* 5. nolentes afficere vltimo supplicio traditum curiæ dici formaliter fautores, & non excusari prætextu innocentiæ condemnati, cum tunc præsumatur pro iustitia, neque ad laicum tribunal spectet agere de causis sancti Officij. Item priuati requisiti ab officialibus recusantes adiuuare in gratiam hæretici, sunt fautores. Item testes nolentes testificari, vel tuentes hæreticum sunt fautores. In his & similibus omissionibus præstatur fauor hæretico, quia vt habet *cap. Quanta* 47. *de sent. excom.* fauere dicitur ille, qui cum possit, manifesto facinori desinit obuiare. Demum facere etiam omissione dicitur, qui ex edicto non denuntiat hæreticum, nisi ex quadam incommoditate desistat, Ita Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. per totum, Sousa *lib.* 1. *cap.* 25. Carena *par.* 2. *tit.* 4. §. 1. 36

Defensor hæreticorum dicitur ille, qui personam 37
hæretici, cuius error sibi notus est, tuetur in causa hæresis verbis, factis, armis, fraude, vel quouis alio modo ne incidat in manus institiæ, aut casus ne puniatur, siue id fiat priuatim, siue publicè, aut ex officio, seu in iudicio, seu extra, huc reducuntur aduocati, procuratores, notarij, & alij contra iura, & rationem defendentes hæreticos. Ita Farinac. *quæst.* 182. *n.* 64. Sanch. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 18. Sousa *lib.* 1. *c.* 24. Carena *par.* 2. *tit.* 4. §. 8.

Nota autem, credentes, & receptatores, & defensores

ſores dici communi vocabulo omnes Fautores, is enim terminus quaſi genus eſt reliquos ſub ſe vti ſpecies continens, quare qui credit, receptat, & defendit dicit fauere, non è contra, nam defenſio præſtatur actione, fauor vero etiam omiſſione, recipere autem eſt in domo præcisè occultare; credere demum eſt fidem præſtare erroribus hæretici, vnde iſte magis fauet hæreſi, quam hæretico, reliqui vero magis perſonam, quam hæreſim tuentur, licet fauor præſtetur ex motiuo hæreſis.

Quæres 5. An ſuſpecti de hæreſi ſint excommunicati?

39 ℞. Negatiuè, exceptis credentibus receptatoribus, fautoribus, & defenſoribus hæreticorum, quia huiuſmodi excommunicatio nullo iure reperitur expreſſa contra ſuſpectos de hæreſi, niſi contra prædictos, ideo ad alios non eſt extendenda cum ſit odioſa. Confirmatur, quia pœnæ latæ contra hæreticos non extenduntur ad ſimpliciter ſuſpectos ſecundum doctrinam Abbat. in *cap. Inter ſolicitudines, de purgat. canon. num. 6. cum Ricciul. l. 5. c. 19. num. 27.*

Quæres 9. An fautores, receptores, & defenſores non hæreticorum, ſed tantum ſuſpectorum tantum etiam violenter ſint excommunicati? Affirmat Nauar. *conſil. 14. de hæret.*

40 ℞. Non, quia in Bulla non fit mentio de ſuſpectis, ſed tantum de hæreticis, quibus fauor præſtatur, & cum hæc ſint diuerſa, non eſt facienda illatio, neque extenſio ab vno ad aliud. Ex Suar. Sanch. *lib. 2. cap. 10. num.* 14. ex illis Carena *part. 2. tit. 4. num. 9.*

Quæres 7. An filij hæreticorum, & eorum fautorum ſint excommunicati?

41 ℞. Negatiuè, quando carent errore, & fauore, ratio eſt, quia ex hoc capite non peccant, ergo neque ſunt excommunicati, ſiquidem excommunicatio ſemper ſupponit peccatum mortale proprius eius, qui incidit in eam, eſt certa omnium ſcientia ex *c. Nemo* 39. *c. Nullus* 40. 11. *q.* 3.

Quæres 8. An præter Papam, & extra articulum mortis, aliquis de iure, vel priuilegio poſſit abſoluere à prædictis excommunicationibus contractis per hæreticos, aut fautores hæreticorum? Et *primò*, an Epiſcopi valeant abſoluere virtute *cap. 6. ſeſſ.* 24. Concilij Tridentini? *Secundò*, an Inquiſitores? *Tertiò*, an Prælati regulares ſuos ſubditos? *Quartò*, an Confeſſarij, Regulares, Pœnitentes, Seculares ad ſe accedentes? *Quintò*, an vbi non eſt recepta Bulla Cœnæ hæreticus, & eius fautores abſolui poſſint, & etiam à quouis confeſſario ſimplici? *Sextò*, demum, quando Papa cõcedit in in Iubilæo, vel extra omnes caſus etiam Bullæ Cœnæ, nullo excepto, an ſub conceſſione veniat caſus hæreſis?

42 Primò, Epiſcopis per Bullam Cœnæ ſublata eſt poteſtas abſoluendi ab hæreſi illis alias conceſſa à Tridentino, nam Bulla continet clauſulam derogatoriam dicti priuilegij illis verbis. *Etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate prædictis*, & paulò inferius ſubditur. *Per nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta.* Neque eſt neceſſaria mentio indiuidua Concilij Tridentini, ex probatis *contr.* 49. *num.* 135. pro hac opinione probabiliori Barboſa ad hoc *c. 6. ſeſſ. 24. num. 66.* refert pluſquam quadraginta doctores, quos ipſe ſequitur, & Diana *reſolut. 2. de abſolut.* ab hæreſi prope finem, quibus adde Mancinum *de Sacram. pœnit. dub.* 15. Tambur. *tom. 2. diſp. 14. q. 15. n. 3.* Carena *par. 2. tit. 4. num. 98.* Oppoſitum ſentiunt multi alij, qui tamen audiendi ſunt, cum conſtet apertè de derogatione.

43 Secundo, Inquiſitores non poſſunt abſoluere, niſi pro foro externo, & iudicialiter, *ex cap. Vt officium de hæret. in 6.* ratio, quia in ſolo foro ſunt iudices, & ſi aliàs habuerunt aliquod priuilegium, modo ſublatum eſt per Bullam. Hoc probaui *contr.* 28. *n.* 25. Authores vtriuſque partis enumerat Diana *reſolut. 3. de abſolut. de hæreſi*, Riciull. *l. 5. c. 15.* Carena *par. 2. tit. 1. n. 136.* vocat veriſſimam.

Tertiò, Prælatis regularibus priuilegia abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi, & aliis caſibus Bullæ ſublata ſunt per eamdem Bullam; id multis probaui *reſolut. 3. n. 4. & Deciſ.* 5. vbi reſpondi obiectionibus P. Sanctori Melfienſis. Diana *reſolut. 6. de abſolut. ab hæreſi*, Tambur. *tom. 2. diſp. 14. q. 15. & q. 17.* Carena *par. 2. tit. 4. n. 99.* Megal. *conſil.* 21. 44

Quartò, à fortiori confeſſarios regulares carere facultate, & priuilegiis abſoluẽdi à caſibus Bullæ docent omnes apud præcitatos, ad quod adeſt expreſſum decretum S. C. de mandato Papæ, quo declaratur per Bullam quotãnis promulgatam derogari omnibus priuilegiis regularium obſtantibus eidem Bullæ, neque illa reuiuiſcere per nouam confirmationem. Decretum extenditur à Tambur. *tom. 2. diſput. 14. quæſt. 15. ſub num. 6.* 45

Quintò, vbi non eſt recepta Bulla, vti in Gallia, & in multis Germaniæ Prouinciis Epiſcopi, Parochi, & regulares confeſſarij abſoluere poſſunt quoſcumque hæreticos pœnitentes; quia cum in illis locis non vigeat Bulla, neque proindè hæreſis adnexam habet excommunicationis reſeruationem, quæ impedit abſolutionem dandam per inferiores, quibus limitatur facultas per Bullam, in nullo prohibentur abſoluere. Ita Becan. *c. 15. de fide q. 2. num. 6.* ex noſtris Cœleſtinus Sueſſion. in ſuo Compend. Moralis Theolog. loquens de Epiſcopo *tract. 3. cap. 7. concl. 7. de confeſſariis tract. 8. c. 8. concl. 6.* Sed hæc non receptio Bullæ ſaltem quoad caſum hæreſis valde irrationabilis, & in cauſa, cur tot hæreſes in illis locis, pullulant, videant, qui talia impediunt, quid reſponſuri ſint ſupremo iudici. 46

Ponamus caſum, quod aliquis Gallus, aut Germanus, qui in illis partibus concepit hæreſim, de qua hic in Italia, quo peruenit, dolorem habet, & intendit confiteri, an abſolui poſſit etiam à ſimplici confeſſario? Si iſte hic in Italia hæreſim conceptam nullatenus approbauit, poteſt abſolui, ratio eſt, quia confeſſario Italo prohibetur abſoluere excommunicatum hæreticum ex vi Bullæ Cœnæ Domini; ſed iſte pœnitens non eſt excommunicatus ex vi Bullæ, eo quod hæc non afficiat illum, cum in ſua patria non fuerit recepta, ergò poteſt abſolui. Confirmatur, quia peccatum hæreſis in illis locis non habet adiunctam excommunicationem Bullæ quia ibi non eſt recepta; hæreſis autem peccatum præcisè à quouis confeſſario tolli poteſt, ſublata excommunicatione, ſi adeſt, in terminis Sanch. *lib. 2. cap. 8. num. 5. cap.* 11. *num.* 1. neque obſtans iuris communis cenſuræ, quia illæ non ſunt reſeruatæ, vt tradunt Silu. *excomm. 7. num. 7.* Sair. *lib. 3. de cenſur. cap. 4. num.* 8. Prædicta intellige de Catholicis, qui caſu inciderunt, non de Caluiniſtis, & alijs Sectariis, quia iſti nullatenus abſolui poſſunt ob rationes adductas in probatione partis quintæ *q. 1. n.* 11. Dixi, ſi iſte hic apud nos hæreſim non approbauit, quia in eo caſu incidit in excommunicationem, Bullæ, nam hic in Italia quiſque etiam aduena ſubditur Bullis Pontificiis hic receptis. 47 48

Dices, quilibet confeſſarius debet iudicare ſecundum leges receptas in ſua patria, non ſecundum leges aliorum locorum, quas cum nec ſcire teneatur, neque ideo ſeruare tenetur, conſequenter ſui loci legibus, & ſtatutis tantum tenetur; vnde confeſſarius Parmenſis poteſt abſoluere Mediolanenſem, qui virginem deflorauit, quamuis Mediolani caſus ſit reſeruatus ſextus in ordine, quia iudicare habet ſecundum legem 49

legem reseruationis Parmensis, vbi virginis defloratio non reseruatur. Ad hoc faciunt adducta à Mazuchello *de casib. reseruat.* Mediol. *disp.* 1. *quæst.* 3. *diff.* 8. Sed inter leges in Italia receptas ea vna est, vt nullus confessarius absoluat ab hæresi quemquam hæreticum, ergo nullus Gallus, nullus Germanus hæreticus hic in Italia absolui potest. Responsio est ad minorem, legem prohibentem ab hæresis absolutione intelligi de illis hæreticis, qui excommunicati sunt in Bulla Cœnæ, illi autem aduenæ non sunt excommunicati in Bulla, sed iure communi tantum, ideo cum ea excommunicatio qualificata reseruatione non extet, neque præstare potest impedimentum absolutionis, siquidem non entis nulli sunt effectus ex vulgatis iuribus.

50 Sexto, concessio casus hæresis numquam venit in Iubilæis, aut aliis priuilegiis, nisi de illa fiat expressa, & indiuidua mentio in suis terminis, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ superior verisimiliter non esset concessurus, si peterentur in specie, quod maximè verificatur in casu hæresis propter suam specialissimam rationem, ea enim est potissimum medium, & formale instrumentum totius nostræ fidei destructionum, fide autem destructa, quid vlterius quærendum? cum nihil supersit, ideo in re tanti momenti necessarium est, quod solus Papa procedat. Diana *resolut.* 1. *de absolut.* ab hæresi refert doctores pro vtraque parte, adhæret autem nostræ, quam Mazuchellus *disp.* 1. *quæst.* 3. *diff.* 5. vocat certissimam, *& quæst.* 4. *diff.* 5. *num.* 11. Aduersarij probant duobus, *Primò*, quia hæc controuersia aliquando nota fuit Summis Pontificibus, ideo eam expressè interdum exceperunt, imo nostris temporibus semper excipiunt, quando concedunt casus Bullæ, ergo illam omittentes, videntur illius absolutionem concedere. Sed hæc ratio non vrget, quia eam aliquando expresserunt ad maiorem intelligentiam, & non ad indicandam prohibitionem adesse, si taceatur, siquidem ea exceptio quasi intrinseca est, ac proinde siue exprimatur, siue non, parum refert, quia, quæ in-

51 trinsecè insunt, præsumuntur inesse, licet non exprimantur, *l. fidei commiss.* §. *si filij*, *ff. de legat.* 3. *l. Licet imperator*, *ff. de legat.* 1. *Secundò*, probant quia si sub illa generali concessione non venit etiam hæresis multi impediuntur à lucro Iubilæi, ad quod remouendum Papa concedit omnes casus, ac proinde etiam hæresim, si illam expressè non excipiat. Nihil probant, nam sibi imputent, qui ex propria culpa obiecerunt impedimentum, quod tollere possunt procurando absolutionem à Sede Apostolica. *Tertiò* probant quia saltem intelligitur concessa absolutio ab hæresi, quando concedit omnes casus Bullæ, aliud enim est concedere casus Bullæ, aliud omnes casus Bullæ, expressio enim alicuius rei per signum vniuersale est

52 tantæ virtutis, & tantum operatur, quantum si singula forent numerata, Glos. *in l. Omnes*, *C. de præscript.* 30. *annor.* Bursat. *vol.* 4. *consil.* 364. *num.* 14. faciunt, quæ habet Barbosa *dist.* 241. Sed hoc ar-

53 gumentum non obstat, quia signum vniuersale quandoque restringitur ratione subiectæ materiæ, Boër. *decis.* 158. *num.* 14. ex illo Cenedus *sing.* 25 *num.* 5. grauitas autem hæresis non patitur, vt indifferenter veniat sub vniuersali concessione, consequenter benè restringitur signum vniuersale, excludendo hæresim. Ad quod facit illud Apostoli: Omnes in Adam peccauerunt, id est omnes præter Christum, & Beatam Virginem, D. Chrysostomus *in Homil.* 23. *ad Hebr.* Theophyla. *in Matth.* 10. & alij omnes.

Quæres 9. An adsint aliæ excommunicationes fulminatæ contra aliquos in causa hæresis in genere acceptæ?

54 ℞. Affirmatiuè. *Primò*, namque excommunicantur Episcopi, qui suos hæredes instituunt hæreticos, vel paganos etiam consanguineos, *cap. Si quis* 5. *de hæret.* Sed in eo capite propriè non excommunicantur secundum aliquos, sed tantum post mortem debent denuntiari excommunicati in eo præcisè, quod Ecclesia non oret pro ipsis. Ex alio autem capite sunt excommunicati, nimirum quia sunt Fautores hæreticorum ex dictis sub *quæst.* 3. ideò si ante mortem non fuerunt declarati tales, post mortem denuntiandi sunt. *Secundò*, dominus temporalis ab Ecclesia requisitus, & monitus neglexerit purgare ab hæreticis suam terram excommunicetur à Metropolitano cum suis comprouincialibus, & si infra annum non satisfecerit, Papa ex tunc denuntiat vassalos ab eius fidelitate esse absolutos, & terra exponitur occupanda à Catholicis, *cap. Excommunicamus* 14. *de hæret.* §. *Moneantur.* Sed hoc decretum in terris, vt aiunt, libertatis non seruatur, ne maiora incommoda, & bella excitentur, sed tolerantur. *Tertiò*, præsumentes sepelire scienter hæreticos, vel eorum receptores, fautores, vel defensores sunt excommunicati, neque absoluuntur, nisi exhument eorum corpora, *cap. Quicumque* 2. *eod. in* 6. Ad intelligentiam huius faciunt, quæ dixi *Resolut.* 51. *quæst.* 46. *Quartò*, decernitur excommunicatio non reseruata contra potestates, & Dominos, seu quoscumque alios habentes iurisdictionem temporalem, qui non obediunt Episcopis, & Inquisitoribus in requirendis hæreticis, & aliis præstandis fauore fidei, aut eis se opponunt fauore hæreticorum, aut eorum credentium, receptatorum, fautorum, aut defensorum, quæ pœna est etiam contra auxilium, consilium, aut fauorem dantes, in qua excommunicatione si per annum manserint velut hæretici sunt condemnandi. *cap. Vt inquisitionis* 18. *de hæret. in* 6. eam exponunt Tolet. *lib.* 1. *cap.* 38 *num.* 19. Nauar. *cap.* 27. *num.* 135. Sair. *lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 18. *Quintò*, excommunicantur reseruatione Inquisitores, & alij deputati, qui odio, amore, lucri gratia, aut commodi temporalis omittunt procedere contra aliquem in causa hæresis, aut ob easdem causas imponunt alteri hæresim, aut quod Sanctum Officium impedierit, *Clem.* 1. §. *Verum de hæret.* Eam explicant Caiet. *cap.* 3. Nauar. *cap.* 27. *num.* 10. Sair. *lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 25. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 36. *Sextò*, contra eosdem Inquisitores, & Commissarios eorum, vel Episcoporum, aut capituli Sede Vacante, super hæresim deputatos, qui prætextu officij Inquisitionis illicitè extorquent pecuniam, vel Ecclesiæ bona ob Clerici delictum etiam Ecclesiæ applicant. *Clem.* 2. *de hæret.* De ea Silu. *excom.* 9. *n.* 81. Nauar. *cap.* 27. *num.* 142. de eadem, & præcedenti Carena *part.* 1. *tit.* 5. §. 12. vbi alios citat doctores. Vtramque excommunicationem latius explicaui *c.* 40. *quæst.* 15.

Sed numquid in istis omnibus casibus, excepto sexto, personæ expressè dicantur formaliter fautores hæreticorum, ac proinde præter supradictas excommunicationes, incurrant etiam excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini? Ratio dubitandi est, quia quis eadem pœna simul, & semel pro eodem delicto non est puniendus, *cap.* 4. *in fine de iud.* Nahum *cap.* 1. *num.* 9. *Non consurget duplex tribulatio.* Neque Deus bis id ipsum indicat, *cap. Sunt* 42. *dist.* 3. *de pœnit. lib. Pœna* 9. §. *fin. ff. ad legem Pomp. de parricid.* Respondendum videtur affirmatiuè ex dictis 55 supra de fautoribus *sub q.* 4. ad rationem dubitandi dicitur, ea axiomata locum habere respectu iudicis, non legis, quæ solet multiplicare pœnas contra transgressores; nec videtur id frustra, quia vna alia strictior est, nimirum Bulla Cœnæ, quæ omnino est reseruata, non autem omnes supradictæ.

Sepelientes

56 Sepelientes nihilominus hæreticos iuxta tertiam excommunicationem non incurrunt excommunicationem Bullæ, quia Bulla comprehendit tantum fautores hæreticorum viuorum.

Quæres 10. An hæretici sint irregulares? Quod idem quæritur de fautoribus hæreticorum, & de eorum filiis? Item de suspectis de hæresi ex alio capite, quam fautoriæ.

57 ℞. Hæreticus internus non est irregularis, sed tantum externus habens errorem in intellectu, licet sit occultus, externus verò fictus non est irregularis irregularitate proueniente ex delicto hæresis sicut ille, qui habet errorem in intellectu, sed tantum illa, quæ prouenit ex infamia. Eamdem irregularitatem ex delicto hæresis prouenientem incurrunt credentes, receptatores, fautores, & defensores, etiam occulti, modo sint formaliter fautores iuxta dicta *sub quæst.* 5. *& cap.* 10. *num.* 68. Item illorum filij, etiam illegitimi, & nepotes ex patre hæretico, seu fautore, ex matre verò hæretica, seu fautrice solum filij. Suspecti demum non ex fautoria, sed ex aliis delictis notoriis tantum sunt irregulares ex infamia. Singulæ partes explicandæ, & probandæ sunt.

Prima pars, quod hæreticus purè internus non sit irregularis, probatur, quia Ecclesia non punit occulta delicta in mente tantum perpetrata. Ita omnes cum Nauar. *cap.* 27. *num.* 249. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 4. Bonac. *quæst.* 3. *de irregular. part.* 7. *numer.* 1. alios citat Sousa *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 2.

Secunda pars, quod verus hæreticus externus sit irregularis, habetur, *cap. Nos consuetudine* 8. *dist.* 12. *cap.* 1. *&* 3. *cap. Maximum* 18. *& seq.* 1. *quæst.*

58 7. *& cap.* 2. *de hæret. in* 6. §. *Hæretici*, vbi prohibentur admitti ad beneficia, & officia, quod proprium est irregularitatis impedire promotionem ad prædicta. Ita omnes cum Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 17. Bonac. *quæst.* 3. *de irregul. part.* 7. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 2. Sousa *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. alios citans. Nonnulli malè volunt, occultum hæreticum, non esse irregularem nisi eo falso fundamento, quod hæc irregularitas non proueniat ex proprio hæresis delicto, sed ex infamia notorietatis delicti, hos reiicit Sanch. *lib.* 2. *c.* 25. initio, & Diana *resolut.* 46. *de irregul.*

59 Tertia pars, quod fictus hæreticus non sit irregularis ex hoc speciali delicto, probatur, quia reuera in eo non extat delictum hæresis, quod est causa irregularitatis, ergo neque irregularitas eius effectus. Confirmatur, quia sicut is non notatur excommunicatione, ita neque irregularitate. Et colligitur ex *cap. Presbiteros.* 29. *dist.* 50. vbi thurificantes idolis ex fide, & non ex compacto, idest, figmento, vt ait Glossa, prohibentur fungi Sacerdotalibus officiis, ergo fingentes non prohibentur, ac proinde non sunt irregulares ex hoc capite. Ita tenent Azor. & Filliucc. quos refert Diana *resolut.* 49. *de irregul.* addentes, si casus est notorius, esse irregulares ex infamia, Sanch. *lib.* 2. *cap.* 25. *num* 6. Suar. *disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 2. Farin. *q.* 192. *num.* 73. ex illis Sousa *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 3. tenent hunc fictum apostatam esse irregularem ex propria ratione huius criminis.

60 Quarta pars, quod fautores hæreticorum sint irregulares colligitur *ex cap.* 2. *de hæret. in* 6. §. *Hæretici*, vbi prohibentur à beneficiorum, & officiorum promotione, quod est proprius effectus irregularitatis. Ratio est, quia in pœnis fautores comparantur in iure cum hæreticis, vt patet ex præcedentibus, & sequentibus quæstionibus. Ita Nauar. *cap.* 27. *n.* 205. §. *Tertiò*, Bonac. *q.* 3 *de irregul. p.* 7. *n.* 1. Sanch. *lib.* 2. *c.* 25. *n.* 7. Farin. *q.* 192. *n.* 74. Sousa *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 4. Carena *part.* 2. *tit.* 1. *n.* 139.

Quinta pars, quod filij hæreticorum, & fautorum sint irregulares, deducitur *ex cit. cap.* 2. *de hæret.* §. *Hæretici*, vbi eorum filij prohibentur admitti ad beneficia, & officia publica, quo nomine veniunt etiam officia sacrorum ordinum. Ita docent Nauar. *cap.* 27. *n.* 205. §. *Tertio*, Sanch. *lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 7. Vt filij eam incurrant, necesse est quod eorum parentum delicta hæresis, aut fautoriæ sint nota notorietate facti, aut confessionis, aut sententiæ, vnum horum sufficit. Ita aliis citatis Sanch. *lib.* 2. *c.* 27. *n.* 28. Sigismund. *dub.* 82. *de elect. n.* 4. 61

Sexta pars, quod suspecti ex alio, quam ex fautoria non sint irregulares ex hoc crimine, probatur. Isti in pœnis non comparantur hæreticis sicut fautores; Deinde immediatè non cooperantur hæresi, sicut credentes, receptatores, fautores, & defensores, ergo pari pœna non sunt puniendi, & ideo ea in iure non reperitur expressa. Ex suspicione igitur hæresis, cui non fuit immediatè cooperatum non deducitur irregularitas in omnium sententia. Verum quidem est, quod taliter suspectus, si eius delictum est notorium, fit irregularis ex infamia ratione indecentiæ. Ita Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. Bonac. *quæst.* 3. *de irregul. punct.* 7. *num.* 4. Suar. cit. à Sousa *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 5. Quare dæmones inuocantes, incensantes idola, &c. non sunt irregulares ex hoc speciali delicto, sed ex infamia, Sanchez, & Bonac. cit. Diana *resolut.* 48. *de Irregular.* ex Sanctar. Filliuc. Villal. & aliis. 62 63

Quæres 11. An Episcopus, & prælati regulares suos subditos dispensare possint in dictis irregularitatibus.

℞. Sic, quando casus hæresis est occultus, quia facultas concessa in Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. dispensandi super irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis, vbi in specie fit mentio de hæresi adhuc viget non solum pro Episcopis, sed etiam pro Prælatis regularibus maioribus, quibus iure Tridentini illud priuilegium competit, ex doctoribus, quos citaui *Resolut.* 2. *quæst.* 10. & illud extensum fuit etiam ad prælatos locales per Pium V. Bulla incip. *Romani Pontificis*: extensa apud Confect. de qua Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 61. *art.* 9. cum suo Compend. *resolut.* 52. *numer.* 23. Ita docent. Farin. *quæst.* 192. *num.* 79. Sanct. *cap.* 25. *de hæresi num.* 7. *&* 8. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 16. ex illis Carena *par.* 2. *tit.* 1. *num.* 141. ego alios cit. *Resol.* 11. *quæst.* 10 64

Duo obiiciunt aduersarij Suar. & Ricciull. apud prædictos, vnum est, illud priuilegium sublatum fuisse per Bullam Cœnæ, iuxta quod dictum fuit supra *sub quæst.* 8. §. *Primo.* Sed huic occurritur respondendo, illud priuilegium fuisse sublatum tantum quoad absolutionem, non quoad dispensationem, cum enim sint diuersa ab vno ad aliud non est inferendum maximè cum sint odiosa; & Bulla ne verbum quidem facit de dispensatione. Alterum est, quod cui negatur absolutio, à fortiori dispensatio, *ex cap. Cum illorum* 32. *de sent. excom.* vbi dicitur, quod maiora intelliguntur prohibita illis quibus sunt vetita minora; minus autem est absoluere, quam dispensare, vt ibidem dicitur, ergo non valens absoluere, neque dispensare, & sic tollitur præcedens responsio. Respondetur tamen quandoque esse maius absoluere, quam dispensare, quod in casu præsenti maximè apparet, quia hæreticus in ordine ad absolutionem, nondum est Ecclesiæ reconciliatus, ideo Prælatus cum maiori prudentia, & circumspectione procedere debet, ne illudatur ab hæretico, ideo Papa eius absolutionem sibi reseruat; loquendo vero quo ad dispensationem tanta diligentia, & circumspectio non est necessaria, cum iam Ecclesiæ sit reconciliatus, & 65 66

quasi

quasi ex hoc videatur dignus dispensatione, ideo dispensare in hoc sensu est quid minus, quam absoluere, ac proinde non valet argumentum à prohibitione
67 minoris inferre prohibitionem maioris. Demum Garz. & Sanct. apud Carenam *part. 2. tit. 1. num. 141.* dicunt, illud argumentum non habere locum vbi dispensatio est expressè concessa, vt in Tridentino est expressa dispensatio super hæresi. Et id est valde consonum rationi, & iuribus, quæ nolunt ius iuri derogare, nisi exprimatur in derogatione, quia quod non mutatur stare non prohibetur, *l. Sancimus C. de testam.* & expedit iura iuribus concordare *l. Præcipimus C. de appellat.* quia iurium correctio vitanda est, ex vulgatis iuribus neque verisimile ex illatione derogari iuri communi, cuius professio consistit in stabilitate.

68 Intellige prædicta, quod suos subditos dispensare possunt, quando hæresis est occulta, vnde in sancto officio condemnati nullatenus dispensari possunt neque quoad exercitium ordinum susceptorum, neque quoad promotionem eorum, quibus carent, cum delictum non amplius sit occultum, sed publicum. Ita tenet Bonac. *quæst. 3. de irregul. p. 7. num. 6.* Diana *resolut. 48. de irregular.* contra Auilam, Farin. Sair. & alios. Intellige secundo in prædictis casibus ex hæreticis, credentibus, fautoribus, & defensoribus. In aliis vero cum irregularitas non proueniat ex crimine hæresis, neque ex illius suspicione, sed ex infamia, & indecentia, purgata suspicione & sublata infamia tollitur etiam irregularitas sine alia dispensatione docent Sanch. *lib. 2. c. 25. n. 10.* Filliuc. Villabos, quos citat Diana *resol. 48. de irregul.* Vide Nauar. *consil. 16. 17. & 18. de hæret.*

Quæres 12. An hæretici, eorum fautores, filij, & de hæresi ex alio delicto quam fautoriæ suspecti sint infames?

69 ℞. Hæretici, & eorum fautores sunt infames facti infamia, atque etiam iuris; eorũ filij vero nequaquam; suspecti demum sunt infames ex notorietate delicti, si hoc infamiam infert, aliàs non.

Primum, quod hæretici, & fautores incurrant infamiam facti, docent multi cum Farinac. *q. 189. à n. 40* iuncto *n. 54.* Sanch. *lib. 2. c. 26. n. 2. & 3.* Sousa *lib. 3. c. 7. n. 3.* Requiritur autem notorietas delicti, & fautoria formalis.

70 Secundum, quod hæretici, & fautores sunt infames etiam infamia iuris probatur ex Auth. Gazaros *C. de hæreticis,* vbi damnantur infamia; notati autem infamia iure ciuili sunt etiam iure Canonico infames, *c. Omnes 2. 6. q. 1.* Ita aliis citatis Farin. *q. 189. n. 54.* Sousa *lib. 3. c. 7. n. 3.* Sanchez *lib. 2. c. 26. n. 1.* vbi probat hanc non incurri nisi post sententiam iudicis delicti declaratoriam.

71 Tertium, quod illorum filij infamiam non contrahant, multis probat Sanch. *lib. 2. c. 28. n. 5.* cum Menochio, & Suar.

72 Quartum, de suspectis constat ex eo, quod nullibi reperitur expressa huiusmodi pœna infamiæ, ideo neque asserenda, & ratio est, quia suspecti sine fautoria, cum nulli hæretico beneficium præstent, æquum est, illos in pœnis non æquiparari fautoribus hæreticorum.

Quæres 13. An hæretici, eorum fautores, & filij perdant nobilitatem?

73 ℞. Hæretici omnes, eorum fautores, & filij ac nepotes, non perdunt nobilitatem sanguinis, sed tantum priuilegij. Filij nobilitatem priuilegij, quam ab alio, quam à patre hæretico habuerunt non perdunt, sicut nec quam à patre habuerunt concepti ante crimen hæresis; effectus autem huius perditionis in filiis incipit à condemnatione hæresis paternæ.

Prima pars, quod nobilitas sanguinis à quoquam non perdatur, constat ex eo, quod naturalia semper remanent, & sunt immutabilia §. *Sed naturalia, Instit. de iure natur.* Ita Tiraq. *de nobilit. c. 35. num. 24.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 29. n. 18.* Sanch. *lib. 2. c. 29. n. 2.*

Secunda pars, quod hæretici, & fautores sint priuati nobilitate priuilegij, probatur ex allegatis à Farinac. 74
q. 189. §. 4. per totum Sanchez *lib. 2. cap. 29. n. 3.*

Tertia pars, quod filij non perdant nobilitatem, 75 quam à patre non habuerunt, probatur, quia eam non habuerunt à patre, sed ab eius ascendentibus, sed non inficitur respectu ascendentium ergo neque respectu filiorum. Infecta verò nobilitas paterna inficit filios, & nepotes, ex eisdem Tiraque. Sanch. & Farinac. cum quibus est Sousa *lib. 3. cap. 24. num. 3.* Duo requiruntur, vnum, quod filij concepti sint post peccatum hæresis, vt probat Sanch. lib. 2. cap. 29. num. 8. Alterum est, hanc priuationem filiorum incurri post condemnationem.

Quæres 14. An hæretici, fautores, & eorum 76 filij, & nepotes sint ipso iure priuati omnibus beneficiis Ecclesiasticis, cum inhabilitate?

℞. Supradicti omnes à die commissæ hæresis, & fautoriæ sunt priuati omnibus beneficiis, quoad titulum, non quo ad possessionem, quam retinent vsque ad sententiam, & interim fructus faciunt suos, beneficia tamen resignare non possunt, sunt quoque inhabiles ad quæcumque beneficia. Alij suspecti nequaquam.

Primum de priuatione tam tituli, quam possessio- 77 nis colligitur ex cap. Vt commissionis 12. de hæret. in 6. *Priuandi præterea, vel priuatos nuntiandi dignitatibus, & aliis beneficiis Ecclesiasticis, de diœcesanorum, vel eis absentibus Vicariorum suorum consilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuscumque, eosdem hæreticos, credentes, receptatores, & defensores ipsorum, eorumque filios & nepotes plenam concedimus facultatem.* Nota illa verba, *priuandi, vel priuatos nuntiandi*, illud, inquam, gerundium referri ad priuationem possessionis, sequentem ad priuationem tituli contractam ad ipso die perpetrati criminis hæresis, aut fautoriæ, vt indicat se præsens participium, *priuatos* scilicet titulo. Confirmatur id per cap. Ad abolendam eod. ibi. *Si Clericus est, totius Ecclesiastici Ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio, & beneficio spoliatus Ecclesiastico secularis relinquatur arbitrio potestatis.* Textus iste requirit factum iudicis, nempe vt denudet, & spoliet per sententiam clericum hæreticum remouendo illum à possessione beneficij, cuius titulum perdiderat ipso die perpetratæ hæresis. Id quoque videtur colligi ex Decreto quodam facto à S. Congr. Inquisitionis coram Pio V. die 18. Iulij 1556. quo declaratur hæreticorum be- 78 neficia vacare à die commissi criminis, quapropter eorum beneficia Papa sibi reseruauit tanquam vacantia, adeo quod aliter facta collatio nullius sit momenti. Ita Sanch. lib. 2. cap. 26. num. 6. Castro-Palao par. 1. tract. 4. disp. 4. p. 5. num. 4. Sanctar. cap. 33. Barbosa ad dictum cap. 12. de hæret. in 6. num. 10. Farinac. q. 189. à num. 69.

Secundum, quod beneficiarius faciat fructus suos 79 quo ad vsum ante sententiam, probatur, quia licet sit priuatus titulo, adhuc tamen licite retinet possessionem, quis enim potest esse priuatus vno, & non altero, ac proinde apud vnum stare potest titulus, & apud alium possessio, quæ stare potest sine titulo l. 1. ff. Vti possidetis, licet sine illo possessio aquiri non possit, retineri vero possit solo animo lib. Improba. 7. C. de aquir. & retin. possess. Quamuis & in fru- 80 ctibus pendentibus veniat condemnandus, tamen in consumptis non tenetur, quia sicut iuste possidebat,

bat, ita iuste illos consumpsit. Ita intelligendi sunt *Sanch. lib. 2. cap. 26. num.* 10. *Castro Palao part.* 1. *tract.4.disp.4.p.5.n.6.*

81 Tertium de resignatione probatur, quia ad resignationem duo sunt necessaria titulus, & possessio, & licet hæreticus habeat possessionem, non tamen titulum, ideo renuntiare non potest. *Confirmatur*, quia sola beneficia non vacantia resignantur, quæ enim vacant non sunt in nostra potestate; sed beneficia istorum vacant ex allata declaratione, & tradit Sanch. lib. 2. cap. 26. num. 12. ergo resignari non possunt. Ita *Sanch. lib. 2. cap. 26. n. 9. Castro Palao par. 1. tract. 4. disp. 4. p. 5. n. 6.*

82 Quartum de inhabilitate ad beneficia expressè habetur cap. 2. §. *Hæretici autem credentes, receptatores, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur*, de hæret. in 6. Hic Barbosa num. 20. citat. doctores,

83 Dixi, *supradicti omnes*, quia non solum hæretici, sed eorum fautores, & filij, sunt priuati ipso iure beneficiis iuxta quod dictum fuit supra, quia textus supradicti parificant omnes. Nec obstat cap. Excommunicamus 13. eod. §. Credentes, ibi: *si vero clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur.* Quia

84 solum innuunt eius verba officium iudici, qui clericum hæreticū deponere debet ab officio, & beneficio, hoc ipso, quod à se ipso executionem priuationis pati non tenetur ex sententia communissima apud Thesaurum Iesuitam de Pœnis cap. 30.

85 Quintum de aliis suspectis extra fautoriam, quod nō sint priuati beneficiis, & aliis officiis neque inhabiles de iure, probatur quia nullo iure priuantur, vel inhabilitantur. Ita *Sanctar. de hæresi capit. 33. Sanchez lib. 2. capit. 26. numer. 14. Carena part. 2. tit. 1. num. 146.*

86 Quæres 15. An hæretici, eorum fautores, & filij, atque suspecti de hæresi perdant potestatem ordinis & iurisdictionis tam fori externi, quam interni, ita quod non amplius possint conficere Sacramenta, & illa administrare, aut pro foro externo excommunicare, leges condere, casus reseruare, &c.

℟. Hæretici, & illorum fautores numquam perdunt potestatem ordinis, licet etiam essent degradati, neque potestatem iurisdictionis quamdiu tolerati sunt ab Ecclesia, id est, antequam nominatim denuntientur tales, postea verò attentantes ea, quæ pendent à potestate iurisdictionis, nihil agunt. Idem verò quantum ex parte sua illicitè ministrant Sacramenta, ac pariter illa indignè conficiunt, hoc ipso, quod sunt hæretici, aut fautores hæreticorum licet occultissimi. Suspecti demum ex alijs criminibus, quam ex fautoria nihil prædictorum incurrunt ex ipsa ratione suspicionis.

Prima pars, quod hæretici, & alij etiam degradati non perdant potestatem ordinis, probatur, quia ea consistit in caractere, qui perpetuò indelebiliter manet in anima, de fide definitum in Tridentino *sess. 7. can. 9.* reperiri in anima indelebiliter ex tribus Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis. Ita

87 omnes cum D. Thoma *par. 3. q. 82. ar. 7.* Becan. *de fide cap. 15. q. 3.* Quare validè administrant ea Sacramenta, quæ non requirunt iurisdictionem, cuiusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Oleum Sanctum, Ordo, & Matrimonium, quia siuè denuntiati, siuè non, immò & degradati non perdunt potestatem ordinis necessariam in administratione Sa-

88 cramentorum. Pariter Sacerdos. hæreticus validè consecrat ex hoc capite. Ita omnes, quos citat Sair. *lib. 2. cap. 1. de consecr. à num. 4.* Becan. *cap. 15. de fide q. 3. num. 3.* prodest autem eius sacrificium ex parte operis operati quatenus offert in persona Christi, ex parte verò operis operantis nihil prodest eius sacrificium, quia eius operatio abominabilis est, neque ab Ecclesia, extra quam est, acceptatur, ex D. Thoma loco citato *par. 3. q. 82. art. 7.*

Secunda pars, quod ijdem hæretici antequam 89
condemnentur retineant potestatem iurisdictionis, ac proindè gesta ab eis valeant, probatur, quia in hoc nihil differunt ab excommunicatis toleratis, qui nondum amiserunt potestatem actualem validè agendi ex communi doctorum, dum dicunt, valere gesta ab excommunicatis toleratis, cum Sair. *lib. 2. cap. 6. de censur. num.* 1. Bonac. *q. 2. de excommun. par. 5. §. 2. num. 3.* & alij communiter.

Tertia pars, quod post condemnationem, & sen- 90
tentiam sint priuati iurisdictione, probatur ex diuersis iuribus, *cap. Audiuimus 4. 24. q. 1.* vbi hæreticos, dicitur non posse excommunicare, quia nihil potestatis aut iuris habeient, *cap. Didicimus 31.* quod non possint excommunicare repetitur *cap. Ait Cœlestinus 35. cap. Apertè 36. 24. q. 1.* neque iudicare, *cap. Miramur 37. ead.* Confirmatur, quia hæretici sententiati deponuntur ab omni *cap. Ad abolendam 9. de hæret. cap. Vt commissi 12. eod. in 6.* quod non possint absoluere neque à peccatis, neque à censuris, Sair. *lib. 2. de censur. cap. 2. num. 10.* & de alijs actibus *cap. 6. per totum.* Excipitur articulus mortis, in quo casu hæreticus etiam denuntiatus, immo degradatus, & Schismaticus potest absoluere à quibuscumque positum in articulo mortis, Bonac. *q. 3. de excommun. par. 3. num. 3.* plures citat Barbosa *ad cap. 7. sess. 14. num. 15*

Quarta pars, quod hæretici etiam occulti illicitè, 91
& cum peccato mortali conficiant, ministrent Sacramenta, aliosue vero actus iurisdictionis exerceant, probatur *ex cap. Aduocauit 23. & seq. 24. q. 1.* vbi eorum sacrificia, & Sacramenta dicuntur esse abominabilia, & sine fructu, non dicuntur consecrare, sed execrare, intellige in ordine ad illicitam actionem, quia non solum ipsi, sed eos, quibus conferunt, faciunt peccare, quando scienter extra casum necessitatis cum illis communicant in diuinis.

Quinta pars, quod alijs suspecti nihil prædicto- 92
rum patiantur, suadetur, quia nulli reperitur expressum, quod sint priuati suis officijs, ergò neque nos priuare debemus.

Quæres 16. An hæretici, eorum fautores, filij, & alij suspecti sint ipso iure priuati omnibus officijs publicis, actibus legitimis tam in foro Ecclesiastico, quam laico? Loquendo de beneficijs Ecclesiasticis, & officijs, iam dictum est in præcedentibus, de laicis remanet dicendum.

℟. Hæretici, & eorum fautores ipso iure sunt pri- 93
uati omnibus officijs publicis, & actibus legitimis, cum inhabilitate. Filij verò eorum non sunt priuati, sed priuari possunt, licet sint inhabiles ad alia, & similia in posterum habenda.

Primum de hæreticis, & fautoribus deducitur *ex cap. 2. §. Hæretici, de hæret. in 6.* iuncto *cap. Vt commissi 12. eod.* quod intellige iuxta dicta de priuatione beneficiorum *sub. q. 14.* quod sint priuati quo ad titulum, quo ad possessionem verò, omnino, sequuta sententia condemnatoria, secundum probabiliorem opinionem Bursati *liber. 1. consil. 14. numer. 18. & 23.* ex illo Ricciull. *liber. 5. capit. 20. numer. 3.* Ista autem officia, & eorum actus legitimi enumerantur *capit. Excommunicamus §. Credentes, de hæret.* qui sunt, quod hæretici, & fautores non sint consultores, nec electores, nec testes, nec testabiles tam actiuè, quam passiuè, nec conuenire, sed tantum conueniri, nec iudex, eius attentati actus sint nulli, nec arbiter, nec aduocatus, nec tabellio. Vide dictum caput, quod ad eas pœnas in-

94 currendas requirit in hæreticis. & fautoribus eorum
duo vnum quod sint notati excommunicati; secundum, quod si intra annum satisfacere contempserint, extunc ipso iure prædicta incurrant. Nihilominus ex alijs iuribus posterioribus superius adductis *ex c.* 2. *&* 12. *eod. in* 6. patet dictas pœnas incurri à die perpetrati criminis, licet, vt diximus, quoad actualem spoliationem officij, requiratur sententia saltem criminis declaratoria.

Inter actus legitimos, quibus prædicti priuantur adde priuationem vtriusque vocis, seu actum electio-
95 nis tam actiuæ, quam passiuæ, si enim ijs actibus priuantur excommunicati, à fortiori hæretici, qui præter excommunicationem, tam detestabili errore sunt infecti, & deducitur excitatis iuribus.

96 Secundum, de filijs, & nepotibus illorum deducitur *ex cap. Vt commissi* 12. *eod. in* 6. vbi Papa Inquisitoribus plenam concedit facultatem non solum illos declarandi priuatos, sed etiam eorum filios, & nepotes priuandi officijs publicis, & honoribus quibuscumque. Vide Farin. *q.* 191. §. 2. Sigism. *dub.* 82. vbi alias difficultates referunt.

Quæres 17. An hæretici eorum fautores, & filij cum nepotibus careant sepultura Ecclesiastica?

Resp. Hæretici tantum, & eorum fautores sine
97 pœnitentia decedentes Ecclesiastica sepultura carent, *cap. Sicut ait* 8. *cap. Excommunicamus* 14. *de hæret.* §. *Credentes*, *cap.* 2. *eodem in* 6. Farinac. *q.* 192. *n.* 38. *loquens de hæreticis*, *& q.* 182. *num.* 49. *&* 50. *de fautoribus.* Eadem carent etiam instituentes hæreticos hæredes, ex iuribus citatis Farin. *quæst.* 190. *num.* 107. *& q.* 192. *num.* 40.

Quæres 18. An pater hæreticus perdat patriam potestatem super suos filios?

Resp. Filius à die perpetratæ hæresis eximitur à
98 patria potestate, & fit sui iuris etiam ante sententiam, *cap.* 2. *de hæret. in* 6. §. *fin.* iuncta Glosa vltima. Ita omnes cum Sair. *lib.* 3. Clauis *cap.* 9. *n.* 30. Farin. *q.* 197. *n.* 29. Lessius *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 33. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 6. vbi *num.* 7. dicit filium non teneri alere patrem hæreticum, nisi extremè indigentem.

Quæres 19. An hæretici, eorum fautores, & filij sint incapaces iure testandi?

99 *Resp.* Hæretici, eorumue fautores ipso iure non sunt priuati iure testandi, sed tantum per sententiam criminis declaratoriam. Filij non comprehenduntur.

Prima pars de hæreticis & fautoribus probatur per *l. Manicheos* 4. §. *Præterea C. de hæreticis*, ibi: *Ergo, & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue Codicillo.* Verbum *sit* importat sententiam ferendam, Glos. *fin. cap.* 2. *de foro compet.* & alijs à Sanch. citatis ad hoc propositum *cap.* 24. *num.* 3. Et confirmatur per *cap. Excommunicamus* 13. §. *Credentes*, vbi ferè eisdem verbis extenditur pars legis supracitatæ, & fit mentio de iure testandi sub his terminis. *Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem.* hæc autem pœna cum alijs, vt ibidem expressè dicitur, non incurritur nisi post sententiam, ergò præfati retinent ius testandi vsque ad sentẽtiam, qua posita nihilominus illorum conditum testamentum euanescit, & pœnitus vires amittit. Ita ex Molina, Vasq. & alijs docet Sanch. *lib.* 2. *disp.* 24. *num.* 3. Hæc opinio est contra communem doctorum asserentium priuari iure testandi à die commissi criminis, quos pro se citat Farinac. *q.* 190. *nu.* 89. Riciull. *lib.* 5. *cap.* 28. Sed reuera prior, quam sequimur, est conformior iuri citato *cap. Excommunicamus*; quod expressè vult, pœnas ibi expressas, inter quas est intestabilitas, non incurri nisi post sententiam, iuxta quod intelligendum est ius ciuile, eo quod ibi includitur, & limitatur.

100 Secunda pars de filijs suadetur, quia de ipsis nullibi agitur in ordine ad hanc pœnam, ergo contra ipsos asserenda non est.

Quæres 20. An hæretici, eorum fautores, & filij capaces sint successionis, aut donationis tam ex testamento, quam ab intestato, seu ex contractu?

Resp. Hæretici, & fautores sunt capaces ante sen-
tentiam, ita quod hæreditatem, aut aliud acquisitum 101
restituere non tenentur ante illam. Filij vero illorum pariter sunt incapaces solius hæreditatis paternæ, non autem aliorum, qui non sunt hæretici, aut fautores illorum.

Primum, quod hæretici, & eorum fautores ante sententiam sint capaces, colligitur *ex cap. Condemnamus* §. *Credentes*, *de hæret.* vbi dicuntur incapaces successionis, vt autem diximus præcedenti quæstione, *& q.* 16. illæ pœnæ non incurruntur nisi postquam fuerint excommunicatione notati, & contempserint infra annum satisfacere. Et id clare deducitur *ex l. Manicheos* §. 1. *in fine C. de hæret. Ipsos quoq. volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione.* Vides, quod requiritur amotio per sententiam, id enim importat verbum *Amoueo* ex Tiraque *in l. Si vnquam*
ver. Reuersatur C. de reuoc. num. 172. *&* 173. Ita 102
Imola *cap.* 2. *de testam. num.* 44. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 52. Molina *tom.* 3. *de iust. disp.* 658. *num.* 19. Royas *singul.* 79. *de fide* Decian. *lib.* 5. *Crimin. cap.* 44. *numero* 17. ex illis Sanch. *lib.* 2. *cap.* 14. *numero* 31. *&* 34. Vide Farin. *q.* 190. §. 7. *à numero* 94.

Secundum, quod filij, non succedant in bonis pa- 103
tris condemnati, habetur *ex cap. Vergentis* 10. *de hæret.* Authen. Gazaros *C. de hæret.* Sanch. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 9. Farinac. *q.* 191. initio.

Tertium, quod filij succedant suis consanguineis 104
ascendentibus, & alijs extraneis, probatur huiusmodi pœna ex citatis iuribus non deducitur, ergo neque asserenda est, aut deducenda ex alijs delictis iuris ciuilis, quia in odiosis non est extendenda pœna iuris ciuilis ad ius canonicum ex paritate delictorum, cum pœnæ magis pendeant à voluntate legislatoris, quam à ratione, & ius canonicum sit remissius in pœnis, quam ius ciuile. Ita quam pluribus citatis Sanch. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 13.

Quartum, quod filij fautorum non excludantur, 105
suadetur, quia nullo iure id probatur, neque illorum bona addicta sunt fisco de iure canonico, quo de solis hæreticis loquitur, quia tamen Farinac. *q.* 191. *num.* 12. allegatis citat Bullam Pontificiam reddentem filios fautorum incapaces, illius fidei videtur standum.

Quæres 21. An obligati hæreticis eximantur ab 106
eorum subiectione?

Resp. Affirmatiuè, secuta sententia *cap. fine. eod.* illis verbis. *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis domini, & totius obsequij quicumque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur adstricti.* Duo notanda sunt, vnum, quoscumque siue vassalos, siue captiuos, seruos, famulos, aut alio nomine, & titulo, seu contractu obligatos, eximi à subiectione hæretici, & constitui in
libertate, nam illa particula *Quicumque* comprehen- 107
dit omne genus personarum, Menoch. *consil.* 224. *num.* 7. cum alijs per Barbosam *dict.* 317. *numero*
7. Debitor autem liberatur soluendo fisco intellige 108
post condemnationem, quia ante soluere potest eidem hæretico. Ita Sanch. *lib.* 2. *cap.* 24. *numero* 8. *& seq.* Alterum est prædictos non liberari à die commissi criminis, sed tantum à condemnatione, vt colligitur ex illis verbis, *Lapsis manifestè in hæresim*, quæ important sententiam, ex dictis *cap.* 9. *qu.* 26. *numero* 90. vt habet Glos. ibidem.

De

De fautoribus nihil dicitur, cum sermo sit præcisè de hæreticis, ideo priuilegium hoc locum non habet respectu subiectorum illis.

Quæres 22. An hæreticorum, & fautorum bona
109 de iure sint confiscanda ?

Resp. Hæreticorum bona fisco subiecta sunt, non autem fautorum, & suspectorum de hæresi.

Primum, de confiscatione hæreticorum bonorum habetur in diuersis locis vtriusque iuris, ciuilis quidem *l. Manicheos* §. 1. *C. de hæret.* Authen. Gazaros *C. eod.* Iuris vero Canonici, *cap. Vergentis* 10. *de hæret.* vbi bona hæreticorum etiam filios habentium confiscantur. Item *cap. Ad abolendam* 9. *eod.* vbi non restituuntur applicata fisco Ecclesiastico, si sint clericorum, vel laico, si laicorum, non restituuntur nisi conuertatur hæreticus. Item *cap. Excomunicamus* 14. §. *Damnati, ead.* fit mentio de applicatione vt supra. Item confiscatur etiam dos vxoris, quæ scienter nupsit hæretico aliàs non *cap. Decreuit* 14. *eod. in* 6. Et quia nonnulli dubitabant, an pœna confiscationis esset lata, an ferenda, Bonif. VIII. *in Cap. Secundum* 19. *eod. in* 6. declarauit esse latæ sententiæ, apprehensionem tamen bonorum non esse faciendam per dominum secularem, nisi prius pronuntiatum fuerit per iudicem Ecclesiasticum super crimine, executio igitur bonorum condemnati fit tantum post sententiam.

110 Secundum, quod bona fautorum, & aliorum de Hæresi suspectorum non sint subiecta fisco, constat ex eo, quod nullo iure reperitur expressa huiusmodi pœna contra prædictos; ergò illa non sunt afficienda maximè cum locum non habeat nisi in casibus iure expressis. Clar. *q.* 78. *n.* 5. Farin. *q.* 193. *n.* 120. Ita alijs citatis Farin. *q.* 190. *n.* 26. Souza *lib.* 3. *cap* 9. *num.* 10.

Quæres 23. An bona hæreticorum ipso iure à die commissi criminis sint subiecta fisco?

111 *Resp.* Bona hæreticorum ipso iure dicuntur subiecta fisco à die commissi criminis, requiritur tamen sententia declaratoria criminis, ex quo plerique doctores citandi dicunt hæreticum ipso iure priuari proprietate suorum bonorum, retinere verò eorum possessionem vsque ad sententiam criminis, per quam tunc omne ius perdit super sua bona.

Vtrumque bene colligitur *ex cap. Cum secundum* 19. *de hæret. in* 6. primum de confiscatione proprietatis ipso iure, ibi: *Bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata.* quod intelligitur de proprietate deducitur ex sequentibus verbis. *Et rerum proprietate hoc ipso priuetur, & fisco rerum, & specierum dictarum proprietas acquiritur.* Secundum de retentione possessionis vsque ad sententiam habetur, ibi: *Confiscationis tamen huiusmodi exequutio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet, nisi prius sententia super eod. crimine fuerit promul.* Relinquitur igitur in possessione suorum bonorum vsque ad condemnationem in hæresim, quia tunc constat manifeste in pœnam incidisse, ante enim cum potuisset accidere, quod falso calumniaretur, & postea reperiretur innocens, ideo relinquitur ligitimè in possessione suorum bonorum, donec iuridice constet, illorum priuationem incurisse. De confiscatione ipso iure omnes docent, & præterea, quod sententia debeat procedere de communi Farinac. *q.* 190. *num.* 5. nam quando iura imponunt pœnam ipso iure incurrendam intelliguntur semper secuta iudicis sententia declaratoria delicti, Alex. *in l. Si quis maior, ff. de transact. numero* 13. vbi citat Archid. & Ioan. Andr. Ruinus *lib.* 4. *consilio* 85. *numero* 6. Roman. *consilio* 212. in fine, Bursatus *consilio* 14. *numero* 18. *&* 20. *consilio* 43. *numero* 1. 22. *&* 25. Distinctionem proprietatis, & possessionis referunt Caiet. 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. Conrad. *lib.* 1. *de contract. q.* 7. *concl.* 2. *&* 3. Medina *C. de restitut. q.* 1. quos citat, & sequitur Becan. de lege pœnali *q.* 4. *numero* 6. *& cap.* 15. *de fide quæst.* 5. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 3. iuncto. *numero* 18. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 31. qui *numero* 10. dicit hæreticum ante sententiam habere veram rerum suarum possessionem, sequuta tamen sententia, bona transeunt in fiscum sine alia apprehensione, iuribus, & doctoribus citatis.

Quæres 24. An fructus perceptos intermedio tempore à die commissi criminis vsque ad sententiam hæreticus faciat suos?

Resp. Affirmatiuè, quia illo tempore iuste possi- 112
det, fructus enim sunt possessoris, *l. Fructus*, §. *ex diuersorum, ff. de rei vendicat.* & fructibus vtitur possessor lite pendente, Glos. *ver. debeant, cap. Hæc.* 9. 3. *q.* 6. Glos. Et cum fructibus, *cap. Non liceat* 20. 12. *q.* 2. Ita alijs citatis docet Becan. *q.* 4. *de lege pœnali*, secuta tamen sententia, quos non consumpsit, sunt fisci, de communi Farinac. *quæst.* 190. *num.* 19. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 194. Quare bene respondit Donatus Antonius de Marinis *lib.* 2. *Resolut. quotid. cap.* 5. quendam hæreticum condemnatum non potuisse suum debitorem vocare in ius.

Quæres 25. An hæreticus ante sententiam possit alienare, & alios contractus facere?

Resp. Potest ex necessitate vitæ propriæ, & suo- 113
rum, & pro collocandis filiabus, immò ex alijs causis factæ tenent, ratio est, quia *ex l. Post contractum* 15. *ff. de donat.* habetur, post contractum capitale crimen valere donationes factas ante condemnationem, nisi id contingat fieri in fraudem fisci, quod non apparet, quando fiunt ex causis prædictis. Ita Angel. Fulgos. & alij, quos citat Sanchez *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 22. *& cap.* 22. *num.* 50. Becan. *q.* 5. cum alijs, qui aiunt valere quidem, sed non esse firmas, quia per fiscum rescinduntur. Ita Farin. *q.* 190. *num.* 71. & Sanch. *cap.* 22. *num.* 31. & alij communiter. Sed his omnibus sagax nimis fiscus statim, ac cognitionem delicti habet occurrendo alienationibus annotat seu describit bona delinquentis cum obligatione, seu sequestratione eorumdem.

Quæres 26. Quænam bona delinquentis hæretic sint obnoxia fisco?

Resp. Illa tantum sunt obnoxia fisco, quæ hære- 114
ticus habet tempore delicti commissi, vnde postmodum acquisita non sunt fisco subiecta, nam est illud commune axioma, quod in confiscatione facta ipso iure veniunt tantum bona præsentia, non autem futura, deductum *ex l. Si mandauero*, §. *is cuius, ff. de mandati*, illis verbis. *In publicandis bonis, quidquid postea acquiritur non sequitur fiscum.* Igitur bona, quæ hæreticus acquirit post commissum delictum vsque ad sententiam non dicuntur præsentia, neque proindè subiecta fisco, sed futura. Ita Bursatus *lib.* 1. *consil.* 14. *num.* 28. *consil.* 43. *num.* 4. Baiard. *ad Clarum q.* 78. *num.* 212. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 22. quæ opinio sibi videtur æquior, & verior, Sanch. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 10. Farin. *q.* 190. *num.* 25. Oppositum etiam ad futura vsque ad condemnationem extendi fiscum, docent Bossius *tit. de bonorum publicat. num.* 80. & alij citati à Ricciul. & Sanch. probant *ex l. Eius qui* 8. §. 1. *ff. de testam.* ibi: *Bona quoque quæ tunc habuit, cum damnaretur, publicabuntur.* Sed sibi sermo est de damnatione legali, non iudiciali.

Quæres 27. An hæreditas delata hæretico, sed nondum adita ante delicti commissionem, sit subiecta fisco?

Resp. Negatiuè, quia non computatur inter bona 115
præsentia hæretici, nam hæreditas sine aditione non transit ad hæredes, *l. Vn. C. de ijs, qui ante aper. tabul. l. Vn.* §. *In nouissimis, C. de caduc. toll.* Ita ex Bossio, Castr. Cœphalo, Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 26. Gratian. *discept. cap.* 309. *num.* 13. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 48.

Quæres 28. An legitima proueniens filio hæretico viuentibus eius parentibus debeatur fisco.

116 ℞. Non, quia non est illi perfectè acquisita, cum simpliciter sit patris, *l.* 1. §. *si impuberi ff. de collat. honor. l. Si qua pœna, ff. de iis*, qui sunt sui. Filius enim ius remotum ad illam habet quod non sufficit pro fisco, quod verum est licet pater filio legitimam assignasset. Ita omnes, quos vocat Sanch. *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 19. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 31. *n.* 27.

Quæres 29. An fideicommissum sit subiectum fisco?

117 ℞. Non, sed illud transit ad eos, qui sunt vocati, quia delictum patris, aut alterius non debet nocere filiis, aut aliis respectu illorum bonorum, quæ competunt substitutis hæretico, cum non dicantur succedere ex persona ipsius hæretici, sed ex propria. Huiusmodi igitur bona sunt substitutorum quoad omnia, nimirum quoad proprietatem, vsumfructum, & commoditatem. Ita de communi cum Gabriele *vol.* 1. *consil.* 284. *num.* 2. Sanch. *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 15. Carena *part.* 2. *tit.* 1. *de hæresi. n.* 155. § *E contra verò.*

Quæres 30. An maioratus sit subiectus fisco?

118 ℞. Non, siuè sit institutus cum iurisdictione, siuè non, sed transit in filios patris hæretici, ea ratione, quia filij non vocantur ad maioratum iure paterno, sed ex propria persona illis prouenit, quasi ab institutore immediatè transeat in illos, nulla habita consideratione patris hæretici intermedij, qui omnes institutos in ipsa institutione immediatè censetur vocare prout ex tunc, hoc est, à principio fundationis, quo illis acquiritur ius quoddam cum certa spe succedendi loco, & tempore, vnde filius patri succedens, non dicitur acquirere feudum, sed acquisitum capere. Ita docet vterque Molina cum Sanchez *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 4. asserendo *num.* 7. filios hæreticorum natos siuè ante, siuè post hæresim esse capaces maioratus etiam cum iurisdictione, quia qui est capax

119 principalis, etiam accessorij; esto filij hæreticorum essent infantes, cuius oppositum probatum fuit *sub q.* 12. quia infamia non respuit quemlibet à iurisdictione, sed illum tantum, cui iurisdictio confertur immediatè, & independenter ab aliquo fundamento, cui illa inhæret. Ex quibus tollitur inconueniens allatum à Carena *par.* 2. *tit.* 1. *n.* 171. dicente absurdum esse, filium hæretici non posse esse aduocatum, vel notarium, vtique verò comitem, ducem, &c. spectata nimirum differentia superius allata, quæ non competit aduocatis, & notariis, quibus hæc officia conferuntur ratione personæ immediatè.

120 Quæres 31. An peculium castrense, vel quasi castrense filiorum sit obnoxium fisco propter paternam hæresim? Castrense dicitur, quod filius familias acquisiuit in bello, vel occasione belli, *l. Castrense, ff. de Castr. pecul.* & *lib.* 1. *C. eod. lib.* 12. Quasi castrense dicitur quidquid filius familias in palatina, vel forensi militia ex patrociniis causarum, & notariatu ex magisterio studiorum liberalium artium acquisiuit, & quidquid habetur ex publicis salariis, *l. fin. C. de inoff. testam. l. fori tui, C. de aduocat. diuers. iudic.* Quasi castrẽsia vocantur etiam obuenientia clericis sub potestate patris viuentibus, ex Authent. Presbyteros, *C. de Episc. & Cler.* Eadem quæstio fieri potest respectu patris, propter hæresim filiorum.

121 ℞. Propter hæresim paternam peculium castrense, vel quasi castrense non est subiectum fisco, quia illud est filiorum quo ad proprietatem, vsum fructum, & administrationem, cum Sanch. *lib.* 2. *c.* 16. *num.* 41. Farinac. *q.* 190. *n.* 17.

Neque propter hæresim filij in damnum patris predictum peculium est subiectum fisco, *ex l. Si filius* 3. *C. de bonis prosc.* Hanc sententiam vocat probabiliorem, & communiorem Sousa *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 4. Farin. *q.* 190. *num.* 17. §. *Sed quod.*

Quæres 32. An bona aduentitia, & profectitia sint subiecta fisco in damnum vnius propter delictum alterius? Aduentitium bonum dicitur illud, quod filio contingit non ex substantia patris aut officio publico, sed aliunde, aut à matre, aut ab eius maternis, ex nuptiis, ex cognatis, & amicis, vel ex propria industria, & labore, *l. Cum oportet, C. de bonis, quæ liber.* Huius peculij proprietas est filij, pater verò, seu auus, aut proauus habet vsumfructum. Instit. Per quas personas nob. acquirat. & dicta *l. Cum oportet.* Megal. *l.* 2. *lib.* 2. *c.* 3. *q.* 2. plura de peculio aduentitio. Peculium verò profectitium est illud, quod ex pecunia, & rebus paternis acquiritur per filiumfamilias, ex Bartolo Silu. *ver. Peculium, n.* 12. 122

℞. Propter hæresim paternam peculium aduentitium, & profectitium non confiscatur, sed totum filio reseruatur, ratio est, quia cum per hæresim filius fiat sui iuris, æquum est ipsum esse exemplum quoad omnia sua bona, aduentitiorum quidem, quia vsusfructus sequitur proprietatem, profectiorum, quia filius liberam habet administrationem. Ita aliis citatis de peculio aduentitio. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 18. Farinac. *quæst.* 190. *num.* 27. Sousa *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 10. Si pater ante delictum remiserat filio vsumfructum, De peculio profectitio Sanch. *cit. num.* 21. Sousa *num.* 14. 123

Propter hæresim filiorum non confiscatur proprietas peculij aduentitij, sed cum vsufructu consolidatur, & reseruatur patri, sicut & peculium profectitium. De aduentitio Sanch. *lib.* 2. *c.* 15. *n.* 9. estque sententia communior, Sousa *lib.* 3. *c.* 10. *n.* 2. De profectitio idem Sanch. *n.* 17. vocat communem omnium sententiam, Sousa eod. *n.* 4.

Quæres 33. An bona censualia sint obnoxia fisco.

℞. Prædia subiecta censibus etiam Ecclesiasticis sunt obnoxia fisco, de communi Farinac. *q.* 190. *n.* 18. Sanch. *lib.* 2. *c.* 19. *n.* 18. Fiscus autem tenetur soluere censum eo modo, quo damnatus soluebat, quia succedit in eius onera realia. 124

Quæres 34. An iuspatronatus sit subiectum fisco in præiudicium filiorum & aliorum vocatorum.

℞. Quando iuspatronatus ex institutione non potest transire ad extraneos, neque ad fiscum, quia quæ non transeunt ad extraneos, neque ad fiscum pertinere possunt ex communi apud Peregr. *lib.* 5. *de iure fisci tit.* 1. *num.* 68. vbi *num.* 72. & 121. id dicit de Iurepatronatus. Vnde fiscus Ecclesiasticus huius generis iuspatronatum confiscare non potest, sed tantum ipsum, quod ad extraneos potest transire, & illud directè confiscare potest, quia ius habet directè in bona Ecclesiastica, & ita dicunt omnes Lambert. *lib.* 3. *de iurepatr. quæst.* 8. *art.* 8. *num.* 10. Diaz. *cap.* 132. *num.* 5. In hoc casu autem iurispatronatus transitorij non potest laicus iudex illum confiscare directè per illius expressionem, quia super bona Ecclesiastica, inter quæ illud computatur, ius dicere non potest, vt omnes concedunt; immo neque indirectè, quod accideret, quando iudex laicus publicaret omnia bona hæretici, si inter illa reperiretur iuspatronatus, sub illis non comprehenditur, ob eamdem rationem, & quia dicitur bonum clerici, cuius confiscatio ad Ecclesiam tantum pertinet ex iuribus citatis *sub quæst.* 22. Ita Glosa *ver. Subiecta Pastoralis, de sent. & re iud.* ibi doct. Lambert. cit. *num.* 13. & 14. *casu* 4. Farinac. *quæst.* 25. *de delictis num.* 151. alios citat. Sanchez, qui *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 10. tenet oppositum, sub publicatione omnium bonorum publicari etiam iuspatronatus accessorie, siue fiat de ipso mentio in recto, siue in obliquo. Sed siue in recto, siue in 125

obliquò

obliquo exprimatur iuspatronatus in generali confiscatione bonorum, id fieri non potest iuridicè à laico, quia id est, se ingerere in rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis, quod laicis simpliciter est prohibitum non solum directè, sed etiam indirectè, & accessoriè, præsertim in Bulla Cœnæ, & aliis iuribus, quia quod alicui prohibetur vna via, ad id non debet admitti per aliam? & quod directè prohibetur, non potest fieri indirectè, *l. Seiu ff. ad legem* Falcid. Menoch. *lib.* 4. *de præsumpt. q.* 189. *num.* 82. Surd. *decis.* 21. *num.*4.

Quæres 35. An emphiteusis Ecclesiastica eius, qui in hæresim incidit sit subiecta fisco? Vulgus vocat liuellum, quem quisque super suis bonis constituere potest, non solum Ecclesia, quæ sua prædia dat ad meliorandum, sed etiam persona priuata. Non est difficultas de emphiteusi non transeunte ad extraneos, quia hæc nulla ratione confiscatur, ex ratione adducta in præcedenti quæstione. Remanet difficultas super emphiteusi transeunte ad extraneos.

126 ℞. Quamuis emphiteusis intransitiua non sit subiecta fisco quoad dominium, confiscatur tamen quoad commoditatem, dum viuit emphiteuta, & fiscus tenetur soluere pensionem domino directo. Molina *tom.* 2. *disp.* 481. Farinac. *q.* 25. *n.* 58. ex illis Sanch. *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 21. Verum id est de liuello priuati, non autem Ecclesiæ, sed eius fructus cum emphyteuti redeunt ad Ecclesiam habentem eius directum dominium, neque enim, vt dictum fuit, iudex laicus se ingerit in bonis Ecclesiasticis. In contrarium tamen sunt alij apud dictum Sanch. Emphiteusis transitoria ad extraneos priuati transit in bona fisci, qui incipit esse dominij directi emphiteuta quia omnium bonorum, quæ transeunt, fiscus est capax. Ita Molina *tom.* 2. *disp.* 481. *concl.* 1. Vasq. 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 169. *cap.* 3. *n.* 25. cum illis & aliis Sanch. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 25. Ecclesiastica verò non transit, quia conditio Ecclesiæ deterioraretur, & hoc est priuilegium Ecclesiæ Authent. de alienat. & emphiteus. §. 1. *Versu. Si verò contigerit.* Diaz *c.* 132. *n.* 4. Molina cit. *disp.* 481. contra Sanch. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 29. & alios, quos ipse citat.

127 Quæres 36. An bona clericorum sint subiecta fisco? illorum bona sunt primo, patrimonialia, & aquisita ex industria personæ: secundo aquisita titulo officij sacerdotalis, pro missis, officiis, concionibus, funeralibus, administratione Sacramentorum. Tertiò beneficia Ecclesiastica. Quartò, fructus beneficiorum, aut quæ intuitu Ecclesiæ illis donantur, sic distinguit Sanch. *l.* 2. *c.* 20. initio.

128 ℞. Bona primi, & secundi generis confiscantur, quia sunt transitoria etiam ad extraneos, quibus clericus illa relinquere potest, *ex c. Quia nos* 5. *de testam.* neque prohibentur confiscari. Ita Couar. *lib.* 2. *Var. c.* 9. *n.* 12. Sanch. *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 22. *&* 23. Farin. *q.* 190. *n.* 160. Sou. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5. *&* 6. Spectat autem confiscatio ad iudicem Ecclesiasticum, & bona ad eius

129 fiscum, Farin. *q.* 190. *n.* 158. Beneficia, quæ tertij generis bona sunt, prohibentur confiscari, expresse *Clem.* 2. *de hæret.* præsumentes id facere incurrunt excommunicationem reseruatam, donec satisfecerint. Eam incurrunt Inquisitores, & eorum Commissarij, seu Vicarij eorum, & Vicarij Episcopi, seu Capituli, non autem ipse Episcopus. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 20. *numer.* 5. *&* 6. Farin. *quæst.* 190. *numer.* 162. Sousa *lib.* 3. *cap.* 13. *numer.* 1. Beneficia igitur non confiscantur, sed ipso iure vacant, ex dictis *q.* 14. Confiscantes beneficia per ignorantiam modò non sit affectata, & crassa excusantur ab excommunicatione, ex Tabien. Suar. Sanch. & Farin. cit. Sousa *l.* 3. *cap.* 13. *num.* 2.

130 Quarti generis bona de iure communi *cap. Excommunicamus* 14. §. *Damnati, de hæret.* prohibentur confiscari, sed applicanda sunt Ecclesiis, à quibus clerici stipendia acceperunt. Sed quoniam de omnibus acquisitis ex fructibus, & pecuniis suorum beneficiorum clerici disponere modò possunt, ideo cum non dicantur bona Ecclesiæ sed clerici, consequenter subiecta sunt fisco Ecclesiastico. Ita doctoribus allegatis Farinac. *q.* 190. *n.* 160.

Quæres 37. An hæreticus reconciliatus recuperet bona sibi confiscata?

℞. Dominus fisci non tenetur, sed solum ex gratia id facere potest, *cap. Vergentis* 10. *de hæret.* ibi: *Nec ad eos bona eorum reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit.* Ita Glosa. *ver. misereri*, & ibi Anchar. Felin. Abbas, & alij, Farin. *q.* 190. *n.* 244. Sponte comparenti non confiscantur aliis citatis Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 42. *num.* 11. Relapsis numquam fit restitutio, Glos. *ver. Ad audientiam cap. Ad abolendam* 9. *de hæret.* Decian. *lib.* 5. *crimin. cap.* 14. *num.* 2. Restitutio autem numquam intelligitur facta nisi de illa fiat expressa mentio, ex eodem Decian. *num.* 9. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 4. in fine. Demum fiscus habita apprehensione bonorum, & eis in contractum deductis cum tertio, non solet ea condonare hæretico pœnitenti, ideo spem durat vsque ad sententiam, postquam nullus auditur iuxta præcitatum caput: *Ad abolendum.* 131

Quæres 38. An bona religiosi si hæretici sunt subiecta fisco?

Resp. Nequaquam, quia ipse nihil proprij habet, sed simplicem vsum facti, *ex c.* 3. *de verb. signif. extrau. Ioan. XXII.* Quare illorum proprietas, & vsus fructus spectat ad religionem. Ita Sanch. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 13. *&* 14. Sousa *l.* 3. *c.* 13. *n.* 3. *&* 4. vbi dicit, confiscantes incurrere excommunicationem *Clem.* 2. *de hæret.* quæ excommunicat confiscantes bona Ecclesiarum indistinctè, ac proinde siue in Ecclesiarum regularium siue secularium. 132

Quæres 39. Quinam hæretici tradendi sint curiæ seculari pro vltimo supplicio?

Resp. Primò, hæreticus relapsus sine vlla audientia *cap. Ad abolendum* 9. *de hæret.* *Secundò*, hæreticus impœnitens ex eod. capite & dixi *cap.* 9. *quæst.* 30. *Tertiò*, Dogmatista, & hæresiarcha *ex capit.* 9. *quæstion.* 27. *Quartò*, non sacerdos celebrans. *Quintò*, non sacerdos audiens confessiones. *Sextò*, abutens Sacramento altaris. *Septimò*, negans vnitatem, & Trinitatem Dei. *Octauò*, negans conceptionem Iesu Christi de Spiritu sancto. *Nonò*, negans eiusdem Matris Virginitatem perpetuam. *Decimò*, negans mortem Christi propter nostram redemptionem. Hæc ex doctoribus refert Farinac. *quæst.* 193. *numer.* 39. Ad hoc autem, vt quis tradatur vltimo supplicio perimendus, in eo verificandæ sunt quinque conditiones, quas recensui *cap.* 9. *quæst.* 30. Si clericus tradendus est, denudetur prius omnibus beneficiis, officiis, & dignitatibus, & degradetur iuxta *cap. Abolendam* 9. *de hæret. & cap.* 1. *eod. in* 6. 133

Quæres 40. Quibusnam pœnis afficiantur non tradendi curiæ seculari?

℞. Sequentibus, exilij, carceris, fustigationis, pecuniæ, triremium, & aliis corporalibus. De pœnis iuris sufficienter dictum supra, de quibus Farinac. *q.* 182. §. 3. 134

Quæres 41. An hæretici mortui, & eorum fautores puniendi sint, qui dum viuerent, erant incogniti?

℞. *Primò*, carent Ecclesiastica sepultura supra *sub q.* 17. *numer.* 97. *Secundò*, nullam cum Ecclesia communionem habent, neque pro illis orandum est, *cap. Firmissimè* 3. *cap. Sicut* 8. *de hæret.* 135

Tertiò, Episcopus instituens hæredem hæreticum, aut paganum, etiam consanguineum, post mortem quoque denuntiandus est excommunicatus, *cap. Si quis* 5. *eod. cap. seq.* extenditur ad omnes clericos dictum de Episcopo. *Quartò*, Inquisitores possunt compellere hæredes fautorum hæreticorum, qui tamen hæretici non erant, ad implendam pœnitentiam iniunctam in bonis temporalibus, secus si mortui sint, antequam fuerit pœnitentia iniuncta, *cap. Accusatus* 8. *de hæret. in* 6. §. *Si verò, & seq.* §. *In eo vero*, mortuus hæreticus talis declarari potest, ad finem confiscandi eius
136 bona. *Quintò*, *cap. Sanè profertur* § 24. *q.* 2. dicitur, quod hæretici etiam post mortem sunt excommunicandi, idest, declarandi incidisse in excommunicationem, vt nullus audeat pro ipsis orare, vnde eorum corpora exhumanda sunt, si secerni possunt ab aliis cadaueribus, & comburenda, aliter eius comburitur statua, id tamen faciendum non est, nisi plenè probato delicto, sicut probaretur, si viuus esset condemnandus. *Sextò*, licet morte crimina extinguantur *l. Defunctoff. de ind. publ.* excipitur tamen hæresis crimen, de communi Sanctar. *cap.* 27. *de hæresi dub.* 1. *num.* 12. quod nunquam præscribitur quoad duo, nimirũ quoad damnandum eius nomen, & quoad comburendam eius statuam, Simanch. *de Cathol. institut. tit.* 18. *n.* 14. Graff. *par.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 12. Sanch. *l.* 2. *c.* 22.
137 *num.* 42. Sousa *lib.* 2. *cap.* 50. *num.* 1. quidquid dicant nonnulli apud Dianam *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 28. §. *Sed restat.* Eorum bona subiecta sunt fisco, contra quem sit præscriptio quadraginta annorum per pos-
138 sessores bonorum hæretici damnati, *cap. fin. de præscript. in* 6. etiam respectu fisci laici, & hæc opinio magis iuridica est, quam sequuntur multi; quos pro se citat Diana circa finem dictæ Resolut.

Quæres 42. An Principes laici, vti Imperator, Reges, & alij hæretici subsint prædictis pœnis, vel saltem eisdem puniri possint, & priuari suis dominiis, & principatibus?

139 ℞. Ligantur omnes excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini, & aliis spiritualibus pœnis, illa enim Bulla est amplissima, & rigorosissima nullum genus personarum excipiens, hoc ipso, quod subiicit Reges, & Imperatores, neque enim verus est Imperator, qui fidem Catholicam, ad quam tuendam iuramento se constringit, non defendit. Confiscationi dominij, imperij, & bonorum ipso iure non subditur; quamquam id censeant nonnulli probabiliter, ob eminentiam suæ dignitatis, nihilominus à Papa omnibus priuari potest Imperator, & Reges, Sicut deponi possunt pro aliis delictis, iuxta probata *cap.* 5. *n.* 225. Cæteri inferiores Principes indistinctè subdi pœnis colligitur *ex c. Ad abolendum*, §. *Statuimus, & c. Excommunicamus*, §. *Moneantur, de hæret.* Cum his tamen cautè agendum, & cum magna circumspectatione, maximè potentibus, quia vis quandoque excæcat delinquentes, qui præ aliis innocentiores esse contendunt, & putant magnum inferre crimen gloriæ suæ, si suos fateantur errores.

Quæres 43. An simpliciter suspecti de hæresi sint excommunicati, irregulares, infames, priuati omnibus officiis, & gradibus, atque inhabiles ad quæcumque officia? Sermo est de suspectis, non ex fautoria, de quibus superius dictum fuit, sed ex aliis delictis blasphemiæ, solicitationis, poligamiæ, &c. de quibus initio.

140 ℞. Suspectus de hæresi simpliciter, & pœnitentiatus in Sancto officio non religiosus, nullas incurrit de iure pœnas, præter infamiam facti, & iuris, ratio est, quia contra huiusmodi in iuribus nulla pœna reperitur, vt probatum fuit *sub num.* 62. 84. & 92. Vide Thesaur. de Pœnis 11. Hæreticis suspecti cap. 4. Confirmatur id ex Decreto S. Congr. contra Religiosos allato infra *cap.* 27. *quæst.* 14. vbi pœnitentiati regulares in S. Officio censentur inhabiles ad omnes suæ religionis gradus, & officia, nulla autem fit mentio de habitis gradibus, & officiis, ergò eorum priuationem de iure non incurrunt, quamquam alioquin priuandi sint, quia indecens est infamem remanere in officio. Quare Rector Ecclesiæ, superior monasterij, Definitor, & huiusmodi officiales honoris remouendi sunt. Item Doctores, & alij collegiati excludendi sunt à collegio; indigni enim sunt ciuili, & collegiali conuersatione aliorum.

Quæres 44. An huiusmodi in S. Officio pœnitentiati possint Sacerdotes, & alij in ordinibus constituti ministrare, & promoueri ad ordines.

℞. Nequaquam, quia sunt irregulares ex infamia facti, & iuris ex superius adductis. Verum quidem est, quod dispensari possunt si sunt religiosi, à 141
suis superioribus maioribus in suspectis, & suscipiendis, absolutis pœnitentiis, vel post aliquale tempus, si vitæ eorum emendatio id suadeat &, necessitas ministrandi in Ecclesia. Immo peracta pœnitentia videtur sublata infamia facti ex dictis *sub num.* 68.

Quæres 45. An vt descendentes ab hæreticis, & eorum fautores, incurrant pœnas eorumdem hæreticorum, necesse sit, quod fuerint condemnati de hæresi, an verò sufficiat, quod Inquisiti fuerint.

℞. Quoad pœnam excommunicationis respectu 142
Fautorum, nam descendentes præcise non sunt excommunicati, sufficit, quod eis noti sint hæretici, quibus fauent in causa hæresis, iuxta dicta quæst. 3. Quoad alias pœnas, necesse est condemnatio, ante quam descendentes, & fautores, non incurrunt pœnas. Ratio est, quia ad eas pœnas incurrandas debet constare in foro externo de hæresi personæ inquisitæ; sola enim inquisitio non probat delictum, Roman. Consil. 110. num. 2. Signoril. Consil. 239. num. 6. 143
id autem constat per sententiam iudicis, ergo ea posita, & non ante incurruntur pœnæ, id videtur dedeci ex cap. Statutum 15. ibi: *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur* de hæret in 6. Nullus autem probatur talis esse, vel decessisse nisi per sententiam, notorietas enim conuictionis, seu confessionis tunc sortitur secum effectum manifestationis in ordine ad pœnas, cum per sententiam reus declaratur incurrisse delictum; confirmatur, quia sicut hæreticus per sententiam perdit possessionem suorum bonorum & non ante, ita fautores incurrunt pœnas post sententiam, & non ante, ne in pœnis sint deterioris conditionis hæreticis ipsis. Quare Rota tom. 2. Rubei decis. 307. num. 4. ait, filios Inquisitorum parentum de hæresi non esse inhabiles ad beneficia, sed tantum filij conuictorum, & pertinacium, intellige secuta sententia, per quam constant actus præcedentes. Contraria tenet Sanch. lib. 2. cap. 27. num. 28. cum Sacro, & Azor. motus illo textu, quo videtur ostendere per illud verbum *probantur*, quod est iuris, sufficere, quod hæreticus sit manifestus facto, vel confessione, vel conuictione, aut per sententiam, sed res ita non se habet, ne sequatur absurdum, quod prius puniatur minus principale in eadem causa; vnde licet illud verbum, *Probantur*, sit iuris, est tamen in facto exercendum officio iudicis sententiantis, vt hæreticus dicatur manifestus in ordine ad pœnas prædictorum.

Quæres 46. Quinam sint illi filij hæreticorum, seu 144
fautorum istorum, qui subiacent pœnis hæreticorum.

℞. Sunt filij tantum, & eorum nepotes ex paterna linea, filij vero tantum ex materna siue legitimi, siue illegitimi, siue nati sint ante hæresim, siue post, licet non sint infecti.

Primum, quod tantum filij, & nepotes ex paterna linea, & filij solum ex materna, determinatur cap. statutum 15 eod. in 6. *Primum, & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus, per maternam vero ad primum duntaxat volumus hoc extendi.* Filij ergo, & Nepotes hæreticorum, & etiam fautorum, excluduntur à beneficiis, & publicis officiis ex hoc capite, & ex cap. Quicumque 2. §. Hæretici eod. in 6. *Ipsorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu*
145 *officium publicum admittatur.* Adest decretum irritans. Numquid filia, & neptis monialis exclusa sit ab officio Abbatissæ, aut alio honore publico? Vtique, quia licet in cap. 2. cuius verba nunc retulimus exprimatur masculinum, *ipsorumque filij*, nulla facta expressione filiarum nihilominus in his casibus masculinum concipit fœmininum, ex allegatis per Barbosam in cit. cap. 15. num. 13.

Secundum de quibuscumque filiis constat, quin textus allati loquuntur indistincte, ne plus habeat luxuria, quam castitas *ex Gloss. 11. Volumus cit. cap. 15. vbi Barbosa n. 14. plures citat. Vide in specie Ricciull. lib. 5. cap. 30. vbi fuse, & bene rem hanc conterit.*

Tertium de quouis tempore natis probatur, quia attenditur odium patronum, quod etiam punitur in filios, & filij semper sunt filij patris siue concepti ante hæresim, siue post, qualitas ergo hæresis spectatur præcise in patre, in quo punitur cum extensione ad filios, qui hoc infortunium incurrunt simul cum patre. Ita *Farinac. quæst. 191. num. 57. Ricciull. lib. 5. de iure person. cap. 30. num. 27. Barbosa ad cit. cap. 15. n. 3. contra Castro-Palao part. 1. tract. 4. disp. 7. p. 2. num. 15.*

Quæres 43. An hæresis reconciliatorum, & incorporatorum Ecclesiæ noceat filiis, & nepotibus.

146 ℞. Non nocet, vnde non priuantur beneficiis, nec officiis, & ad alia nobiles sunt, vt expresse colligitur ex cap. statutum 15. eod. in 6. *Non autem aliorum quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ vnitati.* Hoc est, filij emendatorum non excuduntur à beneficiis, & officiis, licet sint defuncti ante pœnitentiam. Ita *Sanch. lib. 2. cap. 27. num. 26. Barbosa plures ad hoc cap. num.* 8. siue sponte, siue coacte venerint, *Caputaq. decis. 69. num. 6. par. 2. Rubens tom. 2. decis. 507. num. 2. & tom. 3. decis. 74. num. 3.*

147 Dicta non procedunt in confiscatione bonorum, quia cap. Vergentis 10. de hæreticis, non disponit simpliciter, *vt cap. 15. eod. in 6.* vt dictum fuit, sed solum quod iudices possunt misereri hæretico, & in consequentiam eius filiis. Hæreticus ergo conuersatus pœnas non euadit, ex allegatis à Barbosa hic num. 24. & 25.

CAPVT XIII.

De Negantibus vnitatem, Trinitatem, Incarnationem Dei, & Virginitatem B. Mariæ.

SVMMARIVM.

1 *Refertur Bulla Pontificia.*
2 *Quinque articuli principales.*
3 *Alij sub illis contenti.*
4 *Negantes articulos accessorios non subduntur pœnis.*
5 *Subditur asserens B. M. cognitam fuisse à Ioseph.*
6 *Virginitatis miraculum cognoscitur ex partu.*
7 *Asserens B. M. habuisse alium maritum hæreticus est.*
8 *Ignorantia horum articulorum, vel Bullæ non excusat.*
9 *Cardinales, Imperator, & Reges non subduntur huic Bullæ.*
10 *Bulla vbique obligat, licet impediatur eius publicatio.*
11 *In graue præiudicium fidei.*
12 *Priuilegia huius generis Papa non concedit.*
13 *Subuersus, & relapsus idem.*

PAulus Papa IV. edidit Bullam incip. *Cum quorumdam* 4. in substantia inclusam in alia Clem. VIII. incip. *Dominici gregis* 97. illius innouatiua, & extensa apud Quaranta *ver. Hæretici*, Bariolam in calce Flores Director. Inquisit. Dianam ad finem *part.* 4. cum aliis Bullis spectantibus ad Tribunal S. Inquisitionis; de ea agentes refert Doctores Farinac. *q.* 193. *n.* 39. Referam ex parte prout facit ad præsens negotium.

Dominici gregis diuina prouidentia, &c. Qui nimirum asseruissent, dogmatizassent, vel credidissent, 1
Deum Omnipotentem non esse Trinum in Personis, & incomposita omnino, indiuisaque vnitate substantiæ, & vnum vnamet simplici diuinitatis essentia: Aut Dominum nostrum Iesum Christum non esse verum Deum eiusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto: Aut eumdem secundum carnem non esse conceptum in vtero beatissimæ, semperque Virginis Mariæ de Spiritu Sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph: Aut eumdem Dominum, & Deum nostrum Iesum Christum non subiisse acerbissimam Crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret: Aut eamdem Beatam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem; nec præstitisse semper in Virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu perpetuo post partum. Et infra §. 2. *habetur. Pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi; & vt relapsis Curiæ seculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possent, in omnibus, & per omnia perinde, ac si verè & realiter relapsi essent, & eos relapsos esse constaret.* Et infra Clemens post illius approbationem ex motu proprio, certa Scientia, & ex plenitudine potestatis subiungit sequentia verba. *Supradictos omnes, & singulos, qui hactenus in similes errores, aut eorum aliquem lapsi sunt, aut in posterum prolabentur, attenta dictorum errorum grauitate, & enormitate, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis existant, nulla illis etiam ignorantia supradictæ constitutionis excusatione suffragante, pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & tanquam relapsos curiæ seculari tradi, & per eandem curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri posse, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus.*

Pro intelligentia huius Bullæ nonnullæ quæstiones de more proponendæ, & resoluendæ sunt.

Quæres Igitur primo quinam, & quot sunt illi articuli, quos negantes tradendi sunt curiæ seculari?

℞. Doctores supracitati initio enumerant quinque. Primus, est de Trinitate personarum in diuinis. Secundus, de Diuinitate Iesu Christi. Tertius, de eiusdem Conceptione de Spiritu Sancto. Quartus, de eius morte pro nostra redemptione. Quintus de Maternitate, & perpetua Virginitate Beatæ Mariæ. Negantes igitur hos omnes articulos, aut vnum ex illis tradendi sunt curiæ seculari. 2

Quæres 2. An negantes solum principales articu-

los tradendi sint curiæ? An etiam negantes alios sub il-
lis contentos accessoriæ? Pro cuius difficultatis resolu-
tione.

3 Notandum est in supradicta Bulla non solum enu-
merari illos quinque principales articulos iam expres-
sos, sed etiam alios, qui prædictis, cum quibus habent
connexionem, accedunt. Nam sub primo de Vnitate,
& Trinitate exprimuntur sequentes. Deus est in-
compositus. Deus est substantia vna, & indiuisa.
Deus est substantia simplex, isti igitur articuli com-
prehenduntur sub primo principali, quod scilicet:
Deus est vnus, & trinus. Sub secundo de Diuinitate
Iesu Christi, qui est verus Deus, continetur quod est
eiusdem substantiæ cum Patre & Spiritu Sancto. Sub
tertio de Conceptione Iesu Christi in Vtero Virginis
de Spiritu Sancto, continetur, quod non est ex semine
Iosepho conceptus. Sub quarto de morte Christi con-
tinetur, quod fuit mors Crucis, quod mortuus est, vt
nos redimeret à peccatis, & à morte æterna, atque vt
nos reconciliaret Patri ad vitam æternã. Reliqui duo
de Maternitate, & perpetuitate Virginitatis ambo sunt
principales articuli, cum illis nihil addatur. Quæstio
igitur est, an negans vnum ex illis articulis accesso-
rium subiiciatur pœnis huius bullæ? vt, si neget sim-
plicitatem in Deo? si affirmet Iesum conceptum fuisse
4 ex semine Ioseph?

℞. Negans vnum ex illis articulis accessorium
non subiacet pœnis huius Bullæ, ratio est, quia per
hoc non negat Vnitatem, Trinitatem, Incarnationem,
Maternitatem, aut Virginitatem, qui articuli principa-
liter intenduntur à legislatore, vt illibati, & intacti
remaneant, & ab omnibus credantur, propositis pœnis
in dicta Bulla contra illos negantes. Confirmatur, quia
pœna locum non habet, vbi non est violatio principa-
lis, Glos. *fin. c. Significantibus, de off. deleg.* per iura illi
allegata.

Quæres 3. An credens B. M. fuisse quidem Vir-
ginem ante partum, & in partu, sed post non, asseren-
do cognitam fuisse à Ioseph viro suo subiiciatur his
5 pœnis.

℞. Affirmatiuè, quia articulus iste principaliter
consistit in perpetuitate Virginitatis maximè ex par-
tu, & post partum, non enim mirabile est puellam
esse Virginem ante matrimonium, nam omnes præsu-
muntur tales, cum opus sit naturæ producere homi-
nem Virginem; neque post contractum matrimonium
6 non consummatum, quia adhuc manet carnis integri-
tas, sed miraculum in eo consistit, quod puella vir-
go manens concipiat, & parturiat, intacto manente
claustro virginali, hoc fuit singulare priuilegium B.
M. quæ etiam in partu, & post partum perpetuò
virgo mansit, de fide tenendum. Vide Suar. *tom.*
2. de Incarnat. disp. 5. vbi late de Virginitate Beatæ
Mariæ.

Quæres 4. An asserens Beatam Mariam præter Io-
seph habuisse alium maritum, cum quo tamen perpe-
tuò seruauit virginitatem, sicut cum Ioseph, subiiciatur
7 pœnis huius Bullæ.

℞. Negatiuè, quia per hoc non negat Virgini-
tatem perpetuam Beatæ Mariæ, ex suppositione, quod
neutrum virum cognouit. Est verò hæreticus, quia
nullum Sponsum? nullum virum habuit Beata
Virgo præter Ioseph, Mathæi *cap.* 1. *numer.* 18.
19. *&* 20. Lucæ *cap.* 1. *num.* 27. Vide D. Thomam
par. 3 *quæst.* 29. *art.* 2. ex quo iste grauissimè, & sine
remissione venit puniendus, quia malitiosè, & artifi-
ciosè nimis detrahit integritati intactæ semper Vir-
ginis.

Quæres 5. An ignorantia horum articulorum
fidei, & huius Bullæ excuset negantem huiusmodi ar-
ticulos?

8 ℞. Ignorantia illorum articulorum, aut huius
Bullæ, seu pœnarum in ea contentarum neminem
excusat. De ignorantia Bullæ, & Pœnarum eius, ex-
pressè dicitur in eadem Bulla, ibi: ***Nulla illis etiam***
ignorantia supradictæ constitutionis excusatione suffra-
gante. De ignorantia prædictorum articulorum con-
stat, quia illi articuli sunt ex primis, qui ab omnibus
sciri debent, cum solemnizentur publicè in omnibus
Ecclesiis, & sint principia nostræ salutis, de quorum
necessaria cognitione egi *cap.* 8. *quæst.* 46. *&* 47. ita
quod prædictorum ignorantia sit improbabilis, &
culpabilis. Quare allegantes ignorantiam siuè arti-
culorum, siue Bullæ, aut pœnarum in ea contenta-
rum, merito audiendi non sunt, sed puniendi, quia
illorum ignorantia vitiosa est, & digna seuera corre-
ctione.

Quæres 6. An huic Bullæ subiiciantur Cardinales,
Imperatores, & Reges, qui in omnibus censentur ex-
cepti nisi exprimantur. 9

℞. Videntur excepti, quia non comprehenduntur
sub illis clausulis. *Cuiuscumque dignitatis, gradus, ordi-*
nis, vel conditionis existant. Non sufficientibus afficere
tam eminentes personas. Quamquam alioquin, si isti
inciderent in tam graue scelus seuerius aliis castigandi
essent, eo enim grauius aliis peccarent, quo eorum gra-
dus sublimior, & excellentior est.

Quæres 7. An habeat hæc Bulla suum effectum in illis
locis, vbi eius publicatio impeditur. 10

℞. Affirmatiuè, quia facta de more publicatione
Romæ afficit omnes per totum orbem, ac si singulis
intimata fuisset, vt dicitur in Bulla iuxta sequentia ver-
ba. F*actaque publicatione huiusmodi, omnes, qui in Vrbe*
post mensem, qui verò extra eam, & citra montes, post
quatuor menses, & qui demum vltra montes fuerint, post
decem menses à die publicationis huiusmodi, computan-
dos, perinde afficere, & arctare, ac si eorum cuilibet per-
sonaliter intimatæ fuissent. Fuerunt autem datæ die 3.
& publicatæ die 14. Februarij 1603. & ideo præfixum
tempus respectu omnium nunc hoc anno 1645. iam-
diu præteriit. 11

Quare in quibusdã Monarchiis, & Rebuspublicis,
quæ plus aliis sapere volunt, reus pœnarum huius Bul-
læ non potest allegare illius non receptionem ex omis-
sa publicatione eius, quia Papa se declarat, post præfi-
xum tempus, ita omnes afficere, & arctare, ac si singu-
lis ipsamet Bulla fuisset publicata, & intimata. Neque 12
allegatio priuilegij Pontificij, vt nullæ Bullæ, aut aliæ
ordinationes publicentur, Republica resistente quid-
quid prodest, quia nullus Pontifex concedit, neque
concedere potest priuilegium, quo sanctæ fidei præiu-
dicetur, & hæresibus foueatur, vt accideret, si priuile-
gium extenderetur ad Bullas spectantes ad Sanctum
Inquisitionis Officium.

Quæres 8. Quis dicatur hæreticus subuersus, & re-
lapsus, & de quo fit mentio in hac Bulla? 13

℞. Pro eodem accipiuntur hæreticus subuersus, &
relapsus, & satis de relapsis dixi *c.* 9. *Sect.* 5. *q.* 28. Qui
autem semel negauit vnum ex dictis articulis, quamuis
propriè non sit dicendus relapsus, quia non bis, sed se-
mel lapsus fuit, si inspiciamus vim vocabuli, nihilomi-
nus legislator statuit, hunc connumerari, & haberi in-
ter relapsos in ordine ad subeundum pœnam rela-
psorum, quæ est, vt curiæ seculari tradatur ad vltimum
supplicium, & hoc faciendum est irremissibiliter, &
sine audientia, vt colligitur *c. Ad abolendum* 9. *d. heret.*
Immanitas autem, & atrocitas delicti exigit, vt hu-
iusmodi peruersi homines fidem catholicam subuer-
tentes irreuocabiliter vltimo plectantur supplicio, vt
alij perterriti sanctam fidem totis viribus, & corde
prosequantur.

CAPVT.

CAPVT XIV.

De Libris Prohibitis.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia ius habet prohibendi libros prauos.*
2 *Papa prohibet libros.*
3 *Inquisitor in suo territorio, 17. 19.*
4 *Laicus princeps primo non prohibet.*
5 *Comburendi sunt libri prohibiti, 40.*
6 *Negantes potestatem prohibendi illos sunt haeretici.*
7 *Comburendi non sunt ante prohibitionem.*
8 *Combustio enim est executio sententiae. 9.*
9 *Combustio priuata non admittitur.*
10 *Est peccaminosa.*
11 *Sine excommunicatione iuris.*
12 *Cum ea tamen Edictorum Inquisitorum.*
13 *Libri prohibiti, & suspecti quomodo differunt.*
14 *Corrigere libros iam interdictos spectat ad superiores.*
15 *Priuatus suum opus iam damnatum non corrigit.*
16 *Nomen auctoris à solo tribunali supremo damnatur.*
17 *Inquisitoris munus est prohibere libros, 3. 19.*
18 *Prohibitio modo exercetur per supremum tribunal.*
19 *Prohibitio Inquisitoris afficit subditos tantum.*
20 *Regulares non prohibent libros.*
21 *Testamentum de libris prohibitis nullum est.*
22 *Inquisitori arbitrarium est tradere fidem de receptis libris.*
23 *Licentia legendi illos raro esset concedenda, & nisi doctis.*
24 *Licentia haec spectat solum ad supremum tribunal.*
25 *Bulla Vrbani VIII. reuocantis omnes licentias.*
26 *Episcoporum.*
27 Quomodolibet *includit quamuis modo.*
28 *Claus.* Speciali nota, & mentione dignis. 38.
29 *Ex officio non habet Episcopus legere prohibita.*
30 *Gregorij Bulla non reuocabat licentias Episcoporum, & Inquisitorum.*
31 *Inquisitorum licentiae generales reuocatae.*
32 *Modò requiritur specialis, aliàs non licentiant.*
33 *Bulla Coenae reuocat licentias legendi libros haereticorum.*
34 *Regularibus sublata priuilegia legendi.*
35 *Licentia, & priuilegium idem sunt.*
36 Omnes, & si singuli *etiam priuilegiata includit.*
37 Quibuscumque personis *eadem includit.*
38 Speciali nota, & mentione dignis. *etiam Reges. 28.*
39 Pro expressis, & insertis habentes.
40 *Comburendi libri tantum prohibiti.*
41 *Nullus casus necessitatis videtur dari.*
42 Debeat *importat necessitatem.*
43 *Licentia quis vtitur extra locum concedentis.*
44 *Priuilegium personale sequitur personam.*
45 *Priuilegium tantum valet quantum sonat.*
46 *Prohibentur libri ex tribus causis.*
47 *Inquisitor punit legentes libros prohibitos.*
48 *Suspectus qualiter sit legens, aut retinens.*
49 *Torquendus ne sit;*
50 *Abiurat legens libros prohibitos.*
51 *Quibus poenis afficiendi?*
52 *Religiosus non est semper iudicandus de vehementi suspectus.*
53 *Denuntiandus legens, & retinens.*
54 *Legens illos peccat mortaliter.*
55 *Excommunicatio Bullae Coenae contra legentes, &c.*
56 *Excommunicatio indicis, & Bullae Pij IV.*
57 *Excommunicatio Bullae tria requirit.*
58 Idem *repetit qualitates praecedentium.*
59 *Author libri non est necesse quod sit damnatus.*
60 *Liber impressus, neque.*
61 *Scriptus legi potest.*
62 *Folium venit nomine libri licet non sit de libro.*
63 *Folium item separatum à libro.*
64 *Pars qualibet libri, licet in ea non sit haeresis.*
65 *Liber nondum damnatus.*
66 *Libri haereticorum non continentes haeresim legi possunt.*
67 *Scholia illorum parua ad Catholicum legi possunt.*
68 *Gentilium libri leguntur.*
69 *Origenis, & Tertulliani.*
70 *Liber haeretici ex professo debet agere de haeresi.*
71 *Paruitas materiae excusat.*
72 *Retinens alienum librum incurrit.*
73 *Superior, & custos librariae incurrit.*
74 *Audiens lectionem excusatur.*
75 *Legens non intelligens excusatur.*
76 *Oculis percurrens incurrit.*
77 *Ignorantia crassa excusat.*
78 *Defendere librum haereticum quis dicatur?*

CErtissimum est in Ecclesia Dei esse potestatem 1
prohibendi, & damnandi libros cum suis auctoribus, qui tractant contra Catholicam religionem, & bonos mores, id quod antiquissimum est obseruatum etiam tempore Apostolorum *caput* 19. *Act. num.* 19. vnde & Constantinus Imperator ex Decreto Concilij Nicaeni libros Arij iam in Concilio prohibitos comburi mandauit. Sed accedamus ad quaestiones.

Quaeres 1. Ad quosnam superiores spectat prohibere libros, qui sunt contra religionem Christianam, & bonos mores?

℞. Spectat primò ad Summum Pontificem, deinde 2
ab eo dependenter ad Sacram Inquisitionem Romanam Vniuersalem, deinde ad Episcopos, & Inquisitores, demum etiam ad superiores laicos spectat eisdem prohibitis iam per Ecclesiasticam potestatem adiicere poenas contra suos subditos retinentes aut legentes libros prohibitos.

Totum id patet ex Concilio Tridentino *sess.* 18. & *sess.* 25. de indice librorum, & in ipso Indice, in quo fit mentio de potestate supradictorum Ecclesiasticorum in corrigendis, & prohibendis libris. De Episcopis, & Inquisitoribus saepius in dicto Indice, in Praefatione, §. *At verò*; Item in Regula 1. 4. 5. 6. 7. 8. & 10. vbi dicitur. *Liberum sit Episcopis, aut* 3
Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Prouinciis, vel Dioecesibus expedire iudicauerint. De Principibus Catholicis habetur, *lib. Damnato*, §. 4
Nec verò impios libros, C. de haeret. & lib. Quicumque, §. *Nulli etiam*, *C. eod. ordinatur*, vt publicè comburantur. Vide Bellarm. *lib. 3. de laicis, cap.* 20. Ricciull. *liber.* 5. *caput.* 21. & 22. Laica igitur potestas directè, & immediatè libros haereticorum, aut aliter suspectorum de haeresi condemnare non potest, quia causas haeresis tractare spectat solum ad potestatem Ecclesiasticam, & nullatenus ad laicam *ex cap. Vt Inquisitionis* 18. *de haeret. in* 6.

Quaeres 2.

Quæres 2. An libri prohibiti comburendi sunt ab Inquisitoribus?

5 ℞. Affirmatiuè, Tum quia, hæreticorum libri comparantur zizaniæ cum ipsis hæreticis ex D. August. in quæstion. Euangel. super *cap.* 13. Matthęi, sed Zizania alligatur in fasciculos, & traditur comburendum igni ex eodem *cap.* 13. ergò & hæreticorum libri. Tum quia, condemnare libros hæreticorum est illorum vsum hominibus auferre, ac proinde tamquam inutiles abolendi sunt per ignem, qui comparari possunt vitis ligno, quod ad nihil deseruit, nisi ad escam ignis, Ezechiel. *cap.* 15 *num.* 4. Ioan. *cap.* 15. *num.* 6. & eius palmiti, qui à vite separatus mittitur in ignem; sicut igitur lignum & palmes vitis, extra ipsam vitem, & ab ea separata nulli prosunt, ac proinde tamquam inutilia mercedem ignis recipiunt, ita libri hæreticorum seiuncti à veritate fidei, quæ vitis, & vita hominis est, in escam ignis tradendi sunt, cum alium vsum non habeant. Tum quia, libelli famosi lacerandi sunt, & comburendi, *l. Vn. C. de libell. famos. relata cap. fin.* 5. *q.* 1. qui tantum lædunt famam proximi, ergo à fortiori libri hæreticorum, quibus hæretici conantur destruere fidem Catholicam in conuitium, & contumeliam diuinæ maiestatis. Tum quia, ita expressè habetur in quadam Bulla Iulij III. registrata à Pegna, de qua Azor. *part.* 1. *lib.* 8 *cap.* 16. *q.* 11. Ita præcitati cum alijs, quos citat Farinac. *q.* 180. *num.* 40. Ricciull. *lib.* 5 *cap.* 21. & 22. Layman. 6 *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. *in fine* Suar. de fide *disp.* 20. *sect.* 2. vbi ait, esse hæreticos negantes hanc potestatem prohibendi, & comburendi libros per Ecclesiam. Hæc autem potestas residet primum apud sedem Apostolicam, & eius Congregationem super hæreticam prauitatem, apud Concilia tum generalia, tum prouincialia, apud Episcopos, & Inquisitores, quibus omnibus ex officio incumbit custodire, & conseruare sanctam fidem intactam, & illibatam à calumnijs hæreticorum hos corrigendo, & puniendo, illorumque errores, & 7 hæreses solidis rationibus confutando, & extirpando, atque illorum libros tradendo igni. Verum quidem est, quod libri hæreticorũ de hæresi tractantes ex professo contra Catholicam fidem ab Episcopis, & Inquisitoribus statim non sunt comburendi, sed transmittendi ad supremum tribunal, quod de illis iudicium ferat de confutatione errorum, vt hæresibus reiectis per argumenta Catholica, vt possint deinde comburi. Combustio igitur facienda est, post factum iudicium condemnationis, ea enim est quasi exequutio sententiæ condemnationis, ita quod inter vtrumque aliquod temporis spatium interueniat.

8 Quæres 3. An quis propria auctoritate possit comburere libros prohibitos? Videtur, quod sic. Tum quia, de libellis famosis ita dicitur *cap. fin.* 5. *q.* 1. ibi: *Si verò easdem cartulas vel non statim corruperit, vel igne combusserit, &c.* Tum quia *cap. Dura* 4. *de crim. falsi* §. *Adijcientes*, ibi: *Quod si quis literas falsas se habere cognoscit, intra viginti dies literas illas aut destruat, aut resignet.* Ratio est, quia æquè satisfit fini prohibitionis & abolitionis; nimirum, vt à nullo legantur, sed cedant in obliuionem, siue propria auctoritate, siue publica comburantur, in vtroque enim casu sufficienter ad nihilum rediguntur. Quibus non obstantibus.

℞. Nullus potest propria auctoritate comburere 9 libros prohibitos aliter peccat, non tamen aliquam incurrit iuris pœnam, sed tantum excommunicationem ab Inquisitoribus positam.

Primum, quod nullus priuatim comburat illos, suadetur. Tum quia, adest obligatio tradendi Inquisitoribus ex Bulla Iulij III. cit. in præcedẽti quæstione; & ex illorum edictis. Tum quia, huiusmodi combustio est actus iudicialis, & publicus, cum, superius dixi, sit executio illatæ sententiæ prohibitionis librorum, cum prohibeantur in ordine ad abolitionem & concremationem, ergo id præstandum est ex ordine superioris, non propria auctoritate. Tum quia per priuatam auctoritatem comburens impedit ius Inquisitoris inuestigandi, cuiusnam sit liber, & apud quos antea fuerit. Inquisitor enim ex officio inuigilare debet super huiusmodi libros eorum auctores, & retentores, ne foueatur hæresis, & hæretici. Tum quia, sicut hæreticus deferendus est ad sanctum tribunal, & non sufficit correctio fraterna, vt dicam suo loco; ita pari ratione, non sufficit priuata combustio quasi quædam species correctionis, sed liber deferendus est ad superiorem. Confirmatur, quia liber accessorie se habet ad auctorem hæreticum: ergo vterque deferendus est, accessorium enim sequitur naturam sui principalis. Tum quia, quandoque sequitur aliquem librum comburi ante prohibitionem. Ita docent Delrius *lib.* 5. *sect.* 17. §. *Sunt autem tales libri*, Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 56. ex illis Farinac. *quæst.* 180. *num.* 40. *fine.* Lezana *tom.* 4. *ver. libri num.* 16. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 24. Suar. de fide *disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 23. Portel. *ver. libri num.* 13. In oppositum sunt Zanchinus, Repertorium Inquisit. Filliuc. cum aliis citatis à Diana *par.* 1. *tract.* 11. *Resol.* 37.

Secundum, quod peccet, tradunt supradicti, quia 10 agitur de inobedientia in re magni momenti, ideo abstinendum ab huiusmodi combustione. Confirmatur ex edictis Inquisitorum, qui præcipiunt, consignandos esse huiusmodi libros officio Inquisitionis.

Tertium, quod non incurrat excommunicatio- 11 nem iuris, probatur, quia in eam excommunicationem incurrunt solum retinentes, aut legentes libros prohibitos, vt dicemus infra *q.* 25. sed comburens ex hoc actu non legit, neque retinet, immo ponit obstaculum lectioni, & retentioni, hoc ipso, quod librum comburit. Ita Sanch. *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 56. Portel. *ver. libri prohibiti n.* 13. Suar. de fide *disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 22. Lezana *tom.* 4. *ver. Libri n.* 24. Carena *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 58.

Quartum, quod comburens librum prohibitum 12 incurrat excommunicationem latam ab Inquisitore in suo edicto, probatur, quia in edictis Inquisitorum, quæ hodie vnius sunt formæ, imponitur obligatio quibuscumque deferendi hos libros Inquisitoribus intra præfixum tempus sub pœna excommunicationis, de qua dictum alibi in hoc opere; sed illos sponte comburens intendit non deferre illos ad sanctum officium; ergo vti inobediens hanc censuram incurrit. Confirmatur, quia ante combustionem habet obligationem consignandi libros, quos vult comburere, ergo positum huiusmodi impedimentum tradendi per combustionem non tollit præcedentem inobedientiam contractam antecedentem ad combustionem, eo quod libros non consignauit cum poterat.

Allata in contrarium non vrgent, quia in illis locis id exprimitur, vt propria voluntate illæ scripturæ possint lacerari, non sic libri hæresum, obstante in contrarium prædicta Bulla Iulij III. & edictis Inquisitorum, in quibus mandatur illorum consignatio; quod suadetur ex allatis rationibus in probatione partis primæ; præterquam quod libelli famosi sunt contra personas priuatas, aut saltem respiciunt priuatum, libri vero prohibiti semper sunt in præiudicium vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ, ideo in istis cautius procedendum est, quare eorum combustio spectat ad superiores, non ad priuatos.

Quæres 4. An, & quæ differentia sit inter libros prohibitos, & suspensos? In iure, neque in indice librorum prohibitorum, aut eius regulis, ne verbum quidem inuenio huius vocis, *Suspensio*, sed tantum vsus

est

est verborum *Prohibere*, & *Damnare*. Nihilominus apud sacram Congregationem Indicis librorum prohibitorum modo est in vsu ea differentia, vt videre est in postremo Indice Romæ, & alibi excusso.

13 ℞. Differunt in eo, quod libri, qui prohibentur, nullatenus permittuntur, sed omnino abolentur, & quod illi vel sint compositi ab hæreticis formalibus Christianæ religionis inimicis capitalibus; ac proinde eorum damnato Auctore simpliciter damnantur, & intelliguntur omnino prohibita, & damnata eorum opera, scripta, & libri, *cap.* 1. *dist.* 16. *cap. Fraternitas* 2. *de hæret.* vel quia fere ex omni parte continent errores contra fidem, & bonos mores, ita quod in eis nihil boni inueniatur, quod correctione sit dignum, ideo simpliciter, & omninò abolentur, immo & si aliquid etiam notabile continerent, damnantur ob periculum fidelium, & in detestationem auctoris hæretici, qui nulla memoria dignus est. Libri vero suspensi sunt illorum auctorum, qui formaliter non sunt hæretici, nihilominus sunt suspecti propter aliquas propositiones falsas, aut contra fidem, aut bonos mores; sed quia ex maiori parte continent sanam doctrinam, & sunt in hoc vtiles, non prohibentur, sed suspenduntur, nec permittuntur, donec corrigantur. Exemplum sit in Historia Bernardini Corij Mediol. quæ fuit suspensa die 16. Martij 1621. eo quod in ea nonnulli errores lapsi erant, sed quia valde vtilis est fidelibus ideò non fuit abolita, sed permissa ex correctione. Quandoque liber suspenditur, donec corrigatur ab Auctore, quod si non præstiterit infra præfixum tempus, suspensio transit in prohibitionem. Habes exemplum in quadam Disputatione de Cœlo Cæsaris Cremonini Genuensis in schola Patauina Philosophi primæ sedis, quæ Disputatio suspensa fuit, quousque ab Auctore corrigeretur infra annum à die 18. Ianuar. 1622. quod si non faceret, ex nunc pro tunc prohibuit, & declarauit prohibitam absque alia declaratione? & anno sequenti 1623. die 3. Iulij S. Cong. declarauit illam esse prohibitam omnino, absque vlla limitatione, & restrictione, quia Auctor ilam non expurgauerat. Ita ergo nostris temporibus procedunt Eminentissimi Patres in libris interdicendis. Quoad pœnas incurrendas puto nullum esse discrimen, cum per vtrumque modum interdicendi siue prohibitionis, siue suspensionis auferatur ius legendi, aut retinendi librum cuique illud habenti.

Quæres 6. An quilibet proprium librum tam quoad compositionem, quam quoad possessionem corrigere possit? an vero pro correctione adeundus sit Inquisitor?

14 ℞. Quamuis quilibet proprium errorem non solum possit sed etiam teneatur corrigere, & emendare, *cap. Quod quis commisit* 3. 35. *quæst.* 9. *cap.* 19. *de off. in fine*, vbi Glosa *ver. Per seipsum*, refert illam *Imperatoris sententiam. Non erubescimus corrigere, quæ prius diximus.* Et laudabilius est emendare factam, quam illud adinuenire; nihilominus proprios libros, aut alienos iam prohibitos, aut suspensos corrigere, & emendare non potest propria auctoritate, sed libros omnino deferre debet ad superiorem, & Inquisitores, quibus ex officio incumbit correctio iuxta ordinationem factam in sancto Tribunali Romano, aut quam ipsi iudicauerint, si nondum aliquid in supremo tribunali dispositum fuerit.

Quod libros corrigere spectet ad Episcopos, aut Inquisitores sæpius dicitur in Regulis Indicis, & id ratio suadet, quia ad ipsos spectat defendere Catholicam fidem, & conseruare illam inuiolatam ab omni errore, & hæretica prauitate? cum autem per libros errores contra fidem continentes maximè violetur fide Catholica, ideo Inquisitorum, & Episcoporum partes erunt per se, vel suos Theologos libros suspectos de huiusmodi erroribus expurgare, & emendare.

Priuatus vero librum à se compositum ante condemnationem corrigere debet sine dubio, quia, vt 15
supra dixi, quilibet suum errorem emendare tenetur, maxime quando tendit in perniciem reipublicæ; post vero non potest ex eo, quod omnes libros huiusmodi, quos apud se habet, consignare incontinenti debet Inquisitori, nisi eidem specialiter demandetur correctio. Quod à fortiori dicitur de aliis suspensos libros habentibus, licet formam emendationis legitimæ habeant ab amico. Probatur autem id; Tum quia, emendatio libri suspensi est actus publicus, & executio sententiæ suspensionis, ac proinde actus iudicialis, consequenter à personis publicis tantum præstandus. Tum quia, illi omnino cōsignandi sunt Inquisitori siue damnati, siue suspensi, & correctione indigentes, ex Bulla Iulij III. Et ita aliis allegatis docet Lezana *tom.* 4. *ver. Libri n.* 16.

Quæres 6. Ad quos spectet damnare Auctorem? Et eo damnato, an omnia eius opera intelligantur damnata?

℞. Ad supremum Tribunal Romanum spectat 16
damnare nomen Auctoris hæretici formalis conuicti, vel confessi, & non aliorum de hæresi suspectorum. *cap.* 2. *de summa Trinit. cap. Fraternitatis* 4. *de hæret. cap. Maiores* 2. 24. *quæst.* 1. ex quibus locis deducitur clare, aliquo Auctore vti hæretico formali condemnato, censeri etiam condemnata eius opera; non verò è contra si damnatur, & prohibetur alicuius doctoris opera, censetur condemnatus operis prohibiti Auctor; ita colligitur ex citatis iuribus. Ratio autem id suadet. Tum quia, sicut non possumus communicare personæ hæreticæ ita neque eius malignis operibus *epist.* 2. *Ioan. num.* 11. Tum quia, Auctor spectatur, & est principale, opus vero ab eo elaboratum est minus principale, & illi accessorium; sed accessorium sequitur principale, non hoc illud ex vulgatis iuribus, ergo destructo principali destruitur etiam accessorium, consequenter damnato auctore, qui est principalis, censentur damnata eius opera, quæ sunt quid minus principale, & accessorium.

Quæres 7. An sicut ex præcedenti quæstione condemnare Auctorem spectat tantum ad supremum Tribunal, quo nomine venit Papa Cōcilium Generale, & Sacra Congreg. EE. Card. super hæreticam prauitatem, aut super Regulas Indicis ita etiam condemnare, prohibere, & suspendere libros ad illud tantum pertineat, & non alios?

℞. Id munus damnandi, seu prohibendi, aut suspendendi libros extra vrbem spectat etiam ad Episcopum, seu ad Inquisitorem. Prælati regularium 17
hoc ius non habent. Illud patet ex Regula X. Indicis illis verbis. *Liberum sit Episcopis, aut Inquisitoribus Generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Prouinciis, vel Diœcesibus expedire iudicauerint.* Hoc decretum in eis supponit hanc facultatem, & loquitur tantum de Inquisitoribus Generalibus, ergo alij vti Commissarij, & Vicarij id præstare non poterunt. Si illis est liberum prohibere libros ex Regulis Indicis permissos, eisdem etiam concessum erit prohibere, & ad se reuocare illos libros qui vbicumque excussi sunt cum approbatione, si continent errores, & falsas propositiones contra fidem, & mores. Verum quidem est, quod modò solemnis, & for- 18
malis prohibitio librorum exercitur tantum à supremo

Tribu

Tribunali Sancti officij, aut Sac. Reg. Indicis, vt ex praxi constat. Vnde prohibitio Inquisitorum erit potius quædam præparatio, & dispositio in ordine ad dicta tribunalia edocta de necessitate prohibendi libros Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarios. Huiusmodi diœcesana prohibitio, & localis afficit tantum subditos Episcopi, aut Inquisitoris prohibentis; sed quoniam libri merito, & de iure prohibendi continent errores toti reipublicæ Christianæ perniciosos, ideo formalis, & solemnis prohibitio pro tota Ecclesia tandem resoluitur, & pertinet ad Romanum tribunal, per quod libri prohibiti simpliciter, & vbi-
19 que, atque respectu omnium abolentur. Ex dictis deducitur Placentinum legentem librum prohibitum per Inquisitorem Parmensem, non incurrere pœnas inflictas contra legentes libros prohibitos, quia, respectu Placentini liber non dicitur prohibitus.

20 Regularibus hæc potestas libros prohibendi concessa non reperitur, ideò non censendi sunt illam habere, cum id munus illis ex officio non incumbat, sed ipsi cum suis subditis in causis sancti officij subiecti sunt Inquisitoribus, vt dicam suo loco.

Quæres 8. An habens licentiam legendi libros prohibitos, vel aliter illos apud se habens, de illis testari possit?

21 *Resp.* Quouis modo habens libros prohibitos siuè ex licentia, siuè sine illa de illis nullatenus testari potest; neque hæres adire potest hæreditatem faciendo suos libros prohibitos, sed omnino illos consignare debet Inquisitoribus, ita quod illos transferre non potest ad locum, vbi eorum vsus permittitur. Ratio est, quia licet quisque habeat ius faciendi testamentum, nisi prohibeatur, quia edictum de testamentis est prohibitorium, ita quod quilibet admittitur ad testamenti factionem nisi prohibeatur, Panor. *in Rubr. de testam.* ac proindè cum habens libros prohibitos ex hoc non prohibeatur testari simpliciter, interdicitur tamen ex parte rei relinquendæ, quia non est dominus librorum prohibitorum, quos apud se habet etiam cum licentia, per quam illi dicitur concessus simplex vsus lectionis librorum, & hoc non absolutè, sed ad determinatum tempus triennij, ex stilo Curiæ Romanæ; prohibitio siquidem hunc habet effectum, vt dominum tam directum, quam vtile transferat apud Officium Sanctæ Inquisitionis, quæ illius incipit esse domina, & patrona, cessante in habente quouis domino, & iure vtendi, ergo de illis nullatenus disponere potest, consequenter hæres inaniter institutus nullatenus adire potest hæreditatem libros faciendo suos. Confirmatur, quia habens huiusmodi libros comparatur religioso professo, in eo, quod sicut religiosus testari, & disponere non potest de rebus, quas ex licentia superioris sui habet, *cap. Quia ingredientibus* 19. *quæst.* 3. Auth. Ingressi, *C. de Sacros. Eccles.* vbi redditur ratio, quia professus nihil proprij habet; ita neque de libris prohibitis de licentia habitis quis testari potest, eo quod nihil proprij super illos habet.

Quæres 9. An Inquisitor, cui consignati fuerunt libri prohibiti, teneatur exhibere Chirographum de libris consignatis petenti?

22 *Resp.* Id est liberum Inquisitori, quia cum librarius nullum ius super illos habeat, nullo iure cogitur Inquisitor dare Chirographum. Confirmatur, quia Inquisitor nullam rationem reddere tenetur in futurum de libris receptis, cum per prohibitionem dicantur aboliti. Nec obstat, quod librarius potest petere licentiam legendi, & retinendi illos libros, ac proindè in eo casu Inquisitor receptos libros restituere debet. Quia id tantum arguit librorum restitutionem, non obligationem Chirographi. Quod si interim ab Inquisitore fieret solemnis combustio librorum, nulla esset facienda restitutio similium librorum loco combustorum, quia erat dominus, & ius habebat illos comburendi. Benè tamen faceret ex vrbanitate tradendi fidem de libris receptis.

Quæres 10. Ad quosnam spectat concedere licentiam legendi libros prohibitos, seu suspensos? Certè huiusmodi licentia nòn videtur expedire nisi viris doctis eo fine, vt confutent errores hæreticorum, frustra ergo conceduntur sine hoc fine. Libri obscæni nullatenus essent concedendi, si enim prohibentur, ne boni mores corrumpantur, adiecta licentia vim corruptionis auferre non potest, ergò licentia in consequentiam est occasio eius mali, cuius poterat esse causa liberante prohibitionem. 23

Resp. Nunc spectat tantum ad Congregationem S. Officij, aut ad alios per Papam specialiter deputatos, Vt dicitur in duabus Bullis Gregor. XV. & Vrbani VIII. eiusdem tenoris sequentis. 24

Apostolatus Officium........ Quapropter cum librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur; & sicut accepimus; nimis excessiua sit, huiusmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, vt huic malo mature occurratur, & in posterum quam cautissimè licentiæ huiusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, prouidere volentes, motuproprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ iudiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis, laicis, & Ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus. cuiuscumque ordinis, Societatis, & instituti existentibus, ac quacumque dignitate etiam Ecclesiastica fulgentibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis; ac per literas Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocumque ex quacumque causa, tam in forma, quam aliter quomodocumque à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque alijs à nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à nobismetipsis per literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, seu Chirographum manu nostra signatum, concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione, reuocamus, cassamus, & annullamus ac pro reuocatis, cassis, & annullatis habere, nullique suffragari. Quinimmò libros per licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes pœnas in Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus. 25

Decernentes, vt præsentes literæ postquam in valuis, &c. affixæ fuerint, infra duos citra montes, vltra verò montes infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perindè ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus, & respectiuè quatuor mensibus durantibus, ij, qui libros prohibitos habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, eos denuntiare teneantur; neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione Sancti officij, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab alijs per nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedantur, &c. Datum sub die 2. Aprilis 1631.

Hæc est Bulla Vrbani VIII. quæ in aliquo discrepat ab alia fere simili Gregorij XV. in qua deest illa clausula. *Seu per constitutiones Apostolicas etiam ratione*

tione *Astrologiæ iudiciariæ*. Item hæc alia deest. *Laicis, vel Ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus cuiuscumque ordinis, Societatis, & Instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus cuiuscumque status, gradus conditionis, qualitatis, & præminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per literas Apostolicas.* In reliquis ferè conueniunt. Vide illam Gregorij apud Bariolam in Floribus Inquisit. post illius nonnulla consilia.

26 Nonnullæ difficultates emergunt ex hac Bulla explicandæ, & resoluendæ per ordinem in sequentibus quæstionibus.

Quæres 11. An per hanc Bullam Episcopis sublata fuerit licentia habendi, & legendi libros prohibitos, seu suspensos, & facultas licentiandi alios ad habendum, & legendum libros huiusmodi, si quam antea habebant? Episcopum posse legere libros prohibitos, & aliis licentiam dare videtur colligi ex Regulis Indicis, in quibus ad inuicem comparantur Episcopi, & Inquisitores. Arnaldus Albert. *de hæret. quæst.* 28. *à n.* 6. docet Episcopum habere, & legere posse huiusmodi libros, quem citat Farin. *q.* 180. *num.* 43. Quibus non obstantibus. Vide Dianam, *par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 46.

℞. Nunc Episcopi nullos libros prohibitos, aut suspensos quomodolibet, apud se retinere, vel legere, aut aliis facultatem habendi, aut legendi dare possunt, vt apertè colligitur ex recitata Bulla Vrbani,
27 ibi: *Quomodolibet prohibitos.* Loquendo de libris, verbum, *Quomodolibet*, includit quemuis modum prohibitionis, & quemlibet librum prohibitum, arg. Glos. *ver. eod. Clem.* 2. *de sent. excom.* Flamin. *de Resign. l.* 9. *q.* 25. *n.* 4. De Episcopis, ibidem. *Quibuscumque personis laicis, & Ecclesiasticis, quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica, fulgentibus etiam speciali nota, & men-*
28 *tione dignis.* Sub istis enim clausulis sufficienter subintelliguntur Episcopi, nam sub hac clausula: *Cuiuscumque dignitatis, & præminentiæ, conditionis, aut status, &c.* expressa in *cap. Quamuis de officio ordin. in* 6. comprehenduntur. Quæuis personæ, quæ aliàs minime comprehenderentur, vt super dictum *cap. docent* Archid. Ioan. Andr. Gemin. Franc. & alij, à fortiori Episcopus comprehenditur in nostra, quæ est amplior, & efficacior. Quod si quis dicat præcitatam Bullam Vrbani reuocare præcisè licentias legendi libros prohibitos; Episcopus verò non indiget licentia huiusmodi, quia ex officio illos legit ad confutandos errores, & aliis facultatem facere potest ex officio, nam licentia non est necessaria in iis, quæ aliàs de
29 se, & de iure sunt concessa Graff. *tom.* 1. *consil.* 8. *de voto num.* 6. Respondeo nullo iure probari Episcopum ex officio posse legere libros prohibitos, tenetur quidem ex officio expurgare libros nondum prohibitos, nam prohibiti sufficienter purgantur per ignem, is enim debet esse executor prohibitionis, atque etiam procurare, ne quis apud se illos retineat, aut legat; quæ præstare potest sine illorum lectione, aut retentione, cum in Bulla dicatur, vt statim comburantur. Dixi ex Bulla Vrbani felicis recordationis, quia si inspiciamus aliam Gregorij felicis pariter memoriæ, non ita hæc arctat, quia abest ea efficax clausula, ideo antea probabiliter sustineri poterat Episcopum non comprehendi
30 sub Bulla Gregorij, sicut modò comprehenditur sub Bulla Vrbani.

Quæres 12. An Inquisitores modò possint legere libros prohibitos, & alios ad legendum licentiare?

31 ℞. Qui habent specialem licentiam à Sacra Congregatione illos legendi, possunt illos legere, quia sublata illis non fuit per dictam Bullam, prout responsum Inquisitori Genuensi 13. Martij 1633. Carena *par.* 2. *tit.* 10. *num.* 15. ad verbum refert, Non tamen possunt per eam alios licentiare, nisi id exprimatur in gratia facta, quia aliud est habere licentiam legendi libros prohibitos, aliud est licentiare alios ad legendum illos, ex diuersis autem non infertur maximè in odiosis. Qui verò hanc specialem licentiam non 32
habent, se tueri non possunt antiquis licentiis, aut priuilegiis aliorum Inquisitorum, cum hæc omnino reuocata sint per præsentem Bullam, quæ est multum efficax; & id confirmatur ex probatis contra Episcopos, quibus si facultas per Bullam prædictam sublata fuit, à fortiori ipsis Inquisitoribus, cum pari passu in hoc officio Sanctæ Inquisitionis concurrant, immò potior ratio habeatur Episcoporum, qui in officio sunt antiquiores, & videntur de iure communi procedere, si ergo Episcopis facultas hæc fuit sublata, à fortiori Inquisitoribus. Deinde ex præscripto Bullæ libri Inquisitoris delati comburendi sunt per ipsos Inquisitores, ergo frustratur illorum licentia. Ita Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 46. Azor. Barbosa, quos pro se allegat Lezana *tom.* 4. *ver. libri num.* 28. asserentes non posse legere, neque licentiare alios ad legendum, hoc secundum concedit Nald. *ver. libri num.* 10. primum verò negat ex Bulla Cœnæ *numer.* 11. asserens posse legere, non obstante Bulla Cœnæ, & Vrbani in præcitato loco, alios refert Farin. *q.* 180. *num.* 43. sed omnes isti cum Farin. scripserunt ante Bullam Vrbani, & pauci illorum aduerterunt ad Bullam Cœnæ Domini. Patet igitur ex Bulla Vrbani Inquisitores modò habentes personalem licentiam licet datam ante Bullam posse legere libros prohibitos, nullatenus autem si illa careant.

Supra dicta contra Episcopos, & Inquisitores locum habent à fortiori contra Vicarios Generales, aut Commissarios eorumdem, si non habent à S. Congreg. licentiã, aut habuerint ante, legere non possunt, vt etiam de Inquisitoribus docet *Salelles lib.* 1. *Reg.* 141. *num.* 69. *& num.* 70. Ait responsum fuisse, in qualificandis propositionibus, non omnibus, sed vni tantum Consultori licitum esse legere librum, & extractas propositiones tradere aliis qualificandas,

Difficultas est non leuis super libros prohibitos in Bulla Cœnæ Domini illis verbis. *Ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, &c.* An sub hac prohibitione comprehendantur Cardinales, Episcopi, Regulares, & Inquisitores? Difficultas hæc tractari potest dupliciter, primò simpliciter in ordine ad Bullam Cœnæ, an per hanc sit derogatum omnibus licentiis iam concessis? secundò, an licentiæ, quæ de recenti conceduntur includant facultatem legendi quoscumque libros prohitos, etiam illos, qui tractant de religione, vel hæresim continent, secundum Bullam?

Primò respondetur, licentias concessas antiquitus non solum fuisse sublatas per Iulium III. Paulum IV. 33
Pium IV. ex Sanch. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 45. ex illo Carena, alios citans *tit.* 10. *p.* 2. *n.* 11. sed singulis annis auferri, & reuocari per ipsammet Bullam Cœnæ Domini, hoc ipso, quod excommunicat omnes legentes illos libros sine licentia Papæ, aut Sedis Apostolicæ, & includuntur supradicti omnes.

Secundò, puto sub licentiis, quæ à Sede Apostolica conceduntur, legendi libros prohibitos, non comprehendi illos, de quibus in Bulla, nimirum continentes hæresim vel de religione tractantes, nisi derogetur in hoc Bullæ, aut exprimantur in indiuiduo libri, ratio est, quia in nullo Papa præsumitur velle derogare dictæ Bullæ, nisi de illa expressam mentionem faciat, saltem per æquiualentiam nominationi libri. Quare cum S. Congregatio, quæ illas solet concedere, non

sit Papa, neque Sedes Apostolica, non censetur licentias à se in genere datas extendere ad libros continentes hæresim, aut de religione tractantes, præsertim cum id facere non possit, nisi Papa annuente. Faciunt quæ habet Sanch. *lib. 2. cap. 10. num. 44.* dum dicit Collegium Cardinalium non posse concedere hanc facultatem. Nec obstat quod in Bulla Vrbani dicatur: *Neque de cætero similes licentia, nisi à Congregatione S. Officij dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, &c.* quia intelligitur de libris extra Bullam, nimirum, de non continentibus hæresim, aut tractantibus de religionibus.

Quæres 13. An prælati Regularium modò possint legere libros prohibitos, & suis subditis concedere ad legendum? Olim habebant priuilegia Regulares omnes saltem per communicationem cum Iesuitis, vt videre est, apud Portellum, *ver. Libri prohibiti, sub certis limitationibus.*

34 ℞. Regularibus omnibus, etiam Iesuitis, quibus directè fuerant illa priuilegia concessa reuocata fuerunt per Bullam Vrbani, vt colligitur ex illis verbis: *Quam regularibus cuiuscumque Ordinis, Societatis, & instituti existentibus.....etiam speciali nota, & expressione dignis.* Hæc clausula non exprimitur in Bulla Gregorij XV. ergo signum est, Vrbanum voluisse omnino comprehendere Regulares, contra quos facit ea regula. Expressa nocent, non autem si taceantur. *l. Expressa 156. de reg. iur.* Nec obstat, quod nulla mentio fiat de priuilegiis, sed tantum de licentiis, quia sub
35 nomine licentiæ venit etiam priuilegium, licentia enim nihil aliud est, quam facultas faciendi aliquid, quod antea non licebat, huius virtutis est etiam priuilegium, vt per ipsum liceat agere illud habenti, quod antea non erat concessum, arg. *c. In iis 30. de priuileg.* vbi priuilegium celebrandi cum altari viatico vocatur licentia. Deindè idem Vrbanus in Bulla incip. *Cum sicut accepimus*, quæ vltimo loco citatur in Decretis in Mensa legendis, vt suo loco dicemus, declarat constitutiones editas, & edendas in concernentibus Catholicam fidem, & officium Inquisitionis sanctæ comprehendere omnes religiosos, derogando in his quibuscumque eorum priuilegiis, quæ possent obstare huiusmodi, ac proindè huic de licentiis reuocatis legendi libros prohibitos. Præterea illæ concessiones Iesuitis factæ videntur viuæ vocis oracula ex iis, quæ de illis refert Rodr. *tom. 2. q. 82. art. 3.* quæ sublata fuerunt, maximè in concernentibus res fidei, & Sancti Officij, ex hoc enim duæ Bullæ reuocantes viuæ vocis oracula referuntur in supradictis, Decretis in mensa legendis, vt dicam suo loco. Demum reuocatæ fuerunt licentiæ, & priuilegia Episcoporum, & Inquisitorum, ex supradictis, ergò à fortiori ipsis regularibus. Regularibus esse sublata priuilegia legendi libros prohibitos, per Bullam Cœnæ, & per alia indulta Inquisitorum docet Rodr. cit. *tom. 2. q. 82. art. 3. fine cum ea Compend. resolut. 92. n. 1.* Portell. *ver. libri num. 3.* in terminis Bullæ Vrbani Lezana *tom. 1. cap. 18. n. 96.* Carena *part. 1. tit. 10. num. 11. §. Ex quibus* Contra Peirinum *ad constit. 9.* Pauli V. vbi *numer. 10.* ex Bulla Greg. XV. eiusdem fere tenoris, sustinet non derogari priuilegiis regularium legẽdi libros prohibitos; quia vult in Bulla Gregorij reuocari solum licentias particularibus concessas; sed id gratis ab ipso asseritur, quia ex clausula eiusdem Gregorij: *omnes, & sin-*
36 *gulas licentias...quibuscumque personis, cuiuscumque gradus, & conditionis existentibus etiam per literas Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomocumque & ex quacumque causa, &c.* Apertè colligitur Summum Pontificem reuocasse quascumque licentias, etiam priuilegiatas, quæ aliàs non comprehenderentur, ex illis verbis: *omnes, & singulas licentias*, quæ prorsus includunt omnes licentias
absque vlla limitatione, Glos. *ver. omnia & singula* 37
cap. Vt circa, de elect. in 6. Card. Tuschus lit. C. concl. 296. numer. 19. atque respectum quarumcumque personarum etiam religiosarum siue priuatarum, siue superiorum, ex illis verbis: *Quibuscumque personis cuiuscumque gradus, &c.* quæ comprehendunt etiam personas priuilegiatas, quæ aliàs non comprehenderentur, ex Vulpello *de præposit. & aduerb. de hac dict. quicumque* Farinac. *in praxi crimin. quæst. 108. num. 6.* & alij cum Barbosa. *dict. 317.* Demum esto inspecta Gregorij Bulla adesset aliqua suspicio, tamen in totum sublata per alteram Vrbani ampliorem.

Quæres 14. An hæc facultas sublata sit Regibus, & Imperatori?

℞. Affirmatiuè, quia clausula Bullæ Vrbani est 38
nimis efficax, ibi: *Quibuscumque personis laicis, & Ecclesiasticis...cuiuscumque status, conditionis, qualitatis, & praeminentia, etiam speciali nota, & mentione dignis.* Ad quod faciunt, quæ habet Gonzalez Glos. 38. de dicta clausula, quæ includit Reges, & tamen non adiicitur vltima particula: *Speciali nota, & mentione dignis*, quæ hoc maiori energia suadet.

Quæres 15. An intelligantur reuocatæ quædam licentiæ continentes clausulam efficacissimam, vt illis non intelligatur derogatum, nisi in decreto reuocatorio fiat specialis, & indiuidua mentio de verbo ad verbum de licentiis huiusmodi?

℞. Etiam istæ sunt reuocatæ, vt colligitur ex 39
illis verbis: *Earum tenores præsentibus pro expressis & insertis habentes.* Quæ clausula habet vim specialis, & indiuiduæ expressionis cum omnibus suis qualitatibus, secundum doctores allegatos à Barbosa *claus. 102.* atque habet vim specialis derogationis ex doctoribus citatis à Menoch. *consil. 190. n. 24. l. 6. de præsumpt. 39. n. 6.* consequenter tollit derogatorias derogatoriarum, ex Greg. *decis. 109. n. 11.* ex illis Tambur. *tom. 1. disp. 18. q. 6. n. 41.*

Quæres 16. An virtute huius Bullæ comburendi sint libri suspensi simul cum prohibitis?

℞. Comburendi sunt tantum prohibiti, non su- 40
spensi, quia correctione diuulgata quandoque restituendi sunt propriis patronis; sicut & prohibiti consignati cum spe obtinendi licentiam illos legendi aliter sunt omnino comburendi ab Inquisitoribus maximè, qui continent hæresim, aut de religione tractant, ex præscripto Bullæ Cœnæ, sicut enim illos legere non possunt, ita neque retinere sine speciali licentia, legentes autem, aut retinentes incurrunt censuram Bullæ Cœnæ.

Quæres 17. An in aliquo casu necessitatis occurentis possint libros prohibitos legere, aut retinere? Affirmat Sanch *l. 2. c. 10. n. 43.* ex illo Lezana *tom. 4. ver. Libri n. 28.* Nald. *ver. eod.* ad finem, dum dicit, posse superiores illos retinere ad effectum iudicandi, an possint aliqui recipere correctionem, aliàs autem essent ignibus tradendi.

℞. Omnino sunt comburendi, ibi: *Qui illos quan-* 41
tocius comburere debeat, & quia retineri non possunt, nisi iuxta dicta præcedenti quæstione; & quia verbum, *Debeat*, importat necessitatem exequendi 42
Glos. *ver. Debeant Clem. 2. de statu monach.* per alia iura allegata. Nec video casum necessitatis, quia libri prohibiti vti aboliti per sententiam ad nihil deseruiunt, ac proinde nullam necessitatem inferre possunt. Vnde neque subsistit, quod dicit Naldus, illos nimirum retineri posse ad effectum iudicandi, an possint recipere correctionem, quia cum iam sint damnati, nullam possunt recipere correctionem, aliter supremum tribunal, cuius est libros damnare, defecisset, prohibendo libros, qui potuissent corrigi, & permitti, exequutio igitur sententiæ librorum prohibitorum ab eo tribunali est, vt omnino comburantur.

Quæres

Quæres 18. An habens licentiam legendi libros prohibitos possit illa vti extra territorium concedentis, ac proinde vbique terrarum?

43 ℞. Affirmatiuè ex Nauar. *consil.* 15. *de priuileg.* ex Naldo *ver. libri num.* 6. *Compend. resol.* 91. *num.* 2. Carena *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 51. contra Suar. & Portell. *ver. libri num.* 4. à simili de licentiato ad non ieiu-
44 nandum, vel ad studendum extra diœcesim Episcopi concedentis. Ratio est, quia est priuilegium personale, quod sequitur personam quocumque pergit *ex Reg.* 7. *in* 6. vbi Glosa prope finem, non extenditur autem vltra propriam significationem verborum Nau. *consil.* 3. *de obseru. ieiun. num.* 1. id eo si limitatur lo-
45 cus, in quo legendus sit liber prohibitus, extra legi non poterit, quia priuilegium tantum valet, quantum sonat, ex Megal. *consil.* 72. *numer.* 6. cum habeat effectum suum ex voluntate concedentis, non eius, cui fuit concessum, Lapus *in allegat. antepen. circa finem.*

Quæres 19. A quonam iudice puniendus sit legens,
46 aut retinens libros prohibitos? Pro resolutione, ex triplici fine libri prohibentur. Primò, quia continent hæresim? secundo, propter suspicionem hæresis? tertiò, propter obscœnitates, quas continent contra bonos mores. De singulis procedit quæstio.

47 ℞. In prædictis omnibus casibus spectat ad Inquisitorem, vt colligitur ex Bulla incipit. *Dominici gregis* Pij IV. registrata in Indice, illis verbis: *Si quis autem aduersus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiussuis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritue ipso iure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat.* Et licet Bulla loquatur tantum de primis duobus casibus, nihilominus extenditur iurisdictio Inquisitorum etiam ad tertium ex vsu, eo quod Inquisitores in suis edictis mandant denuntiari retinentes quoscumque libros prohibitos, etiam continentes obscœnitates contra bonos mores, vnde contrafacientes puniri possunt, vt docet Sousa *lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 46. & ita responsum fuit Inquisitori Cremonæ sub die 21. Ianuarij 1627. teste Carena *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 19. De iure tamen dictæ Bullæ ibi: *Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.* Itaque Inquisitores hoc ius acquisierunt, in quantum in suis edictis mandant denuntiari legentes, aut retinentes huiusmodi libros. Vide infra *q.* 39.

Quæres 20. An legens, vel retinens libros prohibitos sit suspectus de hæresi, & qua suspicione?

48 ℞. Legens, aut retinens libros prohibitos propter hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis est quidem de hæresi suspectus modo vehementer, modo leuiter arbitrio iudicis attentis circunstantiis personæ, librorum, & diuturnitatis lectionis, aut retentionis. Legens vero, aut habens libros prohibitos tantum propter obscœnitates, vel alia motiua, vti ob falsas citationes, vt sunt nonnulli libri continentes Responsiones Sacræ Congregationis, in his casibus non est suspectus de hæresi. Vide Dianam *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 6.

Primum, de suspicione, certum est ex citata Bulla præcedenti quæstione, ibi! *Eamque ob causam in eum, tamquam de hæresi suspectum inquiri.* Ità omnes cum Farin. *q.* 180. *n.* 33. Sanctar. de hæresi *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 5. Duard. *l.* 2. *Bullæ can.* 1. *q.* 51. *n.* 21. alios citat Carena *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 23.

Secundum, quod qualitas suspicionis relinquatur arbitrio iudicis, ex doctrina Carenæ *par.* 2. *tit.* 10. *numer.* 26. Leuis autem censetur suspicio, si inconsideratè, si semel, aut iterum legit, si reprehensus statim obediuit. In Hispania iudicatur regulariter suspectus leuiter ex Carena, Suar. *de fine disp.* 24. *sect.* 2. *numer.* 4. Vehementer suspectus censetur, qui plures legit, & multos tempore retinuit? item si datus sibi fuit ab aliquo hæretico; item si contendit non esse librum hæreticum. Immunis vero est à suspicione idiota libros prohibitos habens apud se; si nescit legere, aut non percipit linguam latinam, item hæres, qui nondum confecit inuentarium librorum, item qui habet licentiam, quæ iam expirauit, dum illius renouationem procurat, item hæres procurans licentiam illorũ; item qui eos illico combussit? Item confutans ex professo librum hæreticum apud se inuentum secundum Romanum *singul.* 326. quem cum aliis citat Carena *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 29.

Tertium, quod legentes, aut retinentes libros ob alias causas prohibitos, non sint suspecti, probatur ex eo, quia huiusmodi libri non continent hæresim, neque falsa dogmata inducentia suspicionem hæresis, ergo illos legentes, vel retinentes non sunt suspecti de hæresi.

Quæres 21. An legentes, seu reperti cum libris prohibitis torquendi sint, inquirendo ab eis super credulitate contentorum in libris, à quibus illos habuerint, & an alios docuerint errores in illis libris contentos.

℞. Homo bonæ famæ non videtur torquendus, 49
quia lectio, seu retentio libri prohibiti est leue indicium non sufficiens ad torturam? vtique vero si sit malæ famæ, vitæ, & conditionis, atque aliàs de hæresi suspectus torquendus est. Ita Farinac. aliis citatis *q.* 180 *n.* 48. Bursat. *vol.* 4. *consil.* 344. Carena *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 40. *&* 41.

Quæres 22. An confessus, vel conuictus de libris prohibitis debeat abiurare?

℞. Debet abiurare de leui, vel de vehementi iuxta
qualitatem suspicionis secundum dicta *præced. q.* 19. 50
necesse enim est, quod purget illam suspicionem per abiurationem. Carena *par.* 2. *tit.* 10. §. 8. Qui verò non est suspectus iuxta exempla allata *sub q.* 19. sicut & qui legit, vel habet libros prohibitos alio fine, quam propter hæresim, aut suspicionem falsi dogmatis, non debet abiurare, quia caret suspicione hæresis, sine quo non imponitur abiuratio. Ita ex Carena Bursatus *consil.* 344. *n.* 18.

Quæres 23. Quibus pœnis puniendi sint legentes, aut retinentes libros prohibitos?

℞. Relinquitur id arbitrio Iudicis, qui pœnam
modò maiorem, modò minorem imponere debet 51
iuxta qualitatem delicti, & suspicionis, præter salutares pœnitentias, quibus tantum affici debent suspecti leuiter. Ita ex Pegna Carena *part.* 2. *tit.* 10. *num.* 49. Qui subdit, regulares, ex retentione librorum, cum sint vehementer suspecti, puniendos esse priuatione vocis, suspensione à diuinis, à muneribus legendi, &c. Sed quia ratione Religiosus iudicandus est vehementer suspectus, cum pro se habeat conditionem bonæ
famæ? nec status religionis quamuis graue reddat pec- 52
catum, non tamen delictum suspicionis, quare contra ipsum procedendum est, sicut contra alios delinquentes in hoc genere criminis.

Quæres 24. An legens, seu retinens libros prohibitos denuntiandus sit Inquisitioni?

℞. Affirmatiuè ex edictis Inquisitorum his ver-
bis. *Che habbiano hauuto, ò che habbino libri, ò scritti,* 53
che contenghino herosie, ò libri d'Heretici, che trattino de Religione senza autorità della santa Sede Apostolica, ò che habbiano letto, ò tenuto, ò stampato, ò fatto stampare, ò li leggano, tengano, stampano, fanno stampare, ò defendano sotto qualsiuoglia preteso, ò colore, ouero libri de Negromantia, Magia, ò continenti incanta-

 tioni,

tioni, Sortilegij, & simili superstioni, maximè con abuso di cose sacre. Parmæ spatio duodecim dierum à die scientiæ, aliter qui non denuntiauerint sunt ipso iure excommunicati, & excommunicatio reseruatur Inquisitori, denuntiatione vero facta excommunicatio tolli potest à quouis confessario. Mediolani denuntiatio sub eadem pœna præcipitur fieri quamprimum certo termino non præfixo. Excluduntur ab ea obligatione scientes, quem retinere libros prohibitos, quando is procurat licentiam aut antiquæ renouationem. Sub eo edicto non comprehenduntur libri de quibus dicam *q.* 38.

Quæres 25. An legens, aut retinens libros prohibitos peccet mortaliter?

54 ℞. Id expresse asseritur in Bulla Pij IV. incip. *Dominici gregis.* registrata in principio Indicis, ibi: *Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuere se nouerit puniendum.* Quouis igitur modo illos prohibitos, siue propter hæresim, siue propter illius suspicionem, siue propter obscœnitates legerit, siue retinuerit quispiam non excusatur à mortali. Carena *part.* 2. *tit.* 10. *n.* 55. ad 60.

Quæres 26. An lata sit excommunicatio contra legentes, retinentes, aut defendentes libros prohibitos.

55 ℞. Adsunt duæ excommunicationes latæ præsertim contra legentes, & retinentes libros prohibitos iuxta dicenda.

Prima, refertur in Bulla Cœnæ Domini his verbis. *Ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes sine auctoritate nostra, & sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, & imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio vel colore.*

56 Secunda, habetur in citata Bulla Pij IV. initio Indicis, ibi: *Si quis autem aduersus eas regulas prohibitionemque fecerit, is quidem qui hæreticorum libros, vel cuiusuis authoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritque ipso iure in excōmunicationis pœnam incidat.* Huic similis, seu omnino eadem habetur in fine Regulæ X. Indicis, his verbis. *Quod si quis libros hæreticorum, vel cuiusuis auctoris scripta hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, siue habuerit statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum seuerè puniatur.*

57 Prima excommunicatio, quæ est Bullæ, ad sui incursionem requirit tres conditiones. Prima est, vt legentes, vel retinentes sciant librum esse prohibitum? & hoc patet, quia legens librum, quem ignorat esse prohibitum, non peccat, ac proinde neque incurrit excommunicationem, quæ supponit peccatum mortale. Secunda conditio est, vt liber fuerit compositus ab hæretico, vt insinuat ea particula, *Eorumdem*, refertur enim ad hæreticos. Tertia est, vt liber hæretici prohibitus tractet de hæresi, seu de religione ex professo. De his tribus conditionibus fere omnes in Bulla Cœnæ, Sair. *liber.* 3. *caput.* 5. *numer.* 12. ex illo Portellus *ver. Libri in Addit.* Layman. *liber.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. Bonac. *disp.* 1. *Bulla quæst.* 2. *p.* 4. *propos.* 2. Megal. *lib.* 3. *de cens. c.* 1, *q.* 3. *à num.* 34. addentes quartam conditionem, vt illos legant sine licentia, sed hæc est negatiua conditio, quam etiam ponit Carena *part.* 1. *tit.* 10. §. 1. Sanch. *l.* 2. *cap.* 10. *à n.* 20. Sed super ipsam nonnullæ difficultates resoluendæ sunt in sequentibus per ordinem quæstionibus.

Quæres 27. An legens librum hæretici nondum damnati incurrat censuram hanc? Negat Graff. *part.* 1. *libr.* 4. *caput.* 18. *num.* 40. Suaderi potest per illam particulam, *Eorumdem*, supplet hæreticorum de quibus supra, qui omnes cum suis sectis damnati sunt, nam dictio, *idem*, repetit qualitates præcedentium 58
ex iuribus, & doctoribus allegatis per Barbosam *dict.* 143. præterea habitus Catholicus ex professione talis præsumitur, vel ad plus tantum suspectus de hæresi habetur si in libro à se composito inueniuntur nonnullæ hæreses, quæ potius ex ignorantia prouenire censeri possunt, qaam ex scientia, & malitia.

℞. Non est quidem necessarium, vt auctor libri sit damnatus, quia condemnatio non constituit 59
hæreticum, sed iam existentem talem declarat, ac proindè ante condemnationem est verè hæreticus, de quo in Bulla, in qua non solum mentio fit de hæreticis sectariis ibidem expresè nominatis, sed de aliis quibuscumque, vt colligitur verbis illis: *Ac omnes, & singulos alios hæreticos, quoque nomine censeantur.* Quæ clausula comprehendit omnes hæreticos absque vlla limitatione, ex allatis *sub q.* 12. in fine. Consequenter particula, *eorumdem*, refertur ad hæreticos, tam damnatos, quam non damnatos, ex quo tollitur ratio dubitandi. Necesse verò est, vt legens, seu retinens librum sciat illius auctorem esse hæreticum, vt quia constat illum alioquin doctum in suis libris plures exprimere hæreses, vel quia pro tali habetur. Ita Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 24. in fine Carena *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 4. oppositum sentit Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *capit.* 14. *num.* 2.

Quæres 28. Quid veniat sub nomine librorum in vtroque censura excommunicationis?

℞. Veniunt primò libri impressi, vt omnes do- 60
cent. *Secundò*, etiam libri scripti, tam enim illi, quam isti vocantur simpliciter libri, antequam enim inueniretur mirabilis, & vtilissima ars impressionis vo- 61
lumina, & opera intellectus in vnum congesta vocabantur libri, igitur extra controuersiam est, sub dictis censuris comprehendi libros vtriusque generis; & in excommunicatione indicis id clarum est, cum exprimantur, ibi: *vel cuiuscumque auctoris scripta.* Ita omnes cum Sanch. ex Vgolino *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 28. Portell. *ver. Libri numer.* 7. Bonac. *disp.* 1. Bullæ *q.* 2. *par.* 4. *n.* 21. §. *Quartò* Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. 62
num. 1. Farin. *q.* 180. *num.* 30. *Tertiò*, nomine libri venit etiam folium continens scripturam hæretici, vti concionem, Epistolam, vel aliud dogma de religione, &c. & quia hoc habet aliquam difficultatem, cum ab aliquibus negetur? Probatur. Tum quia, legislator vsus est nomine libri ex frequentiori vsu hæresum in libris, in quibus magis conseruantur, quam in foliis; quando autem legislator mentionem facit vnius ex pluribus ratione frequentioris illius vsus, non censetur excludere alia minus frequentia arg. *l. Vn. C. de raptu virg.* Tum quia, vna lex aliam interpretatur, *l. Non dubium, ff. de legib.* & vna pars aliam declarat. *l, Qui filiabus, ff. de legat.* 1. Sed in excommunicatione indicis exprimuntur scriptum quodcumque, ibi: *Vel cuiusuis auctoris scripta*; ergò à fortiori id dicendum est de Bulla Cœnæ Domini, quæ magis rigorosa est. Tum quia, hæc non est legis extensio, sed comprehensio similium casuum, qui non excluduntur, nec diuersitas allata à Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 29. dicente, libros multos amplius extendi, atque diutius permanere, quia etiam folia facilius peruolant, & conseruantur non secus, ac alibri. Ita docet Vgolin. quem citat, & sequitur Megal. *par.* 3. *de cens. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 51. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. Multum inclino hanc pœnam esse tantum indicis. 63
Quartò nomine libri venit etiam folium ab eo separatum, quod suadent prædicta à fortiori, quia æquale periculum

periculum peruersionis potest esse etiam in folio, nisi paruitas materiæ excuset, iuxta dicenda, *q. 29.* præ-
64 terquam quod, & ipsum est pars libri; Ita omnes. *Quintò*, venit quælibet pars libri, etiam si in ea non exprimatur hæresis, siuè sit Epistola dedicatoria siuè index, aut quid aliud, dicitur enim legere librum hæretici; immò licet hæresis sit expuncta, & obliterata; Ita alijs citatis Bonac. *disput.* 1. Bulla *q.* 2. *par.* 4. *à*
65 *numero* 22. *Sextò*, venit liber etiam nondum nominatim damnatus, quia ante specialem condemnationem est liber hæretici, immò de iure prohibitus si iam auctor sit damnatus, ex dictis *q.* 6.

66 Excluduntur autem. *Primò*, libri hæreticorum non continentes hæresim, neque de religione tractantes, vt de se patet, cum Bulla excommunicet expressè legentes libros hæreticorum de hæresi, vel religione
67 tantum. *Secundò*, sub nomine libri non veniunt scholia, & annotationes, seu commentaria hæreticorum adiecta libris Catholicorum, quia huiusmodi libri denominationem desumunt à Catholico auctore, non ab hæretico commentatore, intellige modò commentarium librum hæretici non superet, vel quasi æquale sit operi auctoris Catholici. Ita Nauar. *cap.* 27. *numero* 56. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 25. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *numero* 2. Bonac.
68 *disput.* 1. Bullæ *q.* 2. *par.* 4. *numero* 21. & alij. *Tertiò*, excluduntur libri Gentilium, Infidelium, & Cathecumenorum, licet sint contra religionem, quia reuera non sunt libri hæreticorum, Bonac. cit. *numero* 21. §. *Tertiò*. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *num.*
69 3. *Quartò*, excluduntur libri Origenis, & Tertulliani, licet habeant errores contra fidem, quia ab Ecclesia ob communem vtilitatem permittuntur, immò nunc expurgati. Ita ex Azor. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *numero* 1.

Quæres 29. Quid sit continere hæresim, & tractare de religione?

70 *Resp.* Est de vtroque tractare ex professo, inserendo hæreses (dico inserendo hæreses) quia si hæreticus componit librum de religione tractans, & in opere nullus sit error, sed benè tractet, non video rationem sufficientem prohibitionis, quia in eo legendo nullum est periculum peruersionis, cum totus liber sit bonus. licet sit peruersus auctor, accipe igitur florem de spina, ea relicta, quia pungit. Ille autem liber tractat de religione, qui agit de mysterijs fidei, & moribus Catholicorum, de Theologia, tum speculatiua, tum morali de casibus conscientiæ, de expositione Sacræ Scripturæ, de lege canonica, de vitis Sanctorum, de ordinibus religiosorum, de historia Ecclesiastica, & huius generis, si in eis reperiantur hæreses prohibentur legi in hac bulla. De religione verò non dicuntur tractare libri de Philosophia, de medicina, de historijs prophanis, de lege ciuili? nihilominus si in istis inferantur plures hæreses prohibentur legi, & retineri per indicem librorum. Portell. *ver. Libri numero* 2. Igitur teneo cum Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 7. *numero* 204. & Sousa *disp.* 3. Bullæ *cap.* 2. *concl.* 1. quos pro se citat Carena *par.* 2. *tit.* 10. *numero* 7. legentem librum hæretici, qui ex professo hæresim non contineret, nec de religione tractaret, licet aliquam hæresim contineret, non ob hoc incidere in excommunicationem Bullæ; quod ante hos tenuit Graff. *par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *numero* 40. & 42. Sair. *lib.* 3. *cap.* 5. *numero* 12. putat probabilem Diana *par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 31. contra Suar. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 34. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *numero* 4. ea ratione, quia Bulla distinguit his verbis. *Hæresim continentes, vel de religione tractantes.* Diuersa enim sunt tractare, quod arguit ex professo agere, & continere, quod in vnica hæresi verificatur, ideò, & loquitur textus in singulari, præterquamquod dictio *vel* disiungit, & in disiunctis sufficit alterum verificari. Verum non est facienda vis in verbis, sed in sensu illorum attenta mente legislatoris, qui intendit destruere hæreses, & occurrere periculis incidendi in illas, ne fideles subuertantur lectione huiusmodi librorum. Ad hæc autem legislator non mouetur propter vnicam hæresim, Tum, quia ad ea, quæ raro accidunt, lex non adaptatur, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Tum quia, vnica hæresis non spectatur, quia parum pro nihilo reputatur, & prætor non curat de minimis, neque vna hirundo facit ver, consequenter neque legislator intendit prohibere lectionem ob vnicam hæresim incidentem in libro non agente de religione. Tum quia, non posset dari paruitas materiæ in lectione, & durum est quod quis legendo vnam lineam, vbi inserta est illa vnica hæresis, peccet mortaliter. Tum quia illa particula, *vel* sumitur etiam copulatiuè in iure ex allatis per Barbosam *dict.* 415. Tum quia, locutio singularis de hæresi vsitatior est, quam in plurali, Auctores enim suos libros, seu tractatus ex professo de hac materia intitulant. *De hæresi.*

Quæres 30. An paruitas materiæ tam lectionis, quam retentionis libri hæretici excuset à peccato mortali, ac proindè ab excommunicatione?

Resp. Legens vnam paginam, vt aiunt; item librum 71
retinens per vnum, vel alterum diem excusatur à peccato mortali, ac proindè ab excommunicatione.

Primum de pagina suadetur. Tum quia, in omnibus lege Ecclesiastica prohibitis modicum excusat. Tum quia, ex tam modica lectione non est inferendum tam grauia peccatum, & pœna. Ita de vna pagina docent Sà *hic numero* 2. Portell. *ver. Libri numero* 7. Duard. *lib.* 2. Bullæ can. 1. *q.* 46. Filliuc. quos citat Diana *par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 30. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 31. dicens non sufficere vnam paginam in maioribus voluminibus, quem impugnat Megal. *lib.* 3. *c.* 1. *n.* 48.

Secundum, de retentione suadetur ex dictis rationibus, & quia sicut in alijs rebus prohibitis retineri excusat parua tēporis mora, ita etiam in casu præsenti.

Ita alijs adductis docet Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 43. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 14. *n.* 7. Potest autem accidere, quod quis peccet mortaliter, habendo nimirum intentionem, & propositum diu retinendi, nihilominus si postea mutata voluntate librum consignet, aut procuret licentiam, excusatur ab excommunicatione, quia diuturnitas illa ex proposito voluntatis non habet effectum externum formalem, consequenter non potest inducere hanc pœnam.

Quæres 31. An retinens alienum librum apud se depositum incurrat; vel alter eius nomine retineat?

Resp. Affimatiuè, quia verba Bullæ sufficienter ve- 72
rificantur, cum retineat librum hæretici, neque enim Bulla requirit, vt liber sit proprius retinentis. Ita omnes cum Laymā *l.* 2. *tract.* 1. *c.* 14. *n.* 7. Portell. *n.* 12.

Quæres 32. Quis incurrit hanc censuram apud Regulares, si retineantur huiusmodi libri in suis Bibliothecis?

Resp. Superior monasterij, & custos librariæ, isti 73
enim propriè dicuntur retinere, quia habent curam librorum ex officio. Incurrit etiam ille religiosus, qui extractum de loco retinet librum in sua camera, siuè id faciat de licentia superioris, siuè non.

Quæres 33. An mandans, vel rogans, aut audiens amicum legentem incurrat?

Placet sententia Sanchez *lib.* 2. *c.* 10. *n.* 48. quia isti 74
non dicuntur propriè legere, vt requirit Bulla, quæ in pœnalibus non est extendenda de casu proprio ad improprium, quem sequitur Portell. *ver. Libri n.* 11. Bon. *disp.* 1. Bullæ *q.* 2. *par.* 4. *n.* 11. Contra Azorium Graff. & Sair. quos pro se citat Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. *n.* 5. §. *Sed contr.* Audientem præcisè, qui non induxit ad lectionē omnes excusāt. Nec pūto hos cōprehēdi sub fautoria

ria, aut defensione hæreticorum, quando auscultatio prouenit ex curiositate, & non laudatur opus hæretici.

Quæres 34. An legens librum, quem nullatenus intelligit incurrat?

75 ℞. Negat Sanch. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 51. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. §. *Sed controuersia*, ibi: *modò intelligat quæ legit.* Vgolin. Duard. Sousa, quos contra se citat Bonac. *disp.* 1. Bullæ *quæst.* 4. *par.* 4. *numer.* 13. affirmans, incurrere, quem sequitur Portell. *numer.* 12. Nald. *numer.* 10. quia dicitur legere sicut ille, qui intelligit, sed id verum non est, iuxta illud Catonis. *Legere, & non intelligere est negligere*, idest, non legere, est enim compositum ex *non*, & *legere*. Glos. *ver. Ac intelligere extr.* 2. *Ioan.* 22. *de verb. signif.* dicit, quod legere sine intelligere parum est.

Quæres 35. An oculis percurrere sit legere, ac proinde sic legens incurrat censuram?

76 ℞. Sic, quia legere non consistit in prolatione verborum, sed in eorum inspectione arg. l. *inciuile* 23. *de legib.* ibi: *Nisi tota lege inspecta*, *lib.* 1. *de his, quæ in testam.* Ita omnes cum Graff. *par.* 1. *libr.* 4. *capit.* 18. *numer.* 45. Sanch. *libr.* 2. *cap.* 10. *numer.* 41. Bonac. *disput.* 1. Bullæ *quæst.* 2. *par.* 4. *num.* 12.

Quæres 36. An, & quæuis ignorantia excuset? Dicitur enim in Bulla *Scienter* legentes? In indice verò nihil habetur.

77 ℞. Ignorantia crassa secundum omnes excusat, quia excludit scientiam hic requisitam. Ita Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *numer.* 38. Bonac. *disp.* 1. Bullæ *quæst.* 2. *par.* 4. *numer.* 8. vnde qui dubitat, excusatur legendo, quia dubitare non est scire; debet ergo scire, aut librum esse hæretici, aut continere hæresim, seu agere de religione ex dictis, cum quibus Megal. *lib.* 3. *de cens. cap.* 1. *numer.* 45. & 46. Affectata ignorantia excusat secundum Sanchez. Sed ea æquiparatur scientiæ, vnde verius non excusat.

Quæres 37. Quomodo quis dicatur defendere librum hæretici ad effectum incurrendi excommunicationem?

78 ℞. Ille dicitur defendere librum hæretici, qui aliquid dicit, vel agit in fauorem libri prout hæretici, laudando, approbando, scribendo, protegendo librum; aut impediendo ne inueniatur, comburatur, ne tradatur Inquisitoribus. Laudans stylum, aut ingenium Auctoris non defendit librum vti hæreticum. Ita omnes cum Bonac. *disput.* 1. Bullæ *quæst.* 2. *part.* 4. *numer.* 20. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 10. *numer.* 58. Sair. *lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 18. Sed numquid defendens vnicam hæresim incurrat? Vtique, quia dicitur defendere librum, licet vnicam eius probet, & laudet hæresim. Qui tamen defendit librum, in quo vnica est hæresis, non incurrit, quia liber non est de hæresi ex professo, vt suppono iuxta dicta *sub q.* 28.

Quæres 38. Quomodo intelligenda sit excommunicatio lata à Pio IV. & contenta in indice contra legentes *Hæreticorum libros, vel cuiusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita, habueritvè?*

℞. Ille incurrit hanc excommunicationem non reseruatam, qui legit, vel habet librum, in quo non tractatur ex professo de religione, & hæresi, in eo tamen continentur aliquæ hæreses, quod si in eo nulla hæresis apparet claré, tamen suspectus est de hæresi, etiam in hoc casu legi non potest, modo sit prohibitus. Duo igitur requiruntur, vnum quod opus, seu scriptura aliquam contineat hæresim, & de illis non tractet ex professo, quia tunc esset casus Bullæ, aut suspectum sit de hæresi; alterum quod sit prohibitum. Ex quibus patet differentia inter hanc excommunicationem, & illam Bullæ Cœnæ. Hæresis autem, & falsi dogmatis nomina pro eodem accipiuntur, nam dogma consistit in doctrina Christianæ fidei, Glos. *in dist.* 3. *ex cap. Qui Episcopi* 2. *dist.* 23. Glos. seu potius, *cap. Satis* 7. *dist.* 96. ergo falsum dogma contrarium Catholicæ fidei idem erit, quod hæresis, & deducitur ex *cap. Inter hæresim* 26. 24. *q.* 1. vbi hæresis falsum, & peruersum dogma vocatur. Vide Bonac. *disp.* 1. Bullæ *q.* 2. *par.* 4. explicantem hanc indicis excommunicationem. Quæ superius dicta sunt circa explicationem Excommunicationis Bullæ proportionaliter applicari possunt huic indicis.

Quæres 39. An legens alios libros prohibitos, seu suspensos alia ex causa quam hæresis, aut eiusdem suspicionis, incurrat excommunicationem, vel aliam pœnam, Exempli gratia, an sis excommunicatus legens librum prohibitum propter obscœnitates, vt Ioannis Baptistæ Marini *lib. Adone.* eiusdem *Gli amori notturni* 4. Februarij 1627. Item propter aliquas citationes falsas adductas nomine Sacræ Congregationis, vel propter alios fines, vt Augustini Barbosæ Remissiones super Tridentinum, & eiusdem Bullarium. Item ad euitandas discordias inter aliquos de iurisdictione, sic prohibentur aliqui libri cum nouis iuribus adinuentis, ex quibus compacta pax facile dissolueretur &c.

℞. In his casibus nulla est imposita censura contra legentes huiusmodi libros, aut scripta prohibita, vt colligitur ex verbis subsequentibus in dicto indice, ibi: *Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum quo afficitur iudicio Episcorum seuerè puniatur.* In edictis autem Inquisitorum non comprehenduntur huiusmodi libri, quia, vt paret ex verbis relatis *sub q.* 23. comprehenduntur libri tractantes de hæresi, aut de illa suspecti, & non alij.

CAPVT XV.

De impressione Librorum.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Lateranensis Concilij.*
2 *Decretum Tridentini Concilij.*
3 *Prohibitio incœpit à Decreto Lateranensi.*
4 De cœtero *importat legem nouam.*
5 *Innouatur Lateranen. per Tridentinum.*
6 *Tridentini, & Lateranen. differentia.*
7 *Excommunicatio contra impressores non est reseruata.*
8 *Quosnam illa afficiat?*
9 *Liber quando dicatur agere de rebus sacris.*
10 *Hos libros communicantes incurrunt pœnas.*
11 *Regulares facientes imprimi sine licentia regulari non sunt excommunicati.*
12 *Nomen Auctoris exprimendum in libris.*
13 *Reuisor librorum Theologus debet esse.*
14 *Libri de vitis nondum sanctorum quomodo imprimendi.*
15 *Decretum de hominibus decedentibus cum fama sanctitatis.*

16 *Continet*

16 *Continet sex partes.*
17 *Imagines horum hominum quomodo pingi possunt.*
18 *Imagines illorum exponi possunt sine signis sanctitatis.*
19 *Venerari possunt priuatim, & occultè.*
20 *Vota illis quomodo offerenda. Decretum super hoc refertur.*
21 *Attestationes miraculorum probantur coram Episcopo.*
22 *Communis consensus etiam vnius Ecclesiæ Episcopalis sufficit.*
23 *Tempus immemorabile.*
24 *Quomodo imprimantur libri de sanctis antiquis?*
25 *Non sunt transmittendi Libri Romam.*
26 *Imagines Sanctorum quomodo depingendæ.*
27 *Bulla super Imaginibus.*
28 *Imagines prophanæ non exponuntur in Ecclesiis.*
29 *Libri de Auxiliis quomodo imprimantur.*
30 *Bulla super hoc refertur.*
31 *Libri imprimendi ex statu Ecclesiastico alio non deferuntur.*
32 *Decretum super refertur.*
33 *Responsa Sacræ Congregationis non imprimuntur nisi cum eius licentia.*
34 *Decretum super hoc refertur.*
35 *Fides illis non adhibenda, nisi autentica appareant.*
36 *Imprimentes sine licentiis non sunt suspecti de hæresi.*
37 *Imprimi possunt libri per modum Historiæ prophanæ hominum, &c.*

De Librorum impressione nonnulla *Resolut.* 56. *numer.* 98. quod liber imprimendus iam approbatus per censores debet stare apud impressorem? de pœnis in hac materia dixi *Resolut.* 58. *à numer.* 17. *ad* 28. De officio Reuisorum, seu censorum librorum *Resolut.* 77. *numer.* 38. Quæ locis citatis dicta limito iuxta dicenda in sequentibus quæstionibus.

Quæres 1. An libri, & alia scripta prohibeantur imprimi sine examinatione, & approbatione superiorum.

℞. Affirmatiuè ex duobus Conciliis Lateranensi vltimo, & Tridentino? nam in priori *sub sess.* 10. ita scribitur.

1 *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus quod de cætero nullus librum aliquem, siuè aliam quamcumque scripturam, tam in Vrbe nostra, quam in aliis ciuitatibus, & diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat nisi prius in Vrbe per Vicarium nostrum, & Sacri Palatij Magistrum, in aliis verò diœcesibus per Episcopum, vel alium ab Episcopo ad id deputandum, & Inquisitionem hæreticæ prauitatis illius diœcesis, in quibus librorum impressio eiusmodi fieret diligenter examinetur, & per horum manu propria subscriptionem gratis, & sine dilatione imponendam approbetur. Qui autem secus præsumpserit, vltra librorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac centum ducatorum fabricæ S. Petri de Vrbe solutionem, ac anni continui exercitij impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat.*

2 Hoc Decretum in Concilio Tridentino innouatum fuit, & ampliatum, vt legitur *sub sessione* 4. sequentibus verbis.

Sed, & impressoribus modum in hac parte, vt par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, ipsos Sacræ Scripturæ libros, & super illis Annotationes, & expositiones quorumlibet indifferenter, sæpe tacito, sæpe etiã ementito prælo, & quod grauius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos huiusmodi libros temere venales habent, decernit, & statuit, vt posthac Sacra Scriptura, potissimum verò hac ipsa Vetus, Vulgata Editio quam emendatissimè imprimatur. Nulli que liceat imprimere, imprimi facere quosuis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis, & pecuniæ in canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa verò huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque adeo in fronte libri, vel scripti, vel impressi autenticè appareat, idque totum, hoc est, & probatio, & examen gratis fiat, vt probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Hæc sunt duo decreta vtriusque Concilij, circa quæ emergentes difficultates explicandæ sunt in sequentibus quæstionibus per ordinem.

Quæres 2. An ante dicta Decreta extiterint prohibitiones ne quis libros imprimeret, an verò cuique esset liberum imprimere quoscumque libros sine licentia?

℞. Negatiuè, nam nullibi huiusmodi prohibitionem inueni, & libri antiquitus impressi annum 3
1500. immò, & paulò post, antequam ederetur Decretum Lateranense, quod fuit 4. Maij 1515. carent huiusmodi attestationibus, & subscriptionibus etiam in actu signato sub similibus verbis. *De licentia superiorum.* Et mirum non est, quia ars impressoria tunc recenter inuenta fuerat de anno 1400. Confirmatur per dictionem, *De cætero*, in eo Decreto 4
expressam, quæ futurum tempus importat, & nouam legem cui apponitur, Glos. *in c. Vn.* Ne sede Vacante, Ioann. XXII.

Quæres 3. An Decretum Lateranense innouetur in Decreto Tridentini? & quomodo inter se differant?

℞. Huiusmodi innouatio, seu confirmatio expressa non apparet in Decreto Synodi Tridentinæ, 5
sed tantum deducitur ex illis verbis: *Sub pœna anathematis, & pecunia in canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita.* Dicit, *Nouissimi*, quia inter vtrumque fuit spatium triginta vnius anni, nam Lateranense statutum fuit die 4. Maij 1515. hoc verò Tridentini editum 8. Aprilis 1546.

Differunt autem quoad libros, quia in Late- 6
ranensi mentio est de quouis libro, de quauis materia trtactante, & de quauis scriptura cuiuscumque sit materiæ. In Tridentino autem sermo est tantum de libris Sacræ Scripturæ, seu de rebus sacris tractantibus. Amplior igitur est prohibitio Lateranensis respectu librorum, quam Tridentina. Quo verò ad superiores, è quibus libri sunt examinandi latior est prohibitio Tridentini, quod præter examen, & approbationem Episcopi, & Inquisitoris requirit etiam licentiam superioris Regularis Auctoris libri imprimendi.

Quæres 4. An ea excommunicatio sit comminatoria, an latæ sententiæ, & reseruata?

Resp. Certum est esse latæ sententiæ, nulli ta- 7
men reseruatam, cum reseruatio non exprimatur, esse ipso iure deducitur ex illis verbis: *Innodatus*

 existat.

existat. ex doctrina Sairi *lib.* 1. *de censur. cap.* 11. *num.* 9.

Quæres 5. Quinam, & quibus actionibus incurratur ea excommunicatio?

8 ℞. Actiones, quibus incurritur ea excommunicatio, sunt imprimere, aut facere imprimi sine licentia Episcopi, & Inquisitoris non solum libros, sed etiam scripta quæcumque de quacumque agant materia. Auctor autem, qui librum consignat impressori committendo illi hanccuram, vt licentiam obtineat à superioribus, ab hac pœna excusatur, si impressor illum sine licentia imprimat. Item imprimentes, vel facientes imprimere sine nomine Auctoris libros tractantes de rebus sacris. Item vendentes illos, aut apud se retinentes, si carent nomine auctoris, aut debita licentia, prout dicitur in Tridentino incurrunt prædictas pœnas. Imprimentes verò, aut imprimi facientes alios libros, qui non tractant de rebus sacris, sine nomine Auctoris, aut illos vendentes, seu retinentes dictas pœnas non incurrunt, modò adsit licentia Episcopi, & Inquisitoris, quia Tridentinum loquitur tantum de libris sacris, non de aliis, neque de scriptis ex Suarez Compend. Rodr. *Resol.* 79. *num.* 1. Satis fit Tridentino, si apponatur nomen certi conuentus, aut vniuersitatis secundum Azor. *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæst.* 3. ex Barbosa ad hanc *Sess.* 4. *Trident. num.* 4.

Quæres 6. Qualis liber dicatur agere de rebus sacris?

9 ℞. Ille liber dicitur agere de rebus sacris, qui non agit de prophanis, opponuntur enim sacra, & profana, vt colligitur ex *cap. Quæ semel* 19. *quæst.* 1. *cap. Ad hæc, de relig. domib.* Vnde Graff. in praxi *lib.* 2. *cap.* 18. *numer.* 5. definit sacrum quidquid à prophanis separatur, & cultui Dei dicatur. Quare ille liber dicitur de rebus sacris agere, in quo de Catholica religione tractatur, de mysteriis fidei, de moribus Catholicorum, de interpretatione Sacræ Scripturæ, de Theologia tam speculatiua, quam practica, & casibus conscientiæ, iure canonico, Concionibus, & aliis in ordine ad Deum, & religionem, iuxta dicta *c.* 14. *q.* 29. Quare prophani libri excluduntur, vti de Philosophia, Medicina, de Historiis prophanis, Grammatica, &c.

Quæres 7. Quomodo libri de rebus sacris tractantes dicantur scripto communicari, & euulgari?

10 ℞. Tridentinum subiicit supradictis pœnis illos, *qui scripto eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati, probatiuè fuerint.* Communicantur autem, quando plures copiæ sparguntur per vulgus, vel eadem copia successiuè transit ad manus, vt indicant ea duo verba, *Communicant, vel euulgant*; quasi libri publicationem inter homines. Sub his non veniunt Lectiones Theologiæ, aut Sacra Scriptura, seu de moralibus, quas Magistri, & Lectores tradunt in Scholis, quia non ordinantur ad publicationem, neque euulgationẽ, sed ad eruditionem Scholarium. Est autem sermo de libris tantum imprimendis, ex particula, ad libros imprimendos referenti.

Quæres 8. An religiosi facientes imprimi, vel diuulgantes suos libros sine licentia suorum superiorum sint excommunicati?

11 ℞. Excommunicatio fertur solum contra facientes imprimi sine licentia Episcopi & Inquisitoris ex Decreto Lateranen. in Tridentino autem licet præcipiatur Regularibus ne faciant imprimi suos libros sine licentia etiam suorum superiorum, non ideo tamen imponitur, contrafacientibus aliqua pœna in Tridentino. Nam bis replicatur pœna Lateranensis decreti in Tridentino primo, contra imprimentes, vel facientes imprimere libros de rebus sacris sine nomine auctoris, &c. secundò, contra eos diuulgantes scripto, sine licentia. Loco autem intermedio loquendo de Regularibus, qui debent impetrare licentiam suorum superiorum, nulla exprimitur pœna, ergo signum est, illos contrafacientes nulla affici pœna ex Tridentino. Neque expressio pœnarum in dictis duobus casibus extendenda est ad Regulares imprimentes sine licentia suorum superiorum, quia pœnæ non extenduntur de casu ad casum, cum potius restringendæ sint, ex vulgatis casibus; præterquam quod si Tridentinum voluisset eisdem pœnis affici Regulares non impetrantes licentiam à suis superioribus, id expressisset, sicut de pœnis mentionem fecit in aliis duobus casibus.

Quæres 9. An imprimi possit liber sine nomine Auctoris?

℞. Negat id Tridentinum illis verbis. *Nulli que liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros sine nomine Auctoris.* Intelligere nisi iustam habeat Auctor causam reticendi suum nomen, vt propter vanam gloriam; vt quia timet, ne gratus sit lectoribus, vt si applausibilis sit exit postmodum cum suo nomine, & honore. 12

Quæres 10. An reuisor deputatus ab Inquisitore, seu Episcopo debeat esse Doctor in Sacra Theologia?

Resp. Affirmatiuè ex adductis *Resolut.* 77. *numer.* 38. 13

Quæres 11. An, & quomodo imprimendi sint libri, qui tractant de vitis eorum hominum, qui cum fama sanctitatis ex hac vita migrarunt?

Resp. Iuxta formam à S. C. traditam in Decreto, in quo definitur quomodo Imagines nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendæ sint; aut tabellæ, & luminaria ad eorum sepulcra apponenda sint, aut eorum res gestæ, & vitæ imprimendæ. illud autem editum fuit die 13. Martij 1625. tenoris sequentis. 14

Sanctissimus D. N. solicitè animaduertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum sanctitatis, aut martirij fama, vel opinione defunctis; qui & si neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sint à Sede Apostolica, eorum tamen Imagines in Oratoriis atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam in priuatis, cum laureis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur; & ad illorum sepulcra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volensque proindè his abusibus pro debito officij pastoralis occurrere; re etiam cum Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in Vniuersa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, & mature considerata, ac discussa, declarauit, statuit, & decreuit. 15

I. Ne quorumuis hominum cum Sanctitatis, seu martyrij fama, quantumcumque illa sit, defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans in Oratoriis, aut locis publicis, seu priuatis vel Ecclesiis tã secularibus, quam regularibus, cuiuscunque religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut beati declarentur, & si quæ apposita sunt amoueantur, prout statim amoueri mandauit.

II. Ac pariter imprimi de cœtero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, seu matyrij fama, vel

vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauerint, gesta miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in his recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat. Et ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.

III. Ad horum hominum sepulcra vetuit etiam, ac inhibuit tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas, appendi, seu affigi, & lampades, seu alia quæcumque lumina accendi sine recognitione ab ordinario omnino, prout supra, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

IV. Declarans, quod per suprascripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel ordinarij coluntur.

V. Vt autem prædicta diligentius obseruentur, Vniuersis, & singulis tam ordinariis, quam hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipit, vt quisque in sua diœcesi, vel prouincia sedulo peruigilet, ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra superius disposita fiant.

VI. Transgressores verò, si Regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon, & suspensionis à diuinis: si verò Clerici seculares, priuationis pariter suorum officiorum suspensionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, exequutioneque suorum ordinum respectiuè, aliisque arbitrio prædictorum ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

VII. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoque modò affixerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes prædicta omnia amittat, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem eorumdem ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, &c.

Hoc Decretum extenditur à Diana *par.* 4. cum aliis Bullis ad Sanctum Officium Inquisitionis spectantibus, à Bariola in calce. Flores Inquisit. à Tambur. *tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. Peitino *ad constit.* 3. Leonis X.

16 Continet autem sex. *Primò*, nullibi imagines hominum, qui decesserunt cum fama sanctitatis, apponantur, & appositæ amoneantur. *Secundò*, non imprimantur libri de ipsis tractantes, nisi ab ordinario approbati confirmati fuerint à Sac. Congr. *Tertiò*, vota, nec lumina apponantur illis. *Quartò*, antiqui pro sanctis ab Ecclesia, seu à Patribus habiti relinquuntur in sua opinione. *Quintò*, pœnæ transgressorum Ecclesiasticorum. *Sextò*, demum laicorum transgressorum pœnæ emergunt nonnullæ difficultates in sequentibus resoluendæ.

Quæres 12. An depingi possint imagines horum hominum, qui obierunt cum opinione sanctitatis, sine signis sanctitatis?

℞. Affirmatiuè, vt colligitur ex *num.* 1. ibi *Defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præferens.* Clarius *sub num.* 5. *Ne sine approbationibus prædictis Imagines cum memoratis signis exponantur.* Ergo exponi possunt sine dictis signis, quorum defectu venerationem, & cultum non præseferunt; valet enim argumentum à contrario sensu, & in iure validum est, ex *cap. Cum Apostolica 7. de iis, quæ fiunt à prælat.* vbi Glossa vocat fortissimum, & vtilissimum, alia iura, & doctores vocat Barbosa Vnz lit. A. *num.* 30. Confirmatur, quia aliorum hominum etiam non eximiorum imagines depinguntur non vt venerentur, sed vt eorum memoria apud alios præsertim parentes, & amicos conseruetur. Ita Peitin. ad citatam Bullam 3. Leonis X. *n.* 3. ex illo Lezana *tom.* 4. *ver. Sanctorum cultus num.* 6. & 7. 17

Quæres 13. An huiusmodi imagines sine laureis, radiis, & splendoribus depictæ exponi possint in Ecclesiis ad ornatum?

℞. Affirmatiuè, modò non apponantur altaribus, ratio id suadet, quia non sunt in hoc deterioris conditionis imaginum aliorum virorum vti Imperatoris, Regum, & aliarum personarum memoria dignarum, quarum Imagines appenduntur in Ecclesiis parietibus ad ornatum, non autem super altaria, licet prope poni possint, sed omnino extra; & si adsunt aliæ Imagines, quæ sint Sanctorum, istorum prope, illorum verò remotè aptentur. Vide Lezanam *tom.* 4. *ver. Sanctorum cultus num.* 7. Peitinum ad Bullam 3. Leonis X. *num.* 3. & 4. Mihi non placet, horum Imagines collocari posse super altare, in quo aliæ sunt, quia in tali situ collocatio arguit potius cultum, quam ornatum; ideo similium Imagines, sicut & virorum illustrium collocentur in partibus Ecclesiæ minus dignis, vt ex tali dispositione quisque sciat, Dei seruos Canonizatos, aut beatificatos in omnibus excedere quemuis hominum quantumuis nobilem, & illustrem etiam imperiali dignitate decoratum. 18

Quæres 14. An venerari possint saltem occultè, & priuatis honoribus.

℞. Priuatim, & occultè in proprijs necessitatibus inuocari, & venerari possunt, quia in Decreto prohibetur solum cultus publicus conueniens tantum sanctis, seu beatis ab Ecclesia declaratis, vel pro talibus habitis ab antiquo tempore. Quare venerari non possunt per inuocationem in Lytanijs, in Orationibus Missalis, aut Breuiarij; neque in conspectu aliorum vocare illos beatos tales asserendo, licet piè credi possit illos esse in Paradiso. Laudari igitur possunt eo modo, quo alij viri, & homines probi, qui in hac vita benè se gesserunt, relinquentes post se bonum odorem. Vide præcitatos. 19

Quæres 15. An illorum sepulchris aptari possint vota, vt communiter fit beatis, & sanctis ab Ecclesia recognitis in gratiarum actionem beneficiorum receptorum?

℞. Sanctissimus in Bulla 22. Append. incip. *Cælestis Ierusalem.* in hæc verba.

Postmodum verò idem Sanctissimus D. N. à quibusdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contigerit recipere, & antea oblatas conseruare liceret. Sanctitas sua, quæ tantum voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam diuina clementia placuerit admirandis operibus illustrare; ne prius cum Illustr. & Reuerend. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus communicata, præsenti Decreto declarauit.

Quod

Quod sicut nunquam prohibuit, nec sua intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum huiusmodi, itavt nulli deinceps hasitationis locus relinquatur, statuit in præsentiarum, & decernit, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut oratorium locumve alium publicum secularem, seu regularem, tabellas, vel imagines aliudue simile quidpiam detulerit, ac intercessione hominum inter sanctos, & beatos non adscriptorum, quamuis cum martirij, vel sanctitatis fama demortuorum optata se impetrasse dixit; liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumque prædictorum curæ præpositis, tabellas, & imagines, siuè pictas, siuè ex quauis materia fictas, atque alia quacumque collata gratia fidem facientia, simul cum deferentis, aliorúmque, qui conscij fuerint, attestationibus recipere, atque approbantibus ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur; in secreto aliquo seorsim ab Ecclesia loco custodire; ibidemque iam amota collolocare, & asseruare, vt si quando Dominus talium virorum merita beatificationis, seu canonizationis honore in terris decorare voluerit extent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes, Apostolica Sedis iudicio tunc examinanda, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Hoc decretum referunt Diana ad finem *par.* 4. cum aliis, Peirin. ad Bullam 3. Leonis X. sub datum die 2. Octobris 1625. affixum verò, & publicatum die 30. eiusdem mensis, & anni, apud Synodum Cremonensem sub Eminentissimo Cardinali Camporeo ibi Episcopo habitam anno 1635. pag. mihi 159.

Quæres 16. An vota in Ecclesiis regularium oblata pro gratiis receptis ab huiusmodi hominibus tum religiosis, tum laicis apud ipsos sepultis, sufficiat recipere cum attestationibus eorum, qui gratiæ factæ conscij sunt, factis tantum coram superiore conuentus, sine relatione ad ordinarium.

21 ℟. Attestationes quidem recipiendæ sunt à superiore conuentus, sed statim referendæ sunt ad ordinarium, hoc est, ad Episcopum loci, qui illas approbare debet, provt apertè colligitur ex supradicto Decreto, ibi: *Atque approbantibus ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur.* Et si quandoque nomine *Ordinarij* veniunt etiam superiores regulares, nihilominus hic locum habere non possunt, quia hæc materia tangit Officium S. Inquisitionis, in quo casu regulares etiam superiores pro subditis habentur, & non pro superioribus neque ordinarij, quo nomine venit Episcopus, vel ordinarius nullius, & Sedis Apostolicæ immediatè subiectus. Nec hoc loco venit sub nomine Ordinarij Inquisitor, cum in primo Decreto superius extenso, ad cuius declarationem emanauit hoc secundum, condistinguantur Inquisitores ab ordinariis.

Quæres 17. Quomodo intelligenda sit illa declaratio *sub num.* 4. vbi dicitur, quod Papa per supradicta non vult præiudicare in aliquo iis Dei seruis, qui autem per communem Ecclesiæ consensum; vel immemorabilem temporis cursum; aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta; vel longissimi temporis scientia, aut tolerantia Sedis Apostolicæ, vel ordinarij coluntur? Nonnulli serui Dei publicum cultum acquisiuerunt sine formali beatificatione, aut canonizatione, ex supradictis causis. Quæres inquam. *Primò*, an per communem Ecclesiæ consensum veniat etiam consensus vnius ciuitatatis e. g. Parmæ, Regij, &c. *Secundò*, Qualis cursus temporis immemorabilis sufficiat?

22 Primò, dico sufficere consensum vnius Ecclesiæ diœcesanæ, & Episcopalis, quælibet enim Ecclesia particularis dicitur Ecclesia, ergo à fortiori Ecclesia Episcopalis, & hanc sufficere colligitur ex postremis verbis, dum in Decreto dicitur, non præiudicari iis, qui ex scientia, seu tolerantia ordinarij coluntur, sufficit ergo consensus Ecclesiæ Episcopalis, & tolerantia Episcopi. In singulis ferè ciuitatibus habentur peculiares sancti, & beati, qui ab incolis coluntur, quamuis in Martyrologio Romano non inueniantur, vti Parmæ Sancti Ioannes primus Abbas S. Ioannis Euangelistæ, Moderannus in Castro Berceti, &c. Beati Domini Presbyteri, Ioannis Buralli Generalis ordinis Minorum, Vrsolina Virgo, &c. Fotiliuij in Conuentus Nostri Ecclesia S. Mariæ Vallis Viridis requiescit, & colitur Beatus Ieremias Sacerdos nostri ordinis, patria Comensis, cuius corpus integrum, & intactum ab omnibus videri potest.

Secundò, temporis cursus immemorabilis dicitur spatium annorum centum, ex Baldo, Cœpola, Zabar. Felin. apud Gabriel. *de præscript. concl.* 1. *num.* 71. Rota Rom. *vol.* 4. *decis.* 583. aliis citatis docet Flamin. Paris. *quæst.* 28. *de confid. benef. num.* 236. Et ita declarauit Vrbanus in præcitata Bulla sub q. 15. his verbis: *Insuper longissimum tempus, illiusque immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto intelligi declarauimus, esse tempus centum annorum.* de qua re *Lezana Consil.* 1. *num.* 36. subdens, non amplius sustineri posse sententiam Bonacinæ dicentis *disp.* 3. *in Decal. q.* 1. *p.* 2. tempus 30. aut quadraginta annorum sufficere. 23

Solent Auctores dum tractant de vitiis, & gestis seruorum Dei protestari, se de illis agere ea tantum fide humana, quæ solet præstari in narratione aliorum gestorum iuxta fidem historicam, & non intendunt de eis agere in ordine ad eorum beatificationem, sed tantum referre gesta hominis, quæ vt talis fecit, dum in humanis degit.

Quæres 18. An in impressione librorum, qui tractant de vita, & gestis beatorum, seu sanctorum antiquorum ex communi Ecclesiæ consensu iuxta *n.* 4. Decreti explicati *sub præced. quæstio.* 17. seruanda sit forma præscripta *sub num.* 11. ne scilicet imprimantur sine speciali examinatione, & approbatione Episcopi, & habita responsione Sacræ Congregationis?

℟. In impressione librorum huiusmodi, qui tractant de eorum gestis, miraculis, reuelationibus, & aliis beneficiis hominibus collatis à Deo per ipsorum merita, & intercessiones, supradicta specialis forma obseruanda non est, quia hoc decretum emanauit præcisè respectu eorum hominum, qui non per communem Ecclesiæ consensum, aut non per scientiam, & tolerantiam Episcopi coluntur, vt expresè dicitur *sub num.* 4. iuxta dicta *sub quæst.* 17. sed tantum respectu illorum, qui paucis ab hinc annis decesserunt, & in dies decedunt cum fama sanctitatis, aut martyrij, pro quibus supradicta forma omnino seruanda. Monumenta igitur veterum Dei seruorum maximè aliàs impressa, vel manuscripta antiquissima cum licentiis ordinarij iuxta Concilia Lateran. & Trident. de quibus supra initio, imprimi possunt, quia super his antiquitus in venerationem habitis præsens Decretum nihil disponit, nec intendit illis in aliquo præiudicare, vt patet *sub n.*4. 24

Quæres 19. An prædicta forma specialis licentiæ ordinarij approbantis miraculum, vel beneficium receptum cum responsione S. Congr. obseruanda sit, quando aliquis Sanctus, vel beatus ab Ecclesia recognitus, vel pro tali habitus iuxta *n.*4. Edit nouum miraculum, vel gratiam?

℟. Ea forma seruanda non est, quia illa restringitur ad miracula, reuelationes, & alia beneficia, quæ fiunt ab his hominibus, qui decedunt cum fama sanctitatis, aut martyrij; quare extendenda non est ad sanctos, nec beatos ab Ecclesia beatificatos, vel 25

ſanctificatos, neque ad antiquos curſu longiſſimi temporis cultos ex ſcientia, & tolerantia Epiſcoporum. Nihilominus horum etiam miracula, & beneficia à fidelibus in dies recepta approbanda ſunt ab Epiſcopo, vocatis in Conſilium Theologis, & aliis piis iuris, iuxta Trident. initio *Seſſ.* 25. in titulo de Inuocatione, & Veneratione ſanctorum, prope finem. Itaque examen, & approbatio facta de iſtis ab Epiſcopo pro impreſſione tranſmittenda non ſunt ad Sacram Congregationem recognoſcenda, quod ſuperadditur in Decreto reſpectu huiuſmodi hominum, quos nulla Eccleſia pro ſeruis Dei Beatis cultu publico dignis hactenus habet.

Quæres 20. Hac occaſione circa Imagines ſanctorum depingendas, & exponendas, quid ſit ordinatum?

26 ℞. Vrbanus Papa VIII. felicis memoriæ in ſua Bulla incip. *Sacro Sancta.* Dat. 25. Martij 1642. ex parte extenſa apud Lezanam *t.4. ver. Sanctorum cultus n.* 14. Eſt autem ſequens.

27 *Imagines Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum, quorumcumque ſculpere, aut pingere, vel ſculpi, aut pingi facere, aut ante hac ſculptas, aut pictas, & alias quomodolibet effictas tenere, ſeu publico aſpectui exponere, aut veſtire cum alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ab antiquo tempore conſueuit; nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis tenore præſentium prohibemus. Ac vt* I*magines aliter pictæ, vel ſculptæ ab Eccleſiis, & aliis locis quibuslibet amoueantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad habitum, & formam in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ab antiquo tempore conſuetam, vt veneratio, & cultus ſic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium ſubiiciuntur non inordinata, nec inſolita appareant, ſed deuotionem pariant, & pietatem.*

Interdictum igitur eſt pingere, & ſculpere Sanctorum imagines prophanis, vanis, & indecentibus ornamentis, ſeu veſtibus, quæ potius ſenſualitatem, quam deuotionem excitant. Quare depingendi non ſunt cum coma, crinibus, aut nudati certis partibus corporis, quæ verecundiam præſeferunt, neque mamillis apertis, ſed prorſus decenti veſte velatis, niſi ex neceſſitate, vt in ea appareat ſignum martyrij, vt in S. Agata, quæ martyrium ſubiit in mamillis.

Tranſgreſſores, quicumque ſunt, etiam ſpeciali nota, & mentione digni, puniendi ſunt ab Epiſcopo, & ordinariis locorum, atque etiam à legatis à latere. vbi ab Apoſtolica Sede delegatis, etiam regulares quicumque etiam reſpectu Eccleſiarum monialium ſibi ſubiectarum, vnica monitione præmiſſa etiam per cenſuras contra eos procedere poſſunt, priuando præſertim ſuperiores locales illorum Officiis, & vocibus, ſi noluerint obedire, amouendo Imagines pictas, aut ſculptas contra formam huius Bullæ.

Quæres 21. An in Eccleſiis in feſtis ſolemnibus exponi poſſint imagines prophanæ indecentiam præſeferentes?

28 ℞. Non poſſunt, neque etiam eorum atriis, aut frontiſpiciis, ſub iiſdem pœnis de quibus in præcedenti quæſtione, vt colligitur ex eadem Bulla his verbis.

Et ne exponatur in Eccleſiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontiſpiciis, & atriis imagines prophanæ, vel aliàs indecentiam, & inhoneſtatem præſeferentes, cum Domum Dei deceat ſanctitudo, præcipimus.

Contra tranſgreſſores huius Bullæ non procedit Inquiſitor, ſed tantum ordinarius, cum in ea nulla fiat mentio Inquiſitoris neque enim agitur in ea, de materia hæreſis, aut eiuſdem ſuſpicione.

Quæres 22. An imprimi prohibeantur libri tractantes de Auxiliis?

℞. Affirmatiuè, & primo à Paulo Papa V. deinde ab Vrbano Papa VIII. fel. record. de quibus decretis Peirin. ad Bullam 11. Iulij 11. *n.* 20. Lezana *tom.* 1. *c.* 10. *n.* 24. *& tom.* 4. ver. libri *n.* 13. Hic refero ad verbum illud Vrbani includens aliud Pauli, datum in Generali Inquiſitione die 1. Aug. 1641. tenoris ſequentis. 29

Aliàs fel. record. Paulus Papa V. ad tollenda ſcandala, & offenſiones, quæ in Eccleſia Catholica oriebantur occaſione editionis librorum, & operum de Auxiliis tractantium in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum infra ſcriptum edidit. 30

Sanctiſſimus D. N. decreuit, vt ſcribatur Nuntiis Apoſtolicis, quod notificent, & ordinent ſuperioribus Religionum, Vniuerſitatibus Studiorum, & Ordinis ſuæ Nuntiaturæ, ne ſinant imprimi in materia de Auxiliis, etiam ſub prætextu commentandi Sanctum Thomam, aut alio modò, & qui volunt de hac materia ſcribere, & imprimere prius mittant tractatus, & compoſitiones ad hanc ſanctam Inquiſitionem.

Cuius quidem Decreti tenor in executionem mentis Sanctitatis ſuæ omnibus prædictis per Nuntios reſpectiuè legitimè fuit intimatus. Ne tamen contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, ſed ſcandala, & diſſenſiones omnino ceſſarent. Sanctiſſimus D. N. in eadem Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis feria v. die 22. Maij anno à Natiuitate Domini 1625. aliud ſuum Decretum edidit tenoris infraſcripti.

Sanctiſſimus D. N. ſupradictum Decretum, hoc ſub præſenti Decreto confirmauit, & innouauit, diſtrictè præcipiens, & mandans omnibus, & ſingulis cuiuſuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ Regularibus, & aliis quibuſcumque tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus perſonis cuiuſque ſtatus, conditionis, gradus, Ordinis, & Dignitatis tàm Eccleſiaſticæ, quàm Secularis, vt in poſterum non audent imprimere, vel quoquomodo in lucem edere libros, tractatus, vel compoſitiones ex profeſſo, vel incidenter, aut prætextu commentandi Diuum Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quauis occaſione, prætextu, vel modò de materia auxiliorum Diuinorum tractantes ſine expreſſa, & ſpeciali licentia à Sanctitate Sua in Congregatione Sancti Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apoſtolica fuerit ordinatum.

Vt autem huiuſmodi Decretum inuiolabiliter obſeruetur eadem Sanctitas Sua voluit, & declarauit contrauenientes pœnas priuationis, Dignitatum, & Officiorum ſuorum, vocis actiuæ, & paſſiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi ipſo facto abſque alia declaratione incurrere, & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, ſubiacere.

Libros porrò, quos in futurum contra præſentis Decreti tenorem edi contigerit abſque alia declaratione tanquam expreſsè prohibitos habere voluit. Et impreſſores præter amiſſionem librorum pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem teneri mandauit. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Cum verò Sanctitati ſuæ nuper innotuerit in Ciuitate Louanien. quoſdam aſſertos Cornelij Ianſenij olim Epiſcopi Iprenſis Executores ex teſtamẽto in lucem, edi curaſſe librum cui titulus, Auguſtinus, ex profeſſo

professo continentem, & tractantem materiam de Auxiliis, nulla penitus petita, vel obtenta ab hac sacra Congregatione licentia illum imprimendi, cuius operis occasione Patres Societatis Iesu nonnullas in Ciuitate Antuerpien. de eadem materia tractantes, Theses, pariter absque licentia eiusdem Sacræ Congregationis imprimi curasse: opininésque Iansenij in prædicto libro oppugnasse. Rursúsque nonnullos alios libellos, orationes, scripturas, epistolas, Theses inferiùs registrandas, tam pro dicti libri Iansenij, quàm Thesium à Patribus Iesuitis editarum defensione impressas fuisse, non solum contra præsentium Decretorum prohibitionem, sed in graue scandalum, & offensionem Ecclesiæ Catholicæ. Vt malis huiusmodi imminentibus quanto citiùs occurratur, & imposterum nullus audeat dictis Decretis contraire. Pro nunc eadem Sanctitas Sua inhærendo Decretis à Paulo V. & à Sanctitate Sua emanatis dictum librum Iansenij, cui titulus Augustinus Louanij impressum, nec non Theses à Patribus Societatis Iesu Antuerpiæ in lucem editas, aliasque scripturas in calce præsentis Decreti registrandas, iam vigore supradictorum Decretorum prohibitas, hoc præsenti in suo Decreto de nouo prohibet, ac pro prohibitis omnino haberi voluit. Mandauitque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ne quis cuiusque Status, gradus, conditionis, & qualitatis etiam speciali nota dignæ librum, & Theses prædictas, aliasque scripturas, vt supra absque Sedis Apostolicæ licentia in Congregatione Sancti Officij obtinenda, retinere, ac legere possit. Insuper mandauit omnibus, & singulis cuiusuis Religionis, Ordinis Congregationis, Instituti, Societatis etiam de necessitate exprimendæ Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis, cuiusque Status, conditionis, gradus, Ordinis, & dignitatis Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, Vniuersitatibus sub prædictis pœnis, vt supra excommunicationis ipso facto incurrendæ, Interdicti Ecclesiastici respectiuè, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ pœnis infligendis etiam corporalibus, ne imposterum audeant imprimere, nec quoque modo in lucem edere libros, Tractatus, Compositiones ex professo, vel incidenter etiam sub prætextu commentandi Diuum Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum d. Cornelij Iansenij, cui titulus Augustinus, vel Theses Patrum Societatis Iesu aliasque scripturas, vt infra prohibitas, aut alia quauis occasione, vel modo de materia Auxiliorum Diuinorum, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes, sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate Sua in Congregatione Sancti Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica fuerit ordinatum. Absolutionem verò à prædicta excommunicatione, nec non interdicti suspensionem, relaxationem Sanctitati Suæ, & Sacræ Congregationi reseruauit. Non obstantibus quibuscumque Priuilegiis etiam S. Cruciatæ, Iubilæi etiam Generalis, & facultatibus Missionariorum, ac aliis à Sancta Sede emanatis, seu emanandis, quibus omnibus in hac parte Sanctitas Sua derogat. Voluitque Sanctitas sua hæc omnia suum plenarium sortiri effectum, omnésque contrafacientes, vt supra ligare, nec quemquam excusari posse etiam sub prætextu, quod Decreta Pauli V. & Sanctitatis suæ alias emanata non fuerint in Prouinciis intimata, vel vsu recepta. Irritum quoque, & inane quidquid secus super iis à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit vt Decretum huiusmodi, seu illius exemplum ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in Campis Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Notat Lezana *tom.* 1. *cap.* 10. *num.* 24. prohiberi libros ex professo, seu incidenter tractantes imprimi, non autem libros agentes de aliquo puncto, seu difficultate de auxiliis connexa cum materia alia principali, de qua est liber. Sed non placet, id cum videantur expresse obstare illa verba. *Incidenter, aut prætextu commentandi* D. Thomam, *aut quemlibet alium doctorem, aut alia quauis occasione, prætextu, vel modo, &c.* Nam verbum *incidenter, occasione* refertur ad quamcumque causam, & casum, ac proindè indicat etiam connexionem cum alia materia, quæ aliàs non posset explicari nisi mediante puncto aliquo particulari de auxiliis, tunc igitur prætermittatur indiscussa quæstio. In scholis de illis tractatio, & disputatio non prohibetur, sed tantum impressio librorum de huiusmodi materia tractantium.

Deindè nota excommunicationem latam cum aliis pœnis subiunctis afficere solum retinentes, legentes, aut imprimentes libros de auxiliis respectiuè ad dictum librum Iansenij, & Theses, prout ibi dicitur.

Quæres 23. An libri in vno loco compositi alio transmitti possint pro impressione?

℟. Libri compositi in statu Ecclesiastico aliò imprimendi transmitti non possunt sine speciali licentia prout continetur in Decreto hic subiecto sub die 18. Septembris 1625. tenoris sequentis. 31

Sanctissimus D. N. pro debito sui pastoralis officij corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto existentium, qui libros à se compositos extra præfatum statum absque vlla ordinariorum, & Inquisitorum loci, vbi degunt approbatione imprimendos transmittunt, statuit, & decreuit, vt in posterum nemo in statu prædicto degens, cuiusuis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quauis materia tractantes, & vbicumque compositos, audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos, sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis S. D. N. Vicarij, & Magistri Sacri Palatij, si in Vrbe, si verò extra Vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, siue ab iisdem deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda; libros autem, quos contra præsentis Decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio Sanctitatis suæ infligendas absque alia declaratione ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat. Contrariis quibuscumque non obstantibus, &c. 32

Hoc Decretum refert Diana cum aliis ad finem *par.* 4. Tambur. *tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 7. Peirin. & Addit. *c.* 10. *ad constit.* Pauli V. *n.* 64. Lezana *tom.* 4. *ver. Libri num.* 12.

Nota circa illam *Primò* afficere illos, qui actu habitant per verbum *degere*, non qui casu reperiuntur, vt dixit Thesaurus apud prædictum Lezanam; religiosi igitur de familia habitare debent, vt huic decreto subdantur. *Secundò*, procedit siue opus compositum sit in statu Ecclesiastico, siue extra, dum illud tradendum est impressori, ibi: *Vbicumque compositos audeat aliò deferre. Tertiò*, ille status dicitur subiectus immediatè Apostolicæ Sedi, qui immediatè gubernatur à ministro Sedis Apostolicæ, cuiusmodi sunt Bononia, Ferraria, Imola, Vrbinum modo &c. Status verò mediatè subiectus, qui gubernantur ab aliquo feudatario Ecclesiæ, vt Parma, Placentia, &c. Rota Rom. *vol.* 3. *lib.* 3. *decis.* 18. *n.* 4. Vnde Placentiæ ex ordine Episcopi, & Inquisitoris impressum fuit sub die 10. Nouembris 1625. ac proinde ibi receptum.

Vide

Vide Pelliz .tom. 2.tract.6.c.4. à numer. 32. multa. Super hoc decreto congerentem. Quæ dixi non prima impressione hic relicta mihi videntur pati multam difficultatem, cum non sunt accipienda eo modo,quo in Bulla Cænæ Domini in qua fit expressa mentio aliorum locorum extra statutum Ecclesiasticum, qui termini hic alio modo accipiendi sunt prout solum amplectuntur ambitum status Ecclesiastici, qui ambitur mari Adriatico versus Anconam, Aprutio Neapolitano regno, mari Tyrrheno ad Ostia Tiberina, ditione Magni Ducis Tusciæ, Ducatu Mutinensi, Mantuano, & Republica Venetorum. Nam intra hunc ambitum perficitur status Ecclesiasticus, qui possidetur partim immediate à sede Apostolica, in illis locis, in quibus ponit Ministros, mediatè verò respectu eorum Feudatariorum, qui proprios habent Ministros, & Officiales. Id totum colligi potest ex consideratione Bullæ 6. Sixti V. contra Bannitos. Item Bullæ 98. Pij IV. De extractione frumenti, quæ loquuntur de subiectis statui Ecclesiastico mediate vel immediate; sub quibus nullo modo comprehendantur subiecti mediate, vt Siculi, Parmences, Placentini, Auenionenses; Ergo idem dicendum erit in casu nostro.

Quæres 24. An imprimi possint Declarationes S. Congregationis sine illius expressa licentia?

℞. Sunt prohibitæ imprimi sine speciali licentia
33 eiusdem Congregationis,vt testatur quoddam Decretum eiusdem relatum in Synodo Cremonensi edita anno 1635.tenoris sequentis.

Cum Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tri-
34 *dentini interpretum sæpius, & nouissime sub die 29. Aprilis 1621. inhærendo constitutioni fel. record. Pij IV. quæ incipit Benedictus Deus, decreuerit indici librorum prohibitorum addendas esse omnes, & quascumque declarationes, interpretationes, seu decisiones sub nomine eiusdem Congr. Concilij absque illius auctoritate impressas, & imprimendas: cumque ad illius notitiam peruenerit, quamplures ex declarationibus, interpretationibus, seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorúmque qualitates, & circumstantias à se diuersis temporibus factis, secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan alias mentito Sacræ Congr. nomine confictas nullóque præterea authentico sigillo munitas; istásque per tribunalia tam in Vrbe, quam per orbem circumferri, & imprimi; considerantque quantum detrimenti recipi possit si aliqua fides illis adhiberetur. Ex speciali S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ*
35 *VIII. iussu mandat, & præcipit huiusmodi declarationibus, tam impressis, quam imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in iudicio, vel extra à quoquam adhibendam, sed tantum illis, quæ in autentica forma, solito sigillo, & subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congreg. pro tempore existentium munita fuerint. In quorum fidem,&c. Datum Romæ die 2. Augusti 1631.*

Quæres 25. An libros huiusmodi, de quibus supra, imprimentes, vel imprimere facientes sine debitis licentiis ex hoc sint suspecti de hæresi,& vt tales puniri possint ab Inquisitoribus, quamuis hæresim non contineant?

℞. Non sunt suspecti de hæresi, sed tantum vti
36 transgressores puniri possunt ab illis, à quibus licentiam obtinere debebant,iuxta superius dicta in singulis quæstionibus. Quod idem dic de pingentibus, sculpentibus, aut exponentibus Imagines contra supradicta Decreta.

Quæres 26. An imprimi possint libri tractantes de hominibus, qui cum fama Sanctitatis, seu martyrij decedunt, sine speciali licentia S. Congreg. quando eorum vita, & gesta exarantur ad modum aliorum hominum illustrium sub prætexto prophanæ Historiæ, omissis miraculis, reuelationibus, & beneficiis factis, sine titulis Beati, sed solum cum aliis titulis communibus Pij, Venerabilis, Serui, viri Dei,&c.

℞. Affirmatiuè, quia intentum Decreti superius 37
allati in eo consistit, ne his hominibus cultus solum Beatis, & Sanctis ab Ecclesia recognitis, vel pro talibus habitis ab antiquo tempore debitus, tribuatur propria auctoritate; narrando autem eorum vitam sine dictis, signis, & qualitatibus, vt contingit fieri in Historiis aliorum virorum illustrium, qui non decesserunt cum opinione sanctitatis, neque martyrij, nulli laus, veneratio, aut cultus specialis sanctis debitus illis tribuitur, ergo non est necessaria illa particularis licentia S. Congr. Vide dicta sub numer. 23.

CAPVT XVI.

De Potestate Dæmonum.

SVMMARIVM.

1 *Potestas Dæmonum magna.*
2 *Nomina malorum Angelorum.*
3 *Nomina bonorum Angelorum.*
4 *Septem sunt.*
5 *Nomina eorum quid significent?*
6 *Astrologi aliter vocant Angelos ductores Planetarum.*
7 *Homines inuocant Dæmones mirabilia facientes.*
8 *Id autem de se est peccatum mortale.*
9 *Mouentur localiter.*
10 *Quod est de fide.*
11 *Motus eorum parificatur circulari Leonis.*
12 *Angelus est in loco per substantiam non per operationem.*
13 *Motus est forma intrinseca mobili.*
14 *Moueri potest continuè successiuè.*
15 *Motu discreto.*
16 *In instanti ad locum proximum.*
17 *Esse potest in loco ante operationem.*
18 *Ab extremo ad extremum transit per medium.*
19 *In instanti non potest esse in Cœlo,& in Terra.*
20 *Plures esse possunt in eodem loco.*
21 *Idem non potest de se in pluribus esse locis.*
22 *Esse incorporeos de fide est.*
23 *Assumunt corpora verè,& realiter.*
24 *Probatur ex sacra Scriptura.*
25 *De fide hoc est.*
26 *Quandoque imaginariè tantum.*
27 *Boni assumunt corpora ad bonum finem.*
28 *Mali ad malum.*
29 *Corpora ab ipsis compacta ex pluribus elementis.*
30 *Dæmones assumere possunt corpora mortuorum.*
31 *Corpora propria virtute formant.*
32 *Vnio cum illis tantum accidentalis.*
33 *Operationes eorum in corporibus non sunt vitales.*
34 *Super elementa, & alia habent potestatem.*
35 *Transferunt de loco ad locum.*
36 *Hoc est de fide.*
37 *Energumenos facit,est de fide.*

38 *Transformare potest vnum corpus in aliud.*
39 *Thesauros sciunt eruere.*
40 *Infirmitates, & mortem causare possunt,*
41 *Sanare possunt infirmos.*
42 *Generare nequeunt, sed tantum semen transferre.*
43 *Maleficat coniugatos.*
44 *Mirabilia facit, non miracula.*
45 *Super animam ius non habet.*
46 *Secreta cordium Dæmon non cognoscit.*

1 MAgna quidem est potestas Diaboli, non tamen
infinita, sed limitata, & tanta, quanta illi à
Deo permittitur, vt exemplum habes in Libro Iob,
vbi Deus Diabolo potestatem dedit super vniuersa illius,
cap. 1. *num.* 12. his verbis. *Ecce vniuersa, quæ
habet, in manu tua sunt, tantum in eum non extendas
manum tuam. Et cap.* 2. *num.* 6. eidem Dominus dedit
potestatem super corpus Iob, his verbis. *Ecce in manu
tua est, verumtamen animam illius serua.* Ex quibus
apparet Diabolum non habere potestatem super creaturas,
maximè super homines nisi desuper illi permissum
sit, præsertim super animam hominis viuentis,
quam vti rem pretiosissimam Deus sibi reseruat, cum
sit imago ipsius Dei, Genes. *cap.* 1. *num.* 26. *Faciamus
hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

Dæmon autem vocatur Angelus, sed malus, quia
eiusdem est naturæ cum Angelo bono, siquidem post
peccatum naturalia remanserunt integra in Angelis.
Nomina malorum Angelorum, seu Dæmonum sunt
2 Admodæus, *Tob.* 3. *num.* 8. Gob, Giber, Gabir, Gadebru,
apud Laurentium Ananiam *lib.* 2. *de natura
Dæmonum, cap.* 6. vbi, nomina incognita præsumuntur
esse potius malorum Angelorum, quam bonorum,
cuiusmodi sunt sequentia, Raguel, Tubuel, Adimis,
Tubas, Simihel, vt dixerunt Patres in Concilio Romano
sub Zacharia Papa de anno 742. aut 745. qui
Angelorum bonorum nomina statuerunt esse tria ex
3 Sacra Scriptura, Michaël, Gabriël, & Raphaël, quibus
alij Sancti Patres addiderunt alia quatuor, quæ sunt
Vriel, de quo fit mentio in *lib.* 3. & 4. Æsdræ, qui
licet inter canonicos non recenseantur, illis tamen sunt
consuti in Sacra Biblia, reliqua tria sunt Scalthiel,
Iehudiel, & Barachiel, de quibus Cornelius à Lapide
in cap. 1. *Apocal.* ex illo Catena *part.* 2. *tit.* 12. *de Sorti-
4 legis*, § .9. Septem ergo sunt nomina bonorum Angelorum,
in quorum honorem extat Ecclesia Panormi
dicata, ex eodem Cornelio, & Romæ eosdem Angelos
septem reperiri depictos cum suis nominibus in
Ecclesia S. Mariæ Angelorum, Granadus in *par.* 1. *t.* 3.
de Angel. tract. 16. *disp.* 2. Confirmatur id, quia de
his dicitur Tobiæ 12. 15. *Ego sum Raphaël Angelus
vnus ex septem, qui astamns ante Deum.* In Apocal. sæpius
fit mentio de septem Angelis; & in huius corroborationem
in officiis propriis Sanctorum Ordinis
Minorum pro festo S. Gabrielis Archangeli die 24.
Martij in Hymno ad Vesperas, ita habetur. *Vnus ex
septem, qui Domino qui astant*, & in vltimo Responsorio
hæc habentur. *Et suam medelam Raphaël affert,
5 quam constat Vriel pro grege rationali.* Est autem officium
ab Ecclesia Catholica approbatum. Prædicta autem
nomina habent hanc interpretationem: *Michaël,
quis vt Deus: Gabriël, fortitudo Dei: Raphaël verò
medicina Dei interpretatur*, inquit, D. Gregorius allegatus
in dicto officio pro Lect. V. Vriel in dicto Responsorio
interpretatur præparatio medicinæ, ab aliis
ignis Dei, Scalthiel, oratio Dei; Iehudiel, laus Dei; Barachiel,
benedictio Dei, excitatis apud prædictum
6 Carenam, Astronomi aliis nominibus vocant hos Angelos
iuxta septem planetas, quos volunt ducere
planetas, Gabriel ducit lunam; Michael Mercurium;
Anael Venerem; Raphael Solem; Samael Martem;
Satquiel Iouem; & Caphthiel Saturnum. Ita Lucas
Gauricus in suo Calendario *pag. mihi* 17. & 18.

Homines videntes Dæmonia facere mirabilia, tam
beneficia, quam maleficia, interdum illos inuocant, 7
vt opem ferant, sed quia est peruersæ naturæ, &
semper in malum tendit illi insidiando, auxilium homini
siuè in bonum, siuè in malum præstare non vult
nisi illi promittat aliquid, quod illum apostare facit,
& abnegare Iesum Christum, & fidem Catholicam,
ideo illius inuocatio, & auxilium ex natura rei semper 8
est peccatum grauissimum, consequenter omnino
fugiendum, & abhorrendum, quod S. Patres semper
docuerunt, & Summi Pontifices præceperunt, pœnis
adiunctis contra huiusmodi inuocatores Dæmonum,
de quibus in sequentibus. Sed accedamus ad
quæstiones.

Quæres 1. An Dæmones sicut Angeli boni moueant
seipsos localiter?

℞. Affirmatiuè, omnes Angeli, tam boni, quam
mali, qui vocantur dæmonia verè, & propriè seipsos 9
mouent localiter, & hoc est de fide pluribus in
locis Sacræ Scripturæ, dum in ea dicitur, quod Angeli 10
ambulant, descendunt, ascendunt, ingrediuntur,
& egrediuntur, &c. Sed hi motus competunt verè,
& propriè motui locali, ergo Angeli localiter mouentur.
Et Dæmon de seipso loquitur Iob *cap.* 1. *num.* 7. 11
Circuiui terram, & perambulaui eam. In Epistola 1.
Petri *cap.* 5. comparatur quo ad motum localem motui
circulari, quem facit Leo, ibi: *Tamquam Leo rugiens
circuit quem deuoret.* Motus autem Leonis est verus,
& proprius à loco ad locum, ergo & Dæmonis. Ratione
probatur, quia omnes aliæ res creatæ vbique esse
non possunt, sed in aliquo determinato loco collocantur,
vnde necesse est, quod habeant à natura virtutem,
per quam possint localiter moueri ad diuersa
loca, vt id patet in omnibus animalibus ergo idem
dicendum est de Angelis, & Dæmonibus, cum &
ipsi certum, & limitatum locum habeant, ergo talem
in se virtutem debent habere, per quam possint se
mouere ab vno ad alium locum, non enim sunt deterioris
conditionis animalibus, immò longè perfectioris,
ac proindè eorum natura non debet esse vni loco
alligata, sed libera ad diuersa loca. Quod autem
moueat seipsum ab intrinseco patet etiam ex Sacra
Scriptura, Exodi *cap.* 14. *num.* 19. *Tollensque se Angelus
Dei, qui præcedebat castro Israel abiit post eos.*
Confirmatur id ex supracitatis motibus, qui competunt
tantum mouentibus se ab intrinseco, ergo Angeli
seipsos mouent. Id est communi sententia Theologorum
cum Magistro *in* 1. *dist.* 37. & 2. *dist.* 2.
& est de fide expressa in pluribus locis Sacræ Scripturæ.
Vnde S. Bernard. *in lib.* 5. *de consider.* dicit.
*Quamuis dubium sit, an aliqua ratione Angeli corporei
sint, tamen indubitatum est, illos moueri localiter.*

Nonnulli Theologi aliter sentiunt, nam Heruæus 12
de motu Angeli *q.* 1. *art.* 1. & 2. putat Angelum esse in
loco, sicut causa in suo effectu, consequenter negat cõuenire
illi verum motum, qui exigit, vt res, quæ mouetur,
fiat secundum substantiam præsens vni loco,
& absens ab altero, ac proinde asserit Angelum ideo
dici localiter moueri, quia desinit operari in vno corpore,
& incipit operari in alio, ad id enim satis est
esse in loco eo modo, quo agens est in passo. Durandus
verò *in* 1. *dist.* 37. *par.* 2. *q.* 1. & alibi negat Angelos
moueri localiter, quia vult illos initio suæ creationis
naturaliter habuisse quandam Vbiquitatem ad
omnia loca, in quibus potest esse, & operari, ex quo
negat in illis motum localem, & solum concedit in eisdem
motum quoad manifestationem, quia nimirum
illorum operatio modò apparet in vno loco, modò in
alio. Videntur in eo conuenire ambo, quod Angelus
sit

ſit in loco potius per ſua operationem, quam per ſubſtantiam, ita quod ratio formalis eſſendi in loco Angelo conſiſtat in operatione; quod tamen Faber *in 2. diſp.* 15. cum Scoto reiicit, probando Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam. Quare ſupradictorum opinio tenenda non eſt, vtquæ videtur apertè aduerſari Sacræ Scripturæ, quæ ſimpliciter dicit Angelos modò in vno loco, modò in alio reperiri, ergo id accipiendum eſt in propria ſignificatione, immo ſi attente legatur Sacra Scriptura, inuenientur Angeli fuiſſe in aliquo loco, & ibi aliquando non exercuiſſe operationem in aliqua temporis differentia.

Scholaſtici nonnulla quærunt circa motum localem Angelorum. *Primo*, an per illum aliquid intrinſecè acquiratur mobili? ſeu, an motus ſit ad formam intrinſecam? *Secundò*, an ſit continuus, an indiuiſibilis? *Tertiò*, an poſſit eſſe diſcretus? *Quartò*, an poſſit eſſe inſtantaneus? *Quintò*, an ſit ſemper coniunctus cum operatione? *Sextò*, an ſit tranſitus ab extremo ad extremum non tranſeundo per medium? *Septimò*, an in inſtanti poſſit moueri ad locum remotiſſimum? *Octauò*, an plures in eodem loco eſſe poſſint? *Nonò*, an idem numero poſſit eſſe in pluribus locis.

13 Primò reſpondetur ſic, quia motus localis eſt acquiſitio præſentiæ ſucceſſiuè afficientis mobile, ratione cuius præſentiæ habentis partes ſucceſſiuas in ordine ad partes extenſas ſpatij ipſum mobile eſt ſucceſſiuè in ſpatio maiori ſe, hoc enim eſt localiter moueri, ſed quoties aliqua forma eſt intrinſeca alicui, neceſſario motus, via, & tendentia, per quam producitur talis forma, intrinſecè ei inhæret, quod mouetur, & tranſit ab vna forma intrinſeca ad aliam, ergo motus, & præſentia per illum acquiſita ſunt intrinſeca mobili. Eſt communis doctrina Theologorum, quos refert Faber *in 2.diſt.2.diſp.20.num.* 11. contra plures Thomiſtas aſſerentes, motum dicere formam extrinſecam eo falſo fundamento, quod Angelus eſt in loco per operationem tranſeuntem. Nec prædictis obſtant duo obiecta ex Ariſtotele, primum, quod nullum indiuiſibile poteſt moueri localiter, cum careat partibus, ſecundum quas deberet eſſe partim in termino quo, partim in termino ad quem; quia id procedit de mobili corporeo, præterquam quod ſufficit, quod motus habeat partes reſpectu ſpatij, ſuper quod mouetur, & temporis, vt exemplo Sphæræ motæ in puncto indiuiſibili ſuper planum perfectum probat Scotus *in 2.diſt. 2.q.9.in ſolut.3.argum.* principalis. Secundum, ex 8. *Phyſic.tex.* 57. & 59. vbi Ariſt. negat per motum localem produci aliquid, quo mobile varietur, non obſtat, quia Ariſt. ſolum vult per lationem nihil acquiri ſenſile, ex quo appareat diuerſitas in mobili reſpectiuè ad alios motus argumentationis, & alterationis, in quibus ſenſibiliter apparet remitti, aut intendi qualitatem, creſcere, aut minui quantitatem; igitur per motus iſtos forma acquiſita apparet ſenſibiliter, non vero ea, quæ per lationem acquiritur, vnde ſimpliciter non negat acquiri aliquid.

14 Secundò, Angelus poteſt ſe mouere continuè ab vno loco ad alium accedendo ſucceſſiuè, continuè quidem, quia à nullo impediri poteſt obiecto corporeo; ſucceſſiuè verò, quia tranſit ab vna parte ſpatij ad ſequentem aliam, relicta priori accedere poteſt ad poſteriorem, mouetur igitur continuè ſucceſſiuè ſine vlla interruptione. Confirmatur, quia continuatio, & ſucceſſio in motu neceſſario non oritur ex eo præcisè, quod mobile ſit diuiſibile, ſed quia ſpatium, & tempus ſunt diuiſibilia in partes, reſpectu quarum Angelus, & quoduis indiuiſibile dicitur moueri continuè ſucceſſiuè. igitur ſucceſſio non deſumitur hic à mobili, cum partibus careat, ſed à ſpatio & tempore. Motus igitur ex parte Angeli poteſt dici indiuiſibilis, ex parte verò ſpatij, & temporis diuiſibilis. Vide D. Thomam *par.1.q.53.art.2.* Scotum *in 2.diſt.2.quæſt.9.* Fabrum *diſp.20.ſuper 2.ſent.c.3.*

Tertiò, Angelus ſe mouere poteſt motu diſcreto, 15
& quaſi per ſaltum, motus enim diſcretus eſt ſucceſſio diuerſarum præſentiarum permanentium actione inſtantanea ab Angelo productarum, per quas ſe conſtituit modò in vno loco, modò in alio, qui motus diſcreti licet ſibi ad inuicem ſuccedant, non ideò tamen continuantur ad inuicem, quia quiſque illorum ponit mobile in loco permanenter, ita quod vnus motus cum alio non copulatur aliquo communi termino, ſed ad inuicem ſe habent ſicut plures vnitates, quæ conſtituunt numerum, & non ſunt ſingulæ earum numerus, ita motus quiſque diſcretus facit ſucceſſionem motus diſcreti, non tamen vniuntur ad inuicem, ad conſtituendam continuationem, quia vnaquæque permanentia in ſe eſt perfecta. Neque ſequitur inde dari duo inſtantia immediata, quia deſitio, & inceptio eſſendi in ſecundo loco eodem modo non ſe habent, nam mobile deſinit extrinſecè eſſe in primo loco, & incipit intrinſecè eſſe in ſecundo loco, ex qua ratione tollitur immediatio inſtantiũ.

Quartò, Angelus in inſtanti poteſt ſe mouere à 16
loco ad locum proximum, quia ſecundum ſe totum cum ſit indiuiſibile poteſt in inſtanti relinquere totũ priorem locum, & ſe ponere in ſecundo; hæc autem motio eſt inſtantanea, cum tota ſit ſimul, ergo Angelus moueri poteſt in inſtanti ad locum proximum; dico (proximum, & immediatum) quia à loco ad locum, aliquo intermediante ſpatio, non poteſt ſe transferre in inſtanti, vt tradunt Scholaſtici cum D. Thoma *par. 1.quæſt.53. art.3.* Scoto *in 2. diſt. 3.q.* 11. cum Fabro *diſp.*21.

Quintò, Angelus poteſt eſſe in loco abſque ope- 17
ratione tranſeunte, quia ex ſupradictis, præſentia, non operatio conſtituit Angelum in loco. Confirmatur, quia in Angelo duo ſpectantur, eſſe exiſtentiæ, & eſſe operationis, illud præcedit hoc, quia prius eſt eſſe quam operari, ergo Angelus prius eſt in aliquo, quam ibi operetur. Hoc tenent Scotiſtæ contra Thomiſtas, qui Angelum in loco volunt eſſe tantum per operationem, illi per præſentiam ſuæ ſubſtantiæ.

Sextò, Angelus non poteſt ab vno extremo ſe po- 18
nere in aliud extremum, niſi tranſeat per medium, quia de ratione motus localis eſt, vt mobile percurrat ſpatium ſemper maius ſe, & inadæquatum, vt poſſit acquirere præſentiam, quam non habet, ergo neceſſario attingit quodcumque intermedium. Id eſt contra Thomiſtas aſſerentes, poſſe moueri à loco ad locum remotum non tranſeundo per medium, ea ratione falſa, quod ſicut eſt in loco per operationem, ita operari poteſt in extremis remotis ab inuicem nullam exercendo operationem in locis intermediis. Vide Fabr. *in 2. diſp.* 22. vbi doctrinam Scoti egregiè dilucidat.

Septimò, Angelus in inſtanti non poteſt ab vno 19
loco ad alium diſtantem ſe transferre, quia implicat mobile in eodem inſtanti eſſe in ſpatio maiori ſuo loco adæquato; eſſet autem Angelus hoc modo in ſpatio maiori ſuo loco adæquato, ſi in inſtanti ſe ponere poſſet in locum remotum. Confirmatur, tum quia, Sancti Patres docent Angelum non poſſe eſſe ſimul in Cœlo, & in terra; tum quia, naturaliter poſſet eſſe in duobus locis. Vt igitur Angelus moueatur à loco ad locum remotum requiritur tempus, & quidem breuiſſimo tempore id facere poteſt, & vt dicam, in ictu oculi, quia eſt maximæ agilitatis, & velocitatis, ita quod non habet medium ſibi reſiſtens.

20 Octauò, plures Angeli possunt esse simul in eodem loco etiam naturaliter, quia id ipsis non repugnat, nec ex parte sui, quia cum sint expertes quantitate, nihil habent, per quod vnus possit occupare locum alterius; neque ex parte loci, quia nihil assignari potest. Confirmatur, Tum quia, in Energumenis simul sunt Dæmones cum Anima rationali. Tum quia, ex Lucæ *cap.* 8. habetur in vno homine fuisse vnam legionem Dæmonum. Non solum autem in eodem loco possunt esse secundum præsentiam intrinsecam, & substantialem, sed etiam extrinsecam, hoc est, per operationem, quia in eodem loco, & corpore operari possunt, vt id patet in Energumenis, qui moueri possunt, & vexari à pluribus spiritibus immundis. Fabr. *in 2. disp.* 19.

21 Nonò, idem Angelus numero naturaliter non potest esse in pluribus locis adæquatis, quia habet proprium spatium limitatum, ergo existens in illo, non potest simul alteri coexistere, aliter prius non esset sibi adæquatum. Potest verò simul esse in pluribus inadæquatis, quia si adæquatum e. g. decem palmorum occupat, & illi coexistit, à fortiori coexistere poterit tripalmaribus. Becan. *c.* 1. *de natura Angel. q.* 5. *n.* 6. Fabrum *in 2. disp.* 18.

22 Quæres 2. An Angeli tam boni, quam mali assumãt corpora? Angelos esse incorporeos, atque materia expertes iure diuino certissimum est, cum vocentur Spiritus, qui omnino immateriales, & incorporei sunt, de bonis *Psal.* 103. *n.* 4. *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* De malis *Matth.* 8. *n.* 16. *Obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & eiiciebat Spiritus verbo.* Ab eo, & aliis Euangelistis Angeli mali sæpius vocantur Spiritus immundi. Expresse *c.* 1. *de Summa Trinit.* ibi: *Vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.* Et hoc est de fide tenendum contra Conymbr. *lib.* 1. *de Generat. cap.* 4. *q.* 10. *art.* 3. §. *Præsens.* ex locis citatis Sacræ Scripturæ, non obstante quod ex antiquis Patribus nonnulli eos asseruerint corporeos, decepti ex eo, quod pinguntur ea causa quod putabant eos corporeos, sed reuera hæc non est causa, sed ideo pinguntur, quia per visibilia venimus in cognitionem, inuisibilium, præterquanquod ideo pinguntur, quia hominibus apparent sub specie corporea. His præmissis.

23 ℞. Angeli tam boni, quam mali assumunt corpora verè, & realiter, & non tantum secundum imaginationem, & apparentiam; boni quidem ad manifestandum, repræsentandum, seu faciendum aliquod præsertim extra corpus assumptum, mali verò ad vexandum corpus arreptum, vel aliquid aliud malum faciendum circa hominem, aut animalia, seu res creatas, Deo permittente: corpus autem, quod boni assumunt est regulariter ex pluribus elementis cõfictum, sicut & Dæmoniorum, qui vt plurimum arripiunt corpus humanum ad illius vexationem, ex quo homo oppressus dicitur Energumenus, & Maleficiatus. Huiusmodi corpora aërea propria virtute confingunt, & illis insunt vnione accidentali, non informatiua, neque hypostatica. Singulæ partes probandæ sunt in sequentibus.

24 Prima pars, quod Angeli verè corpora assumant, probatur de bonis ex sacra Scriptura, nam Genes. *cap.* 16. *num.* 7. Angelus occurrit Agar ancillæ Saræ fugienti, & cum ea locutus fuit *cap.* 32. Iacob cum Angelo luctam habuit. Angelus mansit cum Tobia, & eius filio multa eisdem conferens beneficia. De his apparitionibus plenæ sunt Sacræ Scripturæ; apparebant autem in forma viri, & hominis, vt colligitur ex sacra Historia, ergo in corporibus assumptis. Confirmantur, quia videbantur ab iis, quibus apparebant sensibiliter realiter, & non per imaginationem, aut apparentiam, quia serui Dei cum illis tractabant, sicut cum hominibus, qui tales sunt reuera, & non per imaginationem; neque verisimile est, quod termini videri, apparere, comitari, lauare pedes illorum accipiantur impropriè, quia sacra Historia impropriè non loquitur in his, sed secundùm quod res sunt à parte rei. Sed obiectum visionis est solum corpus sensibile, ergo Angeli videntur in corporibus à se assumptis. Vide D. Thomam *part.* 1. *quæst.* 51. *art.* 2. Scotum *in* 2. *dist.* 10. *&* 11. Fabrum *disp.* 42. *cap.* 2. De malis Angelis corpora assumentibus, seu arripientibus probatur, nam Dæmon in corpore assumpto tentauit Christum, vt legitur apud Euangelistas. Item Satanas intrauit in corpus Iudæ traditoris, Lucæ 22. *num.* 3. Ioan. 13. *num.* 27. Spiritus immundus in hominem, à quo exierat, de nouo intrat cum aliis septem spiritibus se nequioribus, Matth. *cap.* 12. à 25
num. 43. Christus Dæmonia eiecit à corporibus hominum, Matth. *cap.* 8. *ad* 17. & apud alios Euangelistas. Concludendum est ergo tam Angelos bonos, quam malos assumere corpora, quod de fide tenendum est ex locis Sacræ Scripturæ, quæ clara sunt.

Secunda pars, quod aliquando appareant secundum 26 imaginationem, & non in corporibus verè assumptis, probatur ex Sacra Scriptura Matth. 2. vbi dicitur, Angelum in somnis apparuisse Ioseph, cui dixit, vt fugeret in Ægyptum cum Filio, & eius matre. Et in Consilio Arausicano relato *cap. Episcopi* 12. 26. *q.* 5. dicitur, hoc modo multa contigisse Ezechieli, & aliis Prophetis. Ex quo loco nonnulli obiiciunt, Patres in eo Concilij definisse Dæmones reuera non assumere corpora, sed tantum videntes deludere, & phantasmatibus seducere incautas mulierculas putantes se equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire. Sed ita non est, & sensus Patrum in eo loco est, sortilegia, & magicas artes eliminare à fidelibus docendo illos, qui talia credunt, fidem perdere, putantes Dæmones huiusmodi facere mirabilia tantum propria virtute, & sine vlla Dei permissione. Vel dic ibi definiri Dæmonum non posse mutare naturam vnius hominis, seu animalis in speciem alterius rei, non verò negatur assumptio corporum. Boni igitur Angeli solent quandoque in Spiritu apparere, & in somnis instruendo seruos Dei, vt fecerunt S. Iosepho, & Ezechieli. Mali vero quandoque immutant sensus facientes videre rem aliter, quam est à parte rei, non tamen rei natura intrinsecè mutatur, sed exterius alia apparet videnti, Dæmonis seductione.

Tertia pars, quod Angeli boni corpora assumant 27 ad finem bonum, probatur, quia cum in gratia confirmati peccare non possint, assumptio corporum per ipsos ordinatur ad bonum finem; sic Angelus Gabriël assumpsit corpus, vt Mariæ semper Virgini annuntiaret mysterium Incarnationis. Sic Raphaël corporaliter visus fuit, vt Tobiam curaret, & eidem cum filio multa conferret beneficia. Item Angelus in figura corporea se opposuit asinæ Balaam. Multa alia habes exempla in Sacra Scriptura, in qua Angeli dicuntur se manifestasse in beneficium hominum, & ad malorum punitionem, 1. Paralipom. cap. 21. & alibi.

Quarta pars, quod Angeli mali assumant corpora 28 ad vexandum homines, & ad alia mala, probatur, quia Dæmonis proprium est male agere, & semper satagit esse molestus hominibus? nam Christum Dominum sæpius tentauit Matth. *c.* 4. Multa mala intulit patienti Iob, vt in eius vita legitur. Energumenos variis modis Dæmones vexant Marci *cap.* 1. *à num.* 24. *& cap.* 9. *à num.* 16. Lucæ *c.* 9. *num.* 39. Matthæi *cap.* 8.

n. 28. vbi *n.* 31. Dæmones etiam vexant corpora animalium brutorum, nam ex præcepto Christi abierunt in porcos, quos in aquis suffocauerunt. Alia mala hominibus inferunt mediantibus lamiis, & strigis, de quibus infra suo loco.

29 Quinta pars, quod corpora ab illis assumpta sint compacta ex pluribus elementis nimirum ex aëre impuro, & condensato cum admixtione vaporis aquei, & exhalationis terrestris, ac proinde sunt mixta imperfecta, probatur, quia huiusmodi corpora sunt verè colorata, & habent duritiem; sed hæ qualitates fieri non possunt per vnicum elementum in corpore assumpto, nam color albus fit ex condensatione corpori perspicui; niger verò ex condensatione opaci, medij vero ex admixtione perspicui, & opaci? aër autem se solo non condensatur; sed talis fit per admixtionem vaporum, & exhalationum, ex quibus aër dicitur impurus, & materia apta ad recipiendam quamcumque figuram iuxta voluntatem Angeli, qui applicando actiua passiuis ad suum placitum corpus format, intra quod existens illud sibi vnit. Vide Fabrum in 2. *disp.* 43. *num.* 8. reiicientem Vasquez asserentem, duritiem, colorem, & similia in corporibus formatis ab Angelis non esse vera, sed tantum apparentia.

30 Sexta pars, quod Angeli mali interdum assumant corpora mortuorum animalium, probatur, quia si assumunt corpora viuorum ex probatis sub *n.* 28. à fortiori corpora mortua, respectu quorum facilior videtur assumptio, quam respectu viuorum, cum in his animo agere possit in Spiritum. Vide D. Aug. relatum. *cap. Nec mirum* 14. 26. *q.* 5. Becan. *c.* 1 *de Angel*, *q.* 16. *n.* 3.

31 Septima pars, quod corpora ab ipsis assumpta formentur propria virtute, probatur, quia nihil eorum, quæ pertinent ad eorum formationem, & assumptionem excedit illorum vires, vt docent omnes cum D. Bonauent. Scoto, & aliis in 2. *dist.* 8.

32 Octaua pars, quod vnio cum corporibus assumptis ab Angelis sit tantum accidentalis, probatur, quia vniuntur sicut motor, & nauta in naui, cui vnitur tam in essendo illi in existendo? quam in causando, operando ad eum finem, ad quem corpus assumitur. Quare hypostaticè non vnitur Angelus corpori à se assumpto, quia hæc vnio mirabilis est requirens infinitam virtutem, ac proinde solius Dei propria est. Neque dici potest vnio informationis, quæ consistit in coniunctione vnius partis cum alia comparte, ex quibus resultat vnum per se; Angelus autem pars non est, ergo hac ratione vniri non potest, cum nec faciat vnum per se cum corpore assumpto.

Quæres 3. An Angeli in assumptis corporibus exerceant operationes vitales, sicut facit homo, sub cuius specie apparent?

33 ℟. Operationes, quas Angeli exercent in corporibus assumptis, propriè non sunt vitales, quia illis corporibus Angeli vitaliter non sunt coniuncti, neque proinde respectu earum operationum, ad quas concurrit corpus assumptum, dicitur principium vitale, consequenter vitales esse non possunt, neque dici, nisi apparenter; vnde Angelus Raphaël de se ipso dicit Tobiæ 12. *n.* 19. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* In his autem operationibus manducandi, bibendi, ambulandi, ridendi, &c. quas Angeli leguntur exercuisse in corporibus assumptis duo spectantur, vnum secundum earum entitatem ratione cuius dicuntur viteles, alterum secundum earumdem motum, ratione cuius aliquid commune, nimirum motum, habent operationes huiusmodi in Angelis, & hominibus; nam ambulatio præter motum requirit, vt fiat à tali virtute motiua mediis talibus instrumentis, neruis, musculis, &c. Comestio præter motum contendit cibum, dicit traiectionem in stomachum cum eiusdem concoctione vi naturalis caloris, vt inde sequatur nutritio. Risus dicit præter motum scepti transuersi, & dilationem genarum cum exhilaratione animi, & spirituum commotionem ex imaginatione prouenientem, & delectationem ex re noua, ludicra, &c. Locutio dicit motum labiorum, linguæ ex allicione aëris ad palatum, & dentes efficientes sonum cum imaginatione aliquid significandi. Ex his apparet operationes Angelorum in corporibus assumptis nihil habere commune cum operationibus vitalibus hominis, nisi simplicem motum localem, consequenter impropriè, & metaphoricè vocantur illis hominibus. Nec dicas, ergo comestio Christi post resurrectionem non fuit verum argumentum ad probandam eius Resurrectionem. Nam respondent D. Thomas *part.* 1. *quæst.* 51. *art.* 3. *ad* 5. Scotus *in* 2. *distinct.* 10. & 11. apud Fabrum *disp.* 45. *num.* 13. fuisse veram comestionem ex sua natura ordinatam ad nutritionem licet impedita fuerit à gloria corporis, cui non repugnat, quando nutritio, non est ad supplendam indigentiam, vt in corporibus corruptibilibus, quæ nutriuntur ne deficiant.

Quæres 4. An Dæmones super elementa habeant aliquam potestatem ad excitandas impressiones memetheorologicas producendo tempestates, grandines, niues, ventos, &c. illisque valeant nocere, & damnificando euertere domos, segetes comburere, &c.

℟. Affirmatiuè, quia hæc non excedunt eorum vires, & clarum testimonium de Iob habemus, cuius bona, & substantiam Deo permittente, Satan diripuit. Ita docent S. Augustin. relatus *cap. Sciendum* 2. 26. *quæst.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 54. *num.* 44. Delrius *lib.* 2. Magicar. *quæst.* 11. Binsfeld. *de confess. malefic* ex illis Carena *part.* 2. *de Sortileg. tit.* 12. *n.* 4. 34

Quæres 5. An Dæmones possint transferre vnam rem ab vno ad alium locum remotissimum, e.g. Arborem, animal brutum, & hominem?

℟. Affirmatiuè, quia ex *quæst.* 1. mouentur localiter, & pondus rei, quam deferunt, non excedit illorum, vires quare teste Plinio *lib.* 17. *cap.* 25. apud Lessium *lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 14. dæmon transtulit oliuetum de loco ad locum. Christus Dæminus se transferri à deserto in pinnaculum templi, & in montem excelsum permisit, Matth. *cap.* 4. Id confirmatur experientia tot Magarum, & Sagarum, quæ perducuntur à dæmonibus ad loca, remotissima, vbi diabolicum exercent conuentum in ludis comessationibus, lasciuiis, & aliis maleficiis. Ita ferre omnes sentiunt cum Bernardino Comensi in tract. de Strigiis, Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de iusta hæret. punit. cap.* 16. Lessius *lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 15. Delrius *lib.* 2. Magic. *quæst.* 26. alios citat. Carena *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 5. Sair in Claui *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 13. Et hoc puto de fide credendum esse, id enim ex Sacra Scriptura habetur exemplum Christi à Diabolo transportari in montem, & supra pinnaculum montis Matth. *cap.* 4. Lucæ *cap.* 4. nam verbum, *assumpsit*, quo D. Matthæus vsus fuit, significat portationem, & translationem assumpti à loco ad locum, Deuter. *cap.* 32. *num.* 11. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* De Christi portatione D. Gregor. *in homil. super dictum Euangelium ibi: Nec mirum est, si se ab illo permisit duci in montem.* Anton. de Ghisland. super Euangel. hoc *dub.* 31. Demum Angelus bonus transtulit per capillos Habacuc in Babylonem, vt prandium daret Danieli in lacu leonum incluso, Daniel. *c.* 14. *n.* 35. Ergo & hoc idem præstare potest diabolus, Deo permittente, cum non sit minus potens quo ad naturalia Angelis bonis. 36

Quæres 6. An Dæmon possit ingredi corpus humanum, & illud vexare, & molestare?

37 ℞. Potest de facto aliquando ingreditur, & vexat, atque de fide hoc tenendum est. Vtrumque colligitur ex Sacra Scriptura, Matth. *cap.* 8. *num.* 16. *Obtulerunt ei multa dæmonia habentes.* Item *num.* 28. *Occurrunt ei duo habentes dæmonia.* Marci *cap.* 1. *num.* 23. *Et erat in sinagoga eorum homo in spiritu immundo. Et comminatus est ei Iesus, dicens: obmutesce, & exi de homine, & discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.* Lucæ *cap.* 4. *num.* 41. *Exibant autem Dæmonia à multis, cap.* 8. *num.* 2. *Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant.* De his pleni sunt libri Euangeliorum, vnde de hac re dubitare nefas est, hæresis crimen. Confirmantur prædicta, quia aliàs frustratorium est officium exorcistæ, ad quem spectat eiicere dæmonia à corporibus obsessis, eius enim hæc est potestas illi collata in ordinatione facta ab Episcopo *cap. Exorcista* 16. *dist.* 23. & in Concilio Carthagin. 4. statuitur, quod omni die Exorcistæ energumenis manus imponant, relato *c. Omni* 10. *dist.* 5. *de consecrat.*

Quæres 7. An Dæmon possit transformare corpora hominum, & aliorum animalium, de homine, v. g. in Leonem, vel Equum conuertendo in Canem, &c.

38 ℞. Potest secundum formam extrinsecam apponendo formæ reali, & connaturali aliam à se compactam commixtione qualitatum, efficiendo, vt homo e.g. appareat aliud animal, quod reuera non est, nempe lupus, aut bos, &c. neque enim huiusmodi compositio, per quam cõnaturalis figura apparet alia, excedit vires, & potestatem Dæmonis, qui bene scit, quænam sint necessaria ad hæc, quæ mira sunt oculis intuentium, præstanda. Ita Binsfeld. *de confess. Magar. concl.* 3. vbi explicatur conuersio admirabilis, Nabuchodonosoris Regis in bestiam, qui sibi videbatur esse bestia, quia per multos annos cum bestiis, & more bestiarum viuebat, & tractabatur, fœnumque vt, bos comedebat, *cap.* 4. Daniel. Eius autem conuersio substantialis non fuit, sed tantum accidentalis secundum quam apparebat omnibus illum intuentibus bestia imò & sibi, donec sensus illius, & eiusdem figura reuertetur in seipsum. Itaque transformatio accidentaria fuit, & non substantialis. Vide Lessium *lib.* 2. *c.* 44. *n.* 18. Delrium *lib.* 2. *q.* 18. Carenam *par.* 2. *tit.* 12. *n.* 16.

Quæres 8. An Dæmon super thesauros habeat dominium, & possit illos manifestare hominibus tradendo?

39 ℞. Bene scit, vbi latent Thesauri, & illos hominibus tradere potest, quamuis sæpè eos fallat fictos tradendo, illud probatur, quia omnium rerum occultarum cognitionem habet, neque enim per peccatum, cognitionem naturalem rerum, quam habebat perdidit, quia secundum D. Dionysium à S. Thoma relatum *part.* 1. *quæst.* 64. *art.* 1. naturalia in Angelis integra, & perfecta remanserunt, sicut erant ante peccatum, ergo, possunt cognoscere vbi sunt Thesauri, & à locis reconditis extrahere, & hominibus tradere. Id autem supponitur à doctoribus, dum asserunt non licere per artem magicam comparare Thesauros, cum Sairo in Claui *lib.* 4. *cap.* 6. *à num.* 14. *& seq.* Sanchez *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 36. *&* 37. Less. *lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 20. Comparans autem Thesaurum per artem magicam peccat mortaliter, & super illum fiscus habet ius, non inueniens, *l. Vn. C. de Thesaur.* ante sententiam inuentor non tenetur restituere fisco, vt ex Nauar. docet Less. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 65.

Quæres 9. An Dæmones possint causare infirmitates in animalibus, & hominibus, immò, & illos occidere.

℞. Vtrumque possunt morbum, & mortem inducere, probatur, quia bene cognoscunt dispositio- 40
nem quatuor qualitatum, & temperamentum animalis, quod, Deo permittente, possunt peruertere, & ad discordiam reuocare immittendo malos humores, venena inserendo, motus Spirituum, & humorum impediendo, ex quibus, & aliis, modis exquisitis possunt in hominibus producere morbos, & infirmitates, vt experientia constat, & dispendio multorum hominum, qui ita in graues, & diuturnas infirmitates inducuntur, vt nullum remedium medici inuenire possint ad sanandos huiusmodi ægrotos, ignorantes qualitatem morbi, ac proinde applicationem remedij necessarij, ad recuperandam sanitatem. De infirmitate habemus exemplum in Iob vlceribus pleno. De morte in libro Tobiæ *cap.* 6. vbi *num.* 14. legitur Dæmonium occidisse septem viros, quibus tradita in vxorem fuerat Sara filia Raguelis.

Quæres 10. An Dæmones sanare possint infirmos à morbis?

℞. Possunt sanare morbos, siuè immissos per eosdẽ, 41
siuè alia ratione contractos ex intemperie humorum, seu ab extrinseco ex vulnere, aut percussione, ratio est, quia optimè noscunt causas morborum, ergo eis propria remedia applicare valent, vt inde sequatur sanitas. Confirmatur ex facto Angeli, qui Tobiæ seniori lumen oculorum recuperauit, & iuniorem præseruauit ab occisione spirituum immundorum, vt legitur in eius libro. Nec obstat, quod ille Angelus fuerit ex bonis, quia in hoc boni, & mali æquiparantur, quod respectu potentiæ intellectiuæ, & motiuæ pares sunt, & tales remanserunt post peccatum, quoad naturalia ex D. Thoma, *par.* 1. *quæst.* 57. *art.* 1. *&* 2. *& quæst.* 64. Sair. *lib.* 4. Clauius *cap.* 6. *num.* 14.

Quæres 11. An Dæmones cum mulieribus se coniungentes possint generare, & cum aliis animalibus?

℞. Dæmones proprio semine quod non habent 42
nullatenus generare possunt, sed alieno immisso in vas generatiuum causare possunt huiusmodi immissione generationem tam hominis, quam alterius animalis, non hinc tamen dicitur generans propriè, sed illud animal, cuius semen est.

Primum, quod Dæmones non possint generare propriè, probatur. Tum, quia ad generationem requiritur substantia corporea, hæc enim sola est capax generationis, & corruptionis; sed Angelus siuè bonus, siuè malus non est substantia corporea, vt hoc de fide dixi esse superius *q.* 2. ergo generare non possunt; Tum quia, carent proprio semine, cum id à solo corpore trahatur per corruptionem ex Arist. *lib.* 1. *de Generat. cap.* 3. *tex.* 16. *& lib.* 1. Cœli *cap.* 3. *tex.* 21. Angeli autem carent corpore, & incorruptibilitate, quia contrariis non subiacent, ergo nullatenus ex se generare possunt. Et in hoc conueniunt omnes Catholici cum Magistro in 2. *dist.* 8. vbi Scotus prope finem, D.Th. & alij.

Secundum, quod semen receptum ab illis, vt succubis viris per eosdem, vt incubos immittatur in matricem mulieris succubæ, constat ex historiis virorum probatorum D. August. *lib.* 5. *de ciuit. cap.* 23. D. Thom. *in* 2. *dist.* 8. *q.* 1. Scotus ibidem, Gregorius Sanctus *lib.* 7. *Moral. cap.* 12. Sair. *lib.* 4. Clauis *c.* 6. *num.* 17. Conymbr. *lib.* 1. *Generat. cap.* 4. *quæst.* 10. *art.* 3. Carena alios citat *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 12. Ratio prædictorum est, quia diabolus celerrimè acceptum semen immittere potest in matricem fœminæ, antequam amittat suam qualitatem, & virtutem naturalem,

ralem, sicut si immediatè, inquit Scotus, transfunderetur à primo decidente in eamdem matricem. Confirmatur, quia Angelus tanta velocitate, & celeritate moueri potest, vt breuissimo tempore quasi imperceptibili possit esse ab oriente in occidentem, & à quouis loco ad alium remotissimum docet Clauis *l.* 4. *c.* 6. *n.* 15. ex D.Th.

Quæres 12. An Dæmon possit maleficare coniugatos quoad copulam matrimonialem, impediendo ne seminent ad generationem?

43 ℞. Affirmatiuè, quia id facere, non excedit eius virtutem, cum homo quibusdam remediis, & herbis inducere possit sterilitatem in fœminis, immo & in hominibus, ne generent, à fortiori Dæmon, qui homine maiorem habet potestatem, Iob *cap.* 41. *num.* 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* prædicta efficere potest, qui perfectissimam cognitionem habet mediorum, quæ faciunt ad impediendam generationẽ, per illa operando, ne vir erigat virgam, ne semen excidatur, ne pertranseat ad locum generationis, præueniendo ne matrix aperiatur. Ita omnes cum D.Th. *par.* 3. *in Supplem. q.* 58. *art.* 2. Sair. *in* Claui *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 21. Bernard. Comensis *in Tract. de Strigis n.* 14. §. *Quod autem*, vbi citat Palud. *in* 4. *dist.* 38. & id supponitur per Archiepiscopum Rhemensem relatum *c.* 4. 33. *q.* 1. & in Decretalibus habetur titulus de frigidis, & maleficiatis, quod frustratorium esset, si Dæmon hanc potestatem maleficandi non haberet. Maleficium durans per triennium, quo impeditur generatio, censetur perpetuum, *cap. Laudabilem*, *cap. Literæ de frigid. & malef.*

Quæres 13. An Dæmon possit facere miracula?

℞. Potest quidem mirabilia facere, vt quod be-
44 stiæ, & serpentes loquantur articulatè, nam Dæmon sub figura serpentis Euam decepit. Non tamen edere miracula, vt mortuos resuscitare, cæcis natis visum reddere, dico, *natis*, quia casu factis potest, vt exemplum habemus in Angelo Tobiæ, cui visum restituit. Vera miracula igitur facere non potest, quia hæc requirunt virtutem infinitam in agente. Vide Delrium *quæst.* 21. Binsfeld. *de confess. Magar. par.* 1. ex illis Catena *par.* 2. *tit.* 12. *numer.* 12. & 13. D. Thom. *par.* 1. *quæst.* 114. *art.* 4. Nec dicas, arte Dæmonis Phitonissam ad instantiam Saul reduxisse ad vitam Samuelem 1. *Reg. cap.* 28. Quia non ex arte, sed ex mandato Dei resurrexit, vt ibi probant commentatores, ex eo, quod Saul ante tempus præfixum à Phitonissa vidit Samuelem, quod signum est, reuixisse diuina virtute, non arte Dæmonis; neque enim Deus permittit Dæmonem super suos seruos ius aliquid habere.

Quæres 14. An Dæmones habeant aliquam potestatem super animam rationalem, & eius potentias voluntatis, & intellectus.

45 ℞. Dæmones nihil possunt in animam rationalem, & eius potentias in ordine ad peccatum, nisi hominem tentando, alliciendo, & incitando ad amorem, odium, libidinem, & alia, non tamen illius voluntatem cogere ad consentiendum, & perpetrandum peccatum, quia homo quoad hæc liber omnino est, & intrinsecè à nulla creatura moueri potest, vt docent omnes cum D. Thoma, *par.* 1. *quæst.* 111. *art.* 2. 3. & 4. & *quæst.* 114. *art.* 2. Less. *lib.* 2. *cap.* 44. *numer.* 23. asserens, Dæmonem circa animam rationalem posse facere ea omnia, quæ pendent ex dispositione, & imaginatione corporis, vt inferre amentiam, excitare ad amorem, odium, &c. Cogere igitur ad peccatum nequaquam potest, dicendo S. August. serm. post Dominicam Trinit. *Alligatus est enim tamquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* Nec obstat, quod de Iob legitur *cap.* 2. *numer.* 6. *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* quasi si hanc clausulam præseruatiuam Deus non apposuisset, Satan malè egisset in animam Iob cogendo illum ad peccatum. Quia ea verba faciunt hunc sensum. *Animam illius serua*, idest, nec occidas illum, nam ex occisione hominis anima non seruatur in corpore, sed ab eo separatur.

Quæres 15. An Dæmon cognoscat secreta cordium?

℞. Negatiuè, quia Sancti Patres, & Theo- 46
logi vnanimiter docent, solum Deum esse cordium Scrutatorem, vnde Ieremia *cap.* 17. *numer.* 9. *Prauum est cor hominum & inscrutabile, quis cognoscet illud: Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Pronomen siquidem *Ego* eam vim habet, vt includat singularitatem, & excludat aliorum commercium, & actionem in operatione, vt colligitur ex Cantico Moysi Deuter. *cap.* 32. *num.* 39. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo.* Particula igitur, *Ego*, significat propriam solius Dei operationem Clarius 2. *Paralip. cap.* 6. *numer.* 30. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Conueniunt ergo omnes in eo, quod homo, nec Angelus, nec Dæmon cognoscunt secreta, & cogitationes cordium siuè hominum, siuè Angelorum. Rationem reddunt aliqui, quia non comprehenduntur intra latitudinem obiecti naturalis cognoscibilis ab intellectu creato. Alij, quia intellectus creatus caret speciebus siuè acquisitis, siuè concreatis ad cognoscendum, illæ enim sunt principium cognitionis. Alij, quia licet Angelus habeat species concreatas, illi tamen deest consensus alterius Angeli, quo intelligat secreta. Alij ponentes species dicunt, non cognoscere, quia Deus non vult concurrere ad operationem. Scotus *in* 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. §. *Ad argumenta secunda quæstionis, & in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 8. cum Fabro *in* 2. *disp.* 36. *cap.* 3. dicit in Angelis non implicare cognitionem cogitationum cordis, quia secreta cordis ex sua natura sunt cognoscibilia, impediri tamen per voluntatem Dei nolentis ea actu cognosci propria Angelorum virtute. Sed vide Scholasticos locis citatis in 2. sentent. & sectatores D. Thomæ *par.* 1. *quæst.* 57. *art.* 4. Coniecturam autem facere posse de cognitionibus cordium, nemo dubitat, quia ex signis externis, & inclinatione personæ intellectus creatus deduci potest in aliqualem cognitionem eius, quod actus externi indicant, & id omnes concedunt cum D. Thoma, & Scoto locis citatis, & de Dæmonibus tradit D. Aug. *l. de diuinat. Dæmonum c.* 5. quem citat Becanus *cap.* 1. *de Angelis q.* 10. *n.* 2.

CAPVT XVII.

De Superstitiosa inuocatione Dæmonis.

SVMMARIVM.

1 *Superstitio definitur, & diuiditur.*
2 *Idololatria definitur.*
3 *Idololatria peccatum nec mortis metus excusat.*
4 *Diuinatio prænuntiatio futurorum occultorum.*

5 *Vana obseruantia ex mediis diabolicis.*
6 *Malitia superstitionis in quo consistat.*
7 *Superstitio,& amicitia Dæmonis prohibetur.*
8 *Inuocatur Dæmon tribus modis.*
9 *Ex impetu iræ,& impatientia.*
10 *Maledicere illi veniale.*
11 *Inuocatur secundò per modum adiurationis.*
12 *Tertiò per modum adiutorij.*
13 *Inuocatio ex ira non arguit hæresim.*
14 *Adiuratio bene facta excludit superstitionem.*
15 *Inuocatio dæmonis per auxilium arguit hæresim.*
16 *Inuocatio tam imperatiua, quam deprecatiua est actus hæreticalis.*
17 *Pactum expressum,& tacitum quid sit?*
18 *Homo qui promittat Dæmini, & hic illi.*
19 *Tacitum pactum protestatione excludi non potest.*
20 *Antecedens intendit volens consequens.*
21 *Protestatio contra factum non prodest.*
22 *Protestatio in cõtractibus debet esse accepta à parte; aliter non prodest.*
23 *Pactum tacitum subest non obstante ignorantia.*
24 *Non tamen imputatur si probabilis fuit ignorantia.*
25 *Pactum tacitum præfuisse expressum non est necessarium.*
26 *Inuocatio ad aliquid non excedens vires dæmonis est hæreticalis.*
27 *Quæ possit Dæmonis iuribus suis operari.*
28 *Indebitus cultus Deo raro coniungitur cum hæresi.*
29 *Ritus Sacramentorum contemnere sacrilegium cum anathemate.*
30 *Perniciosus cultus coniungitur cum hæresi.*
31 *In speciebus superstitionis reperitur suspicio hæresis.*
32 *Pactum expressum,& tacitum non faciunt diuersas species.*
33 *Inuocatio expressa vehementem, tacita leuem arguit suspicionem hæresis.*
34 *Alligatur fictè dæmon in annulo.*
35 *Chirographum reddere cogitur exorcismis.*
36 *Exorcista multis modis peccare potest.*
37 *Suspectus quandoque leuiter hæresi.*
38 *Adiurare irrationalia non licet directè.*
39 *Vtique dirigendo orationem ad Deum.*
40 *Præceptum per cursorem factum locustis non est superstitiosum.*
41 *Adiurari non potest dæmon vnus, vt alterum expellat.*
42 *Exorcista à dæmone non quærat authorem maleficij.*

HOMO sciens mirabilia, quæ Dæmon, permittente Deo, facere potest, & quod in terris parem non habet in potestate, horum vana curiositate, & inutili vtilitate ductus, & illectus Sacræ Sponsionis Deo creatori suo in Baptismo contractæ oblitus, & propriæ salutis immemor, quandoque se totum anima, & corpore Diabolo per impiam eius inuocationem miserabiliter tradit, quod quomodo fieri contingat, in sequentibus quæstionibus respondendum est, præmissa definitione, & diuisione Superstitionis, quibus aperitur via intelligendi, ea quæ dicenda sunt.

Quæres 1. Quid, & quotuplex sit Superstitio.

1 ℞. Superstitio est vana religio, & cultus alicui illicitè tributus. Dicitur religio, sed vana, quia cultus non exercetur licitè, vel ex parte modi, & medij, vt quando quis in Sacrificium offert Deo vitulum, vel quid aliud more Iudæorum, vel ex parte obiecti, quod colitur, vt cum adoratur creatura, ac si esset creator, ex quo patet vitiũ superstitionis opponi Relig. virtuti, qua verus Deus colendus est. Ita omnes cum D. Th. 2. 2. *q.* 92. *art.* 1. & 2. vbi diuidit Superstitionem immediate ex obiecto, cui defertur cultus, & honor, in cultum indebitum vero Deo, qui subdiuiditur in Perniciosum, quo Deus inhonoratur per Sacrificia, & Cœremonias Iudæorum, & Infidelium, vt in exemplo allato; & superfluum, quo Deus inhonoratur detractione, aut additione sacrorum verborum, aut cæremoniarum contra institutionem Ecclesiæ; vt si quis in missis defunctorum spontè det benedictionem populo, &c. Et in cultum indebitum falso Deo, seu creaturæ, idolis, & Dæmoniis, & hæc superstitio ex D. Augustino de doctrina Christiana *cap.* 20. quem pro se citat D. Thomas 2. 2 *quæst.* 92. *art.* 2. diuiditur in tres Species, Idololatriam *scrib. Idolatriam*, Diuinationem, & Obseruantiam vanam. Sumitur hæc diuisio ex tribus modis, quibus cultus diuinus ordinatur vel ad venerationem Dei, cui opponitur Idololatria, qua cultus vero Deo debitus tribuitur creaturæ; vel ad instruendum hominem qui Deum colere debet, cui opponitur Diuinatio, per quam instruitur à Diabolo? vel ad quamdam directionem humanorum actuum, cui opponitur vana obseruantia, per quam homo directionem, & auxilium à Diabolo in suis operationibus petit.

Idololatria est cultus creaturæ tributus ac si esset 2
creator, & Deus? est grauissimum mortale peccatum, quia honor Deo debitus subtrahitur, & datur creaturæ, idolis, & Dæmonibus, qui cultu, & honore omnino indigni sunt. Cum autem hoc vitium sit intrinsecè malum, & nulla circumstantia cohonestari possit, & fieri bonum, à peccato non ex-
cusatur ille, qui metu etiam mortis adorat, vel fingit 3
adorare creaturam loco creatoris. Neque hic ignorantia excusat, quia omnes sciunt vnicum esse Deum, cui soli honor, & gloria. Et in his omnes conueniunt.

Diuinatio est inordinata cognitio rerum occulta- 4
rum virtute Dæmonis manifestatarum, quæ homo viribus sui intellectus scire non potest. Huc spectat Astrologia, de qua dicam infra in proprio capite.

Vana obseruantia est illa, in qua assumuntur aliqua 5
media inutilia ad producendum aliquem effectum, respectu cuius illa media, nec ex se, neque à Deo virtutem habent operandi, sed Diabolus per illa, & in illis occultè operatur per homines superstitiosos, qui illius sunt ministri.

Peccatum, & malitia harum trium specierum 6
in eo consistit, quod Dæmoni honor, & reuerentia Deo debita, tribuitur, per idololatriam, res est nota? in Diuinatione, & Obseruatione ostenditur, quia homo cum viribus non possit assequi, quod optat scire, aut facere, petendo auxilium à Dæmone expresè illum inuocando, aut tacitè per vsum quorumdam mediorum, aut circumstantiarum inutilium ad effectum, qui desideratur, in quibus Dæmon occultè operatur, id sine dubio est illi reuerentiam, & honorem exhibere, cum non ab eo, sed à Domino omnium largitore huiusmodi petenda sint, quando sunt bona, aut ab illorum petitione abstinendum, quando sunt mala.

Quæres 2. An inuocatio Dæmonis siue ad malum, siue ad bonum finem prohibita sit?

℞. Affimatiuè ex diuersis locis Sacræ Scripturæ, 7
Leuit. *cap.* 19. *numer.* 31. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.* Ibidem *c.* 20. *n.* 6. dicitur

dicitur *Anima, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, & fornicata fuerit cum illis, ponam faciem contra eam, & interficiam illam de medio populi.* Et si in locis citatis prohibeatur declinatio, & accessus ad ministros Diaboli, & nulla fiat mentio Diabolo, nihilominus huiusmodi interdictum, continet etiam prohibitionem respectu Dæmonis, qui loquitur per os illorum; vnde apud S. Paulum I. ad Corinth. *cap.* 10. *num.* 20. id expresè prohibetur illis verbis. *Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum.* Fugienda igitur amicitia Dæmonis, impossibile enim est habere simul amicitiam duorum ad inuicem aduersariorum; neque aliquis duobus dominis, quia vt dicitur Matth. *6. num.* 24. *Aut vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet; non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Inuocatio igitur Dæmonis, quod non contingit sine seruitute, & subiectione immediate opponitur religioni, & seruituti honoris, & reuerentiæ Deo debitæ, ita quod qui Dæmoni seruit per illius inuocationem manifestus est hostis, & inimicus Dei? ad quod facit etiam illud axioma. Amicus mei inimici est meus inimicus, ex *cap. Cum oporteat, de accusat. Dec. in cap. Ex insinuatione, de appellat. numer.* 5. Menoch. *consil.* 102. *numer.* 12. Constat igitur ex his amicitiam Diaboli esse maximè perniciosam homini, qui cum eo nullatenus societatem habere potest sine grauissimo sacrilegio Catholicæ religionis, honori, & cultus vero Deo debiti.

Colligitur ex his, & de fide credendum esse Dæmonis inuocationem esse peccatum ex genere suo grauissimum, & quandoque Diabolum ab hominibus inuocari iuxta modos infra exponendos, nam aliter sequeretur, quod illius prohibitio non esset necessaria, si non esset peccatum, neque homo huius capax esset inuocationis, quæ duo absurda sunt, ergo & inferens illa.

Quæres 3. Quot modis Dæmon inuocetur?

℞. Tribus modis. Primò per modum indignationis.
8 Secundò, per modum adiurationis. Tertiò, per modum auxilij. Explicantur.

Primo modo ex indignatione, ira, impatientia, aut
9 desperatione inuocatur Dæmon? vt, cum quis illum maledicit? vel vocat in adiutoriũ suæ, vel alterius damnationis? vel dicit alteri, si hoc non vis facere amore Dei, vel alterius fac amore Diaboli, his ergo & similibus modis contingit inuocatio Dæmonis ex impulsu iræ, & indignationis. In hoc sensu intelligitur illud Eccl. *cap.* 21. *numer.* 30. *Dum maledicit impius Diabolum, maledicit ipse animam suam.* Ex quo patet, huiusmodi inuocationem esse peccatum mortale, quando in damnum proprium, aut proximi, cui malum ex parte Dæmonis imprecatur. Maledicere Diabo-
10 lo ex ira peccatum veniale est ex ea causa Eccl. 21. 30. *Maledicit impius Diabolum,* aliter non, cum in se nullam causam boni moralis habeat, sed semper sit maledictus.

Secundo modo inuocatur Dæmon per modum ad-
11 iurationis, cum scilicet per res sacras Dæmoni imperatur, vt exeat de corpore animalium, vel vt non damnificet eorum bona per actum exorcizandi præstitum à sacerdote super energumenos, & alia à Dæmone possessa. De qua potestate eiciendi Dæmones dicitur Lucæ *cap.* 10. *numer.* 17. *Domine etiam Dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Et Paulo infra subditur. *Ecce dedit vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Ita omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. Scio latius sumi Adiurationem pro contestatione rei sacræ, cuius reuerentia intendimus alterum promouere ad aliquid faciendum. Quare non tantum adiuratur Dæmon per modum imperij vt exeat à corpore oppresso, vel ne noceat alicui in persona, & rebus? sed etiam subditi, vt obediant, vel aliquid faciant in nomine Domini, e.g. adiuratur religiosus à suo superiore ad obediendum. Item Deus, sancti, & maiores adiurantur non imperatiuè, sed deprecatiuè obsecrantur pro aliqua re licita quam ab illis optamus. Adiuratio igitur specificatur contestatione alicuius rei sacræ, quæ est medium, per quod vel imperamus Dæmonibus, aut aliis subiectis, vel deprecamur maiores ad aliquid honestum obtinendum. De hac abiuratione imperatiuam dicam infra *sub q.* 21.

Tertio modo Dæmon inuocatur per modum adiu- 12
torij, & auxilij ad finem aliquid consequendi ab eo siue bonum, siue malum; vt, si quis à Dæmone petat scientiam, sanitatem, Thesaurum, &c. vel amorem carnalem, mortem proximi, &c. Huiusmodi autem inuocatio hoc tertio modo, de qua potissimum agimus contingere, potest primò Imperatiuè quod exprimitur similibus verbis, Impero, Iubeo, præcipio, Facias, Volo, &c. Secundò deprecatiuè rogando, obsecrando, precibus postulando quod desideratur. Tertiò, in consequutione eius quod petitur aliquando Dæmon præsens est ad productionem effectus; aliquando ignoratur eius præsentiam, seu effectum ab illo produci. Quartò, interdum superstitiosus in procuranda re, quam desiderat habere adhibet res sacras interdum sine illis habet suum intentum. Ex his sequentes quæstiones proponuntur, & resoluuntur Quare.

Quæres 4. An inuocatio dæmonis secundum vnum- 13
quemque illorum trium modorum sit actus superstitiosus, & hæreticalis, ac proindè casus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis subiectus.

℞. Singulis. Inuocatio dæmonis primo modo ex ira, & indignatione non est actus superstitiosus, neque hæreticalis, neque casus Inquisitionis, quia in illa nulla hæresis, aut eiusdem suspicio apparet, cum huiusmodi inuocatio nullũ cultum, & nullum honorem importet erga dæmonem inuocatum, sed potius redundet in illius contemptum, vel denotet, illum esse patrem iracundorum, & impatientum, atque tentatorem hominis, illius desperationem fouentem. Videtur facere difficultatem illa inuocatio superius exemplificata in eo, qui contra nolentem obedire prorupit in hæc verba: Si non vis facere amore Dei facias amore Diaboli. Sed ex hoc modo loquẽdi indignationis nullus cultus, nulla reuerentia diaboli exhibetur, sed sic loquens per exaggerationem demonstrat se non amplius curare de illius facto.

Inuocatio secundo modo per adiurationem super- 14
stitiosa non est, quando fit imperatiuè contra dæmonem, vt exeat à corpore oppresso, vel ne alicui in persona, neque in rebus noceat? hæc enim inuocatio licita, honesta, & sancta est à Deo instituta, ex supra dictis. Quod si inuocatio fiat deprecatiuè, tunc superstitiosa est, & hæreticalis, quia ex natura rei includit cultum, & honorem sacrilegè tributum dæmoni per propriam subiectionem deprecatis, dæmon enim subditus est homini, non homo Diabolo, ideo homo debet imperare, & non rogare dæmonem. Igitur erit peccatum mortale superstitionis secundum omnes Sanch. *lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 19. Bonac. *disp.* 4. *de legib. q.* 1. *par. fin. num.* 2. Sousa *l.* 2. *c.* 55. *n.* 5. Vide infra *q.* 21.

Inuocatio per modum adiutorij propriè est actus 15
superstitiosus, sacrilegus, & hæreticalis, de quo Inquisitores cognoscunt, nam importat amicitiam, & societatem cum dæmone, quod contingere non potest nisi cum cultu, & reuerentia, quæ soli Deo debita, sacrilegè tribuitur Diabolo. Ita commmuniter docent citati à Diana *par.* 4. *tr.* 4. *resol.* 10. Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 15. Sousa *l.* 1. *c.* 58. *vsque ad n.* 6.

Quæres 5.

Quæres 5. An vtraque dæmonis inuocatio tam imperatiua, quam deprecatiua sit superstitio hæresim sapiens? Deprecatiuam tantum esse hæreticalem, non autem imperatiuam docent plerique, quos contra se citat Farinac. *quæstio.* 181. *numer.* 87. contra quos facit *num.*88. & eosdem impugnat Diana *par.*4. *tract.* 7. *resolut.* 18. §. *His tamen,* Carena alios citat. pro hac sententia *par.*2. *tit.*12. *n.*61. ea ratione, quia imperium dicit iussionem, & dominium supra creaturam, cui imperatur, ergò nulla potest præsumi submissio, & subiectio, neque proinde cultus, & honor erga dæmonem.

16 ℟. Vtraque inuocatio continet factum hæreticale, & quia omnium sententia inuocatio deprecatiua est actus hæreticalis, probatur de imperatiua, Tum quia, inuocatio simpliciter est actus latriæ, & cultus Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis.* Genes. *cap.*4. *Cœpit inuocare nomen Domini.* maximè verificatur hic, cum dæmon vocetur in auxilium; quod contingit semper per contractum amicitiæ, siquidem petens aliquod ab inimico, & honestè, necessario fit illi amicus, & obsequium honoris præstat, vt obtineat quod petit. Tum, quia hæc non contingit sine pacto includente cultum, & honorem dæmoni tributum sub specie imperij palliatum? clarum enim est, & de fide dæmonem maiorem habere potestatem quolibet homine, dicente Iob *cap.* 41. *numer.* 24. per os Spiritus Sancti: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Consequenter cum hoc imperium hominis in Diabolum nihil in re sit, inferendum est, coincidere cum inuocatione deprecatiua palliata, & simulata sub nomine imperij, ac proindè includere cultum, & honorem. Et sic patet ad rationem dubitandi, cum enim non sit verum imperium, sed in se nihil, & fictum dominium, potius includit submissionem, & subiectionem, hoc dicto ante conditione auxilij, quo indiget homo à Diabolo: Tum quia imperare, & præcipere æquali, seu maiori se, seu illi, qui non tenetur iussis obtemperare arguit intrinsecam amicitiam, & strictam necessitudinem inter imperantem, & imperatum, ergò qui imperat Dæmoni præsumitur cum eo magnam habere familiaritatem, & maiorem quam ille, qui tantum deprecatur, hæc enim submissio deprecationis etsi arguat magnam reuerentiam deprecantis erga exoratum, nihilominus non videtur indicare tantam familiaritatem, ex qua colligatur maior amicitia, societas, & necessitudo, quæ socios, & amicos, demonstrant esse vnius voluntatis. Tum quia, Dæmon ad huiusmodi imperium nullatenus ab homine cogi potest, sed ex pacto ad minus tacito se accommodat voluntati hominis vt hunc tamquam incautum, vel iam subuersum sibi magis lucretur, ergò signum est huius generis inuocationi subesse cultum, & reuerentiam erga Diabolum. Ita Farinac. *quæst.* 181. *numer.* 88. Simanch. *tit.* 30. *numer.* 17. Homob. in Examine Ecclef. *par.* 1. *tr.*7. *c.*3. *q.*16. Bartholomæus Spina *Apolog.*4. contra Ponzinibium, Zanardus in suo Direct. *part. c.*64. quos pro se citat Diana *par.* 4. *tract.*7. *resolut.*10. §. *Clarè igitur.*

Quæres 6. In quo consistat inuocatio tam expressa, seu explicita, quam tacita, seu implicita Dæmonis? Quod est etiam quærere, Quid sit pactum expressum, seu tacitum, quod cum Dæmone habetur?

17 ℟. Inuocatio dæmonis explicita, seu pactum expressum est primo mutuus consensus colloquutione inter hominem, & dæmonem expressus, & hæc est adæquata, & formalis inuocatio dæmonis. Contingit secundo pactum expressum, quando dæmon ab homine requisitus ad operandum aliquid verbo non respondet, sed tantum facto occultè operando quod ad homine petitur. Itaque dæmon expresè inuocatur duobus modis, primò, per pactum expressum mutuis verbis. Secundò, productione rei petitæ ab inuocatore facta occultè à dæmone; vt si ante conspectum tuum concupita mulier compareat, vel thesaurus à dæmone requisitus inuisibiliter agente ante te ponatur.

Pactum tacitum tunc contingit, quando superstitiosus immediatè sine vlla dæmonis inuocatione, quibusdam mediis vanis, & inutilibus positis sequitur, effectus intentus, siuè homo sciat, siuè ignoret dæmonem occultè operari talem effectum. E. g. Si quis certis verbis Sacræ Scripturæ coniugatos reddat impotentes ad copulam carnalem, is sine dubio dicitur habere pactum tacitum cum diabolo occultè impediente ne sibi debitum coniugale reddant. Idem dic de eo, qui mingit infra annulum matrimonialem benedictum, vt maleficiũ prædictũ dissolnat, nã iste dicitur tacitè dæmonem inuocare. Vbi igitur expressis verbis inuocatur dæmon, siue respõdeat verbis, siuè facto, & immediata productione effectus petiti, ibi dicitur locũ habere pactũ expressum; in aliis verò casibus tacitum. Ita ex Delrio colligit Carena *part.* 2. *tit.* 14. *n.* 18. & 19. Caiet. 2. 2. *quæst.* 95. ad articulum tertium initio dicit, quod inuocatio expressa dæmonis distinguitur à tacita penes intentionem hominis, quam intelligit haberi dupliciter pro expressa, primò, cum inuocat dæmonem; secundò, cum aliquid facit, quod sit ex diaboli virtute operari, vt faciunt incantatores vtrique, nam dæmonem expressè inuocant ex intentione, verbo, vel facto, & tunc interuenit pactum factum si non cum illo homine, saltem cum aliquo alio. Tacita autem inuocatio dæmonis tunc est, quando aliquis talibus se implicat, vt dignum sit, dæmonem se illis immiscere, quamuis hoc sit præter intentionem talis hominis. Hæc Caiet. cui ferè omnes adhærent cum Nauar. *cap.* 11 *numer.* 25. Sair Clauis *cap.* 5 *num.* 5. *lib.* 4. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *numer.* 3. Videtur autem distinguere pactum expressum à tacito per hoc, quod expressum dicitur illud, quod vt tale cognoscitur, tacitum quod ignoratur. Sed eius dictum non placet, confundit enim vnum pactum cum alio, nam omne pactum includit essentialiter consensum vtriusque partis, *lib.* 2. *ff. de pactis*, si est verbale pactum per mutuam colloquutionem perficitur; si ex facto, cognoscitur ex immediata productione rei facta occultè à Diabolo requisito causaliter consensum præstante. In reliquis consensus est virtualis, ac proindè tacitum, & implicitum pactum producit virtute medij adhibiti, & positi sequente productione effectus intenti, qui cum excedat potestatem talis medij, necessario non ab eo dicitur prouenire, sed à Diabolo, qui cum aliquo alio pactum iniit producendi effectum ad positionem talis signi. Neque scientia medij, quod sit diabolicum efficere potest pactum expressum, aut tacitum, quia hæ duæ qualitates expressionis, & taciturnitatis non oriuntur ex scientia, sed supponuntur, in obiecto cognito; cognitio enim tendit in obiectum sicuti est, & illi non tribuit esse specificum. Neque ignorantia, quod dæmon occultè immisceatur in facto superstitioso, habet distinguere expressionem pacti ab eius taciturnitate, cum ad illam supponatur vtrumque pactum in suo esse, & probabilis ignorantia simpliciter excludat pactum quodcumque diabolicum ex parte hominis, cui tunc actus superstitiosus non imputatur, licet interfuerit in facto.

Sed numquid ex pacto tacito dicitur operari ille, qui aliàs formali collocutione pactum iniuit cum Diabolo, si alio tempore facit actum superstitiosum sine noua inuocatione, aut requisitione dæmonis? Dico in rigore loquendo actum huiusmodi superstitiosum

non importare pactum expessum, sed tantum tacitum, quia in secundo actu virtualiter tantum inuocatur per vsum illius medij, cuius positione Dæmon occultè operatur.

Dæmonis inuocatio benè dicitur pactum non tantum ex ratione rei, quia est consensus inter ipsum, & hominem, sed etiam ex ratione nominis, atque etiam effectus, nam pactum dicitur quasi ex pace actum, *ex c. Pactum 11. de verb. signif.* per illud enim homo cum dæmone, cui antea erat inimicus, pacem agit, & inimicus fit Dei, à quo auertitur per diabolicam sponsionem, & conuertitur ad Dæmonem, quem loco creatoris, & sui benefactoris habet.

Quæres 7. Quid concludatur inter Dæmonem, & Hominem in huiusmodi pacto formali per collocutionem mutuam?

℞. Homo, qui dæmonis societatem inire intendit, eidem promittit corpus, & animam ac proindè obedientiam, abnegando fidem, Sacramenta, & præcepta spernendo, atque ab ipso Deo, & Iesu Christo apostando multa alia, quæ redundant in grauissimum dedecus Dei, Ecclesiæ, & sanctorum, spondet, & quandoque hæc omnia sacrilega sanguinis sui scriptione firmat. Dæmone contra illum connumerando inter suos familiares, & amicos multa promittit facere iuxta illius petitionem, vt sic illectum suis promissionibus vanis ad suum trahat rete damnationis sempiternæ. Hæc autem omnia non ab omnibus simul exigit, sed in his sagax est, & iuxta dispositionem eius, qui illius amicitiam quærit, paulatim se accommodat, vt tandem in interitum deducat. Solet autem hoc pactum inter ipsos fieri, vel solemniter dæmone sedente in suo tribunali præcipitij suis sibi assistentibus sequacibus? interdum sine solemnitate priuato congressu sacrilegum fœdus perficiunt.

Quæres 8. An expressa exclusione pacti taciti per protestationem quis excusari possit ab actu superstitioso?

℞. Adhuc dicitur operari ex pacto tacito dæmonis, quod probatur. Tum quia, antecedens dicitur velle, qui procurat consequens ab illo necessario pendens, *lib. Illud 76. ff. de acquir. hæret.* Tum quia expressa intentio excludens diabolicum pactum inutilis est, & vana, quia non est in potestate hominis excludere illam connexionem diabolici auxilij ab illo medio, siquidem homo super dæmo-
21 nem ius non habet in hoc. Tum quia, huiusmodi protestatio est contraria facto, & proinde non releuat protestantem, Glos. *ver. sine præiudicio, cap. Cum M. 9. de constit.* explicat, quando factum directè contrariatur protestationi, & protestatio est contra substantiam facti? constat autem factum non posse prouenire nisi ex illo medio qualificato, ergò
22 protestatio hæc nullatenus prodest. Tum quia, protestatio alterius in contractibus ex duorum voluntate pendentibus, absque consensu alterius non iuuat, nec prodest, *l fin. §. Item si prædixit, ff. naut. caup.* Nauar. *tom. 2. comment. 3. de Regular. num.* 14. Ita Simanch. *tit.* 63. *numer.* 13. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 38. *numer.* 4. Carena *par.* 2. *tit.* 12. *n.* 20. & alij omnes.

Quæres 9. An pactum tacitum reperiatur in actu, cui subesse ignoratur?

23 ℞. Siuè pactum sciatur, siue ignoretur dæmon secundum illud operari dicitur ad positionem medij, ratio est, quia illud medium, quo quis etiam ignorans sub eo includi pactum dæmonis, vtitur, ex se vim non habet producendi illum effectum, in ordine ad quem inutile, & vanum dicitur, ergò eo posito dæmon, etiam homine ignorante, occultè operatur, cum nulli alij ille effectus tribui possit. Ita omnes cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. 2. apud Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 4. Nihilominus ignorans proba-
biliter dæmonem positione illorum mediorum occultè 24
operari, excusatur à peccato, quia bona fide agit; quod si præmonitus, seu instructus prosequatur vti talibus mediis peccat mortaliter, & hæreticalem actum facit. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 43. *n.* 64. Sair. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 22. Graff. prax. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 10. Actus igitur probabili ignorantia existente solum materialiter est superstitiosus, & sapiens hæresim.

Quæres 10. An pactum tacitum exigat aliquando fuisse formale, & expressum? Atque id constare
debeat? 25

℞. Neutrum est necessarium, non primum, quia dæmon in his solet se immiscere, quamuis cum nullo pactum expresserit, vt docet D. Aug. relatus à Sanch. *lib.* 1. *cap.* 38. *numer.* 5. Nec obstat, quod ex Delrio dicit Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 19. Pactum tacitum dici illud, cum quis superstitiosis vtitur signis, ad quorum vsum dæmon vigore pacti expressi habiti cum primo instituente, aliquid facit, & operatur? quia isti doctores non asserunt pactum tacitum semper supponere expressum, & formale habitum cum aliquo primo, sed intelligendi sunt, id vt plurimum accidere. Non secundum, quia hoc pactum tacitum præsumitur interuenire, quoties medium ex sua natura est vanum, & inutile ad producendum effectum intentum, nam si medium cognoscitur non esse causa effectus producti, vtique alia causa assignanda est, sed ignoratur, ergò dæmon occultè operatur. Quare medium, quod sua virtute naturali, neque ex diuina, aut Ecclesiastica dispositione potest operari effectum certè censendum est esse coniunctum cum pacto dæmonis tacito, ad positionem illius occultè operantis.

Quæres 11. An inuocatio Dæmonis ad faciendum aliquid, quod non excedit eius vires sit superstitiosa, & hæreticalis, quando simpliciter inuocatur sine abusu rerum sacrarum, & sine cultu, & reuerentia illi exhibita? Negant nonnulli apud Farinac. *quæst.* 181. *numer.* 75. & Carena *par.* 2. *tit.* 12. *n.* 61. pro se quamplures citat asserentes non esse actum, seu sortilegium hæreticale, quando imperatiuè inuocatur. Sed isti fundantur in ea falsa ratione, quod sub imperio non pallietur cultus, & honor erga dæmonem inuocatum, quod esse falsum probaui supra *sub q.* 5.

26 ℞. Huiusmodi inuocatio arguit sortilegium, vt aiunt, hæreticale, seu actus superstitiosus est, & hæreticalis. Probatur rationibus, & auctoritatibus adductis sub quæstione.

Quæres 12. Quænam scire, aut homini præstare potest Dæmon quæ eius vires non excidunt?

27 ℞. Potest docere vbi reconditus est thesaurus, tentare pudicitiam mulieris? scit, an futurus partus sit masculus, & fœmina, quando fœtus est iam animatus; cognitionem habet præteritorum factorum; impedire potest, ne ignis aliquid comburat, transferre corpus quodcumque etiam hominis à loco ad locum? impedire copulam coniugum? corpus mortuum viuum apparere facit? cœco non è natiuitate reddit lumen, remoto impedimento, vt fecit bonus Angelus Tobiæ, inducere potest infirmitates, tempestates, pluuiã, & huiusmodi arcere? potest purgare phantasmata ad acquirendam scientiam. Ita ex Torrebl. *l.* 3. *de Magia c.* 8. Diana *p.* 4. *resol.* 10. de pœnis delictorum. Miracula verò facere non potest, licet mirabilia in eius sint potestate ex dictis *præced. c. q.* 13. cœcum, surdum, mutum à natiuitate restituere non potest, licet aliquid artificiosè in his duobus supplere possit.

Quæres 13.

Quæres 13. An in omnibus ſuperſtitionis ſpeciebus reperiatur inuocatio Dæmonis, ac proinde actus hæreticus præſumatur? Quatuor ſunt ſpecies ſuperſtitionis, cultus indebitè Deo tributus, Idololatria, Vana obſeruantia, & Diuinatio, ſub quibus Magia, & Maleficium?

28 ℞. Cum prima ſpecie in debiti cultus erga Deum verum aliquando poteſt contingere actus hæreticalis, in aliis ſpeciebus, quæ ſemper includunt Dæmonis inuocationem ſi non expreſſam, ſaltem tacitam, actus ſuperſtitioſus ſemper hæreticalis eſt.

Primum, circa primam ſuperſtitionis ſpeciem, quæ ſubdiuiditur, in cultum ſuperfluum, & pernicioſum, quod ad cultum ſuperfluum, hunc ſcilicet non importare actum hæreticalem regulariter, ſuadetur ex eo, quod id fit bono animo, & intentione, vt quando quis habet peculiarem affectum orandi ante ortum ſolis, vel audiendi miſſam illorum ſacerdotum, qui vocantur tali nomine; item qui in Miſſa recitat Credo, aut aliquid aliud ſuperaddit, contra Rubricas, & ritus ab Eccleſia inſtitutos in his enim, & ſimilibus caſibus peccatum eſt tantum veniale, ac proinde nullum actum hæreticalem videtur inſinuare, qui mortale peccatum ſupponit. Si quis tamen in officio, aut Miſſa profana, & turpia miſceret valdè redderetur ſuſpectus de hæreſi, præſumitur enim iſte credere licitum eſſe Deum colere his inanibus, & turpibus, & Deum de iiſdem delectari, & acceptare tamquam orationes ſibi gratas, quod eſt de rebus fidei malè ſentire. Et facit, quod dicit. D. Hyeron. *Ex verbis inordinatè prolatis oritur hæreſis.* Circa huiuſmodi Ritus ab Eccleſia inſtitutos, & approbatos in ſolemni adminiſtratione Sacramentorum poteſt committi peccatum hæreſis ab illis, qui illos contemnunt, vel pro libito omittunt, aut mutant, nam

29 ſic facientes anathemate feriuntur *ſeſſ.* 7. *can.* 13. illis verbis. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos; aut cõtemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe: Anathema ſit.*

30 Quod ad cultum falſum, & pernicioſum honorandi Deum per ſacrificia & ritus Iudæorum, & aliorum infidelium probatur in his actum ſuperſtitioſum eſſe hæreticalem, ex *cap. Quidam, de Apoſt.* vbi ad fidem conuerſus ſequens priores ritus ſectæ derelictæ per baptiſmum cogitur deſerere illos, & tanquam hæreticus, & apoſtata punitur. *Et cap. Contra Chriſtianos, de hæret. in* 6. ſtatuitur, quod Inquiſitores contra iſtos procedant tamquam contra hæreticos, Ratio eſt, quia vtentes illorum ſacrificiis præſumuntur credere Deum per illa adorari poſſe quod impium, & hæreticum, eſt nam reſpectu Paganorum nullam videntur facere differentiam inter Deum, & idola, ſi in cultu ſunt comparandi? reſpectu Iudæorum præſumuntur credere ſacrificia, & cæremonialia veteris legis non fuiſſe per Chriſtum abrogata, ſed adhuc vigere, quod tamen credere eſt contra fidem, quæ prædicat Moſaica in morte Chriſti abrogata fuiſſe, & eorum vſum deinceps fuiſſe mortiferum, vt teſtantur omnes ſancti Patres, vnde ad Galat. *cap.* 3. dicitur. *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto, at vbi venit fides, iam non ſumus ſub pedagogo.* Et Chriſtus in Cruce demonſtrauit huiuſmodi abrogationem, cum dixit. *Conſummatum eſt.*

31 Secundum, quod in aliis ſpeciebus ſuperſtitio ſemper coniuncta ſit cum aliquo actu hæreticali, probatur, quia vbi eſt inuocatio Dæmonis ſuperſtitioſa ibi eſt actus hæreticalis ex probatis *quæſt.* 5. ſed reliquæ tres ſpecies ſuperſtitionis ſemper contingunt cum inuocatione Dæmonis ſaltem tacita ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 92. *art.* 2. quem omnes ſequuntur. Farinac. *quæſt.* 181. *numer.* 37. vbi dicit, quod ſuperſtitio eſt ſententia contra fidem ratione adinuentionis quaſi ſuperflua inſtitutio, vnde & inducit præſumptionem hæreſis. De idololatria ſuperſtitionis ſpecie prima res clara eſt, adorans enim cultu latriæ, ſeu duliæ, aut aliter Dæmonem, ſeu quamlibet aliam creaturam illis indignam, ſi non hæreticus formaliter, quod plurimum contingit in voluntario cultu, ſaltem de hæreſi vehementiſſimè ſuſpectus eſt, cum tales actus de ſe maniafeſtã ſapiant hæreſim, & apoſtaſiam à vero Deo omnium creatore; coactus verò timore mortis adhuc valde ſuſpectus eſt, cum nullo metu etiam mortis licitum ſit adorare idola, & Dæmonia, cum id ſit intrinſecè malum nulla circumſtantia cohoneſtabile. Ita omnes cum Graff. *part.* 1. *libr.* 2. *capit.* 5. *numer.* 23. Farinac. *quæſt.* 181. *numer.* 68. Carena *part.* 2. *tit.* 12. *numer.* 56. Vide quæ dixi *capit.* 1. *numer.* 106. Sic igitur agentes ſubduntur Inquiſitoribus, vt docent præcitati Graff. *numer.* 15. Farinac. *numer.* 77. *& ſeq.* De Vana obſeruantia, Magia, Maleficio, & Diuinatione res etiam certa eſt, cum includant Dæmonis inuocationem, de quibus infra dicam ſub propriis capitibus.

Quæres 14. An pactum expreſſum & tacitum diuerſificent ſpecie actum ſuperſtitionis?

℞. Sunt eiuſdem ſpeciei ex malitia diabolicæ inuocationis prouenientes. Tum quia, taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, & ratio. Tum quia, ſe habent ſicut perfectum, & imperfectum, atque ſecundum magis, & minus, quæ ſpeciem non variant. Tum ad inſtar profeſſionis tacitæ, & expreſſæ quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Ita aliis citatis Bonac. *diſp.* 3. *de legibus quæſt.* 5. *part.* 3. *numer.* 19. Mazuchell. de caſibus Mediol. *diſp.* 2. *capit.* 10. *quæſtio.* 4. *diff.* 6. Maior nihilominus pars doctorum tenet in confeſſione explicandum eſſe fuerit ne tacita, an expreſſa Dæmonis inuocatio non tantum ea ratione, quia inuocatio Dæmonis expreſſa eſt circumſtantia nimis aggrauans delictum, quam quod fere ſemper admixta habet alia crimina, contra Dianam *reſol. fin. de circumſt.* 32

Quæres 15. An ſit aliqua differentia quo ad ſuſpicionem hæreſis in inuocatione tacita, & expreſſa Dæmonis?

℞. Inuocatio expreſſa Dæmonis arguit vehementem hæreſis ſuſpicionem, tacita verò tantum leuem, quando aliud non apparet niſi inuocatio? ratio vtriuſque eſt, quia maior præſumptio oritur ex illa, quam ex iſta, nam expreſſum maiorem habet vim tacito, *lib. Nonnumquam ff. de cond. & Dæmon.* non obſtante quod eadem ſit virtus taciti, & expreſſi, in eo nimirum, quod habent producere eumdem effectum, cum ea tamen differentia, quod expreſſio maiorem habet efficaciam taciturnitate, vnde Gloſa *ver. Partib. Clem.* Sæpe, ad finem, *de verb. ſignif.* aſſerit plus operari expreſſum, quam tacitum, Tiraque. *de lege connub.* Gloſſ. 7. *numer.* 49. *ad* 81. Alex. *libr.* 3. *conſil.* 59. *numer.* 15. Dixi (quando aliud non apparet) niſi ſimplex inuocatio, quia tacita mixta cum rebus ſacris vt plurimum arguit vehementem ſuſpicionem hæreſis, vt dicetur ſequenti capite. Igitur hic ſermo eſt de ſimplici inuocatione, mediis non ſpectatis, quæ expreſſa arguit vehementem ſuſpicionem hæreſis, tacita vero ſolum leuem. 33

Quæres 16. An homo alligare poſſit Dæmonem in annulo, vaſe, aut alia re illum coarctando?

℞. Non poteſt illum cogere, vt conſtringatur ſub

ſub aliqua re, quia homo longe minoris eſt poteſtatis ipſo diabolo , cui in terris nulla poteſtas comparari poteſt;quod ſi legatur , Dæmonem aliquando aligari, & conſtringi,id non accidit per coactionem , ſed per voluntariam conuentionem , & pactum inter vtcumque , contentatur enim Dæmon in annulo reſponſa dare,in quo fingit ſe alligatum. Ita omnes cum Simanch. *de Catholicis inſtitut. tit. de ſuperſtit. num* 30. Graff. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.*17. vbi dicit incluſionem Dæmonis in annullo , ſeu vaſe eſſe quoddam pactum inter hominem , & diabolum. Et iſte caſus ſubditur Inquiſitoribus propter Dæmonis inuocationem expreſſam ſine qua non conſtringitur , quod arguit alligantem eſſe vehementer ſuſpectum de hæreſi. Ità Graff. *part.*1.*l.*2.*c.*5.*n.*17.Farinac.*q.*181.*n.*28. *&* 29. Carena *part.*2.*tit.*12.*n.*64.

Quæres 17. An per exorciſmum Dæmon cogendus ſit ad reſtituendum Chirographum , quo infelix homo ſe totum Diabolo tradit,ſcriptione ſanguinis ſui, vel aliter?

35 ℞. Affirmatiuè,quia iudicis partes ſunt procurare, vt huiuſmodi Cartula abnegationis fidei extrahatur per exorciſmum Catholicum de manibus Dæmonis,vt abiuratio , & deteſtatio amicitiæ cum Diabolo ſuum ſortiatur effectum laceratione , ſeu combuſtione huiuſmodi Chirographi. Quod ſi haberi non poteſt, quod Deus permittere non videtur , hoc non impedit conuerſionem peccatoris , & abiurationem diabolicæ ſocietatis , quæ per veram pœnitentiam ex corde factam diſtrahitur, & in nihilum redigitur.Bonac.*diſp.* 3. *de leg.q.*5.*p.*5.*n.*11.

Quæres 18. An exorciſta inuocatione Dæmonis per Adiurationem factam obteſtatione diuina , & rerum ſacrarum pro expellendis Dæmonibus ab obſeſſis corporibus, quandoque peccet peccato ſuperſtitionis, & reddatur ſuſpectus de hæreſi?Recole dicta ſub *q.*3 §.*Secundò,n.*11. *&* 14.

36 ℞. Peccare poteſt multis modis. Primò,ſi Dæmonem deprecatiuè exorcizet,quod eſt contra ritum Eccleſiæ ſtatuentis , vt ſacerdos Dæmonem expellat ab homine per orationes imperatiuas obteſtando per Deum,Beatam Virginem , & ſanctos , vt Diabolus exeat ab energumeno ; & hunc ordinem imperatiuè abiurandi Dæmones,peruertere in deprecatiuum eſt peccatum mortale hæreſim ſapiens , præſumitur enim rogando Dæmonem vt exeat erga illum aliquem honorem,& cultum deferre, & contemnere ritus Eccleſiaſticos contra definitionem Tridentini poſitam ſuperius *ſub q.*13.Secundò,ex curioſitate inquirere aliquid ab illo deprecatiuè , quod non ſpectat ad exorciſmum , eſt peccatum mortale arguens ſuſpicionem hæreſis,quia per deprecationem defert illi honorem;ſi inquirat imperatiuè ea,quæ ſpectant ad exorciſmum,vel ſunt vtilia,non eſt peccatum;ſi tantum ex curioſitate , & leuitate poſtulet ſcire aliquid veniale tantum eſt , niſi ex longo ſermone contrahatur amicitia,quia tunc eſſet mortale. Tertiò Adiurator conſentiendo Dæmonis exituri pacto,ex quo nullum ſequitur malum,peccatum non eſt,quia finis exitus bonus,à quo ſpecificatur pactum. Quartò, Exorciſta licitè petit à Dæmone exituro ſignum,quo demonſtret exiſſe. De prædictis vide D.Thomam 2.2.*q.*90. Sanch. *l.* 2. *c.*42.Bonac.*diſp.*4. *de legib.q.*1.*p. fin.* Souſa *l.*1.*c.*55.

37 Puto ſuſpicionem hæreſis,quæ colligi poteſt ex modo indebito exorcizandi , regulariter eſſe leuem multum illam releuante titulo exorciſmorum,qui eſt ad expellendum dæmonem de corporibus Energumenorum, & ad inhonorandum illos ex inſtitutione exorciſmorum.

Quæres 19. An licitum ſit adiurare creaturas irrationales?E.g. locuſtas,& alia animalia herbis, & oleribus infeſta,& nociua.

℞. Negatiuè , quando immediatè exorciſmus dirigitur ad ipſas , quia res Sacræ,& orationes exorciſmorum inutiliter , & vanæ diriguntur ad irrationalia , vti inſenſibilia , & incapacia expulſionis , aut deſiſtentiæ à malo , ac proinde id eſt peccatum , & abuſus rerum ſacrarum quatenus adhibentur ad vſum , ad quem non ſunt inſtitutæ , nec quicquam operantur. Illorum igitur vſus ad inſenſata fuganda irreuerentiam rerum ſacrarum arguit , Nauar. *conſil.*2. *de ſent. excom. Angel.* Tabiena *ver. Adiuratio*,cenſent peccatum mortale,Sanchez *vero l.*2. *c.*42. *numer.*37. Bonac. *diſp.*4. *q.*1.*par. fin.numer.*4. putant veniale,quia ſic agere ſimplex eſt vanitas. Dixi (eſſe illicitum) quando adiuratio directè ordinatur ad ipſa inſenſibilia , nam ſi dirigatur ad Deum , vel ad Sanctos deprecatiuè,vt tollat ea,ne noceant , vel imperatiuè , ad dæmonem,ſi credatur malum immittere, vt illud remoueat , nullum eſt peccatum , vt docent omnes. Huiuſmodi vana adiuratio brutorum , & inſenſibilium ne noceant nullam inducit hæreſis ſuſpicionem. 38 39

Sed , quid dicendum de illo Hortulano, qui curſorem ad ſe vocatum miſit ad locuſtas , & alia animalia ſuum viridarium infeſtantia,cum præcepto, vt exirent de illo , & ne amplius hortum ſuum moleſtarent.Dico ſi præceptum hoc contineat adiurationem eſſe ſuperſtitioſam ob irreuerentiam illatam rebus ſacris , aliter non,ſed præceptum dicitur ridiculum,& vanum.Idem dic , ſi illis præcipiatur ſine adiuratione , hoc eſt obteſtatione ſacra , vt compareant coram iudice. Non video in his ſuperſtitionem, ſed humanam vanitatem, & inutile imperium. Quidquid dicant Sotus, & Sanchez , apud Souſam *lib.*1. *cap.* 55. *num.* 14. niſi intelligantur cum formali adiuratione prædicta præſtare ſic agentes. 40

Quæres 20. An liceat adiurare dæmonem ſuperiorem,qui iubeat inferiori , vt exeat à corpore obſeſſo,vel alium inde expellat ? Item an liceat imperare dæmoni ſuperiori , vt expellet inferiorem à corpore obſeſſo.

℞. Neutrum licet , quia id eſt recipere beneficium à Diabolo , quod nullo modo fieri poteſt , ſiquidem id eſt cum eo amicitiam,& ſocietatem inire,quod eſt intrinſecè malum , vt omnes docent cum D.Thoma 2.2 .*q.*90. *art.*2. Ita Sotus *l.* 8. *de iuſt. q.*3.*art.*2. Leſſius *lib.*2.*cap.*44.*n.*46. contra Silu.*ver. adiuratio, quæſt.*5. 41

Quæres 21. An exorciſtæ liceat interrogare dæmonem de authore maleficij in perſonam Energumeni?

℞. Negatiuè , quia hoc eſt diſcere aliquid à dæmone , ac proindè recipere ab eo ſeruitium , quod omnino illicitum eſt,& arguit cum eo ſocietatem , & amicitiam ; & aliqua ratione ſic edoctus fatetur illi ſe obligatum?demum cum ſit pater mendacii, & ſemper paratus ſit ad decipiendum hominem , nullatenus illi credendum eſt , conſequenter impium eſt ab eo quærere veritatem,in cuius ore numquam fuit. Vide Carenam *par.*2. *tit.* 12. *n.*199. vbi hoc eſſe indicium ab omnibus reprobatum ad probandum quem maleficum, Fabrum in ſuo C.Fabriano *l.*9 *tit. de Malefic.Homob. par.* 2. *de caſib. reſeru. c.* 2. *pag.* 272. §. *Maleficium veneficum.* 42

CAPVT XVIII.

De Sortilegiis ex vana Obseruantia.

SVMMARIVM.

1 *Sortilegium comprehendit omnes superstitiones.*
2 *Obseruantia vana definitur, & diuiditur.*
3 *Peccatum mortale ex genere suo.*
4 *Illius species enumerantur.*
5 *Ars notoria ad acquirendum scientias sine labore.*
6 *Acquisita licitè vtitur.*
7 *Sanitatis obseruatio.*
8 *Euentuum obseruatio.*
9 *Reliquiarum, & Breuium.*
10 *Magia superstitiosa.*
11 *Non est inueniendi aquam virga salicea.* 20.
12 *Magia naturalis.*
13 *Inuocatio dæmonis mortale.*
14 *Quatuor spectantur in sortilegiis.*
15 *Media alia profana.*
16 *Alia sacra.*
17 *Virtutem nullam habent in his.*
18 *Cur dæmon media hæc adhibet?*
19 *Causa verè existente sortilegium non est.*
20 *Aqua inuentio per virgam non est sortilegium.* 11.
21 *In dubio an medium sit causa, an signum.*
22 *Sortilegium est licet sit causa, sed coniuncta cum alio signo.*
23 *Sortilegia quomodo cognoscantur.*
24 *Sortilegium omne hæreticale.*
25 *Sortilegium sapiens manifesta hæresim.*
26 *Quod non sapiat.*
27 *Sortilegium qualem suspicionem hæresis inducat.*
28 *Hostia, Vinum, & Aqua pro sacrificio quot modis spectentur.*
29 *Hostiæ consecratæ, & Sanguinis Christi abusus.*
30 *Hostiæ non consecratæ abusus sortilegium.*
31 *Abusus sacrorum ad maleficium reddat vehementer suspectum.*
32 *Non sic rellatus ad bonum effectum.*
33 *Breuia collo an liceant?*
34 *Herbas colligere, venam scindere certis festis.*
35 *Sanantes morbos mixtione rerum sacrarum.*
36 *Hostia sacra, & sanguis non aptantur morbis.*
37 *Sanatio per remedium distans ab vulnere sortilegium est.*
38 *Sanatio morsus cani rabidi, & strumarum per Regem Franciæ.*
39 *Sortilegium hæreticale inuocatio sancti sub dubio.*
40 *Poculum amatorium sortilegium hæreticale.*
41 *Dies fausti, & infausti apud antiquos.*
42 *Eorum obseruatio superstitiosa.*
43 *Circuire nouies Ecclesiam non est superstitio.*
44 *Saltatio significat honorem cum gaudio.*
45 *Malum caducum quomodo fiat.*
46 *Abusus ossium mortuorum sortilegium.*
47 *Inquisitor iudex omnium sortilegiorum.*
48 *Etiam simplicium, & non qualificatorum.*
49 *Laicus iudex omninò excluditur.*
50 *Sortilegium non est amplius mixti fori.*
51 *Laicus remittit sortilegum ad Inquisitorem.*
52 *In dubio an casus hæreticalis sit iudicium, est Inquisitoris.*
53 *Inquisitor causa terminata remittit reum ad laicum iudicem.*
54 *Non ideo incurrit irregularitatem si causa sit sanguinis.*
55 *Sortilegus in tormentis repertus per laicum subitur Inquisitoribus.*
56 *Cingaræ regulariter non subduntur Inquisitoribus.*
57 *Sortilegium non perfectum quandoque punitur, vt completum.*
58 *Abrasio capillorum rei non est superstitiosa.*
59 *Missas de mortuis pro viuis celebrare non licet.*
60 *Sortilegia etiam simplicia subduntur Inquisitoribus.*
61 *Habens apud se sortilegium est suspectus de illius vsu.*
62 *Et si non vsus fuit adhuc est suspectus respectu retentionis.*
63 *Reus quomodo probet sortilegium iniectum fuisse in domum suam?*
64 *De pœnis sortilegorum?*

SOrtilegij nomen genericum est ad omnes species superstitionis in ordine ad cultum creaturarum, ac proindè ad Idololatriam, Diuinationẽ, Obseruantiam vanam, Incantationem, Magiam, Maleficium, & alia huius generis. Sub hoc capite agam tantum de Sortilegiis ex vana obseruantia. Pro qua re. 1

Præmitto sex species Sortilegiorum. Primò alia sunt amatoria. Secundo, alia Defensoria contra arma. Tertiò alia reuelatoria res ablatæ, vel perditæ. Quartò alia lucratoria in ludo. Quintò alia malefactoria. Sextò demum alia diuinatoria. Hæc diuisio procedit ex fine intento. Et licet Defensorium, & Lucratorium, atque Reuelatorium non habeant malum finem, habent tamen malum medium, quod est ipsum materiale sortilegium, quod creditur habere efficaciam ad finem obtinendum, quod tamen non habet sed ex pacto saltem tacito dæmonis ratione cuius dicitur sortilegium, & quidem hæreticale quando sacris miscetur.

Quæres 1. Quid, & quotuplex sit Obseruantia vana?

℞. Vana obseruantia est procuratio alicuius effectus adhibitis quibusdam mediis inutilibus nec à natura, nec à Deo constitutis ad producendum effectum ex illorum positione sequentem. Vt si quis certis verbis, aut petiis sine medicamine velit sanare vulnus, vel conferre sanitatem. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 96. Sair. *libro* 4. *capite*. 6. Less. *l.* 2. *c.* 43. *dub.* 10. Floron. *de casib. reseru. par.* 2. *casu.* 1. §. 2. Bonac. super primum præceptum Decalogi *disp.* 3. *de legib. q.* 5. *par.* 4. Mazuchell. de casib. Mediol. *disp.* 2. *c.* 10. *q.* 5. 2

Peccatum mortale ex genere suo, quia eius malitia consistit in dæmonis inuocatione saltem tacita, ratione cuius dæmoni cultus, & reuerentia exhibetur in impetratione effectuum ab ipso obtentorum, qui à Deo petendi sunt, si boni sunt, aut ab illis abstinendum si mali sunt. Ita supracitati. 3

Diuiditur autem vana obseruantia in has species, quarum prima vocatur Ars notoria. Secunda, obseruatio sanitatis. Tertia, obseruatio futurorum euentuum. Quarta obseruatio reliquiarum, & breuium. Quinta, Magia. Sexta, Maleficium. Singulæ explicantur, præmittendo, quod in illis dæmon partem suam habet, cum in illis inuocetur expressè, vel tacitè à quo effectus proueniunt, positis quibusdam mediis. 4

Ars

5 Ars notoria est illa, qua mediis vanis sine labore procuratur acquisitio scientiæ. Media sunt, oratio, ieiunium, potio certi liquoris, inspectio caracterum ignotorum, &c. quæ nullam proportionem, & virtutem habent ad acquirendam scientiam, orationes, & ieiunia conferant ad scientiæ acquisitionem, si cum illis à Deo, ad quem debent dirigi, petantur, posito labore eius, qui desiderat scire, nihilominus ea in dæmonem relatæ nullius sunt efficaciæ, ideo habent
6 rationem medij superstitiosi. Si quis autem edoceatur à Diabolo scientiam, illa postmodum vti potest, si bona sit, & eius vsus non pédeat à diabolo, quia vsus scientiæ de se bonus est, Sanchez *l.* 2. *c.* 42. *num.* 20. Mazuchell. de casib. Mediol. *disput.* 2. *cap.* 10. *quæst.* 5. *diff.* 1.

7 Sanitatis obseruatio est illa, qua homo ad recuperandam sanitatem adhibet certa media inefficacia ad producendam sanitatem, ad medendum vulneribus, ad expellendam febrim. In his diabolus operatur, quando medium adhibitum non habet naturalem virtutem sanandi, vnde, & effectus excedit eius actiuitatem, quod maximè apparet, quando medium applicatur in loco tam distanti, vt illi remedio effectus tribui non possit, vel cum remedium potius est causatiuum mali, quam productiuum sanitatis; vt si quis cœpa, vel alio medeatur vulneri, &c.

8 Obseruatio euentuum est illa, qua ex consideratione rei occurrentis, vel accidentis ex inopinato conijcitur quid futurum sit, boni, an mali? Vt si quis domo exiens pedem offendat in lapidem concipit quid aduersum sibi futurum. Si occurrat virgo, putat illum diem sibi futurum inutilem; si obuiam habeat meretricem, diem fertilem, & iucundum sperat. Concipere huiusmodi futura non sunt diuinationes, sed obseruationes, quia in diuinatione quæruntur media ad præsciendum, in obseruatione casu occurrunt absque eo, quod quærantur? in diuinatione quæritur cognitio rei, in obseruatione directio operationum ad aliquid agendum, vel fugiendum. In his veniale committitur peccatum, nisi quis firmiter illis adhæreat. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 46. *à numer.* 14. *ad* 21. Lessius *lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 65. Mazuchell. *de casib. Mediol. disp.* 2. *cap.* 10. *q.* 5. *diff.* 3.

9 Reliquiarum, & rerum sacratum obseruatio est illa, qua quidem vtuntur prædictis ad eum effectum, ad quem non sunt ordinatæ, vt, si quis gestat collo breuia, quia putat se non posse interfici ab aliquo, vel non esse moriturum in aqua, in bello, &c. Huc spectant consuetudines quarumdam mulierum, quæ non nent diebus sabatis, licet se occupent in aliis seruilibus. Item colligere herbas in nocte S. Ioannis Baptistæ, quia sunt maioris virtutis, & similia facere, actus sunt superstitiosi. Ita omnes cùm Graff. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. Lessius *l.* 2. *c.* 43. *n.* 63. Bonac. *disp.* 3. *de legib. q.* 5. *par.* 4. In his bona fides, deuotio, & bonus affectus erga sanctum, & ignorantia excusant à peccato mortali, nisi cum his misceantur alia impertinentia.

10 Magia est potestas faciendi mirabilia, quæ videntur superare ordinem naturæ. Dico, *videntur*, quià nonnulli effectus quãuis mirabiles ex occultata vi possunt procedere à natura, & talis reputatur inuentio lati-
11 tantis aquæ per virgam saliceam, amygdalinam. vel sanguinuleam, is enim effectus inueniendi aquam prouenire potest à qualitatibus per aquam transmissis in virgam, & per virgam in aquam, vt docet Bonac. *disp.* 3. *de legib. q.* 5. *par.* 4. *n.* 14. Hæc magis natura-
12 lis dicitur, & nihil superstitionis habet adiunctum. Magia vero species vanæ obseruantiæ est inordinata potestas faciendi aliquid mirabile arte dæmonis inuocati expressè, vel tacitè in signo, &

medio, ad cuius positionem sequitur mirabilis effectus. Id autem est peccatum mortale ex genere suo, ob inuocationem, & societatem cum dæmone, ita quod nec paruitas materiæ excuset, quia inuocatio dæmonis ex se talem malitiam inducit, siuè 13
coniungatur cum re parua, siuè cum magna, & ex qualitate mirabilitatis satis magna dicitur, Ignorantia verò pacti, & bona fides excusat. Ita omnes cum Lessio *l.* 2. *c.* 44. *dub.* 4. Sanchez *l.* 2. *c.* 40. *n.* 13. Farinac. *q.* 181. *n.* 36. Bonac. *disp.* 3. *q.* 5 *par.* 5 *num.* 4. Mazuchell. *de casib. Mediol. disp.* 2. *cap.* 10. *n.* 98. *& seq.* De maleficio dicam in sequentibus capitibus.

Notandum pro intelligentia dicendorum in sortilegiis ex vana obseruantia quatuor spectari. Primò, personam exercentem actum superstitiosum, contra quam inquiritur, an sit hæretica, vel saltem suspecta de hæresi. Secundò, inuocationem dæmonis tam expressam, quam tacitam, vtraque enim arguit, etiam simpliciter spectata præscindendo à mediis vanis, hæresis suspicionem, si non hæresim expressa vehementem, tacita leuem ex dictis præcedenti cap. *q.* 15. *n.* 33. Tertiò, medium, quo superstitiosus homo vtitur ad consequendum finem intentum, quem dæmon producit ad positionem medij, & hoc tertium, maximè inspicitur à doctoribus ad sciendum an sortilegium sit hæreticale, nec ne, vt infra patebit. Quartò, demum spectatur finis, & effectus intentus per sortilegium qui regulariter est in se bonus, in hac specie malus in maleficio, vt acquisitio thesauri, scientiæ, sanitatis, præseruatio à malo, &c. Inquisitor igitur hoc quartum non considerat, sed reliqua duo, Media nimirum, & dæmonis inuocationem adhibita, & factam à persona superstitiosa, vt inde colligat, an homo superstitiosus sit hæreticus, aut ad minus suspectus de hæresi vehementer, an leuiter. Quod est etiam quærere an sortilegium sit hæreticale, an sapiat manifestam hæresim, an non? 14

Quæres 2. De virtute, qualitate, & conditione mediorum, quæ à superstitiosis adhibentur ad sortilegia?

℞. Media, quæ adhibentur ad actus superstitiosos, 15
sunt in duplici differentia. Alia profana, alia sacra. Media profana sunt quælibet res, verba, caracteres, & signa carentia consecratione, sanctificatione, aut benedictione, vt, annulus, phiala, circulus, medicina, cribrum, &c. nomina ignota non sanctorum, nec beatorum. De quibus Graff. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 17. 22. *&* 24. Farinac. *q.* 20. *n.* 79. *& q.* 181. *num.* 15. Media sacra sunt in quadruplici differentia. Sub prima con- 16
tinentur Sacramenta septem, & ad ea spectantia, vt eorum partes materia, & forma, Hostia consecrata, Sanguis Christi, Aqua, Chrisma, Oleum Sanctum. Sub secunda, continentur Sacramentalia hoc versu expressa. *Orans, tinctus, edens, confessio, dans, benedicens. Orans* significat omnes orationes ab Ecclesia institutas, vel à piis hominibus. *Tinctus*, aquam benedictam. *Edens*, comestibilia; & potabilia benedicta. *Confessio*, ex Confiteor, *Dans*, opera misericordiæ tam spiritualia, quam corporalia. *Benedicens*, benedictionem quæ datur in missa, vel extra ab Episcopo, aut Abbate, & præterea significat etiam res benedictas. Sub tertia, sunt reliquiæ sanctorum, eorum imagines, crux quælibet Christi, Agnus Dei, Magdalee, vasa sacra, calix, pixis, Patena, corporale, paramenta sacerdotalia, & aliorum ministrorum, & aliæ vestes ad ornatum Ecclesiæ, Calicis, & Altaris, Candelæ benedictæ, cæreus Paschalis, cæreum singulare, hostia non consecrata, vinum, & aqua proximè pro sacrificio in vrceolis, oleum lampadis, & cætera huiusmodi, quorum abusus est sacrilegium, adde locum Ecclesiæ, tempus speciale dedica-

tum diuino cultui, vt si ad effectum obtinendum necessarium sit facere aliquid intra Ecclesiam, vel in cæmeterio, vel in die Paschalis, vel dum Sacerdos celebrat, vel dum campana pulsatur, &c. Sub quarta demum sunt sacra, cuiusmodi sunt nomina Dei, Christi, Mariæ, & Sanctorum, ac Beatorum? item verba Sacræ Scripturæ tam noui, quam veteris testamenti; item Missalis, aut Breuiarij. Prædicta omnia vocantur res sacræ, quarum abusus sacrilegium est. De qua vide Graff. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12. 13. 16. 22. 24. 31. Farinac. *q.* 181. *à n.* 15. Sotum *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. Floron. *de casib. reseru. casu primo, versu: Maleficium n.* 8. Belloch. *de casib. reseru. part.* 2. *q.* 1. *n.* 50. Mazuchell. *de casib. Mediol. disp.* 2. *c.* 10. *n.* 117. ex his patet eorum conditio, & qualitas, cum quædam eorum sint profana alia vero sacra, de quibus exactè dictum fuit.

17 Virtutem nullam habent huiusmodi media in ordine ad effectum ad cuius productionem assumuntur, vt constat consideranti quoslibet actus superstitiosos, nam loquendo de mediis profanis, vt plurimum ridicula sunt, & omnino vana sine vlla proportione & inclinatione ad effectus, ad quos assumuntur, exemplum sit in petia tincta sanguine eiusdem vulneris applicata malo per cuspidem gladij, per oram pilei, &c. Si de sacris sermo sit, ridiculum prorsus est, & sacrilegum mingere intra annulum sponsalitium benedictum ad reddendos impotentes coniuges ad copulam. Demum nullibi constat, Deum, neque Ecclesiam rebus, seu verbis sacris dedisse huiusmodi virtutem, & potestatem; ergo dicendum est, Diabolum immediatè ad positionem talium mediorum occultè operari, quod homo intendit, siue bonum, siue malum. Quare à Doctoribus huiusmodi media signa bene vocantur, quia signant, non causant effectum productum ad illorum positionem. Sed dicet, quis, cur Dæmon ipse non operatur sine positione
18 horum signorum? Dico, quod Dæmon, qui inuidus est, & impius Dei, & Iesu Christi æmulator, quærit illum peruersè imitari, dum per vsum, & adhibitionem signorum sensibilium ab homine superstitioso, operatur effectus in perditionem animæ suæ, sicut Christus per Sacramentorum vsum confert gratiam fidelibus suis in salutem animarum.

Quæres 3. Dictum fuit huiusmodi media esse vana, inutilia, & inefficacia respectu effectuum, ad quos assumuntur, sed quia aliquando constat, huiusmodi media virtutem habere illos producendi, aut saltem non ita esse clarum illa esse vana, vnde dubitari potest de illorum efficacia. Quæres, inquam, quid tunc agendum, & concludendum à consultoribus, & Inquisitoribus? Quod etiam quærere, quomodo cognoscatur effectum productum excedere, vel non excedere virtutem naturalem causæ adhibitæ in eius productione.

19 ℞. Quando constat de sufficientia causæ, cuius virtutem effectus non excedit, sortilegium, neque superstitio locum habet ex hoc capite, cum causa adhibita simpliciter non iudicetur vana, nec inutilis, vt alias obseruatum est per historias, per Philosophos virtutum causarum scrutatores, & experientia virorum timoratæ conscientiæ, satis enim tritum est illud commune axioma. *In herbis, & lapidibus consistit virtus*, experimur enim per contactum lapidis pretiosi impediri profusionem sanguinis, per alios mulieres facilè parare filios; per herbas medicinales, & alia curari infirmos, & vulnera; per virgam saliceam, amygdalinam, & sanguinaleam inue-
20 niri aquas quadam in eis virtute occulta, per quam qualitates indicatiuæ aquæ à virga in aquam, & ab aqua in virgam transmittuntur, sine vlla superstitione, vt docet Bonac. *dis.* 3. *de legib. quæst.* 5. *p.* 4. *num.* 14. quem pro se citat Mazuchell. *de casib. Mediol. disp.* 2. *cap.* 10. *numer.* 99. Natura enim in suis causis mirabiles producit effectus, vt experientia patet in magnete ferrum trahente? in remora animali naues sistente, vide Conymbr. *lib.* 7. *physicor. c.* 2, *q.* 1.

In dubio autem, quando ignoratur an effectus sit à causa naturali, an potius à Dæmone? Fauendum illius actori, ac proinde medium illius assumptum esse propriè causam illius effectus productiuam, nisi aliud obstet, vt dicam sequenti quæstione, quia in dubiis delicta non præsumuntur, *cap.* 2. *de reg. iur. cap.* 1. *de iureiur. l. Merito ff. pro soc.* Ita Sanch. *lib.* 2. *c.* 40. *n.* 44. Sousa *l.* 1. *c.* 54. *n.* 2. Bonac. *disp.* 3. *de legib. q.* 5. *p.* 4. *n.* 9. §. *Verum.* 21

Quæres 4. An quando medium est verè causa productiua illius effectus, sed ex alia parte constat interfuisse circumstantiam impertinentem ad productionem effectus, an tunc sortilegium iudicandum sit?

℞. Affirmatiuè cum D. Thoma 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. ad primum, quem omnes sequuntur cum Delrio *lib.* 3. *Magic. part.* 2. *q.* 4. *sect.* 1. vbi actum vocat superstitiosum ex parte circumstantiæ, non ex parte operis Sanch. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 8. contra Valentiam asserentem non esse propriè superstitionem, sed tacitum cum Dæmone pactum, patet autem ex dictis superstitionem omnem adiunctam semper habere Dæmonis inuocationem, seu pactum tacitum. 22

Quæres 5. Vnde cognoscatur actum humanum esse superstitiosum, & sortilegum?

℞. Sortilegium est *Primò*, quando constat cum actu misceri expressam inuocationem Dæmonis, 23
siue sit imperatiua, siue deprecatiua, nam in vtroque præsumitur cultus, siue effectus excedat virtutem medij adhibiti siue non, quia per hoc non excluditur auxilium Dæmonis expressè inuocati, & id totum patet ex dictis præcedenti capite *sub q.* 5. 11. 13. & 15. *Secundò*, quando aliquid speratur à Dæmone siue eius vires excedat, siue non, siue medium vanum siue sufficiens, Sousa *l.* 1. *c.* 54. *n.* 4. *Tertiò*, quando effectus prouenit ex medio euidenter inefficaci, præsumitur enim, imo clare colligitur, aliunde effectum occultè prouenire nimirum à Dæmone ex pacto tacito, vt si quis cœpa medeatur vulneribus, constat enim nõ esse medicamentum, sed potius operari oppositum, ex D. Thoma 22. *q.* 96. ex eo Sanch. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 9. & 44. Sousa *l.* 1. *c.* 54. *n.* 5. Bonac. *disp.* 3. de legibus *q.* 5. *p.* 4. *n.* 9. *Quartò*, sortilegium est, quando effectus non excedit quidem virtutem medij, & causæ, à qua prouenit, tamen ratione inutilis, & vanæ circumstantiæ adiunctæ censetur tale, D. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. ad primum, Sanch. *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 8. & supracitati. *Quintò*, sortilegium est, quando effectus statim apparet sine motu locali, vt mensa parata, flumen, pluuia sereno cœlo statim turbato, Bonac. *disp.* 3. *de legibus quæst.* 5. *p.* 4. *n.* 9. §. *Secunda*, Sanatio infirmi subitanea ex applicatione medicaminis, quod naturaliter paulatim, & non statim operatur. *Sextò*, sortilegium est, quando modus operandi est insuetatus, vt medicatio cum cuspide gladij, cum fimbria pilei, applicatione remedij parti non offensæ, aut intermediante re alia, quæ rationem medicaminis non habet. *Septimò*, quando effectus productus statim, & illico euenerit, ex Delrio Sanch. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 43. Bonac. ex illis cit. §. *Tertia.*

Quæres 6. An omne sortilegium sit hæreticale, & sapiens hæresim? & quæ sapiant manifestam hæresim? & quæ non manifestam sapiant hæresim? Farinac. *q.* 20. *num.* 79. distinxit Sortilegia in hæreticalia, & non hæreticalia, & in ea, quæ sapiunt manifestam hæresim, & quæ illam non sapiunt, pro qua re se citat *q.* 181. *n.* 2.

℞. Omne

24 ℞. Omne sortilegium habet ad minus adiunctam suspicionem hæresis, ac proinde omne sortilegium dici potest hæreticale, quia in omni subest Dæmonis inuocatio si non expressa, saltem tacita, ex probatis *quæst.* 5. 11. *&* 15. Sed amicitia, societas, vel commercium cum Dæmone contractum ex inuocatione arguit semper hæresim, sicut præsumitur hæreticus conuersans cum hæreticis, à fortiori cum Dæmone, ergo omne sortilegium hæresim sapit. Verum quidem est, quod diuiduntur in duas species, alia enim manifestam hæresim faciunt, & dicuntur qualificata, seu simpliciter hæreticalia, alia non, sed minus illam præseferunt, & dicuntur sapere hæresim occultam, seu vocantur sortilegia simplicia, vide Barbosam ad *cap. Accusatus, de hæret. in* 6. Illa dicuntur, quæ fiunt cum aliquo dicto, vel facto significante hæresim? vel quæ fieri non possunt sine hæresi; vel quæ primo aspectu speciem, & odorem habent hæresis, vt incensatio Dæmonis. Hæc verò dicuntur illa, cuius dictum, vel factum non habet speciem, aut odorem hæresis? vt, curatio vulneris cum pecia sanguine vulnerati tincta. Manifestam hæresim sapientia sunt.

25 *Primò*, Sortilegium factum expresso pacto cum Dæmone, ea Derlio Sousa *lib.* 1. *cap.* 57. *n.* 6. 17. *Secundò*, quando Dæmon inuocatur ad ea facienda quæ soli Deo competunt facere, vt resuscitare mortuos, cæcos illuminare, scire secreta cordium, & futura contingentia à libero arbitrio pendentia. Ita Carena *part.* 2. *tit.* 12. *n.* 24. Farinac. *q.* 181. *n.* 5. Sousa *l.* 1. *c.* 57. *num.* 7. *Tertiò*, quando rebaptizatur homo validè baptizatus vel baptizatur res incapax huius Sacramenti? vt magnes, cadauer, ossa mortuorum, herba, lapis &c. Farin. *q* 181. *num.* 23. ex illo Carena *num.* 25. *Quartò*, quando in sortilegio abnegatur Deus, vel interuenit abusus Sacramentorum, aut Sacramentalium Farinac. *q.* 181. Sousa *lib.* 1. *cap.* 57. *numer.* 9. Genuens. *capite* 18. *numer.* 11. *Quintò*. quando Dæmoni tribuitur cultus latriæ, aut duliæ, vel quouis alio modo honoratur, dicendo illum esse Deum, sanctum, innocentem, omnipotentem, &c. Eimer. *par.* 2. *direct.* *q.* 43. Carena *part.* 2. *tit.* 12. *n.* 26. Farinac. *q.* 181. *n.* 67. Sousa *lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 5. *Sextò*, Sortilegium sapit manifestam hæresim cum phiala plena aquæ, antequam stet puer cum candela accensa, inuocato Angelo sancto, ad inueniendum furtum, vel aliud sciendum, Farin. *quæstio.* 181. *numer.* 15. Barbatia *consil.* 55. *libr.* 1. Decian. *libr.* 20. Criminal. *capite* 17. ex illis Carena, Sousa *libr.* 1. *numer.* 13. hoc enim factum arguit nescio quid diuinitatis, & cultus latriæ ex accensione candelæ. Clarus §. *Hæresis num.* 23. & Riminal. *iunior consil.* 414. *n.* 16. negant id esse sortilegium hæreticale, sed immeritò, nam hæresim præsefert non solum ex tacita inuocatione dæmonis, sed etiam ex accensa candela, & etiam ex inuocatione sancti Angeli, qui in re est dæmon inuocatus; & honoratus nomine sancti. *Septimò*, factum hæreticale manifestam sapiens hæresim est tenere dæmonem alligatum, quod nequit fieri sine expressa Inuocatione & intrinseca familiaritate, & cultu erga Dæmonē. Farinac. *q.* 181. *n.* 28. Sousa *l.* 1. *c.* 57. *n.* 15. *Octauò*, manifestam hæresim sapiens dicitur Sortilegium, per quod tribuitur in calice consecrato poculum amatorium mulieri, vel quid simile fit in ordine ad prauum finem cum abusu Sacramentalium, & rerum sacrarum, quasi sint ordinatæ ad malum.

26 Sortilegia hæreticalia hæresim manifestam non sapientia sunt ea in quibus factum, vel dictum primo aspectu non habet speciem hæresis, & potest fieri sine hæresi. *Primò*, Astrologia iudiciaria certò affirmans aliquid futurum homini ex inspectione syderum. *Secundò*, quædam media ad inueniendum furtum adhibita sine expressa dæmonis inuocatione, Sousa *libr.* 1. *capit.* 57. *numer.* 13. alijs citatis. *Tertiò*, quædam sacra, vel spiritualia, vt oratio, abstinentia, ieiunium adhibita ad effectum bonum cum aliis circumstantiis vanis non sapiunt manifestam hæresim.

Quæres 7. An sortilegium tam hæreticale manifestum, quam non, reddat hominem suspectum de hæresi vehementer, vel leuiter?

℞. Sortilegium hæreticale manifestam sapiens hæresim facit regulariter hominem sortilegum vehementer suspectum de hæresi? illam vero non sapiens facit suspectum solummondo leuiter. Ratio vtriusque desumitur ex adductis in responsione præcedentis quæstionis, siquidem sortilegium continens dictum, seu factum manifestè hæreticum vehementer arguit illo vtentem malè sentire de fide, sicut sortilegium, in quo ex dicto, vel facto non apparet hæresis, parum arguit illo vtentem malè sentire de fide, ex quo iudex arbitratur siue leuis, aut grauis suspicio hæresis. Ità Alphonsus de castro *libr.* 1. *cap.* 15. Pegna *part.* 2. *direct.* *comment.* 67. Genuens. *capite* 18. Zanard. *de præceptis partè.* 1. *capite* 5. *de fide, part.* 2. *capite* 64. *& capite* 134. quos citat Carena, *part.* 2. *tit.* 12. *numer.* 242. *&* 246. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 11. §. *Huic, difficultati*, dicit sortilegos non hæreticantes, intellige tu, quorum sortilegium non sapit manifestam hæresim, tortos de leui abiurare ex stilo curiæ Romanæ, sine tortura de leui abiurare in Hispania cum salutari pœnitentia. Vide Carenam circa huiusmodi abiurationem *à n.* 247. 27

Nota, quod iudex facto, vel dicto sortilegij quamuis hæreticalis, non debet statim inferre hominem illius reum esse vehementer de hæresi suspectum, sed præterea considerare debet qualitatem personæ, & circumstantiam causæ, ex quibus crescit, vel decrescit maior, vel minor suspicio, accidere enim potest, quod in vno, & eodem sortilegio à duobus facto separatim præsumptio respectu vnius sit vehemens, leuis verò respectu alterius, vt docui *cap.* 10. *quæst.* 14. *num.* 50.

Quæres 8. An, & quale sortilegium fiat ex abusu Hostiæ, Vini, Aquæ, & Sanguinis Iesu Christi? Hostia quadrupliciter spectatur. Primò, prout reposita manet pro sacrificio. Secundò, prout prope altare reconditur, vel sciente Sacerdote ponitur, vt super ipsam missa celebretur sine illius consecratione, quibus modis nondum dicitur consecrata, neque benedicta. Tertiò, prout ponitur simul cum alia consecranda super corporali, solum benedicitur, sed à Sacerdote non consecratur. Quartò, demum prout est consecrata. Eodem fere modo spectari potest Vinum, & Aqua in ampullis iam posita, & destinata ad sacrificium, quæ dum ponuntur in calice benedicuntur, & demum consecrantur, residuum quod in ampullis remanet benedictum non est, quia benedictio prima cadit super vtrumque in calice, non in ampullis. Demum Sanguis Christi vnico spectatur modo. 28

℞. Abusus Hostiæ consecratæ, & Sanguinis Dæmoni sapit manifestam hæresim in omnium sententiam, & huius sortilegi confessi, vel conuicti traduntur curiæ seculari, vt decreuit Paulus IV. decreto edito die 17. Februarij 1559. apud Bariolam in fine Bullarum. 29

Abutens verò Hostia nondum consecrata, super quam celebratum fuit committit sacrilegium hæreticale manifestam sapiens hæresim, non ratione hostiæ, sed missæ celebratæ respectu cuius potissimum spectatur abusus, ex hoc enim facto sortilegus vehementer præsumitur malè sentire de sacrificio missæ? præterquamquod Hostia licet non consecrata nullum 30

alium vsum habet, nisi quod est materia Sacramenti Eucharistiæ, & præterea conficitur cum cruce, & imaginibus sacris. Ita docent Zanardus de Præcept. *par.2.cap.*64. ex illo Carena *par.*2.*tit.*12.*n.*53. Scaccia, Sousa, & alij, quos pro se citat Diana *par.*4. *resol.* 10. *tract.* 7. §. *Sed ego puto.* Contra Ghirlandum, Locatum, Torreblan. & alios apud dictos, quos sequitur Farinac. *q.*181.*n.*20. cum quibus est Delrius, sed nulla probabili ratione suum dictum firmant, cui satisfactum fuit.

Adhibens Hostiam, super quam celebratum non fuit, similiter Aquam, & Vinum vrceolorum ad effectum in se bonum, adiunctis circumstantiis vanis, vt scribendo super Hostiam verba sacra, vel nomina, vel alium liquorem, miscendo Vino, aut Aquæ non videtur grauiter suspectus de hæresi, quia leuis abusus censetur. Si verò illis abutatur ad maleficiũ videtur suspectus grauiter, quia præsumitur credere huiusmodi media producere maleficium, quod quodammodo videtur pendere à sacrificio missæ, cuius illa sunt materia, & res sacræ *ex q.*2.

Quæres 9. An mixtura rerum sacrarum de quibus *sub q.* 2. in sortilegiis arguat sortilegium hæreticale manifestam sapiens hæresim?

31 ℞. Abusus verborum, & rerum sacrarum in sortilegiis ad maleficium, & prauum effectum sapit manifestam hæresim, ac proindè vehementer de hæresi suspectum facit abusorem, quia præsumitur credere res sacras à Deo, seu ab Ecclesia ordinatas fuisse ad malum. Ita Delrius *lib.* 5. *sect.* 15. cum Farinac. *q.* 181. *n.*22. cum quibus Sousa *l.*1.*c.*57.*n.*9. Carena *part.* 2. *titul.*12.§.4.*n.*23.

32 Quando verò abusus non Sacramentorum, sed Sacramentalium, & sacrorum verborum refertur ad bonum effectum, vt scientiam, ad sanitatem, &c. non arguit nisi leuem suspicionem attentis circumstantiis vanis, & aliis, & quandoque nulla est suspicio, neque proindè sortilegium castigatione dignum, vt si mulier simplici signo crucis deuote benedicat super malum nihil praue dicendo, nam signum crucis, & orationes prosunt non solum animæ, sed etiam corpori humano. Aliquando malus modus vtendi re benedicta etiam bonum effectum arguit manifestam hæresim, vt mingere intra annulum sponsalitium ad dissoluendum maleficium, quo coniuges matrimonium consummare non possunt.

Quæres 10. Quomodo cognoscatur, Breuia, & Orationes, quas homines, & mulieres ex deuotione collo appensas, vel aliter apud se gestare non sapere, vel sapere sortilegium, & hæresim.

33 ℞. Vt liceat tenere apud se Breuia, Reliquias, & Orationes requiritur sequentia. *Primò*, quod nihil falsitatis contineant. *Secundò*, nullum verbum ignotum. *Tertiò*, nullum signum, aut caracterem præter Crucem. *Quartò*, nullus modus, figura, aut circumstantia insusitata in illis reperiatur. *Quintò*, quod firmam spem in illis non habeant, vt à nullo possint vulnerari, molestari, aut occidi, neque huiusmodi virtutes, quibus certò carent, in illis exprimantur. Ita omnes cum Sairo *lib.*4.*cap* 6.*num.*6. Sanchez *lib.*2.*c.*40. *numer.* 20. Bonac. *disp.* 3. *de legib. quæst.* 5. *par.* 4. *n.* 11. Si in illis desit aliqua ex allatis requisitis possunt interrogari ab Inquisitoribus, credulitatem super illis habeant, & quid de fide sentiant iuxta tenorem prædictorum. Regulariter tamen dimitti solent cum monitione paterna, quia bona fide, & ex deuotione illa gestant, non considerando bene circumstantias vanas illis coniunctas.

Quæres 11. An obseruatio colligendi herbas, scindendi venam animalibus, & similia faciendi certis diebus; vt in nocte S. Ioannis Baptistæ sit sortilegium, & casus Inquisitionis?

℞. Si id fiat ex quodam pio affectu erga sanctum nihil superstitionis continet. Si verò quis credat 34
eas herbas habere maiorem virtutem collectas tali hora, die, & tempore, superstitiosus est; idem dic de similibus, non est tamen sortilegium, quod regulariter punitur ab Inquisitoribus, quia fere nihil suspicionis hæresis continet. Vide Farin. *q.*181.*n.*64. Sanch. *l.*2. *cap.*40. *numer.* 31. Mazuch. *de casibus Mediol. disp.* 2. *cap.* 10.*num.*89. Bonac. *disp.*3. *de legib. q.*5.*par.*4. *num.*12.

Quæres 12. An quidam modi sanandi vulnera, & infirmos sint superstitiosi, & sortilegia sapientia hæresim? Vt si quis verbis consecrationis sanet vulnera, pellat febrim. Item potione medicinæ in calice. Vel admixtione cuiuscumque alterius rei Sacræ. Item nonnulli remedium applicant certis lignis, aut petiis puluere, & sanguine vulnerati tinctis, & illud non aptant super vulnus, sed ponunt in certo loco distanti ab vulnerato. Alij cuspide gladij, vel alterius instrumenti remedium applicant parti offensæ, vel alteri parti non offensæ, & breuissimè vulneribus medentur.

℞. Sanantes infirmitates admixtione rerum sacra- 35
rum, vel solis rebus sacris, aut verbis sortilegi sunt, & de hæresi suspecti, sicut & illi, qui med caminibus modo insolito, inusitato, & distanter vtuntur ad sananda vulnera, & morbos.

Primum, de abutentibus rebus sacris probatur ex 36
dictis *q.* 9. nam ex illo modo operandi, & subitanea sanatione applicatione verborum, aut rerum sacrarum clarum indicium habetur, ad illorum positionem, dæmonem occultè operari. Confirmatur, quia nullibi constat in Sacra Scriptura, aut per instructionem Ecclesiæ, quod medicina potata in calice causet sanitatem, nec quod ex verbis consecrationis curetur infirmus magis, quam ex aliis verbis, aut rebus sacris & quo res sacra sanctior est, & magis appropinquatur auctori sanctitatis, eo maiorem hæresis suspicionem arguit; quare potio in calice, & prolatio verborum cõsecrationis arguunt illis abutentem esse vehementer suspectum de hæresi.

Secundum, de sanante in loco distanti proba- 37
tur, quia medicamenta debent canonicè applicari super vulnera, & malum, nempè per formalem contactum remedij, & mali, vt ex ratione naturali constat, quia omne agens naturale agit in passum sibi debitè approximatum, & ex praxi omnium medicorum; quare cum iste modus distanter medendi, & celeritas sanationis sint satis inusitata, & contra modum naturalem operandi, clarè colligitur ita medentes operari virtute dæmonis, qui ad positionem medicamenti in tali loco, & tali dispositione curat infirmum, sic decipiendo homines credentes medicamentum immediatè operari. Confirmatur hoc, quia si istis dicatur, applica remedium super vulnus, respondent, non posse operari, nisi secundum illam distantiam, quod videtur contra naturam medicamentorum, quæ per contractum physicum operantur. Deindè remedia applicata canonicè per medicum sunt alterius generis à medicamine huiusmodi, ergò signum est, hoc non esse verum medicamentum, sed diabolicum. Ita omnes docent cum Bonac. *disp.* 3. *de legib. quæst.* 5. *par.*4.*num.*18. vbi multis probat, Mazuchell. *disp.*2. *de casib. Mediol cap.* 10. *n.* 81. Quare puto hunc ita medentem esse saltem de leui suspectum de hæresi ex pacto tacito cum dæmone, cum probatum sit effectum sanitatis non prouenire ex illo remedio, neque à Deo mirabiliter, sed solum à dæmone? consequenter denuntiandum esse Tribunali Inquisitoris, nam in eius Edictis præcipitur denuntiatio omnium superstitionum, qui sine dubio procedere potest contra huiusmodi.

huiusmodi. Ita prædicti cum aliis ab illis citatis, distinguentes, tunc esse denuntiandos, quando dubitatur de eorum castigatione, quia in dubiis fauendum est superiori; vel scitur, Inquisitores esse illos punituros; non verò quando certo constat non esse puniendos ab illis, quia nemo obligatur ad opus inutile. Hæc autem distinctio non placet, sed probabiliter, & simpliciter puto illos esse denuntiandos quando constat, superiores non esse remedium adhibituros, est diuinare, quis enim certo scit, quid facturus sit Iudex circa futurum contingens pendens ab eius arbitrio? remanet igitur dubium, alioquin pro iudice præsumendum est, quod castiget repertos noxios. Neque mirum est, si quandoque dimittuntur sine castigatione, quia tunc concludendum est fauore iudicis, quod scilicet delictum non fuit probatum, & ideo denuntiatum impune dimissum fuisse.

38 Sed quid dicendum de sanantibus quasdam infirmitates, vt morsum canis rabidi cum signo crucis, & Inuocatione S. Domnini; item strumam per Regem Francorum his verbis. *Rex te signat, & Christus sanat.* Item alia mala cum signo crucis, & aliquot Pater noster, & Aue Mariæ, &c. Non videntur superstitiosi, quia Ecclesia eos tolerat; quia nihil inusitatum, aut vana circumstantia apparet; quia hæc vocatur gratia gratis data, quæ etiam malis confertur à Deo in beneficium aliorum. Ita Nauar. *cap.* 11. *num.* 36. §. *Quibus*, Bonac. *disp.* 3. *de legib. quæst.* 5. *part.* 4. *n.* 20. Mazuchell. *de casibus Mediol. disp.* 2. *cap.* 10. *num.* 84. In his tamen cauti debent esse Confessarij, & iudices, quia in his etiam dæmon occultè, quandoque operari potest, vnde obseruanda sunt quæ docui superius *sub quæst.* 5. Attendenda in primis est conditio personæ sanantis sit ne bonæ, an malæ famæ, nam si timoratæ conscientiæ prædicatur, verisimile est, dæmonem cum isto neque tacitum pactum habere, vnde S. Didacus oleo lampadis mirabiliter infirmos curabat ex eius actis; si verò sit malæ famæ, & auarus redditur suspectus aliqualiter. Deinde subita, & quasi in instanti morbi depulsio reddit actionem suspectam de superstitione.

Quæres 13. An sortilegium manifestam sapiens hæresim sit, dicere: *Si N. Sanctus est, vel Beatus liberet te Deus per illius intercessionem*? Item quando inuocatur sub nomine sancti qui verè sanctificatus non est? Pendet resolutio quæstionis ab alia, an nimirum sit de fide credendum Papam non posse errare in Beatificatione, & Canonizatione sanctorum. Dixi autem *contr.* 13. *q.* 3. Esse de fide credendum Papam in ea actione errare non posse, & id negare esse formaliter hæreticum.

39 *Resp.* Sortilegium hoc manifestam sapere hæresim, ac proinde abutens huiusmodi inuocatione esse vehementer suspectum de hæresi. Ratio est, quia Canonizatione sanctorum sanctum ita inuocatum, de cuius sanctitate constat, reddit dubium, & quod est clarum reuocat in quæstionem; nam conditio, Si, rem dubiam facit, secundum Menoch. *lib.* 6. *de præsumpt.* 18. *num.* 4. Vide Carenam *par.* 2. *tit.* 12. §. 6. rem hanc tractantem, contra Caiet. *de Indulg. cap.* 8. Canum *lib.* 5. *de locis cap.* 5. qui dixerunt, solum piè credendum esse Papam non posse errare, & Suar. *disp.* 5. *de fide sect.* 8. *num.* 8. asserentem, esse solum temerarium, & impium, non autem hæreticum asserere, Papam in his errare posse.

Circa secundum exemplum, dico illum actum venerationis esse publicum continentem mendacium, ac proindè peccaminosum, & prohibitum per Decretum de Imaginibus nondum Canonizatorum non exponendis, neque venerandis, à me extensum, & explanatum *sub cap.* 15. *q.* 11. & ad rem nostram *q.* 14. *num.* 19.

Quæres 14. An datio poculi amatorij ad tentandum mulierem sit sortilegium sapiens manifestè hæresim.

Resp. Sortilegium hoc esse quidem hæreticale, non tamen manifestam sapere hæresim, quando potiò est simplex, sine abusu Sacramentorum, Sacramentalium, & rerum, atque verborum sacrorum, nam tunc manifestam saperet hæresim ex probatis supra *sub qu.* 9. 40
Probatur, quia quodcumque poculum amatorium est medium insufficiens, vanum, & inutile ad trahendum mulierem ad libidinem, siquidem nullius voluntas trahi potest ab homine, neque à dæmone, quamuis tentator sit, ad malum faciendum, licet quisque ab alio, & dæmone inclinari, & allici possit, non tamen induci ad consentiendum peccato, ergo multo minus à poculo amatorio, quod nullam vim in se habet, neque ad alliciendum, ergo multo minus ad trahendum, consequenter si quandoque mulier disponitur, & allicitur, atque demum nulla cogente, sed propria voluntate consentit in peccatum libidinis, dicendum est illam suggestionem, & delectationem causari à dæmone occultè agente ad sumptionem poculi amatorij; sed vbi interuenit tacita dæmonis inuocatio, ibi adest sortilegium hæreticale, ac proindè hæresis suspicio contra præbentem poculum, quod credat mentem humanam cogi posse à dæmone ad peccatum, quod dicere hæreticum est. Hanc tenet Diana *part.* 4. *resol.* 10. *tract.* 7. siue dæmon inuocetur deprecatiuè, siuè imperatiuè, & rationem huius vide supra præced. *cap. quæst.* 5. Induci vehementem suspicionem hæresis, Farin. *quæst.* 181. *num.* 85. Graff. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. & 22. dicit id non sapere hæresim, quia dæmon inuocatur ad id, quod illius proprium est, nempè tentare hominem, quod fere omnes antiqui docent, quos pro se citat Farinac. *quæst.* 181. & sequitur Carena *part.* 2. *tit.* 12. §. 7. *à num.* 48. asserens præbere poculum amatorium non esse sortilegium hæreticale, secluso obusu rerum, & verborum sacrorum, atque pacto expresso, & innocatione deprecatiua, non aliam rationem adducunt, quam quod illius proprium est tentare hominem, quod nullam dicit, neque arguit hæresim. Sed id nihil probat, quia & si dæmonis proprium sit tentare hominem, tamen ex hoc non tollitur, quin in hoc casu præsumatur hæresis, vel quod dæmonem expresè inuocauerit, vel quod credat dæmonem posse cogere voluntatem mulieris, vel quod ipsum adorauerit, nam ardentissimus amor erga aliquam mulierem hominem conducit ad quæcumque turpia, & sacrilegia, vt tandem optatum libidinis effectum obtineat.

Quæres 15. An obseruatio dierum, faustorum, & infaustorum sit sortilegium superstitiosum hæreticale subiectum Inquisitoribus. Dies fausti sunt illi, qui homines faciunt felices, & fortunatos; Infausti verò è contra, qui illos reddunt infelices, infortunatos, & obnoxios variis calamitatibus, & vocantur critici, quia indicium præ se ferunt de actionibus hominum, siuè prosperis, seu aduersis, vnde apud Rabinos dies Lunæ Infaustus, reputabatur, quia eo die putabant natum Cain; apud Athenienses dies Martis; apud Medos dies Mercurij, apud Phrygios dies Iouis; apud Troianos dies Veneris; apud Persas dies Sabbati, seu Saturni ex Alexandro de Alexandris *lib.* 4 *dierum genial. cap.* 20. 41

℞. Obseruatio horum dierum est propriè superstitiosa vanitas peccatum mortale, si in illis homo firmiter credat, si vero illos obseruat ex quodam timore solum veniale. Non videtur autem pertinere propriè ad Sanctum Officium Inquisitionis, quia nullam hæresis videtur suspicionem continere. Quod autem huiusmodi obseruatio dierum sit prohibita colligitur *ex cap.* 4. *ad Galat.* illis verbis *Dies obseruatis, & tempora, & menses, & annos, timeo vos, ne* 42

fortè sint causa laborauerim in vobis. Prohibetur etiam *cap. Illud 26. quæst. 2. cap. Non obseruetis 26. quæst. 7.* D. Thomas 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 3 Sanchez *lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 15. & 16. Ratio prædictorum est, quia homo dominatur tempori, & non tempus homini, vnde in nostra potestate est facere nobis bonos, vel malos dies mediantibus nostris actionibus.

Quæres 16. Quid dicendum sit de sequentia obseruantibus, propè quandam ciuitatem adest Ecclesia S. Michaelis, quam nemo ingreditur, nisi prius illam nouies circumdederit ad extra sereno Cœlo, pluuioso autem aëre interius totidem vicibus circuitur antequam fiat oratio. In alia Ecclesia in nocte vigiliæ Natiuitatis B. Mariæ Virginis; & in alia S. Genesij malo caduco laborantes per totam noctem saltant, hoc modo sperantes liberari ab illo malo.

43 ℟. In his nihil superstitiosi apparere, quod sit sortilegium, nam ille circuitus nouies refertur ad honorem Nouem Chororũ Angelorum, est enim ille motus laboriosus, & quasi peregrinatio assumpta in
44 cultum Angelorum. Saltatio illa referri potest in honorem Virginis, & S. Genesij, nam in Sacris Scripturis accipitur pro cultu cum lætitia. Vnde dicitur 2. *Reg. cap.* 6. *num.* 14. quod Dauid saltabat coram Domino dum ducebatur Arca testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinæ. Præterea huiusmodi saltatio impedit morbum caducum, cui opponitur, cum cessatio saltationis sit effectus huius morbi, qui enim cadit saltare non potest, infirmi igitur huius morbi stantes saltant ne cadant, morbus iste totius corporis conuulsione tollit principales operationes
45 cerebri, infectis duobus eius ventriculis, ex quo homo statim cadit, & ore spumat quasi semimortuus relictus. Dicitur Comitialis, qua si quis in Senatu congregato cadebat, statim comitia dissoluebantur, nec quidquam amplius eo die agebatur ab antiquis in Congregatione, quasi ille dies esset infaustus ad illa negotia, quæ tractanda erant in comitijs.

Quæres 17. An sortilegium super ossibus mortuorum manifestam sapiat hæresim?

46 ℟. Negatiuè, quia illorum contrectatio nullam manifestat hæresim; neque obstat, quod in funere à Sacerdote aspergatur cadauer aqua benedicta, quia etiam dum quis baptizatur eius capilli lauantur aqua baptismali, & tamen nullus asserit capillos masculi, aut fœminæ arguere manifestam hæresim si adhibeantur ad sortilegium. Igitur cum in his casibus non sit abusus alicuius rei sacræ, sortilegium non sapiet manifestam hæresim, sed occultam tantum, ac proinde erit Sortilegium simplex non qualificatum. Ita Carena *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 29. Itaque aspersione aquæ benedictæ cadauer non fit res sacra, aut benedicta, sed anima ex illis suffragijs redimitur à pœnis.

Quæres 18. An Sortilegiorum omnium cognitio spectet ad Inquisitores & Episcopos exclusis laicis iudicibus? Patet ex dictis inter Sortilegia alia sapere manifestam hæresim ex verbo, vel facto illorum hæresim præferentibus, & hæc vocantur sortilegia qualificata, & simpliciter hæreticalia; alia sunt, quæ ex dicto, aut facto hæresim non demonstrant; vt vsus periæ, ossorum mortuorum, poculi amatorij, &c. in his enim nulla apparet ratio hæresis manifesta ideo vocantur sortilegia hæresim non sapientia, intellige, manifestè, occultè tamen hæresim continent. Id totum patet ex hactenus dictis.

47 ℟. Sortilegiorum non solum manifestam hæresim sapientium, verum etiam non sapientium, & quæ vocant simplicia, cognitio, & causa spectat ad Inquisitores, & Episcopos, ita quod omnino excluditur laicus iudex, qui reum in suis carceribus detentum, & cognitum sortilegium in quacumque parte processus remittere debet ad iudicem Ecclesiasticum, Inquisitorem vel Episcopum, à quibus laicus iudex renuens sub censuris cogendus est ad consignandum sortilegum cum processu, omnibus scripturis, & aliis etiam testibus, vel complicibus spectantibus ad sortilegium, hæresim, aut eiusdem suspicionem; nec laicus iudex contendere potest super qualitate delicti, sed tenetur Inquisitori credere; & causa per Inquisitorem, vel Episcopum finita reus reconsignandus est iudici laico, vt suum iudicium prosequi possit quo ad alia delicta, si habet in eo iudicio, aliter libere dimittendus sine reconsignatione.

Primum, quod Inquisitor iudicet sortilegia hæreticalia, & qualificata, apud omnes est in confesso, ideo probatione, nec auctoritate indiget doctorum, quos refert Farinac. *quæst.* 181. *num.* 93. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 10. initio Carena *part.* 2. *tit.* 11. *num.* 140.

Secundum, quod Inquisitor iudicet etiam de simplicibus sortilegiis, probatur iure nouo multarum 48
Bullarum, Innoc. VIII. incip. *Summis desiderantes.* Alexandri VI. incip. *Cum acceperimus.* Sixti V. incip. *Cœli, & terræ.* Ita Farinac. *q.* 181. *num. fin.* Sousa *lib.* 1. *cap.* 58. *nu.* 3. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. initio. Ratio est, quia in sortilegijs simplicibus licet ex verbo, vel facto non appareat vestigium hæresis, adest tamen suspicio hæresis, & in illis subest tacita dœmonis inuocatio. Dixi, *iure nouo*, quia iure antiquo *c. Accusatus, §. sane, de hæret. in* 6. Inquisitores non procedebant contra sortilegos, nisi in eorum dictis, vel factis appareret manifesta hæresis.

Tertium, quod à cognitione sortilegiorum etiam 49
simplicium excludatur iudex laicus, probatur, quia in causis fidei, seu eiusdem suspicionis laicus non se ingerit, in quibuscumque autem sortilegijs ad minus suspicio hæresis locum habet, ex supra probatis, quia de iure præsumitur in eis pactum tacitum ad minus cum dœmone. Confirmatur, quia in ijs, quæ specialiter delegantur Inquisitoribus, non possunt se intromittere laici iudices, siquidem delegatio censetur illis facta priuatiuè ad alios, quibus non communicatur in delegatione. Ita Sccacia *lib.* 1. *de Iudic. cap.* 12. *num.* 53. ex eo Carena *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 140. 50
alios plures citat Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. initio contra Bouadisl. & Freitas ad Acugnam. *q.* 5. *num.* 35. asserentes per Bullam Sixti non excludi laicos. Igitur amplius locum non habet opinio illorum, qui dicunt sortilegij crimen esse mixti fori, quæ improbabilis modo facta est, tum ex dictis Bullis; tum ex consuetudine, qua huiusmodi causæ à solis iudicibus Ecclesiasticis tractantur; tum ex allata ratione de suspicione hæresis.

Quartum, quod laicus carceratum remittere de- 51
beat, & renuens cogi, probatur, quia iurisdictionem alienam sibi vsurpare nullus potest sine peccato mortali, ex D. Thoma 2. 2. *q.* 60. *art.* 6. Nauar. *consi.* 2. *de hæret. num* 4. §. *Secundò*, ne ergo peccatum incurrat tenetur remittere sortilegum Inquisitori, vel Episcopo, quia ad eos spectat hæc iurisdictio, & non ad laicum; & cum Ecclesiasticus iudex super laicum potestatem habeat, *cap. In sancta* 4. 2. *q.* 7. & maior sit quolibet. laico. *cap. Administratores* 23. *q.* 5. Felin. *in cap. Cum sit, de foro compet. num.* 8. illum inobedientem sub censuris cogere poterit. Ita Pegna ad Lucernam Inquisitorum super Tractatu de Strigijs post Bullam Alexandri Papæ ex Bulla Pij V. ex illo Carena *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 140. §. *Taliter*, vbi cum Iosepho Sessa dicit, huiusmodi remissionem illico faciendam esse in qualibet parte iudicij, consignando processum, & quæcumque alia, quæ pertinent ad cognitionem & consummationen causæ, iudicij faciendi à iudice Ecclesiastico, quia omnium dominus est, vt ad rectum, & bonum finem deducere possit causam

causam in conseruationem fidei, & hæresis destructionem.

52 Quintum, quod etiam in dubio sit ne casus Inquisitoris, debeat laicus cedere, probatur, quia causæ huius decisio spectat ad Ecclesiasticum tantum, cum sit de obiecto Ecclesiastico, dubitatur enim an casus sit hæreticalis, an hæresis suspicionem sapiat, ac proinde habet pro formali obiecto hæresim, super qua solus iudex Ecclesiasticus fert sententiam. Confirmatur, quia est causa de obiecto sacrilego, super quod laicus nullum ius habet. Vnde ex Turriano in selectis disput. *part.* 1. *disp.* 30. *censur.* 2. *dub.* 5. Carena *part.* 2. *tit.* 12. *n.* 140. §. *Et licet*, opinionem asserentem laicum iudicem posse iudicare, an aliquod delictum spectet ad Inquisitorem, vocat temerariam, & rectè quidem, quia si id probabile esset, pauci essent sortilegi Inquisitionis sacræ officio subiecti, siquidem laici, qui clericis semper infesti fuerunt, *cap. Laicos. f.* 2. *q.* 7. negotium vtile resoluerent in proprium fauorem, consequenter fides Catholica magis pateretur, quam quod propagaretur.

53 Sextum, quod causa ab Inquisitore terminata, reus remittendus sit iudici laico, quando in hoc foro reus est de alijs delictis, suadet recta ratio, quia Inquisitor permittere non debet liberum exitum è carceribus, & reum esse remansurum impunitum, imò in Bulla Pij V. illis verbis. *Suspensa aliorum criminum inferiorum cognitione, ad eosdem Cardinales, & Inquisitionis carceres, ibidemque ad criminis hæresis totaliter cognitionem, & expeditionem retinendos, & postea ad eosdem officiales pro aliorum criminum expeditione remittendos, sine mora transmittant.* exprimitur huiusmodi remissio. Sed difficultas est, quomodo possit remitti reus ille, qui condemnatus fuit ad carcerem, vel triremes, cum per huiusmodi remissionem impediatur executio sententię Inquisitoris? Benè remittitur quo ad pœnam carceris, quia in carcere laico exequitur sententiam;

54 quo ad pœnam triremium habet etiam locum, quia finito iudicio conducitur ad triremes; si à iudice laico condemnatur ad mortem exequitur morte pœnam triremium, quia mors omnia soluit, aliam pœnam impedientem exequutionem iudicis Ecclesiastici, iudex laicus imponere non potest. Inquisitor remittendo sortilegum ad tribunal laicum, in quo sit condemnandus ad mortem, non ideo euadit irregularis, quia censetur dispensatus, à summo Pontifice vigore prædictæ Bullę, quæ indicit huiusmodi remissionem sortilegi ad iudicem laicum.

Quæres 19. An laicus sit iudex competens contra reum suum repertum sortilegum in tortura? Quandoque enim rei reperiuntur cum quibusdam secretis diabolicis, quibus mediantibus tormenta ita sustinent, vt pro nihilo ea reputent; vel immobiles & taciturni super tortura remanent, itaut appareant muti, & hoc sortilegium vocant taciturnitatis. In hoc casu sortilegium esse puniendum ab eodem iudice laico docent Simon de Pretis *consil.* 105. Clarus §. *Hæresis in fine*, Caball. *resolut. crimin. cent.* 3. *resolut.* 223. *num.* 71. quos citat Carena *part.* 2. *tit.* 12. *num.* 143. & 145. vbi *à num.* 147. dicit Clarum, Caballinum loqui de Sortilegijs simplicibus, in quibus vt mixti fori criminibus datur locus præuentioni, secundum ius antiquum, iure autem nouo, huiusmodi sortilegia spectare ad Inquisitorem tantum excludendo laicos iudices, quidquid dicant Freitas, & Bobadilla; Simonem verò de Pretis scripsisse ante Bullam Sixti Quinti.

55 ℞. Iudex laicus in eo casu præcisè non potest procedere contra reum, ratio est, quia omne sortilegium tam hæreticale, quam non sapiens manifestè hæresim simplex dictum in se, spectat ad Inquisitorem, quia huius causa expediri non potest sine hæresis mixtione, aut illius suspicionis, siquidem omne sortilegium coniunctum est, aut cum hæresi, aut cum illius suspicione ex hactenus probatis; ergò excluditur iudex laicus, & hoc probatum fuit præcedenti quæstione. Nec obstat, quod sortilegium præiudicet iudici laico, & fisco, quatenus ex ore rei veritatem eruere non potest, nam remoto sortilegij signo, reus admittit vires, ac proindè non impeditur iustitia; deindè mediante Inquisitoris officio frangitur sortilegium, consequenter ex hoc non læditur officium laici iudicis, sed proficitur. Neque ea distinctio, per quam nonnulli distinguunt in eodem delicto præsumptionem hæresis ab ipsomet delicto purgata præsumptione super intentione sortilegij, quasi tunc delictum qualitate hæresis, aut eiusdem suspicione per officium Inquisitoris sublata, remaneat merè laicale, spoliatum omni qualitate hæresis, quidquam prodesse potest, tum quia per huiusmodi distinctionem omnia delicta clarè spectantia ad forum Ecclesiasticum, detracto sacrilegio, facili negotio traherentur ad tribunal laicum. Tum quia, multa delicta talia, sunt præcisè respectu sortilegij, & sacrilegij. Tum quia, id ipsum bis puniretur, nam Inquisitor non tam punit poligamum ratione prauæ intentionis præsumptæ, quam ipsum crimen poligamiæ respectu, ergò conueniens non est, quod poligamus punitus ab Ecclesiastico castigetur à laico iudice.

Quæres 20. An iudex laicus punire possit personas dantes Bonam venturam?

℞. Cingaræ sic dictæ à nullo iudice solent puniri, 56 quia cum risu, & ioco magis recipiuntur eorum annuntiationes bonæ, vel malæ venturæ, quam serio, cum nullus illis credat, & ab omnibus habeantur vti latrunculæ potius, quam prænuntiatrices futurorum euentuum. Quod si in huiusmodi arte misceant sortilegia, vel assertiue prænuntient secreta cordium, & alia pendentia à libero arbitrio, puniendæ sunt ab Inquisitoribus, quia suspectæ sunt de arte Chiromantiæ, & habere pactum dum dæmone diuinandi. Vide Carenam *part.* 2. *tit.* 12. §. 17.

Quæres 21. An sortilegus repertus in flagranti crimine, quia cœpit facere sortilegium, sed non perfecit, puniendus sit, ac si fecisset totum? E. g. præparauit amphoram aquæ cum puero tenente in manu candelam accensam, an is puniendus sit sicut ille, qui sortilegium perfecit re perdita inuenta?

℞. Vtique puniendus, quia maiori ex parte videtur completum ex parte sacrilegij nimirum candelæ benedictæ, & si enim desunt verba, & apparitio rei, seu imaginis latroni in amphora, adhuc videtur perfectum secundum vnam partem integralem, quo quandoque perfici potest sortilegium, siquidem sine verbis sacris confici poterat ex pacto dæmonis. Confirmatur, quia eadem suspicio hæresis concipitur tam in imperfecto, & inchoato, quam in perfecto, & consummato, id enim præcipuè attenditur ab Inquisitoribus. 57

Quæres 22. An sit actus superstitiosus, quem iudex mandat contra Maleficium, cuius corpus totum ablui, & abradi facit, quando, aduertit sustinere tormenta sine dolore ex diabolico maleficio.

℞. Negatiuè, quando iudex id facit ad effectum 58 destruendi maleficum, quod rei solent habere in capillis, aut pilis, vel per vnctionem, quæ ablutione aufertur. Per hoc autem iudex putat reum perdere vires, & sic facilius confiteri, vide Lessium. *lib.* 2. *c.* 44. *num.* 44.

Quæres 23. An actus superstitiosus sit facere sibi viuo celebrare missas, & officia de mortuis, pro salute animæ suæ? Lucas Pinellus, Faustus, Peirin. Zerola, Homob. & Barbosa relati à Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 2. dicunt licere, & id esse laudabile: contra

contra quos ipse Diana insurgit armis Laymani *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 25. cum quo.

59 ℟. Id esse absurdum, & superstitiosum, probatur. Tum quia, Ecclesia instituit suffragia pro vtrisque diuersa, ergo confundenda non sunt applicanda viuis destinata pro mortuis. Tum quia, meliora sunt suffragia destinata pro viuis etiam ipsis defunctis, quam deputata mortuis, siquidem in Missis, & Officiis Sanctorum inuocantur ipsi sancti specialiter, & eorum intercessio publica in illis valde proficua est tam viuis, quam defunctis, pro quibus inuocantur, vnde Nald. *ver. Missa num.* 21. dicit, quod missa nulla defuncto, vel cuipiam alteri salubrior, quàm diei currentis, & licet Missa de requiem magis directè, & expressè dirigatur, ad id, quod defunctus optat, & petit alterius nomine, ac proindè videatur illi magis prodesse, ex iis, quæ tradit Nauar. *consil.* 37. *de pœnit. num.* 2. tamen alio respectu quandoque minus valet ex parte operantis, quia breuior, & minus deuotè, & minus attente solent celebrari, quàm missæ viuorum; adde quod peculiari vtilitati, quam animabus confert Missa defunctorum, æquiualet, imò præponderat vtilitas ex inuocatione sanctorum, quorum missæ celebrantur; quare si missa de viuis videtur ex dictis salubrior, & magis proficua, absurdum est, & superstitiosum celebrare missas de requiem pro viuis, cum pro his institutæ sint ab Ecclesia propriæ missæ Sanctorum. Tum quia, sic celebrantes, & celebrari potentes videntur facere contra canon. 13. *sess.* 7. vbi anatematizantur omittentes, vel in nouos conuertentes ritus, qui adhibentur in administratione, & confectione Sacramentorum. Clarius *sess.* 22. dicitur. *Postremo ne superstitioni locus aliquis detur, edicta & pœnis propositis caueant, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent, neuè ritus alios, aut alias ceremonias, & preces in missarum celebratione adhibeant.* Nulli dubium est celebrantes missas mortuorum pro viuis facere contra ritus Ecclesiæ, quæ missas de Requiem ordinauit pro defunctis, & non pro viuis, cum pro istis dicantur Missæ Sanctorum. Et cum hæc sit non solum mutatio, sed peruersio notabilis in sacris ritibus, inferendum est id esse peccatum mortale vanæ superstitionis. Per hæc tamen non intendo præiudicium afferre aliis doctoribus, quibus volo esse discipulus, quas enim scripsi rationes id suadent.

60 Quæres 24. An sortilegia non solum hæreticalia, sed etiam simplicia, quæ scilicet non habent adiunctum abusum sacrorum subiiciantur iudicio huius tribunalis?

℟. Affirmatiuè, Et de hæreticalibus non est dubitandum, quia hæc est propriè materia, circa quam hoc sacrum tribunal versatur in omnium sententia, quos citat *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 146. Sortilegium vero simplex, quod olim erat mixti fori, nunc solius fori Ecclesiastici est, & ratione pensata, quia hæc non fiunt sine suspicione inuocationis dæmonis tacitæ in omnium sententia ex eodem Carena num. 147. *Salellus part.* 1. *lib.* 1. *de materiis triennalium fidei cap.* 14. *num.* 359. *ad finem.* Sed hoc videtur esse contra cap. Accusatus 8. de hæret. in 6. expresse habens, quæ Inquisitores non se intromittant in sortilegiis non sapientibus manifestam hæresim. Tunc enim aut legislator sciebat inesse his suspicionem hæresis, aut non, si primum non expediebat excludere Inquisitores, cum id sit proprium eorum munus; si secundum, ergo erat ignorans, & non præuidit, quod omne sortilegium videtur habere adiunctam aliquam suspicionem hæresi, & hoc verum est. Tandem Sixtus V. in sua 17. contra Astrologos sustulit difficultatem subiiciendo omnes Sortieglos Inquisitoribus etiam non expresse hæreticales.

Quæres 25. An habens schedulam sortilegium continentem sit suspectus de eius vsu, ac proinde si neget vsum sit super eo torquendus, & si persistat in negatiua, remaneat adhuc suspectus præcise respectu retentionis.

℟. Est suspectus de eius vsu, & ideo torquendus, quod si elidat suspicionem negando vsum, adhuc remanet suspectus de hæresi respectu retentionis.

Primum de suspicione vsus probatur. *Tum quia,* 61
finis retentionis est vsus rei retentæ, retinentes enim huiusmodi secreta communiter solent illis vti, vrget enim argumentum à communiter accidentibus, *l, certi condictio,* §. *si nummos, ibi:* cum quotidie *ff. si cert. petat. Tussus litt. A. concl.* 493. quia à communiter accidentibus sequitur præsumptio veritatis, *ex l. Neque natales, C. de probat. Barb. Vaz. de locis commun. litt. A, num.* 115. Tum quia retentio est causa proxima vtendi illo, & posita causa solet sequi effectus, maxime in similibus casibus, ob curiositatem, & vanam spem consequendi intentum. Tum quia habens librum hæreticum præsumitur illum legisse, Carena part. 2. tit. 12. num. 219. & similiter vsum fuisse sortilegio pari enim passu currunt lectio libri, & vsus secreti sortilegi. *Ita & eodem Carena Genuensis, & Binsfeld. loco citato.*

Secundum, quod adhuc remaneat suspectus de 62
hæresi non obstante tortura purgante indicium vsus, sed non præsumptionē ortam ex retentione, probatur, quia ex sola retentione libri oritur suspicio hæresis vehemens, vel leuis, spectata conditione personæ, qualitate libri, & aliis circūstātiis vt docet Carena par. 2. tit. 10. §. 3. & 4. ergo idem dicēdum est de schedulis sortilegis. torquendo de suspicione in genere. Descendendo vero ad species vehementis & leuis suspicionis dicerem retinentem schedulam sortilegij hæreticalis, cum vsu eiusdem esse suspectum vehementer, retinentem vero sine vsu, esse solum leuiter suspectum; respectu vero simplicis sortilegij siuè eo vsus fuerit, siue non, sed solum cum eo inuentus fuerit, est solum leuiter suspectus. Probatur id quia maior suspicio oritur ex sortilegiis hæreticalibus cum vsu, quam sine vsu, & ex illis, quam ex simplicibus; sed sortilegium hæreticale cum vsu grauius est aliis, ergo suspicio in eo debet esse vehemens, & in aliis leuis, vt gradatim procedatur. Vide *Carena part.* 2. *tit.* 12. *num.* 245. vbi sortilegium hæreticale vsum arguit suspicionem vehementem, non hæreticale vero solum leuem, *num.* 246.

Quæres 26. An reus, in cuius domo repertæ sunt schedulæ superstitiosæ asserens, repertas fuisse à suo inimico, quidquam probet?

℟. Non valet eius defensio, nisi concludenter 63
probet non solum inimicitiam, sed etiam talem personam schedulas potuisse in domo per testes, qui viderint eam personam reponentem, aut alias tales schedulas habuisse apud se. Nam in isto casu, huiusmodi cedulæ iudicandæ sunt ac furtum repertum apud aliquem, qui negat se tale furtum fecisse, vnde sicut is probare tenetur non se, sed aliquam aliam personam rem furatam fuisse, & reposuisse furtum in domo tua, conuincendo furem, vt docent plerique apud Mascard. concl. 833. num. 12. & Guazinus Defens. 17. cap. 3. n. 5. Ita iste reus debet probare per idoneos testes deponentes se vidisse illas schedulas pænes ilum & illas reposuisse in tali domo.

Quæres 27. Quibus pœnis afficiendi sint Sortilegi?

℟. Sortilegi mortiferi tradendi sunt curiæ seculari 64
ex constit. Gregor. XV. incip. *Omnipotentis Dei* 46. in B.N. *Secundo,* qui maleficit proximo, vel damnum notabile illi intulerit, perpetuo carceri mancipetur, ex eadem Bulla. *Tertio,* alij sortilegi hæreticales

cales ad triremes solent damnari ad quinquennium, vel septennium. *Quartò*; alij sine hæreticalibus sortilegiis pœnitentiis salutaribus puniuntur, orationibus, vel exilio, vel ad fores Ecclesiæ cum candela auersa. Mulieres solent fustigari in sortilegiis hæreticalibus. Vide *Carenam par. 2. tit. 12. §. 31.*

CAPVT XIX.

De Sortilegiis ex Maleficio.

SVMMARIVM.

1 *Maleficium definitur.*
2 *Amatorium, & veneficium differunt.*
3 *Peccatum mortale.*
4 *Signum Maleficij destrui debet.*
5 *Maleficium destrui non potest alio maleficio.*
6 *Maleficij dissolutio petitur à parato.*
7 *Non ignorante solutionem licitam.*
8 *Vtique verò sciente modo licito, vel illicito soluere.*
9 *Acceptatio destructionis maleficij alio maleficio non licet.*
10 *Permissio actus legalis est.*
11 *Maleficiatus non potest consentire in medicinam vanam.*
12 *Licet imperare Dæmoni, vt non noceat.*
13 *Corpus delicti probandum.*
14 *Siuè quo nec confessus condemnatur.*
15 *Sortilegium est illorum quæ difficilis sunt probationis.*
16 *Indicia 13. indicantia sortilegum.*
17 *Fama publica non probat sagam vetulam.*
18 *Mors seu morbus ex maleficio formaliter probanda.*
19 *Saga contra sagam non probat de visis in conuentu.*
20 *Tortura non adhibetur contra testem inhabilem socium.*
21 *Maleficus quando torqueatur.*
22 *De quibus interrogetur à iudice.*
23 *Medici attestatio necessaria.*

PRæcedenti capite actum est de sortilegiis ex Vana Obseruantia, vbi multa tetigimus, quæ conducunt ad cognitionem maleficij, quod inter species superstitionis connumeratur, ne autem idem bis repetamus, solum in hoc referemus, quæ in specie spectant ad maleficium, addentes si quid deest, ad perfectam cognitionem sortilegiorum in ordine ad Officium Sanctæ Inquisitionis.

Quæres 1. Quid sit maleficium? Non sumo maleficium pro quolibet genere delicti, & iniuria proximo facta, secundum *lib. Verbum est* 40. *ff. de furtis*, *cap. Cum voluntate*, ac proposito maleficia distinguantur 54. *de sent. excommun.* sed pro maleficio superstitioso, in quo suam partem specialiter habet dæmon.

1 ℞. Maleficium superstitiosum, & sortilegum est actus superstitiosus, quo proximus in persona, vel in rebus læditur auxilio, & potestate dæmonis. Vel, est ars nocendi aliis auxilio dæmonis. Ita omnes *ver. Superstitio*, *ver. maleficium*, Sanchez *lib. 2. cap.* 41. Floron. *par. 2. de casib. reseru. casu* 1. §. 4. Sair. *lib.* 4. *cap. 6. num.* 23. Bonac. *disp. 3. de legib. quæst.* 5. *par.* 5. Mazuchiel. *de casib. Mediol. disp.* 2. *cap.* 10. *quæst. 6. à num.* 103. Lupus *de casib. Bergomi par. 2. casu 12. pag.* 561. Per maleficium igitur nocetur homini in persona, quando febri, aut alio morbo laborat quasi incurabili naturali medicamine, vnde persona dicitur maleficiata; in rebus honoris & fortunæ, vt ex prædictis habetur. Si per hoc persona alliciatur ad amorem impudicum vocatur Amatorium, de quo præcedenti *cap. quæst.* 14. Si illi fiat nocumentum in persona, vel rebus dicitur Veneficium, seu Maleficium simpliciter, & in hoc nulla difficultas, de quo intelligitur illud Dauidis *Psal.* 57. *n.* 6. 2
Et venefici incantantis sapienter. Differunt in eo, quod amatorium fit contra personam dilectam, & amatam amore libidinis, sed suum effectum non sortitur amoris libidinosi, quando persona, cui poculum amatorium, vel quid aliud tributum fuit, non præstat consensum in amorem, neque enim Dæmon cogere potest hominis voluntatem ad male agendum; cum liber sit, & dominus absolutus suarum actionum, super quas nullus præter Deum potestatem habet; Veneficium verò Maleficium fit in inuitum, quia Dæmon in passum maleficiatum potestatem habet tamquam in rem naturalem, cum agat naturaliter, & passum naturaliter recipiat quidquid dæmon in illud imprimit. Passum igitur respectu amatorij, & liberum, ideo cogi non potest, vtique respectu veneficij, quia passum naturaliter se habet.

Quæres 2. An Maleficium ex genere suo sit peccatum mortale?

℞. Sic, colligitur *Apoc. cap.* 21. *num.* 8. *Timidis* 3
autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure: quod est mors secunda. Et sequenti *cap. num.* 15. præcluditur porta Paradisi illis: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes.* Ratio est, Tum quia, in his communicat maleficus cum dæmone. Tum quia, Maleficium quodcumque importat graue nocumentum in persona maleficiata, vel ratione personæ, vel ratione honoris, aut ratione bonorum fortunæ. Et in hoc nulla est difficultas.

Quæres 3. An liceat tollere medium, seu signum, ad cuius positionem dæmon nocet, ad effectum ne amplius noceat? Ratio dubitandi est, quia destruens signum, non expectat dissolutionem maleficij à Deo, sed à diabolo, qui illud signum apposuit eo pacto, vt maleficiatus vexetur, donec manet signum, quo sublato patiens non amplius vexatur, quia dæmon cessat à vexatione; ergo dissolutio maleficij fit à diabolo per remotionem signi factam ab homine, consequenter cum homo hic operetur depēdenter à diabolo mortaliter peccat, cooperando diabolo; ergo non licet tollere signum, vt soluatur maleficium. Sed his non obstantibus.

℞. Licitum est, immo debet tolli signum, vt 4
sortilegium euanescat, quod tolli sine peccato potest tam à malefico, quam à quolibet alio, qui illud non posuit.

Primum, quod tollendum sit signum illud probatur, quia Ioan. *Epist.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. *In hoc apparuit Filius Dei: vt dissoluat opera diaboli*; Maleficium aut ex illo signo est opus diaboli, ergo homo imitando Christum tollere debet illud signum, vt cesset maleficium. Confirmatur id, quia in hac dissolutione nihil mali apparet, nam finis, qui est sanitatis recuperatio bonus est, & destructio signi, quæ nullum cum dæmone pactum arguit, sed redarguit, quia malum remouetur, quod dæmoni displicet. Vnde bene Scotus *in 4. dist.* 34 dixit, id facere esse actum bonum, & meritorium, & de illo dubitare esse ridiculum. Ita omnes cum Silu. *ver. Maleficium num.* 2.

Less.

Lell. *l.* 2. *c.* 44. *n.* 36. Sanch. *lib.* 2. *c.* 41. *n.* 19. Mazuchell. *de casib. Mediol. disp.* 2. *n.* 115.

Secundum, quod possit tolli etiam à Malefico, probatur, quia esto Maleficus iniisset cum dæmone pactum, vt quamdiu signum manet, duret etiam maleficium, & in eo sublato illud cesset, nihilominus in dissolutione maleficij, maleficus signum tollere potest, excludendo intentionem cooperandi cum diabolo, quod facere debet protestando, se non remouere signum illud ex præcedenti pacto, sed id facere independenter ab auxilio Dæmonis, vt tollatur maleficium, & infirmus euadat sanus; nec dubium est, quin excludi possit ea intentio operandi dependenter à dæmone, quia huiusmodi actus est sub arbitrio voluntatis, super quam dæmon nihil potest; nec dissolutionis effectus necessariam habet connexionem cum illo dæmonis pacto, cum non sit illi connaturale. Quare ex his concluditur, non solum, qui non posuit medium, immò & qui posuit, seclusa formaliter illa intentione, posse, & debere maleficium tollere. Sanch. *l.* 2. *c.* 41. *num.* 19.

Quæres 4. An liceat Maleficium maleficio soluere?

5 ℟. Non, quia id intrinsecè est malum, cum tunc homo vtatur opera diaboli? neque dissolutio cohonestari potest à bono fine recuperandi sanitatem alteri, quia secundùm Apostolum ad Roman. *cap.* 13. mala non sunt facienda, vt inde eueniant bona; neque enim malum approbatur propter bonum cohærens, *cap. Neque* 7. *cap. Denique* 8. *cap. Scriptum* 9. 14. *q.* 5. Ideo prohibetur *cap. Ex tuarum, de sortileg. c. Admonentur* 15. 26. *q.* 7. Et in hoc omnes conueniunt. Neque ex eo, quod lex ciuilis incip. *Eorum* § *fin. C. de Malefic.* non punit hæc perpetrantes, infertur, licere, quia permissio, & impunitas non arguunt actum licitum, sed potius supponunt illum malum, & peccaminosum.

Quæres 5. An liceat petere destructionem maleficij à parato volente illud per aliud maleficium?

6 ℟. Negatiuè, quia id solum peti potest à parato, quod ipse præstare potest licitè, & sine peccato; sed maleficus non potest licitè dissoluere maleficium per aliud maleficium, vt patet ex præcedenti quæstione, ergo neque id ab illo per alium peti potest. Et in hoc nulla difficultas, cum omnes consentiant exceptis Aureolo, & Angelo apud Sanchez *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 5. ducto argumento à simili, quia potest peti mutuum & iuramentum à parato mutuare sub vsuris, & iurare per falsos deos. Non facit ad rem, quia mutuum & iuramentum de se bona sunt, & licent, ac proinde sic petuntur, quod si rogatus deinde male mutuet, aut iuret, cum benefacere possit, sibi imputet.

Quæres 6. An liceat petere dissolutionem maleficij, quando petenti constat, illud destrui posse etiam modò licito?

7 ℟. Non licet quando maleficus ignorat illum modum licitum, aut petens dubitat, an sciat illum modum licitum. Primum, probatur, quia non potest dici maleficum operari per medium licitum, quod ignorat, ergo per medium illicitum, quod nullatenus licet. Secundum, quia nulli licet operari cum conscientia dubia peccatis præterquam quod præsumitur scire tantum actum superstitiosum pro destructione maleficij. Ita Sanchez *lib.* 2. *capite* 41. *numer.* 6. & 7. Bonac. *disp.* 3. *de leg. q.* 5. *p.* 5. *num.* 8.

Quæres 7. An quando scio paratum cognoscere modum licitum, & illicitum soluendi maleficium, possim absolutè rogare illum, vt destruat maleficium?

℟. Possum, quod verum est licet putem illum 8
maleficio maleficium esse destructurum, ratio est, quia peto rem, quam licitè mihi præstare potest, quod si modo illicito maleficium dissoluat, id illi soli imputandum est, cum ex propria malitia elegerit medium illicitum, relicto licito, quo bene vti poterat, vnde petens dissolutionem maleficij non cooperatur illius peccato, quia petit rem licitam quam licitè præstare potest, & illius malitia petenti nocere non debet. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 95. *num.* 12. & in opere morali *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 13. Mazuchell. *disp.* 2. *de casib. Mediol. c.* 10. *num.* 111. contra Caietanum apud dictum Sanch. qui eius argumentis respondet.

Quæres 8. Quando Maleficus scit soluere maleficium benè, & malè, & non vult illud destruere nisi alio maleficio, an tunc petens possit acceptare huiusmodi destructionem per aliud maleficium?

℟. Negatiuè, probatur. Tum quia, huiusmodi 9
acceptatio magis cadit supra medium destruendi maleficium, quam supra dissolutionem maleficij, siquidem specificatur à causa destructiua maleficij corrumpentis actum maleficium, acceptat enim causam in ordine ad effectum; sed nullatenus potest acceptari maleficium neque respectu alicuius boni, quia non sunt facienda mala, neque malo consentiendum est, vt inde eueniat bonum, ergo huiusmodi acceptatio peccaminosa est. Tum, quia maleficus quamuis paratus, tamen maleficium nouum facere non vult, nisi per acceptationem petentis dissolutionem maleficij, ergo posita acceptatione petens per suum consensum directè influit in nouum maleficium. Constat ergo acceptantem cooperari maleficio alterius?

Sanchez *lib.* 7. *disp.* 95. *num.* 12. & *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 14. putat, quem posse acceptare dissolutionem maleficij per aliud maleficium à simili de illo, qui petens mutuum ab vsurario nolenti dare nisi sub vsuris potest mutuum acceptare sub vsuris, hoc enim non est cooperari peccato alterius, sed illud permittere, siue illo vt sibi consulat in necessitate. Illum sequitur Mazuchell. *disp.* 2. *de casib. Mediol. num.* 112. & probat, quia licitum est petere à tali malefico, vt malefico, vt maleficium dissoluat, & illo respondente, se nolle illud dissoluere nisi nouo maleficio, licitum est petenti acceptare conditionem, & maleficium permittere. Tum quia huius petitionis obiectum non est nouum maleficium, sed est tantum, ipsa dissolutio, quæ licitè fieri potest; quod vero petens subdat, dissolue nouo maleficio, hic sensus est, dissolue maleficium, sed quoniam certo scio, se illud velle tantum soluere nouo maleficio, ideo illud permitto. Ambo igitur dicunt, licere acceptare dissolutionem maleficij sub conditione, vt alio maleficio nouo dissoluatur, quia id tantum est nouum maleficium permittere; & vti peccato alterius in propriam vtilitatem ex necessitate.

Contra est, nam in responsione Maleficij duo spectantur, destructio veteris maleficij & constructio noui maleficij pro destructione prioris, primum à Malefico promittitur non simpliciter, sed sub conditione illud destruendi per nouum maleficium, ita quod non perficitur, neque solidatur promissio dissolutionis, nisi in ordine ad acceptationem factam à petente; secundum verò nempè constructio noui maleficij siue in se, spectetur, siue in ordine ad solutionem prioris semper in se & intrinsecè est malum, vt de se patet? sed acceptatio huiusmodi magis respicit constructionem noui maleficij, quam veteris destructionem, siquidem veteris destructio ita pendet à noui fabricatione, vt sine hac non sequatur destructio veteris,

veteris, ergo illicita est. Ex quo sequitur contra Sanchez huiusmodi acceptationem non arguere permissionem maleficij, sed directè approbare illud. Nec video, quomodo hic locum habeat permissio, nam permittere propriè est non obuiare minori malo, ad euitandum maius, sic enim leges permittunt fornicationem ad euitandos incestus, adulteria, & sodomiam, quæ sunt maiora mala; vnde *cap. Hac ratione* 8. 31. *quæst.* 1. scribitur: *Quod*
10 *permittimus nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.* Et Tuscus *lit. T. concl.* 324. dicit, quod permissio non inducit concessionem, neque dispensationem, quod factum sit licitum; ergo parum refert speculatiuè respondere, in casu præsenti petentem dissolutionem maleficij sub dicta conditione non cooperari nouo maleficio, sed illud tantum permittere, quia hæc permissio sicut maleficantem non eximit à peccato, ita neque petentem sub ea conditione, quia huius permissio legalis non est, sed tantum priuata, ergo hic permissio locum non habet. Deinde in omni maleficio alterius destructiuo posset spectari huiusmodi permissio, siquidem quilibet maleficiatus causam habet rationabilem procurandi sibi sanitatem, ac proinde per hoc sibi consulendo diceretur petere directè solutionem maleficij veteris permittendo nouum, siue maleficus sciat illud soluere modo licito, vel illicito, hoc autem est absurdum, ergo id ex quo deducitur. Neque valet inferre ergo simpliciter & ablutè non valet, petere solutionem maleficij ab eo, qui vtroque modo scit destruere, quando scitur, maleficium esse dissoluturum maleficium nouo maleficio, cum id sit illi cooperari, ac proinde hic non habere locum permissionem contra dicta superius. Respondeo, licitum esse, vt probaui quæst. præcedenti non quia maleficium dicatur permitti, sed quia mihi licet petere, quod ab alio licitè præstari potest, quod si male præstet sine vlla mea acceptatione, culpa maleficij imputatur illi, non mihi, qui nulla ratione consensi neque directè, neque indirectè. Nec demum placet, quod dicit Mazuchell. obiectum huius petitionis esse tantum dissolutionem veteris maleficij, siquidem cum vana sit petitio, sine responsione, necessario obiectum vnius est etiam obiectum alterius, quia petitio, & intentum petentis perficitur, & solidatur per illam conditionem soluendi maleficium vetus nouo maleficio, consequenter obiectum ex vtroque perficitur, & inficitur ex acceptatione vtriusque. Demum ad similitudinem de petente mutuum sub vsuris id mentem vsurarij in casu necessitatis dico, id fieri non posse secundum Vasquem de Scandalo *art.* 9. *n.* 19. Pontium *lib.* 3. *de matrim. cap.* 18. §. 7. *n.* 47. Vel dic, acceptionem pecuniæ sub vsuris non esse malum, quia in se mutuum bonum est, & pariter conditio sub vsuris, quia hoc nihil aliud importat, quam obligationem soluendi vsuras, peccatum non est, Glos. *fin. c. Debitores, de iureiur.*

Quæres 9. An maleficiatus consentire possit in medicinam vanam, & superstitiosam ad recuperandam sanitatem destructione prioris maleficij?

11 ℞. Non potest, quia id consentire in maleficium, seu actum superstitiosum de se malum, cuiusmodi est medicina vana, quæ de se operari non potest, sed tantum ex pacto dæmonis tacito, cui acquiescere peccatum est graue. Confirmatur, quia pari culpa, & pœna punitur agens, & consentiens, ac proinde punitur consentiens recipere medicinam, sicut & maleficus illam tradens. Ita Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. c.* 18. Sanch. *l.* 7. *disput.* 95. *num.* 12. *& l.* 2. *cap.* 41. *num.* 15.

Quæres 10. An licitum sit dicere dæmoni vt exeat à corpore oppresso, aut cesset illud vexare, & non amplius nocere?

℞. Licet per modum imperij & abiurgationis 12
dicere Dæmoni, quod discedat, quod cesset à vexatione increpando illum, quia hoc modo exorcistæ dæmones adiurant, & non inconuenit etiam hominem laicum, vel alium non exorcistam sic dæmoni præcipere, quia in hac actione nihil superstitionis apparet, nec dæmon inuocatur in honorem, & cultum, sed in vituperium, & increpationem illius ad fauorem vexati. Huiusmodi autem inuocatio, quæ per adiurationem dicitur licita est, & in Ecclesia necessaria, de qua dictum fuit sub *cap.* 17. *n.* 11. 14. *&* 36. Dixi, *per modum imperij*, quia deprecatiuè non licet excellere dæmonem, aut rogare ne noceat, isti enim sunt actus subiectis respectu inuocantis, ac proinde cultus, & honoris erga dæmonem inuocatum; ex probatis loco citato.

Quæres 11. Quomodo probetur maleficium infirmitatis, mutilationis, mortis, segetum damnificationis, &c.

℞. Quando maleficium relinquit post se corpus 13
delicti, seu illius aliquod vestigium, tunc de eo constare debet, alioquin sola delinquentis confessio denuntiati habet locum corporis delicti sic probati, neque enim constare potest oculis nostris, quod sensibiliter non manet; & in hoc omnes conueniunt doctores in *l.* 1. §. *Item illud. ff. ad Syll.* Clarus *q.* 4. Aretinus *de Obseru. c.* 11. *de Confess.* Ita quod condemnari non potest reus etiam confessus, quando non constat de corpore delicti, cum sit de substantia iudicij, in materia 14
sortilegiorum docent omnes cum Albertino *de catol. assert. q.* 25. *n.* 24. Farinac. *de Inquisit. q.* 2. *n.* 26. Carena *par.* 3. *tit.* 12. *n.* 173.

Cum sortilegium, & maleficium connumeretur inter 15
delicta, quæ sunt difficilis probationis, quia fieri solet occultè, clam, & secreto, pro eius cognitione non est necessarium, quod delictum constet plenè, & concludenter per testes, aut per euidentiam facti, secundum Farinac. *q.* 2. *n.* 6. sed sufficit in dictæ probationis defectum, quod de corpore delicti constet per indicia, quia in huiusmodi delictis hæc habetur pro plena ex doctoribus allegatis per dictum Farinac. Binsfeld. citatum à Carena *par.* 2. *tit.* 12. *n.* 174.

Quæres 12. Quibus nam indiciis probetur maleficium? Indicia communia omnibus delictis, cuiusmodi sunt mala fama, fuga, mandatum, socius criminis, &c. huc non referam, cum de istis alibi agendum sit.

℞. Indicia probantia, & indicantia sortilegum, & 16
maleficum plura numerantur de quibus aliquid dicendum.

Primum, est liber, seu scriptura, aut alium signum continens sortilegium, aut maleficium vrgens est indicium ad torturam sufficiens, quia illi, apud quos libri, & instrumenta maleficandi inuenta sunt, vehementer censentur suspecti de hac arte, non enim sine causa illa retinent. Ita Genuens. *capite* 18. *numer.* 13. ex eo Carena *par.* 2. *tit.* 12. *numer.* 177. Et si libri continent hæresim pariter vehementer de illa suspecti sunt, & super intentione torquendi sunt, & si nihil resultat, de leui tantum abiurant ob illam retentionem, secundum Zanard. *tom.* 2. *de precep. cap.* 94. *num.* 13. Vide dicta à me *c.* 14. *q.* 20. *num.* 48. Inuentus liber, vel scriptura docens maleficium amatorium, non verò veneficum, non est sufficiens per se indicium contra veneficum, quia ex hoc non constat ipsum scire nocere in corpus personæ ex odio, vel in bona fortunæ, ita quod scriptura, vel signum, seu instrumentum debet esse ordinatum ad maleficium, de quo quæritur.

Secundum, indicium est signum cicatricis in corpore denuntiati malefici, quod in pœnam huiusmodi delicti Inquisitores solent inurere, probat quatenus talis est notæ, qua inferatur aliàs fuisse reum in hoc officio;& si Inquisitus dicat signum aliunde prouenire, hoc probare tenetur, alitèr præsumptio est pro iudice, quod aliàs de simili delicto fuerit punitus. Hoc indicium vti graue approbatur à pluribus cum Carena *par.2.tit.12.num.*182. contra Binsfeld. quod vocat leue.

Tertium, vas plenum membris humanis, rebus sacris, imaginibus, Hostiis, &c. ex Torrebl. *lib.* 5. *de Magia c.*17.*n.*56. hoc est graue indicium, cum de se sortilegium manifestet, quod continet.

Quartum, colloquutio dæmonis, & maleficæ, circumstantibus audientibus, & non videntibus, Ghilausen apud Carenam *par.*2. *tit.*12.*n.*196. sed parum refert, quod videatur, vel non videatur, dæmon, modò locutio proueniat ab alio, quam ab homine.

Quintum, se offerre ad docendum alios huiusmodi artem.

Sextum, si saga tangat suum inimicū, & subitò moriatur, vel alio malo statim notabiliter afficiatur, aut illi aliquid tradat ad comedendum, ex quo statim inficiatur, nam natura paulatim morbum inducit, non subitaneè. Ita Faber. *in tit. de Malef.* ex Carena *par.*2.*tit.*12.*n.*198.

Septimum, inuocatio, seu pactum expressum cum dæmone, Ioan. Zanger *de quæstion. & tortur.c.*2.*n.*100. & alij omnes.

Octauum, expoliatio cadauerorum patibulo suspensorum, solent enim malefici vti ex illorum vestibus, ad maleficia. Torreblanc. de Magia *liber.*2.*capite* 36. Carena *par.* 2. *tit.* 12. *numer.*196.

Nonum, crebra dæmonis inuocatio in damnum proximi. Delrius *l.*5.*Magic.sect.*4.*n.*24. Binsfeld. ex illis Carena *par.*2.*tit.*12.*n.*180. illa enim inuocatio indicat dæmonis amicitiam, & societatem in damnum proximi.

Decimum, mala physionomia terribilitatis, aut deformitatis vultus hominis indicat illum habere dæmonis amicitiam. Eimer. *in direct.par.*3.*tit. de signis exterior.* Delrius *l.*5.*sect.*4.*n.*21.

Vndecimum, generatio magi ex maga, vel malefico est indicium ex Delrio, Binsfeld. apud Carenā *par.* 2. *tit.* 12. *n.* 183. nam sicut præsumitur de incontinentia contra filios adulterorum, *cap. si gens* 9.*dist.*56. quia adulterorum, filij sunt abominatio Domini sapient. *cap.* 3. ita & de maleficio nati ex sortilegis.

Duodecimum, minæ, quibus quis alicui comminatur malum, qui paulo post reperitur maleficio infectus, quia licet dicantur multa quæ non fiant postea. *lib. Sciendum, ff. de edis. edic.* tamen verba sunt signa mentis nostræ ex *Arist.* 1. *Perhierm l. labeo,* §. *Idem Tubero, ff. de supplect. leg.* demonstrant enim voluntatem eius, quod facere volumus, & cum minis adiunctæ augent præsumptionem effectus correspondentis sibi, maximè concurrente inimicitia antecedente, tunc enim videtur vrgens indicium sufficiens ad torturam.

Decimum tertium indicium est assertio eius, qui vidit aliquem vngentem, aut venena præbentem animalibus, quæ postea interierunt ex illa potione. Sufficit ad torturam. Hæc duo cum aliis refert Bonac. *disp.* 3. *de legib.q.*5.*puncto fin.* extremis verbis.

Nota, quod singula indicia prædictorum non sufficiunt ad torturam præsertim 8. ad 11. sed debent coniūgi cum aliis, vt inducant ius ad quæstionem tormentorum, vt colligitur ex citatis doctoribus, & debent esse certa, non dubia, neque æquiuoca.

Quæres 13. An publica vulgi fama, quod aliqua persona sit saga, seu striga, seu malefica sufficiat ad inferendam torturam?

℟. Sola fama legitimè probata nimirum duobus testibus legitimis, de quibus dixi *Contr.* 104. *n.* 4. *& contr.* 106.*n.*17. non videtur sufficere ad torturam, nisi alia adminicula coniungantur. Tum quia, fama vt plurimum oritur ex incerto auctore, & plerumque fallaci *cap. Vestra, de cohabitat. cler.* Tum quia, facilè suscitatur rumor, & fama contra quasdam vetulas præsertim deformes propter odium, quo communiter populi prosequuntur personas huius conditionis. Demum fama exorta post carcerationem nihil omnino probat, quia præsumitur habere originem ex captura cuius causa initio fere semper ignoratur. Ita docent Torreblanca, Gilhausen, & Palaus, quos pro se citat Carena *par.* 2.*tit.*12. *n.*202. 17

Quæres 14. An probanda sit qualitas sortilegij in maleficiis, & infirmitate, mutilatione, & morte, an sufficiat probare simpliciter prædicta?

18 ℟. Non sufficit probare mortem, mutilationem, aut infirmitatem, quia Inquisitor non punit delinquentes præcisè ex dictis malis, sed quatenus illa proueniunt à delinquente per qualitatem maleficij sortilegi, id enim potissimum intendit iudex Ecclesiasticus, nimirum sortilegium causātis maleficium in damnum proximi, attenditur ergo qualitas delicti, non ipsum delictum materialiter acceptum, & illa omnino probanda est. Tum quia, qualitas requisita ad aliquid probanda est, *l. Fulcinius*, §. 1. *ff. ex quibus causis in possess. Mar. Socinus, de testib. n.*4. apud Ziletum. Tum quia, qualitatem non dicitur fateri nec probare, qui factum simpliciter confessus fuit, vel probauit, Rota Rom. *vol.*1.*decis.*56. fine. Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 73. & alij omnes. Probatio autem fit mediante attestatione Medicorum, vel Exorcistarum in hac arte peritorum, quod tamen difficile est, nam inefficacitas medicinarum nihil probat, nec pulsus, & vrina sana, licet vexetur persona. Ita Bernard. in sua Lucerna *in Tract. de Strigis*, §. *Ita dicimus*, Fachin. *consil.* 12.*lib.*1.*num.*17. Torrebl. *lib.* 3. *de Magia*, *cap.*16. *num.*16.

Quæres 15. An dictum strigarum asserentium se in conuentu aliarum vidisse talem sagam probat ad inquirendum, & torturandum sagam denuntiatam? Affirmant Binsfeld. *memb.*2. *de confess. sagarum concl.* 6.*dub.*2. Delrius *l.*2.*Append.*2.*q.*8. Valentia 2.2.*disp.* 6.*q.*13.*par.*4.§.3.

19 ℟. Dictum etiam duarum sagarum non sufficit neque ad inquirendum, neque ad torturam, vt docent Farinac. *q.*185.*n.*153. Simanch. *tit.* 37. *de Lamiis numer.*14. Scaccia *de iud. ciuil. crim. & hæret. l.*1. *c.* 82. *n.*10. alios citat Diana *par.*4. *tract.* 6. *resolut.* 30. vbi dicit ex dicto plurium sagarum complicum sine indiciis non esse procedendum contra personam bonæ famæ ad torturam, Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 226. *&* 227. indicia sunt, quando vna saga aliam videt se vngentem, inuocantem dæmonem, vel quid aliud superstitiosum facientem extra conuentum, & conciliabulum diaboli, ex Scaccia, & Simanch. locis citatis.

Quæres 16. An attestatio sagarum contra sagam sociam denuntiatam valeat sine tortura.

20 ℟. Praxis in plerisque locis, & ferè in omnibus Tribunalibus S. Inquisitionis, quod socij criminis non torturantur ad purgandum infamiam, vt eius dicta valeant, ratio est, quia si afficerentur tortura, retraherentur à testificatione fauore fidei. Deinde quod criminalistæ aiunt, socium crimini habilitari ad testificandum purgata infamia per torturam, in qua testis debet deponere, & perseuerare in suo dicto, de communi cum Claro *q.* §. *Scias*, non videtur suffragari, quia huiusmodi tortura leuis est, & transeunter

experitur? atque contra reos negantes veritatem à iudice cognitam inuenta, vt illam fateantur. Ita Simanch. de catol. instit. tit. 53. n. 38. Pegna *par. 3. Direct. Comment.* 113. Diana *par. 4. resol.* 10. *tract.* 6. Carena *par. 2. tit. 12. n. 233.*

Quæres 17. Quandonam malefici torquendi sint, & de quibus interrogandi in tortura?

21 ℞. Quando maleficus non est conuictus, nec confessus, torturandus est, si contra ipsum adsunt probati indicia certa, non dubia, nec æquiuoca. De tribus autem examinandus est indiciatus; Primo, super vsu scripturæ, libri, aut alterius rei, quæ ipsum indicat sortilegum, Genuens. *cap.* 18. *n.* 13. *cap.* 68. *n.* 12. Secundo, interrogandus est de complicibus, quod est speciale in casu sortilegij, quod est crimen exceptum, & difficilioris probationis. Ita Delrius *lib.* 5. *sect.* 3. §. *Secundum indicium*, Farinac. *q.* 43. *n.* 63. *limitat.* 9. apud Carenam *par. 2. tit. 12. n. 222.* Nulla autem persona in specie nominanda est, sed in genere interrogandus est, an habet socios in crimine sortilegij, quia iudicis examinatio non esset interrogatio, sed suggestio ex dictis. Vide Genuens. *c* 68. *cit.* Tertiò demum, interrogandus est super credulitate sua circa sortilegia, & maleficia, an dæmon possit cogere voluntatem hominis ad amorem, an abusus rerum Sacrarum aliquid valeat ad turpia; an possit suscitare mortuos? an dignus honore, &c. nam si affirmet vti hæreticus formalis puniendus est.

22 Dixi sub num. 18. in maleficiis strigarum probandis requiri attestationem medicorum, & hoc seruat supremum tribunal, aliter striga non condemnatur, debet enim de corpore delicti, quod est morbus qualificatus ex maleficio, & meo iudicio Medicus, qui inutiliter curauit infirmum, videtur sufficienter probare morbum qualificatum, quando testatur, se omnē diligentiam adhibuisse &, nihil profuisse ægroto per remedia naturalia, de necesse infert, morbum huiusmodi habere causam ex maleficio, & non procedere ex causis naturalibus, dum ergo testatur morbum non procedere ex causa naturali, sufficienter probat, & infert prouenire ex artificio sagæ, cum non detur alia causa morbi. Medicus, ergo satisfacit attestando se firmiter, credere, & tenere morbum illum esse ex maleficio, aliter enim testari non potest, & puto hac ratione corpus delicti esse legitimè probatum, aliter nulla saga vnquam punietur. Vnde Inquisitores sibi eligere deberent vnum Medicum ex peritioribus, & longæ experientiæ, qui esset deputatus ex officio ad tale iudicium ferendū non assertiue, sed tantum similiter, neque enim certo asserere potest, quod sui esse radicem habet occultam.

CAPVT XX.

De Diuinatione ex Astrologia.

SVMMARIVM.

1 *Duobus modis habetur cognitio occultorum.*
2 *Diuinatio illicita prænuntiatio futurorum.*
3 *Alia dicitur Subastrologia, alia Astrologia.*
4 *Diuinatio fit nouem modis expresso pacto.*
5 *Somnia proueniunt à Deo, & Angelis*
6 *Quomodo id cognoscatur?*
7 *Causata à Dæmone illicita.*
8 *A causis naturalibus licita sunt.*
9 *Diuinatio per sortes.*
10 *Augurium.*
11 *Auspicium.*
12 *Omen.*
13 *Chyromantia.*
14 *Astrologia naturalis licita.*
15 *Iudiciaria verò illicita.*
16 *Peccatum mortale ex genere suo.*
17 *Astrologia circa temperamentum corporis licita est.*
18 *Astrologia circa inclinationes virtutum, & vitiorum licita est.*
19 *Astra nullam habent virtutem in animam rationalem.*
20 *Inquisitores iudicans Diuinatores, & sortilegos.*

Cognitio rerum occultarum dupliciterl haber potest? modo licito per inuestigationem causarum, & principiorum eius labore, & industria inuestigando illarum virtutem, hac ratione homines quisbusdam virgis ligneis inuenerunt aquam latentem sub terra pro puteis, fontibus, in quarum vsu nullum esse actum superstitiosum ex Bonac. docui *capite* 18. *num.* 11. & 20. sic naturali cognitione quæ dicitur Astronomia, inuestigantur motus cœlestium orbium, Eclipsis Lunæ, & Solis, atque ex illorum motu, & influxu varij, & diuersi effectus naturales futuri, & occulti à nobis cognoscuntur, tam in animalibus, quam plantis, & aliis rebus sublunaribus, in quas mirabiliter influunt corpora cœlestia per suos motus, & virtutes. De hoc genere cognitionis, quæ vocatur Astrologia naturalis per quam cognoscuntur effectus, & euentus, qui naturaliter accidere solent, nobis agendum non est, sed de superstitiosa tantum; vnde secundò rerum occultarum cognitio haberi potest modo illicito, opera, & auxilio dæmonis, qui ex pacto expresso, vel tacito homini superstitioso subministrat cognitionem vanam, & fallacem rerum occultarum. 1

Quæres igitur primo, quid, & quotuplex sit huiusmodi cognitio superstitiosa opera dæmonis comparata dicta Diuinatio?

℞. Diuinatio est illicita cognitio rerum occultarum auxilio dæmonis acquisita mediis vanis, & inutilibus. Ex quo patet differentia eius à Reuelatione, & Prophetia, quæ est cognitio ex diuina reuelatione infusa homini ad vtilitatem ipsius, & aliorum. Ex diuersitate mediorum duplex oritur species diuinationis. Diuinatio in specie, quæ & Subastrologia vocari potest, quæ est inordinata prænuntiatio futurorum acquisita per quædam media sublunaria, vt mox dicetur. Et Astrologia, quæ est diuinatio per constellationem stellarum, & vocatur iudiciaria, quia indicat de actionibus humanis prouenientibus, & dependentibus à libero hominis arbitrio, Ambæ autem conueniunt in hoc, quod sunt illicitæ præcognitiones ope dæmonis per quædam signa inutilia habitæ circa humanas actiones dependentes à libero hominis arbitrio. Differunt verò, quod subastrologia habetur ex pacto dæmonis præcipuè expresso in signo sublunari posito? Astrologia verò habetur ex pacto dæmonis tacito in signo astrorum posito. De singulis dicendum cum D.Thoma 2.2.*q.*95. per totam, Sair. *l.*4.*c.*5. Clauis, Bonac. *disp.* 3. *de legib. q.* 5. *p.* 3. Lessius *l.* 2. *dub.* 5. & 6. Mazuchell. *disp.* 2. *de casib. Mediol. q.* 4. *à n.* 23. Carena *part.* 2. *tit.* 12. *à n.* 65. 2 3

Quæres 2. Quot modis fiat diuinatio per expressam dæmonis inuocationem?

℞. Nouem modos assignat D.Thom. 2.2.*q.*95. *art.* 3 fit ergo primò, per fictas, & apparentes imagines, & dicitur Præstigium. Secundò per apparitionem, & locutionem mortuorum Necromantia. Tertiò, per homines arreptitios, & viuos Pytonia. Quartò per figuras 4

guras terreas Geomantia. Quintò, per aqueas Idromantia. Sextò, per aëreas Aëromantia. Septimò, per ignem Piromantia. Per viscera animalium, Octauò, Aruspicium. Nonò demum, diuinatio fit per somnia. Ex diuersitate ergo mediorum & signorum diuinatio sortitur diuersa nomina, vt dictum est, & cum ea media sint sublunaria diuinatio dici potest Subastrologia. De prohibitione horum habetur Leuit. 20. *num.* 27. Deuter. 18. *num.* 10. Ierem. c. 27. *n.* 9.

Quæres 3. Quandonam peccatum sit diuinatio per somnia, seu illis credere.

5 ℞. Somnia triplici causa prouenire possunt. Primò, à Deo, & Angelis bonis, & his somniis credere nullum est peccatum, immò credendum, & obediendum, vt fecit Ioseph, qui accepto puero ab Angelo in somnis admonitus fugit in Ægyptum, de his somniis à Deo, & ab Angelis bonis immissis hominibus tamquam quibusdam reuelationibus sermo est pluribus in locis Sacræ Scripturæ Genes. *c.* 37. de somniis Ioseph, *c.* 40. de somniis Eunuchorum Pharaonis *c.* 41. de somnio ipsius Pharaonis, &c. De his hic sermo non

6 est, sed tantum de immissis à Dæmone Somnium autem esse ab Angelo bono, & non à malo cognoscitur ex duabus regulis, nam à Deo primò quando est circa aliquod bonum, sed cautè procedendum est, quia aliquando dæmon specie boni decipit homines nimis credulos, cum timore igitur, & tremore somnium bene, & prudenter considerandum est; secundò, quando somniatorem relinquit consolatum in ordine ad opus bonum, his duobus concurrentibus somniis credi potest tamquam à Deo immissis. E contra si turpe est, aut hominem relinquit perturbatum diabolicum est non Angelicum, ideo abhorrendum, & contemnendum. Ita omnes cum Sairo. *libro* 4. *capite* 5. *numer.* 7. Lessio *lib.* 2. *cap.* 43. *dubit.* 8. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 52. Bonac. *disp.* 3. *de legibus q.* 5. *p.* 3. *num.* 7.

7 Secundò igitur, somnia causantur à dæmone vt homines decipiat, & id pertinet ad diuinationem, peccatum grauissimum à Deo prohibitum pluribus in locis Sacræ Scripturæ, Leuit. *c.* 19. *n.* 26. *Nec obseruabitis somnia.* Deuter. *c.* 18. *n.* 10. *Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium vanitas est* Eccli. *c.* 34. *n.* 5. *Ne attendatis ad somnia vestra*, Ierem. *c.* 29. *n.* 8. clarum igitur est, vanum esse, & superstitiosum ex somniis à Dæmone immissis expectare diuinationem futurorum.

8 Tertiò, somnia quandoque causantur ab internis humoribus causantibus aliquem motum in phantasia, ex quo somnia humoribus conformia resultant; vt plurimum autem procedunt à negotiis tractatis, & pensatis die præcedente, multi enim ex vehementi imaginatione noctu somniant quidquid fecerunt, aut dixerunt præcedēti luce? & si timent aliquid sibi euenturum somniant in nocte; ego scio quemdam sæpissimè somniasse, se eiiciendum esse è suo domicilio cum graui incommodo, & hoc illi tribus vicibus accidit, diuersis temporibus, & semper somnium sortitum fuit suum effectum, nam ille talis reuera reiectus fuit, seu amotus ab illo loco, in quo bene manebat. Numquid deinceps iste somniator fidem suis somniis huius generis habere licite poterit? Aliqua coniectura conceditur, cum ex causis naturalibus soleant prouenire, sed quisque in his prudens sit, neque enim de somniis curandum est. Vide Sanch. *l.* 2. *c.* 38. *à num.* 49.

Quæres 4. An diuinatio per sortes licita sit? In his dæmon se occultè immiscet, ac proinde continetur hæc diuinatio sub illis in quibus locum habet pactum dæmonis tacitum & cum medium sit quod materiale, dici potest hæc diuinatio Subastrologia.

℞. Diuinatio per sortes, quod & ex vi vocis vocatur Sortilegium triplex est, Diuisoria, qua cognoscitur quid cuique sit tribuendum siue bonum, siue malum; vt, in electionibus, præmiis, pœnis &c. Consultoria, qua quæritur in aliqua re voluntas Dei. Diuinatoria demum, qua per sortes quæritur cognitio futurorum ex tacito dæmonis pacto. Ita omnes cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 8. Sanch. *lib.* 2. *cap. à numer.* 36. Bonac. *disp.* 3. *de legibus q.* 5. *p.* 3. *num.* 13. 9

Sors diuisoria non est illicita, quoties euentus non expectatur à Dæmone, vt notum est, vel non fiat super electionibus Ecclesiasticis, quia hoc prohibetur *c. Ecclesia de Sortileg.* Quare in diuisione hæreditatis, in contractibus, in pœnis & similibus licita est vt docent omnes cum præcitatis.

Consultoria de se illicita est, quia per ipsam tentatur Deus, cuius voluntas non per sortes, sed doctrinam sanctorum Patrum, & virorum doctorum responsa inuestiganda est, *ex c. Sortes* 26. *q.* 5. ita præcitati doctores.

Diuinatoria, quando per Dæmonem, qui tacitè & occultè se immiscet in his mediantibus sortibus quæritur cognitio futurorum, hæc semper est peccatum mortale ex genere suo, & toto *tit. de sortileg.*

Quæres 5. Quid sit Augurium, Auspicium, Omen, & Chyromantia? Isti modi diuinandi continentur sub diuinatione ex pacto tacito dæmonis, & vocari potest Subastrologia, quia diuinatio fit per res sublunares; ad singula respondetur. Vide doctores citatos à Sousa *l.* 1. *cap.* 49.

Augurium est prænuntiatio futuri ex garritu auium, vocibus animalium, & sternutatione hominum, vt crocitatio corui malum est signum. 10

Auspicium ex auium volatu, aut aliorum animalium alicui bonum, vel malum. Romani bonum auspicium futuri belli, si pulli cibum sumpsissent, malum verò, si non sumebant. 11

Omen bonum, vel malum cognoscitur ex prolatis per aliquem verbis casu? seu de repente. 12

Chyromantia est cognitio futurorum per lineamenta manuū, & faciei hominis. Vide quæ dixi *c.* 18. *n.* 56. 13

Nota hæc quasi abiisse in dissuetudinem apud homines, & meritò, quia cum hæc casu accidant, & nullam habeant connexionem cum futuris euentibus, ab omnibus iurisprudentibus pro nihilo habetur. Eorum igitur obseruatio vana est, & nullius momenti. Quod si quis ea obseruaret, & eis fidem præstaret, peccaret aut mortaliter, aut venialiter iuxta conditionem obseruatiouis, & credulitatis.

Quæres 6. An Astrologia tam naturalis, quam iudiciaria sit licita?

℞. Naturalis licita est, iudiciaria verò illicita, & peccatum mortale ex genere suo. 14

Primum, quod naturalis, sit licita, probatur, quia eius cognitio habetur industria, & labore hominum considerantium virtutes, & proprietates astrorum, per quas naturaliter influunt in hæc inferiora, producentes in eis diuersos effectus, & hæc nullibi reprobatur, immo potius admittitur, vnde Sixtus V. in sua Constitut. incip. *Cæli, & terra Creator* de qua agendum sequenti capite illam non damnat, sicut iudiciariam, sed permittit, & concedit illis verbis. *Præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam.* Et ita omnes docent.

Secundum, quod iudiciaria sit illicita, & damnata, apertè habetur in eadem Bulla illis verbis. *Damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ diabolo auctore, ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis, vel perditis hominibus, fieri solent.* Rationes huiusmodi damnationis tum ex Sacra Scriptura, 15

tum

tum ex Sanctis Patribus multæ referuntur in eadem Bulla probantes Astrologiam hanc vanam esse, & inutilem, plenam mendaciis, & deceptionibus ex diabolica fraude. Iure canonico damnatur pluribus in locis, *cap. Illud 6. cap. Illos 7. cap. Sed & illud 8. 26. quæst. 2. c. Sciendum 26. q. 3. Iure ciuil. l. Item,* apud Labeonem, §. *quis Astrologos ff de iniur. l. C. de Malef. & Matem. l. Nemo, C. eod. l. Mathematicos, C. de Episcop. audientia.* Vana igitur est Astrologia de humanis actionibus, quæ ita dependent ab humano arbitrio, vt præter Deum hominem reliquit in manu consilij sui, nullus influere possit in easdem directè, homo enim cum liber sit ita dominus est suarum actionum, vt possit facere quod vult, & ab opere etiam præconcepto desistere, nec ab vllo cogi potest.

16 Tertium, quod sit peccatum mortale ex genere suo, in confesso est apud omnes, quia diuinatio non contingit sine dæmonis inuocatione, & pacto ad minus tacito. Ita Sanch. *lib. 2. cap. 38. num. 17. & 18.* Bonac. *disput. 3. de legib. quæst. 5. part. 3. num. 16.* Mazuchell. *de casib Mediol. disp. 1. cap. 10. num. 46. & 49.*

Quæres 7. An prohibita sit Astrologia iudicans de temperamento bono, seu malo hominis ex obseruatione influxus constellationum tempore natiuitatis?

17 ℞. Non, quia certum est Cœlum directè influere in corpus humanum, & aliorum animalium, nam talem habet virtutem, per quam materiam disponit ad formationem fœtus cum tali vel tali temperamento humorum, & quatuor qualitatum iuxta concursum constellationum, ex quo sequuntur diuersi partus, qui diuersa habent temperamenta, & humores, vnde bene dixit Aristoteles 2. *Physic. T. 26.* Sol, & homo generant hominem, hoc est, corpus disponunt secundum humores & temperamentum, ex quo vltimo disposito, & anima rationali fit homo. Ita docent Scotus *in 2. dist. 14. q. 3.* D. Thomas ibidem *dist. 15. q. 1. & 3.* contra Gentes *c. 84. & seq.* Conymbr. *lib. 1.* Cœli *c. 3. q. 9. ar. 2.* Hoc autem temperamentum quale sit in hominibus certo sciri non potest, cum ad illud non tantum astra cæli, sed etiam alia concurrant, vnde plurimum incertum est, nam dependet ex qualitate seminis progenitorum, ex diuersitate regionis, ex educatione ipsius pueri, & ex aliis, præterquam quod influxus cœlorum quo ad peculiares effectus magis nobis ignotus est, quam cognitus, cum ex eodem partu gemellos videamus vnum robustiorem; alterum debiliorem, vnum lunaticum, alterum sanæ mentis, sit exemplum in Esau, & Iacob, ille gulosus, iste temperatus, ille inuidus, iste mansuetus, ille odiosus, iste dilectus, & tamen sub eadem constellatione vti gemelli nati sunt ex eisdem parentibus. Ex quo infertur, nulla certitudine sciri posse breuitatem, aut longitudinem vitæ hominis ex temperamento, cum subiaceat variis accidentibus, & causis extrinsecis præter incertitudinem temperamenti. Huiusmodi præcognitiones ex astris non prohibentur in Bulla Sixti V. ex allatis in præcedenti quæstione, nam pertinent ad medicinam, quæ considerat dispositiones corporis animati.

Quæres 8. An Astrologus iudicare possit de inclinationibus hominum.

18 ℞. Potest aliquid coniecturare in genere dicendo talem hominem inclinatum esse ad iram, mansuetudinem, auaritiam, luxuriam, &c. quia huiusmodi passiones, quæ sunt motus sensitiui apetitus, cognoscuntur ex temperamento quatuor qualitatum, inducente huiusmodi passiones; sed Astrologus per astra cognoscere potest tempatamentum hominis ex dictis præcedenti quæstione, ergò & easdem inclinationes, quæ pendent ab huiusmodi temperamento. Vide D. Thomam *par. 1. q. 115. ar. 4. lib. 3. contra gent. cap. 92.* item *q. 5. de verit. art. fin.* Scotum *in 2. dist. 14. quæst. 3. §. Quarto,* Suar. *de relig. tom. 1. l. 2. c. 11.* Est autem differentia inter iudicium de temperamento, & coniecturam de inclinatione, quia cognitio temperamenti magis appropinquatur veritati, cum astra in illud directè influant disponendo fœtus secundum combinationem quatuor qualitatum, & humorum, non sic in animam, in quam influere non possunt nisi remotè, & per accidens, quatenus corpus disponunt, cui ipsa vnitur, consequenter cum fortior sit causa agens directè, quam quæ indirectè, & per accidens operatur, minor certitudo habetur de inclinationibus, quam de temperamentis per cognitionem astrorum.

Quæres 9. An astra influant in animam rationalem, & eius intellectum, & voluntatem cogant ad bonum, vel malum? 19

℞. Corpora cœlestia nullam habent actionem directam in animam rationalem, neque proindè in intellectum, aut voluntatem, vndè voluntatem cogere non possunt, quamuis vtramque potentiam inclinare possint ad actiones tam bonas, quam malas, propter actionem indirectam, quam habent erga intellectum, & voluntatem.

Primum, quod nullam actionem directam habent in animam, probatur. Tum quia, anima est omnino spiritualis, ergò nulla causa corporalis in eam agere potest, quia corpus non agit in spiritum. Tum quia, anima præter intellectiones, volitiones, species intelligibiles, habitus, & passiones lætitiæ, tristitiæ, & similia quæ causantur ab obiectis cognitis, nullius alterius qualitatis est capax, sed astra nullam virtutem habent producendi in anima prædictas qualitates, nam species intelligibiles ab obiectis producuntur, quorum sunt species, actus autem non sunt nati produci nisi à potentiis speciebus mediantibus; habitus autem si sunt naturales producuntur ab actibus, si supernaturales à Deo tantum immediatè infunduntur animæ, passiones demum recipiunt esse ab obiectis hoc vel illo modo propositis ab intellectu. Quare, concludendum est, nullum corpus aliquam habere actionem super animam, neque proindè in eius potentias, quæ eamdem cum ipsa sortiuntur conditionem.

Secundum, quod humana voluntas non cogatur per influxum astrorum, ita certum est, vt probatione non egeat, & patet ex allatis, quia astra nullam virtutem, & potestatem habent super voluntatem, ergò illam cogere noc possunt, aliàs sequeretur absurdum, quod libera non esset, si cogeretur. Est autem hæreticum dicere, quod voluntas cogi possit per causam creatam; similiter hominem carere libero arbitrio, aut prohiberi posse, seu priuari per aliquam actionem causæ creatæ.

Tertium, quod astra remotè influant in intellectum, probatur, quia cœlum alterare potest organa sensitiua ac proindè benè, vel malè disponere ad exercendas suas operationes, consequenter cum nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu, intellectus operari poterit benè, vel malè iuxta sensuum dispositionem pendentem ab influxu astrorum, secundùm quæ agendo in organa impedit, vel iuuat intellectum in suis operationibus.

Quartum, quod mediatè influant in voluntatem, probatur, quia constat ex supradictis *sub. q. 8.* iuxta variam corporum dispositionem quæ ab astris habentur, aliquos esse magis propensos ad hæc, vel illa vitia, ad has, vel alias virtutes, & iuxta illas voluntas potest magis moueri, si vult, ad vnum actum, quam ad alium; consequenter indirectè cælestia corpora influunt in voluntatem, quatenus constituunt, & disponunt

temperamentum, & humores inclinantes magis ad vnum quam ad aliud.

Quæres 10. An Inquisitor super his sit Iudex competens.

20 ℞. Olim non erat ex Cap. Accusatus 8. §. Sane, de hæret. in 6. vbi dicitur, quod Inquisitores non se intromittant de diuinationibus, vel sortilegiis non sapientibus hæresim manifestam. Vide supra cap. 18. q. 24. vbi dixi, nunc casum subiici Inquisitoribus ex Bulla Sixti V. contra Astrologos §. 3. Bulla 17. in Bullario nouo.

CAPVT. XXI.

De Pœnis Contra Sortilegos Maleficos, & Astrologos.

SVMMARIVM.

1 *Sortilegus excommunicatus non est.*
2 *Consuetudo interpretatur leges.*
3 Anathema sit. *est latæ sententiæ.*
4 *Pœna iuris communis contra sortilegos.*
5 *Pœna arbitraria contra eosdem.*
6 *Bullæ Sixti V. contra Astrologos.*
7 *Prohibentur omnes species superstitionis.*
8 *Respectu etiam eius qui semel fuit superstitiosus.*
9 *Actiones prohibitæ recensentur.*
10 *Coniecturatio etiam prohibetur.*
11 *Regulares olim puniebant sortilegos.*
12 *Excommunicati sunt legentes, & retinentes libros.*
13 *Astrologus suspectus de hæresi vehementer, vel leuiter.*
14 *Bulla Vrbani VIII. contra Astrologos.*
15 *Excommunicatio contra quærentes diuinationem, & Astrologos.*
16 *Excommunicatio contra impedientes iudices.*
17 *Mors, & bonorum confiscatio.*
18 *Iudices sortilegiorum.*
19 *Non sunt prælati Nullius.*
20 *Nec superiores Regulares.*
21 *Quid obiectum prænuntiationis prohibitæ.*
22 *Pœnæ incurruntur pro qualibet actione prohibita.*
23 *Bulla Gregorij XV. contra Maleficos.*
24 *Quæ pœnæ incurrantur.*
25 *In dubio an mors ex maleficio, vel febri.*
26 *Causa proximior attenditur.*

IN hoc capite explicandæ sunt tres Bullæ Pontificiæ, vna Sixti V. contra Astrologos iudiciarios; secunda, contra eosdem, qui de statu Ecclesiastico Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia faciunt, Vrbani VIII. Tertia, aduersus maleficos Gregorij XV. Præmittendæ autem sunt pœnæ, quas iura statuunt contra Sortilegos, Maleficos, & Astrologos

Quæres 1. An sortilegi sint exmmunicati? Nomine sortilegorum voco quoslibet superstitiosos, siue ex vana obseruantia, siue ex maleficiis, siue ex diuinatione, & Astrologia.

1 ℞. Communior sententia doctorum negat huiusmodi excommunicationem latæ sententiæ contra sortilegos extare, & hi sunt Alensis, Silu. Azor. Suar. & Lessius, quos pro se citat Sanch. *libro* 2. *cap.* 38. *num.* 90. *&* 91. Bonac. *disp.* 3. *de legib. quæst.* 5. *par.* 3. *num.* 22. Sousa *lib.* 1. *cap.* 58. *num.* 5. Farinac. *q.* 192. *num.* 12. Mazuchell. *disp.* 2. *de casib. Mediol. cap.* 10. *n.* 133. in fine illius distic. Carena *par.* 2. *tit.* 12 *n.* 304. contra Reginaldum, Delrium, & alios. Et reuera vrgent, & pro his faciunt tres textus, quorum primus habetur *cap.* 1. 26. *q.* 5. *Si quis ariolos, aruspices, vel incantatores obseruauerit, aut philacteriis eorum vsus fuerit, anathema sit.* Eadem *c. Aliquanti* 6. augurantes, & diuinantes, atque consulentes, & docentes hanc artem *ab Ecclesia habeantur extranei.* Sequenti capite incip. Sortes, quæ nihil aliud sunt, quam diuinatio, & maleficium, damnantur illis verbis. *Vltra nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.* Respondeo cum Bonac. loco citato, eam communicationem, si fuit latæ sententiæ, vt videtur colligi ex primo textu nullatenus ex aliis, nostris temporibus abiisse in dissuetudinem, aut certè doctores interpretatos fuisse proferenda, siquidem communis sensus doctorum in interpretandis legibus attendendus est, ex D. Antoni. *par.* 2. *tit.* 4. *cap.* 4. §. 3. 2
Salas *disp.* 19. *de legib. sect.* 9. *num.* 4. §. *Quarta regula*, & deducitur ex *l. Minimè, l. Interpretatione ff. de legib.* proprium enim consuetudinis est legem interpratari, vnde illa particula, *Anathema sit*, quæ ex se significat excommunicationem latæ sententiæ, vt ex omnibus conciliis manifestè colligitur, est enim verbum *sit* modi imperatiui, ex allegatis à Sair. *l.* 1. *c.* 11. 3
num. 10. consuetudine, & communi doctorum consensu interpretatur pro sententia ferenda, ad quod facit etiam *cap. Non oportet* 4. 26. *q.* 5. vbi exprimitur ferenda, de qua constat, & in priori *cap. est sub dubio*, ergò bene interpretatur primum caput per hoc posterius; bene enim leges claræ declarant obscuras etiam posteriores, Panorm. *in c. Cum dilectus de consuetud.* Peretrus *in comment. super Extrau. Ambitiosæ* §. *Locationem & conductionem num* 3. *doctor. super l. Non est* 25. *l. Sed &* 27. *ff. de legib.* constat autem excommunicationem dicti. *cap. Non oportet, & cap. Si quis* 9. *cap. Augurij* 11. esse comminatoriam, sicut & aliorum duorum textuum, & illam, quæ exprimitur sub primo capite, esse dubiam, cum non desint graues doctores asserentes esse comminatoriam, & plures Glosæ verbum *sit* velint indicare sententiam ferendam, & non latam, *in c. Generali* 11. 25. *q.* 1. Glos. *fin. c.* 2. *de foro compet.* ergo rectè doctores, & consuetudo interpretatur eam comminitoriam. Confirmatur id totum, quia nullus ex Summis Pontificibus in Bullis editis contra sortilegos mentionem faciunt de hac pœna excommunicationis latæ sententiæ, sed in genere loquuntur, vt iudices huiusmodi sortilegos pœnis canonicis puniant, ergo nullam de iure incurrunt, nisi à iudice feratur.

Quæres 2. An aliæ pœnæ contra superstitiosos iure antiquo exprimantur?

℞. Sequentes colliguntur ex causa 26. *q.* 5. *cap. Qui* 2. *& cap. Non liceat* 3. Quinquennio debent pœnitere? *cap. Si quis* 5. Episcopus, & quilibet clerici ariolos, & magos consulentes, hanc 4
artem exercentes, vel docentes priuandi sunt suis honoribus; item, *cap. Quicumque* 13. *ead.* Sacerdotes, & alij clerici sortilegi priuantur suis gradibus, honoribus, atque exilio mulctantur, seu carceribus constringuntur. De dictis pœnis vide Menoch. *l.* 1. *de Arbitr. censur.* 4. *casu* 388. Farinac. *q.* 181. *num.* 51.

Quæres 3. Quibusnam pœnis castigandi sunt sortilegi?

℞. Qui maleficiis inferunt mortem traduntur curiæ seculari? qui vero infirmitatem, impotentiam generandi, aut damnum notabile in animalibus, vel 5
fructibus suis maleficiis causant perpetuis carceribus tradendi

tradendi sunt. Vtrumque exprimitur in Bulla Gregoriana, de qua *sub quæst.* 22. Alij verò sortilegi hæreticales damnantur ad remum per triennium, quinquennium, aut septennium iuxta grauitatem delicti, aut ad carcerem ad tempus; Sortilegi non hæreticales, idest, qui Sacramentis, aut Sacramentalibus vsi non fuerunt, pœnitentiis salutaribus castigantur, immò quandoque carceribus ad vnum, vel alterum mensem, interdum mulctantur in pecunia. Mulieres demum fustigantur, & aliquando auxilio puniuntur cum ea cautela, vt se præsentent illis Inquisitoribus, in cuius diœcesi mittuntur in exilium, vt illa præsentatione mortificatæ non audeant inficere homines, vnde melius est, eas mancipare carceribus. De his vide Zanard. *part.* 1. *de diuinis præcept. c.* 5. *de fide, cap.* 64. *Genuens. cap.* 68. *n.* 8. ex illis Carena *part.* 2. *tit.* 12. *n.* 257.

Quæres 4. Quid statuerit Sixtus V. in sua constit. 17. *B. N.* incipiens. *Cœli & terra*, contra Astrologos?

℞. Quoslibet superstitiosos, sortilegos, & Astro-
6 logos iudiciarios subiicit tribunali Episcoporum, & Inquisitorum seuere puniendos, & eorum libros prohibet, & damnat cum incursione pœnarum in Indice librorum contentarum. Vt colligitur ex dicta Bulla ex parte subiecta.

Nos igitur, qui pro nostro pastoralis officij munere
7 *fidei integritatem inuiolatam conseruare debemus, & animarum saluti prospicere, quantum diuina gratia adiutrice possumus ex paternæ caritatis visceribus optamus damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curiosis vel perditis hominibus fieri solent. Cupientes præterea illam sanctam Christianæ religionis simplicitatem, præsertim vbi agitur de summa creatoris Dei potestate, sapientia, & prouidentia ab omni erroris labe, integram, atque incorruptam, vt par est, retineri. Volentes quoque prædictæ falsæ credulitati, ac huiusmodi illicitarum diuinationum, & superstitionum detestabili studio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, vt de Christiano populo merito dici possit: quod de antiquo Dei populo scriptum est, non est Augurium in Iacob, neque diuinatio in Israël. Hac perpetuo valitura constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscumque dictæ iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam imposterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, vt protestentur, quam contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientia exercent profitentur, & docent, aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia superstitiones, beneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cuiuscumque dignitatis, gradus & conditionis existant, tam Episcopi, & prælati, superiores, ac alij ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos seuerius canonicis pœnis & aliis eorum arbitrio animaduertant.*

Prohibentes omnes, & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi iudiciariæ Astrologiæ, & Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Negromantiæ. Artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, & superstitiones conticentur, ac vt supra in memorato indice interdictos sub censuris, & pœnis in eo contentis à quibuscumque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri; sed illos Episcopis, & ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate statuimus, mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur; similiter iidem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere possint.

Super hanc Bullam nonnullæ difficultates apparent resoluendæ in sequentibus.

Quæres 5. An omnis species superstitionis, & sortilegij sit casus Inquisitionis secundum hanc Bullam Sixti V. Ratio dubitandi est, quia hæc Bulla intitulatur contra exercentes artem Astrologiæ, quæ est species superstitionis, consequenter non comprehendit omnes superstitionis species.

℞. Per hanc Bullam omnis superstitionis species est casus Inquisitionis, vt apertè habetur ex supradictis, ibi: *Quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes.* Nec obstat tituli inscriptio limitata ad diuinationes, quando in textu materia ampliatur, & exprimitur quo ad omnes species.

Quæres 6. An comprehendantur tantum exercentes hanc artem, an etiam qui semel diuinauerunt, vel alicui amico Natiuitatem, vt aiunt, fecerunt? Ratio dubitandi desumitur ex illis verbis: *Iudiciariæ Astrologiæ artem exercentes*, nam significant iterationem actus, ex iis, quæ in simili refert Nauar. *c.* 27. *n* 250. de exercente sodomiam, qui pœnas in Bulla Pij V. non incurrit per vnum vel alterum sodomiæ actum, ergo neque casum Inquisitionis incurrit ille, qui amico Natiuitatem facit.

℞. Etiam vnicus superstitionis actus subditur Inquisitioni, vt colligitur ex illis verbis. *Præmissa detestanda scelera, & delicta (vt præfertur) faciunt,* 8
aut in eis se quomodolibet intromittunt. Ex quibus verbis prædictæ clausulæ rationis dubitandi explicatio colligitur, nimirum exercentes, idest; facientes, seu se ingerentes in actibus superstitiosis.

Quæres. 7. Quot actiones subdantur officio S. Inquisitionis.

℞. Sequentes. Exercitium, & professio Astrologiæ, Instructio, qua Astrologi alios imbuunt. Disci- 9
plina, hoc est, illam addiscere. Facere actum superstitiosum. Demum se in prædictis intromittere auxiliando, consulendo mandando, consentiendo, &c. In his, omnibus casibus Bulla Astrologos, & superstitiosos subijcit sanctæ Inquisitioni

Quæres 8. An in hac Bulla prohibeantur non solum iudicia assertiua de futuris contingentibus, verum etiam coniecturæ de eisdem cum protestatione nihil certò asserendi? Ratio dubitandi est, quia hic prohibetur Astrologia non quæcumque, sed tantum iudiciaria, quæ consistit in iudicio affirmatiuo rei euenturæ, qualis non est cognitio coniecturalis, quæ potius dubitatio est, quam iudicium de futuris.

℞. Non solum prohibetur iudicium, sed etiam conie- 10
cturatio etiam sub protestatione nihil certò affirmandi, & id expressè colligitur ex illis verbis: *Facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur.* Et id procedit in vtroque foro, vt bene, Salas & Sanch. docent *lib.* 2. *c.* 38. *n.* 34. tum quia, Papa permisit iudicium de agricultura, nauigatione, & medicatione in vtroque foro, ergo

damnauit in aliis astrologiam in vtroque foro ad omnem cognitionem. Tum quia iste modus diuinandi est reipublicæ Catholicæ perniciosus. Tum quia, per hunc modum occultatur malitia superstitionis, consequenter quilibet Astrologus sub his modis coniecturandi futura contingentia ab humana voluntate pendentia excusaretur à violatione huius Bullæ, ex quo nullus puniri posset, & sic frustraretur mens legis, cuius finis est extirpare hoc vitium superstitiosum diuinationis castigando delinquentes. Aliis hanc probat Bonac. in suo Bullario *disp. 2. q. 2. p. fin.* cum Filliuc. & Homobon. contra Molfesium, Naldum, Valent. Delrium, & alios.

Colligitur hinc non esse permittendos, vt aiunt, Lunarios quosdam, qui prædicunt reuolutionem regnorum, mortem alicuius principis, desolationem alicuius prouinciæ, victoriam in bello, pacem, &c.

Quæres 9. An virtute huius Bullæ Sixti V. olim superiores regulares potuissent punire suos religiosos diuinantes contra contra huius Bullæ prohibitionem? Dico olim, quia nunc nullatenus possunt, cum id prohibitum sit ex Bullis Paulis V. incip. *Romanus Pontifex*, & Vrbani VIII. incip. *Cum sicut accepimus*, de quibus dante Deo, suo loco agam.

11 ℞. Affirmatiuè, vt colligitur ex illis verbis. *Tam Episcopi, & Prælati, superiores, ac alij ordinarij locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis.* Nam veniunt sub illis verbis, *Prælati superiores*, siue accipiantur diuisim, siue coniunctim, nam ea clausula propriè exprimit regulares superiores.

Quæres 12. Quænam sunt illæ pœnæ Canonicæ, præter arbitrarias, quibus mulctandi sunt sortilegi, & Astrologi?

℞. De illis sufficienter dictum fuit superius *sub q. 2.* & 3.

Quæres 11. Quam pœnam incurrant legentes, aut retinentes libros, opera, & tractatus de Astrologia iudiciaria, aut de aliis superstitionibus?

12 ℞. Incurrunt excommunicationem nulli reseruatam in Indice latam, de qua actum fuit *cap. 14. q. 26. num. 56.* Vide ibi. An incurrat habens cedulam, in qua descripta est propria, vel alterius natiuitas? *Resp.* Non, quia illa non est liber, nec opus; nec tractatus? verum quidem est, quod illam habens lacerare debet, fidem nullam illi habendo.

Quæres 12. An Astrologus probatus sit suspectus vehementer, an solum leuiter de hæresi?

13 ℞. Astrologus immiscens res sacras censetur suspectus vehementer de hæresi regulariter loquendo iuxta dicta *cap. 18. q. 7.* Si per meram astrorum cognitionem est solum leuiter suspectus, vt iudicatum fuit in Hispania in duobus casibus relatis à Diana *part. 4. tract. 6. resol. 17. §. Quibus verò.* Zanardus ab eo relatus dicit non teneri abiurare Astrologum asserentem, se tantum credere, astra inclinare, non verò cogere hominis voluntatem. Sed hoc non placet, quia cum pro tribunali contra hos adsit præsumptio societatis cum dæmone relinquendi non sunt inabiurati.

Quæres 13. Quid contineat Bulla incip. *Inscrutabilis iudiciorum.* Vrbani VIII. contra Astrologos.

14 ℞. Fertur contra Astrologos iudiciarios, qui de statu reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum iudicia facere, nec non eos, qui illos desuper consulere præsumpserint, cum inuocatione constitutionis supradictæ Sixti V. Vt apparet in ea sub extensa his verbis post innouationem dictæ Bullæ Sixti V.

I. Et insuper omnibus, & quibuscumque laicis, cuiuscumque sexus, conditionis statum, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui statu reipublicæ Christianæ, vel sedis Apostolicæ, siue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum Mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatoresque nuncupatos, vel alios Astrologiam iudiciariam exercentes, seu alias quomodolibet profitentes, de cætero consuluerint, siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisque quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint, nec non iisdem Mathematicis, ariolis, aruspicibus, vaticinatoribus siue aliam Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet artem diuinatoriam, quomodolibet profiteri, qui iudicia prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur fecerint, siue ab aliis iam facta, seu factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de eis quouis modo etiam inprobando scripto, vel verbis tractauerint, ne dum excommunicationis maioris latæ sententiæ sed etiam vti læsæ maiestatis reis vltimi supplicij, ac confiscationis omnium bonorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, & deuolutionis, quarumcumque ciuitatum, castrorum, & locorum iurisdictionalium, & feudalium.

II. Clericis quoque & Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis tam secularibus quam cuiusuis ordinis Congregationis, Societatis, seu instituti vel militiarum quarumcumque etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani aliisque quomodolibet exemptis ac Nobis, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectis Regularibus vtriusque sexus, vltra prædictas, etiam priuationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuũ, Præceptoriarum, ac aliorum quorumcumque & inhabilitatis perpetuæ ad illa imposterum obtinenda. Ita quod personæ Ecclesiasticæ prauia illarum degradatione curiæ seculari tradantur puniendæ; in Episcopali verò, Achiopiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam superiori Ecclesiastica, aut mundana quamtumuis sublimi, excellente, & speciali nota digna, etiam suprema constitutis dignitate, easdem excommunicationis, ac priuationis etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum quantumuis amplissimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas ipso facto incurrendas Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

III. Cognitionem autem causarum huiusmodi quo ad personas Ecclesiasticas tam seculares, quam regulares in Vrbe nostra, & illius districtu ad dilectos filios nostrum eius Vicarium in spiritualibus generalem, nec non eiusdem Vrbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem Generalem, & eorum quamlibet in solidum. Extra verò Vrbem, & districtum prædictum in Prouinciis Nobis, & Apostolicæ Sedi subiectis ad S. R. E Cardinales in eisdem Prouinciis de Latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos pro tempore existentes. In aliis vero omnibus, & singulis Prouinciis, regnis, Ciuitatibus, oppidis, castris & locis, tam sub nostra, & dictæ sedis, quã cuiusuis alterius Principis ditione comprehensis, priuatiuè quo ad omnes etiam superiores religiosorum, ipsisque superioribus penitus exclusis ad ordinarios locorum, vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus.

IV. Mandantes dilectis filiis nostris, & dictæ Sedis de

dis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus nunc, & pro tempore existentibus; nec non venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis videlicet in suis Ciuitatibus, & diœcesibus, & qui ad loca intra fines alicuius diœcesis, non tamen de diœcesi existentia ipsarum diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint: Quo vero ad ea, quæ extra fines alicuius diœcesis consistunt, vicinioribus eorumdem locorum ordinariis, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cuiuslibet fisci, vel denuntiatoris, ac etiam ex eorum officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, prævia etiam auocatione à quibusuis aliis supra non expressis, nec à nobis specialiter delegatis in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris, & facti remediis opportunis, inuocato etiam auxilio brachij secularis.

V. Inhibentes insuper Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metrapolitanarum, & Patriarchalium, non quorumuis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitali prædictorum superioribus, conuentibus, & fratribus quantumuis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque per eos respectiuè obtentorū, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, nec non excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, nec non Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis huiusmodi procedentes, quomodolibet impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant, ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi alicuius loci regularis, Superiores actu fuerint, ordinariis, Legatis, seu Vicelegatis, ac aliis prædictis, seu quibus iisdem mandauerint consignent cum scripturis, & actis, si qua facta fuisse reperiantur.

Nonnullæ difficultates proponendæ, & resoluendæ sunt in sequentibus quæstionibus perordinem. Quare.

Quæres 14. Quot excommunicationes, & propter quas actiones, & contra quas personas ferantur in hac Bulla.

15 ℞. In hac Bulla fit mentio de duabus excommunicationibus latæ sententiæ nulli tamen reseruatis. Prima, exprimitur *sub numer.* 1. contra laicos 2. contra Ecclesiasticos secunda, verò *sub numer.* 24. De prima hic agendum, de secunda in sequenti quæstione. De prima duo quæruntur. Vnum est quot, & quænam sunt actiones prohibitæ, per quas incurritur excommunicatio? Alterum, quænam personæ illam incurrant.

Primo, Actiones hic prohibitæ sunt nouem, quatuor ex parte quærentium diuinationem, quinque verò ex parte Astrologorum, & diuinantium. Et parte quærentium sunt primo cōsilium petere, secundo recipere, tertiò retinere, quartò ostendere diuinationem factam de statu reipublicæ Christianæ, vel de vita, aut morte Papæ, aut eius consanguineorum vsque tertiam generationem inclusiuè. Ex parte verò Astrologorum, seu diuinatorum actiones sunt quinque prima factio, & constructio prognostici de prædictis; secunda retentio prognostici, etiam alieni? tertia datio eius alteri? quarta eiusdem ostensio? quinta demum eiusdem tractatio, siuè verbo, siuè scripto etiam per modum improbationis. Procedunt, quamuis diuinatio non cōtineat iudicium, immo Astrologus, siuè diuinator, se non certo affirmare, quod prædicit, protestetur.

Secundò, eam excommunicationem incurrunt omnes laici cuiuscumque sexus, & conditionis etiam si sint Duces, siuè parui, siuè magni, neque enim ius Pontificium solet distinguere inter Duces, cum omnes indistinctè sibi subiiciat, prædicti ergo incurrunt eam pœnam, si fecerint vnam ex dictis actionibus superius expressis. Astrologi verò siuè diuisiuè diuinatores quicumqe facientes, rem aliquam ex dictis quinque actionibus eamdem incurrunt pœnam. De illis autem non Astrologi, nec diuinationem profitentes tractantes non incurrunt, quia excommunicatio per hanc actionem tractationis afficit solos Astrologos, & diuinatores.

Ecclesiastici quoque cuiuslibet Ordinis, tam seculares, quam regulares præter excommunicationem, & priuationem officiorum, beneficiorum, & dignitatum cum perpetua inhabilitate, traduntur curiæ seculari puniendi præuia degradatione, si rei fuerint etiam vnius illarum actionum.

Episcopi pariter, & alij maioris excellentiæ, & constituti in sublimi, & speciali nota dignitate etiam mundana, aut suprema eamdem incurrunt excommunicationem, & priuationem regiminis, & administrationis, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum quantumuis amplissimarum, & patriarchali maiorum, ac officiorum suorum ipso facto cum perpetua inhabilitate. Sub his clausulis efficacissimis comprehenduntur etiam Cardinales, Electores imperij, & quicumque alij habentes mixtam dignitatem ex laicali, & Ecclesiastica. Non verò Imperator, nec Reges, quia sermo est de Ecclesiasticis tantum, vt patet legenti partem Bullæ *sub num.* 11.

Prædicta autem de Ecclesiasticis, & Episcopis intelligenda sunt de quibuscumque actionibus tam respectu quærentium diuinationē, quam Astrologorum, & diuinatorum, cum impositio pœnarum respiciat personas superius expressas sub primo numero, quo ad actiones omnes, & quaslibet.

Quæres 15. Propter quas actiones, & quænam personæ incurrant secundam excommunicationem latam *sub. n.* 2. expressam?

℞. Incurritur primo propter quatuor actiones, 16
quæ sunt impedire, molestare, perturbare, aut non consignare reum huius criminis cum scripturis iudicibus supradictis in hujusmodi causa. Quælibet igitur actio, qua reus huius criminis effugit iudicium, aut non cadit in manus iudicis, aut ex illius manibus, & potestate subtrahitur, inducit excommunicationem. Consignatio autem religiosi fit si petatur, aliter non incurritur. Secundò personæ, quibus prohibentur prædictæ actiones sunt Decani maiorum Ecclesiarum, & omnes regulares siuè superiores, siuè subditi in ordine ad excommunicationem. Respectu verò priuationis beneficiorum, & officiorum cum inhabilitate, ac vtriusque vocis, præter dictas personas, subduntur etiam capitula Ecclesiarum maiorum, & quilibet conuentus Regularium. Hæc autem excommunicatio non comprehendit seculares perpetrantes actiones superius prohibitas, quia de illis nulla fit mentio, sed solum de personis Ecclesiasticis, nam de illis dictum est in patenti questione.

Quæres 16. An præter excommunicationem, & priuationem officiorum, de quibus in præcedentibus, imponantur aliæ pœnæ contra requirentes diuinationem, aut pronosticantes de statu reipublicæ Christianæ, &c.

℞. Vti rei læsæ maiestatis vltimo supplicio, & 17
bonorum confiscatione puniendi sunt cum deuolutione etiam quarumcumque ciuitatum, & locorum etiam iurisditionalium, & feudalium, vt habetur *ex numer.* 1. Hæ pœnæ afficiant tantummodo laicos, cum de illis tantum sermo fit: vnde in sequenti *numer.* 11. Ecclesiastici omnes infra dignitatem Episcopalem degradati traduntur curiæ secnlari pro vltimo supplicio. Episcopi verò, & alij maiores prælati

lati etiam dignitate mundana præditi etiam suprema ipso iure præter excommunicationem sunt ipso iure priuati suis beneficiis, officiis, regiminibus, & administrationibus. Ex quo in his confiscatio bonorum locum non habet, sed tantum respectu laicorum.

Sed ad quem spectent bona confiscata, & deuolutio ciuitatum, & iurisdictionalium? Ad eum supremum Principem, cuius erant: vnde feudum concessum ab Ecclesia redit ad Ecclesiam, siuè delinquens sit Comes, siuè Marchio, siuè Dux cuiuscumque conditionis, & notæ; si verò concessum fuit à laico reuertitur ad ipsum, quia æquum est, vt vnaquæque redeat ad suum directum dominum qui illam concessit, & non ad extraneum?

Quæres 17. Ad quos iudices spectat cognitio huiusmodi causarum?

18 ℞. In Vrbe, & districtu ad tres officiales in solitum, ad Vicarium Generalem, Gubernatorem, & ad Auditorem Generalem Cameræ. Extra ad Legatos de latere, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos singulos in suis Prouinciis, vbi sunt destinati, intellige pariter in solidum. In aliis locis ad ordinarios locorum, & Inquisitores, qui Inquisitores vbilibet locorum hoc ius habent amplius super omnes delinquentes in hoc crimine, etiam sine Episcopis, quia pro ipsis facit dicta particula, *in solidum*? tum quia, cum sit fauorabilis amplianda est, tum quia, ampliorem habent quo ad hoc potestatem ipsis Episcopis, qui in prouinciis Legatorum de latere non possunt procedere in hac causa, vtique verò Inquisitores; ergo in hac causa procedere valent irrequisitis Episcopis, in quouis loco suæ iurisdictionis. Hæc omnia colliguntur *ex num.* 3.

Quæres 18. An huiusmodi causa tractari possit à Prælatis nullius diœcesis, quorum scilicet territorium existit extra fines diœcesis?

19 ℞. Non, sed spectat ad viciniores Episcopum, & Inquisitorem, vt colligitur *ex n.*4.

Quæres 19. An superiores regulares in hac causa procedere possint contra suos religiosos delinquentes?

20 ℞. Non, sed id munus spectat ad iudices expressos *sub. q.*17. & patet *ex n.*3.

Quæres 20. Ad quid se extendat hæc diuinatio prohibita in hac Vrbani VIII.

21 ℞. Ad quatuor. Primo, ad diuinationem super statu Reipublicæ Christianæ. Secundò super statu Sedis Apostolicæ. Tertiò, super vita, aut morte Papæ existentis: Quartò, super vita, & morte, eius consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiuè. Prænuntiatio reipublicæ Christianæ est e. g. si quis prædicat eius reuolutionem, destructionem, deceptionem, &c. Sedis verò Apostolicæ, si quis prænuntiet mutationem loci, incursionem inimicorum contra illam, bellum, depressionem, futurum concilium, &c. Prænuntiatio de vita, & morte Romani Pontificis erit etiamsi de ipso, prædicentur spectantia ad ipsius personam præscindendo à ratione Pontificatus, aliter quilibet excusari posset dicendo se diuinasse de persona in ratione personæ priuatæ, non vt est Papa. Sed numquid huiusmodi prohibitio restringitur ad Papam actu existentem, an etiam extendatur ad futurum præsertim Sede Vacante?

℞. Limitatur ad præsentem actu viuentem, ita quod prænuntiatio de mortuo, aut de futuro pro tempore non prohibetur per præsentem Bullam. Pari ratione, idem dicendum est de eius consanguineis, nimirum, Papæ pro tempore viuentis, cum id apertè colligatur ex verbis Bullæ *sub num.*1.

Quæres 21. An pro qualibet actione in dicta Bulla prohibita incurrantur pœnæ tam graues, quales sunt confiscatio bonorum priuatio officiorum, & mors, præter excommunicationem? Ac proinde, qui simpliciter amico ostendit natiuitatem Papæ, aut aliquam prænuntiationem de sede Apostolica reus sit dictarum pœnarum?

℞. Affirmatiuè, ita enim exprimitur in Bulla, neque enim hoc est leue delictum, sed grauissimum, cum huiusmodi prænuntiationes afferre possint damnum notabilissimum reipublicæ Christianæ, etiam ex sola ostensione, ideo mirum non est, si tam grauissimæ pœnæ imponuntur contra transgressores. 22

Quæres 22. Quid contineatur in tertia Bulla à Gregorio XV. lata contra Maleficos?

℞. Melefici ex maleficio, vel sortilegio mortem inducentes traduntur curiæ seculari, infirmitatem verò, diuortia, impotentiam generandi, seu damnum notabile inferentes animalibus, frugibus, & aliis fructibus, muro, seu perpetuis carceribus clauduntur. Verba Bullæ incip. *Omnipotentis Dei*, sunt sequentia. 23

Decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apostatando, maleficiis, seu sortilegiis, vnam, vel plures personas ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam pro primo lapsu, curiæ seculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui verò similiter apostando, pactum cum diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit ex quo, licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siuè animalibus frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile prouenerit? muro claudi, siuè perpetuis carceribus in Sancto Inquisitionis Officio, vbi illud existit, fabricandis, mancipari debeat. Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, siuè Inquisitori denuntiare teneantur.

Difficultates super dicta Bulla infra propositæ de more resoluuntur in subiectis responsionibus quæstionum per ordinem.

Quæres 23. Quot requirantur, vt maleficus tradatur curiæ seculari vltimo supplicio puniendus?

℞. Tria copulatiuè requiruntur. Primò, quod pactum expressum cum dæmone fecerit, siuè scripto, siuè verbis. Secundò, quod à fide apostatauerit, nimirum negando fidem, siuè coram ipso dæmone, vel ad eius requisitionem, aut ad effectum maleficij. Tertiò, necesse est, quod mors sequatur ex maleficio, & non ex alia causa naturali, aut violenta. Hæc clara sunt in textu. 24

Quæres 24. Si constat de maleficio, sed dubitatur an mors sequuta fuerit ex febri subsequente concludendum sit mortem prouenisse ex febri tantum, & non ex maleficio?

℞. Carena *par.* 2. *tit.*12. *num.*257. Quando euidenter non constat febrim ex maleficio ortum non habere, mors febri vti causæ proximiori tribuenda est, non maleficio, quod est causa remotior, & probat primo *ex l. Hic. scripturæ, ff. si seruus ff. ad leg. Aquil.* vbi constabat seruum lætaliter vulneratum, & post vulnus superuenisse naufragium, Iurisconsl. ibi respondet, non posse agi de occiso contra vulnerantem, quia seruus dicitur mortuus ex naufragio vti causa proximiori. Secundò ex duab. decisionibus 220. & 239. Canaller. Contracta fuerat societas super periculo vitæ cuiusdam fœminæ, excepto casu partus, mulier hæc postea prægnant in quinto mense 25 26

correpta fuit febre maligna, & die decima quarta, quæ critica est, fecit abortum cum effusione magna sanguinis, & post septem horas mortua est? deciditur ibi, mulierem mortuam fuisse ex abortu vti ex causa proximiori; & quamuis Rota dicat *numer.* 4. quod febris potuerit esse causa abortus, cum vt dicit Zachias in suis quæstionibus Medicolegal. *tit.* 4. *quæst.* 4. *numer.* 85. febris acuta soleat partum interimere, attamen, ait Rota, de hoc non esse curandum, quia febris est causa æquiuoca abortus. Igitur idem concludendum erit in casu nostro, nimirum mortem causatam fuisse ex febre maligna, cum ex ea, vt plurimum soleat mors sequi, non ex maleficio, quod non probatur causam fuisse, & illius causa non potest esse nisi æquiuoca.

Quæres 25. Quodnam censendum sit damnum notabile ad effectum incurrendi pœnam perpetui carceris?

27 ℞. Id relinquitur arbitrio iudicis, & puto damnum notabile in casu præsenti debere esse quid maius, quam illud furti, de quo opiniones succincte refert Diana *part.* 1. *tract.* 17. *resolut.* 57. ea est ratio, quia agitur de pœna seueriori, quæ est perpetui carceris, ideo eidem præsupponi debet culpa illi proportionata attenta notabilitate damni.

Ad medicum autem spectat iudicium ferre cum nullus alius præter ipsum possit cognoscere causam, ex qua morbus oritur, an ex causa naturali, an sortilega iuxta ea, quæ dixi *sub capite* 19. *numer.* 23.

CAPVT. XXII.

De Abusu Sacramentorum.

SVMMARIVM.

1 *Sacramenta tria imprimunt caracterem.*
2 *Bis conferens Sacramentum non iterabile suspectus est de hæresi.*
3 *Differens baptismum non est suspectus.*
4 *Communis Ecclesiæ vsus baptizandi infantes quamprimum.*
5 *Nolens suum filium baptizari suspectus est.*
6 *Quæ nomina imponuntur baptizatis.*
7 *Celebrans bis eodem die non subditur Inquisitoribus.*
8 *Sed clericus suo Episcopo, & religiosus suo superiori.*
9 *Celebrare fingens grauissimè peccat.*
10 *Tenetur stipem restituere.*
11 *Suspectus est vehementer de heresi.*
12 *Bulla contra non Sacerdotes celebrantes, & absoluentes.*
13 *Subduntur Inquisitori vehementer suspecti de heresi.*
14 *Bulla plectens vsurpantes Sacerdotium in Missa, & Absolutione.*
15 *Incipiens celebrare, & audire sine absolutione punitur extra Bullam.*
16 *Aliis pœnis mitioribus.*
17 *Conatus punitur pœna extraordinaria.*
18 *Conatus est abiectio voluntatis ad actum inchoatorium delicti.*
19 *Sacerdos suspensus celebrans, aut absoluens non subditur Bullis.*
20 *Abusus Sacramenti, & illicitus vsus illius diuersa sunt.*
21 *Quomodo probetur celebratio, & data absolutio per nondum Sacerdotem.*
22 *De testibus singularibus, & contestibus aliquid.*
23 *Inquisitioni nnn expedit articulare vnitatem delictorum.*
24 *Quomodo probetur administratio Pœnitentiæ.*
25 *Sacerdos verus querelatus pro laico dimittitur liber.*
26 *Sacerdotij qualitas probatur per asserentem se Sacerdotem.*
27 *Sacerdos fictus cum falsis literis punitur.*
28 *Confessus qualificatè non punitur pœna ordinaria.*
29 *Neque tantum indiciatus.*
30 *Tortura non probatur Sacerdotium.*
31 *Sacerdotes ficti sunt denuntiandi.*
32 *Conuictus de celebratione torturatur super intentione.*
33 *Excusatur in quatuor casibus à pœna ordinaria.*
34 *Laica potestas tenetur exequi mandatum Inquisitoris.*
35 *Laicus celebrans, vel absoluens est irregularis.*
36 *Rubrica est in gratiam nigri, ab ea valet argumentum.*
37 Si quis *quemlibet comprehendit.*
38 *Absens non potest absolui à peccatis.*
39 *Oppositum docens, vel faciens est excommunicatus.*
40 *Ab ea absoluit prælatus regularis suos.*
41 *Nondum Sacerdos seipsum communicans non est suspectus.*
42 *Hoc tamen non licet laico, & clerico non Diacono.*
43 *Laici arcendi sunt ab exercitiis spiritualibus.*
44 *Laicus absoluens ab excommunicatione non est suspectus.*
45 *Nullatenus autem potest absoluere.*
46 *Celebrans quotidie malus Sacerdos sine confessione suspectus est.*
47 *Sigillum confessionis frangens non subditur Inquisitoribus.*
48 *Religiosus fractor punitur à suo superiore.*
49 *Nolens absoluere pœnitentem nisi reuelet complicem non est suspectus.*
50 *Non confitens, nec communicans in Paschate suspectus.*
51 *De fide tunc communionem obligare.*
52 *Et confessionem.*
53 *Religiosus contrahens matrimonium suspectus est.*
54 *Nullum est Religiosorum, & Clericorum matrimonium.*
55 *Iesuitæ biennij suspecti sunt contrahentes.*
56 *Sponsalia pariter contrahentes suspecti sunt.*
57 *Vxoratus recipiens ordines non est suspectus.*
58 *Poligamia successiua licita.*
59 *Poligamia simultanea illicita.*
60 *Natura aliquid duobus modis repugnat.*
61 *Deus in veteri lege dispensauit in Poligamia.*
61 *Numquam quod vna haberet plures viros.*
63 *Poligamiæ delictum spectat ad Inquisitores tantum.*
64 *Poligamus vehementer suspectus.*
65 *Licet copulam non habuerit cum secunda vxore.*
66 *Palam, siuè clam ducens secundam est suspectus.*

67 *Nullitas*

67 *Nullitas prioris matrimonij ignota iudici subdit Poligamum Inquisitori.*
68 *Idem dic de nullitate secundi.*
69 *Ducens secundam propria auctoritate subditur.*
70 *Ducens vxorem secundam in facie Ecclesiæ subditur.*
71 *Parochus contra Tridentinum coniungens Poligamum subditur.*
72 *Dicta contra Poligamum habent locum contra Poligamam.*
73 *Alter coniugum ignorans Poligamiam excusatur.*
74 *Contrahens sponsalia viuente vxore subditur Inquisitoribus.*
75 *Poligamia quomodo probetur.*
76 *Per librum matrimoniorum.*
77 *Per fidem, seu librum Baptismi.*
78 *Vnicus testis de Poligamia reiicitur à reo per torturam.*
79 *Pœnæ contra Poligamos.*
80 *Testes falsi in Poligamia subduntur Inquisitioni.*
81 *Quid agendum quando testis negat suam depositionem.*

OBseruandum autem est, quod Abusus est malus vsus, seu malus modus vtendi re aliqua Glos. 11. Abutentes c. Nonnulli 28. de Rescript. quod contingere potest duobus modis. *Primo* adhibendo rem non ad eum finem, ad quem fuit instituta, sed ad alium, vt si quis vtatur Hostia consecrata ad maleficandum, is enim finis est extraneus, & alius à fine institutionis Sacramenti Eucharistiæ, cuius sumptio ordinatur ad refectionem animæ, non ad maleficium. Secundo adhibendo rem ad proprium suum finem, sed modo illicito, hoc modo sacerdos celebrando in peccato mortali abutetur consecratione, & sumptione, habens vxorem abutitur matrimonio ducendo secundam, viuente prima, & fit poligamus, licet enim matrimonium contrahendo eo fine, vt generet, vel vt compescat vitium libidinis, non vtatur matrimonio nisi ad eum finem, ad quem fuit institutum, ac proinde eodem non abutatur primo modo, abutitur tamen posteriori modo, quia vtetur modo, illicito, & prohibito.

Abusus Sacramentorum non solum contingit quando quis vtitur ad alium finem, ad quem non sunt instituta, in quo sensu peruersi homines sortilegi, & superstitiosi illa adhibent in suis superstitionibus, de qua re actum est in præcedentibus capitibus, verum etiam, cum quis in conficiendis, & illis administrandis peccat, quod fit multis modis, vel ex parte ministri, vel ex parte subiecti, vel ex parte ipsius Sacramenti. Hic in vniuersum non est agendum de omnibus defectibus contingentibus in illorum confectione, & administratione, sed de illis tantum, qui aliqua ratione spectant ad sanctum Inquisitionis officium iuxta institutum nostrum.

1 Quæres 1. An iteratio Sacramenti non imprimentis caracterem reddat suspectum de hæresi tam conferentem, quam recipientem illud? Pro resolutione duo notantur, primum est in Tridentino *Sess. 6. can. 9.* de Sacramentis, definiri de fide credendum tria tantum esse Sacramenta imprimentia caracterem, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, & illud esse signum quoddam spirituale, & indelebile de anima, in qua imprimitur, vnde ea iterari non possunt ex hoc igitur, quod carecterem imprimunt, reiterari non possunt, aliter multiplicaretur sine necessitate caracter, quod absurdum est, cum primus efficere valeat quidquid per ipsum præstandum est, reddit enim hominem illum recipientem aptum, & dignum ad spiritualia. Secundum est, quando dubitatur an prædicta Sacramenta, sint ne collata, in eo casu administranda sunt sub conditione, vt susceptor illorum remaneat securus de illorum valore, & fructu, non ideo tamen dicuntur reiterari, sed primo conferri, si alias legitimè collata non fuerunt administrata cum illa cautela conditionis, quæ importat hunc sensum, e. g. Si non es baptizatus; ego te baptizo, &c. Si verò es baptizatus, ego te non baptizo, ac proindè hic cadere non potest vera reiteratio Sacramenti, ratio deducitur ex illo communi axiomate: Conditio nihil ponit in esse *Arist. 1. Perhier. cap. 1. l. Si quis sub conditione ff. si quis omissa causa. testam.* Quare reiteratio illorum Sacramentorum tunc prohibetur, quando constat, illa primò collata valida fuisse, aliter reiterari possunt, vt exeant in actum validum, prout opus est, neque propriè hæc est Sacramentorum reiteratio, sed tantum reiteratio illius actionis, quæ verum effectum sibi correspondentem non habuit, ex qua demum sequitur verus, & realis effectus, hoc est Sacramentum relinquens in anima caracterem impressum.

℞. Qui bis eamdem personam baptizat scienter, 2
quam scilicet scit esse baptizatam est suspectus vehementer de hæresi, sicut ille, qui consentit sibi iterum Sacramentũ non iterabile conferri. Idem dic de aliis duobus Sacramentis Confirmatione, & ordine. Probatur quia, per huiusmodi iterationem tam conferens, quam suscipiens præsumitur tenere, & credere huiusmodi Sacramenta pluries conferri, & recipi posse, sicut alia, quæ caracterem non imprimunt. Confirmatur, quia huiusmodi factum expressè protestatur & indicat hæresim. Ita de rebaptizante docuit Glosa *ver. Saperent cap. Accusatus §. Sanè, de hæret. in 6.* Lucerna *ver. Sacram. abusi.* Intellige quouis fine contingat dictorum Sacramentorum reiteratio, siuè ad recuperandum sanitatem ex *c. 2. de Apost.* siuè ad delenda peccata, siue ad quemuis actum superstitiosum, aut simpliciter, nullo enim modo reiteranda sunt.

Quæres 2. An differens baptizare suos filios sit suspectus de hæresi?

℞. Non est suspectus, probatur, quia nullum 3
extat diuinum præceptum baptizandi paruulos ante vsum rationis vnde *Gregor. Nazian. in serm. de Bapt.* exhortatur, baptismum infantium differri in triennium, vt per se ipsos aliqua ratione correspondere possint tam magno Sacramento, & Tertull. *in lib. de Baptismo*, censet, melius esse illud differre ad annos discretionis, quia tunc puer se disponere
potest ad illud dignè recipiendum. Communis ta- 4
men Ecclesiæ consuetudo est, vt filij infantes quamprimum baptizentur, vnde Scotus in *4. dist. 5. q. Vn. art. 3. in princ. §. Vnde*, diu differre hoc e. g. vltra duodecimum diem asserit esse peccatum mortale. In multis synodis præcipitur, vt Baptismum conferatur infantibus infra octo dies, neneque diutius differatur, & ità statuitur in Synodo Parmensi Pompeiana *cap. 26.* Huius causa est, ne dilatione huius Sacramenti puer incurrat periculum æternæ damnationis ob mortem, in quam facilè infantes incurrere possunt; hinc est, quod peccant mortaliter parentes negligentes baptismum horum filiorum, quibus illud quamprimum procurare debent, tum ex præcepto charitatis, quo tenentur subuenire suis filiis; tum ex præcepto pietatis, quo parentes filiorum salutem procurare debent; ad quod facit illud Eccli *cap. 5. numer. 8. Non tardes conuerti ad Dominum.* Conuersio autem maximè

maximè attenditur in Baptismo, per quod regeneramur in Christo, eadem enim lege, qua parentes seipsos ad Deum conuertere debent, tenentur filiorum procurare conuersionem per Ecclesiastica Sacramenta. Nec dicas, diu differentes baptismum filiis suis, approbare errorem nonnullorum hæreticorum, cum Anabaptistis asserentium infantes non esse capaces Baptismi, contra quos D. Bernard. *serm.* 66. *in Cantica, & epistol.* 240. pariter confirmare aliorum hæresim cum Pelagianis asserentium Baptismum infantibus non esse necessarium ad salutem, contra quos est D. Augustin. *lib. de hæresi, cap.* 88. Quia gratis id asseritur, siquidem aliud est differre baptismum, quod indicat negligentiam magnam circa curam spiritualem filiorum, aliud asserere baptismi non esse capaces infantes, aut ad illorum salutem non esse necessarium, vtrumque enim asserere hæreticum est, vt colligitur ex *sess.* 5. *can.* 4. *sess.* 7. *can.* 5. 12. 13. & 14. de Baptismo; neque ideo ex eius dilatione infertur incapacitas, aut non necessitas, cum differens baptismum illud simpliciter non neget, nec intendat negare filiis suis vti illius incapacibus, aut illis necessarium esse, sed expectare quamdam commoditatem, aut opportunam occasionem solemnizandi Baptismum. Confirmantur prædicta, quia in Paschate non confitens, nec communicans, quod est maior dilatio vltra terminum præfixum, seu simpliciter omissio nullatenus de hæresi est suspectus, nec contra hos Inquisitor procedit vt notum est, ergo neque in casu præsenti, in quo Sacramentum non omittitur, sed tantum differtur.

Quæres 3. An absolutè nolens filium baptizari sit de hæresi suspectus?

5 ℟. Est vehementer, quia per hanc negatiuam voluntatem protestatur, & indicat, baptismum non esse necessarium ad salutem hominis cuiuslibet etiam infantis, contra definitionem Ecclesiæ in Trident. *sess.* 5. *can.* 4. anathematizantis negantes paruulos esse baptizandos, & *sess.* 7. *can.* 5. vbi definitur Baptismum esse necessarium ad salutem. Idem dic de receptione aliorum Sacramentorum, præter ordinem, & matrimonium.

Quæres 4. An imponens filiis suis nomina Iudæorum, Gentilium, aut Hæreticorum sit suspectus de hæresi?

6 ℟. Imponens suis filiis nomina Iudæorum, Gentilium, aut Hæreticorum, quæ etiam apud fideles sunt in vsu, & communia, non est suspectus, nam similia nomina habent plures sancti in martyrologio, vt patet de omnibus Hebræorum, Zacharias, Elisabeth, Salomon, Dauid, &c. Gentilium. Valerianus, Otho, Aristarchus, Aristobulus, &c. Hæreticorum, Acatius, Iouinianus, &c. Huiusmodi nomina communia sunt viris, & hæreticis, ideo in honorem sanctorum imponi possunt filiis sine vllo errore. Si quis verò vocaret suos filios cognominibus hæreticorum, Caluini, Luteri, &c. sine dubio se redderet vehementer suspectum de hæresi, quia per hoc præsumeretur approbare sectam illorum, & velle suos filios imitari & sequi illorum peruersa dogmata. Confirmatur id, quia, vt inquit Catechismus de Baptis. *sect.* 75. nomen baptizato imponendum desumendum est ab aliquo, qui propter excellentem animi pietatem, & religionem in numerum Sanctorum relatus est, ita enim facilè fiet, vt quiuis nominis similitudine ad sanctitatis, & virtutis imitationem excitetur, ac præterea quem imitari studeat, eum quoque precetur, & speret sibi aduocatum tum ad salutem animæ, tum corporis defendendam venturum esse, ita qui illud desumunt ab hæreticis præsumuntur velle, vt eorum filij, quibus talia nomina imposuerunt, imitentur facta hæreticorum, quasi illorum dogmata, & errores contineant veritatem ad salutem. Quare isti diligenter interrogandi sunt, quo fine suis filiis similia hæreticorum cognomina imponunt, & seuerè puniendi iuxta grauitatem præsumptionis.

Quæres 5. An qui bis eodem die celebrauit præter diem Natalis Domini sit suspectus de hæresi? 7

Resp. Negatiuè, & si enim Summi Pontifices prohibuerunt pluralitatem missarum celebrandarum eodem die ab vno Sacerdote, *cap. Sufficiat.* 52. *d.* 1. *de consecr. cap. Consuluisti* 3. *cap. Te referente* 12. *de celebrat. miss.* nihilominus hinc nullum desumi potest argumentum suspicionis hæresis contra illum, qui pluries celebraret etiam sine causa, sed tantum voluntariè, aut ex inopia, seu etiam ex auaritia, vel simonia, quia isti fines quamuis illiciti non arguunt suspicionem hæresis, siquidem simoniaci, neque auari subduntur Inquisitoribus. Demum si pluralitas celebrationis argueret suspicionem hæresis, non liceret aliquando celebrare, ne incurreretur hæc suspicio, nihilominus Summistæ omnes referunt plures casus, in quibus licitum est pluries celebrare, vide illos apud Angelum *verb. Missa, Palud. in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. Anton. *part.* 3. *tit.* 13. *c.* 6. §. 5. Durand. *in ration. diuin. offic. lib.* 4. *cap.* 1. referentem Papam Leonem eodem die aliquando septies, interdum nouies celebrasse Missam. Nostris temporibus in vsu non est, quod idem Sacerdos bis eodem die celebret, posito quouis casu, aliter punitur tamquam transgressor iuris Ecclesiastici. Ita Sotus in 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. Bizozerus *de Euchar. cap.* 10. *q.* 13. Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. q. fin. p.* 7. *fine,* vnde Barb. *sess.* 22. *c.* 8. *num.* 31. dicit, fuisse decisum, quod missas duas festis diebus potest parochus ob defectum Sacerdotum ex concessione Episcopi celebrare.

Quæres 6. A quo sit puniendus ille Sacerdos, qui eodem die bis celebrauit?

Resp. Secularis ab Episcopo, regularis à suo prælato, quia vnusquisque delinquens punitur à suo superiore, & iudice; in casu autem præsenti iudex religiosi bis eodem die celebrantis est proprius superior regularis. Confirmatur, quia nullo iure exprimitur religiosum quo ad hoc delictum subijci Episcopo, quod suadetur ex duobus locis Tridentini, primus accipitur ex *sess.* 22. *in Decreto de Obseruand. & euitand. in celebr. miss.* vbi Episcopus pro data sibi potestate à S. Synodo, ac etiam vt delegatus Sedis Apostolicæ prohibere, mandare, corrigere, statuere, atque ad ea inuiolabiliter obseruanda censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis, quæ enumerata sunt in dicto decreto, transgressores compellere potest; sed in dicto decreto nulla fit mentio de hoc excessu, ergo Religiosi transgressores huius non subduntur Episcopis. Secundus, accipiatur ex *cap.* 14. *sess.* 25. vbi delinquentes Religiosi extra claustra cum scandalo populi, adhuc puniuntur à suis superioribus, & non ab Episcopo, nisi in casu negligentiæ, & omissæ punitionis, ergo idem dicendum est in præsenti casu. 8

Solent autem puniri in duobus, nam mittuntur ad triremes per triennium, & à celebratione missarum suspenduntur. Ita praxis Neapolit. 64. vbi in Annotatione excusantur à tam rigorosa pœna triremium, quando vltra casus expressos per doctores, celebrarent adducta aliqua causa honesta, & paupertate Sacerdotis peregrinantis &c. Causæ huiusmodi apud Religiosum non possunt habere locum, quia vbique domum habet, viuere debet ex mendicitate.

Quæres 7. An Sacerdos, qui pluries finxit se celebrare, sed reuera non consecrauit defectu aliquando intentionis, aliquando omissione formæ consecra- 9

tionis, sit de hæresi suspectus? Certum est, hunc Sacerdotem peccare mortaliter, quia missæ sacrificio, quod ritè celebrandum est, & non simulatè, maximam infert iniuriam, & in causa est, qua populus circumstans idololatriam materialiter committit adorando Hostiam & Calicem, sub quarum speciebus reuera

10 Christus non est Sacramentaliter. Præterea talis Sacerdos immemor suæ salutis tenetur ad restitutionem illius elemosinæ, quæ respondet missis reuera non dictis nisi simulatè, similes enim missæ sine consecratione dictæ nullius sunt momenti, nullius valoris, sed abominationes apud Deum, cum sint sacrilegia, non sacrificia. Accidere autem potest huiusmodi simulata celebratio per Sacerdotem duobus modis, primò, nullatenus consecrando defectu formæ vel intentionis, vt proponitur in quæstione; & si id fiat à Sacerdote existente in mortali peccato, putando se minus peccare omittendo consecrationem, quam consecrando indignè, tamen magis peccat omissione consecrationis, cum in nullo casu liceat simulare celebrationem, & Sacerdos voluntariè detineatur à peccato mortali, cum possit suum peccatum contritione, aut Sacramentali absolutione delere; neque enim facienda sunt mala, vt inde eueniant bona, immò in casu hoc ex simulata celebratione nullum prouenit bonum, sed maius malum, cum appareant hic duæ simulationes, vna ratione consecrationis, altera ratione sumptionis simulatarum, & fictarum? posita autem vera consecratione, & consequenter sumptione vnicum est peccatum mortale, & minus, quam illud. Secundo modo, quando supponit hostiæ, quam non intendit consecrare, hostiam consecratam, & super hanc consecratam profert verba, eam ostendit populo, & sumit de more. Vide *cap. De homine 7. de celeb. miss.*

12 ℟. Siuè simulet consecrare, & reuera non consecret defectu formæ, aut intentionis? siuè suppositam iam consecratam de nouo Sacerdos consecret? siuè sub vna tantum specie consecret, vehementer de hæresi suspectus esse videtur. Probatur, Tum quia, sic fictè celebrando præsumitur malè sentire de Santissimo Eucharistiæ sacrificio, & Sacramento, nam hoc Sacramento abutitur, quod regulariter arguit vehementem suspicionem hæresis. Tum quia, non operatur iuxta definitionem Catholicæ Ecclesiæ, quæ in confectione Sacramentorum requirit intentionem ministri, *ex can.* 10. *sess.* 7. & illa non conficit, nisi accedat verbum ad elementum iuxta illud D. Augustini, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, Concil. Florent. *de Sacram.* Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. vbi sine consecrationis verbis non fit sacrificium, neque Sacramentum, & hæc de fide sunt credenda, ac proinde secundum fidem exercenda, ideo enim fides nuncupatur, quia fit, quod dicitur, & creditur, ergo non faciens secundum præscriptum fidei, præsumitur contrariare fidei, & conniuere hæreticis, qui intentionem ministri dicunt non esse necessariam ad confectionem Sacramentorum? & Eucharistiæ nullam esse verborum formam, quos reiicit Becan. *c.* 21. *de Sacram. q.* 1. Tum quia, de hæresi est suspectus nondum Sacerdos celebrant vt patebit sequenti quæstione, ergo & simulatè celebrans Sacerdos, siquidem in hoc casu Sacerdos in hac operatione non differt à non Sacerdote, cum vterque non conficiat venerabile Sacramentum, sed tantum fingat illud celebrare, nec obstat, quod Sacerdos possit, non Sacerdos verò nequaquam valeat consecrare, quia comparatio fit respectu actus simulati, & non potestatis Tum quia, ratio simulandi celebrationem propter peccatum mortale, quo Sacerdos se indignum reddit ad consecrandum, non prodest quidquam fictè celebrandi, cum hæc sit excusatio in peccatis, & grauius peccatum sit fictè celebrare existenti in peccato mortali, quam reuera celebrare, non enim prosunt falsa remedia, quæ veris periculis sunt grauiora, vt dicit Innoc. III. *in cap. De homine 7. de celebr. miss.* Tum quia, sic celebrans idolatra ipse est quo ad actum externum, & alios idololatrare facit extrinsecè. Quare qui fictè celebrat siue voluntariè, siuè quia habet conscientiam peccati mortalis grauissimè peccat, & se vehementer de hæresi, suspectum reddit. Demum videtur grauissimè peccare qui Hostiam iam consecratam de nouo consecrat abutendo illa cum graue sit Sacrilegium formam consecrationis applicare materiæ ineptæ ad consecrationem, cuiusmodi est hostia iam consecrata, quæ non est apta materia ad consecrationem cum sub illis speciebus Sacramentalibus non amplius sit substantia panis, in quam transsubstantiatum fuit corpus Christi, De primo casu agit, Oldrad. *consil.* 208. ex eo in terminis Lucerna Inquis. *verb. Sacerdos celebrans.* De secundo Bariola, *verb. Sacerdos*, vtrumque citat Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 12. in fine Carena *par.* 2. *tit.* 17. §. 4. Ita simulatè celebrans perpetuo suspendendus est à celebratione, & si plures celebrauit condemnandus est ad triremes biennio, aut plus iuxta grauitatem delicti. Ita etiam docet ex nostris Ioannes Albertinus in suo Manuali Qualificatorum *cap.* 24. *vbi num.* 4. *ex Albertino* dicit illum esse de hæresi vehementer suspectum, qui laicus infirmus sumit hostiam non consecratã, nisi eam sumat ex magna reuerentia, sed rationem non adducit, & pro vtraque parte *Farinacius refert Doctores sub quæst.* 178. *n.* 49. Ego crederem hunc hæresis suspectum vehementer, quia non discernit inter panem materialem, & spiritualem putans vtrumque eundem effectum refectionis animæ producere, non enim excogitabilis est alius finis nisi iste, propter quem sumit eam Hostiam ac hunc panem materialem. Nec exusatio, quod eam mandacauit, ne aliis scandalum faceret, quia vt infirmus aliis non faciat scandalum, sufficit, vt ex parte sua petat verum Sacramentum, si non datur ei, euacuauit sufficienter Scandalum, quia non potest sibi sacramentum ministrare, quod à sacerdote recipere debet. Adde, quod laicus sibi ministrando. Hostiam quæcumque ea sit, videtur per hunc actum approbare errorem hæreticorum, qui volunt quamlibet personam esse ministram huius, & aliorum sacramentorum.

Quæres 8. An non Sacerdos, qui celebrare attentauit, vel absoluere subiiciatur Inquisitioni, & de hæresi sit vehementer suspectus?

℟. Subditur huic sancto tribunali vti ne hæresi 12
vehementer suspectus ille non Sacerdos, qui etiam semel celebrauit vel absoluit Sacramentaliter. Colligitur id ex Bulla Gregorij XIII. incip. *Officij nostri.* sequentibus verbis.

Ad aures nostras siquidem nuper peruenit, multos esse, qui dubitent, an contra eos, qui in sacro Præsbiteratus ordine non constituti, Missas celebrare, Confessiones audire, ac absolutionem impertiri, ac si fuerint, per officium Sanctissimæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis in Hispaniarum Regnis institutũ, & illius Inquisitores procedendum, vel etiam animaduertendum sit, ac hi, qui talia patrauerint, per Inquisitores prædictos puniri debeant. Nam & si multorum sententia affirmetur, prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temere audent proferre, etiam seculares eorum Sacramentorum ministros esse posse, non desunt tamen hi, qui contrariæ adhærent opinioni. Vnde plerumque per eorumdem

Regnorum,

Regnorum Inquisitores diversa feruntur in huiusmodi causis suffragia.

Nos itaque vt omnibus difficultas, dubitatioque tollatur, animaduertentes, eos, qui Præsbiteratus non sunt insigniti, & se in administrandis dictis Sacramentis ingerunt facto Catholicam veritatem impugnare, quo solos Præsbiteros ministros eorumdem Sacramentorum constituendo, illis duntaxat, quibus eadem munera congruere existimauit, committi voluit, eorum, qui in Præsbiteratus ordine non constituti missas celebrant, ac confessiones audiunt, vt præfertur, cognitionem, & punitionem etiam ad Inquisitoris officium, & Inquisitores antedictos pertinere, & quod huiusmodi delicti ratione aduersus eos inquirere, procedere, & culpabiles repertos punire officium, & Inquisitores prædicti valeant Apostolica auctoritate præsentium tenore perpetuo declaramus, & definimus. Et ita ab omnibus, & singulis ordinariis, & delegatis iudicibus, sublata eis, & eorum cuilibet quauis alia iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus &c.

Patet ex his non Sacerdotem, qui celebrauit, subdi officio sanctæ Inquisitionis; & hunc esse vehementer suspectum de hæresi probatur, Tum ex dictis *sub q.* 7. nam non Sacerdos, & Sacerdos fictè celebrans in hoc æquiparantur, cum vterque actū idololatriæ committat & faciat committere aliis saltem materialiter. Tum ex dicta Bulla ibi: *Nam & si multorum sententia affirmetur prædictum delictum ab Inquisitoribus plectendum esse, hisce præsertim temporibus, quibus hæretici temere audent proferre, etiam seculares eo Sacramentorum ministros esse posse.* Ex hoc motiuo, quo nonnulli Inquisitores procedebant contra huiusmodi laicos celebrantes, Papa concludit hunc esse casum Inquisitionis, cum autem ita celebrantes, & non sint Sacerdotes, videantur approbare errorem hæreticorum impie, & falso asserentium, laicos posse esse Sacramentorum prædictorum ministros, censendi sunt vtique vehementer suspecti de hæresi, nam facto suo videntur confirmare, quod hæretici ore proferunt. Tum quia, abutentes Sacramentis regulariter sunt vehementer suspecti de hæresi, ratione illius abusus, vnde sortilegium ex abusu Sacramentorum dicitur hæreticale, & hæresim manifestam continens ex citatis à Farinac. *q.* 181. *n.* 19. & dixi *c.* 18. *q.* 9 sed non Sacerdos attentando celebrare vtique abutitur Sacramento, vt notum est, ergo vehementer est suspectus de hæresi. Tum quia, Scotus *in Relect. de hæresi*, dicit illum esse de hæresi suspectum, qui facit opera mala ab hæreticis laudata, & approbata; sed non Sacerdos celebrans facit opus malum approbatum ab Hæreticis, qui tenent etiam non Sacerdotes, & laicos esse ministros Sacramentorum omnium, quod omnino falsum est, & hæreticum contra definitionem Ecclesiæ, quæ definiuit illum esse hæreticum excommunicatum, qui dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem *sess.* 7. *can.* 10. soli ergo Sacerdotes horum duorum Sacramentorum, & Pœnitentiæ sunt ministri, De Eucharistia *sess.* 22. *can.* 2. de Pœnitentia *sess.* 14. *cap.* 8. & *can.* 10. Ita docet Carena *part.* 2. *tit.* 11. *num.* 3. In Regnis Hispaniarum isti sunt tantum leuiter suspecti, secundum Sousam *l.* 1. *c.* 32. *n.* 14. Palaus *par.* 1. *tr.* 4. *disp.* 8. *puncto* 16. §. 9. *n.* 2.

Quæres 9. Qua pœna puniendi sint celebrantes, aut Pœnitentiam administrantes, cum non sint Sacerdotes?

14 ℟. Degradantur suis ordinibus, si quos habent, & traduntur curiæ seculari condignis pœnis plectendi, vt exprimitur in Bulla Clem. VIII. incip. *Et si alias.* Quod antea decreuerat Paulus IV. & innouauerat Sixtus IV. super quod nonnulli prætendentes ignorantiam, & illis non esse obnoxij prouidit præfatus Clemens VIII. prout scribitur hic.

Non igitur animaduertentes, huiusmodi perditos, & nefarios homines ad sacrum Præsbiteratus ordinem non promotos missarum celebrationem vsurpare præsumentes, non solum actus idololatriæ, saltem extrinsecè, seu per externa, & visibilia religionis, & pietatis signa exercere, sed etiam quantum in ipsis est, efficere, vt Christi fideles, qui credunt, eos ordinatos esse, & rite conficere Sacramentum Eucharistiæ, idololatriæ crimen ignoranter incurrunt, purum videlicet panem, & vinum tamquam verum Christi Domini nostri Corpus, & sanguinem eisdem adorandum proponentes. Confessiones audientes, non solum Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere, verum etiam Christi fideles decipere, dum scilicet inique sibi assumunt gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absoluendi à peccatis, magno cum periculo, & scandalo plurimorum.

Propterea, vt grauissima hæc scelera committentes posthac debito supplicio puniantur. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine S. Inquisitionis iudicium conscientiæ consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, prouidere volentes, supradictorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hac perpetuo valitura constitutione decernimus, atque statuimus, vt quicumque non promotus ad sacrum Præsbiteratus ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpasse, vel Sacramentalem confessionem audiuisse, à iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tamquam Ecclesiæ misericordia indignus à foro Ecclesiastico obiiciatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus, statim curiæ seculari tradatur, per iudices seculares debitis pœnis plectendus. Non obstantibus, &c.

Quæres 10. An ille, qui audiuit confessionem, sed non absoluit, & qui incepit Missam, sed non consecrauit, tradendus sit curiæ seculari iuxta prædictam Bullam?

℟. Non perficiens illa duo Sacramenta incœpta licet subdatur Inquisitioni, non tamen videtur tradendus curiæ seculari. 15

Primum suadetur. Tum quia, audiens confessionem sine absolutione, & celebrans partem Missæ ante consecrationem abutitur his duobus Sacramentis, siquidem initium Missæ, vti confessio, introitus, oratio, Epistola &c. sunt partes integrales Missæ licet non essentiales & tales spectantur, licet fictus Sacerdos cesset à prosequutione Missæ, neque enim pars alicuius futuri totius desinit esse pars illius, si agens illud in esse perfectum non deducat. Sacramentum pariter Pœnitentiæ constat ex actibus pœnitentis, & verbis absolutionis, ex quibus tamquam ex materia, & forma essentialibus totum perficitur Sacramentum, de fide definitum in Conciliis Florent. & Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. & *can.* 4. & 9. inter actus autem pœnitentis numeratur confessio Sacramentalis, quæ talis etiam secundum se spectata, cum adhuc sit pars materialis Sacramenti, adeo quod sacerdos pœnitentem non absoluens defectu potestatis, aut dispositionis pœnitentis, tenetur sub sigillo Sacramentali occultare peccata audita in confessione, ita omnes cum Bonac. *p.* 2. *de sigillo num.* 6. immò & fictus Sacerdos vt in casu nostro, de communi idem Bonac. *numer.* 2. §. *Verum*? huiusmodi autem obligatio oritur præcise ex parte confessionis, ergo dicendum

 est

est confessionem sine absolutione esse partem Sacramentalem pœnitentiæ, ac proinde non Sacerdotem audientem alterius peccata more confessarij abuti Sacramento Pœnitentiæ ex parte materiæ peccatorum per pœnitentem in confessione expressorum, intendit, enim pœnitens confiteri Sacramentaliter sua peccata, ergo cum fictus Sacerdos abutatur Sacramento subditur officio sanctæ Inquisitionis. Tum quia, delictum spectatum secundum magis, & minus, seu secundum perfectum & imperfectum sicut non dicitur variare speciem, ita neque iudicem, quare sub eodem iudice erit vtrumque delictum.

Prædictis obstant Rodr. *t. 2. q. 28. art. 2.* Rodericus à Cugna *de confess. solicit. q. 13.* apud Sanctar. quem pro se citat *cap. 42. dub. vn. num. 5.* quos pro se citat Carena *part. 2. tit. 11. §. 3.* Diana *par. 4. tract. 7. resolut. 11. §. Sed difficultas*, dum enim quærunt, an Bullæ Pontificiæ Gregorij XIII. & Clem. VIII. habeant locum in audientibus & non absoluentibus, respondent præsertim Rodriq. & Carena, quos vidi, dictis Bullis non subiici fictos sacerdotes tantum confessionem audientes, & non absoluentes; *& probant primo*, quia in Bulla Gregorij ita scribitur. *Confessiones audire, ac absolutionem impartiri.* particula *ac* copulatiua est, & ponitur pro *&*, Barbosa *dict. 3.* Dico primo, illa clausula non est in parte dispositiua, ideo non attenditur in rigore, licet enim narratiua influat in dispositiuam, quia legislator mouetur ad disponendum, siquidem putat verum esse quod narratur, per eam tamen legem non condit. Secundò, narratur ibi, quod solet accidere, isti enim ficti Sacerdotes ne seipsos manifestent, cœptum sacrificium, & Sacramentum perficiunt. Tertiò, si spectetur ea clausula comparatiuè ad aliam, quæ ponitur in dispositiua, apparet vtrumque casum tam audiendi confessiones, & absoluendi, quam audiendi tantum confessiones comprehendi sub dictis Bullis, dum enim in dispositiua dicitur: *Confessiones audiunt*, non excluditur absolutio, neque per inclusionem vtriusque in priori clausula excluditur alterum tantum, cum possit contingere vnum sine altero. *Probant secundò*, quia si audit confessiones non conferendo absolutionem, nullum efficit Sacramentum sic facto non impugnat Catholicam veritatem, ille enim facto eam impugnat, qui cum non sit Sacerdos se ingerit in administrandis Sacramentis. Nego per solam confessionem nihil Sacramentis effici, siquidem illa confessio dicitur Sacramentalis cum sit pars constitutiua Sacramenti ex supra probatis, & non minus pars est, quam absolutio data super nullam materiam peccatorum, & sic facto impugnat Catholicam veritatem ille laicus, qui audit confessionem alicuius pœnitentis, quia communicat cum hæreticis, qui volunt laicum esse ministrum huius Sacramenti non tantum ratione absolutionis, quam confessionis. *Probant tertiò*, quia audiens solam confessionem & non absoluens, caret intentione conficiendi Sacramentum, nam sine intentione nullum conficitur Sacramentum ex supradictis, ergo defectu absolutionis laicus non redditur suspectus de hæresi Lutherana. Respondetur, ex sola confessione non sequitur confessarium siue fictum, siue verum carere intentione conficiendi Sacramentum, quia loquendo de vero confessario patet hunc semper habere intentionem absoluendi, quod si postea non absoluat aliunde procedit, vel defectu iurisdictionis respectu reseruatorum, vel defectu dispositionis in pœnitente. Si sermo sit de ficto præsumitur facere, quod faciunt veri confessarij, ac proinde habere intentionem conficiendi Sacramentum, quamuis postea non absoluant. *Probant quartò* quia ad abusum Sacramenti necesse est, quod concurrant omnia, quæ præstaret verus confessarius, ac proindè requiritur absolutio, aliter non est abusus huius Sacramenti. Dico sufficere alteram partem Sacramenti, quæ ratione sui pars Sacramentalis est, consequenter abusus Sacramenti locum habet.

Idem dicendum est de incipiente Missam, quamuis non proueniat ad consecrationem, nam iste se exhibet ministrum sacrificij ac si esset Sacerdos, cum more Sacerdotum vestibus Sacerdotalibus accedat ad altare, & Missam incipiat, subditur ergo officio sanctæ Inquisitionis, licet Missam non perficiat. Ita omnes supracitati, quibus adde Sousam *lib. 1. cap. 32. qui num. 5.* dicit, indutum vestibus Sacerdotalibus, qui missam non incœpit non subdi, sicut ille, qui incipit *numer. 6.* Ego dico paratum vestibus sacris posse corrigi ab inquisitoribus, quia qui habet potestatem super delictum consumatum, etiam super attentatum, sicut habet super incœptum.

Secundum, quod fictus Sacerdos non absoluens, 16
& Missam non perficiens, seu non consecrans in Missa cœpta non sit rigorosè puniendus traditione curiæ seculari probatur. Tum quia, tradere curiæ seculari est pœna grauissima, cum id sit tradere morti in consequentiam, cui debet correspondere delictum grauissimum, quia debet esse proportio inter pœnam, & delictum, iuxta illud Deuter. *cap. 25.* Pro mensura delicti erit & plagarum modus; & pœna debet commensurari delicto, *l. Paulus respondit ff. ad Trebell. l. Rescriptum ff. de his, quibus vt in deb.* neque enim pœna protrahenda est, quam fuerit delictum in delinquente repertum, *cap. Quæsiuit 2. de iis, quæ fiunt à maior. parte*; sed Sacerdos fictus non probatur perfecisse delictum, cum tantum illum inchoauerit, ergo puniendus non est eadem pœna qua plectitur ille, qui delictum inchoatum compleuit, & perfecit. Tum 17
quia, conatus etiam quo ad actum proximum, effectu non sequuto, non punitur pœna ordinaria, sed mitiori, & extraordinaria, licet virtute eiusdem legis, vt testantur omnes cum Afflicto in constit. Regni *part. 1. Rubr. 11. num. 2. §. Asperitatem, Grammat. decis. 2. num. 8. Clarus in practica q. 92. num. 2.* Farinac. *in pract. crimin. q. 17. n. 49.* quos pro se in casu Sodomiæ non consumatæ citat Quarant. Addition. *ver.* 18
Sodomia, Nauar. *tom. 3. in cap. Si quis non dicam*, conatus autem propriè acceptus non est sola voluntas malefaciendi, sed eadem voluntas aliquo actu exteriori comitata, vt in casu nostro auditio confessionis, inchoatio Missæ pro quibus delictis imperfectis imponenda solum est suspensio, seu depositio ab exercitio horum Sacramentorum in perpetuum cum pœna triremium ad quinquennium, plus, aut minus, iuxta qualitatem delicti probati.

Quæres 11. An Sacerdos carens iurisdictione audiendi sacras confessiones, seu suspensus, depositus, aut degradatus ministrando Sacramentum pœnitentiæ, aut celebrando Missam sit de hæresi suspectus, & subdatur prædictis Bullis?

℞. Negatiuè, quia quo ad suspicionem nullum 19
est motiuum præsumendi hæresim, quia non obstante carentia iurisdictionis, aut alia ex dictis pœnis, mulctatus adhuc manet Sacerdos cum potestate celebrandi, & confessiones audiendi quo ad potestatem ordinis licet impeditam, ex quo celebrans illicitè, sed valdè conficit Sacramentum Eucharistiæ, non verò pœnitentiæ defectu iurisdictionis. Nec obstat, quod celebrans, aut absoluens, cum non possit abutatur Sacramentis, quia non omnis abusus arguit suspicionem hæresis, sed ille tantum, qui habet fundamentum in hæresi, & non in solo vsu illicito, vndè potius illicitus vsus, quam abusus in hac materia, dicendus est. Demum clarum est in dictis Bullis sermonem non esse de veris Sacerdotibus

quomodocumque illicito Sacramenta tractantibus, sed de fictis & non insignitis Sacerdotali ordine. Ita Rodr. *tom.* 1.*q.*18. *art.* 2. in fine, quem sequuntur à Cugna, Sanctar. & alij citati à Carena *part.* 2.*tit.* 11. *num.* 15.

Quæres 12. Quomodo probetur celebratio Missæ, aut administratio Pœnitentiæ laici fingentis se Sacerdotem? Notum autem est apud omnes, debere constare de corpore delicti, aliter contra reum iudex venire non potest, vt docet Farin. *de Inquisit. quæst.* 2. Qui Missam laici Sacerdotem se fingentis audierunt spectari possunt tripliciter, primò, in eo, quod plures simul totam Missam audierunt. Secundò, quod illi totam Missam non audierunt, sed vnus interfuit in principio Missæ, alius venit cum diceret Epistolam, alius audiuit Credo, alius à consecratione &c. omnes in eo conueniunt, quod eamdem numero Missam audierunt partialiter. Tertio, vnus audiuit hodie Missam, alter sequenti die aliam Missam. Iuxta primum modum nulla est difficultas, quia delictum est plene probatum per tres testes qui sunt contestes simpliciter, & vndequaque, quia concordant in delicto eodem secundum numerum, tempus, & locum, vt suppono. Remanet difficultas respectu aliorum duorum modorum, an per illos sufficienter delictum celebrationis probatum sit in ordine ad pœnam tam ordinariam, quam extraordinariam. Esse delictum plene probatum secundo modo quo ad vtramque pœnam, & tertio modo ad extraordinariam tantum docet Carena *part.* 2. *tit.* 11. §. 4.*n.*19. ex doctrina ibi ab illo allata ex Abbate.

21 ℞. Secundo, & tertio modo, delictum hoc plenè censetur probatum quo ad vtramque pœnam. Probatur, quia, secundo modo, testes non sunt singulares, sed contestes, vsquequaque nimirum in substantia facti, tempore, & loco, quia vt suppono deponunt circa eandem substantiam facti, quod latitudinem habet, & componitur ex pluribus partibus, quæ regulariter diuisionem non patiuntur, sed cum toto coniunguntur successiuè ad illius productionē, vnde qui audiuit principium Missæ, qui Euangelium, qui vidit eleuationem Hostiæ, & Calicis, qui audiuit Postcommunionem, & non alias partes respectiuè, probat prædicta asserendo totam Missam recitatam fuisse à Sacerdote ficto, quamuis de vnica parte tantum deponat, & quia partes Missæ indiuiduæ sunt, itavt vna non detur sine alia secundum naturam ipsius Missæ; ergo existentia vnius probat esse alterius; & quia validum est argumentum à communiter accidentibus, Barbosa loco 20.quamplures citat doctores, & iura. Demum, vt suppono, concordes, sunt in tempore, & loco altaris, ergo testes hoc modo deponentes sunt simpliciter contestes, ac proinde plene probant. Tertiò modo, quod testes deponentes de duabus, vel pluribus celebrationibus, sufficienter probent ad pœnam ordinariam, suadetur. Tum quia, omnes conueniunt in ratione substantiæ delicti, & reddunt etiam rationem eamdem sui dicti, dum asserunt audiui eum recitantem Epistolam, Euangelium, &c. ergo non sunt testes singulares, sed contestes, & concordes in probando delicto, & reddenda eiusdem ratione, ergo plenè probant. Tum quia, iudex quærit veritatem facti, & sufficit, si constet sibi legitimè querelatum laicum celebrasse aut totam, aut partē Missæ, neque necessarium est, vt certificetur de numero Missarum, quia Bulla habet locum contra celebrantem, tā vnicam Missam, quam plures in ordine ad pœnam ordinariam Sousa *de solicit c.*9.*n.*11.ex in illo Diana *par.* 4.*tr.*7.*resol.*12.§.*Nota*, ergo diuersitas loci, & temporis in hoc casu sunt per accidens, non pertinens ad manifestationem veritatis, ac proinde nihil obsunt concordiæ testium.

Carena *part.* 2. *tit.* 11.*num.* 18. ex Abbate *lib.* 1. *consil.* 42. *num.* 3. quem sequitur Tuscus ab eo citatus, dicit, testes singulares deponentes de pluribus Missis non probare ad pœnam ordinariam, quia omnes testes in sensu sunt singulares, nam singuli vident per proprium visum: vnde cum doctores, dicunt, quod testes debent esse contestes, hoc intelligitur respectu obiecti, super quo deponunt, itavt obiectum eodem tempore se repræsentans sensibus testium operetur, quod sint contestes, & propterea impossibile est, vt deponentes super diuersis Missis probent, quoniam idem obiectum non potest eodem tempore se repræsentare sensibus testium, ex quo deponunt super obiectum diuersis temporibus. Hoc argumentum valet, quando idem numero delictum est probandum, non vero, quando delictum simpliciter probatur sine ordine ad vnitatem, vel pluralitatem, vt in casu nostro de celebratione Missarum. Valet igitur argumentum in iis, quæ non multiplicantur, vnde si probandum sit homicidium Petri, quoniam quis semel tantum occiditur, ideo testes deponentes, vnus quidem, quod Petrus sit occisus tali die in tali loco, alter verò testetur, Petrum interfectum fuisse in alio loco, aut alio die, vtique testes singulares sunt, & nihil probant, cum sint obstatiui, quia dictum vnius destruit assertum alterius, impossibile enim est, quod idem homo diuersis temporibus, aut locis occidatur, cum primo ita intereat, & desinat esse, vt non sit locus secundæ occisionis. Sed de hac re alibi dixi, & dicam hic suo loco. 22

Nota, quod doctrina Abbatis, & aliorum locum habet generaliter, quando formaliter, & in terminis de necessitate probanda est præcisè vnitas delicti, tunc enim testes singulares quo ad locum, & tempus, licet concordes quo ad speciem delicti, insufficientes sunt, cum vnitas delicti pendeat à tribus ab vnitate indiuidui delicti, ab eisdem tempore, & loco secundum numerum, in quibus testes discordantes nullatenus dici possunt contestes, cum in omnibus requisitis discordent. In delictis autem huius fori non expedit 23 officio S.Inquisitionis articulare vnitatē delicti, quia sic probatio redditur difficilior, & intentio huius Tribunalis magis est occurrere, & impedire delicta, vt hæreses extirpentur, quam punire delinquentes, quorum errores, & delicta corrigit in ordine ad conseruationem fidei Catholicæ.

Hactenus dicta locum habent etiam respectu laici 24 administrantis Sacramentum Pœnitentiæ, in quo tamen probatio huius delicti redditur difficilior, ex eo, quod res ex sua natura secreto tractanda est, Missa vero clara voce, & coram populo solet celebrari, nihilominus in hoc casu non desunt probationes, quæ desumuntur potissimum ab ipsis Pœnitentibus, & etiam ab ipsis circumstantibus, qui vident alios genuflexos antè fictum Sacerdotem, prout de more solet hoc Sacramentum ministrari per veros Sacerdotes confessarios. Hoc autem Sacramentum successiuè conficitur, sicut & Missa celebratur, habetque suas partes essentiales dictas, per quas probatur illius administratio, & sunt præsertim confessio peccatorum, & ab illis absolutio data. Quoniam autem confessio secreto fit, & subsequenter eodem modo impenditur absolutio, ideo non est necesse, quod circumstantes deponant, sed audiuisse pœnitentem sua peccata manifestantem confessario, aut hunc protulisse verba absolutionis, sed concludenter probant, si testentur vidisse denuntiatum genuflexum coram confessario ficto in confessionali, vel in alio loco decenti Ecclesiæ, aut Sacristiæ, nam huiusmodi genuflexio ad aliud non dirigitur nisi ad ministrationem huius Sacramenti; neque necesse est, quod viderint testes fictum Sacerdotem allo-

quentem pœnitentem, aut extendentem manum super illius caput, vel illum benedicentem de more, dum impenditur absolutio, quia hæc omnia connexionem habent cum illo actu genuflexionis, qui à principio vsque ad finem perfectionis Sacramenti durat, in quo omnes partes, & actus exteriores successiuè coniunguntur. Si sermo sit de ipso Pœnitente, efficaciter probat, deponendo, se sua peccata narrasse Sacerdoti ficto habito pro vero, & ab eo absolutum fuisse, & tractatum ab illo fuisse, sicut à veris Sacerdotibus solet hoc Sacramentum ministrari. Vnde si vnus circumstans de visu, & alter pœnitens de visu, & auditu deponant de Sacramento hoc administrato plenè probant ad pœnam ordinariam, quia sunt contestes in ordine ad substantiam delicti, quia ambo probant idem numero delictum eadem ratione de visu genuflexionis, nec tollit concordiam, quod circumstans nihil audierit sed tantum viderit, pœnitens vero non solum viderit, sed audierit, & fuerit particeps facti. Duo verò pœnitentes factum euidentissimè probant, quia ambo facti in specie, licet non in numero testes certissimi sunt ex quo habes, duos pœnitentes numquam posse contestes esse respectu eiusdem numero facti, & attentati Sacramenti, quia plures pœnitentes simul confiteri non solent, nec debent coram eodem confessario. Habes ergo plenam probationem huius delicti non solum per duos Pœnitentes, concludenter probantes ex eorum experimento, cum sint facti eiusdem in specie participes sine propria culpa; verum etiam per duos testes tantum circumstantes, qui viderunt alios genuflexos coram confessario, licet peccata, absolutionemue à confessario datam non audierint. Restat dubium, quomodo Pœnitens sit idoneus testis, cum sit particeps facti, nam ipse in sui beneficium intendit recipere Sacramentum; Socius autem criminis non est testis omni exceptione maior vnde neque ei creditur. Vide quæ dixi *contr. 2. de socio criminis.* Facilis est responsio, quia Pœnitens reuera non dicitur particeps delicti, nec socius criminis, cum probabiliter putet laicum expositum esse verum Sacerdotem, pro quo ab omnibus habetur. Quod si Pœnitens ipse sciret esse laicum se Sacerdotem simulantem, & illi confiteretur, probationem faceret leniorem ac alij socij criminum; & puniendus esset tanquam criminis particeps pœna extraordinaria, vti fustigationis, &c.

Sed quid dicendum, quando Sacerdos simulatus probaret se Missam non absoluisse, sed peruenisse vsque ad consecrationem exclusiuè, aut audiuisse quidem confessiones, sed non absoluisse? In hoc autem casu in Missa omnes circumstantes, & inseruientes sunt testes idonei putantes Sacerdotem, vel scientes illum esse non Sacerdotem, quia non concurrunt ad factum, cum ipse solus celebret. In pœnitentia autem circumstantes nihil probare possunt; quia confessio & absolutio fiunt secreto, vnde deponere non possunt solam confessionem, sine absolutione. Pœnitentes vero bene probant, quia præsentes sunt in facto secreto, & audiunt absolutionem, vel sciunt se non esse absolutos, quia confessarius negat illis absolutionem. Qui non consecrauit, aut non absoluit pœnitentia ductus tam grauissimi criminis, vel ex alia causa puniendus est pœnis extraordinariis, sicut supradictum fuit.

Quæres 13. Quid agendum cum eo, qui confitetur se celebrasse, aut audiuisse confessiones, quia est Sacerdos exhibendo literas testimoniales Sacerdotij?

25 ℞. In hoc casu probata veritate literarum testimonialium absoluendus est Sacerdos, nonobstante, quod testes aliàs legitimi putati contra illũ deposuerint non esse Sacerdotem. Ratio est quia nulla efficacior probatio, quam per instrumentum Bald. *in cap. Cum causam, de probat. numer. 3. Socin. sen. lib. 2. consil.* 187. Crauata *consil.* 54. *n.* 15. alij apud Rotam Roman. *vol.* 4. *decis.* 146. *numer.* 6. Peniæ, Ego *contr.* 1. *quæst.* 2. vbi probaui præualere instrumentum testibus; instrumenta autem, seu authenticæ scripturæ Episcoporum probant *cap.* 1. *&* 2. *de fide instr.* eorum. n. literæ dicuntur scripturæ authenticæ Glos. *ver. Authenticas cap. Cum in Ecclesiis* 10. *de maior.* & aliis ibi allegatis, vnde Rota apud Tambur. *decis.* 37. *dicit per l. Celsus, de probat.* credendum magis scripturis, quam testi. Confirmatur, quia maior fides adhibenda est affirmantibus, quam negantibus ex iis, quæ adduxi *contr.* 1. *quæst.* 19. *numer.* 146. Demum qualitas sacerdotij à solo Sacerdote reo probanda est, ergo testes, si qui deposuerunt non esse Sacerdotem, nihil probant, cum negatiua directe sit improbabilis, *c. Accusator* 26. *q.* 5. *c. Quoniam* 11. *de probationibus.*

Quæres 14. Ad quem spectat probare qualitatem Sacerdotij? Videtur spectare ad querelantem, quia temerarium est denuntiare aliquem celebrasse Missam tamquam non Sacerdotem, nisi prius constet sibi illum esse laicum, qui celebrauit.

℞. Qualitatem Sacerdotij probandam esse per querelatum, quia nullus præsumitur Sacerdos, nisi ostendat se esse talem, cum hæc qualitas non insit ex natura rei, sed extrinsecus adueniat, vnde per allegantem probanda est dignitas sacerdotij. Ita docent Calder. *consil.* 12. *de iud.* Carolus de Grassis *de effectib cleric. in præm. num.* 193. Ratio dubitandi solum probat, non licere denuntiationem, nisi sit aliqua præsumptio, celebrantem esse laicum, vt quia vxorem habet, vt quia hactenus fuit miles vel cum habitu laico. 26

Quæres 15. An reus, penes quem repertæ sunt literæ testimoniales falsæ, puniendus sit pœna ordinaria nimirum traditionis curiæ seculari, qui confessus fuit, se celebrasse, quia est Sacerdos, id probando per falsas literas?

℞. Affirmatiuè, quia eo ipso, quod illæ literæ sunt falsæ, nihil probant. Confirmatur, quia illæ literæ falsæ non magis probant, quam ipsius assertio, quæ nihil probat, immò ex illarum literarum exhibitione auget contra se opinionem iudicis. Demum nullus fictus Sacerdos condemnari posset in pœnam ordinariam, quia quilibet respondere posset se celebrasse, quia est Sacerdos, quæ responsio nihil penitus probat, ergo remanet intacta prior iudicis opinio, quod sit laicus ille, qui celebrauit. Debet autem constare, in processu de qualitate laici, iuxta quod dixi præced. quæst. aliter delictum non dicitur probatum. 27

Carena *part. 2. tit. 11. §. V.* dicit hunc esse vehementer suspectum, quod celebrauerit nondum Sacerdos, ac proinde istius querelam per fiscum esse recipiendam, reiecta qualitate sacerdotij, & puniendum esse tantum pœna extraordinaria. Primò, quia confessos qualificatè nunquam punitur pœna ordinaria, Abbas *in cap. Auditis, de præscript.* Farinac. *quæst.* 81. *numer.* 157. refert exemplum reiudaizantis simulatè, vt hac fictione recuperaret quotam à suis consanguineis. Secundò, quia ex indiciis etiam violentis nullus condemnatur pœna ordinaria, ex Innoc. *in cap. Quia verisimile de præsumpt.* Farinac. *quæst.* 86. *numer.* 110. Respondetur, prædictas rationes non ab omnibus concedi, præterquam quod locum non habent quando vnus ex articulis principalibus, à quo essentialiter pendet ratio delicti 28 29

proban

probandus est per ipsum reum, si enim non probat ad eludendum delictum, pro reo habendus est ad pœnam ordinariam, cum probatio potissimum est in eius potestate. Confirmatur, quia aliter nullus incurreret hanc pœnam, cum quilibet ad eam euitandam confiteri posset celebrationem asserendo se id licitè fecisse, quia est Sacerdos, & hoc modo omnes eluderent tribunal sanctæ Inquisitionis.

30 Sed in hoc casu numquid per torturam potest probare se Sacerdotem quando testimoniales literas habere non potest? Non, quia hoc est factum positiuum, cui non deest propria probatio, in omnibus enim Episcopalibus ordinati registrantur in speciali libro ordinandorum ideo Sacerdotium per fidem extractam ex huiusmodi libro probandum est, & non per torturam, quæ in hoc casu est probatio improportionata huic facto.

Quæres 16. An laici Sacerdotium simulantes denuntiandi sint in S. Officio? Ratio dubitandi est, quia in supradictis Bullis id non præcipitur, ergo nulla obligatio.

31 ℞. Denuntiandi sunt, vt colligitur ex Edictis Inquisitorum, quæ nostris temporibus vniformia sunt, & ita habetur in Edictis Mediolan. & Parmen. illis verbis. *Che con sacrilego ardire non essendo Sacerdoti s'habbiamo vsurpato, ò si vsurpino di celebrare la Messa, ò habino presumtò, ò presumano di ministrare il Sacramento della penitenza, à ifideli di Christo.* De hac re iterum dicitur *in cap. Edictis, & Denunt.*

Quæres 17. An negans torturandus sit non solum super illicita celebratione, verum etiam super intentione, an crediderit laicos esse ministros legitimos horum Sacramentorum sicut Sacerdos verus?

℞. Conuictus de celebrationibus non est
32 torturandus, quia tortura est in subsidium plenæ probationis deficientis; vtique vero torturandus super intentione, & si fateatur licere laicis ministrare illa duo Sacramenta, est hæreticus formalis, puniendus vt talis? si verò neget respondendo vt Catholicus, nihilominus cogendus est abiurare de vehementi, quia non euacuauit suspicionem hæresis in hoc foro, qui durissimè non solet torquere, neque finis Iudicis est, vt per torturam purgat suspicionem, sed vt inuestiget, an verè sit hæreticus ille, contra quem adest præsumptio ex maleficio probato.

Quæres 18 An aliquo casu excusari possit laicus, qui celebrauit, vel absoluit, vt non tradatur curiæ seculari morte plectendus?

℞. Excusatur primò, si actum non perfecit iuxta
33 dicta *sub q. 10.* Secundò, si laicus probatur leuis, & mente læsus mitiori pœna est puniendus, quia non ex temeritate, vt exigit Bulla ibi: *Vsurpare præsumentes.* Sed ex quadam fatuitate, & vana gloria celebrant, vnde extraordinaria pœna carceris puniuntur, vt stultus in culpa, fiat sapiens in pœna, *cap. Quia eo 10. dist. 38. iuxta illud Hierem. 31. Castigasti me, & eruditus sum.* Adde illud Ouidij *Æacus in pœnas ingeniosus erit.* Tertiò, si constet ioco celebrasse, aut absoluisse, quia ioco facta pœnam non merentur ordinariam, *capite. 1. de sent. excom.* probatur ex ioco factum à puero, nam leuitas præsumitur in re facta in puerili ætate, cum desit plena rationis discretio. Quartò, minor ætas infra annum vigesimum primum excusat ab hac pœna, vt dicitur expresse in Bulla Vrbani VIII. incip. *Apostolatus officium.* Vnde qui inchoato etiam, & non perfecto anno vigesimo primo suæ ætatis, etiam Religiosus cuiuscumque ordinis, nondum Sacerdos illa duo Sacramenta ministrans tradendus est curiæ seculari vltimo supplicio perimendus.

Quæres 19. An laica potestas, cui traditus fuit fictus Sacerdos, debeat hunc morte punire, & si nolit cogi possit per Inquisitorem, seu Episcopum, aut Iudicem huius delicti?

℞. Vtrumque affirmatiuè, & colligitur ex ci- 34
tata Bulla Vrbani illis verbis: *Quo circa omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute S. Obedientiæ districtè præcipiendo, mandamus, quatenus statutum, decretum, & constitutionem hanc nostram inuiolabiliter obseruent, & seruari faciant.* Obseruatio autem huius Bullæ in eo consistit, vt iudices Ecclesiastici Inquisitionis tradant fictum Sacerdotem curiæ seculari, & hæc exequatur mandatum, quod si nolit cogatur per illos, vt insinuatur illis verbis. *Obseruari faciant.* Ita ex Diana, & Pegna, Carena *par. 2. tit. 11. n. 31.*

Quæres 20. An non Sacerdos celebrans, aut absoluens incurrat aliquam censuram, seu irregularitatem?

℞. Nulla extat censura, sed tantum irregula- 35
ris etiam merus laicus fingens se Sacerdotem, & celebrans, seu absoluens, vt apertè colligitur ex *cap. 1. de clerico non ordin. min.* etsi enim rubrica, & titulus sit de clerico, ac proinde deberet ipsa attendi, nam Rubrica debet esse generalis ad nigrum, secun- 36
dum Bartol. in *lib. 1. ff. si certum petat.* ab ea enim lex interpretationem capit, *lib. Imperator, ff. de in diem adiect.* Oldrad. *consil. 122.* dicens ab ea sumi efficax argumentum consequenter hæc irregularitas solum clericum deberet afficere; nihilominus rubrica non attenditur, quando constat de generalitate nigri, in cuius gratiam est rubrum, vnde Rubrica non restringit textum generaliorem, Glos. *ver. Illicitus, Authent. de incestis, & nefariis nupt.* vbi licet rubrica sit solum de incestis, & nefariis nuptiis, quia tamen textus generaliter loquitur de nuptiis illicitis, comprehendit quascumque nuptias illicitas, quamuis non sint incestæ, vel nefariæ Euerard. in loco à Rubro *numer. 11.* Quare cum textus noster expresse dicat: *Si quis baptizauerit, &c.* nulla facta restrictione clerici loquendo generaliter, restringendus non est ad hæc: *Si quis clericus baptiza-* 37
uerit. Est enim hæc dictio *Si quis* admodum generalis comprehendens quascumque personas cuiuscumque conditionis, & status, Bartol. *in lib. 1. ff. de verb. sign. numer. 2.* Zabarella *in Clem. 1. de elect. quæst. 3. numer. 9.* Dec. *consil. 453. numer. 7.* Paris. *de confid. quæst. 27. numer. 23.* Ita sentiunt Megal. *lib. 7. de cens. capite 2. numer. 22.* Nauar. Scotus, Silu. quos contra se citat Diana *resolut. 77. de irregular.* Carena *par. 2. tit. 11.* extremis verbis.

Quæres 21. An absoluens per literas pœnitentem absentem sit suspectus de hæresi, & incurrat aliquam censuram?

℞. Absoluens pœnitentem absentem, qui per 38
literas, aut internuntium confessus fuit sua peccata Sacerdoti absenti, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem Papæ reseruatam, non ideo tamen suspectus est de hæresi, quia licet facto suo contraueniat prohibitioni, non tamen id de fide fuit definitum, vt colligitur apertè ex Decreto Clem. VIII, emanato die 20. Iunij 1602. apud Quar. *ver. confessio Sacramentalis*, sequentis tenoris. *Hanc propositionem scilicet: Licere per literas, seu internuntium confessario absenti peccata Sacramentaliter, confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit; præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neque vmquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, impri-*

matur, aut ad praxim quouis modo deducatur: Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè, seu indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ; quam ipso facto incurrat, & à qua non possit, præterquam in ar-
39 *ticulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, Etiam S. Romanæ Ecclesiæ maiori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat.* Hæc prohibitio æque extenditur ad vtrumque tam ad confessionem; quam ad absolutionem, quia cum sint connexa non diuiduntur, neque ad imparia iudicanda sunt, cum sint partes essentiales eiusdem Sacramenti, ex quo tollitur vana quorumdam speculatio asserentium Summum Pontificem hic tantum prohibere absolutionem. Vide doctores citatos à Bonac. *de*
40 *Pœnit. q.* 4. *par.* 5. An regulares prælati suos subditos absoluant ab ea excommunicatione per sua priuilegia? Videtur sic, quia nulla derogatio priuilegiorum.

Quæres 22. An laicus, vel nondum Sacerdos seipsum communicans sit suspectus de hæresi?

41 ℞. Non est suspectus, tum quia hic non agitur de ministro conficiente, qui solus Sacerdos est ex dictis, sed de ministrante Sacramentum iam confectum. Tum quia, multi graues doctores cum Suar. Filliuc. Laym. & Coninch. quos pro se citat Diana *resol.* 47. *de Sacram.* tenent in casu extremæ necessitatis, si minister idoneus desit, posse laicum seipsum communicare, immo & alios ex Valent. & Layman, quod ipse Diana putat probabile, ratio est, quia id nullo iure prohibetur, nisi in *cap. Peruenit dist.* 2. *de consecr.* extra casum necessitatis, vt loquitur ibi Glosa; facere autem ea, quæ licent, nullam hæresis suspicionem inducunt, ergo abest suspicio.

42 Displicet hæc opinio quatenus facit licitum hoc, quod laicus possit seipsum, & alios communicare in articulo mortis defectu legitimi ministri, vnde quoad communionem aliorum Scotus eam vocat, & bene intolerabilem. Probatur. Tum quia, solis Sacerdotibus, & in casu necessitatis per Diaconum licet dispensatio corporis Christi, vt illud clare habetur in Tridentino *Sess.* 13. *capite* 8. ibi: *In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent, qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens iure, & merito retineri debet.* Patet igitur probabile non esse oppositum, cum ex traditione Apostolica id habeatur. Tum quia, ita docent etiam S. Patres, cum quibus S. Thomas in suo Hymno dicit. *Sic sacrificium istud instituit, cuius officium committi voluit solis Presbyteris, quibus congruit, vt sumant, & dent cæteris.* Tum quia, hoc Sacramentum in articulo mortis non est simpliciter necessarium, ergo moribundus non dicitur constitutus in casu extremæ necessitatis, per quam propria auctoritate possit sumere sacram communionem. Antecedens est D. Thomæ *par.* 3. *quæst.* 65. *art.* 4. quem omnes sequuntur; solum enim duo Sacramenta Baptismum, & Pœnitentia simpliciter sunt necessaria ad salutem necessitate medij, ergo moribundus per hoc non dicitur constitutus in necessitate, cum illi non sit necessarium hoc Sacramentum non solum necessitate medij, sed neque præcepti, quia præceptum locum non habet, vbi est impossibilitas, & carentia ministri, & ex his soluuntur rationes aduersariorum. In his autem non sunt laxandæ habenæ fauore laicorum, quia facilè introducerentur errores, inuident enim Ecclesiasticis in potestatibus spiritualibus, vndè si laicis permitteretur ministratio Sacramenti in casu necessitatis processu temporis ministrationem ampliarent, & paulatim sibi Sacerdotij vsurparent, nam experientia constat, illos in multis se ingerere, quæ alias propria erant clericorum: vidè, quod primos accubitus volunt in Ecclesiis in competentiam Sacerdotij etiam exerciti à prælatis. Remoueatur ergo hæc opinio valde præiudicialis iuri Sacerdotali.

Quæres 23. An laicus absoluens ab excommunicatione existentem in articulo mortis fiat suspectus de hæresi?

℞. Non est suspectus, Tum quia, super hoc nihil de fide definitum est, ita quod facto absolutionis 44
datæ per laicum dicatur impugnari. Tum quia, hic nullus est abusus Sacramenti. Tum quia, multi graues doctores docent, laicum posse moribundum absol- 45
uere ab excommunicatione, vt valeat sepeliri in loco sacro, & pro illo orari, quia eo casu Ecclesia illi confert iurisdictionem, vt aliis allegatis docet Sanchez secularis *disp.* 44. *numer.* 7. Multos citat Diana *resol.* 7. *de excommun.* Sed quo ad hoc speciale puto hanc opinionem non esse multum probabilem. Tum quia, nullum ius tribuit hanc iurisdictionem laicis in articulo mortis fauore excommunicati. Tum quia hæc absolutio quo ad salutem non est necessaria, cum defectu confessarij sufficiat contritio pro peccatis, & quis nondum absolutus potest esse gratus Deo existens in excommunicatione, cuius absolutionem paratus erat recipere. Tum quia, in foro externo non admitteretur huiusmodi absolutio quo ad sepulturam, & suffragia publica, cum excommunicatus Ecclesiæ nondum satisfecerit, à qua tenetur ligatus. Tum quia, verum non est Ecclesiam supplere iurisdictionem in eo casu, quasi illam communicando laico, quia Ecclesia supplet iurisdictionem spiritualem in Ecclesiasticis, quia illius sunt capaces, non autem laicis, qui incapaces sunt, *cap.* 2. *de iud. cap. Tua* 25. *de decim.* vnde esto Papa id laico concedere possit secundum probabiliorem opinionem, id autem facere non præsumitur, sed specialis delegatio necessaria est, propter inhabilitatem, laici, quare cum nihil prosit absolutio data à laico defectu iurisdictionis, hæc opinio vti de re inutili reiicienda est præterquamquod magis obest iurisdictioni Ecclesiasticæ quatenus eam extendit ad laicos, quam prosit laico, cui non est proficua, sed frustratoria, cum per Ecclesiam absoluendus sit ab excommunicatione, vt fiat capax sepulturæ, & Ecclesiæ suffragiorum, vt ex Rituali Pauli V. colligitur *in tit. de sepulturis.*

Quæres 24. An quotidie celebrans numquam visus confiteri, & habitus pro malo Sacerdote sit suspectus de hæresi?

℞. Affirmatiuè, quia cum sit peccator, & cele- 46
bret sine præmissa confessione videtur tenere non esse necessarium præmittere confessionem Sacramentalem, contra id, quod definitur in Tridentino *sess.* 13. *can.* 11. his verbis. *Statuit, atque declarat sancta synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quamtumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Requiritur autem, quod constet Sacerdotem querelatum esse malæ vitæ, si enim bonus est, & nihil contra ipsum opponatur, quo probetur ipsum celebrasse in mortali peccato, nulla oritur suspicio hæresis, quia hæc fundatur in mala conscientia Sacerdotis. Hæc autem suspicio

ſpicio eliditur, ſi querelatus probet ſe pluries confeſſionem ſuorum peccatorum præmiſiſſe antè celebrationem.

Quæres 25. An frangens ſigillum confeſſionis ſit ſuſpectus de hæreſi?

47 ℞. Negaui *reſolut.* 9. *quæſt.* 12. *numer.* 31. quia Sacerdos reuelans quod in confeſſione audiuit nullum fidei articulum nec verbo, nec facto impugnat, ex quo reddatur ſuſpectus de hæreſi. Confirmatur, quia ex hoc præciſè non dicit licitam eſſe reuelationem confeſſionis, nec malè ſentit de Sacramentis, licet huic Sacramento iniuriam inferat. Ita ex Molfeſio Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 95. vbi de pœnis contra reuelantem confeſſionem, *& reſol.* 51. de ſigil-
48 lo confeſſionis, latè hoc probat Carena *par.* 2. *tit.* 17. §. 23. *n.* 91. Pœnis autem iuris plectitur regularis à ſuo ſuperiori, clericus à ſuo Epiſcopo, niſi ille frangat ſigillum in damnum ſecularis, cuius confeſſionem audiuit, quia tunc ab Epiſcopo ſuſpendi poteſt à confeſſionibus.

Quæres 26. An confeſſarius, qui non vult abſoluere pœnitentem, niſi ſibi reuelet complicem, ſubiiciatur Inquiſitoribus.

49 ℞. Negatiuè, quia cogere pœnitentem ſub ea conditione non eſt actus hæreticus, aut inducens ſuſpicionem hæreſis, quaſi ex hoc intendat licitum eſſe infamare proximum, quod dicere hæreticum eſt, ſiquidem manifeſtare complicem in confeſſione non eſt præciſè proximum infamare, ſed neceſſariam circumſtantiam aperire in confeſſione vt integra ſit, vt multis probaui *contra* 2. *quæſt.* 23. Vide Dianam *reſol.* 49. *de circumſtant.* referentem doctores, ergo non ſubditur Inquiſitoribus, Ita ex Villal. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 97. Carena *part.* 2. *tit.* 17. *n.* 93.

Quæres 27. An non ſumentes Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſemel in anno ſint ſuſpecti de hæreſi? Negant Pegna, & Farinac. *quæſt.* 178. *n.* 79. Affirmant Royas *ſing.* 98. *n.* 6. Zanch. *c.* 35. *de hæret. n.* 1. *&* 2. quos citat Sanctar. de hæreſi *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 5. Vide Dianam *part.* 4. *tractatus* 8. *reſolut.* 38.

℞. Iuxta *cap. Omnis* 12. *de pœnit.* qui in Paſchate non confitetur, nec ſacram recipit communionem
50 ſi arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & nihilominus nolit percipere ea Sacramenta, iudicarem ſuſpectum de hæreſi, ac proinde Inquiſitorem contra eum procedere, non autem ante; illud probatur ex praxi Eccleſiæ, nam Parochi ſecundum edicta ſuorum Epiſcoporum ſingulis annis deferunt nomina eorum, qui in Pachate ſacram communionem non receperunt, ergo hæc cauſa ad illos ſpectat vti Paſtores animarum, & non ad Inquiſitores. Si non obediunt, tunc Inquiſitor ſuper illos incipit habere ius, Tum quia, præſumptionē pro ſe habet quod iſti ſint ſuſpecti de hæreſi, quia à communi fidelium vita deuiant. Tum quia, videntur ſpernere hæc Sacramenta tamquam ſibi non neceſſaria, ſed inutilia. Tum quia, illorum omiſſione præſumuntur negare nullam eſſe obligationem illa reci-
51 piendi, contra definitum in Tridentino *ſeſſ.* 13. *can.* 9. illis verbis: *Si quis negauerit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus cum ad annos diſcretionis peruenerint teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ: Anathema ſit.* Quod idem definitur de Sacramento Pœnitentiæ *ſeſſ.* 14. *can.* 8. *Si quis dixerit*
52 *confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam à piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxta magni Concilij Lateran. conſtitutionem ſemel in anno; & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſima; Anathema ſit.* Qui igitur admonitus non vult hæc Sacramenta recipere ſubditur Inquiſitoribus & ab illis interrogandus eſt ſuper credulitate Sacramentorum, & neceſſitate, atque illorum obligatione quid ſentiat, & iuxta reſponſionē expediendus. Neque excuſatur allegans ſe eſſe indignū & magnū peccatorē, quia ad Deum conuerti poteſt, ſe illi per Sacramenta reconciliando; neque illi prodeſt quo ad hoc inimicitia alterius, quia pacem, & amicitiam proximi quærere debet illi parcendo, ſi Chriſti fidelem, & ſeruum, ſe tenet.

Quæres 28. An religioſi profeſſi, & clerici in ſacris conſtituti matrimonium contrahentes ſint ſuſpecti de hæreſi?

℞. Sunt vehementer ſupecti de hæreſi matrimonium 53
contrahentes, etiam Societatis Ieſu, qui vota biennij emiſerunt. Idem dic de contrahentibus ſponſalia, qui leuiter ſunt ſuſpecti de hæreſi.

Prima pars, ſuſpicione probatur. Tum faciens opus malum ab hæreticis probatum, vt bonum, & licitum eſt vehementer de hæreſi ſuſpectus, quia præſumitur errare ſicut errant ipſi hæretici; ſed Religioſi, & clerici vxorem ducentes faciunt opus malum, & prohibitum ſub excommunicatione latæ ſententiæ in *Clem. de conſang.* de qua vide *reſolut.* 94. ergo de hæreſi ſi ſunt ſuſpecti vehementer, & præſumuntur ſequi errores hæreticorum, qui reprobantes vota religioſorum aſſerunt impiè licitum illis eſſe ducere vxores. Tum quia, per attentatum matrimonium
facto impugnant id, quod definitur *ſeſſ.* 24. *can.* 9. 54
illis verbis: *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto? & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium poſſeque omnes matrimonium contrahere, qui non ſentiunt, ſe caſtitatis, eam ſi vouerint, habere donum; anathema ſit, cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.* Igitur contra hunc canonem ducentes vxorem præſumuntur licere eis matrimonium, quod credere hæreticum eſt. Ita docent omnes cum Simanch. *tit.* 40. *de catholic. inſtit. à numer.* 9. Pegna *par.* 2. *Direct. com.* 74. Decian. *l.* 5. *capite* 22. *numer.* 40. Farinac. *quæſtio.* 183. *à numer.* 72. cum illis Carena *par.* 2. *tit.* 17. §. 3. *n.* 10. ſiuè ſecreto, ſiuè palam matrimonium contractum fuerit, Diana *par.* 4. *tr.* 7. *Reſolut.* 2. §. *Notandum,* hanc ſuſpicionem vocat leuem, ſecundum morem S. Officij Hiſpaniæ.

Secunda pars, de religioſis Societatis Ieſu ex vo- 55
to biennij conſtat ex eo, quod hoc illorum votum producit fere omnes illos effectus, quos votum ſolemne reſpectu aliorum Regularium, ſecundum Bullam incip. *Aſcendente Domino*, Gregorij XIII. iuxta quod docet Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 25. *num.* 15. probantem illos eſſe vere religioſos, & *diſp.* 48. *numer.* 17. incidere in excommunicationem ſupradictam contra religioſos contrahentes matrimonium; & ſubſequens matrimonium per illos contractum eſſe irritum, *diſp.* 26. *numer.* 2. non tamen dirimi præcedens per vota biennij ex eodem *lib.* 5. *capite* 1. *numer.* 29. Vide Vaſq. 1. 2. *diſp.* 165. de his votis *capite* 9. *&* 10. Nota tamen, quod profeſſores votorum biennij non comprehenduntur ſub citato canone quo ad nullitatem matrimonij attentati, quia expræſſe loquitur de religioſis vouentibus ſolemniter, caſtitatem, ſed ex conſtitutione ſupradicta irritum nuntiatur. De ſuſpicione hæreſi quo ad hos religioſos Societatis in terminis Carena *par.* 2. *tit.* 17. *num.* 10. §. Ex qua.

Tertia pars, de contrahentibus ſponſalia proba- 56
tur, quia ſuſpicio hæreſis ex matrimonio religioſis prohibito fundatur in abuſu huius Sacramenti,

ſed

sed per sponsalia contracta religiosus præparatur, & disponitur ad huiusmodi abusum, ergo fit suspectus de hæresi, sunt enim futuri matrimonij promissio *cap. Nostrates* 3. 30. *q.* 5. & volens antecedens intendit velle eius consequens ab eo necessario dependens, ex vulgatis iuribus. Verum quidem est, quod hæc suspicio non est vehemens, quia sponsalia non sunt Sacramenta, sed tantum leuis, in quantum sponsalia disponunt ad huiusmodi abusum.

Quæres 29. An vxoratus recipiens ordines fiat suspectus de hæresi? Carena *part.* 2. *tit.* 17. *num.* 12. cum Simanch. *de catholic. instit. tit.* 40. *num.* 14. Farin. *q.* 183. *num.* 74. affirmat esse suspectum de hæresi, & esse puniendum ab Inquisitore illum, qui cum licentia, seu sine licentia vxoris promouetur ad ordines, modo non ingrediatur religionem, licet enim per extrauag. Ioann. 22. antiquam de voto, alia pœna illi non imponatur, nisi quod non potest ministrare in ordinibus susceptis, neque ad alios ascendere, aut beneficium obtinere tamen non prohibetur, quin puniri possit alia pœna maiori, sicut punitur, qui post sacros ordines ducit vxorem, ergo pari ratione puniendus est vxoratus, qui ordines recipit, parum enim refert, vtrum matrimonium antecedat, an sequatur, quandoquidem in vtroque casu par iniuria fit vtrique Sacramento, & cœlibatui clericorum. Quibus non obstantibus.

57 ℞. Vxoratus viuente vxore promotus etiam sine illius licentia ad ordines quoque sacros licet peccet mortaliter, non tamen est suspectus de hæresi. Probatur, quia quando recipit ordines de licentia vxoris bene facit, transit enim de statu coniugali sine eius destructione ad statum clericalem meliorem, & perfectiorem, quod iura *cap. Coniugatus, de conuers. coniugat.* non prohibent, ergo ex hoc capite nulla potest oriri suspicio hæresis, quæ tantum ex facto illicito deducitur quale non est hoc, quod iura, & doctores concedunt, cum quibus est Sanchez *lib.* 7. *disp.* 38. Quando pariter recipit ordines sine licentia, & beneplacito vxoris, quod prohibitum est ex citato capite, & extrauag. licet mortalis peccati reus sit ob iniuriam factam vxori suæ, cui de iure præiudicium afferre non potest, nec debet quoad consortium coniugale, cum sine illa vouere continentiam non valeat, quia non ipse, sed vxor corporis illius potestatem habet secundum Apostolum, non ideo tamen infert iniuriam Sacramentis matrimonij, aut ordinis, quia non est contra fidem, quod in eodem reperiri possint hæc duo Sacramenta debito ordine, nimirum, quod ordo subsequatur matrimonium, non matrimonium ordinem iuxta dicta præc. *quæst.* 28. §. *Prima pars*, ex definitione Trident. prohibentis gradum ab ordine sacro ad matrimonium, non à matrimonio ad ordinem neque continentia ordini sacro adnexa obest ipsi ordini, de cuius ratione est, neque eidem matrimonio, quod illi non repugnat, vt constat in matrimonio tantum rato, & constante sine copula, iniuria igitur se tantum tenet ex parte vxoris, cuius ius læditur per maritum recipientem ordines sine illius licentia, quod nullatenus arguit suspicionem hæresis. Ex his igitur patet responsio ad rationem aduersariorum dictis Sacramentis non fieri iniuriam, sed tantum vxori, cui affertur præiudicium quo ad copulam. Nec obstant, quod si cogatur vxoratus ordinatus etiam in sacris redire ad consortium coniugale, & reddere debitum teneatur vxori petenti, ex quo videtur facere iniuriam ordini sacro habenti adnexam continentiam: Quia ex hoc non facit iniuriam ordini, non enim petit, sed tantum reddit, quod alteri debet. Adde, quod ex hoc sequeretur clericos luxuriantes esse de hæresi suspectos, quod tamen nullus asserit; neque hoc idem de vxorato dicendum est, qui alteri inseruit ex debito, & non ex voluntate luxuriandi.

Quæres 30. An delictum Poligamiæ, quo abusus Sacramenti matrimonij contigit, sit casus Inquisitionis?

Notandum est Poligamiam esse pluralitatem vxorum, quæ contingere potest duobus modis. Primò, 58
cum quis successiuè plures ducit vxores, vnam nimirum post mortem alterius; & hoc esse licitum de fide credendum est, cum expresse reperiatur in Sacra Scriptura, 1. *Corinth cap.* 6. *num.* 39. *Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantum in Domino Epist.* 1. *ad Timoth. cap.* 5. *num.* 14. *Volo iuniores viduas nubere.* Contra hæresim Montanistarum, & Nouatianorum, qui damnarunt impiè secundas nuptias, prout referunt D. August. *lib. de hæresib. cap.* 26. Theodoret. *lib.* 3. *de fabulis hæretic.* contra quos est Concil. Nicœnum *can.* 8. & in Iure Canonico *tit. de secundis nuptiis*, vbi abrogantur leges ciuiles, quæ notabant infamia mulieres nubentes infra annum viduitatis. Ratio prædictorum est, quia matrimonium institutum fuit in remedium concupiscentiæ, cuius stimulis maximè agitantur vidui, & viduæ, alias experti illius ardorem. Vide in 4. sentent. *dist.* 42. D. Thom. *par.* 3. *q.* 63. Potest viduus, & vidua successiuè ducere plures coniuges sine vlla definitione. Secundæ autem nuptiæ, subsequentes sunt verè, & propriè Sacramentum sicut & primum matrimonium, quia in his adsunt omnia requisita ad Sacramentum; primæ benedicuntur, non secundæ, quia ad has prima extenditur, *c. Vir autem, de secund. nupt.* De hac Poligamia licita hic agendum non est, cum ex ea nullus sequatur abusus Sacramenti, sed tantum ex alia, de qua agendum est.

Secundò, igitur modo contingit Poligamia, quando idem vir simul habet plures vxores viuentes, quod 59
illicitum est, & prohibitum iure naturali, vt colligitur ex *cap. Gaudemus* 8. *de diuort.* ibi: *Nec vlli vnquam licuit simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum*, ibi omnes Canonistæ, Theologi in 4. *dist.* 33. D. Thom. *par.* 3. *quæst.* 65. Becan. *cap.* 45. *de Sacram. quæst.* 2. Carena *par.* 2.
tit. 5. §. *Primus*, aliquid autem tripliciter est contra 60
ius naturæ, primò, si includat intrinsecè, & in se malitiam, vt odium Dei, peccatum contra naturam; hæc, & similia, ita in se sunt mala, vt nec Deus dispensare valeat, cum simpliciter repugnent diuinæ omnipotentiæ, & eius infinitæ bonitati; secundò, aliquid dicitur malum ratione adiuncti, vt copula habita cum fœmina ante matrimonium, post vero sit licita, quia vtitur re sua; item aliquid dicitur malum ratione periculi peccandi contra naturam, sic Sacerdoti prohibitum est iure naturæ cohabitare cum mulieribus iuuenibus extraneis. Poligamia non est prohibita iure naturæ primo modo, cum copula simpliciter, & omnibus modis spectata non sit de se, & intrinsecè mala, sed tantum secundo modo ratione adiuncti, nam homo, qui per primum matrimonium vsum sui corporis tradidit vni fœminæ, non potest eiusdem sui corporis dominium tradere alteri, cum non amplius sit Dominus, ideo pluralitas vxorum iure naturæ secundario prohibita est? Deus autem cum sit omnium domi-
nus absolutus, ac proinde corporis cuiuslibet homi- 61
nis, poterit per dispensationem corpus vni proprium ommunicare pluribus, vt exemplo huius habemus ex sacris literis, nam Abraham duas habuit simul vxores Saram, & Agar. Iacob, quatuor Liam, & Rachelem, & earum ancillas Zelpham Liæ, & Balam Rachelis, *Genes. cap.* 30. & hoc contigit ex diuina dispensatione propter primarium finem matrimonij, qui est procreatio filiorum; vnde

ex

ex hoc principali fine deducitur esse prohibitum iure naturali simpliciter pluralitatem virorum respectu
62 vnius vxoris, id enim directè est oppositum productioni prolis, commixtio enim plurium seminum diuersorum virorum cum eadem fœmina conuersantium inficit prolem, & fœminam reddit infœcundam, vt patet experientia in meretricibus quæ, vt plurimum carent prole. His notatis.

63 ℞. Delictum Poligamiæ spectat ad Inquisitionis officium priuatiuè ad forum laicum. Vtrumque docent doctores citati à Farinac. *quæst.* 178. *num.* 71. Scaccia *lib.* 1. *de iudiciis cap.* 12. *num.* 55. Campan. *in diuers. iuris canon. Rubr.* 2. *num.* 46. ex illis Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 20. contra Simancham *de Catholic. instit. tit.* 40. *de Matrim.* vbi ait hoc delictum relinqui puniendum iudicibus ordinariis, quando delinquens excusatur à suspicione vt si putauit primam vxorem mortuam fuisse, vel prius matrimonium non tenere; & Genuensem, qui *cap.* 68. *num.* 12. dixit Poligamiam esse mixti fori; sed standum est cum primis, & probatur. Tum quia, Poligamia ex genere suo includit suspicionem hæresis, qui enim vnam habet vxorem, & secundam ducit, hoc facto impugnat, quod Tridentinum definiuit de fide credendum nimirum non licere habere duas vxores, dicit enim *sess.* 24. *can.* 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum; anathema sit*, ergo qui de facto plures habet vxores suspectus est, quod credat licere plures habere vxores; sed delictum adnexam habens suspicionem hæresis spectat tantum ad officium S. Inquisitionis, ergo & Poligamia, quæ huiusmodi suspicionem adiunctam habet. Tum quia causa Poligamiæ expediri non potest, nisi iudici constet de validitate aut inualiditate matrimonij; sed id spectat ad sanctum officium, ergo, & causa Poligamiæ.

Quæres 31. An Poligamus suspectus sit de hæresi vehementer, an leuiter?

64 ℞. Vehementer, quod probatur, Tum quia, regulariter abusus Sacramentorum infert vehementem suspicionem hæresis. Tum quia faciens aliquid malum, quod pro bono habetur apud hæreticos, & infideles, habetur pro suspecto vehementer de hæresi; sed hæretici tenent licitum esse ducere plures vxores viuentes, cuiusmodi sunt Maumetus, Anabaptistæ, Lutherus, & alij, ergo qui illas ducit facit se suspectum vehementer de hæresi. Tum quia, faciens opera, per quæ recedit à communi vita, & conuersatione fidelium est vehementer suspectus de hæresi, vt colligitur *ex cap. Excommunicamus* §. *Adiicimus de hæret.* sed ducens duas vxores recedit à communi hominum fidelium consuetudine & vita, ergo reddit se vehementer suspectum de hæresi. Ita Piasec. in praxi *par.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *num.* 9. Genuens. *cap.* 18. *num....* ex Pegna Bariola *v. vxor.* Farinac. *q.* 178. *num.* 68. testatur ita obseruari in supremo Tribunali, cum aliis Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 58. contra Simancham, Gutier. & alios, qui sequuntur praxim Tribunalis Hispanici, quod iudicat istos solū leuiter suspectos de hæresi, vt notat Diana *par.* 4. *tr.* 7. *resolut.* 4. §. *Igitur.* Deducitur ex his Poligamum debere de vehementi abiurare, quia taliter suspectus est in Tribunalibus Italiæ.

Quæres 32. An qui secundum matrimonium contraxit, sed secundum vxorem non cognouit sit de hæresi suspectus, ac proinde subiectus Inquisitoribus?

65 ℞. Affirmatiuè, quia matrimonium ad sui essentiam non requirit copulam, ergo tam Poligamus est non consumans secundum matrimonium, quam ille, qui copulam habuit cum secunda vxore viuente prima; sed iste subditur Inquisitoribus, ergo & ille. Ita Sousa *lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 5. Farinac. *quæst.* 140. *n.* 24. & 30. alij cum Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 4. §. *Notandum.*

Quæres 33. An si contrahat palam sit æquè suspectus ac ille, qui clam ducit secundam vxorem? Ratio dubitandi est, quia palam, & publicè facta censentur bona, & licita sicut è contra dicta, & facta occultè inducunt suspicionem secundum D. Bernard. ad Eugen. Papam illis verbis. *Tibi constituas regulam, vt omnem qui palam veretur dicere, quod in auribus locutus est, suspectum habeas.* Occultè igitur facta inducunt suspicionem *c. Vt nostrum, vt Eccles. benef.* consequenter ducens vxorem secundam publicè non videtur culpandus sicut ille qui clam contrahit secundas nuptias.

℞. Siuè occultè, siue publicè quis secundam ducat vxorem, prima viuente semper de hæresi suspectus est, & quia in vtroque casu contingit abusus Sacramenti; & quia hæresis committitur tam publicè, quam occultè ex Glos. in Clem. 1. *de hæret.* Ita Farinac. *quæst.* 178. *num.* 70. cum aliis Carena *par.* 2. *tit.* 5. *num.* 16. & ex his patet ad rationem dubitandi, nam etiam in publicè factis præsumitur dolus, & malitia, immò à fortiori, quando sunt maleficia, quia male agens coram aliis videtur hac publicitate tegere delictum, maxime, quando factum potest esse bonum, vt ducere vxorem. Sed prædicta distinctio contrahendi matrimonium clam, aut palam post Tridentinum non habet locum, cum matrimonium publicè semper celebrari debeat. 66

Quæres 34. An ille, qui secundo contrahit matrimonium ex eo, quod credit primum esse nullum, sit reus Poligamiæ, & officij sanctæ Inquisitionis? Farinac. *q.* 178. *n.* 71. negat, quando nullitas est notoria, vtique vero quando non est notoria, quam sequitur Carena *part.* 2. *tit.* 5 *n.* 31.

℞. Subditur Inquisitori siue nullitas sit patens, 67
siue non, modo nondum sit declarata legitimè ab Ecclesia, quia legitimè constat de duplici matrimonio in facie Ecclesiæ celebrato, & de nullitate primi nondum iuridicè constat, ergo iste casus subditur simpliciter Inquisitoribus, quibus constare debet in suo foro de nullitate primi matrimonij, sicut eidem constat de duplici matrimonio celebrato in facie Ecclesiæ. Inquisitor autem impune dimittit querelatum, quando probauit nullitatem prioris matrimonij, quia verè sibi constat, hunc non esse Poligamum. Distinctio allata à Farinac. solum prodest respectu denuntiatoris, qui si sibi certo constet nullitas prioris matrimonij, non tenetur hunc querelare, quia verè non est Poligamus.

Sed quid dicendum, quando secundum matrimo- 68
nium contractum prætextu nullitatis prioris est nullum? Ad huc subditur, sicut & in præcedenti casu, quia constat de duplici matrimonio publicè, non autem de nullitate ea ratione, & modo, quibus notum est duplex matrimonium, ergo iuridicè probanda est nullitas alterius, vt constet an vir ille sit Poligamus nec ne; hæc autem causa est S. Officij, ergo est casus Inquisitionis. Ita Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 31. §. *In qua re*, quod verum dicit, licet secundo contrahens etiam nulliter protestaretur, quod per quæcumque non intendit illud contrahere, si primum tenet.

Quæres 35. Habens legitimam vxorem, & postea propria authoritate sine præsentia Parochi, & duorum testium contra decretum Concilij ducens secundam, quam intendit esse suam vxorem sicut primam, sit Poligamus, ac si in facie Ecclesiæ secundam dixisset, sicut contraxit cum prima?

℞. Affirmatiuè, quia habet duas vxores, nec 69
obstat, quod secundum matrimonium non sit

factum

factum iuxta Tridentini Decretum, quia cum in Poligamia secundum semper sit nullum, constante primo ex impedimento Ligaminis, parum refert, quod sit celebratum coram Parocho, & testibus, cum ex hoc non fiat validum, obstante semper Ligamine, quare ex duplici capite hoc posterius erit nullum, ex impedimento absentiæ nimirum Parochi, & & testium, atque Ligaminis.

Quæres 36. An qui in facie Ecclesiæ per testes probauit mortem prioris vxoris, puniendus sit vt Poligamus, si postea reperiatur viuere priorem vxorem? Simanch. *Cathol. institut. tit.* 40. *de Matrim. n.* 3. cum eo Gutier. *lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 3. tenent, coniugem ob longam alterius absentiam probabiliter putantem alterum esse mortuum, posse cum alio contrahere; quod si postea inueniatur viuere, non esse puniendum per Inquisitorem, quia bona fide contraxit, vndè de hæresi non est infamandus.

70 ℟. Subditur Inquisitoribus, Tum quia, probata prioris vxoris existentia præsumitur subornasse testes falsos in sui fauorem, ac proinde non ignorare priorem vxorem viuere. Tum quia, videtur cum dolo contraxisse secundum matrimonium inducendo falsos testes. Tum quia, ex constantia prioris matrimonij euacuatur bona fides.

Quod dicunt Simanch. & Gutier. non videtur habere locum, quia sine testibus nullis viduis, aut incognitis conceditur matrimonium, nisi prius concludenter probata libertate cupientium contrahere matrimonium. Et ad hoc manauit quædam formula examinandi testes producta à Sacra Congregatione, quam reposui *contra* 6. *quæst.* 35. vbi late dixi quomodo probanda sit mors coniugis absentis, iuxta *cap. In præsentia* 19. *de secundis nupt.* Quare si non fuit probata mors coniugis absentis, certum est superstitem non dici bona fide contraxisse secundum matrimonium, non obstante longa alterius absentia, quia dolus, & malitia excludunt bonam fidem, qui præsumitur adesse in hoc casu, nam dolosus præsumitur non faciens quod de iure facere tenetur, *ex cap. Innotuit, de elect.* vbi Abbas *num.* 9. 21. *&* 22. & in dolo dicitur esse, qui non vult facere id, ad quod scit se teneri, *l. Dolus* 44. *Mand.* Demum iste dicitur male effectus ad Sacramentum matrimonij, ad quod accedit non bene præuidendo, an prior coniux sit mortuus.

71 An autem parochus, qui sine testibus aut cum testibus probantibus mortem absentis coniugis, sed non secundum Instructionem Eminentiss. Cardinalium, de qua supra, coniunxit in matrimonium iam vxoratum, puniri possit ab Inquisitore? Dic quod sic, quia & ipse particeps fuit delicti Poligamiæ, agentes enim & consentientes pari pœna puniuntur, vnde parentes filiæ consulentes secundas nuptias puniuntur secundum Mouram citatum à Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 4. §. *Notandum*, & Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 29. §. *Quinimmo*, refert quemdam Parochum negligentem punitum fuisse ex ordine S. Congregationis.

Quæres 37. An dicta de Poligamo plurium vxorum locum habeant in Poligama plurium virorum?

72 ℟. Affirmatiuè, quia militant omnes illæ rationes, quæ adductæ fuerunt contra Poligamum, & in hoc nulla difficultas, cum abusus Sacramenti contingere possit tam ex parte mulieris, quam viri.

Quæres 38. An alter coniugum ignorans Poligamiam alterius subdatur Inquisitoribus, sicut ille, seu illa, qui scit se habere vxorem vel quæ scit, se habere maritum?

℟. Negatiuè, quia ita ignorans non fuit abusus Sacramento matrimonij, sed tantum alter. Ita Sousa *l.* 1. *c.* 35. *n.* 9. Arsena *part.* 9. *assert.* 46. Carena *par.* 2. *tit.* 5. *num.* 48. 73

Quæres 39. An habens vxorem viuentem subdatur Inquisitoribus vti suspectus de hæresi si contrahat sponsalia cum alia fœmina? Negat Aloysius Riccius in praxi *resolut.* 373. quia aliud est matrimonium, aliud sponsalia, & ex diuersis non fit illatio in odiosis, Sousa *l.* 1. *c.* 35. *n.* 6. eiusdem est opinionis, & pro se citat Farinac. *q.* 140. *n.* 27. & Albertin. *q.* 23. *n.* 10. Quibus non obstantibus.

℟. Iste est de hæresi leuiter suspectus, & ideo 74 subditur Inquisitoribus. Illud suadetur, quia habens simul duas vxores est vehementer suspectus de hæresi, ex probatis hic *quæst.* 31. ergo habens vnam, & se disponens per sponsalia ad secundam erit leuiter tantum suspectus, ex eo quod actu non abutitur Sacramento, sed tantum se disponit ad illius abusum, vt docet Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 60. Hinc deducitur, quod ita sponsalia contrahens subditur Inquisitioni; quod amplius suadetur. Tum quia, ex eodem motiuo ne sequatur abusus Sacramenti prohibetur celebratio sponsalium ab vxorato, quo pluralitas matrimonij, ergò vterque casus subditur Inquisitioni. Tum quia, ab eodem iudice punitur actus attentatus, & consummatus ex probatis *cap.* 18. *quæst.* 21. & hic *quæst.* 10. in fine §. *Idem.* Ita aliis citatis suadet multis Carena *part.* 2. *tit.* 5. *num.* 33. *ad* 47. Ad rationem aduersariorum dicitur, & si sponsalia, & matrimonium in multis differant, sunt tamen idem in ratione effectus, quatenus ex vtroque oritur suspicio hæresis. Nihilominus si probet sponsalia se contraxisse cum pacto expresso non contrahendi nisi post mortem alterius coniugis, tunc non subditur Inquisitioni.

Quæres 40. Quomodo probetur Poligamia ex duplici matrimonio? Inquisitor antequam deueniat ad capturam querelati Poligami, duo per fiscum probanda sunt duplex matrimonium, & superuiuentia prioris vxoris tempore celebrati secundi matrimonij, vt notat Diana *par.* 4. *tr.* 7. *resol.* 4. §. *Notandum* Carena *par.* 2. *tit.* 5. *n.* 52.

℟. Poligamia duobus modis probari potest primo, 75 per fidem authenticam desumptam ex libris Parochorum, in quibus describuntur matrimonia celebrata, illorum enim libri legitime probant, vnde illis standum est, Mascard. *de probat. vol.* 2. *consil.* 672. Caputaque *part.* 1. *decis.* 314. M. Anton. *lib.* 1. *resolut. fin. casu* 33. Rota Rom. *vol.* 2. *decis.* 340. Carena *par.* 2. *tit.* 5. *numer.* 52. vbi citat Nicolaum à Ianua *lib.* 5. *de scriptura priuata tit. de lib. pleban. quæst.* 6. Aloysium Riccium in praxi fori Episc. *de matrim. resolut.* 218. Secundò, si libri desunt, aut in remotis, probari possunt per testes, qui debent esse duo omni exceptione maiores, probant autem non solum deponentes se vidisse illos contrahere in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus, verum etiam asserentes ab illo querelato talem mulierem pro vxore habitam esse, & cum ea cohabitasse, sicut facit quilibet maritatus cum sua vxore, &c. Probatur similiter per instrumentum dotale; item per fidem baptismalem, in qua exprimitur baptizatus esse filius vtriusque vti iugalium, &c. Sponsalia verò probantur, vel per personas, quæ interfuerunt, vel per instrumentum promissæ dotis, vel per denuntiationes in Ecclesia factas, &c. Probatis duobus matrimoniis superest probandum, quod tempore celebrationis secundi matrimonij superuiuens erat prima vxor, in hoc enim potissimum attenditur Poligamia, nimirum, quod duxerit secundam vxorem viuente adhuc prima, probatio autem hæc facienda est per testes legitimos, qui deponant se talem mulierem coniugatam vidisse viuere post celebrationem

lebrationem secundi matrimonij. Ita Carena *part. 2. tit. 5. num. 5.* Sousa *lib. 1. cap. 35. num. 22.* Duo igitur probanda sunt, duplex matrimonium, & superuiuentia primæ vxoris, dum reus secundum celebrauit matrimonium, aliter carcerandus non est, & si reperitur in carceribus ex hac causa dimittitur liber.

78 Sed quid agendum, quando per libros Parochorum, vel per instrumenta dotalia non probatur duplex matrimonium, & vnicus est tantum testis probans primum matrimonium, & superuiuentiam vxoris tempore secundi matrimonij? In eo casu si reus neget primam matrimonium, aut superuiuentiam vxoris tortura subijciendus est, & si adhuc permanent in negatiua matrimonij, dimittendus est, si nihil aliud contra ipsum obstat, quia per torturam rigorosam euacuauit probationem illius vnici testis; quod si fateatur primum matrimonium, sed neget superuiuentiam vxoris primæ, tunc tenetur illius mortem probare contigisse ante celebrationem secundi matrimonii, nec vnicus sufficit testis, sed duo necessarij sunt omni exceptione maiores ad elidendum dictum prioris testis fauore fisci contra prætensum reum producti.

Quæres 41. Quibus pœnis plectendi sunt Poligami?

79 ℞. Qui secundam duxit vxorem solet damnari ad remum per quinquennium, qui plures duobus ad septennium, vel etiam decennium. Si vsus fuit testibus falsis ab eo inductis ea pœna prorogatur ad biennium, vel vltra. Pœna hæc nobilibus commutatur in carcerem, & pecuniam, & alijs salutaribus pœnis de more plectuntur. Mulieres huius delicti culpabiles fustigantur, & carceribus mancipantur, aliisque pœnis affliguntur, de quibus doctores allegati per Dianam *part. 4. tract. 7. resolut. 4.* Carena *part. 2. tit. 5. n. 61.* Sousa *lib. 1. cap. 35. n. 19. & 20.*

Quæres 42. An testes falsi in depositione, quod prima vxor sit mortua, vel quod homo sit liber ab vxore, facta coram Episcopo, puniri possint ab Inquisitore, quando sibi constat, illos falsum dixisse?

80 ℞. Affirmatiuè, quia testes errauerunt in casu Poligamiæ, immò fuerunt causa necessaria Poligamiæ, sine quibus vir non contraxisset secundum matrimonium, ergo tamquam causa huius delicti, puniri possunt ab Inquisitore, ad quem spectat punitio Poligamiæ in omnium sententia. Ita decisum refert Carena
81 *part. 2. tit. 5. num. 67.* Vbi proponit difficultatem circa testem negantem se ita deposuisse coram Notario, vt in eius processu manet scriptum, & respondet id nihil prodesse testi, quando suum dictum subscripsit; quod si non subscripsit, & res acta fuit coram solo Notario & non Præsente Vicario Generali, prout requirit Instructio Eminent. quam retuli *contr. 6. q. 35.* cum res dubia sit, an Notarius falsum scripserit, an testis illud deposuerit, cum non magis vni, quam alteri credendum sit, adhuc locus pœnæ non erit contra testem, sed vlterius procedendum est, & inuestigandum quis auctor fuerit falsitatis per Inquisitorem, iuxta ibidem dicta.

CAPVT XXIII.

De solicitatione in Confessione.

SVMMARIVM.

1 *Solicitatio est citatio solius à solo.*
2 *Paulus IV. primus subiecit Inquisitoribus Hispanis.*
3 *Decretum Clementis Bullarum declaratiuum.*
4 *Regulares non cognoscunt delictum solicitationis.*
5 *Paulus V. comprehendit colloquia facta in confessionali extra confessionem.*
6 *Bulla Pij IV. & Gregorij XV.*
7 *Episcopis non fuit sublata facultas per Bullam Pij IV.*
8 *In quo differant Bullæ inter se.*
9 *Bullæ sunt odiosæ.*
10 *Definitio est sermo dicisiuus plurium quæstionum.*
11 *Referuntur casus solicitationis ex Bulla.*
12 *Solicitatio definitur.*
13 *Verba quæ exprimant solicitationem.*
14 *Signa solicitationis.*
15 *Pœnitens horum signorum cognitionem habere debet.*
16 *Quodlibet signum sufficit ad prouocationem.*
17 *Sola prouocatio sufficit sine effectu.*
18 Personæ quæcumque *hæc particula explicatur.*
19 *Persona comprehendit vtrumque sexum.*
20 *Masculi comprehenduntur tantum sub Gregoriana.*
21 *Lex pœnalis non extenditur de casu ad casum.*
22 In *ea stat pro ratione voluntas.*
23 Ad inhonesta.
24 *Venerei actus cur inhonesti vocantur.*
25 *Solicitatio ad alia non habet locum.*
26 *Edictorum verba nonnulla exponuntur.*
27 Siuè inter se, siuè cum aliis *exponitur.*
28 Quomodolibet *quid importet.*
29 *Mandans solicitationem non subditur.*
30 *Leges pœnales de faciente non includunt mandantem.*
31 *Mandare non est propriè facere.*
32 *Mandans accessoriè punitur cum faciente.*
33 In actu Sacramentalis confessionis. *Excluduntur alia Sacramenta.*
34 *Quare excludantur.*
35 *Solicitatio contingit ante, vel post immediatè.*
36 *Immediatè, & incontinenti sunt idem.*
37 *An locum habeat solicitatio immediata in Bullis antiquis.*
38 Siuè occasione, vel prætextu confessionis.
39 *Prætextus quid sit?*
40 *Solicitatio non est sequens ex sola cognitione leuis mulieris.*
41 *Neque quando consentit, si illam absoluet.*
42 Etiam ipsa confessione non secuta *exponitur.*
43 *Simulata confessio quomodo contingat.*
44 *Ex parte vtrinsque & ex condicto.*
45 *Sancij opinio reiicitur.*
46 Quicumque *quid importet.*
47 *Lex pœnalis non extenditur.*
48 *Lex si voluisset id expressisset.*
49 *Lex quod non dicit, neque nos.*
50 *Actus verus in pœnis non includit fictum.*
51 *Lex pœnalis non extenditur ex omnimoda ratione.*
52 Aut cum eis illicitos sermones.
53 *Lenocinium est solicitatio.*
54 *Casus nonnulli ambigui.*
55 *Alter casus dubius.*
56 *Literæ amatoriæ inducunt solicitationem.*
57 *In traditione Schedulæ confessionis.*
58 *Fingens velle audire, vt liberius exeat non est reus.*
59 *Laudare mulierem quando sit solicitatio.*
60 *Homicidium non est tacita solicitatio.*
61 *Neque donum insolitum.*
62 *Petens domum, in qua vult loqui cum muliere non dicitur*

dicitur solicitare.
63 *Non Sacerdos solicitans non est reus Bullarum.*
64 *Neque Sacerdos, sed non confessarius.*
65 *Pœna afficit attentantem actum nullum.*
66 *Trimarchi rationes repelluntur.*
67 *Sancius reiicitur.*
68 *Narratiua non facit ius, explicatur.*
69 *Interpres solicitans non est reus Bullarum.*
70 *Trimarchus reiicitur.*
71 *Mulier solicitans non est rea Bullarum.*
72 *Neque confessarius consentiens.*
73 *Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur.*
74 *Trimarchus reiicitur.*
75 *Consentiens post interuallum dicitur solicitare.*
76 *Item si diuertat ad alia.*
77 *Item persuadens fœminam ad alia.*
78 *Suspectus est de hæresi solicitator.*
79 *Talis semper fuit etiam ante Bullas.*
80 *Simulans confessionem non est suspectus.*
81 *Vehementer suspectus est.*
82 *Abiurare debet de vehementi.*
83 *Mulier solicitans non est suspecta de hæresi.*
84 *Denuntiatio facienda est de solicitante.*
85 *Confessarius debet monere solicitatum de hac obligatione.*
86 *Non ipse solicitator, quando redit pœnitens ad ipsum.*
87 *Solitatatore proprio debet denuntiare*
88 *Schedulis incertis non satisfit.*
89 *Internuntio satisfit denuntiationi.*
90 *Denuntiare debet semel solicitata.*
91 *Licet consensum dederit, qui siletur.*
92 *Decretum de consensu tacendo.*
93 *Sciens solicitationem certo denuntiare tenetur.*
94 *Scire dicuntur audita ab auctoribus facti.*
95 *Scitum per modum consilii ignoratur.*
96 *Scitum secreto naturali denuntiatur.*
97 *Licet probari non possit.*
98 *Subitanea emendatio non excusat à denuntia.*
99 *Emendatio in aliquo difficulter cognoscitur.*
100 *Denuntiatio fit licet infamatio non præcesserit.*
101 *Dubitans an debeat denuntiare non tenetur.*
102 *Punitus adhuc denuntiatur.*
103 *Carcerandus non est confessarius dicto vnus fœminæ.*
104 *Responsum Sac. Congregationis super hoc.*
105 *Siue fœmina sit bona fama, siuè mala.*
106 *Mulieres duæ sufficiunt ad carcerandum.*
107 *Singulares testes sufficiunt respectu supremi tribunalis.*
108 *Torturandus quandonam sit solicitator.*
109 *Pœna ordinaria non punitur inconfessus licet conuictus.*
110 *Non conuictus persistens in tortura rigorosa absoluitur*
111 *Pœnæ, quibus efficiuntur recensentur.*
112 *Solicitans est infamis, non irregularis nisi ex infamia.*
113 *Solicitans, & solicitata à quolibet absolui possunt.*
114 *Religiosi solicitantes quibus pœnis afficiantur.*
115 *Pari pœna puniuntur exequutor, & solum prouocator.*
116 *Solicitans filiam spiritualem longè à confessione non subditur.*
117 *Confessarij non remittuntur.*
118 *Mulier inhabilis sectis.*
119 *Admittitur in delictis difficilioris probationis.*
120 *Dictum vnius non sufficit ad carcerandum.*
121 *Duæ non probant ad pœnam ordinariam.*
122 *Vti ad extraordinariam.*
123 *Si patiuntur alios defectus nil probare.*
124 *Denuntiatus per mulierem adulteram, & meretrices liberatur,*
125 *Defendens se reprobatione testium non potest declarari innocens.*
126 *Socius criminis non probat pro, nec contra.*
127 *Probat tamen pro tertio innocente.*
128 *Plures sorores nihil probant contra confessarium.*
129 *Testis de credulitate probat pro innocente.*
130 *Quomodo puer solicitatus probet.*
131 *An verba quædam sint prouocatiua ad libidinem.*
132 *Quid sit meretrix.*
133 *Tres copulæ trium sufficiunt.*
134 *Quot modis probetur meretricium.*
135 *Quot mulieres requiruntur ad condemnationem.*
136 *Adminicula non prosunt, quando mulier alias patitur exceptiones.*
137 *Quid concludendum quando mulieres, & Curatus pares sunt in bona fama.*
138 *An mulier debeat obligari à confessario vt probet.*
139 *Concubinæ credendum non est.*

Solicitatio ex vi vocis idem est, quod citatio solius à 1
solo facta ad aliquid agendum, si illud est bonũ solicitatio pertinet ad prudentiam, si malum, spectat ad vitium eius speciei, ad quod solicitatus instigatur ex D. Thoma 22. *q.* 47. *art.* 9. Dixi (citatio solius à solo facta) adde, ad venena, ad rem præsentem, quia huiusmodi actus venerei attentari, & fieri solent à solo cum sola, sic dictante verecundia, quæ cum huiusmodi actibus inhonestis coniuncta est; vti specialis imperfectio huius peccati. Solicitare igitur, ad propositum, est procurare, inquietare, perturbare, allicere, inducere, impellere, rogare, instigare, & inuitare verbis, precibus, muneribus, promissionibus vel quouis alio modo pœnitentem ad actus venereos. Sed accedamus ad quęstiones more solito.

Quæres 1. An, & quandonam hoc vitium Solicitationis incœperit esse sub iudicio Inquisitorum?

℞. Primus omnium, qui supposuit Inquisitoribus 2
solicitantes in confessione fuit Paulus IV. qui obiit anno 1559. 18. Augusti? deinde Pius IV. in sua Bulla incip. *Cum sicut nuper.* directa ad Archiep. Hispal. in Regnis Hispaniarum, quæ inseritur in sequenti Gregorij XV. Postea Clemens VIII. prædictas Bullas 3
vtriusque Papæ confirmauit suo Decreto incip. *Per hoc præsens, & infra. In negotiis S. Inquisitionis Hispaniarum super literis felicis record. Pij Papæ IV. & Pauli IV. facultatis procedendi contra Presbyteros seculares, & regulares in Sacramento Pœnitentiæ, seu in actu confessionis Sacramentalis solicitantes mulieres pœnitentes ad impudicitiam, seu peccata carnis Inquisitori generali Hispaniarum alias concessa, an priuatiue, vel cumulatiue qui ad superiores Regularium dicta inquisitio contra huiusmodi delinquentes procedere possit? Sanctissimus D. N. re diligenter, & mature considerata auctoritate sua Apostolica declarauit, & decreuit. declarat, & decernit circa huiusmodi facultatem procedendi, nihil esse attentandum, aut innouandum, sed inquisitione prædicta in omnibus Regnis, & Prouinciis sibi subiectis ea iudicialiter vti posse, & debere, sicut in aliis causis ad Sanctissimum 4
Inquisitionis officium pertinentibus, vt hactenus fecit etiam priuatiue ad Superiores Regularium cuiusuis ordinis, & Congregationis, etiamsi Mendicantium existant. Ipsosque Regulares non eximi ab onere, deferendi seu denuntiandi huiusmodi delinquentes eidem sancto officio quemadmodum in aliis casibus, & causis sanctæ Inquisitionis, in quibus alij Christi fideles de iure tenentur, sed ad ipsum, sicut alios teneri,*

&

& obligatos esse. Et ita Sanctitas sua declarauit, & decreuit, perpetuo seruandum esse statuit, omni meliori modo, & forma, quibus potest, & debet. Paulus V. pro Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum dictam constitutionem Pij IV. quamuis de ea nullam faciat mentionem, eisdem pœnitus verbis, & sensu direxit ad Inquisitorem Generalem prædictorum locorum; vnde quidquid dicitur de Bulla Pij IV. intelligendum erit de hac Pauli V. cum ambæ sint eadem, & ipsissima. Sub dicto Pontifice emanauit sub die 10. Iulij

5 1614. hoc Decretum. *Facta relatione quod multi confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionẽ confessionis de rebus inhonestis, sanctissimè decreuit, vt contra huiusmodi confessarios procedatur in sancto officio, de qua infra sub n. 51.* Demum Gregorius XV. innouando Bullam Pij IV. edidit sequentem Bullam ampliando, & extendendo illam Pij IV. quod ad materiam, personas, & loca vt in ea videre est sequentis tenoris.

6 *I. Vniuersi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cœlesti dispositione gerentes, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagiis conseruetur immunis, multóque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab iis auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Euangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

II. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet procul ab iis arceatur, videlicet vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, solicitando pœnitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane lapidem porrigat, & ex cœlesti medico infernalis veneficus, ex parte spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidiis arcẽdis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, prouiden. duximus. Aliàs siquidem à fel. rec. Pio Papa IV. prædecessore nostro emanarunt literæ tenoris subsequentis, videlicet.

III. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalen. in Regnis Hispaniarum hæreticæ prauitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœcesibus, curam animarum habentes, siue eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & quid instituit Domino Deo, & Saluatori nostro IESV CHRISTO iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet, pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo, & prouocando seu allicere & prouocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum.

IV. Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios à te deputandum, seu deputandos contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœcesum de præmissis quomodolibet diffamatos, tam sæculares, quàm quorumuis etiã exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum Regulares cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis conditionis, & præeminentiæ existant, tam super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quouis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias, eos etiam si, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione sæcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo.

V. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum & Monasteriorum, nec non Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVj Aprilis 1561. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

VI. Igitur vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum præinsertas literas huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

VII. Illásque non solùm in prædictis Regnis Hispaniarum, sed in quibusuis Christiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus.

VIII. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes tam sæculares, quam quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum ordinum, institutorum, societatum, & Congregationum Regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant.

IX. Qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint in Officio Sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra, puniantur.

X. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras literas etiam primatiuè quo ad omnes alios specialiter ac perpetuo Iudices deligamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei iuxta

Sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabilis reperierint.

XI. In eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspen. ab executione ordinis, priuationis beneficiorum dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque si pro delictis enormitate grauiores pœnas meruerit, debita precedẽte degradatione Curiæ seculari puniendos tradãt.

XII. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesia Dei tam perniciosum remaneat, ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus, etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ seculari, vt præfertur, reum tradẽdum esse pronunciandi. Non obstan. omnibus, quæ dictus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

XIII. Mandantes omnibus Confessariis, vt suos pœnitentes, & quos nouerint fuisse ab aliis, vt supra, solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes seu vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes, vt supra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

XIV. Volumus autem, vt præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Notandum est, quod supradictæ Bullæ Pij IV. Pauli V. & Gregorij XV. Conueniunt in eo, quod solicitantes confessarios subijciunt iudicio Inquisitorum, ea ratione, quam primo attulit Pius IV. illis verbis. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur*, nimirum, quia isti sunt suspecti de hæresi, contra quos ius est Inquisitoribus procedere, vt etiam dicitur in iure communi *c. Accusatus, de hæret. in 6.* An autem antea potuissent Inquisitores procedere, videtur quod non, quia suspicio hæresis nondum animaduersa fuerat, forsan quia raro acciderat solicitatio, vnde doctores communiter docent, Inquisitores non potuisse ante Paulum IV. procedere in hoc casu solicitationis, quia nondum determinatum erat, inde oriri suspicionem heresis. Nec dicas, contra huiusmodi solicitatores procedebant Episcopi, quia id faciebant non tamquam contra suspectos de hæresi, sed contra sacrilegos, & abusores huius Sacramenti, quamquam alioquin ex natura rei inest suspicio hæresis in hoc solicitationis vitio, sed nondum animaduersa, vt specialis prouisio fieri posset contra delinquentes, subdendo illos tribunali. S. Inquisitionis.

Episcopis non licuisse ante Bullam Greg. XV. Obstantibus supradictis Bullis, procedere in hac causa docent Sanct. Acugna, Peirinus, quos pro se citat Diana *resol. 29. de denunt.* cum Bonac. & multis aliis, cum Carena *p. 2. tit. 6. n. 7.* quos citat Trimarchus *disp. 10. de solicit. sect. 2. n. 12.* qui tamen *n. 13.* tenet oppositum,
quem ego sequor, quia ex Bullis præcedentibus nullatenus colligitur, sublatam fuisse Episcopis potestatem,
contra huiusmodi solicitatores, prohibitio autem, seu 7
sublatio facultatis asserenda non est, nisi expressè reperiatur facta *arg. cap. Consuluisti 2. q. 4.* immo Episcopis id sublatum non fuisse arguitur ex allato Decreto Clementis VIII. vbi dubium, an hæc facultas concessa esset Inquisitoribus per Pium, & Paulum IV. priuatiuè, an cumulatiuè, quo ad superiores Regulares, resoluitur, potestatem Inquisitoribus traditam fuisse priuatiuè ad superiores regulares, nihil dicendo de Episcopis, ergo cumulatiuè quo ad hos facta fuit. Episcopis igitur antea, & nunc clarius per Bullam Gregorij XV. competit hæc facultas.

Differunt verò in multis *primò*, ratione loci, quia 8
Bulla Pij IV. comprehendit confessarios solicitantes in Regnis Hispaniarum tantum, sicut & altera Pauli V. solum existentes in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum. Decretum pariter Clementis, de quo supra non excedit Bullam Pij IV. cum illud emanauerit in eius interpretationem, & declarationem, in eo enim resoluuntur duæ difficultates, quarum prima est, an facultas concessa Inquisitoribus in dictis Regnis sit priuatiuè ad superiores regulares? ad quam respondet Papa, decernendo affirmatiuè; altera, an Regulares exempti sint ab onere denuntiandi solicitatores Sancto Officio? ad eamdem statuendo affirmatiuè; lex siquidem, seu decretum interpretans aliam intelligenda est iuxta terminos interpretatæ Auth. *de filiis ante instrum. dotale natis*, sed Bulla Pij IV. loquitur tantum respectu Regnorum Hispaniæ, ergo non est extendenda per vniuersum orbem, nam inquit Glos. *ver. Consuetudine, c. Statutum clem. 7. de elect.* quod lex noua interpretans veterẽ, intelligenda est, amplianda, & restringenda secundum antiquam: quod etiam confirmatur per Bullam Gregorij XV. quæ expressè ligat solicitantes vbique terrarum, quod exprimere erat necessarium, nam odiosa semper restringuntur in dubiis. *Secundò*, ratione personarum, nam Bulla Pij IV. afficiebat solicitantes solum mulieres pœnitentes, ex probabili opinione doctorum apud Carenam citandum; Bulla vero Gregorij quascumque personas, ac proinde etiam masculos. *Tertiò*, ratione Sacramenti, nam Bulla Pij comprehendit Sacerdotes solicitantes in actu audiendi confessiones, Bulla vero Gregorij etiam ante, vel post, & in actu quoque simulationis confessionis, de qua re iterum infra, vbi aliæ differentiæ patebunt.

Carena *p. 2. tit. 6. §. Secundus à n. 10.* Quærit an Bulla
Gregorij XV. sit fauorabilis, an odiosa, quod idem 9
quæritur de alia Pij IV. Respondet esse odiosam, quia fauor, & odium attenduntur respectu materiæ, quæ in casu nostro est odiosa, cum subijciat confessarios solicitantes in confessione Inquisitoribus grauissimis pœnis plectendos, & ait ita tenere Riccium, & Sanctarellum. Hinc infert, eam strictè esse intelligendam, ex communi axiomate, quod odia sunt restringenda.

Quæres 2. Quid sit solicitare in confessione ad formam constitutionis Gregorij XV. Primo loco quæritur
illius definitio, quia eius responsione, quæ est sermo 10
decisiuus plurium quæstionum, patebit resolutio quam plurium difficultatum, de quibus infra agendum est per ordinem.

℞. Ex verbis Bullæ Gregorij, qui id expressè ponit. 11
Qui, nimirum Sacerdotes, personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siuè inter se siuè cum aliis quomodolibet perpetrãda in actu Sacramẽtalis confessionis, siuè ante, siuè post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi etiam ipsa confessione nõ secuta, siue extra occasionẽ cõfessionis in cõfessionario, aut in loco quocũque, vbi confessiones Sacramẽtales audiuntur, seu ad confessionem

ſionem audiendam electo , ſimulantes ibidem con-
confeſſiones audire , ſolicitare , aut prouocare tentaue-
rint, aut cum eis illicitos , aut inhoneſtos ſermones , ſiuè
tractatus habuerint , in officio Sanctæ Inquiſitionis ſe-
ueriſſimè puniantur. Bulla verò Pij IV. habet hæc
verba. *Mulieres pœnitentes ad actus inhoneſtos , dum*
12 *earum audiunt confeſſiones , alliciendo , & prouocando,*
ſeu allicere , & prouocare tentando, & procurando. Ex
his deducitur, quod ſolicitatio eſt tentatio facta à con-
feſſario aduerſus pœnitentem ab eo prouocatum ad
venerea, verbis, aut factis intuitu confeſſionis veræ,
13 vel ſimulatæ. Verba , vel facta , quibus confeſſarius
tentat debent de ſe ordinata eſſe ad venerea , aliter ad
hæc non pronocant, ſed ad aliud , ad quod de ſe refe-
runtur , huiuſmodi autem verba ſunt amatoria , qui-
bus amantes vti ſolent ad trahendum, & alliciendum
14 perſonam aliquam ad ſui amorem. Signa autem po-
tiſſimum ſunt oſcula , amplexus, tactus impudici ,
etiam manuum pœnitentis ſine cauſa , oſtenſio pu-
dendorum , tactus ſui ipſius confeſſarij , eiuſdem mol-
lities, ictus oculi amatorij , ab oculis enim oritur concu-
piſcentia 1. *Ioan. cap.* 2. *num.* 16. horum autem om-
15 nium cognitio habere debet pœnitens, vt dicatur ſo-
licitatus , non enim perſona dicitur ſolicitata , quan-
do ad hæc non aduertit, cum actus ſolicitationis ſuam
non habuerit influentiam, ac proindè neque effectum
in perſona, ad quam dirigebantur actus venerei , non
eſt autem neceſſe, quod ex ſolicitatione ſequatur ef-
16 fectus principalis , qui eſt copula , vel pollutio in per-
ſona ſolicitata , ſed ſufficit quilibet actus inhoneſtus
ex prædictis , quia in Bullis prohibetur ſolicitatio ſim-
pliciter ad venerea , quæ contingit in quolibet primo
actu tentationis, ſeu inſtigationis ad malum , nulla fa-
cta mentione de effectu principali , quia hoc effectu
etiam non ſecuto , fit iniuria etiam completa in ra-
17 tione ſacrilegij Sacramento pœnitentiæ. Quare hic
ſimpliciter prohibetur conatus ad turpia, qui formali-
ter conſiſtit in illa ſolicitatione , tentatione , & inſti-
gatione ad luxuriam. Et ita tenent omnes tractantes de
hac materia. Prædicta ſuper definitione Solicitationis
infra clarius patebunt in reſponſione quæſtionum. In-
terim ſingulæ particulæ Bullarum explicandæ ſunt, ex
quibus quam plures difficultates reſoluentur.
18 Primò, dicitur in Bulla, *Perſonas , quæcumque illæ*
ſint. Nomine perſonæ veniunt tam maſculi , quam
19 fœminæ, æqualiter enim illud nomen includit vtrum-
que ſexum, *cap. Mulieres, vel aliæ perſonæ 6. de ſent.*
excom. cap. Cum perſonæ 7. de priuileg. in 6. Gratian.
diſceptat. cap. 58. *à num.* 19. & particula *Quæcum-*
que rem magis confirmat , quia & ipſa importat
vtrumque ſexum , Buſat. *lib.* 1. *conſil.* 32. *num.* 14.
& 16. Socinus *iun. vol.* 3. *conſil.* 89. *num.* 13. Præterea
ea particula reſpicit perſonas cuiuſcumque conditio-
nis, & ſtatus, ſiuè ſint puellæ , aut pueri etiam inca-
paces peccati , ſolent enim parentes ſuos filios quin-
que aut ſex annorum præſentare confeſſariis , vt
illos alliciant paulatim ad hoc Sacramentum , ſiuè
ſint nubiles, ſiue nuptæ , ſiuè vetulæ , moniales , aut
laicæ.
20 Ex his manet ſoluta illa difficultas, an tentantes
pueros includantur ? nam clarum eſt ex dictis includi
in Bulla Gregorij : non autem in aliis Bullis Hiſpania-
rum, quæ expreſsè loquuntur de Mulieribus, in odio-
21 ſis autem non fit extenſio de caſu ad caſum , *cap. Pœ-*
na 18. *de Pœnit. diſt.* 1. ibi : *Atque adeo proprium ca-*
ſum non excedunt neque ſub fœminino comprehen-
ditur maſculinum , quia hoc eſt abſurdum ex *l. Si ita*
ſcriptum , ff. de legat. 3. Ita Portellus *ver. Solicitatio*
num. 5. cum Paramo , Facundez , & aliis, quos citat
Carena *part.* 2. *tit.* 6. *num.* 15. Trimarchus *diſp.* 5.
ſect. 2. oppoſitum nobis tenet cum multis doctori-
bus. Et quia Sodomia eſt grauius ; Et quia non mi-

norem inducit ſuſpicionem hæreſis ; Et quia vbi eſt
eadem ratio, & omnimoda ſimilitudo , debet eſſe
eadem iuris diſpoſitio ; Et quia ita declarauit Pau-
lus V. die 19. Nouembris 1612. Eſto dictæ rationes
in ſe veræ ſint, & ſuadeant , quod præcitati docto-
res docent , nihilominus non vrgent , quia in pœna- 22
libus ſtat pro ratione voluntas legiſlatoris , in cuius
arbitrio eſt comprehendere hunc caſum, & non illum
in ſua lege pœnali , vt bene docet Rodr. *tom.* 1.
quæſt. 11. *art.* 6. *Regul.* 14. Neque video illam Pau-
li V. Declarationem , immo ex alio ſuo decreto,
quod refert ipſe Trimarchus *diſp.* 1. *in fine ſect.* 3.
colligitur , ſermonem eſſe de ſolis mulieribus ibi :
Facta relatione , quod multi confeſſarij tractant cum
mulieribus in confeſſionali , &c. quod datum fuit an-
no 1614. vnde ſi anno præcedenti 1612. caſum
hunc declaraſſet , in hoc poſteriori vſus fuiſſet am-
plioribus verbis includentibus etiam maſculos , vt fe-
cit Gregorius.
Secundò , dicitur. *Ad inhoneſta* , eo nomine ve- 23
niunt actus tantum venerei , quibus propriè conue-
nit nomen inhoneſtatis , & verecundiæ ; originem
enim habent à partibus pudendis , & verecundis, vn-
dè & in occulto ſolent fieri actus venerei propter pu- 24
dorem , & verecundiam quæ ex illis contingit arg.
cap. In eo fornicator 12. 32. *quæſt.* 4. in quo differunt
ab aliis peccatis , homicidij , blaſphemiæ, detractio-
nis , &c. quæ ſine pudore perpetrantur , ideo palam,
& coram aliis committuntur ; fornicatio autem , &
cætera luxuriæ delicta quam occultè fieri poteſt , in-
curruntur , vnde meretricium hoc nomine nuncupa-
tur fornicatio , quia meretrices ſolebant habitare in
locis arcuatis, & ſubobſcuris , ne viderentur luxuriari
cum hominibus. Et hoc clare patet ex Bullis præſer-
tim Pij IV. & Pauli V. loquentibus de mulieribus,
quæ ordinarie tentari , & prouocari non ſolent niſi ad
venerea, & in hoc nihil plus continet Bulla Gregorij,
leges enim adaptantur ad ea , quæ vt plurimum acci-
dunt , *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Gloſa *penult. cap.* 6.
diſt. 19. Ita fere omnes Sanctius in *ſelect. diſp.* 11.
num. 23. Diana *part.* 1. *tr.* 4. *reſolut.* 20. alios refert
Trimarchus *diſp.* 14. *ſect.* 3. *num.* 9. Quare confeſ-
ſarij prouocantes ad alia peccata homicidij, furti, &c. 25
non ſunt denuntiandi virtute huius conſtitutionis , vt
ſupracitati docent ; Neque puto adeſſe obligationem
denuntiandi confeſſarios abutentes Sacramento Pœ-
nitentiæ , dum pœnitentes ſolicitant ad alia delicta,
quia nulla Bulla, nullum Decretum Pontificium , aut
Edictum Inquiſitorum hoc præcipiunt , nam illa ver-
ba. *Che habbino abuſato , ò abuſino il Sacramento della* 26
Pœnitenza contro à i Decreti, & Conſtitutioni Apoſto-
licæ. Quæ habentur in Edictis Inquiſitorum hic in
Italia referuntur ad prædictas Bullas de ſolicitatione
ad venerea, neque enim aliquod decretum , aut con-
ſtitutio extat circa huiuſmodi prouocationem ad alia
peccata. Id docet Boſſius Barnabita in Append. *dub.* 2.
num. 5. allegans pro ſe Portellum , Aldrete , & Dia-
nam ; Trimarchus eſt contrariæ opinionis cit. *diſ.* 14.
ſect. 3. *num.* 6. vbi antecedenti *num.* 15. dicit Dianam
citatum à Boſſio nihil tale dicere ; conatur tamen di-
ctus Boſſius in opuſculo inſcripto : *Diſceptationes*
Morales. diſcept. 5. defenſione quinta ab hac gran-
di iniuria ſe liberare , dicendo quidem Dianam , &
Portellum renera expreſsè id non dicere , ſed tantum
tacitè , & deduci ex rationibus ab illis allatis. Sed vi-
deant ipſi , ſufficit mihi hoc , quod opinio non ful-
citur auctoritate doctorum tacitè loquentium , ſed in
terminis tantum.
Tertiò , dicitur *Siue inter ſe , ſiue cum aliis quo-* 27
modolibet perpetranda. Duo hic exprimuntur modi
ſolicitandi, vnus eſt, cum confeſſarius pro ſe pœniten-
tem allicit ad venerea , ex illis verbis : *Siue inter ſe.*

Alter est, cum prouocat pœnitentem, vt alteri copiam sui faciat, ex illis verbis *: Siue cum aliis* ? & tunc confessarius fugitur infami officio lenonis. Vnusquisque illorum casuum sufficit ad incurrendam eam Bullam quia particulæ, *siuè*, sunt disiunctiuæ, & alternatiuæ in alternatiuis autem sufficit, quod altera earum verificetur *ex Reg*. 70. *in* 6. Dicta procedunt siue pœnitens consenserit, siue recusauerit, siue solis verbis, siue factis prouocauerit, vt colligitur ex dictio-
28 ne, *Quomodolibet*, quæ vniuersalissima est comprehendens ea, quæ aliàs non comprehenderentur, Socin. *sen. in l. Quidam ff. de reb. dub. num*. 5. Gozad. *consil*. 1. *num*. 9. Nata *consil*. 435. *n*. 19. M. Anton. *lib*. 1. *resolut. fin. casu* 42. & quemcumque modum solicitandi arg. eorum, quæ habet Paris *vol*. 1. *consil*. 58. *num*. 10. Alex. *vol*. 2. *consil*. 155. *num*. 3. Roland. *vol*. 4. *consil*. 2. *num*. 23. Paris. *de Resignat. lib*. 9. *quæst*. 25. *num*. 4. etiam minimum comprehendit, Seraphin. *decis*. 1082. *num*. 2. Ita docent Bossius in Append. ad Iubileum *num*. 14. & 15. Sancius *disput*. 11. *num*. 43. Carena *part*. 2. *tit*. 6. *num*. 25. Dicta procedunt non solum in vim Bullæ Gregorij, sed etiam Pij, & Pauli, ibi: *Alliciendo, & prouocando*, nam qui solicitat tam pro se, quam pro amico pœnitentem verè, & propriè dicitur illum allicere, & prouocare
29 ad inhonesta. Ita aliis citatis Trimarchus *disp*. 2. *sect*. 9. *n*. 67. Quoniam autem confessarius non solet solicitare pœnitentem pro aliis, nisi rogetur ab amico sibi mandante lenocinium, ideo dubitatur merito, an mandans, vel rogans confessarium, vt lenonem faciat cum pœnitente subdatur prædictis Bullis? Respondetur negatiuè, Tum quia, in illis mentio fit tantum de confessariis solicitantibus, sed mandans licet per alium solicitans, non dicitur tamen confessarius per hoc quod rogat confessarium, vt solicitat,
30 cum præcisè spectetur vt mandans. Tum quia, leges loquentes de faciente non extenduntur ad mandantem, maximè quando sunt odiosæ, vt habes apud Decianum *lib*. 9. Crimin. *cap*. 32. qui enim mandat
31 non dicitur propriè facere, Bart. *in l. Si is, qui pro emptione ff. de vsucapt. num*. 56. vnde qui mandat solicitationem propriè non dicitur solicitare, ergo neque comprehenditur sub dictis Bullis, quæ ne verbum quidem habent de mandante, vnde hoc ex capite denuntiandus non est. Ita docent Diana *resol*. 22. *de denunt*. Peirinis *tom*. 3. *priuil. cap*. 11. *num*. 3. Bossius in Appendice *dub*. 6. *num*. 17. cum quibus est Trimarchus *disp*. 14. *sect*. 4. *num*. 26. Contra Riccium, & Homobonum apud prædictos. Sed numquid mandans puniri potest ab Inquisitore, si in suo processu, vel aliunde constet de mandato, seu cooperatione ad solicita-
32 tionem? Respondet Carena *part*. 2. *tit*. 6. *n*. 40. Mandantem fieri de foro Inquisitoris, & quia mandans sortitur forum mandatarij ratione contractus *l. Hæreses* §. *Apud Labeonem ff. de iudic*. Et quia vtriusque idem est delictum], Mastrill. ad indultum Regis Hisp. *cap*. 29. *n*. 14. Et quia aliter conscientia causæ diuideretur, quod ne eueniat extenditur iurisdictio. Et quia testis falsus in Poligamia punitur ab Inquisitore, vt probaui præced. *c. n*. 8.
33 Quartò, dicitur. *In actu Sacramentalis confessionis*. Per hanc particulam excluduntur alia Sacramenta; in quorum administratione si contingat solicitatio, non violantur Bullæ Gregorij, Pauli, & Pij, quæ loquuntur tantum de solicitantibus in hoc Sacramēto, vt omnes docent cum Sanctar. *de hæresi cap*. 46. *n*. 5. Carena *par*. 2. *tit*. 6 *num*. 26. Sancius in select. *disp*. 11. *num*. 42. Bonacina, Palaus, Lezana, Bossius, Peirinus, quos pro se citat Trimarchus *disp*. 3. *sect*. 7. *num*. 65. Nec his obstat, quod initio Bullæ fiat mentio de Sacramentis indistinctè, quibus fit iniuria, ac proinde suspicio hæresis non magis oritur ex abusu huius Pœnitentiæ, quam aliorum. Quia illa verba non sunt dispositiua, sed tantum narratiua, quæ licet moueant legislatorem ad disponendum, non tamen cogunt illum ad ferendam legem, iuxta rationem expressam in narratiua, vnde quando verba dispositionis sunt clara, vt in casu nostro, illis standum est, & pro ratione stat voluntas, quod sub lege sua voluerit comprehendere particularem casum, & non alios; præter quamquod ideo præfati Summi Pontifices legem suam de solicitatione restrinxerint ad Sacramētum Pœnitentiæ, quia respectu aliorum aut non acciderant casus, aut illis narrati non fuerunt, nisi su- 34
per Sacramentum Pœnitentiæ, quod sicut frequentius ministratur, & modo secretiori ex sua conditione, quam alia, ita circa ipsum sæpius contingere potest abusus solicitationis, vnde iure merito Summi Pontifices circa illud disposuerunt, & non super aliis, in quibus non solet contingere abusus solicitationis, nam legislatores non disponunt circa illa, quæ raro accidunt, *l. Nam ad ea ff. de legib*. Ex quibus etiam patet maiorem suspicionem oriri ex abusu huius Sacramenti, quam ex aliis, quæ raro administrantur, & semper aliis præsentibus, vnde cum rarissime abusus accidere possit, merito Pontifices maximè super hoc tantum disposuerunt.

Quintò, dicitur *Siue ante, siue post immediatè*, Pro- 35
hibetur solicitatio non solum in actu, & progressu confessionis, sed etiam ante, & post confessionem sed immediatè. Modò assignandum est illud spatium, intra quod per Bullam Gregorianam prohibetur solicitatio tam ante confessionem, quam post illam immediatè, ex cuius cognitione patebit, quinam casus solicitationis comprehendantur sub hac Bulla, & quinam non includantur, ex vi dictorum verborum. A parte ante illud spatium incipit, cum pœnitens primo petit pro tunc confessarium, vel ad eum iam expositum in confessionali accedit, & inchoat genuflexus confessionem, in cuius narratione desinit illud spatium ante confessionem. Confessarius igitur, qui intra id tempus solicitat pœnitentem, violat Bullam Gregorianam, quia solicitat pœnitentem immediatè ante confessionem. Quare confessarius non dicitur solicitasse ad mentem Bullæ qui videns mulierem in stalo genuflexam, ad eam accedit, & prouocat ad libidinem, quia huiusmodi tentatio non dicitur facta immediatè ante confessionem, cum non acciderit intra illud spatium. Quod verum putant Ægidius, Bossius, Peirinus, quos pro se citat Trimarchus *disp*. 3. *nu*. 7. etiamsi fœmina petat subsequenter confessionem, siue sequatur, siue non, quia solicitatio antecedit petitionem confessionis, facit quod habet Sancius *disp*. 11, *num*. 49. *fine* ex eo Trimar. *disp*. 3. *num*. 39. A parte post illud spatium incipit à data absolutione, & desinit postquam pœnitens recessit à conspectu confessarij, genuflectendo, vt fieri solet, extra locum confessionalis, in stalo, vel alibi in Ecclesia. Quare confessarius postea recedendo à suo loco, & accedendo ad stalum mulieris, & eam prouocando, non incurrit hanc Bullam, quia solicitatio non dicitur facta immediatè post confessionem cum illud spatium à confessione dependens iam desierit per ipsum recessum mulieris à conspectu, & præsentia confessarij: à fortiori hoc verum est, si statim prosequatur mulierem ad domum suam. Ita Sousa, Scortia, & Trimarchus *disp*. 3. *num*. 59. Carena *part*. 2. *tit*. 6. *num*. 29. Primum casum de confessario data absolutione accedente statim ad prouocandum mulierem genuflexam in stalo admittit Trimarchus, dummodo intermediet longa confabulatio, ad quam mulier antequam recederet à conspectu confessarij inuitauit ipsum confessarium; quod verum puto licet nulla intermediet confabulatio extranea à solicitatione, quando in confessione

confeſſione propoſita non fuit facta confabulatio à confeſſario, nam in hoc caſu ſolicitatio poſtmodum facta reuera dependet à confeſſione, quia præſumitur confeſſarius admonuiſſe mulierē de confabulatione, vt haberet citius commoditatem ſolicitandi eam, quæ forſan abijſſet domum ſuam non admonita de confabulatione in Eccleſia. Quod confeſſarius poſt datam abſolutionem, ſolicitando ſtatim mulierem genuflexam in ſtalo, ſed extra locum, vbi antea confeſſa fuerat, nullo præcedente condicto, vel inuitatione confeſſarij ad confabulandum, non violauerit Bullam Gregorianam probatur, Tum quia, aliquid fieri immediatè, & incontinenti coincidunt, ex Gloſ. *ver.* I*ncontinenti capite* 1. *de mutuis petit.* id eſt, nullo actu medio interpoſito; ſed hîc intermediat ille receſſus à conſpectu cōfeſſarij, ergo non dicitur
36 immediatè ſolicitare poſt confeſſionē. Tū quia, teſtis dicitur legitimè ſuum dictū emendare, quando in continenti, & immediatè ſe corrigit, hoc eſt, antequam recedat à conſpectu iudicis Gloſ. *verb.* I*ncontinenti cap. Præterea* 7. *de teſtib. cog.* ergo confeſſarius ſolicitans mulierem, quæ iam receſſit à ſuo conſpectu & tribunali, non dicitur incontinenti, & immediatè poſt confeſſionem ſolicitare; ac proinde neque Bullam hanc violare. Quod maximè erit verum, quando audiuit in confeſſione alium pœnitentem, nam tunc ſine dubio ad alium actum diuertit diuerſum. Vide Sancium *diſp.* 11. *n.* 49. initio vbi reiicit Hurtadum aſſerentem, confeſſarium contra Bullam ſolicitare, qui prouocat mulierem intra ſpatium viginti quatuor horarum poſt confeſſionem.

Difficultas remanet, an ſupra dicta ad præſcriptum Bullæ Gregorianæ locum habeant in Bullis antiquis? Pro Hiſpanis quibuſdam placet opinio Portelli *ver. Solicitare num.* 6. contra fere reliquos omnes apud Compend, *reſolut.* 131. *num.* 5. Trimarchus *diſp.* 3. *num.* 5. Portellus igitur dicit quod non eſt obligatio denuntiandi confeſſarium, qui ante, vel poſt Sacramentum adminiſtratum fœminam ſolicitat, ex illis verbis. I*n actu audiendi confeſſiones.* Item, ex aliis. *Dum earum audiunt confeſſiones*; & rationes adiungit ſatis vrgentes, id quod facit Compendiator pro parte oppoſita. Ego mediam teneo viam dicendo, vio-
37 lari Bullas etiam antiquas, quando Confeſſarius ſolicitat pœnitentem ante ſe genuflexum, qui nondum incœpit narrare ſua peccata, & pariter ſi tentat illum iam abſolutum, qui nondum diſceſsit à conſpectu confeſſarij, nam in iſtis duobus caſibus ſolicitatio eſt extra actum confeſſionis, ſed tamen ita illi coniuncta, & connexa, vt iudicio prudentis non videatur diuerſa ſolicitatio ab ea, quæ fieret in progreſſu ſucceſsiuo accuſationis peccatorum & nihil plus probant rationes adductæ à Compend. quibus neque aduerſantur rationes Portelli, qui rem ita in indiuiduo non ſpecificat, ſicut facit Trimachus in probatione ſuæ concluſionis ſub *num.* 6. vbi loquitur de muliere genuflexa ante confeſſarium, iterum infra multis probat dictus Trimarch. *ſeſt.* 4. *num.* 52. tene igitur violari Bullas antiquas quando confeſſarius ſolicitat pœnitentem ante ſe conſtitutum, & genuflexum, non autem ante, licet petierit confeſſionem, neque poſtquam immediatè receſſit à pedibus confeſſarij, quia illorum rationes nihi vlterius probant. Nec dicas, mediam hanc viam non dari, quia eam aſſigno, vt à parte ante cum ſolicitatur pœnitens confeſſionē petens nondum genuflexus; à parte poſt cum dicit data abſolutione, Volo tecum loqui expecta me in ſtalo, vel domi hoc mane.

38 Sexto, dicitur. *Sinè occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi.* Ex vi huius clauſulæ aſſigno duos caſus ſolicitationis ad mentem Bullæ Gregorianæ. Vnus eſt talis, quando nimirum confeſſarius vocatus à pœnitente, vt audiat eius confeſſionem, vel poſt veſpera, ſi petit mane, vel ſequenti die vel ſi petiit ſtatim audiri confeſſarius differat in aliud tēpus, & hac occaſione, confeſſione poſtpoſita, prouocet mulierem, vel puerum ad inhoneſta, dicitur violare hanc Bullā in vim illorū verborum. *Sine occaſione confeſſionis.* Occaſionem enim ſolicitandi accepit à confeſſione petita à perſona volente confiteri, data opportunitate illius temporis ad quod facit illud Ciceronis dicentis. quod occaſio eſt pars temporis in ſe habens alicuius reti idoneam faciendi opportunitatem, quæ vera refert Bertazol. *de clauſ. inſtrum. clauſ.* 27. Gloſa 11. *n.* 1. Vide Sancium *diſp.* 11. prope finem §. *Solicitantem.* Dixi ſi differatur confeſſio in aliud tempus, nam ſi facta petitione ſolicitetur & ſequatur confeſſio caſus ſolicitationis continetur ſub verbis præcedentis clauſulæ, vt obſeruat bene Sancius.

Alter caſus eſt, quando confeſſarius non eſt inuitatus. ſed è contra ipſe inuitat ad confeſſionem perſonam, cuius amore captus eſt, vt ſub prætextu confeſſionis, eam prouocet ad libidinem potius, quam vt audiat eius confeſſionem. Qui ergo hoc modo ſolicitat perſonam tranſgreditur Bullam ex vi illorum verborum. *Vel prætextu confeſſionis.* nam facere aliquid ex prætextu importat facere aliquid ſub velamine rei, quæ non eſt, nec principaliter intenditur, ex 39
l. Sub prætextu C. de tranſact. Gonzal. *in Reg.* 8. Cancell. Gloſ. 57. *numer.* 2. Prætexere inquit Sancius, eſt vnum agere, & aliud omnino diuerſum exterius oſtendere; ſeu eſt vnum inquirere mediante alio, quod non intenditur niſi in ordine ad lucrum alterius. Per hos caſus duos ſola Gregorij Bulla violatur, quia in his violatio remota eſt à Sacramentali confeſſione, licet ad eam aliquem habeat reſpectum.

An ex confeſſione agnoſcens pœnitentem leuem, 40
vel facilè flexibilem ad luxuriam, ſi eam poſt acceptam abſolutionem, ſtatim inſequeretur ad domum, vel per viam, & inſtigaret ad libidinem? vel etiam id præſtaret per lenonem, diceretur tranſgreſſor Bullæ Gregorianæ? Affirmat Peirinus ad hanc Bullam *numer.* 2. & ex illo Trimarchus *diſp.* 2, *numer.* 70. quia ſolicitatio contingit tam per ſeipſum, quam per lenonem. Sed contra eſt, quia ſi iſte caſus prohibetur in Bulla, maximè vel ex illis verbis. *Siue poſt confeſſionem immediatè*, explicatis ſupra ſub *numer.* 35. vel ex illis: *occaſione, vel prætextu confeſſionis huiuſmodi*, ſupra hic explicatis? Sed ex neutris prohibetur, non reſpectu primæ clauſulæ, quia comitans ad domum mulierem poſtquam abſoluit, & illam tentans non dicitur prouocare in vim Bullæ, quia ſolicitatio non contingit immediatè poſt confeſſionem, cum mulier iam receſſerit à conſpectu confeſſarij, & hoc tenet ipſemet Trimarchus *diſp.* 3. *numer.* 59. à me ſupra citatus cum multis aliis. Neque caſus comprehenditur ſub ſecunda clauſula, quod patet reſpectu particulæ, *Prætextu confeſsionis*, quia præcedens confeſſio non fuit velata, ſed vera, & realis in ſe, cui nihil adiunctum fuit fictionis, aut velaminis. Neque locum habet alia particula *occaſione confeſſionis*, quia hæc reſpicit tantum inuitationem ad confeſſionem & prouocatio antecedit actum confeſſionis, in eo autem caſu præcisè confeſſio antecedit mediate ſolicitationem. Vide Dianam *part.* 4. *reſol.* 7. *de confeſſ. ſolicit.*

Sed numquid ſolicitatio ex occaſione confeſſionis, 41
quando mulier præter omnem confeſſionem, de qua non fuit cogitatum, ſolicitata non vult complacere, niſi poſtea illam audiat in confeſſione, & Sacerdos promittit audire, & ex hoc in illum conſentit fa-

ciendo copiam sui corporis? Solent enim quædam mulieres multum affici verecundia in confessione horum peccatorum, pueri quoque vnde non consentiunt, nisi ex hoc condicto, vt ab eodem absoluantur confessario criminis socio. Hæc non dicitur solicitatio dependenter à confessione, quia de confessione ne verbum quidem factum fuit; nec obstat, quod consensus dependeat postmodum à confessione, qua non præmissa, copula non obtineretur, quia Bulla prohibet, & disponit circa solicitationem, & prouocationem ad venerea, circa consensum verò personæ solicitatæ nihil dicit, immo neque scire vult, vnde neque super consensu præstito personæ solicitatæ interrogandæ sun, vt infra patebit.

42 Septimò, dicitur *etiam ipsa confessione non secuta.* Hæc clausula facit differre præcedentem à quinta, nam casus sub præcedenti ordinem quidem habent ad confessionem, sed non ad illius executionem, sicut casus sub quinta clausula, vt patet ex ibi dictis. Præterea huiusmodi clausula habet hunc sensum, quod solicitatio habet locum ad mentem Bullæ, quando ea contingit dependenter ad confessionem, siue ea sequatur, siue non, posito quocumque casu.

43 Octauò dicitur. *Siue extra occasionem confessionis in confessionario, vel alio confessionario, vel alio quocumque loco, vbi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessiones audiendas electo simulantes ibidem confessiones audire.* Casus iste est de simulatione confessionis, de quo nihil disponunt Bullæ antiquæ. Compend. *resolut.* 131. *numer.* 10. Portellus *n.* 12. alios citat contra se Trimarch. *disp.* 3. *numer.* 12. tamen ante Bullam Gregorianam Paulus V. mandauit puniri confessarios ab Inquisitoribus, qui in confessionali extra occasionem confessionis tractant cum mulieribus de rebus inhonestis, vt supra retuli initio huius capitis. Tria assignantur loca per Bullam, in quibus simulari potest confessio. Primus est, confessionale ordinarium, quod ex ligneo confici solet, & collocatur in Ecclesia. Secundus, est locus alius quicumque vbi audiuntur confessiones, vt apud Religiosos quædam cellulæ in primo claustro, in sacristia, apud moniales specialis locus, aut commune parlatorium, quod inseruit etiam pro tribunali confessionis maximè in Hispania vt asserit Sancius *disp.* 11. *numer. fin.* §. *Hinc.* Tertius locus pro confessionali est ille, qui eligitur pro eo tempore, quo audiuntur confessiones, vt in stalo Ecclesiæ, in choro, in sacristia, vel in camera, &c. In his omnibus simulari potest confessio, vt tegatur solicitatio intuitu illius. Confessionis autem simulatio contingit, quando tam confessarius, quam mulier ex condicto sine intensione confessionis eam fingunt signis externis, ex parte quidem confessarij qui sedens in loco conuenienti vti faciunt veri confessarij benedicit mulierem, & demum super caput eius manum extendit fingendo illam absoluere; ex parte vero mulieris signa sunt genuflexio, signum crucis, percussio pectoris, manum coniunctio, colloquutio cum confessario, quæ exterius apparet accusatio peccatorum, sed reuera est illorum perpetratio palliata sub nomine confessionis. Dixi *sub condicto*, quia si vnus illorum

44 intendit confessionem, & alter non, & contingat solicitatio, casus iste non comprehendatur sub hac clausula, sed sub præcedentibus, in quibus locum habet verus titulus confessionis non simulatus. Et ita fatendum est, ne vna clausula confundatur cum alia, aut superflua sit, contra iura, quæ non patiuntur, vnam quamuis minimam syllabam in legibus superfluere, Glos. *in l. Quod metu*, apud Moditium §. *Principum placita dub.* 65. *n.* 9. Simulare ergo confessionem, est sub illa non intenta palliare, & velare solicitationem intentam.

Sancius *disp.* 11. prope finem §. *Hinc fit*, dicit, Confessarium monialium non comprehendi sub hac 45
Bulla, quando paciscitur confabulari turpiter in confessionario, qui est locus communis, & indifferens ad confessiones, & confabulationes, quos vocant nostri Parlatoria. Nam, inquit, cum Papa asserat solicitantem in confessionario, denuntiandum esse, dum dissimulat quoque confessionem ibidem pro tunc effingi sic loquentem in confessionario indifferenti ad vrbane loquendum, vel Sacramentum perficiendum denuntiandum non esse, si desit in confessario animus simulandi. Vnde & si sciat monialis animum esse vel simulare confessionem, nec notam aliquam apud alios moniales incurrat, dum tamen ipse confessarius distet à simulatione, paratus non occultare, tunc temporis Sacramentum non ministrari, denuntiandus non erit, quia, vt iam dictum est, simulatio desideratur ex parte confessarij. Sancius duobus nititur probare hunc confessarium non comprehendi sub Bulla, primum est, quia locus indifferens est, qui tamen definitur pro eo die, quo deputatur pro confessionario, vt subiungit, in quo casu vult & bene solicitationem habere locum; sed reuera locum etiam habet quouis, die, quia ille locus parlatorij comprehenditur sub illis verbis. *Vel alio quocumque loco, vbi Sacramentales confessiones audiuntur.* Illa enim dictio, *Quocumque loco*, 46
generalissima, & amplissima est omnia comprehendens etiam casus improprios, Riminald. *iun. vol.* 4. *consil.* 450. *numer.* 35. Roland. *vol.* 1. *consil.* 5. *numer.* 44. quod magis confirmatur reiectione secundæ rationis. Nititur secundo in eo, quod in confessario requirit animum simulandi confessionem, si enim desit, denuntiandus non est, quia tunc non simulatur confessio. Sed id non placet, quia confessio non tantum animo, & verbis simulatur, sed etiam facto ipso per illa signa exteriora genuflexionis, de quibus supra. Confirmatur, Tum quia, fictio, & simulatio non tantum in intentione, & animo consistit, sed etiam in opere, vt bene Glos. *in cap. Quod* 5. *distin.* 27. distinxit fictionem intentionis, & operis, vbi scilicet factum fingitur esse, quod non sit, monialis enim fingit confiteri sua peccata, & non confitetur, sed confabulatur turpiter cum confessario. Tum quia, monialis in eo loco genuflexa manet, ergo simulatur vtrinque confessio non obstante contraria voluntate confessarij, cuius simulatio suspendi non potest, cum pendeat ex permissione genuflexionis. Tum quia, si non ex condicto simulatur confessio, sed tantum ex parte monialis, ne reddat alias suspectas, solicitatio contingit ex alio capite nimirum ex prætextu confessionis, si dicat aliis monialibus se velle tunc confiteri. Tum quia, confessarius non potest solo animo abdicare à se simulationem ex facto, & opere per prædicta signa contingentem, quia de se inducunt confessionem siue veram, siue simulatam. Demum si confessarius in eo casu posset non simulare confessionem ex illis signis, semper eluderet mentem legislatoris, in quocumque loco, confabularetur turpiter absque vllo ordine ad confessionem. Quare illius opinio relinquenda est, ne foueatur peccatum solicitationis, vnde non bene illum laudat Carena *par.* 2. *tit.* 6. *numer.* 32. §. *Bene* Quid si monialis staret sedente confessario? certè in confessionario ordinario simularetur? quia ad aliud non est deputatum, & expresse dicitur in Decreto Pauli V. initio relatum, Dianam *resol.* 38. *de confess. solicit.* extremis verbis, contra opinionem nonnullorum ab eo citatorum, quos sequitur Bosius in Discept. 5. *n.* 3. non autem si staret, vel sederet in alio loco extraneo, vel in Parlatorio loco communi, quia nullum

adest

adest signum simulationis confessionis ex hoc capite.

Trimarchus *disp. 3. sect. 2. à num. 13.* concludit confessarium simulantem confessionem, & sub ea solicitantem mulierem comprehendi sub Bullis Pij IV. & Pauli V. cum Coriolano & Peirino, Probat, Tum quia, lege comprehenditur id quod conditor legis decreuisset, vel præcepisset, si de illo interrogatus fuisset, ex Glosa, & doctoribus ibi citatis habentibus eam propositionem pro certo axiomate. Tum quia, dispositio legis extenditur ad casus habentes similes rationes quod procedit etiam in pœnalibus, ex Glosa, & doctoribus ab eo citatis. Tum quia, ita declarauit Paulus V. annos 1614. cuius verba retuli initio huius capitis.

47 Contra est, quia in legibus pœnalibus non fit extensio de casu ad casum, *c. Pœna* 18. *dist.* 1. *de Pœnit.* Calderin. *consil.* 147. Tuscus *lit. R. concl.* 31. *n.* 43. maximè in casu nostro, in quo confessio simulata est impropriè confessio, & in illis Bullis expressa est mentio de confessione Sacramentali, ac proinde vera, & propria, non simulata, & ficta, vnde vltra proprietatem verborum illæ Bullæ non sunt extendendæ, quæ solum comprehendunt omnes illos casus, quos includere potest propria verborum significatio, sub qua non venit confessio simulata cum impropriissimè sit confessio. Quare ad primam rationem dico, quoniam legislator à nemine interrogatus fuit, ideo nihil respondit, consequenter cum propositum in mente retentum nihil operetur, *l. Si repetendi ff. de condit.* ob turpem causam, prædictus casus non comprehen-
48 ditur legaliter in dictis Bullis quod confirmatur, quia si lex voluisset hunc casum comprehendere illum expressisset *arg. l. Vn. § sin autem C. de caduc. toll.*
49 Tiraquel. *in l. Si vnquam ver. Libertis C. de reuoc. donat. n.* 3. Surd. *decis.* 88. *num.* 4. *& decis.* 312. *num.* 22. quia quod lex non dicit, non est ab homine præsu-
50 mendum, *c. Ne illa, Sede vac.* Surd. *consil.* 219. *n.* 21. Deinde actus verus in materia pœnali non comprehendit fictum, cum dicatur impropriè talis *l.* 3. §. *Hac verba ff. de negot. gest.* ibi *Bart. & Castro*, Rota Rom. *vol.* 1. *decis.* 794. *numer.* 3. Ad secundam rationem dico legem non extendi ad casus similes, quando
51 est pœnalis, etiamsi adsit omnimoda ratio, habes exemplum *in cap.* 2. *de regular. in* 6. in quo Prohibetur superioribus Prædicatorum, & Minorum receptio professionis Nouitiorum infra annum probationis, quæ lex ex identitate rationis non comprehendebat, neque extendebatur ad superiores aliorum Mendicantium, ideo Papa, vt videre est sequent. capitulo, eam constitutionem extendit etiam ad alios Mendicantes, qui antea sub illa non comprehendebantur, ergo idem dicendum est in casu nostro. Et quod lex pœnalis non extendatur ex identitate rationis multis citatis docet Rodr. *tom.* 1. *q.* 11. *art.* 6. *Regula* 14. quem supra adduxi, sub *n.* 22. Ad tertiam de declaratione facta à Paulo V. respondeo non esse declarationem dictarum Bullarum, cum de ipsis nulla fiat mentio, sed esse nouum decretum quo confessarij tractantes occasione confessionis cum mulieribus de reb. inhonestis subduntur Inquisitoribus. Vel dic *occasione confessionis*, id intelligi de vera confessione, non simulata. Dictus Trimarchus ibidem alia subiungit, & inuehitur in Bossium, qui conatur se defendere in disceptatione quinta, Defension. 1.

52 Nono dicitur. *Aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, siuè tractatus habuerint.* In supradictis omnibus, & singulis casibus confessarij respectu confessionis veræ, vel simulatæ, siuè sequatur, siuè non solicitantes pœnitentes ad venerea, vt secum, vel cum aliis luxurientur, supradictam Bullam transgrediuntur iuxta tradita, prætereà respectu eorumdem casuum assignatur alius modus solicitationis, qui consistit in colloquiis inhonestis, & venereis. Contingit autem id dupliciter, vno modo, cum miscentur colloquia turpia sine prouocatione, nam cum prouocatione, casus continetur sub clausula tertia. Altero modo, cum con- 53
fessarius rogat pœnitentem, vt sibi, vel alteri prostituat tertiam personam, ac proinde faciat lenonem, non vt ipsa immediatè turpia agat. Isti duo casus bene comprehenduntur illis verbis, cum accidant per inhonestos sermones, alij vero casus per prouocationem immediatam ad libidinem. Ita Sancius *disp.* 11. *numer.* 44. alios citat Diana *par.* 1. *resol.* 19. *de denunt.*

Quæres 3. An in sequentibus casibus habeat locum Bulla Gregorij, & aliorum?

I. *Ricordateui di me, perche vi amo, vi voglio bene di cuore.*

II. *Se io fossi secolare vi vorrei pigliare per moglie.*

III. *Aspettate mi hoggi in casa, perche hò à parlaui d'vna cosa importante.*

IV. *Questi vostri peccati carnali m'hanno fatto cadere in pollutione contro mia voluntà?*

Primò, respondetur negatiuè. Tum quia, & si vi- 54
dentur verba amantium, nihilominus cum trahi possint in bonum sensum de amore spirituali paterno erga filiam spiritualem, ita intelligenda sunt, si aliud non obstet, siquidem dubia in meliorem partem sunt interpretanda, *c.* 2. *de Reg. iur* Est autem Amor duplex dilectionis, & honestatis, alter lasciuię, & inhonestatis, cum autem confessarius non se explicet aliis verbis, de quo loquatur, præsumendum est loqui de amore honesto. Tum quia, illa verba si peccatum sunt in casu hoc non excedunt culpam venialem; solicitatio autem, de qua hic, est peccatum mortale, ergo solicitatio secundum Bullam non est,

Secundò, nec illa verba præseferunt solicitationem, & quia nullum dicunt peccatum ad minus mortale; & quia solum explicant pudicum affectum erga mulierem; demum nulla fit iniuria Sacramento.

Tertiò, illa verba de se non significant solicitationem, sed eorum sensus colligendus est ex tractatu, quem confessarius habet in domo pœnitentis, nam si mulierem honestè alloquatur, nulla est solicitatio, si verò mulierem prouocet ad inhonesta, solicitatio locum habet iuxta Bullam Gregorij ad præscriptum illorum verborum *Siuè post confessionem immediatè*, *sub n.* 35. nam quamuis in domo prouocet, & non videatur tentatio immediatè subsequi confessionem, nihilominus solicitatio reuera est immediata, cum dependeat formaliter ex illo condicto, vel si non placet ea ratio, adiice aliam, siquidem huiusmodi solicitatio dicitur facta occasione confessionis, cum in confessione protulerit supradicta verba, quibus mediantibus prouocatio moraliter coniungitur cum Sacramento.

Quartò, ea verba dicunt solicitationem, vt colligitur ex illis verbis; *Illicitos, aut inhonestos sermones*, & valde conturbant mentem pœnitentis, & non leuis iniuria fit Sacramento, quod sanctè, & immaculatè contractandum est. Ita Trimarchus *disp.* 3. *n.* 60. Nec oppositum sentit Bonac. *par.* 3. *de denunt. n.* 3. dum dicit, non solicitare si id aperiat extra confessionem.

Quæres 4. An locum habeat solicitatio in eo casu, in quo confessarius dicit mulieri genuflexæ in confessionali: *Nolo audire te, quia amore tui captus sum, ne tibi, & mihi aliquid mali contingat, valde in pace.*

℞. In hoc casu non est locus solicitationi, cum ex 55
his verbis potius colligatur detestatio solicitationis, & confessarius ea recusatione se præseruet à periculo solicitandi mulierem. Trimarchus *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 33.

num. 33. dicit. Certum est prætεrea, quod si animus declaratur signis, vel factis, v. g. si dicat mulieri pœnitenti, se illius amore esse captum, & ideo nolit illius confessionem audire, tunc denuntiandus est, quia illa dissuasio est vera inductio, & prouocatio ad inhonesta. Non placet eius dictum, nec verum est, quando confessarius vlterius non procedit formaliter illam prouocando, quia illorum verborum prolatio indicat tantum amorem erga fœminam, non autem solicitationem ad venerea, prætεrea reddit causam cur nolit eam audire, ne scilicet labetur in crimen solicitationis. Igitur per illa verba dissuadetur confessio ex causa, & tantum abest, vt per ea sequatur prouocatio, quod potius detestatur illam confessarius. Neque prædictis contrariatur Sancius *disp.* 11. *num.* 49. ibi: *Vnde in praxi tunc immediatè ante confessionem solicitabit confessarius, si fœminæ dicenti se velle confiteri, confessionem dissuadeat, & de venereis tractet.* Non sufficit ergo dissuasio consistens in illis verbis, sed prætεrea requiritur tractatio venereorum, ergo illa diuersa sunt. Vnde non bene illam citat Trimarchus pro se.

Quæres 5. An confessarius, qui confessione pœnitenti dedit literas amatorias sigillatas, vt easdem postmodum extra legeret, nihil dicendo, dicatur solicitator contra Bullam hanc? Negat Palaus relatus à Diana *resol.* 2. *de confess. solicit.* quia traditio literarum non est solicitatio, sed causa solicitationis, siquidem in traditione non mouetur pœnitens ad malum. Quibus non obstantibus.

56 ℟. Est solicitatio dependenter immediatè à confessione, quod probatur, quia à traditione cartæ ex parte cõfessarij incipit instigatio ad venerea, & perficitur, dum legitur à pœnitente, ergo violatur Bulla. Confirmatur, quia iste casus colligitur, vel ex illis verbis. *Immediatè post confessionem.* immediatio enim fundatur in traditione scripturæ inhonestæ, cum inter vtrumque nihil mediet. Vel ex illis aliis. *Occasione confessionis.* Nemo enim negabit traditionem scripturæ ex parte confessarij pendere à confessione, & ex parte pœnitentis legi occasione confessionis antea factæ, & intuitu illius, vt obediat in ea legenda confessario. Ita Sancius *disp.* 11. *num.* 32. ex eo Diana *resolut.* 2. *de Confess. solicit.* Trimarchus *disp.* 2. *sect.* 8. *num.* 54. Peirinus, & Facundez ab eo citati. Ad rationem Palai patet, in illa traditione incipere solicitationem, & perfici in lectione, qua mouetur ad venerea pœnitens, dum legit Epistolam. Quid si Epistolam non legeret, sed combureret? Confessarius non esset denuntiandus, quia ignorat, quid contineatur in scriptura, nisi aliàs apertè mulier fuisset solicitata. Quid si confessarius dixisset, accipe Epistolam, quam ad te mittit tuus consanguineus? Solicitat posita lectione, quia hoc idem suadet supradicta ratio, nam per traditionem incipit solicitatio, quæ per lectionem perficitur. Ibidem Trimarchus.

Quæres 6. An confessarius, qui in traditione Chirographi administrationis Sacramenti, solicitat pœnitentem, vt violet Bullam Gregorij XV.

57 ℟. Affirmatiuè, quando confessarius finita confessione dicit puero, hodie venies ad meam domum, & tradam tibi Chirographum confessionis, si puerum solicitet, sine dubio violat Bullam, quia huiusmodi solicitatio dependet immediatè à confessione, & cuius occasione solicitatur. Idem dic respectu mulieris, cui dicit, expecta hic, quia postea tradam tibi Chirographum. Ita ex Sousa *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 39. Aphoris. Diana *part.* 4. *tract.* 5. *resolut.* 11. Quid si nihil dicat confessarius, & postea ipse Chirographum ferat domum pœnitentis, & ibi illum solicitet? Non incurrit, si nihil dixit de hac delatione confessarius, quia solicitatio in hoc casu non est immediata, neque proindè dependet à confessione proximè, sed tantum remotè, quod non sufficit ad violationem Bullæ.

Quæres 7. An dicatur solicitator ille confessarius regularis, qui vt liberius à superiore dimittatur fingit illi, sibi necessarium esse exire, vt audiat suum pœnitentem ægrotantem, quem tamen non vult audire, sed tantum solicitare ad turpia?

℟. Negatiuè, quia simulatio confessionis immediatè pendet à loco, in quo exercetur confessio, vt 58
patet superius *sub quæst.* 2. *num.* 43. hic autem nulla exercetur, nec simulatur confessio, licet futura fingatur superiori, vt facilius moneatur ad concedendum licentiam exeundi, respectu cuius non spectatur, sed tantum respectu loci, in quo simulatur, in casu autem nostro nullus datur locus, ergo neque violatio Bullæ. Ita ex Freitas Diana *resolut.* 37. *de solicitat.* qui in contrarium citat Sancium *disp.* 11. *n.* 68. reuera in fine illius columnæ fol. 73. non loquitur de hoc speciali casu, sed de alio, cum nimirum ex condicto ambæ partes intendunt vacare venereis sub simulata confessione in eodem loco electo pro confessione, vbi incumbunt ad turpia.

Quæres 8. An laudans mulierem à pulchritudine, venustate, &c. violet Bullam Gregorianam? Negatiuam docet Freitas *quæst.* 7. *num.* 44. & 45. quia laus nullum est peccatum, & locutio est honesta, atque inde mulier non legitimè suspicatur solicitationem.

Communiter tamen Doctores cum Cuna, Sanctar. 59
Perino, Bonac. Homob. Bossio, Barbosa, Diana *resolut.* 18. *de confess. solicit.* Trimarchus *disp.* 1. *sect.* 5. tenent hanc laudationem esse solicitationem in vim Bullæ Gregorianæ. Ratio est. Tum quia, huiusmodi laudatio cum sit impertinens in confessione peccaminosa est grauiter, cum sit incitatiua ad libidinem. Tum quia, huiusmodi verbis solent amantes trahere ad se mulieres, quarum amore tenentur, sunt enim verba amatoria, ac proindè parum honesta, consequenter mulier laudata prudenter suspicionem habet de solicitatione. Aduertè, quod si confessarius occasionem laudandi pœnitentem sumat ex fine honesto, vt quia mulier conquesta est de mala conuersatione sui mariti, qui est adulter, & confessarius subiungat, tibi facit iniuriam, quia iuuenis es multum pulchra, rubicunda, &c. per huiusmodi verba nulla apparet solicitatio, cum specificentur ab alio fine, quam turpi. Sed mulieres cautæ sint in denuntiandis confessariis, quando eorum verba possunt trahi in bonum sensum, consulent viros doctos, & timoratæ conscientiæ, ne sine causa infament confessarios, & in dubio abstineant.

Quæres 9. An homicidium de consilio confessarij in confessione dato perpetratum à muliere coniugata arguat tacitam solicitationem?

℟. Negatiuè, ratio est, quia homicidium non est 60
formaliter solicitatio, vt clarum est, neque virtualiter, quia homicidium in confessione persuasum nullum habet respectum, nec connexionem cum solicitatione, ergo neque solicitatio est, neque illius causa. Quod procedit, licet postea mulier sui corporis copiam faciat confessario, quia huiusmodi turpis actus non pendet à confessione ex eo, quod ab ea initium solicitationis non habuerit. Nec obstat, quod solicitatio subsequens aliqualiter dependeat ab homicidio in eo, quod si maritus viueret, confessario non complacuisset. Quia ex hoc non sequitur solicitationem dependere immediatè à confessione, cum ipsum homicidium intermediet. Trimarchus *disp.* 14. *num.* 12. putat hoc casu esse solicitationem, quando ad homicidium mariti confessarius aliud addidit adminiculum,

quo

quo se declarauit intendere maiorem libertatem mortuo marito ad tractandum de inhonestis cum illa. Nulli est dubium tunc adesse solicitationem causatam non ab homicidio, sed contentam in illo adminiculo, & variatur casus, vnde homicidium, vt sic impertinens est ad solicitationem in vim Bullæ.

Quæres 10. An confessarius, qui pœnitenti donum dedit insolitum non spirituale, vti annulum mulieri, puero pugionem, vel quid simile nullam explicando causam propter quam donauit, vel aliquam, sed non relatam ad solicitationem, an dicatur tacitus solicitator? Affirmat Trimarchus *disp.* 2. *sect.* 4. Primo, quia ex Lederma, & Paramo. Solicitatio fit per donorum largitionem. Secundò, quia dona magis, quam verba alliciunt. Tertiò, mulier non est pauper, neque annulum perdidit, ergo nihil aliud cogitare potest nisi confessarium habere affectum libidinosum erga se, ergo tunc tentatur ad libidinem.

61 ℞. Non dicitur solicitator propriè, & in vim Bullæ suadetur. Tum quia, donum ex sua natura non ordinatur ad venerea, ergo de se non est signum, aut factum sufficiens ad arguendum solicitationem, ex quo tollitur primum argumentum Trimarchi, esto enim dono fieri possit solicitatio, ea tamen non præsumitur, neque asserenda est, nisi dono adiungantur verba præseferentia solicitationem, in quo casu solicitatio consisteret in illis verbis, non in dono. Tum quia, donum mouere potest etiam ad beneuolentiam honestam, ad gratitudinem, ad aliud donum pinguius, quare cum sit indifferens, inde colligi non potest assertiuè, donum traditum fuisse ex affectu turpitudinis, immò id suspicari temerarium est, cum donum in bonam partem accipiendum sic, & sit soluitur secundum argumentum, & tertium, nam mulier malum cogitans de confessario peccat, & imprudens est illius cogitatio, cum in bonum sensum trahere possit finem, quem habuit confessarius in donatione annuli, putando donationem sibi factam fuisse vel in signum gratitudinis, si pœnitens illi fuit aliàs liberalis largitione elemosinarum, vel ex affectu paternitatis spiritualis, &c. Tum quia, non est solicitatio ex eodem Trimarcho *num.* 19. quando pecunia tribuitur pœnitenti pauperi, quia præsumptio stat pro confessario ex titulo paupertatis, ergo neque donare diuiti quia præsumptio boni finis, qui inesse potest huic donationi, facere potest fauore confessarij, pro quo in dubio præsumendum est. Demum huiusmodi solicitatio, si qua adest, solum dubia, & præsumpta est, ac proinde non est conformis Bullæ Gregorianæ, quæ punit certam solicitationem, non præsumptam, consequenter nulla est obligatio denuntiandi confessarium donatorem.

Quæres 11. An confessarius, qui suæ pœnitenti dat pecuniam, vt eam tribuat suæ meretrici, vel illi dicit, accommoda mihi domum tuam, in quo volo loqui cum tali muliere de quodam meo interesse, dicatur solicitator? Affirmat Diana *resolut.* 45. propter illa verba. *Ad inhonesta inter se, siue cum aliis quomodolibet perpetranda.* Negat Sousa ab eo citatus, quia talis actu per se primo non continet inhonestatem, sed tantum in consequentiam.

62 ℞. Negatiuè, quia illa traditio pecuniæ, & petitio domus nullam de se dicunt tentationem, aut inductionem pœnitentis ad peccandum luxuriosè neque cum confessario, neque cum alio, vnde adducta verba Bullæ in casu nostro locum non habent, quia inter se luxuriosè non peccant secundum prouocationem, neque pœnitens solicitatur ad peccandum cum aliis, vt patet ex dictis sub *num.* 27. vbi ea verba explicantur. Præterea traditio pecuniæ etiam pro meretrice non arguit futuram solicitationem, sed potius effectum solicitationis iam completum, cum pecunia præsumatur tradi in stipendium seruitutis factæ sui corporis. Demum petitio domus est actus indifferens, ergo accipiendus est in bonam partem, consequenter ad malum finem ex se non ordinatur, Esto pœnitens imaginaretur commoditatem luxuriandi, aut nota esset meretrix pœnitenti, adhuc petitio domus solicitatio non est, nec actus luxuriosus, quamuis sit conditio sine qua non perpetraretur delictum carnis, quod non sufficit ad solicitationem, quæ debet esse immediatè dependens à confessione, & non ab aliquo tertio intermediante.

Quæres 12. An non Sacerdos talem se fingens, qui dum audit confessiones prouocat pœnitentem ad luxuriam, incurrat pœnas Bullarum? Affirmat Gipsius de casib. reseru. *cap.* 14. *num.* 6. quia fit iniuria Sacramento pœnitentiæ, cum confessio facta à pœnitente bona fide Sacramentalis sit, quamuis absolutio non teneat.

℞. Non incurrit pœnas illarum Bullarum. Tum 63
quia, in illis sermo est de vero Sacerdote, & non ficto, & leges pœnales de Sacerdotibus loquentes non comprehendunt laicos, seu non Sacerdotes, vt patet non solum ex generalibus regulis de odiosis legibus restringendis, verum etiam ex proprietate vocabuli, *Sacerdos* quod Præsbiterum significat, non laicum, aut aliis ordinibus insignitum. Tum quia, leges non puniunt casum fictum, sed verum. Tum quia, hic nulla fit iniuria Sacramento, cum nullum adsit, neque confessio illa Sacramentalis est, cum non pendeat à iurisdictione & potestate Sacerdotali, esto aliàs dictus Sacerdos fictus peccet sacrilegè vsurpando spiritualem potestatem, qua caret. Ita Sanctar. *cap.* 46. de hæresi *num.* 9. Portel. Solicit. *num.* 14. Sancius *disp.* 11. *n.* 36. & alij communiter cum Trimarcho *disp.* 7. *num.* 3.

An non Sacerdos ministrans hoc Sacramentum subdatur Inquisitoribus? Dixi *cap. praced.* 22. *à quæst.* 7.

Quæres 13. An Sacerdos non confessarius, si attentando administrationem huius Sacramenti, solicitet pœnitentem, fiat obnoxius Bullis?

℞. Negatiuè, quod apertè colligitur ex Bullis, 64
nam in Bulla Pij, & Pauli ita, scribitur. *Diuersi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, curam animarum habentes, siuè eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati* Greg. XV. illis verbis. *Vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus sacrosancta pœnitentia Sacramento solicitando Pœnitentes ad turpia abutatur.* Sed Sacerdotes simplices carentes iurisdictione non dicuntur deputati ad confessiones audiendas, nec curam habent animarum, ergo non subduntur his Bullis, quæ loquuntur solum de Sacerdotibus confessariis. Confirmatur, Tum quia, lex non disponit circa ea, quæ raro accident, *l. Nam ad ea, ff. de leg.* sed raro immo rarissime simplices Sacerdotes se exponunt audiendis confessionibus quia seuerè puniuntur. Tum quia, in Bullis sermo est de audientibus confessiones quales sunt soli Sacerdotes deputati. Tum quia, hic nullus est abusus Sacramenti, cum nullum sit Sacramentum, sed sola iurisdictionis alienæ vsurpatio peccatum mortale, cum sit in re graui, & in præiudicium animarum pœnitentium. Tum quia, simplex Sacerdos in hoc æquiparatur non Saccerdoti, vterque enim caret iurisdictione, & nullum facit Sacramentum, consequenter si non Sacerdos minimè comprehenditur sub dictis Bullis, nec Sacerdos simplex. Ita docent Sousa *lib.* 1. Amphor. *cap.* 34. *num.* 16. & 17. Fagund. Præcepto 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 79. Portellus *n.* 13. & fundamento à Suar. accepto, quod pœna à lege imposita alicui actui non incurritur, quando

quando ille actus nulliter fit. Non placet, quia illud falsum est, siquidem ex actibus attentatis, & nulliter productis sequitur obligatio ad pœnam, nam Mendicantes infra annum probationis admittentes nouitium ad professionem puniuntur, & tamen professio est nulla *cap. 2. & 3. de regul. in 6.* pariter ex-

65 communicatio lata in participantes excommunicatis nulla est, non præmissa canonica monitione, nihilominus iudex incurrit pœnam. Quod magis patet ad rem nostram, nam Sacerdos confessarius hanc pœnam eludere posset non obstante solicitatione si nullam faceret absolutionem defectu intentionis, aut omissionis alicuius verbis essentialis absolutionis, quod falsum esse omnes docent. Deinde siue sequatur confessio, & Sacramentum validum, siue non, solicitans reus est harum Bullarum ergo illa ratio Portelli nullius est momenti.

66 Prædictis obstat Peirinus *tom. 3. priuileg. cap. 11. num. 3.* prope finem, quem pro se citat Trimarchus *disp. 7. sect. 4. num. 24.* asserentes solicitantem, qui caret iurisdictione, reum esse harum Bullarum, probat primò Trimarchus *num. 25.* ex Peirino, quia vt Sacerdos sit reus Bullæ Gregorij non est necesse, quod confessiones audiat, sed sufficit, quod, in loco solito simulet confessionem, & prouocet ad inhonesta. Hoc argumentum supponit quemlibet Sacerdotem confessiones simulantem cum prouocatione ad turpia esse reum huius Bullæ, id tamen probare debebat, quia est in quæstione, vt nos probauimus ex textu Bullarum, non enim sufficit simulatio confessionis in loco solito, facta à qualibet persona, sed debet esse qualificata iuxta expressionem Bullarum, quæ requirunt sacerdotem deputatum ad confessiones audiendas, aliter etiam laicus simulando confessiones audire in solito loco, si prouocaret pœnitentem ad inhonesta, esset reus harum constitutionum, quod tamen Peirin. nec Trimarchus admittunt. Nec argumentum hoc Peirini directè probat, quod dicit Trimarchus, sed tantum reprobat rationem Portelli, vt colligitur ex illis verbis. *Sed ista doctrina,* scilicet Portelli, *huic casui applicari non potest, nam non est necesse ad incurrendas has pœnas, quod confessarius confessionem audiat.* Neque objicias, ergo neque necesse est, quod habeat potestatem iurisdictionis ad absoluendum, si non necessario audire debet pœnitentem, quem intendit solicitare, quia non datur absolutio vbi non est confessio peccatorum. Dico, enim sufficere quod validè possit absoluere, si audiat, carens autem iurisdictione nequaquam absoluere potest, ergo necesse est, quod sit Sacerdos deputatus, aliter non dicitur posse audire in vim Bullarum, quæ supponunt potestatem iurisdictionis in Sacerdote.

Probat secundò, quia Bulla Gregorij intendit castigare illum Sacerdotem qui cum possit, & valeat præbere remedium, & excitare pœnitentem mulierem ad dolendum de peccatis porrigit venenum, & excitat ad peccatum enorme, & potens dare panem, dat scorpionem, &c. Hoc argumentum loquitur de Sacerdote potente absoluere, qui nimirum deputatus est, & habet iurisdictionem, ac proinde impertinens est ad probandam conclusionem, quæ est de Sacerdote carente iurisdictione. Quod subdit, nimirum Sacerdotem confessarium excommunicatum, seu suspensum vitandum, & non toleratum, vel nondum approbatum esse confessarium, patet inquiunt ambo, quia est Sacerdos habens potestatem ordinis, & potest à venialibus, & mortalibus aliàs remissis & etiam non remissis in articulo mortis absoluere, vt docent omnes in tractatu de Pœnitentia. Euertitur, quia in omnium sententia Sacerdos carens iurisdictione, & habens solam ordinis potestatem, non dicitur deputatus, nec verè, & formaliter confessarius, qualis est ille solum, qui vtramque ex dictis potestatibus habet in actu, vt tradunt omnes scribentes super *cap. 15. sess. 23.* Tridentini, de qua duplici potestate ordinis, & iurisdictionis idem Tridentinum *sess. 14. cap. 6. can. 3. 9. & 10.* de potestate ordinis, *cap. 7.* de potestate iurisdictionis, de quibus Faber. *disp. 25. de pœnit.* Ego *tom. 1. resolut. 34. num. 10. & resolut. 36. num. 27.* Qui absoluit in articulo, seu periculo mortis sine dubio vtramque habet potestatem pro illo tunc, nam est Sacerdos, cui ab Ecclesia est delegata potestas iurisdictionis ex doctoribus allegatis à Barbosa ad *cap. 7. sess. 14. num. 16.* A venialibus verò, & à mortalibus remissis simplex Sacerdos absoluere non potest, vt cum multis probaui cit. *Resolut. 36. q. 10. num. 57.*

Tertiò, quia sequeretur, quod qui solicitaret pœnitentem, quæ inter confitendum accusaret aliquod reseruatum, à quo nequit confessarius, absoluere, non debere subiacere dictis pœnis. Nihil probat ad propositum, quia iste est verus confessarius, & deputatus. Deinde falsum est, in Bulla Gregorij nullum reperiri verbum restringens pœnas statutas ad Sacerdotes deputatos ad audiendas confessiones; nam in vtrisque Bullis initio allatas clausulas attulimus restringentes ad Sacerdotes deputatos, & reuera confessarios formaliter ex deputatione.

Sancius *disput. 11. num. 38.* dicit comprehendi Sacerdotem certò iurisdictione carentem, aliàs enim 67 fraus magna, & dolus oriretur in defraudanda Bulla, cum confessarius posset negare, se facultatem præhabere ad audiendas confessiones. Sed hæc ratio non obstat, quia sufficit quod non fiat fraus ab illis Sacerdotibus, qui deputati sunt, & iurisdictionem habent, præterquamquod hoc argumentum supponit quemcumque Sacerdotem simplicem huic Bullæ esse subiectum, quod est in quæstione; & supra probatum est ex claris verbis Bullarum solos Sacerdotes deputatos subdi illis, vnde & respectu istorum fraus, & dolus locum dicitur habere. Confirmatur per id, quod dicit sequenti *num. 39.* nimirum non subdi, quando mala fides confessarij, & pœnitentis interuenit, quia vterque confessionem inualidam iri, & ob id intendere nequeant conficere Sacramentum. Nam si verus confessarius tentet mulierem illi consentientem, & postmodum illam absoluat impœnitentem, certum est, confessarium non intendere confectionem Sacramenti ex parte rei, cum non possit reuera intendere, quod facere nequit, & in hoc comparatur Sacerdos verus confessarius, & non confessarius, qui inutiliter absoluunt, & nihilominus in eo casu verus confessarius Bullæ reus est.

Quod si dicas, nostram responsionem fundari in illis clausulis superius adductis pro probatione, quæ cum facti narrationem contineant, nihil probant, quia 68 facti narratio non facit ius, neque spectat ad partem dispositiuam legis, ex *cap. Ex literis 3. de fide instr.* iuncta Glos. *verb. Abrasa sunt*, quia hoc ad ius non pertinet, sed ad quæstionem, *l. si vnus C. de testam.* Tiraq. *in l. si vnquam verb. Libertis C. de reuocand. donat. num. 37.* procedit, licet narratio facta sit à Papa, *cap. si Papa 10. de priuileg.* Gilenz *consil. 107. num. 16.* Respondetur non facere ius, quando in parte dispositiua alio modo proceditur, tunc enim attenditur tantum dispositio, & non pars narratiua, quod si pars dispositiua relatiue se habet ad partem narratiuam, tunc ab ea sumit interpretationem, quia relatio restringitur, & limitatur ad illud, quod in relato continetur, Dec. *consil. 63. num. 6.* aliis citatis à Barbosa *axiom. 201.* Sed in dispositiua parte mentio fit de Sacerdotibus illis, de quibus in parte narratiua, in qua fit solum mentio de deputatis ad confessiones, ergo, ad illos tantum Bulla restringitur.

Quæres

Quæres 14. An interpres confessionis si solicitet, reus sit harum Bullarum?

69 ℞. Non est reus, probatur, Tum, quia Bullæ inuehuntur contra Sacerdotes audientes confessiones pœnitentium, qualis non est interpres, qui licet audiat peccata pœnitentis, non ideo fungitur officio Sacerdotis, vt clarum est, cum laicus possit esse interpres, sed tantum explicat illi peccata pœnitentis accusantis se per interpretem, medium igitur est interpretari, & explicare peccata pœnitentis confessario, qui actus interpretatio neque est accusatio, neque propriè auditio auctoritatiua peccatorum, ideo non comprehenditur sub Bullis. Tum quia, solicitatio fieri solet absconditè, & coram aliis ferè numquam ob verecundiam, quæ inest venereis maximè ex parte patientis, vt superius dictum fuit; sed lex non disponit super ea, quæ raro eueniunt, ex vulgatis iuribus, ergo neque circa hunc casum illæ Bullæ disposuerunt. Tum quia, laicus, & Sacerdos simplex attentantes audire confessiones, si solicitent, non sunt rei huiusmodi Bullarum ex supra dictis, ergo multo minus interpres, qui nullatenus fingit, neque fungitur officio Sacerdotis. Ita docent Sousa Aphor. *lib.* 1. *capite* 34. *numer.* 14. Sancius *disp.* 11. *n.*10. *&* 37. Palaus, & Fagundez quos contra se citat Trimarchus, *qui disp.* 7. *sect.* 3. tenet oppositum, nimirum Interpretem esse reum dictarum Bullarum.

70 Trimarchus igitur probat primo, quia in hoc casu intercedit eademmet ratio, quæ respectu confessarij, hoc est, abusus Sacramenti, & sumitur Sacramentum vt medium ad peccandum, vnde etiam interpres confessionis erit suspectus de hæresi. Contra est, falsum enim eamdem esse rationem, quia cum non cooperetur proximè ad Sacramentum, abest eiusdem abusus, & suspicio hæresis, nam interpres non est subiectum, neque minister Sacramenti. Secundò, probat, quia interpres licet sit laicus participat aliquid de actu clauis, & ex S. Thoma in 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 1. *& in supplem ento ad par.* 3. *quæst.* 11. *art.* 3. ex Suarez *de Pœnit. disp.* 33. *sect.* 4. *numer.* 4. vnde tenetur ad sigillum æque, ac confessarius, Scotus *in* 4. *dist.* 7. §. *Sed primum non videtur*, Ricard. *in* 4. *dist.* 21. *art.* 4. *quæst.* 3. cum aliis. Quidquid sit de ista obligatione ex vi sigilli, non inde infertur interpretem subiici dictis Bullis, quia reum dictarum Bullarum non facit quem præcisè participatio sigilli ex solicitatione, sed ex eo, quod minister solicitans est potens conficere verum Sacramentum. Deindè cautè procedendum cum interprete confessionis, quantum enim fieri potest, remouendum est è participatione actiua huius Sacramenti, ne communicemus cum hæreticis, qui etiam laicos faciunt ministros huius Sacramenti. Probat tertiò, quia accessorium sequitur naturam sui principalis? Sacerdos autem audiens est principalis; interpres autem est accessorius, ergo sequitur naturam principalis; fatendum igitur est, quod intentio Pontificum est obligare accessorium, quo medio fit Sacramentum, seu confessarius administrat Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc argumentum plus probat, quam velit; nam si accessorium hic sequitur naturam sui principalis, ergo interpreti competit, quidquid conuenit confessario, ac proindè interpres laicus conficit Sacramentum sicut Sacerdos, & confert gratiam, quod falsum est. Deindè interpres nullam habet rationem accessorij, sed medij tantum. Quod si dicas, axioma intelligi, quod accessorium sequitur naturam sui principalis quoad obligationem, & subiectionem dictarum Bullarum. Respondeo, axioma non habere locum, vbi est specialis prouisio in vno non in altero, *ex tex. in l. Si is, C. de prædiis min.* Brunor. à sole in locis comm. *ver. Accessorium*, Barbosa Vaz. lit. A. *n.* 7. constat autem dictas Bullas prouidisse contra confessarios solicitantes, non vero interpretes, qui raro adhibentur in confessione. Neque verum est, immo falsissimum, quod medio interprete fiat Sacramentum, seu à Sacerdote illo mediante conficiatur, quia interpres se habet, vt merus explicator peccatorum pœnitentis, sicut si pœnitens ipse presenti confessario traderet scripturam suorum peccatorum, legendam per ipsummet confessarium, quæ nullo modo concurrit ad confectionem Sacramenti, quod constat tantum ex actibus pœnitentis, & absolutione confessarij.

Quæres 15 An mulier in actu confessionis solicitans confessarium rea sit huiusmodi Bullarum, ac proindè à confessario, vel ab alio sit denuntianda Officio S. Inquisitionis? Affirmant Paramus *lib.* 3. *de orig. quæst.* 10. & Belloch. *par.* 2. *de casib. reseru. q.* 9. *num.* 51.

℞. Negatiuè. Tum quia, in Bullis fit solum 71
mentio de confessariis solicitantibus, & non de aliis personis, ex supra probatis. Tum quia obligatio denuntiandi præcipitur solis pœnitentibus solicitatis in confessione, ex Bulla Gregoriana; confessarius autem licet solicitatus adhuc retinet qualitatem confessarij, ergo nullam habet obligationem denuntiandi. Tum quia, hic suspicio hæresis locum non habet, *infra numer.* 83. Tum quia, lex non comprehendit ea, quæ raro accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legib.* Ita Bonac. *de denunt. p.* [illegible] *num.* 20. Sancius *disp.* 11. *num.* 24. Portel. *in* [illegible] *ver. solicitare numer.* 9. Diana *resolut.* 23. *de denunt.* & alij omnes.

Quæres 16. Quid dicendum, quando confessarius solicitatus non reiecit impudicam mulierem, sed illi consentit, an tunc confessarius dicatur Reus Bullarum, ac proindè denuntiandus sit à muliere non obstante eiusdem mulieris solicitatione?

℞. Confessarius, qui consentit in fœminam so- 72
licitantem denuntiandus non à est fœmina solicitante, neque ab aliquo alio id sciente, respectu nullius Bullæ, quod probatur argumentis superius adductis, siquidem, præstitus consensu non facit confessarium solicitatorem, vt Bullæ postulant, sed solum indicat illum consentientem; nec obstat, quod agentes & consentientes pari pœna sunt puniendi, quia præterquam quod propriè intelligitur de peccato, Thomasset. Reg. 21. Nauar. *consil.* 1. *de iudæis*, bene pari 73
pœna puniuntur, sed exclusiuè ab hac Bullarum. Confirmatur, quia de consensu in solicitationem nihil disponitur in Bullis, ergo consensus attendendus non est. Ita maior pars doctorum cum Sanctar. *cap.* 46. *de hæresi, n.* 2. Sancio *disp.* 11 *n.* 25. Lezana *par.* 1. *c.* 19. *n.* 34. Peirin. *ad constit.* 4. *Gregorij XV. n.* 9. cum multis aliis citatis à Trimarcho *disp.* 9. *sect.* 1. *&* 13. qui tamen sentit oppositum præcipuè respectu Bullæ Gregorianæ, vbi dicta *sect.* 3. citat pro se Sousam, & Dianam.

Probat autem Trimarchus primo ex verbis. *Aut cum* 74
eis illicitos, & inhonestos sermones, siuè tractatus habuerint.

Bullæ Gregorianæ, quæ verba comprehendunt hunc casum, qui omissus erat in Bullis antiquis. Sed ad hæc supra respondi *sub numer.* 52. dictam clausulam comprehendere colloquia de rebus turpibus sine ordine ad prouocationem, aut de lenocinio peragendo à pœnitente. Præterea illa verba referuntur ad confessarios auctores inhonestorum sermonum, vt colligitur ex verbo, *habuerint*, quod sine dubio refertur tantum ad confessarios, vt bene

bene legenti patet, & docet Bossius *in Append. dub. numer.* 12. quem impugnat Trimarchus cit. *numer.* 15. sed indirectè, vnde idem Bossius bene se defendit *in Disceptat.* 5. *Defens.* 4. sed istæ altereationes vanæ sunt, & quandoque effugia, vt eludantur obiecta.

Probat secundò, quia secus numquam confessarij solicitantes mulieres possent ab Inquisitoribus puniri, nam semper confessarij dicerent se prius fuisse solicitatos à muliere, vnde cum potius credendum sit viro, quam mulieri, consequenter essent liberandi. Nullius momenti hoc est argumentum, neque enim credendum est confessario asserenti pro se, nisi id probat.

Probat tertiò, quia confessarius etiam in hoc euentu dicitur sacrilegus, & suspectus de hæresi tamquam agens contra puritatem, & reuerentiam debitam Sacramento, ergo cum propter sacrilegium illa Bulla puniantur confessarij solicitantes mulieres pænitentes; sequitur, vt etiam in hoc euentu puniri debeant. Sed contra, quia falsum est, mulierem solicitantem esse suspectam de hæresi; ergo neque confessarius cum ab eo initium [illegible] habeat solicitatio causa suspicionis. *Infra quæst.* 19. §. *Quinta pars.* Ad illam probationem respondet ipsemet Trimarchus eadem *disp.* 9. *sub n.* 48. quam sibi obiecerat, primo esto, quod mulier sit suspecta de hæresi, non inde sequitur denuntiationis obligatio, nam edicta non obligant cum tanto rigore, itaut præcipiant, & velint, non seruari secretum, & sigillum eorum, quæ audiuntur in confessione, ergo subinfero ego non omnis sacrilegus, & de hæresi suspectus, [illegible] confessarius in hoc casu, si tamen talis est, de[illegible]ndus est. Addit, quod ex solicitatione facta à m[illegible] [illegible]ullum sequitur incommodum publicum, neque corruptio fidelium, sicut ex confessarij solicitantibus, qui tamen non dicuntur solicitare in hoc casu, sed tantum consentire, & approbare solicitationem. Respondet secundò, mulierem non esse ita de hæresi suspectam sicut confessarius solicitans. Vide ipsum. Igitur sola solicitatio, non autem consensus in ipsam propriè reddit suspectum de hæresi secundum tenorem Bullarum, quæ consensum in solicitationem non considerant, sed præcisam solicitationem factam confessario, à quo abest in hoc casu.

Quæres 17. An ex mutua solicitatione inter confessarium, & pœnitentem sequatur violatio Bullarum? Quæstio supponit solicitationem primo inchoari à muliere, deindè à confessario, nam si primo confessarius solicitet, certum est dictis Bullis affici. Neque difficultas est, quando confessor solicitatus statim consentit, tunc enim euadit has pœnas, quia nullatenus dicitur solicitare, sed tantum consentire in solicitationem ex supradictis. Remanet ergo difficultas, quando solicitatio facta à muliere interrumpitur, & postmodum confessarius mulierem nihil amplius dicentem solicitat ex parte sua. Hæc autem interruptio contingere potest primo per actum directè contrarium, quando nimirum confessarius dissentit solicitationi obiurgando mulierem; secundo habendo se negatiuè diuertendo ad alia, tertio occasione solicitationis sibi factæ persuadendo fœminam ad alium actum, ad quem non fuit prouocatus à muliere neque directè, neque in consequentiam, seu concomitanter.

75 ℟. In primo casu confessarius subiacet Bullis, quia propriè solicitare dicitur, siquidem per illos actus tetractationis prioris solicitationis factæ à muliere erga confessarium, cessat prior solicitatio, ex quo secunda per confessarium facta dici non potest consensus, sed pura prouocatio licet occasionata materialiter à priori. Ita Sanch. *disp.* 11. *n.* 29. Bossius *in Append. dub.* 3 *num.* 9. Acugna *q.* 11. *num.* 1. quos pro se citat Trimarchus *disp.* 9. *n.* 28. quod maximè procedit, quod fœmina confessa fuit suum peccatum sperans emendationem.

In secundo casu subiici confessarium docet Trimarchus *disput.* 9. *num.* 22. ex Bossio, & Acuncha, quia confessarius tunc est solicitator, & impellit mulierem ad turpia. Putarem tamen, confessarium excusari posse, quia reuera non solicitat propriè, neque impellit fœminam, sed solum consentit, & in vsum deducit prouocationem sibi oblatam, illam acceptando; neque sufficienter dicitur prior solicitatio interrupta moraliter, licet physicè, quod in moralibus non vsquequaque locum habet, experientia insuper constat, non semper responsionem immediatè succedere interrogationi, sed quandoque aliquid extraneum, & diuersum interponitur, vt responsurus tempus habeat ad deliberandum, quid sit respondendum. 76

In tertio casu, si mulier solicitet ad copulam, & confessarius ad sodomiam, vel è contra, reus est confessarius huius Bullæ, quia proprie ipse auctor est solicitationis, ad quam specie non fuit instigatus à muliere. Ita Sancius *disp.* 11. *num.* 27. Palaus, quem citat Trimarchus *disp.* 9. *num.* 30. & 31. Quod si mulier solicitet ad copulam etiam innaturalem, vel ad pollutionem, & confessarius sit contentus solis osculis, & tactibus Bullarum reus non est, quia non dicitur auctor solicitationis, sed tantum consentire in præuios actus, ad quos censetur prouocatus à muliere, quæ dum instigauit illum ad prædicta, consequenter prouocauit etiam eumdem ad illos præuios actus, qui sunt dispositiones copulæ. Ita Peirinus *tom.* 3. *priuileg. c.* 1. *n.* 8. quem sequitur Trimarchus *disp.* 9. *n.* 38. contra Sancium *disp.* 11. *num.* 28. extremis verbis, ex ratione, quia confessarius poterat fœminam auertere non solum à copula, sed etiam à tactibus; sed hæc ratio non suffragatur, nec sufficit, nisi supponat confessarium proprium auctorem osculorum, quod tamen verum non est ex dictis. Præterea secundum eumdem Sancium *n.* 26. mutua solicitatio initiata à muliere non comprehenditur sub Bullis, & tamen confessarius poterat auertere mulierem se solicitantem ab inhonestate, & non auertit, ergo cum non incurrerit in hoc casu secundum Sancium, neque in illo, cum eadem ratio in vtroque militet. 77

Quæres 18. An confessarius à fœmina solicitatus, & consentiens immediatè sit denuntiandus ab illis, qui hoc delictum sciunt? Affirmat Trimarchus *disput.* 14. *sect.* 2.

Resp. Non est denuntiandus, quia neuter violauit Bullas Pontificias ex probatis *sub. q.* 15. & 16. ratione quarum solummodo est obligatio denuntiandi. Immo hæc denuntiatio in Bulla Gregorij refertur præcise ad pœnitentes solicitatos, ibi: *Mandantes omnibus confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis, vt supra, solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes.* Neque Edicta Inquisitorum aliquid amplius continent, dicunt, iubent denuntiari. *Che habbiano abusato, ò abusino il Sacramento della Penitenza contro li Decreti, ò Constitutioni Apostoliche.* Restringuntur enim ex vltimis verbis. Confirmatur, quia principalis, quæ est persona solicitata non tenetur ergo neque accessoria, quæ est tantum sciens solicitationem. Et ita intelligendum est Decretum Clementis VIII. relatum initio huius capitis *sub num.* 3. nimirum habentem cognitionem solicitationis non teneri denuntiare, quando principalis, seu prætensus solicitator non fuit reus dictarum Bullarum. Ita Sancius *disp.* 11. *n.* 25. Belletus *disquisit. cleric. par.* 2. §. 8. *n.* 8. quos contra se citat præfatus Trimarchus asserens, adesse obligationem denuntiandi ea delicta, quæ tendunt contra perniciem reipublicæ, vt sunt solicitantes, hæretici, &c. Sed contra ipsum est, quia 78

hæc

hæc in specie solicitatio facta à muliere, & acceptata à confessario non perniciosa reipublicæ, cum nullum sequatur publicum incommodum, neque mulier dicatur suspecta de hæresi, vt dicit ipse Trimarchus *disput.* 9. *num.* 48.

Quæres 19. An solicitator siuè confessarius, siuè fœmina, sit suspecta de hæresi, & quali suspicione, atque debeat abiurare?

78 ℞. Solicitator confessarius est de hæresi suspectus solicitando in confessione etiam ante, seu post immediatè? non verò quando fingit in confessionali audire confessiones, & solicitat; hæc autem suspicio est vehemens, ac proindè de vehementi abiurare debet; mulier verò pœnitens solicitans confessarium suspecta non dicitur de hæresi.

Prima pars, de suspicione hæresis certa est apud omnes, & constat ex Bullis. *Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant.* Si ergo bene sentientes de Sacramentis, illis abuti non præsumuntur; ergo qui illis abutuntur præsumuntur male de illis sentire, ac proindè censentur suspecti de hæresi. Confirmatur, quia confessarius ita agens præsumitur credere, aut licitum esse vti hoc Sacramento ad inhonesta, aut hoc Sacramentum non remittere peccata, hoc ipso quod inducit in ipso actu pœnitentem ad oppositum, nimirum ad peccandum, aut simul stare posse remissionem peccatorum, & eorumdem perpetrationem, quod est destruere hoc Sacramentum, quod ita delet peccatum, vt simul excludat illorum perpetrationem.

79 Sed numquid ante Bullas confessarius solicitator erat suspectus de hæresi, vt modò talis notatur? Sic, quia ex conditione facti emanat huiusmodi suspicio, vt ex adductis constat, sed quia in controuersia erat? an casus iste subderetur iudicio Inquisitorum, ideo Summi Pontifices litibus, & dubiis occurrere, & extinguere illa volentes ediderunt Bullas super hac re subiicientes solicitatores huiusmodi Inquisitoribus. Vide Pegnam *par.* 2. *Directorij comment.* 81. Bossium *dub.* 7. *n.* 6. Sanctar. *c.* 44. *n.* 2. quos pro se citat Trimarchus *disp.* 14. *n.* 28.

80 Secunda pars, quod non sit suspectus quando simulatur confessio, probatur, quia ibi nullum est Sacramentum, in quo fundetur abusus, & suspicio hæresis. Ita Sousa in Aphor. *l.* 1. *c.* 34. *n.* 64. & ex eo Carena *par.* 2. *tit.* 6. *n.* 76.

81 Tertia pars, quod sit vehementer suspectus, probatur, quia apud nos Italos datur certa regula, quod abusus Sacramentorum inducit vehementem suspicionem, contra Hispanos, qui volunt, confessarium solicitantem esse tantum de leui suspectum, quia isti considerant potius prauam inclinationem ad libidinem, quàm voluntatem abutendi Sacramento, nam ex voluntate, & proposito maleficia distinguuntur, *cap. Cum voluntates* 54. *de sent. excom. l. Verum est* 40. *ff. de furtis.* Ita omnes Itali cum Genuensi *cap.* 66. *num.* 2. Pegna *par.* 2. *com.* 81. Modio *cap.* 27. *de Sacris Ordinib. n.* 6. Trimarch. *disp.* 4. *n.* 34. Carena *par.* 2. *tit.* 6. *n.* 75. Diana contrarium sentientes citat *resolut.* 51. *de confess. solicit. & resolut.* 7. *de pœnis delict.*

82 Quarta pars, quod debeat in Italia abiurare de vehementi, constat ex eo, quod abiuratio de vehementi sequitur ad suspicionem vehementer. Ita Carena *par.* 2. *tit.* 6. *num.* 76. §. *Hisce suppositis*, vbi dicit, solicitantem in confessionario, sed sine confessione, puniendum esse sine abiuratione, quia ex hoc suspectus non dicitur.

83 Quinta pars, quod mulier solicitans confessarium non sit suspecta de hæresi, probatur, Tum quia, mulier non accedit ad confessarium animo confitendi, sed solicitandi illum ad inhonesta, ergo cum nullum adsit initium Sacramenti, neque proinde illius abusus, suspicio hæresis locum habere non potest, licet etiam ipse confessarius consentiat, quamuis intentionem habuerit audiendi illius peccata, quia reuera nullum adest Sacramentum, neque eius abusus, consequenter neque suspicio. Tum quia, secundum Carenam supracitatum confessarius simulans confessionem non est suspectus; ergo neque mulier sub simulata confessione solicitans confessarium.

Quæres 20. An pœnitens solicitatus sub mortali teneatur denuntiare confessarium sui solicitatorem.

℞. Tenetur vt apertè exprimitur in Bulla Gregorij 84
illis verbis. *Mandantes omnibus confessariis, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab aliis, vt supra, solicitatos moneant de obligatione denuntiandi solicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum confessarios solicitantes seu tractantes vt supra, iidem locorum ordinarij, & Inquisitores pro modo culpæ punire non negligant.* Huiusmodi autē obligatio sine dubio est sub mortali respectu vtriusque cum agatur de re graui, & de abusu Sacramenti, ac proinde eius omissio mortale peccatum erit? præterquamquod id præcipitur in omnibus Edictis Inquisitorum sub excommunicatione, quæ non incurritur nisi propter peccatum mortale; & hoc necessario asserendum est, aliter frustratoriæ essent Bullæ Pontificiæ, & pauci denuntiarent, si solum tenerentur sub veniali. Ita docent omnes, quos refert Trimarchus *disp.* 4. *sect.* 1. Quo iure inducta sit hæc obligatio edictorum ne, an Bullarum? Vide prædictum *sect.* 3. & Carena *part.* 2. *tit.* 6. §. 21. In recipienda autem huiusmodi denuntiatione cautè procedendum est cum mulieribus, & iuuenibus inquirendo, de loco confessarij, de die solicitationis, an sola fuerit tunc in Ecclesia, an alij audierint, vel viderint, an ipsa reclamauerit, vel quod simile fecerit, vt depositio huius criminis, multum difficilis probationis clara sit tam pro actore, quam pro reo, vt veritas facti bene expiscari possit.

Quæres 21. An confessarius audiens pœnitentem solicitatum, teneatur sub mortali monere illum de denuntiatione facienda confessarij solicitati?

Resp. Sic, ex allatis verbis Gregorij in præcedenti 85
quæstione, & hoc sub mortali cum agatur de re graui, & verbum *Mandantes* importat præceptum sub mortali, quampluribus doctoribus citatis tenet Sanch. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 35. Quod si pœnitens nolit obedire, nullatenus absolui potest, cum existens in peccato mortali inobedientiæ indignum se reddat absolutione; si promittat denuntiare, absoluendus est, quia sufficienter est dispositus ad Sacramentum recipiendum; nec Bullæ, neque Edicta præcipiunt præmittendam esse denuntiationem absolutioni. Confessarius omittens hanc monitionem, vel dicens, id non esse necessarium punitur ab Episcopo, vel Inquisitore, vt ibidem dicitur præter peccatum mortale quod incurrit, non tamen dicitur suspectus de hæresi.

Sed quid agendum, quando pœnitens redit ad confes- 86
sarium solicitatorem, vt illi confiteatur? Respondet Trimarchus *disp.* 14. *n.* 59. quod confessarius non tenetur admonere pœnitentē de denuntiatione facienda contra se, quia verisimile est Papā illi non imponere tam graue præceptū contra seipsū. Confirma hoc ex verbis ipsius Bullæ. *Vt suos pœnitētes, quos nouerint fuisse ab aliis solicitatos &c.* nam particula *ab aliis* distinguit confessarios solicitantes à non solicitantibus; ad quod spectat monere. Subiungit, quod aliqui dicunt in hoc casu, mulierem non teneri denuntiare confessarium,

quando demonstrauit sibi magna signa emendationis; aut denique confessarium sponte se præsentare Inquisitori, monendo interim mulierem de denuntiatione facienda, hoc vltimum nimis durum est, neque colligitur ex Bulla, optimum vero consilium est præuenire propria exculpatione.

Quæres 22. An persona solicitata teneatur personaliter, & per seipsam ore proprio denuntiare confessarium solicitatorem?

87 ℞. Affirmatiuè, est enim actus personalis, qui personam non excedit, ita quod per alium præstari non potest aliter denuntiatio esset ex auditu alterius. 88 Quare transmittentes schedulas ad sanctum Officium incertas obligationi suæ non satisfaciunt, vt exprimitur in Edictis similibus verbis. *Aduertendo, che à questi nostri precetti non sodisfaranno, ne s'intendono sodisfare quelli, che con bollettini, ò lettere senza nome, & cognome delli autori, ò in altra maniera incerti, delli quali niuno conto si tiene nel sant'Officio pretendessero reuelare in delinquenti.* Mittentes ergo Epistolas suo nomine, & cognomine subscriptas satisfaciunt, in illis enim proprio ore denuntiant; nihilominus isti postea ab Inquisitore vocandi sunt, vt iterum iuridicè, & legitimè deponant. Fœminæ nobiles, & similes personæ, quæ dedignantur sed immerito, adire tribunal hoc Sanctum, tenentur monere Inquisitorem per internuntium, vt mittat ad domum Inquisitor Notarium ad recipiendum querelam; & id à fortiori debent facere moniales, quæ exire ne-
89 queunt. Internuntius autem magis ad propositum est confessarius admonens de hac obligatione, qui de ordine Inquisitoris potest recipere querelam à certis puellis, monialibus, & fœminis illustribus, immo, & ab aliis, qui consenserunt, & non audent comparere coram iudice, in quo casu confessarius ex licentia Inquisitoris recipiet denuntiationem vt respondit sacrum Tribunal his verbis. *E quando il penitente tuttauia persistesse nella medesima renitenza N. S. si contenta, che dal Vescouo, ò Inquisitore si dia autorità al confessore di ricercare, per scrittura, e con giuramento la dinoncia, per portarla subbito à chi gli haurà data autorità di pigliarla.* De hoc responso iterum infra *sub q.* 24. Vide doctores allegatos à Trimarcho *disp.* 11. *sect.* 1. & 2.

Quæres 23. An persona semel solicitata teneatur denuntiare?

90 ℞. Sic, quia Bullæ simpliciter loquuntur de denuntiandis solicitatoribus, tam autem est solicitator, qui semel prouocat, quam qui pluries. Et in hoc nulla difficultas Sanct. *capite.* 44. de hæresi *num.* 12. Bossius *dub.* 24. *num.* 85. Trimarch. *disp.* 4. *sect.* 7.

Quæres 24. An mulier solicitata, quæ consensit, teneatur denuntiare cum expressione consensus?

91 ℞. Persona solicitata, quæ consensum præstitit, tenetur adhuc denuntiare confessarium solicitatorem, de consensu autem præstito nulla mentio habenda est à persona solicitata, neque super hoc à iudice interroganda est, immo neque in actis redigendum id est, quamuis à pœnitente sponte denuntiaretur. Ratio prædictorum est, quia Bullæ Pontificiæ considerant præcisè actum solicitationis ex parte confessarij, de quo solo mentionem faciunt, de consensu verò, & copula sequuta non curant, quia id ad illorum officium non spectat, Satis enim confessarius iniuria afficit Sacramento, & redditur suspectus de hæresi per solam prouocationē, cum totus abusus pendeat ex parte confessarij. Et ita responsum fuit per
92 supremum Tribunal 27. Septembris 1624. illis verbis. *Hanno risoluto, che qualsiuoglia penitente è tenuto à denuntiare il confessere, dal quale sarà stato solecitato nel loco, ò atto di confessione, ancorche li habbia consentito, & non è tenuto à propalare il proprio consenso; ne sopra ciò interroghi dal Vescouo, ò dall' Inquisitore, ò loro Vicarij, auanti quali deporrà; ne meno il confessore denuntiato, procedendosi poi contro di lui ne i constituti, che se li faranno, s'interoghi sopra detto consenso: & in caso, che volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto come cosa in ordine alla persona solicitata non aspettante all'officio della santa Inquisitione.* De hoc responso per extensum vide Bariolam, & Trimarchum *disp.* 4 *sect.* 6. *n.* 67. Vnde ex his falsa censenda est opinio Portelli *n.* 55. asserentis in hoc casu non teneri fœminam, quæ fuit solicitata, denuntiare confessarium solicitantem ne suo honori detrimentum patiatur, hæc enim ratio locum non habet hic, eo ipso, quod de consensu nihil penitus agendum est, ex quo penderet honoris discrimen.

Quæres 25. An sciens aliquem pœnitentem fuisse solicitatum in confessione, teneatur denuntiare confessarium solicitantem?

℞. Qui id scit ex ore vel ipsius confessarij solicitatoris, 93
vel ipsius pœnitentis solicitati, modo iste sit iuuenis, vel fœmina bonæ famæ, & non loquaces, tenetur denuntiare, modo ab illis narratum non sit per modum consilij, in quo casu audiens non tenetur denunciare; neque naturale secretum hic excusat; quæ procedunt, licet denuntians non possit probare.

Prima pars ex ore confessarij, vel pœnitentis probatur, quia in Edictis Inquisitorum denuntiatio huius criminis non solū præcipitur personis solicitatis, vt etiam statuitur in Gregoriana, sed etiam aliis scientibus ex auditu prædictorum. ibi: *Denunciare & questo sant'officio, tutti, & ciascheduno di quelli, de quali sappiano, ò habbiano hauuto, ò hauranno notitia, che habbiano abusato, ò abusino il Sacramento della Penitenza.* Ita Portellus *n.* 22. alios vide quid Trimarchum *disp.* 6. *n.* 3. Est autem certa regula, quod sciens tenetur denuntiare quādocūque non excusatur principalis nimirū persona solicitata, quia sciens vti accessorium obligatur eadem lege, quia tenetur principalis. Verum quidem est, quod si principalis denuntiat, ad nihil tenetur sciens, quia iam satisfactum est sancto officio.

Dixi, *ex ore confessarij solicitantis vel personæ solici-* 94
tatæ, quia qui ab aliis audiuit, non tenetur denuntiare, eo quod non dicitur in hoc casu scire, & habere notitiam de crimine, *l.* 2. §. *Idem Labeo ff. de aqua pluu. arc.* vbi dicitur: *Quod audis, nescire diceris.* supple si proueniat ex auditu mediato, eo quod ille, qui tibi crimen narrat, id ab alio audiuit; nam bene scire dicitur ille, qui crimen immediatè audiuit ab eo, qui illud perpetrauit, vel ab illo, contra quem factum fuit delictum, nam tunc audiens habet pro auctore sui dicti ipsum perpetratorem vel personam contra quam factum fuit, ac proinde sui auditus certum habet auctorem, cui prudenter creditur.

Dixi præterea, *quando narrans solicitationem est bonæ famæ, & fide dignus* in hoc sensu enim dicimur scire quæ ab aliis audiuimus, Glos. *in l. A.* Titio *ff. de condit. & demonstr. c. Non videtur* 8. 22. *q.* 5. *c. Præterea* 27. *de testib.* nam maleuolis, & maledicis credendum non est, sed tantum prouidis, & honestis personis, *cap. Qualiter* 24. *de accusat.*

Secunda pars, quod scitur per modum consilij non 95
sit denuntiandum suadetur, quia bono publico multum importat celare scita, occasione consilij, quod necessarium est ad conseruandum hoc opus misericordiæ instruendi inexpertos, & ignorantes. Præterea inductum in fauorem non est retorquendum in detrimentum. Ita Sancius *disp.* 11. *n.* 57. alij cum Trimarcho *disput.* 6. *num.* 7.

Tertia pars, quod naturale secretum non excusat, 96
probatur, quia seruare secretum huius, vel illius est solum bonum priuatum, commune verò bonum

est

est illud propalare, quando illud clare præiudicat bono publico, ergo, id illi prævalet. Ita Bonac. *part. 2. de denunt. num.* 4. Diana *resolut.* 24. *de denunt.* Procedit hoc licet secretum adiunctum habeat iuramentum de non propalando, quia hoc iuramentum non tenet cum sit contra Bonos mores.

Quarta pars, quod sit denuntiandum, licet probari non possit, suadetur, quia de ratione denunciationis est, vt denuntians non teneatur probare delictum depositum coram iudice, ergo parum refert, quod possit, vel non possit denuntians probare delictum; præterquamquod denuntiator habetur loco testis, vt alibi ostendi. Deinde potest accidere, quod confessarius querelatus aliàs fuerit de tali crimine, aut quod in posterum denuntiabitur ab alia muliere, ex quo iudex habebit ius inquirendi contra illum; & vocandi ad iudicium. Ita maior pars doctorum, & fere omnes in hac materia, Portellus *n.* 19. multos alios citat Trimarchus *disp.* 6. *sect.* 3.

Quæres 26. An subitanea pœnitentia confessarij solicitantis, qui in ipso contextu confessionis signa dat amendationis, & dolet de commisso errore coram persona solicitata excuset à denuntiatione.

98 ℞. Negatiuè, quia Bulla, & Edicta simpliciter obligant ad denuntiandum, & non excipiunt hunc casum, aliter denuntiatio numquam locum haberet, quia omnes confessarij, siue obtinerent intentum, siue non statim post factum darent signum emendationis ad euitandum pœnas.

Quod verum est licet postea dicatur, aut sit emendatus, quia edicta, & Bulla simpliciter loquuntur, & confessarij tum ratione celebrationis, tum officij confessiones audiendi debent esse in gratia saltem pro eo tempore, & tales præsumi debent, nisi euidenter constet de contrario, ergo etiam dicendi sunt emendati, cuius manifestum signum est præmissa confessio per huiusmodi Sacerdotes. Ex quo, cum quilibet Sacerdos hoc modo credatur emendatus, sequitur supradictum absurdum, nullum esse denuntiandum. Ita Bonac *p.* 3. *de denunt. num.* 9. Trimarchus *disp.* 12. *num.* 28. distinguens cum Palao, esse denuntiandum confessarium emendatum, quando eius delictum est publicum, & laborat infamia. Sed ego puto, in quouis casu esse denuntiandum, quia edicta, & Bulla loquuntur simpliciter. Non esse denuntiandum tenent Acugna, Freitas, Portel. Peirin. Fagundez, Lezana, Sancius, & Bossius citati à Trimarcho, numerus, & qualitas doctorum reddit opinionem probabilem. Quoniam autem maior pars horum supponit constare
99 de emendatione, & hic, & nunc in praxi sit multum difficile notitiam habere de huiusmodi emendatione, cum sub ementitis verbis lateat cor peruersum, ideo emendatio potius ambigua remanet, ac proinde non releuat ab obligatioone denuntiationis, & si enim non amplius tentat primam mulierem quæ illi restitit in faciem, illi tamen non constat de emendatione huius vitij respectu aliarum, valde enim ad libidinem inclinatus non est contentus solicitatione vnius, maximè cum repellitur, sed alias quoque prouocare solicitus est, ego præsens fui vti consultor dum quidam Sacerdos abiuraret solicitationem plus quindecim mulierum.

Quæres 27. An solicitatus, & sciens solicitationem teneantur denuntiare antequam crimen confessarii diffametur? Negant Fagundez *præcepto* 2. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 31. & Megalius *l.* 1. *c.* 5. *n.* 14.

100 ℞. Affirmatiuè, quia denuntiatio in Bulla, & in Edictis simpliciter præcipitur, vnde vbi lex non excipit, neque nos excipere debemus, ex vulgatis iuribus. Neque hæc verba. *De prædictis quomodolibet diffamatos*, in antiquis Bullis expressa, quidquam prosunt aduersariis, cum referantur ad Inquisitionem iudicis, non ad eum, qui tenetur denuntiare. Ita Portellus *n.* 11. & 20. §. *Iam vero*, Peirin. *ad constit.* hanc *n.* 3. Sanctar. de hæresi *c.* 44. & alij omnes.

Quæres 28. An in dubio solicitationis confessarius sit denuntiandus? quandoque enim per verba dubia, & ambigua aliqui putant induci solicitationem; interdum videtur confessarius tangere manum, aut faciem mulieris, vel pueri sine alio actu, & talis tactus interpretari potest casu, vel alio fine euenisse? De osculis autem, & tactibus impudicis nulla potest esse difficultas, quin sit denuntiandus.

℞. In dubio non est denuntiandus, quod probatur, tam ex parte pœnitentis, quia in dubio nemo tenetur, cum in tali casu quisque suam possideat libertatem; quam ex parte confessarij, quia in dubiis fauendum est reo, ex vulgatis iuribus. Demum dubia in meliorem partem sunt interpretanda, *cap.* 2. *de reg. iur.* 101

Quæres 29. An confessarius solicitans denuntiandus sit, quando conuictus fuit, & punitus pro solicitatione respectu aliarum personarum?

℞. Fœmina tenetur denuntiare hunc confessarium non solum ante punitionem, vt iuridicè formari possit processus, verum etiam post punitionem intimamatam, quia aliter non dicitur sufficienter punitus, cum plus puniantur duæ solicitationes, quam vna, & quatuor, quam duæ. Ita Sousa *tr.* 2. *de solicit. c.* 20. *n.* 11. Bonac. *par.* 3. *de denunt. n.* 5. quos contra se citat Sanc. *disp.* 11. *n.* 52. Trimarchus *disp.* 11. *sect.* 5. 102

Quæres 30. Quandonam Inquisitor possit procedere ad capturam confessarij solicitatoris?

℞. Sacrum Tribunal supremum in hæc verba. *Acciò più fondatamente si proceda contro li solicitanti in confessione questa suprema Congregatione ordina, che per il detto d'vna sola donna V. S. non faccia constituire, ò carcerare il preteso reo senza darne prima quà auuiso con la relatione della qualita della donna, del denuntiante, & del denuntiato, & all hora V. S. sarà significato si debba, ò non, procedere à constituirlo è carcerarlo.* Respondit Vicario Generali Genuensi, pro vt refert Peirinus *tom.* 3. *Priuileg. cap.* 11. *num.* 4. ex eo Trimarchus *disp. fin. num.* 11. Marcellus Vulpe in sua praxi *iudic. fori Eccles. c. de Solicitat. n.* 14. ex illis Carena *par.* 2. *tit.* 6. *n.* 62. datum autem fuit dictum responsum 17. Iulij 1627. 103 104

Ex qua responsione colligitur non esse capiendum confessarium siuè bonæ, siuè malæ famæ à quauis muliere denuntiatum, siuè inhonesta, siuè honesta, & bonæ famæ. Tum quia, S. C. responsum est absolutè datum sine distinctione qualitatis confessarij, aut fœminæ denuntiantis, ergo neque nos distinguere debemus ex vulgatis iuribus. Tum quia, carceratio legitima in Sancto Officio ex causa hæresis, aut eiusdem suspicione irrogat infamiam secundum Rotam Romanam apud Cæsarem Grassum *decis.* 184. *num.* 4. Costam de facti scientia *inspect.* 19. *numer.* 9. Tum quia, praxis est huius tribunalis incarcerare, quando habentur sufficientes probationes pro tortura, ita Freitas ad Acugnam *q.* 4. *n.* 27. in tantum enim hoc Tribunal carcerat, inquantum possit eruere veritatem per tormenta, si negetur à reo, ergo carcerari non potest, quando non habentur sufficientes probationes; sed dictum vnius mulieris etiam honestæ non sufficit ad torturam, cum mulier ex conditione sexus non sit omni exceptione maior, ergo neque sufficit ad capturam. Ita Freitas citatus, ex illo Carena *par.* 2. *tit.* 6. *num.* 61. Vide dicta meatum controuersiarum. 105

Quæres 31. Quot igitur testes requiruntur, vt carcerari possit, & subiici torturæ, si neget delictum?

 ℞. Sufficiunt

℟. Sufficiunt duæ mulieres, quarum dictum in vnum coniunctum sicut facit semiplenam probationem ad torturam, ita & ad capturam. Dictum verò vnius fœminæ honestæ nec sufficit nisi sit adminiculatum indiciis contra confessarium, si nimirum probetur deditus peccatis carnalibus, sit malæ famæ, &c. Vide Carenam *par.* 2. *tit.* 6. *à* §. 8. *ad* 14. qui *n.* 59. dicit hoc delictum ad pœnam ordinariam sufficienter, & concludenter non probari per duas fœminas, quia ad minus patiuntur exceptionem sexus ad condemnandum autem requiruntur ad minus duo testes omni exceptione maiores in omnium sententia.

Quæres 32. An sufficiant testes singulares ad condemnationem in pœnam ordinariam.

107 ℟. Affirmatiuè, & hoc clarè exprimitur in Bulla Gregorij illis verbis: *Dantes etiam facultatem venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo iud candi, & curiæ sæculari, vt præfertur, reum, tradendum esse, pronuntiandi.* Vt vides hoc speciale est respectu supremi Tribunalis iudicum, vnde super hoc articulo ius non habent Episcopi, nec Inquisitores. De testibus contestibus, & singularibus multa dixi *contra.* 28.

Quæres 33. Quando, & quomodo torturandus sit reus in S. Officio in causa solicitationis?

108 ℟. Reus conuictus, & confessus, vel saltem conuictus non torquetur pro eruenda veritate, cum iudex sufficienter de ea sit informatus per testes, qui debent esse omni exceptione maiores, tamen quia aliquando expedit reum condemnare ad pœnam ordinariam, ideo si neget debet per torturam induci ad illius

109 confessionem, aliter pœna ordinaria puniri non potest, sic practicatur apud omnes iudices. Positis conuictione, & confessione adhuc torquendus est super intentionem, an scilicet, crediderit licitum esse abuti Sacramento ad inhonesta, vel non esse peccatum solicitare in confessione ad venerea, in quo casu si respondeat licere, est hæreticus formalis, & pro tali puniendus? quod si respondeat Catholicè, nimirum esse illicitum, sed in hoc graue crimen incidisse ex tentatione carnis, indicitur illi abiuratio de vehementi, sicut in primo casu de formali, & punitur. Ita Carena *part.* 2 *titul.* 6. *n.* 72.

Quæres 34. Quid agendum, quando reus persistit in tortura negando se delictum solicitationis perpetrasse, an sit absoluendus, vel aliqualiter puniendus?

110 ℟. Si in tortura permansit rigorosa absoluendus est, quia per eam sufficienter euacuauit indicia, si verò fuit leuis, ex quo illa non destruxit, poterit puniri lenioribus pœnis, dictus Carena *par.* 2. *tit.* 6. *n.* 72. Quid si confessarius, vt liber omnino maneat cum sua fama, & honore, petat rigorosam torturam? illi danda est, vt se eximat ab infamia illa, & mala opinione apud homines.

Quæres 35. Quibusnam pœnis afficiantur solicitantes in confessione?

111 ℟. Ex Bulla Gregoriana. *In eos pro criminum qualitate, & circumstantiis suspendentes ab executione ordinis priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, & perpetuæ inhabilitatis ad illas nec non vocis actiuæ, & passiuæ, si regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas metuerint, debita præcedente degradatione curiæ seculari puniendos tradant.* Hanc postremam traditionis Curiæ seculari pœnam infligere nequeunt inferiores iudices, nisi delictum sit plene probatum per testes contestes, nam dictum de testibus singularibus locum habet solum respectu Iudicum supremi Tribunalis ex dictis *q.* 32. & præterea Reus debet esse etiam confessus proprio ore, ex praxi omnium Tribunalium, quæ non tradunt ad mortem inconfessum. Supradictas pœnas solicitantes confessarij ipso iure non infliguntur, sed illis puniendi sunt per sententiam iudicis, omnibus, vel in parte iuxta grauitatem delicti. Solent autem Iudices huiusmodi conuictos, vel confessos condemnare ad triremes per quinquennium, septennium, aut decennium, & aliquando in perpetuum. Semper autem suspenduntur ab audiendis confessionibus, & quidem perpetuo, quando sunt confessi, aut ad minus conuicti; quando verò non sunt confessi, neque conuicti, sed contra ipsos adsunt indicia, & præsumptiones suspenduntur ad arbitrium Inquisitorum.

Quæres 36. An huiusmodi solicitatores condemnati sint infames, & irregulares?

℟. Sunt infames, quia etiam sola carceratio, si sit legitima, hoc est, si supponat semiplenam probationem delicti, infamat, ex allegatis supra *sub quæst.* 30. §. *Ex qua*; non sunt autem irregulares præcisè ex hoc delicto, cum non inueniatur in iure, sed solum propter infamiam, vt docent Sanctar. *cap.* 25. *dub.* 1. *num.* 9. aliis citatis Trimarchus *disp. penult. sect.* 9. 112

Quæres 37. An confessarius solicitans, & persona solicitata absolui possint à quouis confessario in casu quo solicitatio nulli sit reseruata Episcopo, aut prælato? De iure communi, neque Bullarum reseruata est.

℟. Vterque à quouis confessario absolui potest, quia nihil præter reseruationem, vt suppono, impedit huius criminis absolutionem, in hoc omnes conueniunt, quos citat Trimarchus *disput.* 13. *sect.* 6. Persona pariter solicitata absolui potest propter eamdem rationem, quia si non consensit, nullum est peccatum, ideo non impeditur ab aliorum absolutione, si consensit, adhuc absoluitur, quia non est peccatum reseruatum, vt suppono; quod verum est, licet nondum denuntiauerit, modo habeat propositum denuntiandi, & non sit præteritus terminus denuntiationis culpabiliter, ex quo inciderit in excommunicationem latam contra non denuntiantes, hæc enim reseruata est, ac proindè impeditur confessarius ab absolutione. Potest etiam persona solicitata absolui ab ipsomet confessario solicitante, vt dixi supra *sub. q.* 21. Sed hoc non laudo propter reuerentiam Sacramenti, & ne foueatur huiusmodi vitium prætextu Sacramenti. 113

Quæres 38. Quod agendum in specie cum confessariis regularibus solicitantibus?

℟. Isti sine dubio denuntiandi sunt, de illis enim Bullæ quoque loquuntur, his verbis. *Quam quorumcumque ordinum etiam exemptorum, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant.* Ex Bullis Pij IV. & Pauli V. item Gregorij, qui videtur ampliare, itaut nullus cuiuscumque sit ordinis exemptus sit ab hoc Tribunali, his verbis. *Omnes, & singuli Sacerdotes, tam seculares, quam quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum, ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant.* Primo loco fit tantum mentio de Sacerdotibus Ordinum, quo solent venire nomine Mendicantes Fratres, non Monachi, qui nomine Congregationis appellantur; per illa verba. *Institutorum, & Societatem* veniunt religiones 114

nouæ Clericales Theatinorum, Iesuitarum, &c. Particula, *Quomodolibet*, includit quemlibet religiosum cuiusuis ordinis, quamuis aliàs non comprehenderetur. Sub illis verbis: *Cuiuscumque dignitatis, gradus & præeminentiæ*, veniunt omnes superiores, & alij officiales, etiam Generalis, Præpositus, aut Præsidens Generales, dicuntur enim præeminere aliis in gradus. Omnes igitur isti denuntiandi sunt Inquisitoribus. An autem procedere possint contra Generales dicam infra in proprio capite. Pœnæ autem contra hos enumerauimus cum aliis in præcedenti *q.* 35. quæ sunt priuatio vtriusque vocis, officiorum omnium; suspensio à confessionibus, damnatio ad triremes, perpetuus etiam carcer cum inhabilitate, & absque spe veniæ; debent autem infligi per iudicem, quia ipso iure non incurruntur.

Carena *part.* 2. *tit.* 6. *num.* 89. dicit, Inquisitorem mandare posse lectionem sententiæ regularis condemnati in capitulo Generali ad terrorem, & exemplum aliorum. Quod non probo, quia id est aliquale ius in capitulo, quod nullibi inuenio concessum Inquisitoribus. Sufficienter autem publicantur priuatis literis huiusmodi delicta apud regulares. Displicet etiam quod adiungit, Inquisitorem, posse infligere pœnam vltimi loci inter suos comprofessos, quia in Bulla Gregoriana sufficienter exprimuntur pœnæ huiusmodi solicitatoribus imponendæ.

Quæres 39. An pari pœna puniatur ille, qui solicitauit mulierem sine consensu, ac ille, cui fœmina consensit?

115 ℞. Non magis punitur confessarius, cui solicitanti mulier consensit quam alter, cui consensum non præstitit. Suadetur ex responso S. C. relato q. 24. vbi mãdatur iudicibus, ne recipiant à mulieribus solicitatis depositionem circa consensum, nequede hoc illas interrogent, neque quicquam in scriptis super hoc redigant, etiam quando mulieres sponte confiterentur huiusmodi consensum in copulam, vel in quemuis alium actum inhonestum, cum sufficiat deponere verbalem solicitationem, nisi & consisteret in osculis furtiuis, quæ aperiuntur iudici, ea enim tunc præter consensum mulieris. Iudex autem secundum allegata, & probata iudicat, & fert sententiam condemnationis; cum ergo in suo processu nihil habeat circa consensum solicitationis, neque habere possit ex prædicto decreto, non magis puniendus executor solicitationis, quam verbalis solicitator, aliter iniuste pœna augetur, cum non vt index, sed vt priuata persona tunc procedat, dum nullam potest habere iuridicam cognitionem de consensu.

Quæres 40. An solicitans pœnitentem suum extra sacramentum & sine vllo respectu ad illud, sit reus breuis Bullæ.

116 ℞. Negatiue, *Tum quia*, talis casus hæresim non sapit, neque illius suspicionem. *Tum quia*, ista solicitatio non est pœnitentis vt pœnitens est, sed eius, qui sicut alias pœnitens, illa autem hîc tantum punitur, ergo non hæc. *Ita Nauar. consil.* 1. *de haret. num.* 8. *Peirin. ad constit.* 4. *Gregorij n.* 16. Trimarchus *resp.* 3. *sect.* 6.

Quæres 41. An confessarius solicitationis reus per Inquisitionem, seu Episcopum remitti possit ad audiendas confessiones?

117 ℞. Qui abiurauit de vehementi non admittitur, vtique de leui. Ita *Diana part.* 4. *tract.* 8. *repl.* 64. Vnde admitti etiam possunt sacerdotes regulares, qui abiurarunt, iuxta quod dixi *cap.* 27. *num.* 42. Sed video, hos habilitari, & restitui solum à Sacra Congregatione, & ita practicatur.

Quæres 42. Super qualitate testium in causa solicitationis in Sacramento Pœnitentiæ? De mulieribus hic agendum; de pueris in sequenti quæstione.

℞. Mulier ratione sui sexus regulariter non admittitur in testem; in delictis tamen difficilis probationis, vt est solicitatio admittitur, dictum autem vnius non sufficit ad Carcerandum, & torturandum sed duæ requiruntur ad minus, quæ deponant de solicitatione, non sufficientes tamen ad plene probandum delictum pro pœna ordinaria, vtique pro pœna extraordinaria, modo non patiantur alias exceptiones, in quo casu nihil probant contra confessarium, qui proinde dimittendus est impunitus, & absoluendus pro tunc ab impetitis, non autem declarandus innocens, nisi in casu quo per testes directe probaretur innocentia, quod videtur valde arduum. 118

Prima pars, quod mulier regulariter non admittatur in testem delictorum facilis probationis, probatur, quia ratione sui sexus fragilis, mutabilis, & mendax esse solet, ideo reijcitur à lege, *Glos.* 11. *Mulieres cap. Quoniam* 3. *de testibus*, *Clanes q.* 14. *num.* 4. *Carena part.* 2. *tit.* 6. *de sacerd. solicit. n.* 53. alios apud Barbosam ad dictum caput.

Secunda pars, quod admittatur in delictis difficilioris probationis probatur, quia ne crimina maneant impunita admittendę mulieres sunt, maxime in illis delictis, quæ sine illis fieri nequeunt, vt est solicitatio. Ita aliis citatis *Mascard.* 762. *n.* 16. *Carena part.* 2. *tit.* 6. *num.* 53. *Farin. q.* 188. *num.* 76. *Salelles part.* 1. *Regula* 171. *num.* 50. *Bonac. de denunt. in fine n.* 25. §. *Obijcies. Ioseph Ianuarius de casibus reseru. Resol.* 55. *num.* 17. 119

Tertia pars, quod dictum vnius non sufficiat ad Carcerandum & torturandum, sed ad minus duarum depositiones requirantur, probatur, quia licet ad dictum vnius viri omni exceptione maioris quis carceretur, & torturæ subijciatur, ex probatis *hic cap.* 35. *num.* 8. tamen id non procedit in fœmina, quæ patitur hanc exceptionem sui sexus, ideo altera requiritur, vt ratione numeri suppleatur huiusmodi defectus ita docui supra *q.* 31. *num.* 106. *Carena part.* 2. *tit.* 6. *num.* 61. *& seq.* Procedunt hæc siue Confessarius sit bonæ famæ, siue malæ; & pariter si fœmina sit honesta, quia in fœmina attenditur præcisè sexus, qui per honestatem fœminæ tolli non potest, *Carena n.* 61. 120

Zanardus tom. 2. de tortura fol. 490. affirmat, per dictum vnius fœminæ honestæ procedi ad torturam, nisi Confessarius sit probatæ famæ. Non placet, quia adhuc patitur exceptionem sui sexus, ideo ei soli non creditur.

Quarta pars, quod duæ fœminæ non probent plenè ad pœnam ordinariam, probatur, quia reus huius criminis grauatur in eo, quod conuincitur per testes singulares, ergo releuari debet in alio, quod non sufficiant duæ fœminæ, sed plures requirantur arbitrio iudicis, tres, aut quatuor ad summum ego exigerem. Ita *Sanctar. cap.* 44. *de hæresiar. d.* 4. *n.* 6. *Bonac. de renunt. ad finem. Palaus tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 15. §. 4. *n.* 1. *A Cugna de solicitat. part.* 23. *n.* 424. *quod Peirin. ad constit.* 4. *Gregorij XV.* repetentis quatuor testes *n.* 23. *ex illis Carena p.* 2. *tit.* 6. *n.* 59. Paramus *lib.* 3. *de S. officio q.* 10. *n.* 152. *cum Bellonio, & ex illis Riccius p.* 2. *resol.* 440. docet, posse conuinci per duas mulieres alioquin honestas. Vide Trimarch. resp. fin. lect. 3. & 4. Ego infra iterum q. 50. 121

Quinta pars, quod duæ probent ad pœnam extraordinariam, probatur, quia minori pœnæ minor probatio correspondere potest, nec crimen in totum remaneat in altum, & in hoc casu locum habet commune axioma diuinum: in ore duorum, aut trium testium stat omne verbum. Ita præcitati, dum plures duobus requirant ad pœnam ordinariam, fatentur consequenter duos sufficere ad extraordinariam. 122

Sexta pars, quando fœminæ præter exceptionem sexus, & singularitatis, patiantur alios defectus, seu 123

exceptiones, nihil probant, probatur, quia in prædictis à lege habilitantur, in reliquis vero non, ergo eis patientibus alios defectus non creditur, admittuntur enim cum suis defectibus, *Sousa lib. 2. cap. 13. num. 5. & 16.* Ita præcitati *cum Carena part. 2. tit. 6. num. 60. Zanartus p. 2. de tortura fol. 490. & 657.*

Quare mulier meretrix nihil probat, cum sit infamis, *Mascard. concl* 1362. *num. 20. Carena part. 3. tit. 5. num. 30. Barbosa ad cap. 2. de testibus multos citat.*

124 Septima pars, quod Confessarius denuntiatus per mulieres probatas meretrices, & adulteras dimittatur impunis, probatur, quia per depositiones similium fœminarum non conuincitur, cum illis nulla sit fides adhibenda, ex probatis ergo dimittendus est impunis, quia pœna non debet sustineri ab eo, in quem non est probata Canonica sententia, *cap. Non debet* 64. 11. *quæst.* 3. *Salleles part.* 1. *Reg.* 172. *n.* 119.

125 Octaua pars, quod defendens se per reprobationem testium non sit declarandus innocens, probatur, quia per testes reprobatorios præcise debilitatur fides testium deponentium contra reum, non vero probatur, quod delictum, super quo fuit denuntiatus, non commiserit, ideo licet absoluatur ab impetitis in eo iudicio, non tamen declaratur innocens, cum ea non fuerit probata. Ita *Pegna com.* 37. *num.* 143. Nisi probatum fuerit, falso accusatum, vel denuntiatum fuisse, tunc enim declaratur innocens, ibidem Pegna.

Quæres 43. An testis adductus à reo pro sua defensione probet asserendo mulierem, quæ deposuit solicitationem, esse meretricem, seu adulteram, quia ipse testis eam cognouit pluries? Ratio dubitandi est, quia 126 talis est testis in crimine socij, socius autem criminis non probat contra, nec pro alio socio, cum quo peccauit, *cap. Veniens* 10. *de testib.* ibi: *Nullique de se confuso aduersus alium in eodem crimine est credendum.* Vnde nec facit vnus criminis socius indicium ad torturam, vtique duo, *Pegna part. 3. com. C X. in Append. §. An autem.* Socius ergo criminis non probat contra socium, nec pro socio *Mascard. concl.* 1318. *per totam.* Admittitur vero cùm causis fidei, *ex eodem num.* 22. Sed fuit tunc indicium ad inquirendum tantum, non ad torturandum, nisi alia indicia concurrant, *num.* 52. Ergo nec probabit pro tertio, cum quo non participat crimen, in tantum enim defendit tertium, in quantum probat meretricium, quod tamen non probat ex dictis, ergo nihil prodest tertio.

127 ℞. Socius criminis licet non probet pro, nec contra socium ex dictis, probat tamen ad defensionem rei latefactando eius fidem, qui contra illum deposuit, quia respectu tertij non spectatur vt socius, sed præcise vt testis, quatenùs reddit rationem sui dicti ex societate criminosa, quæ hic non spectatur in ratione inhabilitatis, sed in ratione formali credendi; vel dic clariùs, quod socius hic spectatur vt testis præcise, non vero vt reus, & socius, quam distinctionem ponit *Mascardus num.* 49. & 54. Deinde socius admittitur ad probandum delictum contra tertium, *Mascard. num.* 56. ergo & pro defensione tertij. Demum sicut socius admittitur contra reum in causis fidei, ita & admittendus est pro reo in eisdem causis, quia æquitas dictat, vt cum fauorem, quem fides pro se introduxit, reo non neget, sed communicet. Testes ergo inhabiles admittuntur ad defensam, sicut ad offensam. Ita *Mascard. concl.* 905. *per totam*, *Farinac. q.* 62. *de testib. limit.* 5. *ex illis Sousa lib. 2. c.* 13. *num.* 8. *Miranda de ordine iudic. q.* 17. *num.* 199. *Spathar. tract.* 10. *cap.* 13. *num.* 3. *Saleus tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 15. §. 2. *num.* 8. Vbi plures alios contrariæ opinionis refert. Inhabiles ergo admittuntur ad defensam, & in casu præsenti de Socio, puto sine difficultate esse testem omni exceptione maiorem, quia ratio socij hic nullatenus habenda est in consideratione, cum hæc ratio sit relatiua tantum ad terminum proportionatum, & correspondentem, qualis nulla ratione est reus denuntiatus solicitator, qui crimen meretrici, non participat cum hoc teste pro se agente.

Quæres 44. An mulieres sorores duæ, an tres denuntiantes confessarium de solicitatione fidem faciant ad carcerandum, & torturandum solicitatorem prætensum?

℞. Negatiue, quia testes inhabiles non probant in 128
causis fidei, quando patiuntur alias exceptiones. *Farin. q.* 62. *de testib. n.* 383. *Sousa lib. 2. cap.* 13. *num.* 5. consanguinitas autem est exceptio opponenda testibus, ratione cuius vnus præsumitur subornare alium in consanguineum contra confessarium, & vnus alteri fauere, vnde isti non sunt integri testes, nec faciunt semiplenam probationem contra tertium *Mascard. concl.* 408. *n.* 15. Vnde sicut vnus est suspectus de falsitate pro alio consanguineo, ex quo dicuntur pati eam exceptionem, ita duo inuicem consanguinei dicendi sunt suspecti pro se inuicem contra tertium extraneum *c. Accusatores* 12. 3. 5. Admittuntur cum causis fidei contra consanguineos, sed cum exceptione, quod non sunt integri, *ex Farin. q.* 56. *de testib. num.* 80. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 22. ergo à fortiori non sunt integri contra tertium. Ioannes Crotus apud *Ziletum de testib. part.* 3. *n.* 23. dicit, quod coniunctus, seu affinis pro coniuncto, aut affine non potest testari in criminalibus.

Quæres 45. An testis per verbum credo probet ad defensionem rei!

℞. Affirmatiue. *Ita Bartolus consil.* 16. *ad* 2. *Alex.* 129
vol. c. consil. 78. & 109. *ex illis Crotus apud Ziletum par.* 3. *num.* 81. *Sousa lib. 2. cap.* 6. *num.* 57. *Ego controu.* 1. *num.* 110. Vide *Mascardum concl.* 1370. *per totam.*

Quæres 46. Quomodo puer solicitatus probet solicitationem contra se factam!

℞. Puer maior quatuordecim annorum admittitur 130
ad denuntiandum in omnibus causis fidei, *ex Farin. q.* 188. *n.* 75. Non solum pueri, sed etiam impuberes ab anno decimo cum dimidio aliquando admittuntur, & faciunt ad indagandam veritatem. *Carena part.* 3. *tit.* 5. *num.* 52. & 53, quandoque admittuntur ad torturam cum adminiculis. In casu solicitationis facerem eos parere cum fœminis maxime in pubertate vsque ad annum decimum sextum expletum, postea integrum dicerem, & perfectum in discursu, & cognitione, sicut supponitur perfectus, & integer mente in emittendo professionem. Vide *infra cap.* 33. *num.* 19.

Quæres 47. An hæc verba dicta à Confessario mullieri pœnitenti, quæ accusauerat de turpi desiderio: *Voi non lhauete fatto, ma se venisse vno, che vi dane vn bel danaro, voi lo faresti?* sint prouocatiua ad libidinem. Mulier respondit negatiue, & absoluta fuit?

℞. Negatiue, quia ea verba proprie non prouocant 131
ad libidinem, sed tantum indicant, quod communiter solet accidere mulieribus, mulier enim vti auara inhiat pecunias. Non sunt ergo verba prouocatiua, sed tantum indicatiua modi, quo mulier allicitur ad libidinem. Adde quod' ea interrogatio facta fuit vt sciret, an vellet reducere cogitationem ad actum in casu quo alliceretur pecunia ad libidinem, si enim affirmasset se promptam esse ad libidinem ex oblita pecunia, non absoluisset, ea ergo interrogatio refertur ad notitiam dispositionis pœnitentis, an scilicet sit dignus absolutione.

Quæres 48. Quæ dicatur meretrix, vt eius fides labefactari

labefactari possit depositione solicitationis!

132 ℞. Meretrix est illa mulier, quæ patet multorum libidini secundum S. Hieronymum relatum cap. Vidua 16. dist. 34. & cuius turpitudo publicè venalis est, S. Aug. relatus cap. Meretrices 11. 32. q.4. Vlpianus relatus l. Palam 43. de ritu nupt. inquit: Palam quæstum facere dicemus nō tantum eam, quæ in lupanario se prostituit, verum etiam si qua in taberna, caupona, vel qua alia pudori suo non parcit. Palam autem sic accipimus passim, hoc est, sine delectu, non si qua adulteris, vel stupratoribus se committit, sed quæ vicem prostitutæ sustinet. Item quæ cum vno, & altero se pecunia accepta commiscuit non videtur palam corpore quæstum facere. Rectissime tamen Octauenus ait, etiam eam, quæ sine quæstu palam se prostituerit debuisse his connumerari. Non solum autem quæ facit, verum ea quoque quæ fecit, & si facere desiit lege notatur, neque enim aboletur turpitudo, quæ postea intermissa est. Non est ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam elegit. Hæc ibi leguntur, ex quibus patet quid sit meretrix.

Meretrix ergo est illa, quæ pluribus sine delectu se prostituit. Quamuis in definitione Augustini dicatur eius turpitudo publice venalis, & quæ patet multis secundum Hieronymum, non est tamen necesse, quod turpitudo sit nota multis, nam Vlpianus illam dictionem palam interpretatur pro passim, & sine delectu facere quæstum, seu copiam sui corporis, nam fama volare incipit, postquam mulier effecta est meretrix, siue in domo sua, siue extra in quocumque loco, siue cum quæstu, siue sine quæstu, & pretio. Hæc clara sunt ex texu, & ideo ab omnibus admittuntur.

133 Communissima quoque sententia est, tres ad minus diuersorum prostitutiones facere meretricem, vt id aperte dicit Vlpianus, cum scilicet se tribus masculis prostituit. Ita *Gratian. cap.* 135. *num.* 8. *Mascardus concl.* 1066. *num.* 17. *Negatiue consil.* 9. *num.* 4. & *num.* 9. ait ex supradicta lege meretricem emendatam adhuc esse infamem, Doctoribus allegatis.

Quæres 49. Quomodo probetur meretricium?

134 ℞. Probari multis modis & primo per testes socios in crimine hoc. Secundo per testes de visu, Tertio per Coniecturas. Quarto per testes singulares, qui ad minus debent tres de crimine, vel duo de visu, quorum vnus duabus vicibus viderit copulatos.

Primo probatur meretricium per eum, qui cum muliere copulam habuit, quia est de illis criminibus. in quibus socius de socio interrogari potest. Ita Bartol. Alexander, & Hatta apud Mascardum concl. 1066. n. 38. dixi sub n. 127. Et hoc est melior probatio aliis maxime, ad defensionem.

Secundo probatur per testes de visu deponentes se videre masculum, & fœminam coeuntes *Bald. in l.* 1. *C. de collus. deteg. Gramm. consil.* 58. *num.* 16. *ex illis Mascard. concl.* 1066. *numero.* 35. Isti duo modi probandi, sunt certissimi, sed prior perfectior, & euidentior, cum sit de teste in facto proprio, quod impossibile est ignorare. Immo, & probari potest per auditum proprium ex cap. Præterea 27. de testibus.

Tertio probatur meretricium per coniecturas, & quidem per tactus, & complexus sine copula, quia isti sunt dispositiones proxime ad copulam, non tamen inducunt violentam suspicionem, vt tenet probabilior opinio cum Sanchez lib. 10. disp. 12. num. 47. sufficit tamen ad defensionem rei in causa nostra, quia non agetur contra mulierem ad pœnam. *Secundò*, solus cum sola repertus nudus in lecto facit violentam suspicionem copulæ, ex cap. Literis 12. de præsumpt. vbi Doctores citati à Barbosa dicunt copulam esse plene probatam. *Tertiò*, si probatur de nocte apernisse portam citro euntibus, ex Baldo, Natta, Alexandro & aliis apud Mascardum concl. 1066. n. 21. *Quarto*, si ad mulierem Scholares accedant domum intrantes, vel in porta cum ea confabulantes, ex eisdem, & aliis idem Mascardus num. 22. Dicta, & si alloquatur cum militibus & aliis hominibus malæ famæ. Qui n. 24. ait non ita procedere facile in sacerdote, quia etiamsi amplexaretur mulierem, præsumeretur facere causa benedicendi, vel ad pœnitentiam exhortandi *ex Glos. in cap. Absit* 14. 11. *q.* 3. *ex Specul. tit. de præsumpt.* §. *Species.* Sed ridiculum est hoc dicere, vnde ea Glossa communiter reprehenditur à Doctoribus citatis ibidem à Barbosa. In bonam ergo partem interpretari non potest amplexus mulieris per Sacerdotem, cum hi tantum permittantur coniugatis, & quædam intra domum non extra, Sacerdos enim non desinit esse homo, ac proinde per amplexum incitari potest ad libidinem, quæ non benedictio, sed maledictio est. *Quinto* mulier modo in hanc, modo in aliam ingrediens domum præsumitur meretrix, ex Angelo, & Grammatico Mascard. concl. 1066. num. 25. *Sexto*, recepta pecunia pro copula præsumit meretricem, ex Grammatico, & Baldo idem Mascardus num. 26. *Septimo* habitans, vel conuersans cum aliis in loco meretricum præsumitur meretrix, num. 28. *Octauo* per famam publicam probatur meretrix ex cap. Præterea 27. Mascard. num. 39. Istæ omnes coniecturæ releuare possunt confessarium à denuntiatione facta per mulierem meretricem, cui in hoc fides adhibenda non est, cum sit infamis, & à testificando repellatur expresse *l.* 3. *ff. de testib. de communi aliis citatis idem Mascard. concl.* 1066. *num.* 40. Nec nostro instituto obstat, quod idem *Mascardus seq. num.* 41. limitat id non procedere in criminibus exceptis hæresis, læsæ maiestatis, & simoniæ, in quibus testes infames, & criminosi recipiuntur *cap. licet* Heli 31. *de simon.* ergo & in solicitatione quæ est casus hæresis.

Nam respondetur primo, quod solicitatio in se non est hæresis, licet inducat suspicionem hæresis. Secundo ex dispositione Bullæ Gregorianæ admittitur quidem mulier ratione sexus, & singularitatis, non tamen respectu aliarum exceptionum ex dictis q. 4. 4. vnde ex depositione duarum mulierum etiam bonæ famæ licet faciant indicium ad capturam, & torturam supra q. 31. non tamen ad condemnationem non sufficiunt, vt latius dicam infra.

Quarto meretricium probatur per testes singulares ea ratione, quia cum meretrix constituatur ex tribus copulis non vnius, sed plurium, & ad minus trium personarum, & hoc crimen eodem tempore, & simul ab illis fieri non possit, licet successiue ab vno post alium, sed regulariter secreto, videtur impossibile saltem moraliter, quod tres copulæ probentur per contestes de loco, & tempore, quare sufficit, quod probatio meretricij fiat per testes singulares, quorum vnus viderit vnam copulam, alter alteram eiusdem mulieris, & diuersorum hominum. *Ita Felinus in cap. Præterea, de testibus, Alex. & Boer. apud Mascardum, concl.* 1066. *num.* 37. ea etiam communi ratione, quia ad defensam sufficit probare delictum in specie, quando non proceditur contra mulierem tanquam ream.

Quinto, cum meretricium resultet ex tribus copulis habitis à tribus viris, in eo probando necesse quoque est, quod ad minus tres deponant singuli de sua copula, hoc enim pacto singulariter probatur meretricium, dum sunt probatæ tres copulæ diuersorum respectu eiusdem mulieris, siue hoc probetur per factum proprium ipsorum coeuntium, siue per visum aliorum; vnde etiam per duos tantum testes accedit probatio, vt si vnus deponat de proprio coitu, & alter de coitu duorum hominum. Et hæc omnia patent ex natura facti loquendo quo ad testes de facto proprio, & de visu proprio, nam ex coniecturis videntur necessarij plures

plures testes, cum illis possit subesse falsum, si sunt præsumptiones remotiores.

Quæres 50. Quot numero mulieres requirantur ad condemnandum confessarium solicitatorem tam a l pœnam extraordinariam, quam ordinariam?

134 ℞. Tres mulieres sufficiant ad pœnam extraordinariam, quatuor vero necessariæ sunt ad pœnam ordinariam, nam per has conuincitur Confessarius, nisi patiantur alias exceptiones, seu defectus. Sicut enim ex supra *probatis q.*30. *&* 31. Confessarius carcerari non potest per depositionem vnius mulieris, ac proinde ad minus duarum denuntiatio requiritur ex communi Doctorum ibi citatorum, quæ etiam sufficiunt ad torturandum reum, ita & tres videntur sufficere ad eum conuincendum ad pœnam extraordinariam, ergo ad pœnam ordinariam videntur requiri quatuor depositiones. Ita docet *Sanct. de hæresi cap.* 44. *n.*6. *A Cugna q.* 23. *num.* 11. *ex his Peirin. ad constit.* 4. *Gregorij num.*23. *Palaus part.*1. *tract.*4. *disp.*8. *p.*15. §. 14. *num.*1. *fol.* 543. requirit tres, aut quatuor testes inhabiles ad condemnationem ordinariam, *qui disp.*9. §. 11. ad recludendum confessarium petit duos aut tres testes, *Carena part.*2. *tit.* 6. *num.* 59. ait duas mulieres hoc delictum non probare, *Bonac. de denunt. in fine* ait idem, cum quibus *Trimarchus disp. fin. sect.* 3. Contra Saramum & alios *cum Riccio part.* 2. *resol.* 440. asserentes sacerdotem conuinci per duas fœminas. Sed id falsum est, cum testimonium mulierum non sit æquiparandum depositioni virorum.

Dixi, nisi patiantur alios defectus, & exceptiones, quia illæ non habentur pro habilibus nisi respectu sexus, & singularitatis, quæ exceptiones non considerantur, non vero admittuntur cum aliis defectibus, cum nec viri accipiantur in testes cum aliis exceptionibus. Ita *Farin. q.*188. *num.* 3. *Pegna comment.* 113. *Mascard. concl.*857. *num.*38. *cum eis Palaus cit. p.* 15. §. 4. *num.* 1. asserentes testes alias inhabiles sed admissi delictum integre non probare, nec sufficere ad pœnam ordinariam, quia admittuntur cum periculo mendacij, quod vti intrinsecum tolli non potest admissione testis inhabilis, adeo quod indicia, & adminicula concurrentia persuadent posse admitti depositionem testium inhabilium, non autem suadent, vt integre probent, cum periculum falsitatis ab eis auferri non possit, vtpote intrinsecum.

Quæres 51. An adminicula corroborent depositiones mulierum, quæ alios patiuntur defectus? V.g. testis adminiculator probat, quod Confessarius habuit rem cum tali, habet amicitiam, fuit sæpius in eius domo, vocauit illam, vel alium ad domum suam, vbi choreas duxit, quod non amplius mulier fateatur sua peccata confessario eidem &c.

135 ℞. Quandocunque mulier patitur alias exceptiones meretricij, adulterij, vel periurij, inimicitiæ, consanguinitatis cum alia deponente &c. adhuc cum illis adminiculis refellitur, quia hæc nullam habent connexionem cum solicitatione licet inferant aliqualem suspicionem insufficientem tamen ad corroborandam fidem mulieris. *Tum quia*, adminicula fidem mulieris augere non possunt, nisi in casu, quo nullas patitur exceptiones præter sexus & singularitatis. *Tum quia*, adminicula supponunt fidem in muliere deponente, quæ tamen apparet labefacta per testes probantes alios earum defectus pro defensione rei constituti, ergo non potest per adminicula corroborari, & augeri, si omnino abest fides à muliere. *Tum quia*, defectus intrinsecus fidei in testibus inhabilibus ex parte aliorum defectuum cum quibus non admittitur, tolli non potest per testes adminiculantes, qui supponunt fidem in teste iuxta eius conditiones; sed hæc nulla fides est; ergo nec corroboratio. Demum testes adminiculatiui sunt accessorij, consequenter destructo principali destruitur accessorium, & sic pro nihilo habentur. Vnde *Palaus cit. p.*15. §. 4. *num.*1. *fine*, ait delictum non plene probari cum teste habili, & integro, quia ex dignitate vnius non reparatur alterius defectus, subdit bene reparari, si cum vtriusque depositione concurrant alia indicia, & pro hac doctrina citat *Pegnam Comm.* 113. *part.*3. §. *sit etiam tertiam*, *Farinac. q.*188. *num.*69. intellige dicta, quando testis inhabilis aliud non patiatur præter defectum, qui non consideratur, vt in hac materia sexus, & singularitas, cum quibus admittitur mulier contra confessarium solicitantem.

Quæres 52. Quid concludendum, quando mulieres deponentes de solicitatione, probantur in processu esse honestæ, bonæ famæ, & conditionis? Et pariter confessarius solicitator assertus probatur esse honestus, bonæ famæ, & conditionis, maxime quando id probatur per testes pares, & æquales?

℞. Si nihil aliud obstet, standum esse pro Confessario ratione sui status, & officij, atque sexus, 136
semper enim vel præfertur mulieri, & status ecclesiasticus cuilibet alteri. Tamen mulierum dictum per hoc non debilitatur, cum fidem habeant in hac causa non confirmatam per hoc, quod Confessarius probatur Sacerdos honestus, & bonæ famæ, potest enim subsistere vtriusque dictum, & quod mulier fuerit solicitata, & quod Sacerdos adhuc sit bonæ famæ apud fere omnes, vel saltem apud eos, qui pro eo deposuerunt, solicitationes enim in secreto fiunt, & in confessionali, quæ sine peccato non possunt præsumi, nec iudicari, cum non videantur regulariter. Cum autem reus habeat ius se defendendi in natura fundatum, si per testes probet mulieres pati alias exceptiones, euacuatur earum fides, honestas, & bona fama, ac proinde non sufficit earum dictum ad torturam, multo minus ad condemnationem ad pœnam etiam extraordinariam, quia præualent testes adducti per reum ad suam defensionem reprobatione honestatis, & bonæ famæ assertæ pro mulieribus, quæ amplius attendenda non est, cum sit conquassata per testes reprobatorios. Nec ex hoc quod sit reprobata honestas mulierum, inferendum est, testes pro mulieribus falsum deposuisse, quia accidere potest, quod plures habeant bonum conceptum de illis, alij vero contra; vnde ad probandam bonam famam semper ptoducuntur testes beneuoli erga personam, quæ indiget; mala enim opinio non apud omnes volat, maxime ad amicos amicorum, sed potissimum ad extraneos, & non amicos, nec ita familiares.

Quæres 53. An mulier non exhortata, nec coacta à Confessario denuntians esse solicitatam à suo, priori Confessario sit suspecta de falsa denuntiatione?

℞. Non est ex hoc suspecta, quamuis sponte denuntiet, & licet multum tempus sit transactum. Aliquando Confessarius, qui obligauit suam pœnitentem ad denuntiandum, vocandus est, & interrogandus, an obligauerit suam pœnitentem ad denuntiandum. 137

Prima pars, quod sponte denuntians non faciat se suspectam, probatur, quia quandocunque aliquis tenetur alterum denuntiare non potest præsumi suspectus, cum id faciat, vt obediat, & consulat suæ conscientiæ, aliter peccaret agens autoritate legis, *contra cap. qui peccat* 40. 23. *quæst.*4. *cap. Dixit* 12. 14. *q.*5. & cum non peccet, nec præsumi potest suspectus in suo dicto, cum suspicio hic non contingat sine peccato. Quicquid dicat *Zanardus tom.* 2. *cap.* 111. *fol.*656. requirens, vt sit coacta à confessario in actu confessionis ad denuntiandum; non enim id est necessarium, cum Edicta Inquisitorum id omnibus indifferentes præcipiant, ideo præsumitur ex obligatione denuntiante, & non alio fine.

Secunda

Secunda pars, quod longum tempus prætensum non arguat aliquam suspicionem calumniæ, probatur, quia cum semper locus pœnitentiæ, præsumitur licet tarde perueniſſe ad obedientiam, & denuntiaſſe vt tandem suæ obligationi satisfaceret; & cum negligentia atque contemptus æquiparentur, videtur ex tarditate, & mora huiusmodi præceptum denuntiandi potius contempsiſſe, quam calumniam intendiſſe confessario.

Tertia pars, de Sacerdote aliquando citando, probatur exemplo, quod aliquando accidit. Nam quidam confessarius obligauit fœminam ad denuntiandum suum curatum, illa obediret, ementito nomine, & cognomine, & dum dimiſſa domum rediret agitabatur scrupulis de mendacio, vnde antequam domum suam intraret rediit ad Inquisitorem genuflexa veniam petiit, & proprium nomen cum cognomine exposuit recantando falsam denominationem. In hoc casu Inquisitor vocauit Confessarium, vt ab eo sciret, an mulierem obligaſſet ad denuntiandum, & accepto testimonio Confessarij mentem suam firmauit super veritate delicti denuntiati ab ea muliere.

Quæres 54. An mulieri concubinæ credendum sit deponenti de solicitatione?

138 ℞. Non esse credendum concubinæ ac si esset meretrix, licet de iure non dicatur infamis. Ita *Mascard. concl.* 340. *num.* 13. *Zanardus tom.* 2. *cap.* 111. *de testibus in causis fidei fol.* 657. *§. Quintum.* Concubinatus autem est consueta fornicatio cum eadem fœmina, quæ retinetur ad modum vxoris ad explendam libidinem *Toletus lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 12. *Azor. tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *Silu.* 11. *eod.* De probatione Concubinatus *Mascard. concl.* 341. *&* 342. Concubinatus autem dicitur esse inter personas dispares, & ex longa habitatione in eadem domo per plures menses probatur. Pro defensione rei probatur etiam per publicam vocem, & famam, atque cohabitatione quatuor aut sex mensium, & procreatio filiorum est argumentum plene conuincens. Vide de probatione concubinatus contra ipsam concubinam, seu Concubinarium, Riccium part. 3. resol. 304.

CAPVT XXIV.

De conuersatione cum Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Conuersatio cum hæreticis omni iure interdicta.*
2 *Bulla Clementis VIII. contra proficiscentes ad hæreticos.*
3 *Bulla Gregorij XV. contra recipientes hæreticos.*
4 *Conferuntur ad inuicem prædictæ Bullæ.*
5 Insuper *quid significet.*
6 *Quid requiratur, vt catholicus possit habitare in terris hæreticorum.*
7 *Matrimonium prohibentur contrahere, tenet tamen.*
8 *A sepulturis hæreticorum abstinere debent.*
9 *Ab illorum Baptismate.*
10 *Ab illorum medicis.*
11 *Quomodo sint suspecti de fide transgressores prædictorum.*
21 *An transeuntes ad terras hæreticorum non moraturi subdantur Bullæ?*
13 *An sub Bulla Gregorij comprehendantur milites?*
14 *Non comprehenduntur hospitantes.*
15 *Concedentes domum hæreticis quas pœnas incurrunt?*
16 *In rebus diuinis communicare prohibentur.*
17 *Sic conuersantes sunt vehementer suspecti de hæresi.*
18 *Actiones temporales prohibitæ catholicis cum hæreticis.*
19 *Sunt vehementer suspecti de hæresi.*
20 *Communio cum hæreticis in diuinis prohibita iure diuino.*
21 *Negotiari cum hæreticis licet.*
22 *Fides data hæreticis seruanda est.*
23 *Pactum cum peccato initum adhuc seruandum est.*
24 *Matrimonij pacta cum hæreticis seruanda.*
25 *Pacta in bello seruanda cum hoste.*
26 *Pacta salui conductus seruanda.*
27 *Saluus conductus quid.*
28 *Duplex est.*
29 *Saluus conductus Principis laici non prodest respectu Ecclesiastici.*
30 *Saluus conductus Concilij Tridentini amplissimus.*
31 *Libertas religionis illicita.*
32 *Pacta super illa iam inducta sunt seruanda.*

Conuersatio cum hæreticis iure diuino, & naturali prohibita est, de quo constat apud D. Paulum scribentem ad Titum *cap.* 3. *num.* 10. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Quod ante ex parte Dei præceperat Romanis, *cap.* 16. *n.* 17. *Rogo autem vos Fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Non solum autem iure diuino, & naturali est prohibita conuersatio cum hæreticis; verum etiam iure Ecclesiastico, vt videre est *tit. de hæreticis cap.* 5. 8. 12. 14. *& in* 6. *eod. c.* 2. *&* 3. atque demum Clemens VIII. in sua incip. *Cum sicut* innouata, confirmata; & ampliata à Gregorio XV. incip. *Romani Pontificis* super quibus aliquid dicendum est, extensis illorum Bullis. 1

Quæres 1. Quid statuerit Clemens VIII. in sua Bulla contra Italos proficiscentes ad infideles?

℞. Extendendo Bullam huiusmodi sequentis tenoris. 2

Cum sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures Christi fideles ex diuersis Italiæ partibus, eorum Patriis, vbi vera, & Sancta Catholica, & Apostolica Religio viget, & publicè prædicatur, discedentes abeant in longinqua loca, vbi non solum hæresis impune grassatur, sed quod peius est, Catholicæ Religionis vsus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, vt personæ ibi permanentes, etiamsi Catholicæ sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria Sacrosanctæ Missæ Sacrificio, aliisque diuinis officiis, ac Sanctorum Sacramentorum præceptione in suarum animarum discrimen diutius carere.

Quare nos his, & aliis malis, & periculis inde prouenientibus, quantum cum Domino possumus, obuiare cupientes, hac nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, vt de cœtero.

Nullus Italus, *siue Mercator, siue cuiusuis alterius conditionis, vel status existat, quouis quæsito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Ciuitate, oppido, seu loco, vbi aliqua Ecclesia cum parocho, vel pastore, seu Sacerdote Catholico non existat, in qua libere, & sine omni periculo palam, & publice celebrari, & audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia diuina officia, & conciones, ac Sacramenta Ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cœtera fieri iuxta ritum* S. *R. E.*

Vtque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus; & ab hæreticorum sepulturis; filios suos de sacro fonte leuari per hæreticos non permittant;

nec

nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur leuare præsumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & vbi adsit copia Catholici medici idonei, non vtantur.

Cum vero Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, seu inhabitandum in partibus prædictis, id significent suis ordinariis, vel Inquisitoribus locorum à quibus serio admoneantur, vt in eis perpetuo Catholicam, & Orthodoxam fidem constanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & Festos dies, abstinentias, & sacra ieiunia ab Ecclesia præcepta religiosè colant, atque omnem hæresim, & errorem, hæreticos, Schismaticos, & ab orthodoxa fide aberrantes fugiant, & euitent, ac vt saltem singulis annis de eorum Sacramentali confessione peccatorum, & Sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem, seu testimonium ipsis ordinariis, vel Inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod & Nos dictos Italos tenore præsentium teneri, & obligatos esse decernimus, & mandamus.

Quod si quis propriæ salutis immemor contra præmissa facere præsumpserit, possit aduersus eum per locorum ordinarios, & Inquisitores hæreticæ prauitatis vti de hæresi suspectum procedi. Non obstantibus &c. Die 26 Iulij 1596.

Quæres 2. Quid statuerit Gregorius XV. in Sua Bulla incipiente *Romani Pontificis.*

3 ℟. Bullam Clementis supradictam approbat, confirmat, & innouat, atque inuiolabiliter obseruari mandat, addendo sequentia.

Insuper ne vllus hæreticus in locis Italiæ, & Insularum adiacentium, neque etiam sub nomine commercij, mercimonij, aut alio quouis prætextu domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, seu habitare, aut morari possit, earumdem tenore præsentium prohibemus, ac respectiuè statuimus, & ordinamus.

Contra prohibitioni autem, & statuto, ac ordinationi nostræ huiusmodi non parentes, seu contrauenientes cuiusuis status, gradus, ordinis, dignitatis tam Ecclesiastici quam secularis existentes, iuxta formam iuris procedatur & puniantur.

Et simili modo, eos, qui hæreticos prædictos receptauerint, eisque quoquomodo contra præsentium literarum tenorem, fauorem, opem, seu auxilium præbuerint, vti fautores, & receptatores hæreticorum puniri. Sicque per quoscumque iudices, &c. Die 2. Iulij 1622.

Quæres 3. An aliquid amplius contineat Bulla Gregorij præter confirmationem Bullæ Clementis?

4 ℟. Affirmatiuè, sicut enim Catholici non possunt habitare in terris hæreticorum, vbi non adest Sacerdos, & liber vsus sacrorum; ita neque hæretici apud Italos morari possunt, & Catholici eos receptantes, aut fauorem, & auxilium præstantes puniendi sunt vti fautores, & receptatores hæreticorum, siue sint Ecclesiastici, siue laici. Bulla igitur hæc Gregorij præter confirmationem addit ad Bullam Clementis, vt patet
5 & mox dictis, & denotat illa dictio *Insuper* quæ de sui natura continuat materiam eiusdem rationis, & addit ad superiora, *ex cap. Statutum §. Insuper, de reser. in 6.* Berous *consil.* 80. *num.* 5. *lib.* 2. Marescotus *l.* 1. *Variar. cap.* 151. *n.* 8.

Quæres 4. Quid requiratur, vt Catholicus possit habitare in terris hæreticorum iuxta Bullam Clementis?

6 ℟. Tria requiruntur. *Primò*, licentia Ordinarij, vel Inquisitoris loci, à quo disceditur, quia in Bulla exprimitur, quod discedere volentes debent id significare vni ex prædictis, à quo admonendi sunt de vita religiosè ducenda in terris hæreticorum. *Secundò*, in illis locis, ad quæ transit Catholicus, debet publicè & palam vigore cultus diuinus quo ad missam, Sacramenta, & huiusmodi. *Tertiò*, singulis annis schedula de Confessione, & sacra communione transmittenda est ad ordinarium, seu Inquisitorem, à quibus recessit.

Quæres 5. Quibus prohibeantur, dum in terris hæreticorum habitant?

℟. A quatuor prohibentur. *Primò*, non possunt 7
contrahere matrimonium cum hæreticis, propter periculum subuersionis, est etiam iure communi prohibitum *cap. Caue* 15. *cap. Non oportet* 28. *q.* 1. Idem dic de sponsalibus, licet de illis non fiat mentio, quia quandocumque prohibetur vnum, censentur etiam vetita reliqua omnia, per quæ peruenitur ad illud, *l. oratio ff. de sponsal. cap.* 4. *de constit.* iuncta Glosa *ver. Vnde omnia mala*, per sponsalia autem peruenitur ad matrimonium, vt patet, ergo pro hibito matrimonio, intelliguntur interdicta sponsalia, contractum matrimonium tenet ex communissima doctorum sententia apud Sanch. *lib.* 7. *disp.* 82. *num.* 2. non vero sponsalia quia sunt de re illicita ex Nau. *num.* 3. Vide Simanch. *de Cathol. instit. tit. de Matrim.* Pegna *part.* 2. *comment.* 81. *Secundò*, debent abstinere à sepulturis hæreticorum, quod intelligitur non solum passiuè, vt non sepeliantur in eorum Ecclesiis, seu sepulcris, verum etiam actiuè, ne concurrant ad sepeliendos hæreticos; quod postremum, sub excommunicatione latæ sententiæ erat iam prohibitum *cap.* 2. *de hæret. in* 6. Vide quæ dixi *cap.* 12. *num.* 56. *&* 97.
Tertiò, in baptizandis suis filiis non possunt assumere 8
in compatres, aut commatres hæreticos; neque Catholici id munus præstare possunt respectu hæreticorum, nisi in casu, quo filij hæreticorum baptizarentur à Sacerdote Catholico more item Catholico. Id autem prohibetur, non quia irritum sit baptismum ab hæretico collatum in forma Ecclesiæ, tenet enim de fide hoc credendum, ex allatis *cap.* 2. *num.* 2. 27. Sed ne Catholici videantur approbare errores hæreticorum, & sic subuertantur, nam Luterani, & Caluinistæ admittunt quidem baptismum Sacramentum necessarium, non tamen delere peccatum originale, sed tantum regi, & non imputari extinctione reatus, quod est error in fide, vt constat ex
Trident. *sess.* 5. *Quartò*, demum Medicis hæreticis 10
vti non possunt, quando habent copiam medici Catholici idonei; si igitur Medicus Catholicus insufficiens est, vel nullus est, vti possunt hæretico, vt infirmitatibus suis consulere possint. Si vnicus est Medicus Catholicorum, & grauis vrget infirmitas non prohibetur vsus Medici hæretici periti, vt refert ex Riccio *vol.* 4. *decis.* 208. Carena *part.* 2. *tit.* 17. *n.* 19. *§. Tertio.* Id etiam ante prohibitum fuit à Gregorio XIII. Bulla incip. *Alias pia memoriæ.* Vt neque in terris fidelium vocarentur medici Iudæorum, aut aliorum infidelium ad medendos fideles, & contra facientes mandat puniri ab ordinariis locorum. Vide Naldum *verb. Medicus Bullam hanc extendentem*, vbi ait tempore pestis admitti ob carentiam fidelium medicorum.

Quæres 6. An fideles cum hæreticis communicantes in eorum terris in vno casu ex supradictis prohibitis sint suspecti de hæresi? Item, si recedant, significatione non facta Inquisitori vel ordinario? Item, si singulis annis non transmittant schedulam de receptis Sacramentis?

℟. Sunt suspecti vehementer sine significatione, 11
& licentia, quia videntur recedere, vt libere viuant in terris infidelium; non vero si omittant transmittere Schedulam de Sacramentis receptis, hoc enim tribuitur cuidam pigritiæ, & negligentiæ circa obedientiam in hoc casu debitam, nihilominus aliqualem non effugiunt suspicionem leuem, quæ purgatur ostensione

ſione ſchedularum de Sacramentis ſingulis annis re-
ceptis. In vſu Medici hæretici extra caſum ne-
ceſſitatis non videntur ſuſpecti, ſed tantum inobe-
dientes Bullæ præferentes proprium ſanitatis inte-
reſſe ordinationi Apoſtolicæ. Demum valde
ſunt ſuſpecti, ſi communicent in aliis tribus
caſibus Matrimonij, Baptiſmi, & Sepulturæ,
quia præſumuntur approbare eorum ſacrilegos ri-
tus, qui opponuntur Catholicis, & ſequi eorum
errores.

Quæres 7. An accedentes ad terras hæreticorum
pro aliquo negotio, ſed ibi non commorantes infra
paucos dies ad domum propriam redeuntes, teneantur
petere licentiam, & obſeruare ſupradicta in Bulla
Clementis?

12 ℞. Negatiuè, quia in Bulla fit mentio de habi-
tatione, vel domicilio, ibi: *Audeat habitare, vel domi-
cilium tenere in ciuitate.* Nam habitatores, vel do-
micilium habentes non dicuntur aduenæ, peregrini,
neque viatores, de quibus hic non fit mentio. Confir-
matur ex actibus ibidem prohibitis, & de ſchedulis pro
Sacramentis receptis ſingulis annis tranſmittendis ad
vnum ex prędictis ſuperioribus ſuis, quæ omnia indi-
cant diuturnam habitationem.

Quæres 8. An Bulla Gregorij XV. quod hæretici
non habitent in Italia, & Inſulis adiacentibus, compre-
hendat hæreticos milites, quorum multi his noſtris
temporibus militant in diuerſis exercitibus hic in
Italia?

13 ℞. Non comprehendit, quia Bulla loquitur tan-
tum de hæreticis domicilium, ſeu habitationem in
Italia habentibus, milites autem de exercitu propriè
domicilium, neque habitationem dicuntur habere,
cum ſequantur exercitum vagando huc vel illuc
iuxta exigentiam belli, & imperium Ducis exerci-
tus; domicilium autem tunc acquiritur ab aliquo,
quando animum habet perpetuo manendi in loco
electo, Gloſ. *ver. Larem C. ne incolis*, Ioan. Andr.
in cap. Is qui, de ſepult. Sic habitatio aquiritur per
cōſiſtentiam in loco ſaltem maiori parte anni, Tiraque
de Rubr. lignag. §. 9. Gloſa 2. *n.* 26. patet autem Mili-
tes conductos animum non habere perpetuo manendi
ſub tali Principe, à quo fuerunt conducti, neque
intentionem conſiſtendi in tali loco, cum parati
ſint ſequi Ducem quocumque ierit, quare Militum
habitatio cum de ſe mutabilis ſit, & potius caſualis,
quæ non inſpicitur, ſed deſtinata, & determinata,
l. Quæſita §. *fin. & l. Si ita* 84. *ff. de legat.* 3. bene in-
fertur non comprehendi ſub hac Bulla. Confirmatur,
Tum quia, conductio militum arguit neceſſitatem
belligerantis, ergo ſi non habet copiam militum fide-
lium poteſt recipere hæreticos ſponte venientes. Tum
quia, noſtris temporibus multi milites profeſſione
Caluiniſtæ, & Luterani militant cum Catholicis con-
tra etiam Catholicos. Tum quia, iſta permiſſio quan-
doque vtilis eſt ad profectum animarum, nam multi
illorum ad fidem conuertuntur, de quibus ergo te-
ſtis ſum, dum interfui abiurationi, ſolemni per illos
factæ in ſua conuerſione. Verum quidem eſt,
quod non eſſent admittendi in conſortium mili-
tum fidelium, niſi ex grauiſſima neceſſitate, & cum
intentione hac via reducendi illos ad Catholicam
fidem.

Quæres 9. An hoſpitio receptans hæreticum tran-
ſeuntem ſubdatur hic Bullæ Gregorij, & puniendus ſit
14 tamquam fautor, & receptator hæretici?

℞. Negatiuè, quia illi domum non dicitur, locare,
aut quouis modo gratis domicilium, aut habitationem
propriè dictam concedere, ſed tantum hoſpitio tran-
ſeunter recipere, vnde propriè neque dicitur fautor, aut
receptator formaliter, & in cauſa hæreſis, iuxta dicta
c. 12. *q.* 3. & 4.

Quæres 10. Quaſnam pœnas incurrant conce-
dentes domum in Italia, & Inſulis adiacentibus hære-
ticis? 15

℞. Primo, ſunt excommunicati iure communi,
capit. Sicut 8. *capit. Excommunicamus* 14. §. *Cre-
dentes*, & in Bulla Cœnæ Domini. Secundò, incurrunt
alias pœnas, de quibus in præcitato *c.* §. *Credentes*, de
quibus dixi toto *capit.* 12. Vide ibi, ne bis idem re-
petatur.

Quæres 11. In quibus actionibus Catholici prohi-
beantur communicare cum hæreticis? 16

℞. In multis, quæ reduci poſſunt ad duo capi-
ta, nimirum in rebus diuinis, & ſpiritualibus,
atque in temporalibus. Ratione primi prohibetur
participatio cum illis in Sacramentis, orationibus,
ſuffragiis, ſepultura, & ſacris ritibus. Catholi-
ci prohibentur non ſolum iure diuino, & natu-
rali, ſed etiam Eccleſiaſtico iure communi *cap.* 3. 17
de hæret. capit. 2. *eod. in* 6. atque in Bulla Cœnæ
ſub prima excommunicatione. Ita autem con-
uerſantes in ſpiritualibus cum hæreticis ſunt vehe-
menter ſuſpecti de hæreſi, quia communicant eo-
rum operibus malignis, & illorum errores cenſentur
approbare. Ratione ſecundi prohibentur conuerſari
cum illis ciuiliter, & familiariter iuxta actiones, quæ
continentur hoc verſu. *Os, orare, vale, communio, menſa
negatur.* 18

Quare prohibetur locutio cum hæreticis, Farin.
quæſt. 182. *de hæreſi num.* 68. Decian. *lib.* 5. *crimin.
capit.* 42. *numer.* 12. Item negotiatio, idem Farin.
cit. *quæſt.* 182. *numer.* 171. Royas *ſingul.* 212. Item
viſitatio, *ex capit. Accuſatus*, §. *Ille quoque*, *de
hæret. in* 6. quæ inducit vehementem hæreſis ſuſpi-
cionem ſecundum Eimer. *par.* 2. *Direct. quæſt.* 56.
num. 8. Locatus *ver. ſuſpicio num.* 3. ex eodem Farin.
cit. *num.* 172. Item miſſio munerum inducens vehe-
mentem hæreſis ſuſpicionem Eimer. loco citato, Fa-
rinac. *q.* 182. *num.* 175. Item cum eiſdem parentela
prohibita, vt tradunt Doctores de impedimento Cul-
tus diſparitatis agentes, de quibus Sanch. *lib.* 7.
diſp. 71. Vide Sanctar. *cap.* 78. *de hæreſi.* Item teſtan-
tes fauore hæreticorum ſunt excommunicati, *capit.* 5.
& 6. & de hæret. & nullum eſt teſtamentum. Item
eorum aduocati, notarii, fautores, & defenſores ſunt
infames, ſuſpenſi ab officio, *capit. ſi aduerſus* 12. *de
hæret.* 19

Ex quibus colligitur prædictos omnes cum hære-
ticis conuerſantes ſiuè in ſpiritualibus, ſiuè in tem-
poralibus eſſe vehementes de hæreſi ſuſpectos, regu-
lariter loquendo, quod dico propter eos, qui confines
ſunt terris hæreticorum, cum quibus permittuntur ne-
gotiationes ſine pœnis, & ſuſpicionibus huiuſmodi.
Vnde Beia *par.* 2. *caſu* 7. excuſat Mercatores Catho-
licos contrahentes cum hæreticis, ad quorum loca
tranſeunt mercimonij cauſa, quamuis inire poſſint
contractus cum aliis Catholicis exiſtentibus in terris 20
hæreticorum, aſſerendo hos non incurrere in Bullam
Cœnæ Domini, quia Catholici cum ipſis non tractant
tamquam cum hæreticis formalibus, cum nihil agant
cum illis ſpectans ad religionem, ſed cum eiſdem nego-
tiantur tamquam mercatoribus, & ſibi paribus in ma-
teria mercaturę. Confirmatur id, quia ſicut poſſunt ha-
bitare in eorum terris iuxta Bullam Clementis ſuperius
adductam, & cum eiſdem tractare, exceptis illis quatuor
caſibus *ſub q.* 5. expenſis, à fortiori contrahere, & nego-
tiari tranſeunter cauſa mercaturæ.

Quod ſi dicas, huiuſmodi conuerſationem,
titulo mercaturæ, aut belli non eſſe admittendam,
quia conuerſatio cum hæreticis eſt prohibita non ſo-
lum iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, & di-
uino, cui nullus poteſt derogare, neque in eo di-
ſpenſare.

21 Respondeo, in conuersatione cum hæreticis duo spectantur, participatio in rebus diuinis, & in rebus temporalibus, ratione primi prohibitio est naturalis, & diuina, in qua derogatio, & dispensatio locum habere non potest, ratione secundi prohibitio est solùm positiua, & Ecclesiastica, quæ habet locum, quando adest periculum subuersionis, & timetur scandalum, & cum negotia temporalia de se non ordinentur ad scandalum, neque subuersionem, sed sunt indifferentia, propter bonum commune permittuntur cum hæreticis, nam aliquando hæc occasione conuertuntur ad Catholicam fidem conuersando cum Catholicis.

Quæres 12. An Catholicus teneatur seruare fidem datam hæreticis? Sumo fidem pro fidelitate in seruandis promissis. Ratio dubitandi est, quia ex supradictis Catholicis interdicta est conuersatio cum hæreticis, ergo fides illis seruanda non est, quia illis nec dari, nec seruari potest sine conuersatione cum illis. Deindè omnis hæreticus est excommunicatus: sed cum excommunicatis Catholicus non potest ciuiliter tractare ergo neque tenetur illi seruare fidem. Quibus non obstantibus, supposito, quod raro fides illis danda, necessitate tantum vrgente, & cum magna circumspectione: propter subuersionem, scandalum, & eorum malignitatem.

22 ℞. Fides data hæreticis, seruanda est illis, & primo respectu contractus matrimonij; secundò respectu belli; tertiò respectu salui conductus; quartò in causa libertatis religionis. De quibus omnibus bene Becan. *c.16.* de fide hæreticis seruanda.

Primum in genere de fide seruanda hæreticis, intellige, quando pacta, contractus, & conuentiones sunt licitæ, & honestæ, nam in turpibus promissis fides non seruatur, sed data rescinditur, *cap. In malis promissis rescinde fidem*, quia impia est promissio, quæ scelere adimpletur 22.*q*.4. probatur. Tum de iure capitibus multis allatis *cauf.*22. *cap.*4. ex Sanctis Patribus, *& tit. de pactis*, in quibus locis simpliciter dicitur, quod pacta, & conuentiones seruentur, ergo respectu omnium, cum quibus initia sunt. Tum quia, de his exempla habemus in veteri Testamento, nam Iosue pactum cum Gabaonitis initum illis seruauit, & tamen erant infideles Iosue *cap.* 9. apud Becan. cit. *num.* 10. ad 14. vbi addit alia exempla. Ratio est, quia ex pactis, & conuentionibus validis, & honestis oritur naturalis obligatio ad illa implenda; sed naturalis obligatio respicit omnes in esse naturæ, & moris ciuilis, quod ius obligationis non extinguitur in infidelibus, neque hæreticis. Confirmatur, quia pacta quo ad obligationem oriuntur ex virtute fidelitatis, veritatis, & iustitiæ, quæ omnes homines indistinctè obligant, ergo Catholicos erga hæreticos, & vice versa, hæreticos erga Catholicos. Et ex his patet ad rationem dubitandi, aliud esse illicitam conuersationem cum hæreticis nimirum in rebus diuinis, non autem in rebus ciuilibus, & pactis; neque ex eo, quod non liceret aliquando pacisci cum hæreticis, sequitur Catholicum non teneri seruare promissum,
23 aliud enim est cum peccato inire pactum, aliud initum pactum non tenere, nam tenet, & obseruandum, est, siquidem pactum meretricium iniquum est, post copulam tamen seruandum est exhibitione mercedis, Bonac. *disp.*1. *de contr.q.*2. *par.*3. *num.*2. vsurarum solutio inique iuratur, sed benè iuratum exequitur, *cap. Debitores, de iureiur.* ibi doct. Neque prohibetur cum excommunicatis tractare in similibus casibus pro adimpletione promissi, siue sint nominatim excommunicati, quia adest necessitas, aut vtilitas, siuè sint tolerati, cum quibus conuersatio non dicitur prohibita non excommunicatis, vt docent omnes in materia excommunicationis.

Dices, Catholicus non tenetur seruare fidem hæreticis in contractibus, & aliis pactis, quia ipso iure nihil proprij habent confiscatis eorum bonis *cap. Secundum leges, de hæret. in* 6.

℞. Sunt tantum Priuati iure dominij, non possessionis, & vsus vtendi, & fruendi, iuxta dicta *c.*12. *à q.*22. *& seq.*

Primò, de Matrimonio, quod inter Catholicum, 24
& hæreticum tenet contractum ex communi dictorum, quos citat Sanchez *lib.*7. *disp.*82. fides seruanda est in omnibus, quæ ad illud spectant, nimirum perpetuò cohabitare debent pro administratione suæ domus, ita tamen, vt vxor sit subiecta viro; mutuum sibi debitum coniugale reddere debent; vnus altero viuente secundum matrimonium inire non potest, neque adulterare in educatione filiorum leges proprias obseruare debent, vnde audio apud quosdam hæreticos, inter quos morantur etiam Catholici, fœminas sequi religionem matris, masculos patris,

Secundò, circa bellum data fides seruanda est, siuè spectetur, vt hæreticus, vel vt excommunicatus, vt pa- 25
tet ex dictis, siuè vt hostis, & inimicus, vt docet D. August. relatus *cap. Noli* 3.23. *quæst.* 1. *Fides quando promittitur etiam hosti seruanda est, contra quem bellum geritur.* D.Thom.2.2.*q*.40.*art.*3. Ambros. 1. *Offic. cap.*29.

Tertiò fides data in saluo conductu hæreticis seruanda, est autem saluus conductus securitas pu- 26
blica alicui data eundi ad certum locum, & inde redeundi impune iuxta tenorem gratiæ factæ, ex 27
Bartolo Becan. *capite* 16. *de fide quæstio.* 6. Concedi autem potest dupliciter, primo iure communi, 28
quando conceditur contra vim iniustum salua semper iustitia.

Secundò, iure speciali derogante iuri communi, cum nimirum alicui simpliciter, & absolutè conceditur contra omnē vim siue iustam, siuè iniustam. Saluum conductū priori modo non expedit reis, & reuera culpabilibus postulare, quia illis repertis reis nihil prodest, sed potius est medium incidendi in laqueum. Posteriori verò modò amplissimum est, & tutissimum excludens omnem pœnam, siuè illud habens sit innocens, siue reus repertus. Similem concessit Tridentinum hæreticis volentibus interesse Concilio, & in eo disputare cum Catholicis, & in eo data fides illis seruata fuit. Quando Imperator, seu alius Princeps secularis dat saluum conductum, promittit ei seruare fidem circa ea omnia, quæ exprimuntur in concessione quatenus pertinent ad eius potestatem laicalem: non ideo tamen habenti talem saluum conductum prodest respectu potestatis Ecclesiasticæ, quæ illum non acceptauit, nec cogitur acceptare; sed reum 29
repertum punire, & castigare potest, non obstante saluo conductu, quia princeps illum eximit à pœna quo ad suum tribunal, non verò respectu tribunalis Ecclesiastici, quod laicali non subditur, neque subordinatur, cum Ecclesiasticum Tribunal superiorem habeat potestatem excedentem potestatem laici Tribunalis, quod ideo subditur Ecclesiastico. Et hæc est ratio cur Concilium Constantiense damnauit Ioannem Hussium, & Hieronymum Pragensem, nam iste non habebat saluum conductum, & ideo per Concilium 30
fides illi fracta non fuit, quia nihil promisit; neque fuit fracta Ioanni ob eamdem rationem, quia saluum conductum à solo Imperatore habuit, & in forma communi, & priori modo, cum clausula, *salua semper iustitia*, & ideo saluus fuit respectu ministrorum Imperatoris, non Concilij, quod nihil illi promiserat, & cum Concilium sit supra Imperatorem, bene potuit condemnare dictos hæreticos, non obstante Saluatorio Imperatoris, quo non eximebantur illi hæretici à Tribunali illius Concilij.

Quo

Quo ad quartum de libertate religionis, qua conceditur omnibus sequendi quam velint religionem, seu sectam, locum non potest habere pactum, neque fides promissionis, quia hæc libertas est omnino illicita, & repugnat Catholicæ fidei à Deo traditæ, qui docet in sacris scripturis vnam esse tantum fidem, vnicam Ecclesiam, vnicum pastorem illius. Deinde est damnosa, & perniciosa Reipublicæ, quæcumque ea sit nam ex ea causantur dissensiones, & diuisiones dominantium, omne enim regnum in seipsum diuisum desolabitur, Lucæ *cap.* 11. *num.* 17. hinc experiuntur continua bella, & damna in Germania, & aliis locis, vbi hæc libertas viget. Igitur à nullo Principe approbari, nec introduci debet ex adductis malis, quæ inde oriuntur, neque proinde fides in ea locum habet
32 quo ad eius concessionem, aut approbationem. Quoniam autem aliquando non potest impediri, neque extirpari, quando probabiliter timetur grauius malum in republica, ideo toleratur iam inducta, quia ex duobus malis minus permittitur, & respectu huius tolerantiæ fidei in pactis initis licitis, & honestis, atque validis seruanda est hæreticis, ne quid deterius contingat. Vide Becanum *cap.* 16. *quæst.* 4. vbi exactè rem hanc tractat.

CAPVT XXV.

De Iudæis, & Paganis.

SVMMARIVM.

1 *Iudæi, Hebræi & Israelitæ idem genus hominum.*
2 *Cur à Catholicis vocantur vsitatiuè Iudæi.*
3 *Fide vera carent tria genera hominum.*
4 *Iudæi non sunt in Ecclesia.*
5 *Nec saluari possunt in fide veteris Testamenti.*
6 *Iudæi propriè non sunt Hæretici.* 14. 22.
7 *Iudæi subduntur Principi laico.*
8 *Papæ, & Episcopis.*
9 Quid mihi de his, qui foris sunt *exponitur.*
10 *Papa mandat laicis punitionem Iudæorum.*
11 *Fornicans cum Catholica punitur ab Episcopo.*
12 *Inquisitor procedit contra Iudæos delinquentes contra fidem.*
13 *Domicilium, & habitatio faciunt subditum.*
14 *Iudæi Hæretici sunt quoad errorem.* 22.
15 *Decem casus contra Iudæos subiectos Inquisitoribus.*
16 *Pignorans Crucem, seu Calicem Hebræis suspectus de hæresi.*
17 *Frequentior vsus in lege expressus eam non restringit.*
18 *Nutrix seruire non potest Iudæis, neque in hoc dispensari.*
19 *Laicus super illis decem casibus nullum ius habet.*
20 *Laicus semper est exclusus, quando Papa committit Inquisitori.*
21 *Laicus non potest agere casus fidei.*
22 *Iudæus hæreticus ex parte delicti* 6. 14.
23 Libere procedere, *idest sine consensu, aut contradictione alterius.*
24 *Contenta in Bulla Clem. VIII. damnantis in librum Thalmudis.*
25 *Imagines Sanctorum deturpantes puniuntur ab Inquisitoribus.*
26 *Bibliam falsificantes puniuntur.*
27 *Inseruientes Iudæis puniuntur.*
28 *Medicis item extra necessitatem.*
29 *Baptizari non coguntur.*
30 *Cogi possunt baptizare suos infantes:*
31 *Ius naturale paternum regulatur per diuinum.*
32 *Ius Euangelicum non aduersatur naturali.*
33 *Conuerso coniuge vno proles baptizatur altero inuito.*
34 *Puer post septennium baptizatur inuito patre, si petiit.*
35 *Synagogas inuisentes puniuntur ab Inquisitore.*
36 *Delegantes eis officia publica puniuntur à solo Episcopo.*
37 *Quomodo torturandi, & abiurandi sint Iudæi.*
38 *Tria peccatorum genera committere possunt.*
39 *Pœna, quibus affici possunt referuntur.*
40 *Inquisitor Iudæos non punit sine Ordinario.*
41 *Commercium carnale cum Iudæis non est casus Inquisitoris.*
42 *Nisi admisceatur hæresis aliqua.*

IVdæi, Hebræi, & Israelitæ eiusdem sunt religionis 1
Veteris Testamenti. Iudæi dicuntur à Iuda quarto filio Iacob ex Lia, qui est caput generationis Genes. *c.* 29. *in fine, & c.* 35. *ad finem*, sceptrum durauit in eo vsque ad aduentum Messias, *c.* 49. *n.* 10. Hebræi vocantur à transitu Israel de Ægypto in terram Promissionis. Israelitæ dicuntur ab Israel, idest, Iacob patre prædicti Iudæ, qui Iacob à natiuitate vocatus, à Deo post luctam nomen Israelis accepit Genes. *c.* 32. *n.* 28. quod significat *Præualens Deo*, inquit enim Deus. *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis.* Catholici vsitatius illos vocant Iudæos à 2
traditione, & perfidia Iudæ Iscariotis, quia post Christi aduentum omnes Hebræi tot sunt Iudæi, qui Christum negant instar Iscariotis.

Notandum autem est, quod tria sunt personarum 3
genera, quæ fide vera carent Hæretici, de quibus præcedenti capite, & plura, *c.* 9. *Sect.* 3. Iudæi, qui post Christum missum fidem amiserunt nolentes credere illum esse verum Messiam promissum Sanctis Patribus antiquis. Demum Pagani, sub quo nomine veniunt Gentiles, Saraceni, Mahumetani, & similes, qui nuquã militarunt sub fide Christi venturi ante Incarnationem, neque post aduentum Christi, & solent vocari etiam Idololatræ, quia vnum Deum, vt reliqui faciunt non colunt, sed plures insipienter adorant. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. An Iudæi sint in Ecclesia Dei, & saluari possint viuentes sub lege veteris testamenti in Fide Christi quatenus venturi.

℞. Iudæi non sunt in Ecclesia Dei; nec saluari pos- 4
sunt modò in fide Christi venturi obseruando legem veterem.

Primum, quod Iudæi non sint in Ecclesia Dei, probatur per Apostolum ad Corint. *c.* 5. *ep.* 1. *n.* 12. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare* quod dictum assumitur *c. Multi* 18. 2. *q.* 1. *c. Gaudemus* 8. *de diuort.* & applicatur Hebræis, & aliis infidelibus, qui dicuntur esse extra Ecclesiam. Ratio est, quia homo omnis nascitur extra Ecclesiam, siue sit ex Catholico, siue Iudæo, siue Pagano, & in eam non potest ingredi nisi per Baptismum, quod dicitur ianua sanctæ Ecclesiæ, quam eius regeneratione omnes ingrediuntur. Et doctrina Catholica ab omnibus sub iure fidei recepta, vt doctoribus citatis refert Riciull. *l.* 2. *c.* 1. Vide *cap.* 1. *n.* 115. *&* 151.

Secundum, quod Iudæi saluari non possint in fide 5
veteris testamenti, probatur. Tum quia, fides veteris testamenti abrogata est, mortua? & mortifera eam obseruantibus ex D. Thom. 1. 2. *q.* 103. *art.* 3. *&* 4. ea enim abrogata fuit in morte Christi, in qua sicut translatum fuit Sacerdotium, ita, & lex vetus in nouam, adueniente enim luce Euangelij cessauit vmbra veteris legis, ergo non amplius potest saluare in fide Christi venturi. Tum quia, nullus saluari potest nisi in nomine Iesu Christi, qui iam venit, *Act.* 4.

*num.*12. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Sed Hebræi fidem de Christo incarnato non habent, ergo saluari nullatenus possunt. Et hoc de fide certum est apud Catholicos.

Quæres 2. An Iudæi sint hæretici?

6 ℞. Negatiuè, quamuis contra Catholicam fidem sentiant, ratio est, quia sicut hæresis est error hominis baptizati ex probatis *c.*9. *sect.*3.*n.*2. *&* 3. ita hæreticus propriè vocatur solum ille, qui baptizatus habet errorem in intellectu. Constat autem Iudæos non esse baptizatos, ergo dicendi non sunt hæretici. Vide infra *n.*14. *&* 22. Ita Farin. *q.*188. *n.*128. Carena *part.* 2. *tit.*4.*n.*2. & alij omnes. Ex quo colligitur Iudicem Sanctæ Inquisitionis nullum ius habere contra Iudæos, quatenus sunt increduli mysteriorũ fidei nostræ. Ita Bald. *consil.*315. *&* 316. *vol.*1. Decian. *l.*5.*c.*14.*n.*2. Farin. *in fragm. ver. Iudæus n.*655.

Quæres 3. An Iudæi subdantur iurisdictioni laicæ.

7 ℞. Affirmatiuè in causis, & delictis mere secularibus, & etiam mixti fori tantum; probatur *ex c. Post miserabilem* 12. *de vsur. l. Iudæos, C. de Iudæis*, Marta *de iurisd. part.*2.*c.*13.*n.*14. Beccius *consil.*84.*n.*.. Ricciull. *l.*2.*c.*52. Ratio est, quia sunt subditi principis ratione domicilij, vel habitationis, seu ratione delicti, vt cæteri. Et in hoc omnes conueniunt.

Quæres 4. An Papa Episcopus, & iudex Ecclesiasticus iurisdictionem habeat super Iudæos, sicut & super fideles?

8 ℞. Iudæi quoad delicta omnia subduntur Papæ, habet enim vtrumque gladium etiam contra infideles, ex probatis *c.* 5. *q.* 42. & mox confirmatur quo ad alia delicta tantum Ecclesiastica, & etiam mixti fori subduntur Episcopo, & iudici Ecclesiastico, itaut quod ad mixta dicatur locus præuentioni. Probatur diuersis iuribus, *c. Postulasti* 14. *de Iudæis* ibi: *Quod si dictus Iudæus tuæ iurisdictionis existat, ipsum pœna pecuniaria punias, vel alia temporali. c. Post miserabilem* 12. *de vsuris* ibi: *Iudæos ad remittendas Christianis vsuras per Principes, & potestates compelli præcipimus seculares*, Vides Papam præcipere iudicibus laicis, vt cogant Iudæos ad restitutionem vsurarum, ergo Papa iurisdictionem habet super Iudæos, quia verbum *Præcipimus* arguit iurisd. ctionem, & potestatem in præcipiente, *c.*1. *de off. deleg. extrau.* 1. *de verb. signif.* ibi: Præcipiendo *mandamus*. Simile præceptum facit Summus Pontifex contra Iudęos; & Saracenos publicè inuocantes Mahometum in graue scandalum religionis Catholicæ. Clem. Vn. de Iudæis. Prælati igitur Ecclesiastici tantam habent iurisdictionẽ, & potestatem super hos Infideles, quantum habent super fideles quo ad punitionem. Ita docent Caldet. *consil.* 2. *de Iud.* Bald. *l.* 1. *consil.* 315. alios in hanc sententiam citat Ricciull. *l.* 2. *c.* 52. *n.*6. Carena *part.* 2. *tit.*13.*n.*7.

Oppositum nimirum in his causis iudicium spectare etiam iudicem laicum docent plures ex antiquis, & nonnulli moderni apud præcitatos, quod probant ex allegatis iuribus, & similibus quæ magis pro nobis faciunt, quam pro illis si enim Papa præcipere potest Principibus laicis, vt delinquentes infideles in Ecclesiam puniant, quare & ipse, & cum eo Episcopi propria auctoritate punire nequeunt? cum potestas Ecclesiastica præcipiat laicæ potestati, à fortiori subditis eidem laicæ potestati, cum vtique subiiciantur iurisdictioni Ecclesiasticæ subditus enim Gubernatori simul cum Gubernatore subditur Duci; sed Hebræus subditur laico iudici, & iste Ecclesiastico, ergo vterque eidem. Nec quidquam facit illud D.

9 Pauli. *Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare?* quia intelligitur quo ad pœnas spirituales censurarum, quibus non sunt capaces, illæ enim ab Ecclesia imponuntur transgressoribus tanquam medicinæ ægrotantibus in peccatis, vt sanentur, vt resipiscant, censuræ enim dicuntur pœnæ medicinales *cap.*1. *de sent. excom. in* 6. non verò quo ad pœnas temporales corporis, & pecuniæ, respectu enim harum iudex Ecclesiasticus iudicat infideles, qui in hoc sensu non dicuntur esse foris, idest extra tribunal iustitiæ vindicatiuæ. Ita comment. illius loci. Sed 10
cur Papa in præcitatis textibus & aliis immediatè non punit infideles delinquentes, mandando id Principibus? Si nolebat per se, cur id non præcepit Episcopis? Respondeo, in primo textu patet Papam præcipisse Ecclesiastico illi, vt Iudæum puniret, in aliis, ipse non aderat præsens, ideo executionem iustitiæ mandauit aliis, & quidem Principibus temporalibus, qui solent magis timeri à delinquentibus maximè propter mortem, quam illis inferre possunt, quam Ecclesiastici, qui tam rigorosis pœnis transgressores non afficiunt, magis enim tribunal Ecclesiasticum tendit ad misericordiam, quam laicum, qui rigorem respicit in maleficiis; & præterea tribunal laicum potentius est in exequutione iustitiæ, quam Ecclesiasticum, quod, vt experimur, aliquando inique opprimitur à laicis.

Hinc colligitur Iudæum fornicantem cum Catho- 11
lica puniri posse à iudice Ecclesiastico nimirum ab Episcopo, quod pluribus probant Marius Mota Siculus in Comment. *ad c. Regn. Sicil. vol.*2.*c.*68. Ciarlinius *Controu. forens. c.* 42. *n.*50. quos citat Carena *par.* 2. *tit.*14.*n.*11. contra Surdum *consil.* 497. Idem dic de Catholico fornicante cum Iudęa, in vtroque enim periculum valde proximum censetur esse subuersionis. Nos est casus Si officij, infra *n.*41.

Quæres 5. An Inquisitor habeat iurisdictionem, & potestatem puniendi Iudæos, & cœteros infideles delinquentes contra fidem, vel sanctum officium aut illius officiales?

℞. Habet, probatur. Tum ex eius officio, cui incum- 12
bit conseruare sanctam fidem illabatam, & inuiolatam omnibus hæresibus, hæreticis, & peruersis hominibus qui contra Catholicam fidem delinquunt aut obloquuntur; ergo non solum Catholicos, & hæreticos delinquentes punire possunt, sed etiam quoscumque alios extraneos à baptismo, cuiusmodi sunt Iudæi, & Pagani; cum non minus possint delinquere non baptizati, quam baptizati, conuitia iaciendo contra sanctam fidem. Tum quia, in terris Catholicorum non minus habent domicilium, & habitationem Iudæi, & Pagani, quam Christiani; sed isti dicuntur subiecti Inquisitoribus, si delinquant in sanctam fidem, vt notum est, ergo & illi. Confirmatur, quia par domicilium, & habitatio dant quoque parem iurisdictionem, *cap. Licet* 20. *de foro compet.* Nec obstat, quod Iudæi discredentes non sint hæretici, quia licet tales non sint quo ad specialem malitiam hæresis, quatenus à solo baptizato contrahitur, tamen in re tales sunt, quatenus fidem Catholicam verbis, aut factis inhonorare possunt, & fideles ab illa retrahere. Præ- 13
terquam quod Inquisitor ius habet non solum contra hæreticos formales, aut suspectos de hæresi, verum etiam contra alios, qui si essent baptizati, talium delictorum formaliter essent rei, tales omnes extranei à Baptismo, ergo subduntur Inquisitoribus. Ita docent Eimer. *par.*2. *Direct. q.*46. Locatus in Repertorio, Lucerna Inquisit. *ver. Iudæus*, alios citat Carena *par.*2.*tit.* 14.*n.*14.

Quæres 6. Quinam sint casus, in quibus Inquisitor potest procedere contra Iudæos secundum Bullam Gregorij XIII.

℞. Decem sunt casus relati in eius Bulla incip. *Anti-* 14
qua Iudæorum improbitas de quibus bene Carena *par.* 2.*tit.*14.§.6. *vsque ad* 16. quos in sequentibus expendemus.

Primus,

Primus,ita se habet. *Si quis Iudæus,aut infidelis ex iis,quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, velut Deum vnum,& æternum,Omnipotentem,creatorem omnium visibilium,& inuisibilium, & similia non esse asseuerit prædicauerit,vel priuatim alicui insinuauerit.* Iudæus igitur contra prædicta tenens puniendus est,quia ea æque communia sunt Catholicis,& Iudæis,nam spectant ad diuinam essentiam , & ad eius attributa, vt vocant Theologi. Quæ verò spectant ad Trinitatem , Incarnationem , Sacramenta , & cætera noui Testamenti non subduntur huic casui , Sed quarto.

Secundus casus,*Si dæmones inuocauerit, consuluerit-ue, aut eorum responsa acceperit,ad illosue sacrificia,aut preces ob diuinationem, aliamue causam direxerit , aut quid eis immolauerit,vel thuris,alteriusue rei fumigationes obtulerit,aut alia quauis impietatis obsequia præstiterit.* Casus iste de idololatria , & indebito cultu erga Dæmonem punitur meritò per Inquisitores,quia Hebræi cum Christianis in hoc conueniunt ex sacris literis , quod vnus Deus adorandus est,cui soli diuinatio reseruata est;ne ergo sensus Sacræ Scripturæ , & primum Dei mandatum de vno Deo colendo peruertatur in confusionem veræ fidei Inquisitores super hoc inuigilare debent.

Tertius est. *Si Christianos verbo,vel facto,vel exemplo,vel quouis alio modo nefaria huiusmodi docuerit,vel ad ea perpetranda perduxerit,vel perducere attentauerit,* Iudæus docens Christianum,Deum non esse, non esse Æternum,Omnipotentem,&c. Item adorari , inuocari posse Dæmones,&c. vel attentauerit,vt aliquid prædictorum faciant,reus est huius Bullæ. Tertius ergo iste casus refertur , & specificatur per præcedentes duos.

Quartus est. *Si Saluatorem , & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse;Matremue Dei non esse Virginem,& alias huiusmodi blasphemias , quæ per se hæreticæ dici solent , in Christianæ fidei ignominiam,contemptum, aut corruptionem impiè protulerit.* In hoc casu sermo est de Blasphemiis hæreticalibus,ratione quarum Iudæi sunt rei huius Bullæ. Aliæ blasphemiæ non hæreticales puniri possunt etiam ab Ordinario,& laico , quibus datur locus præuentionis.

Quintus est. *Si cuiusque eorum opera,aut consilio, vel fauore aliquis Christianus à fide desciuerit,quamque semel susceperat abnegauerit,vel ad Iudæorum, seu aliorum infidelium ritus, ceremonias,superstitiones , vel impias sectas transierit,vel redierit,seu in hæresim aliquam inciderit;aut qui,vt fidem Christi abneget,seu in hæresim incidat,opem,consilium,fauoremue quomodocumque præstiterit.* Iudæus existens causa, quod aliquis Christianus,etiā si aliàs fuisset Hebræus, vel infidelis,discredat aliquem articulum , vel à fide recedat falsam aliquam sectam amplectendo,vel redeundo ad eam,quam antea tenuit,punitur per Inquisitorem,cui ex officio incumbit tueri,& defendere fidem.

Sextus casus est. *Si quis Cathecumenum , vel quemcumque ex Iudæis,aut infidelibus Deo inspirante ad Fidem Christi venire volentem,post declaratam,nutu,verbo,facto,aut quocumque alio modo à fide,vel fidei instructione, aut Sacri Baptismatis susceptione retrahere auertere,vel dehortari,aut ne ad fidem veniat, neue regenerationis lauacro abluatur quouis modo impedierit.* Impediens quomodocumque ne qui veniat ad nostram fidem reus est huius Bullæ.Comprehendit etiam illum Iudæum patrem,aut matrem impedientes bonam voluntatem suorum filiorum cupientium venire ad fidem, quia in hoc filij sunt sui iuris nequaquam subiecti parentibus.

Septimus est.*Si apostatas,aut hæreticos scienter domi acceptauerit,aluerit,occultauerit,&c. aut eis opem,consilium,auxilium,vel fauorem præstiterit.* Idem prorsus dicendum est in hoc casu , quidquid asseritur contra Catholicos prædictorum receptatores , de quibus dictum fuit *c.12.*

Octauus est. *Si libros hæreticos,vel Thalmudicos,aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos,vel aliàs prohibitos tenuerit,custodierit,vel diuulgauerit, vel in quacumque loca detulerit,aut ad eam rem operam suam accommodauerit.* De libris prohibitis, vide *c. 13.* Extat Bulla Clem.VIII. de qua infrà *sub.q.4.*

Nonus casus est.*Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara Crucis immolatam,Christum Dominum in ludibrio , & despectui habens,quomodocumque,maximè verò in Sacro Parasceues die agnum siue ouem,aut quid aliud Cruci affixerit, aut appenderit , in eamue conspuerit , seu quomodocumque contra ipsam fecerit.* Iudæi irridentes, vel obloquentes de Passione Christi,& eius Cruce rei sunt huius Bullæ. Quid de Christiano sub pignore Crucis , aut Calicis 16
mutuo pecuniam recipiente ab Hebræo? Puto , hunc tamquam de hæresi vehementer suspectum puniendum esse,tam quia huic casui cooperatur Iudæo.Tum quia,est causa,cur Iudæus abutatur Cruce, & Calice, maximè,si aliqua læsio appareat in illis.

Decimus,& vltimus casus,in quo Inquisitor procedit contra Hebræos est. *Si nutrices Christianas contra Sacrorum Canonum statuta , & diuersorum Pontificum Sanctiones adhuc retinuerit , aut eas retinens die , qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint,lac vno,vel pluribus diebus in latrinas,vel cloacas, vel alia loca effundere coegerit.* Iure communi *c. Ad hæc,* de Iudæis prohibitum erat mulieribus Christianis nutrices agere filiis Hebræorum,hic confirmatur? & licet in eo capite videatur prohibitio restringi , vt illas Iudæi non retineant in domibus suis,tamen textus ille absolutè accipiendus est , quod mulieres Catholicæ non possunt seruire Hebræis pro nutricibus neque in domo Hebræorū, neque in propria,quia ob familiaritatem, quæ in vtroque casu contrahitur , adest periculum subuersionis. Et illa verba, *In eorumdem domibus c. ad* 17
hæc 8. eod. apposita fuerunt gratia frequentioris vsus, quæ dispositionem non restringunt,*arg.l.Vn.C. de raptu virg.* Glos. *ver, Præsidentes,* fine, *Clem.1. de reser. Rebuff. de Nominat. q.5.n.3.* Prædictus casus expressè habetur,*c. Et si Iudæos 13. eod.* Episcopus autem , & multo minus Princeps,non potest dispensare,vt mulier Christiana pro nutrice seruiat infidelibus, non solum 18
obstante periculo subuersionis propter familiaritatem, sed etiam quia id est contra decorem Christianæ religionis,quæ suos filios vult esse liberos , & non seruos infidelium.Ita Ricciull.*l.2.c.28.n.18.* Sanch.*l.2.c.31.n.27.* Quid si mulierem etiam non Nutricem Hebræus coegerit lac effundere,vel euomere , sequenti die post sumptionem Sacræ communionis? Puniendus est ab Inquisitore virtute huius Bullæ,quia præsumitur id fecisse in contemptum Sacramenti. Numquid mulier nutrix contradicta iura faciens, sit punienda ab Inquisitore? Sic quia , complex est in delicto complices enim sunt rei eiusdem tribunalis.

Quæres 7. An isti casus ita sint delegati Inquisitoribus , vt super illis iudex laicus nullum ius habeat , sed omnino excludatur? Dico, *Iudex laicus* , quia potestas de iure Episcopi competens viget in illis.

℞. Iudex laicus nulla ratione potest se intromittere 19
in prædictis casibus probatur.Tum quia, hæc potestas à Sede Apostolica delegatur Inquisitoribus , ibi: *Iudices in suis quique locis perpetuo delegamus.* Sed quā- 20
documque Princeps aliquid delegat id facit priuatiuè ad laicos , vt docet Scaccia *de iudic. l.1.c.12.num.53.* Tum quia , casus supradicti habent pro obiecto defensionem fidei Catholicæ , quæ est causa merè spiritualis, in qua laici nullatenus se ingerere possint, 21

cap. Vt Inquisitionis 18. §. *Prohibemus. de hæretic. in* 6. vbi & si sermo sit de delicto hæresis, nihilominus idem dicendum est etiam de suspicione, cum dependeat formaliter ab hæresi, quamuis Iudæi non sint formaliter hæretici, ex eo, quod carent baptismo, sunt tamen
22 tales ex parte delicti, quod in se hæreticum est, vel includit hæresis suspicionem. Tum quia, hæc potestas, de qua in Bulla libere conceditur Inquisitoribus,
23 ibi: *libere procedere posse*, idest, nullo impedimento, grauamine, obstaculo, aut contradictione alicuius, Gl. *ver. libere c.* 1. *de regul. iur.* Gonzal. *ad Reg.* 8. Glosa 33. *n.* 18. Tuschus *concl.* 306. *lit. D. n.* 9. Gratian. *c.* 919. *n.* 13. & 20. importat quamdam prærogatiuam absolutam, & dominium *ex c. cum olim, de elect.* Glos. *in Addit. ad finem extrau. com.* 2. *de sepult.* ergo excludit ab hoc iudicio laicum iudicem. Ita docet Carena *tom.* 2. *tit.* 14. *n.* 38.

Quæres 8. Quid contineat Bulla Clem. VIII. citata *sub casu* 8.

24 ℞. Clemens VIII. Bulla incip. *Cum Hebræorum*, extensa apud Dianam ad calcem *part.* 4. damnat hebræos tenentes, & legentes libros Talmudi, & alios hactenus damnatos continentes blasphemias, & contumelias in Deum, & sanctos, innouando Bullas Gregor. IX. Innoc. IV. Clem. IV. Honorij IV. Ioannis XXII. Iulij III. & Gregorij XIII. qui omnes sæpius damnarunt talem librum, & commentaria super illum ita quod enixa voluntas Summorum Pontificum est, vt omnino extirpentur siue corrigendum, siue correctum sit, & aliàs de nouo dictũ opus excussum fuerit, reuocando quascumque licentias ad cuiuscumque instantiam legendi huiusmodi librum, à quibuslibet concessas. Adest pœna excommunicationis latæ sententiæ & publicationis bonorum. Hæc contra Iudęos, & etiam Catholicos legentes, tenentes, imprimentes, vendentes, donantes, scribentes aut commutantes, & contra quoslibet auxilium, opem, fauorem, & consilium præstantes in hoc casu.

Quæres 9. An Iudæi frangentes, aut deturpantes sanctorum imagines puniendi sint ab Inquisitoribus?

25 ℞. Affirmatiuè, tum quia iniuria afficiunt Catholicam fidem, & religionem Christianam, quæ imagines sanctorum veneratur, id dictante fide Catholica, & id deducitur ex *casu* 4. *sub q.* 6. Tum quia, ab Inquisitore puniuntur verbo blasphemantes hæreticaliter, vt probatur *seq. cap.* ergo, & facto blasphemantes per lacerationem, seu exputcationem, & deducitur ex 9. casu de conspuente in Crucem. Ita aliis citatis Carena *par.* 2. *tit.* 14. *n.* 35.

Quæres 10. An Inquisitor punire possit Hebræos falsificantes, vel abradentes aliquid è Sacra Scriptura, quod Christo conuenire potest, vel tripudiantes in die Veneris Sancti in dedecus mortis Christi?

26 ℞. Affirmatiuè, quia huiusmodi actiones sunt in vilipendium Incarnationis, & passionis Christi contra Catholicam fidem, quam defendere tenentur Inquisitores. Ita Carena *part.* 2. *tit.* 14. *n.* 36. cum Alexandro *vol.* 6. *consil.* 233. *num.* 6. Lazar. *quæst.* 2. *de Blasphem. num.* 33.

Quæres 11. An Inquisitor punire possit tam Iudęos, quam Christianos illis inseruientes diebus eorum festorum præcipuè die sabbati?

27 ℞. Affirmatiuè, quia hæc seruitus redundat in dedecus, & ignominiam religionis Christianæ, cum fiat in ordine ad cultum Hebraicum, quo Iudæi possint ad vnguem obseruare sua festa, & solemnitates. Ita Riciull. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 18. allegans Bullam incip. *Super Gregem.* Nicol. V. Et id colligitur *ex cap. Etsi Iudeos* 13. *de Iudæis*, vbi prohibetur officium nutricis, & seruitutis, & quodcumque commercium inter Iudæos, & Fideles sub pœna excommunicationis *cap. Iudæi* 5. *cap. Ad hæc* 8. *eod.* & multo magis cohabitatio in eadem domo, & conuersatio familiaris. Et taliter conuersantes præter peccatum mortale ob periculum proximum peruersionis, & vilipendium religionis Christianæ ab Inquisitoribus bene & diligenter interrogandi sunt quid cum ipsis egerint, tractauerint spectans ad fidem, & religionem, & quid ipsi sentiant, quia nimia conuersatio, & familiaritas vehemens est argumentum Christianum Iudæis inseruientem, & cum illis familiariter conuersantem, sicut facit cum aliis fidelibus, adhærere illorum erroribus. Vide Riciull. *l.* 2. *c.* 39. per totum.

Quæres 12. An Christiani possint vti opera medicorum Hebræorum?

℞. Negatiuè, nisi in casu necessitatis, vt dixi præced. 28
c. n. 19.

Quæres 13. An Iudæi cogendi sint ad Baptismum, & eorum filij baptizari possint illis inuitis? De filiis hære- 29
ticorum nulla est difficultas, quia eorum parentes in spiritualibus sunt subiecti Ecclesiæ, ergo cogi possunt offerre baptismo proprios filios. Certum etiam est, neminem infidelem adultum cogi posse ad baptismum, quia vt inquit Clemens III. relatus *in c. Sicut* 9 *de Iud.* vbi casus deciditur, Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed inuitus cogitur peruenire, Grauis controuersia est de paruulis inter Thomistas, & Scotistas, istis affirmantibus, illis negantibus de qua fuse Faber in 4. *disp.* 15.

Placet opinio Scotistarum asserentium Principem 30
cogere posse Iudæos, & alios infideles sibi subiectos ad baptizandum suos filios, dummodo postea filij baptizati separentur à parentibus. Probatur. Tum quia, si aliquid obstat, maximè ius naturæ, quam habent parentes in filios, sed id non obstat, quod suadetur, quia 31
potestas patris nihil aliud importat, quam educationem filiorum quo ad corpus, & animam, sed sicut anima corpore est nobilior, & pretiosior, *c. Cum infirmitas* 13. *de pœnit.* & animus preponitur corpori. *c. Sedulo* 12. *dist.* 28. vnde dixi Arist. *l.* 1. *An c. fin.* corpus animi causa constitutum fuisse, ita & in educatione anima præponenda est corpori, ergo de iure naturæ parentes tenentur educare filios in lege diuina, & Euangelica, quæ omnibus præcipit receptionem Baptismi, ergo Principes tam Ecclesiastici, quam laici Iudæos, & alios infideles id negligentes cogere possunt, & tantum abest, quod agant contra patriam potestatem, vt potius se illi conforment in procurando, & præcipiendo Infidelibus, vt sinant, suos filios baptizari. Tum quia, Ecclesiæ à Christo communicata fuit potestas baptizandi omnes gentes Matth. *cap. fin. nu.* 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos*, ergo & filios infidelium, consequenter cogere possunt eorum parentes, non enim datur potestas sine coactione, *c. Pastoralis* 28. *de off. de leg.* vbi Glosa *ver. Si ergo coërcitione* dicit, quod nulla est iurisdictio sine coërcitione ex iuribus ibi allegatis. Nec dicas, ibi Sacram scripturam loqui de volentibus baptizari, quia hæc interpretatio cum præceptum baptismi restringat ad adultos, qui habent actum voluntatis, falsa est, & fauet hæreticis impiè asserentibus batismum non esse necessarium paruulis contra supradictam sententiam cõfirmatam, & explicatam in Tridentino *sess.* 5. *can.* 4. Tum quia, filij infidelium sunt innocentes, & maximam iniuriam recipiunt à parentibus volentibus illos baptizari, vnde sicut paruulus eripi posset è manibus patris sui volentis illum occidere, ita & auferri ab eo poterit negante illi baptismum, id enim est quædam spiritualis animæ interfectio. Nec obstat dicere, quod ius naturæ concedit defensionẽ in rebus, quæ sunt iuris naturę, non autem si alicui fiat iniuria repugnans soli iuri supernaturali. Contra enim est quia ius naturale non aduersatur iuri supernaturali, si- 32
quidem præcepta decalogi, quæ sunt naturalia permanent cum supernaturalibus Euangelij, ergo ius naturæ coadiuuare

coadiuuare habet ius ſupernaturale, conſequenter ius naturale dictat ſubueniendum eſſe cuilibet poſito in extrema neceſſitate tam boni naturalis, quam ſupernaturalis. Tum quia, licitè baptizatur infans infidelis in extremo mortis articulo, ergo, etiam extra hunc caſum. Nec dicas, in tali caſu non licere ex eo, quia pater ius non amittit, licet filius ſit proximus morti. Contra enim eſt, quia ex ſupra dictis, ius patrium quo ad animæ educationem illicitum eſt negans baptiſmum, ideo per Eccleſiam corrigitur. Nec dicas inſuper, concedi poſſe illum caſum, ſi occultè baptizetur inſciis parentibus negata conſequentia, quia ſi certo conſtet filium moriturum non eſt vllum periculum futuri Sacrilegij, inquit Becan. de Sacram. *cap.* 10. *q.* 7. *num.* 7. & ſi moriatur non eſt opus eripere illum de manibus parentum, quia morte aufertur ſine iniuria, & ſcandalo. Contra eſt, quia ſicut non conſtat de morte, incertus eſt enim ille punctus, licet coniecturari poſſit, ita viget illud periculum ſacrilegij, quamquam alioquin ex baptiſmo infantibus collato inuitis parentibus propriè non ſequitur ſacrilegium, quia vt ſuperius dictum eſt reſponſio noſtra intelligitur cum ſeparatione baptizati à parentibus tunc enim abſolutè perdit patriam poteſtatem quo ad corpus etiam, in multis enim ſoluitur patria poteſtas, cum ſit ſubordinata diuinæ; neque inde datur ſcandalum, ſed tantum accipitur ab infidelibus, aliter malè facerent Principes cogendo Iudæos ad conciones Catholicas. Ex his igitur conſtat Scoti opinionem eſſe valde probabilem intellectam cum dicta cautela, quod baptizatus
33 religiosè educatur, vnde *cap. Ex literis* 2. *de conuerſ. infidel.* bene dicitur, quod ſi alter infidelium coniugum venit ad fidem, altero remanente in infidelitate, communis proles aſſignatur conuerſo, & baptizatur, repugnante illo, qui remanſit in ſuo errore, in eo enim caſu eripitur è manibus infidelis, & religiosè educatur ſine ſcandalo, & ſacrilegio. Quod ſi Papa, & Principes id non faciunt, hoc non arguit, fieri non poſſe licitè, deſiſtentia enim ab aliquo opere non arguit impotentiam, & carentiam poteſtatis, neque enim impotens dicitur, qui aliquid facere non vult, prudenter deſiſtendo, *cap. Sciſcitatus* 13. *de reſcript.* Eccleſia autem hoc in vſu non habet, dicit Faber. in 4. *diſp.* 15. *ad* 4. quia illæ cautelæ non poſſunt ita commodè haberi, & ideo, quia cognouit, vt plurimum rem cedere in ſcandalum, ideo neminem cogit, neque idcirco decernit id non licere. Confirmantur prædicta, quia ex probatis *cap.* 2. *q.* 39. Papa habet vtrumque gladium, etiam ſuper infideles *q.* 58. & cum ab eo Principes laici dependeant ius habent, & poteſtatem ſuper omnes ſibi ſubditos, quo ad ſpiritualia ſaltem indirectam procurandi mediantibus Eccleſiaſticis ſalutem omnium gentium.

34 Deducitur ex his à fortiori puerum poſt ſeptennium petentem Baptiſma eſſe baptizandum inuitis parentibus. Ita Ricciull. *lib.* 2. *cap.* 33. ex illo Carena *p.* 2. *tit.* 14. *num.* 45. Ciarlinius in ſuis contract. *cap.* 42. *num.* 46.

Quæres 14. An Inquiſitor punire poſſit Chriſtianos inuiſentes Synagogas Hebræorum, & ipſos Hebræos oſtendentes?

35 ℞. Sic, quia iure communi *cap. Ad hæc* 8. *de Iud.* prohibetur conuerſatio familiaris cum Hebræis propter periculum ſubuerſionis, quod maximè reperiri poteſt in inuiſendo eorum ſinagogas in quibus offeruntur ſacrificia proteſtatiua futuri Meſſiæ, ex quo ſequitur præiudicium Incarnationis Dominicæ, quod nondum facta ſit, quod tamquam omnino falſum ab omnibus abhorrendum eſt, conſequenter nulla ratione tolerari debet, quod Fideles, qui Chriſti Incarnationem fideliter credunt, inuiſant ſinagogas cum huiuſmodi periculo. Vnde Inquiſitores in ſuis locis, vbi degunt Hebræi, prohibent Catholicis, ne pergant ad eorum ſinagogas etiam curioſitatis gratia, id enim eſt graue peccatum.

Quæres 15. An poteſtates ſeculares vel alij officia publica inter Chriſtianos committentes Iudæis, ſeu Paganis puniri poſſint ab Inquiſitoribus?

℞. Non videtur caſus Inquiſitionis, quia agitur de 36
re mere temporali, ideo ius puniendi eſt ſolius ordinarij iuxta *cap. Cum ſit* 16. *cap. Ex ſpeciali* 18. *de Iudæis.*

Quæres 16. Quomodo procedendum eſt contra Iudæos in Sancto Officio?

Pro reſolutione, nota, quod tria ſunt genera de- 37
lictorum, quæ committere poſſunt. Primi generis ſunt delicta contra propriam illorum fidem, & hæc non ſpectant ad hoc tribunal, ſicut neque alia, quæ nullatenus fidem Catholicam offendunt, neque religionem Chriſtianam. Secundi generis delicta ſunt contra fidem in iis, quæ ſunt communia tam Iudæis, quam Chriſtianis, vt Deum eſſe vnum, Omnipotentem, &c. cuiuſmodi ſunt contenta ſub primo, ſecundo, tertio, & quarto caſu, quo ad librum Thalmud, in eo enim nonnulla tractantur contra vetus teſtamentum. Tertij generis, ſunt delicta contra noſtram fidem, & religionem, quæ comprehenduntur in aliis caſibus eiuſdem Bullæ Gregorij, & aliis ſupradictis.

℞. Iudæi quo ad delicta ſecundi, & tertij generis 38
torturantur pro eruenda veritate, ſi illam negent; præterea reſpectu ſecundi generis torquentur etiam ſuper intentione, & ſi rectè reſpondeant, nimirum ſe credere veritatem fidei, puniuntur tantum ratione delicti, & ſuſpicionis contractæ. Si verò perſiſtant in errore cogendi ſunt abiurare de formali, quia reuera hæretici ſunt in ſua fide, & noſtra. Negantes verò noſtram fidem in cœteris caſibus illis non communem non ſunt cogendi ad abiurationem, quia noſtram fidem profeſſi non fuerunt, ſicut fidem antiquorum Patrum. Hæc habuit ex Carena *part.* 2. *tit.* 14. *num.* 40. *ad* 43.

Quæres 17. Quibus pœnis Iudæi plectendi ſint?

℞. Ex Bulla Gregoriana puniuntur flagris, verbe- 39
ribus, triremibus etiam perpetuo publicatione bonorum, exilio. Adde pœnis pecuniariis, carceribus, conuerſatione cum Chriſtianis, & aliis. De quibus Zanchinus *de hæret. cap.* 36. Zanardus de diuinis præceptis *tom.* 1. *cap.* 4.

Quæres 18. An inquiſitor ſine Epiſcopo poſſit punire Iudæos? Ratio dubitandi eſt, quia in bulla dicitur: *Inquiſitorem libere procedere poſſe in omnibus cauſis, & caſibus qui ſequuntur.* Libere autem procedere, eſt agere ſine licentia, aut requiſitione alterius, Gloſ. *in cap.* 2. *de temp. ordin. in* 6. Gloſſ. *in cap. Cum plures* 4. *de offic. deleg. in* 6. & illud libere poteſt fieri, quod fit non obſtante reclamatione, aut contradictione alterius Nabar. *tom.* 4. *de reſtitut. ſpoliat. oppoſ.* 7. *n.* 44. & liber conſenſus non eſt, qui pendet à voluntate alterius *cap. Super eo, de ſponſal.* Nauar. *conſil.* 1. *de condit. appoſ. num.* 2. ergo ſi Inquiſitor in prædictis caſibus liberè procedere poteſt, non tenetur requirere ordinarium.

℞. Tenetur requirere ordinarium, & colligitur *ex* 40
cap. Per hoc 17. *de hæret. in* 6. Vbi ex eo, quod aliqua cauſa fidei delegatur inquiſitoribus, non excluduntur Ordinarij. Vnde ad rationem dubitandi reſpondetur, verbum illud, *libere procedere*, referri ad iudicem laicum, cuius contradictione non obſtante in dictis caſibus procedit, non autem ad Ordinarium, cum quo de iure procedere debet. Ita ex Squillac. Pegna *part.* 2. *Direct. comment.* 69. & ex illis Farinac. *q.* 178. *n.* 147.

Quæres 19. An Iudæus cum catholica rem habens carnalem iudicari poſſit, & puniri ab Inquiſitore.

41 ℞. Negatiuè, quia commercium carnale nihil commune habet cum hæresi, vel eius suspicione, ratione cuius fiat de foro tribunalis S. Inquisitionis. Et ita responsum fuit à supremo tribunali Inquisitoris Regij, ne se intromitteret in eam causam, sed eam relinqueret foro episcopali, id testatur Giarlin. par. 1. cap. 42. num. 61. se vidisse responsum authenticum; Carena part. 2. tit. 14. num. 13. Procedit siue sit simplex fornicatio, siue adulterium, vel incestus, non solum respectu Iudæi cognoscentis Christianam, sed etiam respectu Catholici cognoscentis Iudæam, est enim par ratio in vtroque casu.

42 Quid si Iudæus persuadeat mulieri catholicæ, non esse peccatum eam habere rem cum Hebræo. Dico tunc subiici huic tribunali, quo ad hoc, quia fidem catholicam in hoc contemnit, dum id suadet, quod directe fidei aduersatur. Sed de hoc debet plene constare, an possit ius acquirere contra Iudæum antequam carceretur.

CAPVT XXVI.

De Blasphemis hæreticantibus.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia definitur, & explicatur.*
2 *Opponitur religioni, & fidei si est hæreticalis.*
3 *Peccatum mortale ex genere suo.*
4 *Committitur quatuor modis.*
5 *Blasphemia hæreticalis, & simplex.*
6 *Hæreticalis est hæresis exterius prolata.*
7 Maledictus sit Deus. *Hæreticalis saltem suspicione.*
8 *Hæreticalium exempla.*
9 *Simplicium exempla.*
10 *Hæreticales prolatæ sub conditione.*
11 *Conditio nihil ponit in esse, ponit tamen actum potentiæ.*
12 *Comparatio veritatis humanæ cum diuina non est blasphemia.*
13 *Deum vocans amasium blasphemus non est.*
14 *Consuetus blasphemare quis dicatur?*
15 *Immunitate Ecclesiæ non gaudet blasphemus hæreticalis.*
16 *Blasphemat quis ex causa illicita, vel licita.*
17 *Ebrietas triplex.*
18 *Blasphemia iocosa peccatum.*
19 *Consuetudinarius vehementer suspectus de hæresi.*
20 *Quomodo torquendus.*
21 *Abiurat blasphemus consuetudinarius de vehementi.*
22 *Deturpantes imagines sunt blasphemi.*
23 *Puniuntur solum ab Ecclesiasticis.*
24 *Pœna contra blasphemos.*
25 *Clerici fustigatione, nec publicè puniuntur.*
26 *Confessio Sacramentalis non excusat à pœnis iuris.*
27 *Minor ætas pœnam mitigat.*
28 *Confessarius an absoluat Blasphemum?*
29 *Atrox blasphemia quæ sit?*
30 *Consuetudinarius Parmæ, qui septies blasphemauit.*
31 *Consuetudinarius potest absolui.*
32 *Circumstantia hæc aperienda sit petatur.*
33 *Blasphemiæ hæreticales sunt solius Inquisitoris.*
34 *Aliæ sunt per modum optandi.*
35 *Hæreticales sunt expressa tam per indicatiuum, quam per optatiuum.*
36 *Falsitas duplex in blasphemia hæreticali.*
37 *Blasphemia simplex quid in sententia Auctoris.*
38 *Inquisitor cognoscit blasphemias hæreticales etiam ex modo optatiuo.*
39 *Explicantur nonnullæ blasphemiæ.*
40 *De pœnis contra blasphemos.*

QVæstio prima initium sumit à definitione Blasphemiæ, quæ est locutio falsa contra res sacras per modum conuitij. Dixi, 1. *Locutio*, quia illius propriè causa est lingua, quia autem lingua est nuntius, & præco cordis, & mentis, ideo blasphemia mente, & corde concepta ore consummatur. Non solum verbis, sed etiam factis committitur blasphemia conculcatione Sacrarum imaginum, vt dicam infra *sub q.* 14. Sed non ita propriè. Dixi 2. *Falsa*, quod intelligendum est dupliciter, primò, ex parte rei significatæ, & verbi prolati, vt si dicas, *Deus iniustus*, falsum enim est in Deo reperiri iniustitiam; secundò ex parte modi significandi, & loquendi, vt si dicas, *Dio sagradone. Al conspetazzo dio Dio.* Et si enim Deus sit sacer, & conspectum dicatur habere in sacris literis, ac proindè locutio sit vera, non falsa, sic tamen loquens non excusatur à blasphemia, quia in modo loquendi inhonorat, & contumelia afficit nomen Dei contemnendo. Pari ratione nominando partes pudendas Christi, Virginis, & Sanctorum ex indignatione falso loquitur ex contemptu, & irrisione. Dixi 3. *contra res sacras.* Doctores communiter definiunt blasphemiam, quod sit conuitium in Deum, quia formalem rationem blasphemiæ desumunt ex contumelia, & inhonoratione contra Deum, non tamen per hoc maledicentia contra eius sanctos, & res sacras extranea est à blasphemia, sed formaliter est blasphemia, quia sicut Deus laudatur, & honoratur in sanctis suis, ita & in illis contemni, vituperari, & inhonoratur, cum illi maledicuntur. Dixi nihilominus, *contra res sacras*, ad maiorem expressionem, & vt pateat, esse blasphemiam turpe nominare res quoque sacras inanimatas, vnde qui conuitia dicit in Sacram Scripturam, in Calicem, Ecclesiam, &c. Blasphemus est, quia maledicentia in hæc omnia redundat in dedecus, & contemptum Dei. Idem dic, si quis malediceret Angelis, Paradiso, &c. hæc enim, & similia sacra sunt. Dixi 4. *per modum conuitij*, quia huiusmodi locutio quantum est ex sua significatione, vel ex modo significandi conuitiatur Deo, & redundat in contemptum diuinæ excellentiæ, gloriæ, & honoris Dei. Proferri autem solent verba blasphemiæ ex ira, indignatione, aut odio contra creaturam aut ipsum Deum, vnde dicitur irreuerenter, & contumeliose nominari. 1

Non est autem necesse, habere hanc formalem intentionem inhonorandi Deum, seu diminuendi de eius honore, & gloria, sed sufficit ita malè loqui, similia enim verba sufficienter significant talem irrisionem, & diminutionem honoris Dei.

Ex his duo deducuntur. Primum, hoc vitium nullius vtilitatis homini, opponi virtuti religionis, quia derogat gloriæ, & honori Dei, cui ille debetur ex virtute religionis, quæ inclinat hominem ad Deum honorandum, & glorificandum; & quando blasphemia est hæreticalis opponitur etiam virtuti fidei, quæ inclinat hominem non solum ad assentiendum mysterijs fidei, sed etiam ad illa confitenda, & benedicenda, non autem maledicenda, vt faciunt blasphemi. Secundum est, blasphemiam ex genere suo semper esse peccatum mortale, neque paruitatem materiæ excusare, quia grauem iniuriam irrogat Deo. Ita aliis citatis Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 3. *de paruit. mater.* Disputant doctores, an omnes blasphemiæ sint eiusdem speciei. Vide Dianam *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 21. Bonac. *de Blasphem. par.* 4. 2 3

Committitur autem blasphemia quatuor modis

Primò,

Primò, affirmando aliquid de Deo, quod illi non conuenit; vt, Deus partialis. Secundò, negando quod ei conuenit; vt, Deus impotens. Tertiò, nominando irrisorie, & turpiter sine reuerentia ea, quæ illi conueniuntur; vt si nominet pudenda. Quartò, tribuendo creaturæ, quod soli Deo, aut eius sanctis conuenit; vt Diabolus sanctus, sic iurare per falsos Deos, iurare enim est actus latriæ soli Deo in se, vel in eius sanctis, & rebus sacris, debitus.

Quæres 2. Quotuplex sit blasphemia?

5 ℞. Ad propositum nostrum duplex est Hæreticalis seu qualificata, & simplex seu non hæreticalis. Hæreticalis est illa, cuius verba significant hæresim. Quod contingere potest duobus modis. Primò, per significationem expressam, & modum indicatiuum? hoc modo, *Deus est iniustus*, *Renego Deum*, *Sacramenta*, &c. Secundò, per implicitam, & virtualem, quando nimirum abest verbum indicatiuum, quod subintelligitur; vt, *Putana*, *al dispetto*, *&c.* Blasphemia verò simplex est illa, quæ errorem non continet, huius generis sunt verba exprimentia membra, & partes Christi, & sanctorum; vt, *Al corpo di Dio.* & pudenda eorum. Addunt illam esse simplicem blasphemiam, cuius verba proferuntur per modum optatiuum, aut imperatiuum; vt *Pereat Deus*, *Maledictus sit. Vtinam non esset Deus*, in quibus cum non adsit falsitas, quæ constituit hæreticalem, dicendæ sunt simplices, falsitas enim exprimitur solum per modum indicatiuum. Ita omnes cum Sanch. *lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 36. Diaz. *cap.* 101. *in Annot.* §. *Et quia*, Lazar. *q.* 7. *de Blasph. num.* 5. Bonac. *part.* 1. *de Blasph. num.* 3. Floron. *part.* 2. *casu* 3. *num.* 7. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 7. Sousa Aphor. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 14. Lupus *de casib. Bergomi part.* 2. *casu* 11. *num.* 13. & alij apud illos, Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 7. Diana *p.* 4. *tract.* 7. *resol.* 8. §. *Sed quia.*

6 Colligitur ex dictis, omnem hæresim externã verbo prolatam esse blasphemiam, cum hæresim formaliter significet; differunt verò in eo, quod hæresis consistit in actu credendi se tenente ex parte intellectus voluntate praua suadente illam ad falsum assensum; blasphemia verò in actu loquendi se tenente ex parte linguæ, cuius vitium est.

7 Difficultas non leuis apud me remanet circa quasdam blasphemias per modum optatiuum, aut imperatiuum expressas, quare non sint hæreticales, aut ad minus cur non sint suspectæ de hæresi, & non subdantur inquisitoribus; nam istæ blasphemiæ, *Maledictus sit Deus Pereat Deus*, *Cadat ex Paradiso*, *Vtinam non esset Deus*, &c. meo iudicio hæresim sapiunt, & illas proferentem reddunt vehementer suspectum de hæresi, quia in illis, si non includitur actu prædicatum repugnans articulis fidei, ad minus potentia continetur, quatenus significant Deum esse capacem maledictionis, perditionis, &c. Nec obstat, quod alius sensus est istius propositionis. *Deus est maledictus*, & huius alterius. *Sit maledictus*, in eo quod in prima asseritur actualis maledictio, in secunda optatur, & non asseritur illi inesse. Quia siue asseratur, siuè optetur, maledictio aliqua ratione tribuitur Deo, cui nullatenus conuenire posse, de fide est, Vide sub q. 20.

Quæres 3. Quænam sunt blasphemiæ, quæ fere apud omnes censentur hæreticales, quas cognoscunt Inquisitores?

8 ℞. Sequentia referuntur exempla. *Primò*, *Al dispetto di Dio.* quia hæc verba derogant Omnipotentiæ Dei. Ita Couar. *de pactis par.* 1. §. 7. *num.* 9. Menoch. *de arbitr. casu* 375. *num.* 4. Gramat. *decis.* 50. Mazuchell. *disp.* 2. *de casib. Mediol. cap.* 16. *n.* 27. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 8 Nald. *num.* 1. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 8. Nec valet illa interpretatio, quod referatur ad malum, quod dicitur fieri, *al dispetto*, idest contra voluntatem Dei nolentis malum culpæ, quia excusatoria est, & adhuc derogans eius Omnipotentiæ. Si quis eadem verba proferret, tacendo vocalem O, hoc modo, *Al dispetto di Dio*, adhuc hæreticè blasphemaret, quia hæc verba cum illa detractione idem significatum important, ex Lazar. *q.* 3. *num.* 36. Bonac. *part.* 2. *n.* 11. & alij contra Dianam *p.* 6. *tract.* 8. *resol.* 38. In foro conscientiæ statur interpretationi pœnitentis, in foro externo non statur, quia sensus manifestus est, & taciturnitas vocalis O, euidentem arguit dolum. *Secundò*, Renego Deum, Christum, Sacramenta, puritatem Virginis, &c. sunt hæreticè in omnium sententia. *Tertiò*, *Putana Putanazza di Dio*, Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 9. Naldus *n.* 1. Homobon. *part.* 2. *de casib. casu* 1. Mazuchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *n.* 32. contra Grilenz. *consil.* 85. qui tamen suum errorem non probat. *Quartò*, *Pota di Dio*, neque enim Deus est mulier, Viuius *decis. Neapol.* 388. *Quintò*, *Dio ingiusto*, *traditore*, *becco*, *partiale*, *parte sano*, Zanard. *de precept. part.* 1. *cap.* 10. Suar. *de Relig. tom.* 1. *de Irreligios. cap.* 5. *num.* 7. *Riccius part.* 3. *resol.* 45. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 9. §. *Quintò*, Plotus *de Blasphem. num.* 27. Lazar. *quæst.* 7. *num.* 29. *&* *q.* 3. *num.* 19. vbi de hac, *Dio becco*. *Sextò*, *Ne Dio lo farebbe, se discendesse dal Cielo*, Lazar. *quæst.* 3. *numer.* 23. Viuius *decis.* 275. *numer.* 18. *Septimò*, *Putana della Vergine*, intelligitur enim de Maria ob eius excellentiam Plotus *numer.* 13. Lazar. *quæst.* 3. *numer.* 38. Mazuchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *numer.* 32. Idem dic *Putana di nostra Donna*, *Putana della Madonna*, sic enim vocatur per antonomasiam. *Octauò*, *Al corpo, al sangue di Dio*, est hæreticalis intellecta de Deo, vt non incarnatus, sed quoniam nemo ad hæc attendit, ideo blasphemia non est neque simplex, nisi quando indignatio dirigitur ad Deum, sed dicitur iuramentum execratorium, aut promissorium. Vide Mazuchell. *disp.* 2. *c.* 16. *n.* 40. *Nonò*, Volo facere hoc, velit, nolit Deus, negat etiam Omnipotentiam, *Decimò*, *Dio non si ricorda di me*, est contra diuinam scientiam, & memoriam. Mazuchell. cit. *n.* 30.

Quæres 4. Quænam sint blasphemiæ simplices, & non hæreticales?

℞. Sunt illæ, quæ proferuntur per modum optatiui, 9
aut imperatiui vel per quas exprimuntur pudenda, aut etiã vera de Deo, sed ex cõtemptu, & irrisione. *Primò*, Dicendo maledictus Deus, pereat Deus, & istæ reddunt proferentem vehementer suspectum de hæresi, & puto potius hæreticales, quam simplices ex supradictis, & quæ dicam infra *sub. q.* 20. *Secundò*, *Pota della Vergine*, *Pota di S. Paolo*, *&c.* Floron. *par.* 2. *casu* 3. *num.* 9. §. *Non etiam vbi* Sanchez *lib.* 2. *c.* 32. *num.* 28. *Tertiò*, *Rinego S. Pietro*, Sanchez *lib.* 2. *c.* 32. *n.* 36. Mazuchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 8. Nisi simul neget Ecclesiam, vel illius fuisse caput, tunc hæreticalis est, vnde super intentione interrogandus est, quid sentiat de primatu Petri; præterea qui ita blasphemant contra aliquem sanctum interrogandi sunt super articulo canonizationis, quid sentiant. *Quartò*, *disgratio Iddio, di quel che mi fa*, signum ingratitudinis, Graff. apud Mazuchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 25. *Quintò si Deus non vult mihi succurrere occurrat Diabolus. Deus non vult mihi benefacere*, Graff. *pr. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 44. Mazuchell. *disp.* 2. *cap* 16. *n.* 26. *Sextò*, *Displiceat hoc Deo*, si bonum est, blasphemia, si malum, non Menoch. *de Arbitr. casu* 375. Floron. *part.* 2. *casu* 3. §. 2. *num.* 7. *Septimò*, *Dio sagradone*, *al conspettazzo di Dio*, *al conspettone*, *Mariazza*, *Christazzo*, *&c.* Lupus *de casib.* Bergomi *part.* 2. *casu* 11. *num.* 17. *Octauò*, *al dispetto di Maria*, *di S. Pietro*, quia in his attributum omnipotentiæ locum non habet, vnde simplex blasphemia est. *Nono*, *dispiaccia à Dio questo*. si est bonum blasphemia est, aliis citatis

tatis Floron. *part.* 2. *casu* 3. Ad finem *Decimò, al sangue di Dio bacco,* non est blasphemia, quia nulla prolatio rei sacræ vide prædictum ibidem, vbi in eodem, §. *hæ locutiones. Può far Dio, al cospetto, al dispetto di quel becco, che mi tiene al mondo,* non sunt blasphemiæ, cum non sint contra res sacras.

Quæres 5. An blasphemiæ sub conditione de futuro, aut de præterito sint hæreticales, quæ aliàs tales sunt vt, *renego Deum*, nisi te percutiam, Deus non est Deus, si non facit hoc miraculum. Deus est iniustus, si hunc non castigat. De præterito Deus non est Deus, si non feci hoc. Renego Deum, si festum S. Matthiæ non transiit.

10 ℞. Sunt, quia apposita conditio non tollit eius significationem, quæ hæresim sonat. Nec obstat, quod
11 conditio nihil ponit in esse, ex vulgatis iuribus, quia intelligitur quo ad valorem actuum practicorum, non quo ad actus potentiæ nullum actum post se relinquentis; præterquam quod in actu conditionali adest voluntas de præsenti Deum negandi. Ita Carena *in quæst. crimin. de blasphem. num.* 3. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 24. Mazuchell. *disp.* 2. *cap.* 16. *num.* 29. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 43. *&* 46. vbi 49. dicit non esse hæreticalem blasphemiam sub conditione præterita, ponit exemplum. Si dies externa non præteriit nego Christum. Cum autem hic dies necessario præterierit, reuera Christus non negatur.

Quæres 6. An similes locutiones. *Id est verum sicut Euangelium. Id est tam verum, quam quod Christus natus est de Maria Virgine*, Sint blasphemiæ.

12 ℞. Non sunt blasphemiæ, sed temeraria iuramenta, quia sic loquens non intendit suam veritatem facere æqualem veritati fidei, sed tantum ex certitudine fidei propriam veritatem aliquo modo comprobare. Ita Bonac. *par.* 2. *de Blasph. num.* 13. Sanch. *l.* 2. *c.* 32. *num.* 31. Parlador. quem citat Carena *par.* 2. *tit.* 7. *num.* 54.

Quæres 7. An vocans suam amasiam Deam sit blasphemus hæreticalis?

13 ℞. Non est blasphemia dicta loquutio secundum Lorcam, & Mendozam, quos pro se citat Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 20. quia quia est locutio hyperbolica, & in significatione impropria, & refertur ad Deam Venerem.

Quæres 8. Quis dicatur consuetus blasphemare?

℞. Blasphemus consuetudinarius non dicitur, qui
14 quater blasphemauit, sed qui pluries vltra quatuor vices, definitio autem huius relinquitur arbitrio iuindicis quia à lege indefinita relicta, iudicis arbitrio definienda relinquuntur, *lib.* 1. *ff. de iure de liber. cap. De causis* 4. *de off. deleg.* Ita menoch. *casu* 375. Hic Parmæ blasphemus consuetudinarius, dicitur ille, qui ab vltima confessione septies, sed non eodem die blasphemias protulit. Inquisitor in hoc sequi potest forum pœnitentiale, iudicando consuetudinarium blasphemum illum, qui probatur septies blasphemasse diuersis diebus, tunc enim nititur probabili iudicio. Nota autem, quod qui vnico impetu protulit plures blasphemias semel blasphemasse dicitur, propter vnitatem temporis continuati, quod censetur dare vnitatem moralem numeralem illis pluribus actibus physicis *arg. l. cum plures ff. de euict. l. cum eiusdem.* §. *Aediles aiunt, ff. de ædil. edict.* An autem consuetudo hæc probetur per testes singulares? Voluit Riminald. *cons.* 7. *numer.* 21. vel allegat Crotum, *& numer.* 93. Negat Alex. *vol.* 1. *consil.* 62. Boer. *decis.* 301. Gram. *ad constit. Blasphemantes n.* 18. Decianus *tom.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 8. *& c.* 5. *n.* 5. Mascard. *concl.* 194. *l.* 1. *de probat.*

Quæres 9. An Blasphemus gaudeat immunitate Ecclesiæ?

15 ℞. Blasphemia vt sic quem non repellit ab immunitate, quia in Bulla Gregorij non exprimitur hoc delictum, quod si Blasphemia sit hæreticalis non gaudet priuilegio, à quo excluduntur rei hæresis. Ita omnes Recent. quos citat Diana *par.* 4. *tract.* 1. *resolut.* 51. *& part.* 6. *tract.* 1. *resolut.* 26. *quæst.* 8. De suspectis vehementer de hæresi alios citat idem Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 38.

Quæres 10. An omnes Blasphemiæ spectent ad Tribunal Inquisitoris?

℞. Hæreticales, docens omnes, & hoc priuatiuè ad iudicem laicum, Barbosa *de Episcopo Allegat.* 51. *numer.* 89. Scaccia *de iudic. lib.* 1. *cap.* 11. *numer.* 56. Marta *de iurisd. part.* 2. *cap.* 23. ex illis Carena *part.* 2. *tit.* 7. *numer.* 13. Vnde Inquisitores id exprimunt in suis edictis similibus verbis. *Che contro Dio, e de suoi Santi, e particolarmente contro la beatissima semper Vergine Maria Madre di Dio siano soliti proferire bestemie hereticali.* Duo postulantur, consuetudo, de qua supra sub *quæst.* 8. & quod blasphemiæ sint hæreticales. Sed numquid Inquisitoribus subduntur blasphemiæ atroces, quas dixi sub *q.* 2. §. *difficultas*; si non sint hæreticales, faciunt tamen vehementer suspectum de hæresi proferentem illas, dicendo *Pereat Deus, Maledictus*, &c. Meo iudicio subditur, quia non minus suspectus, quam sit proferat verba expressè hæreticalia, cum per illa censeatur male sentire de Deo.

Blasphemia simplex est mixti fori, & datur locus præuentioni iudici laico, & ordinario, vt præcitati docent infra q. 20.

Quæres 10. An Blasphemus sit suspectus de hæresi 16
vehementer, an leuiter tantum? Notandum pro responsione; quod quis prorumpere potest in blasphemias vel in ludo, vel extra ludum, vel ex ira, vel ioco, vel in ebrietate. In ludo prohibito blasphemia grauior, quam in ludo licito, seu honesto, nam illa oritur ex duplici causa illicita, ira nimirum, & ludo prohibito. Farinac. *de delict. quæst.* 20. *num.* 48. aliis citatis. Si vero ludus est licitus, hoc est non prohibitus minor est blasphemia, quia prouenit ex vnica causa iræ. Extra ludum, quando prouenit ira ex iusta causa, vt accidit, quando duo altercantur adinuicem, & iusta est alteratio ex parte blasphemantis ex impetu iræ blasphemia iudicatur grauior, vel leuior attentis circumstantiis maioris, vel minoris iracundiæ, & instigatio alterius prouocantis ad indignationem, & furorem alterius cum quo altercatur, vel quem afficit iniuria, aut molestia, potest enim accidere, quod nimis grauatus non consideret quid dicat prorumpendo in blasphemias, in quo casu secundum
omnes excusatur à peccato mortali, Lazar. *q.* 1. *n.* 2. 17
Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 30. Contingit blasphemia in ebrietate, quæ triplex est, magna, quæ mentis alienationem causat, & tunc non imputatur; leuis, quæ mentem turbat, imputatur; demum leuissimaque hominem exhilarat, & loquacem reddit, magis imputatur blasphemia ex ea causata, quam ex leui, atque leuissima pœnam non minuit, vt facit leuis. Laderchius *consil.* 207. Hos gradus ebrietatis cognoscere diffici-
le est, ideo prudentis erit iudicis ex circumstantiis, & 18
aliis adiectis arbitrari. Ex ioco quis dicitur blasphemare, qui scurrilia, & contumeliosa verba profert in Deum, sanctos, & res sacras, hæc circumstantia sicut auget maliriam ita & pœnam, nec obstat, quod ioco facta, aut dicta pœnam non merentur *ex cap.* 1. *de sent. excom.* quia intelligitur, quando iocus non est noxius, qualis est hic, qui derogat honori Dei, qui honorandus est, non in iocum, & fabulam assumendus. Ita Farin. *q.* 176. *de hæresi* Sanctar. de Blasphem. *cap.* 8. *dub.* 2. *n.* 3. Lazar. *q.* 6. *n.* 11.

℞. Blasphemus consuetudinarius proferens blas- 19
phemias hæreticales siue in ludo, siue extra, ex ira,

siue

[illegible] ira est vehementer suspectus de hæresi. Qui [illegible] hæreticaliter blasphemat raro ex quouis casu est tantum leuiter suspectus de hæresi. Qui demum blasphemat simpliciter, hoc est, verbis nullo modo continentibus hæresim non est suspectus de hæresi, ideo neque punitur ab Inquisitore, sed ab ordinario, vel laico iudice iuxta præuentionem, vt dixi præcedenti quæstione.

Prima pars de blasphemo consuetudinario, probatur, Tum ex verbis ipsis quæ hæresis suspicionem inducunt, & augent ex parte praui habitus blasphemantis. Tum quia, praua consuetudo sicut auget malitiam blasphemiæ, ita etiam auget suspicionem, & constituit illam in gradu altiori vehementis suspicionis. Ita Genuens. *cap.* 18. *num.* 11. Zanard. *part.* 2. *de præcept. cap.* 64. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 19. Sousa *lib.* 1. *c.* 19. *num.* 18. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 8. §. *Igitur.*

Secunda pars de Blasphemo non consuetudinario leuiter suspecto colligitur ex dictis, quia ille gradus vehementis suspicionis deducitur ex illo prauo habitu, ergo si absit, blasphemia inducit tantum leuem suspicionem, Ita ex supracitatis.

Tertia pars, de blasphemante non hæreticaliter constat ex eo, quod suspicio hæresis fundatur in verbis hæresim significantibus, sed verba simplicis blasphemiæ nullam significant hæresim, ergo neque illius suspicionem inducunt. In hoc conueniunt omnes.

Notandum est, quod non est credendum affirmanti & asserenti se blasphemasse solum ex ira, & furore, non autem ex mala credulitate, quam habeat aduersus mysteria fidei Catholicæ, siquidem iudices habent pro se hanc præsumptionem, contra quam reus opponere non potest, se bonam intensionem, & credulitatem habuisse; neque iracundia huiusmodi blasphemantes excusat, aliter nullus posset castigari, quisque enim hanc excusationem in suo peccato adduceret.

Quæres 11. An, & quomodo reus sit torquendus.

20 ℞. Blasphemus reus, si neget se blasphemasse, torturandus est pro veritate extorquenda, quando constat sufficienter blasphemasse. Super intentione quoque & credulitate torquendus est, quando est vehementer suspectus de hæresi, non vero, si leuis est suspicio, illud constat ex praxi sancti officij, hoc vero ex differentia vtriusque gradus, nam vehemens hæresis suspicio purganda est per torturam, & abiurationem, ergo leuis minori remedio, ac proinde sola abiuratione sine tortura. Ita ex Genuens. *cap.* 68. *n.* 8. Carena *p.* 2. *tit.* 7. *n.* 66.

Quæres 12. An blasphemus cogendus sit ad abiurandum?

21 ℞. Qui semel, aut iterum blasphemauit, dimitti solet cum pœnitentiis salutaribus, si persona est bonæ famæ, ex Genuens. *cap.* 68. in fine, Lazar. *q.* 6. *de blaphem. num.* 21. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 69. Qui vero est consuetudinarius abiurat de vehementi, quia taliter est suspectus. Ita Lazar. *cit. num.* 17. ex Genuens. *cit. num.* 8. Zanardus *de præcept part.* 1. *cap.* 11. Qui demum sunt suspecti tantum leuiter, quales sunt qui raro blasphemant, cogendi sunt ad abiurationem leuem, secundum prædictos.

Quæres 13. An deturpantes, seu ex ira lacerantes imagines sanctorum sint blasphemi, & suspecti de hæresi.

22 ℞. Quamuis in rigore loquendo blasphemia in sola loquutione consistat, nihilominus doctores factum maledicum huiusmodi merito vocant blasphemiam, cum grauius reputetur delictum, facta enim potiora sunt verbis, *l. De pupillo* §. *Meminisse ff. de noui oper. nunt.* & facere facto plus est, quam verbo *cap. Dilecti* 52. *de appell. iuncta gl.* facto prouocare, & maior iniuria est & contemptus conspurcatio imaginis sacræ, quam in eamdem conuitium, nam verbum transit, conspurcatio remanet. Isti autem in omnium, sententia sunt vehementer suspecti de hæresi; præsumuntur enim male sentire de cultu sacrarum imaginum, & de canonizatione sanctorum, ita Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de vita hæret. pun. cap.* 12. & 15. Genuens. *cap.* 18. *num.* 11. fine Carena *p.* 2. *tit.* 7. *n.* 38.

Quæres 14. Ad quem iudicem spectet punitio huius delicti verberationis, lacerationis, & conspurcationis sacrarum imaginum?

℞. Ad solos iudices Ecclesiasticos Episcopum, & 23
Inquisitorem, vt probaui *præced. cap. q.* 9. Confirmatur. Tum quia, hoc delictum reddit vehementer de hæresi suspectum sic delinquentem, punire autem suspectum huiusmodi spectat ad solum iudicem Ecclesiasticum. Tum quia, est sub genere blasphemiæ hæreticalis. Tum quia, sic imagines sacras malè tractans declarat prauum intellectum, quod habet de cultu sacrarum imaginum, ergo reus est hæresis. Ita Lazar. *q.* 6. *num.* 14. Genuens. *cap.* 18. *num.* 17. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 41. vbi id multis probat. Nec obstat, quod aliquando iudex laicus processerit contra huiusmodi reos, quia tale iudicium fuit de facto, non de iure, nisi vsurpato. Eorum pœna est, quod traduntur brachio seculari vltimo supplicio perimendi, nam hæc pœna est de iure ciuili, de iure vero Canonico dicitur arbitraria iuxta qualitatem delicti & conditionem personæ, Sousa *lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 15. Clarus *q.* 66. *num.* 19. Menoch. *casu* 376. Farinac. *q.* 181. *n.* 43.

Quæres 15. Quibus pœnis afficiendi sint blasphemi?

℞. Quando blasphemus simul etiam est hæreticus 24
formalis, quia habet errorem in intellectu exterius verbaliter proditum per blasphemiam mulctatur pœnis contra hæreticos formales impositis, iuxta ea, quæ dixi *sub cap.* 12. Qui solum est blasphemus hæreticalis consuetudinarius, & vehementer de hæresi suspectus punitur vel pecuniaria pœna vel condemnatur ad triremes, viles personæ fustigantur, nobiles loco verberum carcerantur. Ex *cap.* 2. *de Maledicis* in diebus dominicis genibus flexis sistuntur ante fores Ecclesiæ cum candela accensa discalceati cum corrigia circa
collum. Hæc pœna publica, sicut & fustigatio non im- 25
ponitur clericis, ne ordo Ecclesiasticus vilescat, vt docent Canonistæ super dictum caput. Neque personis nobilibus, propter ignominiam illorum, vt testatur Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 89. blasphemus demum leuiter suspectus dimittitur pœna pecuniaria, & pœnitentiis salutaribus, Lazar. *quæst.* 6. *num.* 22. ex eo Carena *cit. num* 72. Vide Sairum in claui de pœnis blasphem. *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 12.

Quæres 16. An Inquisitor punire possit eum blasphemum, qui pœnitentia ductus, à confessario, à quo absolutus fuit, condignam accepit pœnitentiam?

℞. Affirmatiuè, non obstante Sacerdotali absolutio- 26
ne, Tum quia, confessarius habet solum iurisdictionem fori secreti, & coram Deo, ergo non impedit forum externum à sua iurisdictione. Tum quia, per pœnitentiam sacramentalem satisfit soli Deo, per pœnam vero à iudice impositam satisfit Ecclesiæ. Tum quia, pœnitentia à confessario imposita non tollit pœnas iuris. Tum quia, in magnis Iubilæis data absolutio prodest tantum pro foro conscientiæ. Ita omnes cum Sousa *l.* 1. *cap.* 19. *num.* 23. Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 77. contra Thomam Ferrarium, & Bartolum quorum opinio vana, & falsa est, cum nulla sufficienti ratione sustineri possit, & hoc medio omnes fugerent iudicium fori externi.

Quæres 17. An minor ætas minuat pœnam imponendam Blasphemanti?

℞. Affirma-

27 ℞. Affirmatiuè ex communi doctorum cum Farinac. *q.* 194. *num.* 32. Sousa *lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 18. ex illis Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 84. dicens, id procedere in omnibus delictis sancti officij, respectu minorum viginti quinque annis, nisi hæreticus esset formalis pertinax, & impœnitens excipitur casus illius, qui Sacerdos non existens celebrauit, aut absoluit Sacramentaliter, vt dixi *sub cap.* 22. *quæst.* 18. Quo verò ad abiurationem nulla est differentia inter maiorem, & minorem, sed æqualiter vtrisque imponitur, non enim agitur de pœna corporali, sed de expurgatione delicti quo ad suspicionem hæresis, cuius purgatio omnibus communis est.

Quæres 18. An confessarius possit absoluere blasphemum? Ratio dubitandi, quia is casus spectat ad officium sanctæ Inquisitionis, circa quod nihil confessarius disponere potest. Præterquamquod Episcopi regulariter hunc casum sibi reseruant.

28 ℞. Confessarius non potest absoluere blasphemum primò, quando habet errorem in intellectu de blasphemia hæreticali, quam protulit, est enim reseruata in Bulla Cœnæ Domini. Secundò, si errorem non habet in intellectu, sed casus est Episcopo reseruatus non potest simplex confessarius absoluere, nisi habeat specialem facultatem super casus reseruatos. Hic Parmæ confessarij simplices absoluunt eum, qui ab vltima confessione non blasphemauit septies, casus enim sic exprimitur. *Blasphemia atrox, vel Hæreticalis consuetudinaria.* vbi Monita ad confessarios ita
29 habent. *Blasphemia atrox est, quæ aliis ordinariis grauior est soletque grauius auditorum aures offendere, quamuis hæreticalis non sit; vt, si quis dicat. Præcipitet Deus è cœlo. Hæreticalis, quæ expressè, vel virtualiter errorem in intellectu vel dubium contra fidei veritates significat; vt, Deus est iniustus. O Deus iniuste Dæmon*
30 *omnipotens. Consuetudinariam declaramus eam, quæ ab vltima confessione septies, non eodem die prolata est siue atrox sit, siue hæreticalis.* Quamuis exemplum adductum de blasphemia atroci non numeretur inter hæreticas, nihilominus cum valdè suspectum reddat illam proferentem puto esse casum Inquisitionis ob dicta superius *sub q.* 2. §. *Difficultas.*

Quæres 19. An Blasphemus consuetudinarius absoluendus sit?

℞. Confessarius potest negare absolutionem blas-
31 phemo in eo quod differre eam illi potest per vnum, vel alterum mensem, vt habeat occasionem, eradicandi consuetudinem. Ita Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 24. Sair. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. in terminis Sanch. *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 45. & multi alij apud præcitatos. Quod si videat pœnitentem bonum habere propositum cauendi in futurum, poterit illum absoluere, quia ex requisitis reputatur dignus, quamuis non vsquequaque quatenus ex dilatione pœnitens poterit melius extirpare consuetudinem ex illo rubore, contracto ex prorogatione absolutionis. Sancius *disp.* 9. *num.* 6. asserit, confessarium debere illum absoluere, *& quia* non habet ius interrogandi pœnitentem de consuetudine aliter cogeretur idem bis confiteri aliàs rite confessum. Sed contra, quia consuetudo est pars peccati, cum ex frequentatis actibus peccaminosis fuerit introducta, vnde & magis punitur consuetudinarius, quam non habituatus in peccato, consequenter non cogitur quis confiteri secundò peccatum iam semel rite remissum. *Et quia* pœnitens afficeretur pudore & dedecore, si teneretur respondere, se habituatum in delicto illo, de cuius consuetudine interrogatur. Contra est, quia bona est confessio cum pudore, & verecundia, quæ illius est nona conditio, dicitur autem confessio cum pudore, & verecundia, quando pœnitens erubescit de fœditate, & turpitudine peccati tam apud se, quam apud confessarium, pudor enim magna pars est pœnitentiæ, Longus de *casib. reseru. part.* 1. *sect.* 3. *de nona condit. confess.* Ex quo patet consuetudinis propalationem nullum dedecus afferre pœnitenti, sed esse valde vtilem, neque enim pœnitens se prosternit ad pedes confessarij, vt se virum probum, & decore dignum ostendat sed vt se peccatorem improbum, humilem, & abiectum, atque vitiis plenum confiteatur. *Et quia* confessarius potest licite consuetudinarium absoluere, ergo tenetur, quia pœnitens ius habet, vt sibi absolutio non negetur. Contra est, quia quando confessarius arbitrium habet ad absolutionem, nullum ius est in pœnitente, cui necessario sit danda absolutio, quia arbitrium non necessitat arbitratorem, sed relinquit illum indifferentem ad opus.

Ex his patet contra eundem Sancium Pœnitentem 32
interrogatum de consuetudine blasphemandi, iurandi, fornicandi &c. debere respondere, & non posse æquiuocare, quia æquiuocatio permittitur solum, quando interrogans caret iure inquirendi. Confirmantur prædicta, quia sicut ægrotus tacens aliquid medico, quod etsi non sit omnino necessarium, multum tamen conducit ad sanitatem corporis, reputatur imprudens, & parum consulere sibi: Ita pari ratione tacens hanc circumstantiam consuetudinis requisitam à Confessario, dicendus est culpabilis & parum memor propriæ conscientiæ.

Quæres 20. An indicare de omnibus blasphemiis 33
spectet ad Inquisitorem? Pro resolutione, suppono triplex genus blasphemiæ. Vnum est earum quæ exprimuntur per modum indicatiuum, & continent formaliter, vel virtualiter, seu explicite, vel implicite falsitatem contra fidem, & illam supponunt in Deo, & Sanctis eius ex modo locutionis. Exempli gratia per hæc verba adiectiua *Nego Deum, Baptisma, fidem &c. Renego Christum, Virginem, Paradisum, &c.* Per verbum substantiuum expressum Deus iniquus est, partialis, asinus, ignorans &c. vel implicitum; vt, *Putuno di Dio della Vergine.* His tribus modis contingit blasphemia hæreticalis directe contra fidem, dum supponit esse in Deo aliquid, quod repugnat catholicæ veritati, quæ docet existentiam Dei, Christi, Virginis, Sacramentorum, quæ blasphemus negat esse vt plurimum ore, quandoque corde, & ex hoc præsumitur male sentire de fide. In hac doctrina omnes conueniunt *cum Directorio part.* 2. *quæst.* 41. *Sousa lib.* 1. *cap.* 19. *num* 15. *Lupo lib.* 23. *initio*, Carena *part.* 2. *tit.* 7. *num.* 7. *Salelles l.* 1. *reg.* 137. *n.* 29. *Suar. tom.* 1. *de Relig. lib.* 1. *c.* 5. *de Blasphem. n.* 7.

Secundum genus blasphemiæ est illud, quod expri- 34
mitur per modum optatiui, imperandi, & imprecandi aliquod malum Deo, & Sanctis eius arguentem falsitatem contra fidem. Dico *arguentem falsitatem contra fidem*, per hoc enim distinguitur à præcedenti genere blasphemiæ, nam illud ex tenore verborum non arguit, sed immediate præsefert hæresim inexistentem, & ideo dixi illam supponere ex supposita falsitate, in tantum enim est hæresis prolata, in quantum falsitas enunciatur. Hoc vero secundum genus non supponit falsitatem, inexistentem, sed futuram, & ex serie verborum arguit Deum vti capacem illorum malorum, quæ eidem imprecatur blasphemus, dum E. g. dicit: *Cadat Deus è Paradiso. Sit maledictus. Præcipitetur in Infernum. Maledictus sit S. Petrus possit euadere fur, latro, vt alter* 106. *Sit Virgo Scortum*, &c. Verum quidem est, quod in his non profertur aliquid assertum in Deo, dum optatur illi aliquod malum, quod eidem eueniat, quia illud non asseratur de Deo, tamen nemo negaret, vel saltem negare non debet, similia verba arguere Deum esse capacem talis mali imprecati, quod est contra fidem, quæ docet, Deum nullius mali esse capacem, neque Sanctos

ctos cum illo. Siue ergo blasphemia proferatur per indicatiuum, siue per optatiuum non videtur differre, sed esse eandem in genere hæreticali diuiso supradicto modo. Vnde differentia vtriusque videtur adhuc clarius in eo apparere, quia in eo quod sunt ambo sub genere blasphemiæ hæreticalis aduersantur ex propria falsitate catholicæ veritati in eo vero, quod indicatiue proferuntur notant diuersas hæreses ex diuersitate falsitatum, quæ vero optatiue pronuntiantur referuntur ad vnam & eandem hæresim, quod scilicet Deus sit capax mali præscindendo ab hoc, vel illo malo, quod deinde specificatur ab his, vel illis imprecationibus e. g. *Præcipitet Deus in infernum* Imprecatur malum talis speciei in eo exemplo. *Euadat Deus vlceratus vt Iob. Sit ignorans vt Asinus.* Ecce alia mala, defectus, & imperfectiones, quæ continentur sub illa communi hæresi, quod Deus sit capax mali. Supradicti omnes Doctores huiusmodi blasphemias ex modo optatiuo vocant non hæreticales, quia, inquiunt, nec formaliter, nec virtualiter continent falsitatem contra fidei veritatem, quod tamen meo iudicio falsum est, cum reuera huiusmodi loquendi præseferant duplicem hæresim in genere, & specie, vt apparet in illis exemplis.

Verba igitur sonantia Blasphemiam, siue sint indicatiua, siue optatiua, imprecatiua, aut imperatiua, semper indicant, aut arguunt hæresim, quandocumque dicunt aliquam imperfectionem in Deo, & sanctis eius siue præsentem, siue absentem, & expetitam contrariam veritati catholicæ, vt probatum fuit, & confirmatur ex sequenti modo imprecandi malum, nam quis ira concitatus ab homine profert hæc, & similia verba: *Sis maledictus. Diabolus te portet in infernum. Vtinam occidaris.* Hæc proferuntur contra hominem inimicum, aut inquietum, & perturbantem; non contra lapidem, in quem quis offendit nec contra tempestatem, & grandinem, à quibus fructus eius agrorum dissipati sunt. Quare hoc? nisi quia homo, & non lapis & cœtera insensibilia, est capax illorum malorum. Pari ratione cum blasphemus ita male loquatur de Deo, sicut de homine, & non de lapide incapace talium malorum, quorum homo est capax, præsumi potest rationabiliter blasphemantem etiam per modum optatiui, imprecatiui, & imperatiui, contra Deum, & Sanctos eius, habere eam prauam intentionem, quam verba in se habere possunt, & indicare proferentibus, & easdem audientibus. Tam enim est hæreticus credens, Deum cras futurum maledictum, quam asserens Deum nunc esse maledictum, cum illud prædicatum semper aduersetur veritati Catholicæ, quæ habet, Deus est semper benedictus, & nunquam benedictus: Hoc modo se habent blasphemiæ indicatiuæ, & optatiuæ, quæ ambæ dicunt imperfectionem in Deo illa de præsenti, ista de futuro, quod autem Deus dicatur imperfectus modo, vel postea parum refert in ordine ad rationem blasphemiæ hæreticalis, quæ talis non constituitur ex tali differentia temporis, sed in suo esse formali constituitur per conuitium illud repugnans catholicæ veritati non solum pro tempore indicatiuo, sed etiam pro qualibet temporis differentia.

35 Hactenus dicta sunt contra communem Doctorum, qui distinguunt blasphemias hæreticales à non hæreticalibus, & simplicibus per hoc, quod illæ proferuntur per modum indicatiuum, istæ vero per optatiuum, imprecatiuum, seu imperatiuum, & exemplificant in dictis de malo imprecato Deo. Et isti sunt omnes supracitati, quibus *Palaum tract. 17. Disput. 2. part. 2. §. 1. num. 2. Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 7. Mazuchell. de casibus reseruat. disp. 2. cap. 16. diffic. 2. num. 8. Floronus casu 3. de Blasphemia num. 7. & 9. Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 36. Barbosa de Episcopo Allegat. 51. à num. 85.*

Dices ad hoc, vt aliqua blasphemia sit hæreticalis, necesse est, quod verba, per quæ exprimitur, contineant aliquam falsitatem, aliter non possint significare hæresim, quæ essentialiter includit falsitatem; sed oratio concepta per modum optatiuum non continet falsitatem, cum ea enuntietur tantum per modum indicatiuum, ergo blasphemia per optatiuum expressa non est hæreticalis, sed simplex.

℞. Concessa maiore nego minorem, quia etiam in oratione optatiua continetur sua falsitas, sicuti contineri potest veritas, nam si quis proferat hæc verba: *Benedictus sit Deus*, continet veritatem, quia reuera Deus non solum est Benedictus per modum indicatiuum, sed etiam per modum optatiuum, quia non repugnat, sed verum est, quod possum illum benedicere, & laudare. Qui vero blasphemat *Maledictus sit Deus*, sine dubio falsum dicit, dum ei desiderat malum, ac si illi conuenire posset, quod omnino falsum est, ergo cum oratione optatiua stat falsitas, sicuti stare potest veritas.

Suares *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. num. 9. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 1. & 2.* negant, falsitatem esse de ratione blasphemiæ, non solum propter blasphemias optatiuas, sed etiam propter blasphemias de pudendis Christi, & Virginis contemptibiliter, & contumeliosè prolatis, quæ partes cum vere sint in illis, sicut in cæteris hominibus, earum pronunitatio nullam falsitatem continere potest.

Respondent *Sanch. lib. 2. cap. 32. num. 6. Palaus tract. 17. disp. 2. part. 2. §. 1. num. 2.* duplicem est falsitatem, vnam in actu signato, qualis est ea, quæ signatur, & indicatur per modum indicatiuum, alteram in actu exercito, quæ scilicet continetur in modo prolationis verborum, nam, inquit Palaus, si Deo aliquod malum imprecaris dicendo, vtinam non esset iustus, non esset beatus, iam optas Deo, quod habere non potest, ac proinde desideras illi falsum. Si pariter pudenda Christi nomines irreuerenter, nonne verba præsefetunt in Christo contumeliam, & contemptibilitatem, ac proinde falsitatem, non enim verum est, quod eius membra sint contemptibilia. 36

Instabis, si hoc verum est, quod in omni blasphemia reperiatur falsitas, ergo omnis blasphemia habet adiunctam hæresim, in tantum enim blasphemia vnit sibi hæresim, in quantum oratio includit falsitatem originatam ab hæresi, & sic nulla dabitur blasphemia simplex.

Respondetur, omnem blasphemiam includere falsitatem, non omnem tamen esse hæresim, quia alia est falsitas vnius, alia alterius, nam falsitas de ratione blasphemiæ oritur ex modo proferendi verba indicantia blasphemiam, quæ ex propria eorum significatione præseferunt inhonorationem, & contemptibilitatem, quam blasphemus non iudicat, nec imprecatur Deo, sed sequitur ex sensu verborum. Falsitas vero relata ad hæresim signanter se habet ad illam, vel illam imperfectionem iudicatam, vel imprecatam Deo per blasphemum. Et hoc patet etiam hoc exemplo, nam hæc propositio indicatiua: *Deus est contemptibilis*, seu optatiua; *Deus sit contemptibilis, non sit honorabilis.* Est hæreticalis blasphemia ex falsitate huius specialis prædicati, quod pro nulla temporis differentia Deo tribuendum est. Falsitas ergo blasphemiæ vnica est, quæ specificatur ab inhonoratione, & contemptibilitate non huius, aut illius blasphemiæ sed blasphemiæ vt sic, & in

genere. Falsitas vero respectu hæresis multiplex est iuxta pluralitatem prædicatorum imperfectorum, alia enim est falsitas v. g. iniustitiæ, alia ignorantiæ &c. falsum enim est, has reperiri in Deo, ideo istæ multiplicantur ad multiplicationem hæresum materialium Falsitas vero constituens blasphemiam vnica est contemptibilitatis in esse specifico.

37 Tertium genus blasphemiarum est illarum, quæ nullo modo dicunt hæresim neque formaliter, neque virtualiter, neque indicatiue, neque imprecatiue. Exemplum sit in nominatione pudendor. Sanctorum quoruncunque scilicet Christi, Virginis, &c. Item prædicando de Deo quicquid vere de Christo dici potest; vt *Ad sanguinem, ad corpus Dei.* In his enim reperitur sola falsitas contemptibilitatis, falsum enim est, quod supradicti sint blasphemabiles. Quod si aliquando propositio in se contineat aliam falsitatem, non ideo ea præseferet hæresim, quandoque non aduersatur fidei; vt si quis dicat: *Pota di S. Pietro,* hic est duplex falsitas, conuitij nimirum ex quo est blasphemia, & prædicati naturalis affirmati de masculo, quod falsum est illi inesse, quod est proprium fœminæ; id autem non spectat ad fidem, Ecclesia enim super hoc speciale nihil statuit. Quod si illud prædicatum tribuatur Christo, adhuc remanet blasphemia simplex, quia si non est hæresis negare risibilitatem Christo, vt probaui *cap. 9. sect. 3. num.* 77. multo minus tribuere illi vuluam, quia magis videtur influere in destructionem naturæ humanæ Christi prædicatum negatiuum risibilitatis, quam affirmatiuum illius membri, quod non negat hominem, licet neget sexum. Vnde *ex Caietano Sanchez lib. 2. cap. 32. n. 28.* notat non esse differentiam formalem nominare pudenda Sanctorum, quæ reuera habent, vel quæ non habent. Et subiungit nostrum exemplum, de sexu fœmineo Christi, & proprio masculino, tendunt enim ambo ad rationem vituperij, & falsitatis conuitij, quod falsum est conuenire Christo. Differentia vero materialis est in eo, quod falsum est ex natura rei Christum esse naturæ fœmineæ, verum autem est, quod habet naturam masculinam. His præmissis tanquam meo iudicio veris, absque præiudicio virorum sapientum.

38 Inquisitorem esse iudicem competentem in primo, & secundo genere blasphemiæ, siue proferatur per modum indicatiuum, in quo omnes conueniunt, siue per modum optatiui de prædicato falso contra veritatem Catholicam. Id totum constat ex præcitatis, quia sic blasphemans talia profert verba, quæ aduersantur propositionibus de fide, ac proinde se reddit vehementer, vel leuiter suspectum de fide, ex quo Inquisitor dicetur habere ius cognoscendi de talibus blasphemiis, quæ adiunctam habent hæresim significatam per verba blasphemiæ. Pro me habeo *Castrum lib. 1. de hæresi cap. 12. in fine, Cordubam lib. 1. quæst. 17. §. 15. Notabili 4. à Sanchez lib. 2. cap. 32. num. 37.* asserentes Inquisitores ex potestate delegata, aut saltem ex Regni consuetudine cognoscere de Blasphemiis non hæreticalibus cumulatiue cum iudice ecclesiastico. Vocant blasphemias non hæreticales, quæ exprimuntur per modum imprecatiuum, quas ego voco hæreticales; & has Sanctarellus in tract. de Blasphemia dub. 1. quas vocat non hæreticales subijcit Inquisitoribus, non rationibus supradictis, se præcise, quia Iulius III. in sua Bulla, de qua nos infra, omnes blasphemias sine vlla distinctione earum subiecit Inquisitoribus; sed cum in ea Bulla vniuersaliter non disponatur respectu omnium Iudicum in causis fidei, sed tantum existentium in vrbe Romæ, ideo horum potestas extra Vrbem ad alios Iudices non est extendenda, vt notauit *Salelles lib. 1. Regul. 138. n. 65.*

Quæres 21. Qualiter intelligendæ sint sequentes blasphemiæ? *Rinegarei Christo, e la Vergine per li miei patroni.* Secundo. *Voglio pui tosto rinegar Dio, che darui questa cosa.* Tertio. *Mi volete far rinegar Christo con li suti santi.* Quarto. *Rinego tutti li Christi con li suti santi che sono al mondo.* Quinto. *Quanti Christi sono al mondo non potranno tenermi, che io non bastoni costui.* Sexto. *Io non tengo la Vergine dis. Grisetto, per quella madre di Dio, che è, se non mi fa palese la verita, che io non ho stuprato, quella puta, si come ne sono io à torbo incolpato.* 39

℟. Tres priores non constituunt illas proferentem blasphemum, sed tantum demonstrant prauum affectum deliberatum ad blasphemandum data occasione illa, vnde talis persona punienda est pœna mitiori. *Quarta* est destructiua Sacrarum imaginum, nam vnus est Christus, ergo de pluribus loquens intelligendus est de eius imaginibus; & quia potest etiam referri ea blasphemia ad plures Christos in esse naturæ, ideo interrogandus super intentione, & cum sit vehementer suspectus de hæresi super intentione interrogandus quid sentiat de vnitate Christi, & torquendus vt se purget, si responderit catholicè, & eam abiurare debet. *Quinta* est blasphemia hæreticalis contra potentiam Christi, qui potest quodlibet malum impedire, facit illam proferentem valde suspectum de hæresi, attento quoque modo loquendi de pluralitate Christi, iuxta mox dicta. *Sexta* hæreticalis est contra Maternitatem Virginis, quæ non habetur à proferente, Mater Dei, nisi manifestet eius innocentiam, cum autem non manifestauerit id, quod petebat, sequitur quod non teneat, Virginem pro matre Dei.

Quæres 22. Quæ pœnæ sint statutæ contra blasphemos?

℟. De istis disposuisse tres summos Pontifices contra blasphematores.

Leo X. Bulla 7. *incip.* Supernæ dispositiones §. 33. 40
ita disponit contra Blasphemos. Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, qua in maximum diuini nominis, & sanctorum contemptum supra modum inualuit, statuimus, & ordinamus, vt quicumque Deo palam, seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam, eius genitricem expresse blasphemauerit, si munus publicum, iurisdictionemue gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima, & secunda vice dicti officij, si tertia deliquerit, illo eo ipso priuatus existat, si clericus, vel sacerdos fuerit, eo ipso, quod de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quæcumque habuerit, fructibus applicandis vt infra, vnius anni mulctetur, & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit; pro secunda vero si ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, si vnicum habuerit beneficium, & priuetur, si autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio huius sceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, ac officiis omnibus quæcumque habuerit eo ipso priuatus existat, ad eaque vlterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, & conferri possint.

Laicus vero blasphemans, si nobilis fuerit, pœna viginti quinque ducatorum mulctetur, & pro secunda vice quinquaginta fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe applicandorum, & aliis, vt infra deducetur. Pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis, ac plebeius fuerit in carcerem detrudatur; quod si vltra duas vices publicè blasphemans deprehensus fuerit mitra infami per integram diem ante fores ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit ad perpetuos carceres, vel ad

triremes

triremes damnetur, ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus absque grauissima pœnitentia, seueri confessoris arbitrio iniuncta, possit absolui. Qui vero reliquos sanctos blasphemauerit, arbitrio iudicis, rationem personarum habituri mitius aliquanto puniri volumus.

Iulius III. in sua 23. incip. *In multis* alias infligit pœnas blasphemis in alma vrbe existentibus, vt patet ex §. 2. his verbis.

Blasphemantes scilicet Deum Patrem omnipotentem, vel eius Filium Vnigenitum, Dominum, & Redemptorem nostrum Iesum Christum, seu Spiritum sanctum, vel particulariter & explicite, vel generaliter, & implicite, attribuendo diuinæ maiestati, quæ illi minime conueniunt, vel remouendo, quæ eam decent, primo conuicti, si diuites fuerint compellantur ad soluendum scuta auri quadraginta; si verò pauperes soluant decem, quæ si nequeant numerare luant in corpore. Secunda vice conuictis nobilibus siue diuitibus, siue pauperibus duplicetur pœna pecuniaria proportionabiliter ad primam huiusmodi mulctam, atque insuper incurrant infamiam, & inhabilitatem ad beneficia quæcumque ad gradus, dignitates & honores obtinendos Vilibus conuictis perfodiatur lingua. Tertia vice conuictis nobilibus tam diuitibus, quam pauperibus triplicetur pœna pecuniaria respectiuè, vt supra Viterius sint ipso iure priuati beneficiis ecclesiasticis, & officiis quibuscumque dignitatibus, titulis, magistratibus, honoribus, sint intestabiles tam actiuè, quam passiue; sint inhabiles ad ferendum testimonium; sint banniti publice per triennium ab vrbe. Vilibus imponatur fustigatio, aut deportatio ad triremes per triennium, & perpetuo exulent. Idem obseruetur contra blasphemantes ipsius D. N. J. C. matrem beatissimam semper Virginem Mariam.

Blasphemi in Sanctos, & sanctas Dei corrigantur seuere arbitrio dominorum iudicum habita ratione qualitatis, & grauitatis criminis cum cœteris circumstantiis iure attendendis. Ibidem multa alia ordinantur §. 5. vt pœna pecuniaria applicetur tantummodo orphanis vtriusque sexus Cathecumenornm, & puellarum. Iudices possunt declarare in dubio, qui nobiles, plebei, diuites, & pauperes sint. §. 7. Qui denuntiauit cum iuramento potest esse loco testis vnius §. 10. adeo quod statur duobus testibus cum eodé enumerato, obseruatis circumstantiis tam denuntiantis, quam alterius testis.

Pius V. in Bulla 5. incip. *Cum primum*, innouant, supradictam Leonis X. contra blasphemos §. 10. statuit has pœnas: *Decernimus, vt quicumque laicus Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, pro prima vice pœnam viginti quinque ducatorum incurrat; pro secunda pœna duplicabitur; pro tertia autem centum ducatos soluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur: Qui vero plebeius fuerit, nec erit soluendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores ecclesiæ constituetur per diem integram, pro secunda fustigabitur per vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemiæ crimen incurrerit pro prima vice fructibus vnius anni omnium, & Quorumcumque beneficiorum tuorum; pro secunda beneficiis ipsis priuetur; pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur; pro secunda carceribus mancipetur; pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemauerit pro qualitate blasphemiæ, atque blasphemiæ arbitrio iudicis puniatur.*

Dubitationes nonnullæ occurrunt super his Bullis. *Prima*, an ad incurrendas illas pœnas pro singulis vicibus necesse sit, vt reus sit conuictus, vt exprimitur in secunda Bulla? Ratio dubitandi est, quia in prima respectu primæ vicis nulla fit mentio de conuictione, immo neque in tertia Bulla respectu trium vicium. *Secunda*, an illæ omnes pœnæ locum habeant in blasphemis etiam non consuetudinariis? Ratio dubitandi est, quia triplicatum iudicium locum habere potest in illis tribus vicibus, licet denuntiatus semel blasphemauerit pro qualibet vice, qui autem ter blasphemauit nó videtur consuetudinarius, ergo hæ pœnæ locum habent etiam contra non consuetudinarios. *Tertia*, quid veniat nomine illius, & quid nomine *Ducati* in tertia?

Primæ facilis est responsio affirmatiua, quod scilicet blasphemus etiam pro prima vice debet esse conuictus, quia nemo confessus, aut saltem conuictus non est condemnandus, cap. 1. 2. q. 1. *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut conuictum, aut sponte confessum.* Vbi glosa dicit quem dici conuictum aut instrumentis, aut testibus, aut euidentia facti, aut iuris interpretatione, vt cum quis pluries fuit citatus, & non comparuit, aut cum adest contra reum violenta suspicio. Confirmatio, quia conuictio est circunstantia intrinseca iudicio, quæ etsi non exprimatur, cum sit intrinseca habetur pro expressa, cum & sua natura sit omni iudicio condemnatorio.

Secundæ respondetur, eas pœnas locum habere etiam in non consuetudinariis, exceptis pœnis carceris perpetui; & triremij, dicitur enim in secunda Bulla: *Si verò pluries* quod arguit consuetudinem. Immo tertia vice conuictus sufficienter dicitur consuetudinarius, licet semel tantum in singulis iudiciis de blasphemia fuerit conuictus, quia verisimile est, quod in illis sit habituatus.

Tertiæ nomine scuti aurei venit numerus quindecim Iuliorum, numero autem ducati veniunt decem Iulij, iuxta vsum monetæ Romanæ.

CAPVT XXVII.

De Religiosis inquisitoribus subiectis.

SVMMARIVM.

1 *Superiores regulares olim cognoscebant causas fidei.*
2 *Bulla Pauli V. reuocatoria.*
3 *Dubia super Bullam.*
4 Prædicti *vis huius dictionis.*
5 Priuilegia *etiam Iesuitarum sublata.*
6 Quorum tenores *quid importet?*
7 *Religiosi tenentur denuntiare suspectos de hæresi.*
8 *Superiores maiores tãtũ incurrũt pœnas Bullæ* Pauli *V.*
9 *Bulla Vrbani VIII.*
10 *Priuilegia onerosa non comprehenduntur.*
11 *Viuæ vocis oracula non, sed in alia.*
12 *Bullæ, quando non comprehendunt religiosos.*
13 *Bullæ quatuor modis spectantur.*
14 *Bullæ odiosæ de Clericis non comprehendunt religiosos nisi in fauoribus.*
15 *Bullæ loquentes de religiosis omnes omnino deinceps comprehendunt.*
16 *Bullæ Pauli, & Vrbani comprehendunt Generales.*
17 *Bulla Pauli quatuor continet.*
18 *Pœnæ non denuntiantium Bulla Pauli excludit superieres, non verò si impediant.*
19 *Bonacinæ opinio reijcitur.*
20 *Denuntiationis obligatio in Bulla Pauli omnes passiue comprehendit.*
21 Etiam, *quid importet.*
22 *Denuntiationem huius Bullæ omittens nullas pœnas incurrit.*
23 *Generales non comprehenduntur sub Bulla Vrbani.*

24 *Generales non comprehenduntur sub Edictis Inquisitorum.*
25 *Denuntiandi tamen sunt.*
26 *Inquisitoribus subduntur omnes Regulares.*
27 *Generales non.*
28 *Regulares habentes populum sub se sunt iudices Inquisitionis.*
29 *Inquisitores puniunt regulares impedientes denuntiationem.*
30 *Decretum Pij V. super hac re.*
31 *Denuntiare tenentur omnes suspectos.*
32 *Eadem obligatio denuntiandi par in Ecclesiasticis, & laicis*
33 *Edicta Inquisitorum tenentur denuntiare.*
34 *Negligentium querelam recipit, non tamen vlterius procedit Inquisitor.*
35 *Pœnitentiati sunt inhabiles ad officia religionis.*
36 *Decretum super dicta inhabilitate.*
37 *Dubia super hoc decretum.*
38 *Pœnitentiatus est inhabilis.*
39 *Absque alia sententia.*
40 *Ille etiam qui de leui abiurauit.*
41 *Non vero, qui non abiurauit.*
42 *Graduum, & officiorum nomine quid?*
43 *Pœnitentiæ salutares quænam sint?*
44 *Inhabilis promotus peccat acceptans, & tenetur credere.*
45 *Pœna contra promotores requirunt sententiam.*
46 *Inhabilitas hæc à solo Papa dispensatur.*
47 *Absoluere ab hæresi nequeunt.*
48 *Proficiscentes vltra mare quando suspecti.*
49 *Matrimonium contrahentes sunt suspecti de hæresi.*
50 *Pœnitentiatus in quibus dispensetur à suo prælato.*
51 *Pœnitentiatus non caret voce actiua.*

SAnctissimus Dominus noster Vrbanus VIII. fel. recordationis in quodam suo Decreto restrinxit Bullas viginti, & vnam spectantes ad materiam Sancti Officij Inquisitionis, & mandauit superioribus Regularibus, vt procurarent singulis annis earum lectionem in suis conuentibus non tam pro instructione, & obseruatione illarum inter ipsos religiosos, quam pro aliis Christi fidelibus quos docerent confessarij, & concionatores informando circa illarum obseruationem. De his autem Bullis dictum fuit in præcedentibus capitibus, & infra suis locis pro opportunitate materiæ. De ipso Decreto dicam infra in proprio capite sequenti 28. Interim hic tractandæ sunt quæstiones de hac materia spectantes ad Regulares cum explicatione nonnullarum Bullarum, quæ eosdem tangunt in spectantibus ad Sanctum Inquisitionis Officium.

Quæres 1. An superiores regulares in causis Sanctæ Inquisitionis nunc procedere possint, vel saltem olim potuerint contra suos subditos?

1 ℞. Olim superiores regulares erant iudices suorum subditorum in causis fidei, & delictis hæresis ex Bullis diuersorum Pontificum de quibus Casarubios, Sorbus, *ver. Inquisitor hæreticæ prauitatis*, Rodr. *tom. 2. quæst.* 81. antiquiora priuilegia erant amplissima excludendo Inquisitores à cognitione harum causarum respectu religiosorum, postea Clem. VII. & Pius IV. ea restrinxerunt, decernendo, quod Inquisitores possent procedere contra Religiosos, modo à suis superioribus non essent peruenti. Demum Paulus V. & Vrbanus VIII. edocti, quod negotia contra hæreticam prauitatem non tractabantur ex diligentia, quæ in re tanti momenti necessaria erat, ob diuersitatem iudicum, reuocauerunt quæcumque priuilegia, & facultates alias à Summis Pontificibus prædecessoribus suis concessas quibuscumque superioribus regularibus cognoscendi causas suorum subditorum quomodolibet spectantes ad Sanctum Officium.

Quæres 2. Quid contineat Bulla Pauli V. incip. *Romanus Pontifex*?

℞. Continet sequentia relatis formalibus verbis dictæ Bullæ. 2

Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuo valitura constitutione, omnia, & quæcumque priuilegia indulta, facultates, & concessiones, Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum siuè Mendicantium siuè Clericorum Regularium, cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta Constitutione Pij IV. non expressorum, & quantumuis exemptorum, & quæcumque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum officium quouis modo spectantes, cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi. Quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo cassamus, reuocamus, & abolemus; ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero quouis quæsito colore, vel prætextu prætensionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosæ sint, nec ne in eisdem causis, tam motis, quam mouendis quoquo modo se intromittere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtius inhibemus.

Volentes, & expresè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus libere denuntiare, absque eo, quod superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumunt.

Summus igitur Pontifex duo decreuit, vnum est, quod reuocauit omnes facultates quibuscumque superioribus cognoscendi causas subditorum suorum spectantes ad Sanctum Officium; alterum est, quod præcipit omnibus religiosis, quod suos correligiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos denuntiare teneantur Inquisitoribus, aut Episcopis, in quorum locis degunt. Præterea Papa ad se auocat omnes causas motas, & pendentes easque committit Inquisitoribus, vel Episcopis; & mandat quoscumque processus, & scripturas eisdem consignari spectantes ad dictum officium. Illisque verò non parentibus nimirum superioribus infligit ipso iure pœnas priuationis prælaturarum dignitatum, & officiorum cum inhabilitate, & priuationis vocis vtriusque atque inflictas contra fautores hæreticorum, & impeditores officij, demum excommunicationem reseruatam.

Nonnulla dubiola super hanc Bullam emergentia sunt resoluenda. *Primum*, An monachorum priuilegia sublata sint, & Iesuitarum? Ratio dubitandi est, quia de istis nihil dicitur. *Secundum*, An religiosus etiam superior teneatur denuntiare Inquisitori suum correligiosum hæreticum, vel suspectum de hæresi? Ratio dubitandi est, quia non habet velle independenter à suo prælato, ac proindè videtur requiri licentia ad denuntiandum. *Tertium*, An soli superiores, vel etiam subditi huic Bullæ non parentes incurrant eam excommunicationem, & alias pœnas ibi expressas? ratio dubitandi est, quia illa verba: *Quod si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint,* 3

vtroque

4 vtrosque comprehendere videntur, nam verbum, *Prædicti*, importat repetitionem superius nominatorum, Pariſ. *conſil.* 1. *n.* 134. *lib.* 3. Tuſchus *lit. D. conſil.* 337. *n.* 2. Craueta *conſil.* 929. *n.* 2.

5 Primò respondetur, priuilegia, ſeu facultatem, ſi quæ conceſſæ fuerunt Monachis, & Ieſuitis, atque quibuſcumque aliis, cognoſcendi cauſas Sancti officij ſuorum ſubditorum, reuocatæ omnino fuerunt quoad vtrumque, quia Bulla vniuerſaliter, & abſolutè loquitur cum clauſulis efficacibus de quibuſcumque ſuperioribus regularibus etiam Abbatibus reſpectu monachorum, & Præpoſitis reſpectu Ieſuitarum, & aliorum, vt id clarè ſuadet illa clauſula. *Cuiuſcumque ordinis, & inſtituti etiam in dicta Conſtitutione Pij IV. non expreſſorum, & quantumuis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, &c. Quorum tenores, etiam ſi de illis ſpecialis, & expreſſa mentio fatenda eſſet, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes.* Hæc enim clauſula: *Quorum tenores*, tantum operatur, quantum ſi tenor priuilegij de verbo ad verbum inſertus fuiſſet, & derogat quibuſcumque priuilegiis, & conſtitutionibus habentibus derogatorias derogatoriarum, Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 36. *num.* 29. Puteus *lib.* 1. *deciſ.* 104. & alij communiter. Quod aliqui fauore monachorum, & Ieſuitarum obijciunt, nimirum, illam clauſulam: *Quorum tenores.* Non habere locum, neque ſuum operari effectum, quando non fuit facta aliqua mentio de re, de qua tractatur, ſecundum Verallum *p.* 1. *deciſ.* 121. Barboſa *clauſ.* 127. *num.* 9. reijcitur aſſumptum, conceſſa reſtrictione clauſulæ, quia de iſtis nimirum Monachis, & Ieſuitis fit mentio in derogatis per illa verba. *Quocumque nomine nuncupentur*, paulò ante relata. Quod magis infra conſtabit *q.* 3.

6 (marginal number beside "res, tantum operatur")

7 Secundò, reſpondetur, non ſolum ſimplicem religioſum, ſed etiam aliàs graduatum, etiam ſuperiorem non habentem aliàs ius cognoſcendi teneri ex vi dictæ Bullæ denuntiare ſuum fratrem in Chriſto hæreticum, ſeu de hæreſi ſuſpectum, neque à quoquam impediri poſſe; neque in hoc licentiam poſtulare tenetur à ſuo ſuperiore, quia ex vi huius Bullæ, quo ad hoc habet velle librum independens à ſuo ſuperiore, vt colligitur ex verbis Bullæ. Nec facit difficultatem dicere, quod Bulla vtitur ſimplici verbo. *Ipſi religioſi, &c.* quaſi ad denuntiandum teneantur ſoli ſubditi, & non ſuperiores, qui in odioſis non veniunt ſub ſimplici verbo religioſi. Quia in hoc caſu religioſi omnes tam ſuperiores minores quam ſubditi in ordine ad iudices Sanctæ Inquiſitionis veniunt ſub illo ſimplici vocabulo religioſi, cum illis omnibus incumbat obedire, & nulli præcipere. Iterum infra *ſub q.* 7.

8 Tertiò dubio reſpondetur, ſupradictas pœnas incurrere ſolum ſuperiores, Generales & Prælati, vt colligitur ex illis verbis? *Quo ſi Generales alijque prædicti præſentibus literis non paruerint.* nam illa verba: *Alijque prædicti* referuntur ad ſuperiores, & prælatos, prout in diſcurſu antecedenti Bullæ ſemper exprimuntur. Nec obſtat quod verbum, *Prædicti* importet repetitionem ſupra nominatorum, quia repetit tantum perſonas ſuperius expreſſas, quæ ſunt ſimiles, & eiuſdem conditionis, nimirum ſuperioritatem habentes, æquum enim eſt odioſa reſtringere. Vide Bonac. de hac cenſura *diſp.* 2. *q.* 9. *part.* 7. contra quem infra *ſub quæſt.* 7.

Quæres 3. Quid ſtatuerit Vrbanus VIII. in ſua Bulla incip. *Cum ſicut accepimus*?

9 ℞. Declarat quod Bullæ, & Conſtitutiones Pontificiæ in concernentibus fidem Catholicam, & Officium Sanctæ Inquiſitionis hactenus editæ, & in poſterum, comprehendant omnes religioſos quomodolibet priuilegiatos, niſi ſpecialiter excipiantur. Ex quibus magis probatur, quod præcedenti quæſtione *ſub num.* 6. diximus, Monachos, & Ieſuitas eſſe ſubiectos huic Tribunali, etiam per præcedentem Bullam, ſed partem Bullæ ad noſtrum propoſitum extendamus.

Nos, qui inter grauiſſimas, multipliceſque Apoſtolatus noſtri curas, in eam præcipuè, ac peculiari ſtudio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, Catholica Fides vbique gentium conſeruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ diſpoſitionis miniſterio prouidere valentes, vt tot, tantaque conſtitutiones Generales à nobis, & hac ſancta ſede, & præſertim ad fauorem fidei Catholicæ, illiuſque propagationem & officij Sanctæ Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem editæ, & de cœtero edendæ, ſublatis quibuſcumque exceptionibus ſubterfugiis, & impedimentis ad maiorem Dei gloriam, ſanctæque Matris Eccleſiæ exaltationem, debitum, vt par eſt, ſortiantur effectum; nec non quorumcumque priuilegiorum, gratiarum, & indultorum dictis ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Inſtitutis, cum quibuſcumque clauſulis; & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque cauſa conceſſorum, etiamſi in corpore iuris clauſa ſint, tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum, nihil pœnitus omiſſo, & forma in eis tradita obſeruata inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ ſedis plenitudine.

Quod quæuis generales conſtitutiones, diſpoſitiones; & ordinationes Apoſtolicæ per Nos, & quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros in concernentibus Fidem Catholicam, illiuſque propagationem ſanctæ Inquiſitionis officium præfatum, præſertim quo ad ea, quæ in congregationibus ſancti officij, & propaganda fide coram nobis tractari ſolent hactenus editæ, omnes, & ſingulos, tam S. Benedicti, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, S. Antonij de S. Antonio, Vienneſis, & Societatis Ieſu præfatorum, quam quorumcumque aliorum ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum profeſſores omnino comprehendant, perinde ac ſi præfati, & alij quamtumlibet priuilegiati in eis nominatim expreſſi fuiſſent. Edendæ vero in poſterum per Nos, & Romanos, Pontifices ſucceſſores, noſtros, tam in fauorem præfatæ fidei Catholicæ, illiuſque propagationis, & ſancti Officij Inquiſitionis præfati, quam ſuper quacumque alia re, negotio, ſeu materia, conſtitutiones, diſpoſitiones, & ordinationes huiuſmodi ſimiliter omnino comprehendant præfatos eorumdem ordinum, congregationum, ſocietatum, & Inſtitutorum profeſſores; niſi in edendis conſtitutionibus huiuſmodi ſpecialiter, & expreſſe excipiantur, etiamſi ipſi priuilegiati forent magis ſpeciali nota, & expreſſione digni, eiſque priuilegia, gratiæ, & indulta à ſede Apoſtolica præfata, etiam ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, ſcientia, & de poteſtatis plenitudine ſimilibus, & conſiſtorialiter, etiam contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ conceſſionis, quam communicationis, & alia quomodolibet conceſſa reſpectiue ſint, quorum, ſeu quarum vigore, vel prætextu ſint excepti, ſeu ſe minime comprehendi prætendunt, in conſtitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expreſſam eorum mentionem.

Hæc Bulla ita ampliſſima, & efficaciſſima eſt, vt in hac materia ſanctæ Inquiſitionis omnino religioſus ſuperior cuiuſcumque religionis ad cuiuſcunque inſtantiam, & quomodolibet exemptus excipiatur à iuriſdictione huius tribunalis & ad illud ſpectantium. Nihilominus ſub oriri poſſunt aliquæ dubitationes in ſequentibus per ordinem tollendæ.

24 *Generales non comprehenduntur sub Edictis Inquisitorum.*
25 *Denuntiandi tamen sunt.*
26 *Inquisitoribus subduntur omnes Regulares.*
27 *Generales non.*
28 *Regulares habentes populum sub se sunt indices Inquisitionis.*
29 *Inquisitores puniunt regulares impedientes denuntiationem.*
30 *Decretum Pij V. super hac re.*
31 *Denuntiare tenentur omnes suspectos.*
32 *Eadem obligatio denuntiandi par in Ecclesiasticis, & laicis*
33 *Edicta Inquisitorum tenentur denuntiare.*
34 *Negligentium querelam recipit, non tamen vlterius procedit Inquisitor.*
35 *Pœnitentiati sunt inhabiles ad officia religionis.*
36 *Decretum super dicta inhabilitate.*
37 *Dubia super hoc decretum.*
38 *Pœnitentiatus est inhabilis.*
39 *Absque alia sententia.*
40 *Ille etiam qui de leui abiurauit.*
41 *Non vero, qui non abiurauit.*
42 *Graduum, & officiorum nomine quid?*
43 *Pœnitentiæ salutares quænam sint?*
44 *Inhabilis promotus peccat acceptans, & tenetur credere.*
45 *Pœna contra promotores requirunt sententiam.*
46 *Inhabilitas hæc à solo Papa dispensatur.*
47 *Absoluere ab hæresi nequeunt.*
48 *Proficiscentes vltra mare quando suspecti.*
49 *Matrimonium contrahentes sunt suspecti de hæresi.*
50 *Pœnitentiatus in quibus dispensetur à suo prælato.*
51 *Pœnitentiatus non caret voce actiua.*

SAnctissimus Dominus noster Vrbanus VIII. fel. recordationis in quodam suo Decreto restrinxit Bullas viginti, & vnam spectantes ad materiam Sancti Officij Inquisitionis, & mandauit superioribus Regularibus, vt procurarent singulis annis earum lectionem in suis conuentibus non tam pro instructione, & obseruatione illarum inter ipsos religiosos, quam pro aliis Christi fidelibus quos docerent confessarij, & concionatores informando circa illarum obseruationem. De his autem Bullis dictum fuit in præcedentibus capitibus, & infra suis locis pro opportunitate materiæ. De ipso Decreto dicam infra in proprio capite sequenti 28. Interim hic tractandæ sunt quæstiones de hac materia spectantes ad Regulares cum explicatione nonnullarum Bullarum, quæ eosdem tangunt in spectantibus ad Sanctum Inquisitionis Officium.

Quæres 1. An superiores regulares in causis Sanctæ Inquisitionis nunc procedere possint, vel saltem olim potuerint contra suos subditos?

1 ℞. Olim superiores regulares erant iudices suorum subditorum in causis fidei, & delictis hæresis ex Bullis diuersorum Pontificum de quibus Casarubios, Sorbus, *ver. Inquisitor hæreticæ prauitatis*, Rodr. *tom. 1. quæst.* 81. antiquiora priuilegia erant amplissima excludendo Inquisitores à cognitione harum causarum respectu religiosorum, postea Clem. VII. & Pius IV. ea restrinxerunt, decernendo, quod Inquisitores possent procedere contra Religiosos, modo à suis superioribus non essent preuenti. Demum Paulus V. & Vrbanus VIII. edocti, quod negotia contra hæreticam prauitatem non tractabantur ex diligentia, quæ in re tanti momenti necessaria erat, ob diuersitatem iudicum, reuocauerunt quæcumque priuilegia, & facultates alias à Summis Pontificibus prædecessoribus suis concessas quibuscumque superioribus regularibus cognoscendi causas suorum subditorum quomodolibet spectantes ad Sanctum Officium.

Quæres 2. Quid contineat Bulla Pauli V. incip. *Romanus Pontifex?*

℞. Continet sequentia relatis formalibus verbis dictæ Bullæ. 2

Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuo valitura constitutione, omnia, & quæcumque priuilegia indulta, facultates, & concessiones, Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum siuè Mendicantium siuè Clericorum Regularium, cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta Constitutione Pij IV. non expressorum, & quantumuis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innouata & quantumuis etiam longissimo tempore obseruata, causas ad dictum officium quouis modo spectantes, cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi. Quorum omnium, & singulorum tenores, etiamsi de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo cassamus, reuocamus, & abolemus; ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero quouis quæsito colore, vel prætextu prætensionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosæ sint, nec ne in eisdem causis, tam motis, quam mouendis quoquo modo se intromittere, denuntiationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtius inhibemus.

Volentes, & expresè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes etiam Ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus libere denuntiare, absque eo, quod superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumunt.

Summus igitur Pontifex duo decreuit, vnum est, quod reuocauit omnes facultates quibuscumque superioribus cognoscendi causas subditorum suorum spectantes ad Sanctum Officium; alterum est, quod præcipit omnibus religiosis, quod suos correligiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos denuntiare teneantur Inquisitoribus, aut Episcopis, in quorum locis degunt. Præterea Papa ad se auocat omnes causas motas, & pendentes easque committit Inquisitoribus, vel Episcopis; & mandat quoscumque processus, & scripturas eisdem consignari spectantes ad dictum officium. Illisque verò non parentibus nimirum superioribus infligit ipso iure pœnas priuationis prælaturarum dignitatum, & officiorum cum inhabilitate, & priuationis vocis vtriusque atque inflictas contra fautores hæreticorum, & impeditores officij, demum excommunicationem reseruatam.

Nonnulla dubiola super hanc Bullam emergentia sunt resoluenda. *Primum*, An monachorum priuilegia sublata sint, & Iesuitarum? Ratio dubitandi est, quia de istis nihil dicitur. *Secundum*, An religiosus etiam superior teneatur denuntiare Inquisitori suum correligiosum hæreticum, vel suspectum de hæresi? Ratio dubitandi est, quia non habet velle independenter à suo prælato, ac proindè videtur requiri licentia ad denuntiandum. *Tertium*, An soli superiores, vel etiam subditi huic Bullæ non parentes incurrant eam excommunicationem, & alias pœnas ibi expresas? ratio dubitandi est, quia illa verba: *Quod si Generales, aliique prædicti præsentibus literis non paruerint,* 3

vtrosque

4 vtrosque comprehendere videntur, nam verbum, *Prædicti*, importat repetitionem superius nominatorum, Pacif. *consil.* 1. *n.* 134. *lib.* 3. Tuschus *lit. D. consil.* 337. *n.* 2. Craneta *consil.* 929. *n.* 2.

5 Primò respondetur, priuilegia, seu facultatem, si quæ concessæ fuerunt Monachis, & Iesuitis, atque quibuscumque aliis, cognoscendi causas Sancti officij suorum subditorum, reuocatæ omnino fuerunt quoad vtrumque, quia Bulla vniuersaliter, & absolutè loquitur cum clausulis efficacibus de quibuscumque superioribus regularibus etiam Abbatibus respectu monachorum, & Præpositis respectu Iesuitarum, & aliorum, vt id clarè suadet illa clausula. *Cuiuscumque ordinis, & instituti etiam in dicta Constitutione Pij IV. non expressorum, & quantumuis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur, &c. Quorum tenores, etiam si de illis specialis, & expressa mentio fatenda esset, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes.* Hæc enim clausula: *Quorum tenores*, tantum operatur, quantum si tenor priuilegij de

6 verbo ad verbum insertus fuisset, & derogat quibuscumque priuilegiis, & constitutionibus habentibus derogatorias derogatoriarum, Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancell. glos.* 36. *num.* 29. Puteus *lib.* 1. *decis.* 104. & alij communiter. Quod aliqui fauore monachorum, & Iesuitarum obijciunt, nimirum, illam clausulam: *Quorum tenores.* Non habere locum, neque suum operari effectum, quando non fuit facta aliqua mentio de re, de qua tractatur, secundum Verallum *p.* 1. *decis.* 121. Barbosa *claus.* 127. *num.* 9. reijcitur assumptum, concessa restrictione clausulæ, quia de istis nimirum Monachis, & Iesuitis fit mentio in derogatis per illa verba. *Quocumque nomine nuncupentur*, paulò ante relata. Quod magis infra constabit *q.* 3.

7 Secundò, respondetur, non solum simplicem religiosum, sed etiam aliàs graduatum, etiam superiorem non habentem aliàs ius cognoscendi teneri ex vi dictæ Bullæ denuntiare suum fratrem in Christo hæreticum, seu de hæresi suspectum, neque à quoquam impediri posse; neque in hoc licentiam postulare tenetur à suo superiore, quia ex vi huius Bullæ, quo ad hoc habet velle librum independens à suo superiore, vt colligitur ex verbis Bullæ. Nec facit difficultatem dicere, quod Bulla vtitur simplici verbo. *Ipsi religiosi, &c.* quasi ad denuntiandum teneantur soli subditi, & non superiores, qui in odiosis non veniunt sub simplici verbo religiosi. Quia in hoc casu religiosi omnes tam superiores minores quam subditi in ordine ad iudices Sanctæ Inquisitionis veniunt sub illo simplici vocabulo religiosi, cum illis omnibus incumbat obedire, & nulli præcipere. Iterum infra *sub q.* 7.

8 Tertiò dubio respondetur, supradictas pœnas incurrere solum superiores, Generales & Prælati, vt colligitur ex illis verbis? *Quo si Generales alijque prædicti præsentibus literis non paruerint.* nam illa verba: *Alijque prædicti* referuntur ad superiores, & prælatos, prout in discursu antecedenti Bullæ semper exprimuntur. Nec obstat quod verbum, *Prædicti* importet repetitionem supra nominatorum, quia repetit tantum personas superius expressas, quæ sunt similes, & eiusdem conditionis, nimirum superioritatem habentes, æquum enim est odiosa restringere. Vide Bonac. de hac censura *disp.* 2. *q.* 9. *part.* 7. contra quem infra *sub quæst.* 7.

Quæres 3. Quid statuerit Vrbanus VIII. in sua Bulla incip. *Cum sicut accepimus*?

9 ℞. Declarat quod Bullæ, & Constitutiones Pontificiæ in concernentibus fidem Catholicam, & Officium Sanctæ Inquisitionis hactenus editæ, & in posterum, comprehendant omnes religiosos quomodolibet priuilegiatos, nisi specialiter excipiantur. Ex quibus magis probatur, quod præcedenti quæstione *sub num.* 6. diximus, Monachos, & Iesuitas esse subiectos huic Tribunali; etiam per præcedentem Bullam, sed partem Bullæ ad nostrum propositum extendamus.

Nos, qui inter grauissimas, multiplicesque Apostolatus nostri curas, in eam præcipuè, ac peculiari studio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum prauitatum erroribus, Catholica Fides vbique gentium conseruetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio prouidere valentes, vt tot, tantæque constitutiones Generales à nobis, & hac sancta sede, & præsertim ad fauorem fidei Catholicæ, illiusque propagationem & officij Sanctæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem editæ, & de cætero edendæ, sublatis quibuscumque exceptionibus subterfugiis, & impedimentis ad maiorem Dei gloriam, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem, debitum, vt par est, sortiantur effectum; nec non quorumcumque priuilegiorum, gratiarum, & indultorum dictis ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, cum quibuscumque clausulis; & decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque causa concessorum, etiamsi in corpore iuris clausa sint, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil pœnitus omisso, & forma in eis tradita obseruata inserti forent, eisdem præsentibus pro expressis habentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ sedis plenitudine.

Quod quæuis generales constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros in concernentibus Fidem Catholicam, illiusque propagationem sanctæ Inquisitionis officium præfatum, præsertim quo ad ea, quæ in congregationibus sancti officij, & propaganda fide coram nobis tractari solent hactenus editæ, omnes, & singulos, tam S. Benedicti, Cisterciensis, Pramonstratensis, S. Antonij de S. Antonio, Viennensis, & Societatis Iesu præfatorum, quam quorumcumque aliorum ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores omnino comprehendant, perinde ac si præfati, & alij quamtumlibet priuilegiati in eis nominatim expressi fuissent. Edendæ vero in posterum per Nos, & Romanos, Pontifices successores, nostros, tam in fauorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & sancti Officij Inquisitionis præfati; quam super quacumque alia re, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi similiter omnino comprehendant præfatos eorumdem ordinum, congregationum, societatum, & Institutorum professores; nisi in edendis constitutionibus huiusmodi specialiter, & expresse excipiantur, etiamsi ipsi priuilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque priuilegia, gratiæ, & indulta à sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu, scientia, & de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quam communicationis, & alia quomodolibet concessa respectiue sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minime comprehendi prætendunt, in constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

Hæc Bulla ita amplissima, & efficacissima est, vt in hac materia sanctæ Inquisitionis omnino religiosus superior cuiuscumque religionis ad cuiuscunque instantiam, & quomodolibet exemptus excipiatur à iurisdictione huius tribunalis & ad illud spectantium. Nihilominus sub oriri possunt aliquæ dubitationes in sequentibus per ordinem tollendæ.

Quæres 4. An in hac Bulla sermo sit de fauoribus, & priuilegiis concessis per viam contractus, si in his cadere potest, ita quod amplius illis regulares vti non possint in casibus sancti Officij? Ratio dubitandi est quia istis non derogatur sine indiuidua eorum mentione, de quibus hic nihil exprimitur.

10 ℞. Religiosi, non obstantibus huiusmodi priuilegiis, si quæ habent per contractus, adhuc subduntur officio S. Inquisitionis per hanc Bullam vt expressè colligitur ex supra allatis clausulis, ibi: *Ex quacumque causa concessorum*, comprehendit enim maiora expressis, Glos. *in clem.* 1. *de iud.* Roland. *vol.* 1. *consil.* 5. *numer.* 44. Ruin. *vol.* 3. *consil.* 103. *numer.* 9. Gratian. *capite* 82. *numer.* 32. ita quod comprehendit, quæ aliàs non comprehenderentur, Honded. *lib.* 2. *consil.* 76. *numer.* 16. Gregor. *decis.* 267. *numer.* 5. Quod confirmatur per clausulas expressas in obstatiua initio illis verbis. *Non obstantibus Regula nostra de iure quæsito non tollendo.* Et infra. *Quomodolibet concessis*; est enim dictio efficacissima includens quodcumque priuilegium qualitercumque concessum, vnde secundum Franciscum Molinum de brachio seculari, *capit.* 4. *numer.* 48, omnia continet, & nullum casum respicit, ergo Papa per dictas obstantias comprehendit omnia priuilegia etiam onerosa, & nullum respuit à derogatione. Nec obstat quorumdam opinio non derogare posse Papam contractibus onerosis, quia proaui *contra* 28. *num.* 17. & 18. Papam ea reuocare posse. Quod si addas ex hac Bulla non colligi huiusmodi reuocationem, quia de illis nulla fit expressa mentio. Dico fieri per clausulas virtuales, vt patet legenti supra eius textum & in clausula? *Non obstantibus.* Vel dic Regularibus non concedi huiusmodi priuilegia onerosa, & ex contractu, & ideo necessariam non fuisse illorum mentionem, consequenter in propositione quæstionis addidi: *Si in his cadere potest.*

Quæres 5. An viuæ vocis oracula Regularibus fauentia in casibus Inquisitionis, vt non subsint Bullis Pontificiis, Decretis, Inquisitoribus & aliis in hac materia cessent per huiusmodi Bullam? Ratio dubitandi est, quia de illis nulla fit mentio, sed tantum de Bullis, & constitutionibus, quæ non comprehendunt viuæ vocis oracula.

11 ℞. In hac Bulla, neque in præcedenti Pauli V. nihil disponitur contra viuæ vocis oracula, vt legenti constat. Nihilominus non sunt alicuius valoris, quia postmodum, idest, immediatè post eam Bullam, reuocata fuerunt per eumdem Pontificem summum Vrbanum VIII. Bulla incip. *Alias felicis record.* sub datum 20. Decembris 1631. Bulla vero superius extensa data fuit 5. Nouembris eiusdem anni. De istis oraculis infra suo loco.

Quæres 6. An Bullæ Pontificiæ in prosterum edendæ non solum spectantes Catholicam fidem, & officium S. Inquisitionis, sed etiam concernentes alias materias extraneas comprehendant Regulares, si de illis nulla fiat mentio in Bullis edendis? Ratio dubitandi vrget per sequentia: *Edendæ vero in posterum per Nos, & Romanos, Pontifices successores nostros tam in fauorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & sanctæ officij Inquisitionis præfati, quam super quacumque alia re negotio, seu materia constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi similiter omnino comprehendant regulares, nisi expressè excipiantur, &c.*

12 ℞. In Bullis edendis non comprehenduntur Regulares, quando de ipsis nulla fit mentio, est enim certum id ex communi doctorum, nam Bullæ Pontificiæ spectari possunt quadrupliciter. 13 Primò, quatenus loquuntur per terminos generalissimos disponentes de materia, cuius omnes homines sunt capaces, & sub hac ratione comprehenduntur laici clerici, & Religiosi masculi, & fœminæ, exemplum sit in canone: *si quis suadente Diabolo*, cuius terminis. *Si quis*, vniuersalissimus, & generalissimus comprehendit supradictos omnes, vt patet. Secùdò, prout loquūtur de solis laicis, & in his dispositionibus non includuntur clerici, neque religiosi, quia isti nullo modo sunt laici; siquidem clerus, & populus sunt diuersa, *cap. si sententia* 16. *de sent. excom. in* 6. Glos. *verb. Populo Clem.* 5. *de elect.* Nau. *cap.* 27. *numer.* 167. Tertiò, sub constitutionibus loquentibus de clericis non veniunt 14 regulares, vt notum est, maximè in odiosis, Abbas *in capit.* 1. *Ne cler. numer.* 7. *in capit.* 1. *de Institut. numer.* 3. Roman. *consil.* 259. vtique & 418. in fauoralibus, Felin. *in cap. Non dubium de sent. excom.* Silu. *verb. Clericus*, M. Anton. *lib.* 1. *resol. fin. casu* 63. §. *Primò.* Quartò, quatenus constitutiones 15 Pontificiæ loquuntur de religiosis, & in hoc sensu comprehendunt quoscumque religiosos cuiuscumque sint religionis quomodolibet priuilegiatos, quæ deinceps edentur à Summis Pontificibus de quacumque materia tractent etiam si non spectent ad Sanctam Fidem, neque de officio Inquisitionis, vt expressè dicitur in hac Bulla per illa verba in ratione dubitandi allata. Quare Religiosi omnes præsertim S. Benedicti, Cistercienses, Præmonstratenses, S. Antonij Viennensis, & Iesuitæ contra quos omnes præcipuè nominatim emanauit huiusmodi Bulla, deinceps nullo priuilegio se tueri possunt, quod non comprehendantur sub Bullis edendis, nisi specialiter excipiantur. Quid si excipiantur Præmonstratenses, an per communicationem intelligantur excepti Iesuitæ e. g. Non, vt colligitur ex illa clausula. *Tam per viam meræ concessionis, quam communicationis, & alias quomodolibet concessa respectiuè sint.*

Quæres 7. An Generales religionum comprehendantur sub dictis Bullis Pauli V. & Vrbani VIII. atque in Edictis Inquisitorum?

℞. Quo ad Bullam Pauli V. certum est eos compre- 16 hendi in eo, quod amplius nō possunt cognoscere causas spectantes ad Sanctum Officium suorum subditorum. Punctus difficultatis est, an comprehendantur sub obligatione denuntiandi suos subditos hæreticos, vel de hæresi suspectos Inquisitoribus? cum ex hoc capite non exprimantur superiores, sed tantum religiosi immo ibi condistinguuntur subditi à superioribus in eo quod dicitur, religiosos non posse prohiberi per suos superiores, quin denuntient. *Volentes, vt ipsi religiosi possint, & debeant omnes etiam ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos Inquisitoribus, vel ordinariis locorum vicinioribus libere denuntiare absque eo, quod superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire.* Nam in hac Bulla quatuor tantum præ- 17 cipiuntur superioribus. Primò, quod amplius non cognoscant causas huiusmodi. Secundò, quod desistant à causis coram ipsis pendentibus. Tertiò, consignent processus iudicibus Inquisitionis. Quartò, quod suos subditos non impediant à denuntiatione. In his actionibus delinquentes excommunicationem incurrunt cum aliis pœnis de quibus supra.

Quando verò ipsi superiores, ad quos antea specta- 18 bat cognoscere causas Sancti Officij, non denuntiantes suos subditos hæreticos, aut de hæresi suspectos, certe eas pœnas non incurrunt, quia huiusmodi denuntiatio illis non præcipitur, sed religiosis subditis, vt patet ex allatis verbis, & legenti totam Bullam, quæ in aliis capitibus quatuor supradictis semper repetit ea verba? *Generalibus, Superioribus, & Prælatis*, in hoc verò de denuntiatione facienda verba facit de solis religiosis, loquendo verò de illa non impedienda

pedienda verba diriget ad superiores prædictos, ergo in hac tantum actione non impediendi denuntiationem comprehenduntur superiores. Quare Generales, & alij superiores, ad quos spectabat cognitio huiusmodi, non denuntiantes ex hoc capite non incurrunt pœnas Bullæ Pauli.

19 Bonacina *disp. 2. de censuris in particulari quæst. 9. par. 7.* asserit *numer. 5.* subiectum huius excommunicationis esse solum superiores non denuntiantes ex diametro oppositum ei, quod negamus. Rationem affert, quia Papa pœnas, & censuras huius Bullæ dirigit solum ad Generales, superiores, & prælatos. Verum quidem est, quod pœnas, & censuras dirigit solum ad superiores, non tamen quouis modo, sed prout contra ipsos in superioribus egit, constat autem ex Bulla contra superiores egisse tantum in supradictis quatuor casibus: ergo incurrunt eas pœnas, quando illorum quatuor tantum sunt transgressores. Confirmatur, quia non possunt dici trangressores, ac proindè neque rei dictarum pœnarum, illarum actionum, quæ illis præceptæ non fuerunt, constat autem ex Bulla actionem denuntiationis non fuisse illis præceptam, sed solum non impeditionem denuntiationis præceptæ subditis ergo sola impeditio inducit pœnas.

20 Quærit ibidem, an hæc obligatio denuntiandi comprehendat quascumque personas denuntiandas, laicos, clericos, nouitios, an solum religiosos professos? Respondet, restringi ad denuntiationem tantum religiosorum professorum, & non esse denuntiandos, laicos, neque nouitios, ex vi huius Bullæ, cum loquatur solum de professis. Nonnulli putant hanc obligationem omnes comprehendere laicos, clericos, nouitios, & professos, vt colligitur apertè ex illis verbis. *Vt ipsi religiosi possint & debeant omnes etiam ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, &c.* Qui enim dicit omnes neminem excludit, & qui totum dicit, nihil excludit, inquit ipse

21 Bonacina ibidem pro alio casu. Præterea dictio *Etiam* exprimit casum magis dubitabilem, & includit minus dubitabilem ex iuribus, & doctoribus allegatis à Barbosa *dist. 112. n. 1.* Deindè per hanc Bullã magis confirmatur obligatio, quam quilibet habet denuntiandi quemlibet reum hæresis aut eiusdem suspicionis. Hæc non probant efficaciter, nam illa dictio *Etiam* in qua tota vis sita esse videtur, licet sit extensiua, intelligitur tamen respectu antea non expressorum, quatenus dicitur implicare maiora expressis, ex eodem Barbosa *n. 2.* & Seraphin, *decis. 1384. n. 5.* dicit non stare cumulatiua.

22 Colligitur ex supradictis negligentem denuntiationem ex vi huius Bullæ non incurrere eas pœnas, siuè sit superior, ad quem alias huiusmodi cognitio spectare poterat, vt patet ex supradictis, siuè sit subditus, quia illi id quidem præcipitur, sed sine dictis pœnis, quæ infliguntur contra superiores delinquentes in aliis actionibus.

23 Quod verò spectat ad Bullam Vrbani VIII. dico illam afficere etiam Generales quorumcumque ordinum, ac proindè comprehendi in Bullis hactenus editis spectantibus ad fidem, & Inquisitionem, & in posterum edendis de quacumque materia loquentibus de religiosis, sub quibus comprehenduntur Generales, quãuis, hoc nomine: vel alio sibi magis proprio ex instituto regionis non exprimerentur, vt colligitur ex illis verbis. *Etiam si ipsi priuilegiati forent magis speciali nota, & expressione dignis, eisque priuilegia, gratiæ &c.*

Dices, hinc sequitur, Generales comprehendi sub Bulla Pauli V. etiam in ea parte, qua omnibus religiosis præcipitur denuntiatio aliorum religiosorum de hæresi suspectorum. Et si enim non nominentur in ea nomine proprio, sed solum nomine communi religiosorum, quo aliàs non veniebant superiores præsertim maiores, nunc tamen virtute Bullæ Vrbani VIII. vt mox dixi, Generales comprehenduntur sub simplici nomine religiosi in Bullis editis, & edendis. Ex quibus sequitur falsum esse, quod supra dixi Generales non comprehendi sub obligatione denuntiandi ex dicta Bulla Pauli V. Respondetur, quod Generalis non potest comprehendi sub illis verbis. *Vt ipsi possint, & debeant*, quia ibi apertè accipiuntur prout contra distinguuntur à generali, & aliis superioribus, qui aliàs cognoscere poterant hoc delictum, ibi. *Et quod superiores prædicti personas denuntiandas, & causas perquirere.* Consequenter cum sint ex natura huius actionis, & facti excepti non comprehenduntur sub dispositione constitutionis Vrbanæ, quo ad hunc peculiarem casum denuntiationis præceptæ in Bulla Pauli V. Confirmatur id, quia dispositio Bullæ Vrbani habet locum in quantum Generalis potest comprehendi sub nomine aliorum religiosorum, de quibus aliquid disponitur? in casu autem nostro non potest comprehendi, hoc ipso, quod ibidem subditi, & superiores expressè nominantur sub diuersis actionibus, ergo Bulla Vrbani locum non habet in hoc casu.

Quod ad tertium de Edictis Inquisitorum, quæ prout facit ad rem nostram consistunt in obligatione denuntiandi hæreticos, vel de hæresi suspectos, difficultas potest esse tam de actiua denuntiatione, qua teneatur Generalis denuntiare quos libet tam subditos, quam non subditos, quam de passiua, qua alij quicumque siuè eius subditi, siuè extranei debeant illum, siuè hæreticum, siuè suspectum denuntiare?

℞. Generales non esse quo ad actiuam denuntiationem subiectos Inquisitoribus ex vi Edictorum eorum, cum in ipsis non exprimantur proprio nomine, quod necessarium esset, ex vulgatis namque iuribus, personæ, quæ nomen elegans habent, & speciali nota, & expressione dignæ sunt, non veniunt sub generali locutione, sed exprimendæ sunt per nomen suæ dignitatis, *ex capit. Sedes, de rescr. l. Item* apud Labeonem, §. *ait prætor, ff. de iniur. capit. De multa, de præbend.* Gutier. *lib. 3. pract. quæst. 16. num. 51.* Confirmatur, quia hi superiores non habent certum domicilium, & habitationem, discurrunt enim ex officio visitantes totam religionem, quam pro domicilio habent, ergo non subduntur Edictis Inquisitorum, quæ restringuuntur ad personas habitantes sub eorum iurisdictione. 24

Quo ad passiuam puto esse subiectos, probatur. Tum quia, absurdum est dicere in his casibus à nullo posse denuntiari ex vi Edictorum, quæ præcipiunt esse denuntiandos quoslibet hæreticos, vel de hæresi suspectos. Tum quia, in multis Bullis mandantur denuntiari quosque religiosos, ergo etiam Generales, qui quo ad hanc materiam in Bullis veniunt sub nomine religiosorum vt dixi supra. 25

Quæres 8. An, & quomodo Inquisitores, seu Episcopi possint procedere contra Generales Ordinum? Quoad religiosos subditos, & alios superiores minores nulla est difficultas tam de iure communi, *cap. Ad abolendum 9. de hæret. cap. Vt officium 11. eod. in 6.* quam ex Bullis modernis, vt supra vidimus *sub q. 2.* remanet difficultas quo ad Generales, qui videntur posse puniri ab Inquisitoribus. Tum quia, denuntiandi sunt, vt mox superius probaui. Tum quia, in hac materia pares sunt cum cœteris religiosis ex probatis per Bullam Vrbani VIII. 26

℞. Inquisitores possunt, & debent recipere denuntiationem, vlterius tamen procedere contra Generales non possunt, sed admonere supremum Tribunal, vt 27

decernat quid agendum. Ita colligitur, *ex cap. Inquisitores 16. ... in 6. ibi: Si tamen Inquisitores ipsi, Episcopos, vel alios superiores prælatos sciuerint, vel inuenerint circa crimen hæreseos commisisse aut eos de hoc diffamatos, existere vel suspectos, id tenebuntur* Sedi *Apostolicæ denuntiare.* Ratio est, quia Sedes Apostolica non vult sibi præiudicare respectu harum personarum, quæ ex vi suæ dignitatis immediatè sunt subiectæ suæ Sedi, & auctoritati supremæ. Ita ex Pegna Rodr. *tom. 2. q. 81. art. 1. cum suo compend. resolut. 73. num. 1.* Trimarchus, *disp. 8. sect. 4. & 5.* & alij apud ipsos. Ad rationem dubitandi primam, concesso antecedente negatur consequentia, quia aliud est denuntiatio, aliud super illam iudicium ferre, nam Generales ideò à quolibet denuntiari possunt vbi reperiuntur, ne eorum delicta remaneant impunita, quod facilè accideret, si scientes eorum delicta deberent accedere Romã ad denuntiandum illos Summo Pontifici, nam cum tam graui incommodo videtur obligatio nimis onerosa, ideo vnusquisque denũtiat Inquisitori, vbi delictum committitur, siuè delinquens sit de loco, siuè aduena, ad Inquisitorem postea spectat videre an denuntiatus sit de suo foro, an de foro alterius. Ad secundã dico esse pares cum cœteris religiosis, quando non excipiuntur, vt in casu nostro, in quo Generales excipiuntur à iure superius allegato, cui non contrariantur disposita in Bulla Vrbani, quia ex vulgatis iurib. iura iuribus concordare expedit.

Quæres 9. An superiores regulares in aliquibus locis habentes iura quasi Episcopalia in Ecclesiasticos, & laicos possint cognoscere causas spectantes ad Sanctum Inquisitionis Officium?

28 ℟. Affirmatiuè, quia de iure tam veteri, quam nouo huiusmodi causæ spectant ad Inquisitores, & Episcopos, seu ordinarios locorum, vt videre est, *tit. de hæreticis*, & in supracitata Bulla Pauli V. Sed nomine Episcoporum, & ordinariorum locorum veniunt huiusmodi superiores regulares, qui habent populum sub se, & in quo comparantur Episcopis, ita quod habent cognitionem quarumcumque causarum tam ciuilium, quam criminalium, sicuti habent Episcopi erga suos subditos, *cap. In singulis, de statu Monach. cap. Abbates de priuileg. in 6.* Butrius *in cap. Cum & plantare, §. In Ecclesiis, de priuileg.* Aretin *consil. 63. num. 4.* ex illis Rota in vna iurisd. veneris 16. Decembris 1594. coram Orano relata per Tambur. *tom. 3. decis. 41.* Ita in terminis Carena *par. 2. tit. 17. num. 35. §. Vbi tamen*, loquendo de Bulla Pauli V. supra *sub q. 2.* extensa quæ his non obstat, cum loquatur de Generalibus, & prælatis non habentibus sub se populum pleno iure subiectum; itaque Prælatus Regularis habens sub se non solum religiosos, sed etiam clericos, & laicos, in suo territorio, vt Episcopi, hos omnes iudicare possunt ciuiliter, & criminaliter etiam in causis Sanctæ Fidei contra hæreticam prauitatem.

Quæres 10. An Inquisitores procedere possint contra superiores regulares impedientes, ne sui subditi denuntient alios religiosos de hæresi suspectos.

29 ℟. Affirmatiuè, quia delinquunt contra Officium Sanctæ Inquisitionis denuntiationem impedientes contra id, quod disponitur in dicta Bulla Pauli V. ne scilicet superiores regulares audeant, & præsumant impedire illos religiosos, qui volunt denuntiare alios religiosos, vbi contra ipsos impedientes, vel causam denuntiationis perquirentes statuuntur diuersæ pœnæ, præsertim excommunicationis latæ sententiæ reseruatæ, de qua superius dictum fuit. Ita Carena *par. 2. tit. 17. n. 35. §. Pari modo.*

Nota autem, quod Pius V. in quodam suo decreto prohibuit, ne superiores grauarent suos subditos recurrere volentes ad Sanctum Officium, vt in eo testimonium perhibeant, sub die 17. Augusti 1567. tenoris sequentis.

Sanctissimus D. N. Pius Papa V. in Generali Congregatione S. Officij consulens libertati ipsius Sancti Officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium, statuit, & decreuit, vt regulares quorumuis, etiam Mendicantium Ordinum personæ, quæ pro tempore ad Officium Sanctæ Inquisitionis pro quocumque negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut aliàs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huiusmodi molestari, vel ex quacumque causa, vel excessibus prætensis personarum illarum, & debitis propterea pœnis, seu pœnitentiis eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores Generales certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit. 30

Sed qua ratione in supradicto Decreto prohibentur superiores regulares à punitione recurrentium ad Sanctum Officium, quasi delinquerint denuntiatores, cum omnibus etiam religiosis præcipiatur denuntiatio hæreticorum, & de hæresi suspectorum; & ex alio capite eisdem superioribus permittatur huiusmodi punitio? Illud decretum emanauit contra superiores regulares, qui prætendebant punire suos religiosos denuntiatores aliorum religiosorum, non zelo iustitiæ, & Sanctæ Fidei, sed ex odio, vel alio malo fine quandoque calumniabantur suum correligiosum, ne autem propter horum punitionem læderetur libertas Sancti Officij, & illi præiudicaretur, Sanctissimus mandauit, ne quis recurrens ad Sanctum Officium puniretur nisi post quinquennium, & tunc nonnisi consulta Sacra Congregatione. Sed hoc decretum nunc cessare videtur, quia cum prælati regulares amplius non cognoscant, neque procedant in his causis, vt antea facere poterant, ex quo aliquod ius habebant puniendi delinquentes in causis S. Officij etiam extra, consequens est, vt neque animaduertant in suos religiosos, si fortè delinquunt in Sanctum Officium perperam denuntiando, id enim spectat ad Inquisitores.

Quæres 11. An religiosi teneantur denuntiare clericos, laicos, & quoscumque suos correligiosos, vel alterius ordinis, quos sciuerint esse hæreticos, vel suspectos de hæresi?

℟. Religiosi omnes cuiuscumque sint ordinis, & conditionis tenentur non solum iure Pontificio, vt constat ex supradicta Pauli V. Bulla sub *n. 2.* denuntiare quoscumque hæreticos, seu de hæresi suspectos, verum etiam ex vi Edictorum Inquisitorum id facere tenentur, qui sunt de familia illius conuentus, qui situs est sub districtu Inquisitoris, nam Edicta habent similia verba. *Comandiamo à tutte, & à ciascheduna persona di nostra giurisditione di qualunque conditione, stato grado, ò dignità, cosi Ecclesiastica, come mondana sia quanto si voglia grande, che fra dodici giorni.* Et quamuis in dictis verbis nominatim non exprimantur regulares sub nomine Religiosorum, tamen intelliguntur expressi, & comprehensi sub illis verbis. *Stato, grado, ò dignità Ecclesiastica.* Confirmatur id, quia in fine Edicti superiores præcipiuntur admonere suos subditos de obligatione denuntiandi vt mox dicam. 31

Notandum autem est, religiosos obligari, vel excusari in denuntiandis hæreticis, seu de hæresi suspectis eodem modo, quo tenentur, vel excusantur cœteri fideles, ideo quidquid dicetur infra in proprio capite de laicis, & clericis, locum habet pro, vel contra religiosos in materia denuntiationis. 32

Quæres 12. An superiores regulares teneantur publicare Edicta Inquisitorum suis subditis, quando ad eos transmittuntur?

℟.

33 ℞. Affirmatiuè, vt appatet ex sequentibus verbis in calce Edicti. *Le quali cose commandiamo ancora alli Reuer. Abbati, Priori, e Presidenti de conuenti, & case de religiosi, che respettiuamente l'essequiscano con i sudditi loro.* Verum quidem est, quod nullibi vidi huiusmodi Edicta publicari, sed tantum cum reuerentia recipi, & affigi in sacristia; vnde neque transmittitur fides publica de huiusmodi lectione. Si tamen expresse id peteretur obediendum esset. Quamvis alioquin semel in anno publicatur in mensa Regularium quidquid continetur in huiusmodi edictis, quando leguntur Bullæ restrictæ in Decreto sanctissimi Vrbani, de quo infra suo loco, ita quod si in hoc grauantur, in alio releuantur.

Quæres 13. An Inquisitores procedere possint contra superiores regulares negligentes publicationem suorum Edictorum, & Decreti de lectione viginti vnarum Bullarum, priuando, vel eos suspendendo à suis officiis?

34 ℞. Inquisitor recipere potest querelam sibi delatam contra superiorem negligentem prædictorum Edictorum, & Decreti lectionem, non tamen potest vlterius procedere, sed in hoc debet consulere supremum tribunal. Et ita responsum fuisse refert Carena *par.* 2. *tit.* 17. in fine *n.* 99. Itaque suspensio, de qua fit mentio in calce Edictorum refertur ad clericos, non ad religiosos.

Quæres 14. An religiosi pœnitentiati in S. Officio sint habiles ad gradus, & officia suæ religionis?

35 ℞. Negatiuè, vt hoc expresse decreuit Vrbanus VIII. in Generali Congregatione vniuersalis Inquisitionis die prima Octobris 1626. his verbis relatis à Diana *part.* 4. *in calce Bullarum*, Peyrino *ad constit.* 9. Pauli V. *num.* 29. Trimarch. *disput. fin de solicit. numero* 49.

36 *Sanctissimus D. N. iustis de causis animum suum mouentibus decreuit, & statuit vt imposterum regulares omnes cuiusvis ordinis, societatis, & instituti quibus pro delictis ad Sanctum Inquisitionis Officium spectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit, (salutaribus pœnitentiis exceptis) eo ipso ad omnes suæ religionis gradus, & officia inhabiles censeantur, & deinceps, etiamsi pœnitentiæ tempus compleuerint, vel gratiam receperint, ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac S. C. coram Sanctissimo habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum officiorum, ac præterea vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto incurrant, ad quæ restitui, nisi ab eodem S. D. N. vel ab eadem S. C. coram Sanctissimo habenda non possint. Præsens autem Decretum omnibus religiosorum superioribus intimari mandauit Sanctissimus Noster.*

37 Dubitatur primò, an antè hoc decretum pœnitentiati vt supra essent inhabiles? *Secundò*, an ad hanc inhabilitatem requiratur aliqua sententia iudicis? *Tertiò*, an locum habeat in eo, qui abiurauit solum de leui? *Quartò*, an in eo, qui quidem pœnitentiatus fuit sed ex delicto, quod non inducebat abiurationem? *Quintò*, quid veniat sub nomine graduum, & officiorum, ad quæ promoueri non possunt pœnitentiati? *Sextò*, quid intelligendum per pœnitentias salutares? *Septimò*, an de facto promotus possit continuare in officio? *Octauò*, an pœnæ priuationis officiorum, & vocum contra promouentes illos inhabiles requirant iudicis sententiam? *Nonò*, an Generalis rehabilitare possit pœnitentiatos; & restituere promouentes illos?

38 Primò, respondetur affirmatiuè, nam de iure communi hæretici sunt irregulares ex probatis *capite* 12. *quæstione* 10. infames *quæstione* 12. priuati omnibus beneficiis *quæst.* 14. omnibus officiis, & actibus legitimis *quæst.* 16. Ex his tamen non euacuatur dubitatio; nam inter pœnitentiatos alij sunt verè, & formaliter hæretici, de quibus dixi esse irregulares, & infames ac proinde inhabiles ad officia, & priuati habiti; alij verò sunt tantum suspecti leuiter, vel vehementer de hæresi, & isti de iure non sunt irregulares, neque infames, neque proinde inhabiles, quia non abiurarunt de formali, prædictæ enim pœnæ ab hæreticis extendendæ non sunt ad suspectos, qui reuera non sunt hæretici, & ita sentit Nauar. Paris. Henriq. quos pro se citat, Sanch. *lib.* 2. *capite vigesimoquinto*, *num.* 12. Genuens. *cap.* 45. *in Annot.* His nihilominus non obstantibus Decretum hoc censet Regulares pœnitentiatos esse inhabiles, & cum loquatur absolutè, & indistinctè comprehendit pœnitentiatos non solum ex delicto hæresis, sed etiam suspicionis eiusdem.

Secundò, absque alia iudicis sententia, seu declaratione sequitur ad sententiam per Inquisitionis Iudicem latam, quamvis in ea nulla fiat mentio eiusmodi inhabilitatis, & in hoc nulla difficultas. 39

Tertiò, Decretum hoc locum habet etiam in eo, qui solum abiurauit de leui, nam & iste dicitur pœnitentiatus in Sancto Officio, nam leuis suspicio, quæ in se grauis est, talis dicitur in ordine ad vehementem; ergo nulla ratio videtur suadere, quin leuiter indicatus de hæresi suspectus, pati inhabilitate sit infectus, sicut ille, qui vehementer est suspectus. Nec obstat purgatio per abiurationem, quia mala opinio ab hominibus legitimè concepta adhuc perseuerat, ac proinde sequens inhabilitas. 40

Quartò, non comprehenditur sub Decreto ille, qui ex alio capite, quam ob hæresim, vel eius suspicionem pœnitentiatus fuit in S. Officio, quia cum non abiurauerit, non fuit multum grauata illius opinio, ex quo debeat censeri inhabilis. Quare punitus ob blasphemiam non hæreticalem; vel quia omisit denuntiare, &c. non afficitur hoc Decreto. 41

Quintò, nomine *Graduum, & Officiorum* respectu subiectæ materiæ non solum veniunt gradus superioritatis, vt Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Commissariatus, Visitatoratus Vicariatus, & quæcumque huiusmodi officia superioritatis, vt de illis vocabulis loquuntur Sanchez, *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 66. Rodriq. & Sousa ab eo citati, Bonac. de clausura, *part.* 4. *num.* 6. *de Largit. mun. p.* 5. *num.* 2. cum Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 224. Sigism. *de elect. dub.* 72. *num.* 3. Verum etiam quicumque alij, qui verè præseferunt dignitatem, seu personatum, vt Gradus Doctoratus, Definitoratus, Discretatus, & Custodiatus. Officia verò Lectorum, Concionatorum, Confessariorum, Sacristæ, & huius generis, quæ sunt oneris non comprehenduntur quo ad exercitium. 42

Sextò, nomine pœnitentiarum salutarium veniunt illæ, quæ ab Inquisitoribus imponuntur in foro animæ sine strepitu iudiciali, & processu, vt quando quis spontè comparet; item quando processatus non abiurauit de vehementi, vel leui, &c. 43

Septimò, promotus peccauit recipiendo officium, & cum nulla sit electio, tenetur renuntiare, & cedere officio, quia dicitur intrusus, & illud vsurpasse contra hoc Decretum. 44

Octauò, pœnæ priuationis, & vocum inflictæ contra promouentes pœnitentiatos requirunt sententiam iudicis more aliarum, de quibus alibi dixi, & tradit in simili Sanch. *lib.* 6. *capite decimoquinto*, *n.* 65. 45

Nonò demum, patet Generalem super dictam inhabilitatem dispensare non posse pœnitentiatos, 46

neque

neque restituere promotores eorum, cum id spectet ad Summum Pontificem tantum, vel ad S. C. Coram ipso congregatam. Dixi nihilominus *cap.22. quæst.11.* superiorem regularem posse dispensare in irregularitate ex hæresi occulta, quia non obstat Decretum hoc, quod loquitur de Pœnitentiatis.

Quæres 15. An Regulares possint suos subditos absoluere ab hæresi saltem occulta?

47 ℞. Negatiuè *c.12.q.8.*

Quæres 16. An religiosi proficiscentes vltra mare sine licentia suorum superiorum sint vehementer suspecti de hæresi puniendi ab Inquisitoribus?

48 ℞. Religiosi vltra mare proficiscentes ad ea loca, vbi plures sunt infideles, quam Catholici, & inibi prædicantes, seu seminantes errores dicuntur esse vehementer suspecti de hæresi, vnde mandantur puniri per prælatos Ecclesiarum; & proficiscentes sine licentia in scriptis ipso iure incurrunt excommunicationem reseruatam, vt videre est in extrauag. comm. Ioannis XXII. incip. *Ad nostrum* 1. *de Regular.* De hac excomm. Bonac. *quæst.* 2. *de Claus. par.* 4. dicit superiorem accedentem non subiici, quia extrauagans loquitur de solis subditis; & accedentes sine intentione dogmatizandi, vult adhuc esse reos huius excommunicationis. Addo, quod ab ea absoluere possunt eorum prælati in vim suorum priuilegiorum, nisi de hæresi sint infecti.

Quæres 17. An religiosi matrimonium contrahentes sint suspecti de hæresi, & subiiciantur Inquisitoribus?

49 ℞. Affirmatiuè *sub c.12.q.28.*

Quæres 18. An superiores regulares dispensare possint suos subditos in Sancto Officio pœnitentiatos tam in promotione ordinum & officiorum, quam ministratione Sacramentorum?

50 ℞. Super hæreticos formales, vel eorum fautores nihil possunt Regulares, vt non semel dictum fuit hic, & *sub capit.* 12. Neque super suspectos simpliciter quoad promotionem officiorum, vt constat *ex numer.* 46. Loquendo quoad ordines recipiendos, vel receptos dispensari possunt à suis superioribus virtute priuilegiorum ex dictis *capit.* 12. *quæstione* 44. Nec obstat supradictum Decretum *sub numer.* 36. extensum, quod loquitur de promotione officiorum, non ordinum.

Quæres 19. An religiosus in S. Officio pœnitentiatus sit ipso iure priuatus voce actiua, & passiua?

51 ℞. Est ipso iure priuatus voce passiua ad gradus, & officia suæ religionis, vt colligitur ex Decreto Sacræ Congregationis superius extenso *sub numer.* 36. vbi decernitur, pœnitentiatos in Sancto Officio eo ipso esse inhabiles ad gradus, & officia sui ordinis, quod coincidit cum eo, quod est esse priuatum voce passiua, nam quilibet ad officium promouetur per vocem passiuam, quatenus eligigitur. Quo verò ad vocem actiuam non est priuatus, quia in eo Decreto nulla fit mentio de promouentibus, & eligentibus, qui per vocem actiuam dicuntur suum munus exercere? neque huiusmodi pœna reperitur inflicta aliquo iure. Confirmatur, quia aliud est vox actiua, aliud passiua, ergo sublata vna, non tollitur altera. Neque conditiones requisitæ ad vocem passiuam necessariæ sunt ad actiuam. Deindè hæc facilius reperitur in persona, quam passiua, eo quod hoc est fundamentum prælaturæ, & dignitatum, quibus propositi eliguntur diuersis qualitatibus muniti; illa competere potest quibuscumque indifferenter, ex quo regulares etiam laici, non solum clerici, & Sacerdotes illius capaces sunt.

CAPVT XXVIII.

De Decreto Bullarum S. Inquisitionis.

SVMMARIVM.

1 *Decretum extenditur.*
2 *Quo die legendum.*
3 *Affigendum in loco publico.*
4 *Superiores locales illud legunt.*
5 *Non obligat eorum Vicarios.*
6 *Neque maiores superiores.*
7 *Nisi in celebratione capitulorum.*
8 *Satisfit lectioni eius per tertium.*
9 *Omissio est peccatum mortale.*
10 Districtè mandat, ac præcipit *quid importet?*
11 *Accusari possunt omittentes lectionem.*
12 *Lectionis tempus prorogatur.*
13 *Etiam lectionis Decretum de celebratione.*
14 *Prorogatio hæc est omnium regularium.*
15 *Non pro capitulis maioribus.*
16 *Pœna priuationis in eo non incurritur ante sententiam.*
17 *Acta capitulorum tenent omissa lectione,*
18 *Omittentes metu principis excusantur.*
19 *Prohibentes eorum lectionem suspecti sunt.*
20 *Accusans lectorem huius Decreti suspectus est.*
21 *Non tamen incidit in Bullam: si de protegendis.*
22 *Non extat obligatio denuntiandi negligentes lectionem.*
23 *Denuntiati subsunt Inquisitoribus.*
24 *Schedula lecti Decreti non defertur.*
25 *Capituli nomine quodcumque venit.*
26 Quicumque, & quinis *quid importent.*
27 *Legitur etiam apud oblatos.*
28 *Legendum est formaliter hoc Decretum.*
29 *Impedientes lectionem sunt suspecti de hæresi.*
30 *Oracula viua vocis.*

DEcretum primo loco extendendum, est. Editum feria quinta die decima quarta Aprilis 1633. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. Domino Nostro Domino Vrbano Diuinâ Prouidentiâ Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Est autem sequentis tenoris.

Sanctissimus Dominus noster sedulo incumbens, vt ea, quæ salubriter Apostolicis Decretis, & Constitutionibus statuta, & ordinata sunt, præsertim quæ ad Sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam prauitatem pertinent, inuiolabiliter obseruentur, & omnimodam sortiantur exequutionem, districtè mandat, & præcipit, vt omnes superiores cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam de necessitate exprimendæ Regularis, aut cuiusuis alterius instituti, etiam quantumuis exempti & priuilegiati teneantur sub pœna priuationis officij, 1

officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis, in perpetuum semel saltem in anno, idest, feria sexta post octauam Assumptionis B. M. V. in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter conuocato; & insuper in quocumque Generali, aut Prouinciali Capitulo, Conuentu, diæta, aut alio quouis nomine nuncupato capitulari congressu suos subditos, ac religiosos commonere de iniuncta omnibus obseruantia, & executione earumdem Apostolicarum Constitutionum, & Decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentium, ac præsertim.

Iulij III. Constitutionis II. *incip.* Licet aduersis, *contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores; & contra ipsos Inquisitores admittentes laicos ad criminis hæresis cognitionem. Et Pij V. constitut.* 82. *incip.* Si de protegendis, *contra occidentes, verberantes, deiicientes, aut perterrefacientes quemuis ex Ministris Sanctissimi Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua diœcesi, vel prouincia obeuntium? seu accusatorem, denuntiatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum; nec non contra diripientes, expugnantes, inuadentes, incendentes, expilantes, aliove exportantes alicuius prædictorum bona, libros, literas, autoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliaue instrumenta, siuè publica siue priuata, vbicumque posita; eorumque complices, & fautores; & contra effringentes carcerem, vel custodiam publicam, vel priuatam extrahentes, vel emittentes vinctum, prohibentes capiendum, captumque eripientes, recipientes, oculentes, seu facultatem effugiendi dantes; seu id fieri iubentes, eorumque complices, & fautores, etiam effectu non secuto, nullatenus excusandos, nisi claras tantummodo probationes, in contrarium adducentes; & contra intercedentes pro præfatis delinquentibus, inflictis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliæ maiestatis, eorumque filiis irrogantur, & oblata reuelantibus impunitate.* Hanc explicatam sub cap. 29. habes.

Pij IV. Constit. 31. *incip.* Cum sicut nuper, *contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu Sacramentalis Confessionis ad inhonestos actus prouocare, & allicere tentant, & solicitant. Et Gregorij XV.* 34. *incip.* Vniuersi Dominici gregis, *ampliatiua circa huius criminis probationes, & extensiua contra confessarios, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, siuè inter se, siuè cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siuè ante, siuè post, immediatè seu occasione, vel prætextu Confessionis, vel extra occasionem Confessionis in Confessario, aut alio loco ad audiendam Confessionem electo, solicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, aut inhonestos sermones, seu tractatus habuerint. Et contra Confessarios non monentes eos, quos sciunt ab aliis Confessariis soiclitatos esse, vt Inquisitoribus, vel Ordinariis, solicitantes denuntient, vel docentes eos ad ita denuntiandum nonteneri.* Explicatam habes sub cap. 23.

Gregorij XIII. *Constit.* 21. *incip.* Officij nostri partes, *de iurisdictione Inquisitorum hæreticæ prauitatis in eos, qui ad ordinem Presbyteratus non promoti Missas celebrant, & Sacramentaliter Confessiones audiunt. Clementis* VIII. *constit.* 81. *incip.* Et si alias, *declaratoria pœnæ contra eos infligendæ per iudices laicos, praua eorum degradatione; & Sanctitatis suæ Constit.* 79. *incip.* Apostolatus officium, *extensiuæ ad minores* 25. *annis, dummodo vigesimum ætatis annum compleuerint.* Explicatam habes sub cap. 22.

Sixti V. Constit. 17. *incip.* Cœli, & Terræ Creator, *contra exercentes artem Astrologię iudiciarię, & alia quæcumque diuinationum genera, librosue harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis suæ constit.* 115. *incip.* Inscrutabilia iudiciorum Dei, *extensiua ad alia, & cum grauioribus pœnis.* Explicantur sub c. 20. & 21.

Clementis VIII. *Constit.* 42. *incip.* Cum sicut, *contra Italos, ne extra Italiam proficiscantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, siuè vsus Catholicæ Religionis non existat, minus eis in locis habitent. Et Gregorij XV. constitut.* 28. *incip.* Romani Pontificis *contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & insularum adiacentium quouis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.* Explicantur sub cap. 24.

Pauli V. Constitut. 26. *incip.* Romanus Pontifex *Reuocatoria facultatum superioribus quorumcumque Ordinum, & Religiosorum, quoque modo concessarum cognoscendi causas suorum subditorum ad officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes.* Explicatur sub cap. 27.

Eiusdem constitut. 97. Regis pacifici, *innouatoria constitutionum à Sixto* IV. *& Pio V de* Conceptione *Beatæ Mariæ Virginis editarum, impositionis maiorum pœnarum in transgressores à locorum Ordinariis & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus puniendos. Et Gregorij XV. constit.* 29. *incip.* Sanctissimus Dominus noster auditis, *ampliatiuæ, & declaratoria prohibitionis asserendi Beatam Mariam Virginem Conceptam esse in peccato originali.*

Gregorij XV. Constit. 27. *incip.* Romanus Pontifex in specula *reuocatoriæ quarumcumque concessionum viuæ vocis oraculo factarum. Et sanctitatis suæ constit. extensiuæ ad quoscumque quantumuis priuilegiatos, & exemptos, incip.* Aliàs felicis recordat. Gregorius. Explicantur hic sub q. 13.

Eiusdem Constit. 40. *incip.* Apostolatus officium, *& sanctitatis suæ constit.* 114. *incipientis eodem modo, reuocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.* Explicatur sub cap. 14.

Sanctitatis suæ constit. 37. *incip.* Sanctissimus Dominus noster, *de imaginibus nondum à Sede Apostolica canonizatorum, vel beatificatorum cum radiis, splendoribus, aut laureolis non proponendis, tabellis, aut luminaribus ad eorum sepulcra non apponendis, eorumuè gestis, miraculis reuelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imprimendis.* Explicatur sub cap. 15.

Pariter sanctitatis suæ constitut. 50. *incip.* Sanctissimus Dominus noster pro debito. *de libris vbicumque compositis; de quacumque materia tractantibus ab his, qui degunt in statu Ecclesiastico, non transmittendis alio, vt imprimantur, sine Vicarij, & Magistri Sacri Palatij in Vrbe, vel extra eam, sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis deputatorum licentia.* Explicatur c. 15.

Et *eiusdem sanctitatis suæ constitut incip.* Cum sicut accepimus *quod constitutiones Apostolicæ in concernentibus Fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam super quacumque alia re edendæ omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendunt, nisi in edendis illi specialiter excipiantur.* Explicatur cap. 27.

Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, itaut ab eisdem subditis religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant. Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ

sima Inquisitionis in Vrbe, *Et ita mandat*, *& præcipit sanctitas sua.*

Ioannes Antonius Thomasius S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notar.

Affixum fuit die septima Iunij 1633.

DVBITATIONES AD HOC DECRETVM.

NOnnullæ proponendæ sunt quæstiones, & resoluendæ ad perfectiorem intelligentiam supradicti Decreti, quod continet breuiter substantiam supradictarum Bullarum, de quibus infra agendum est.

Quæres Igitur primò, ad quosnam superiores spectet commonere suos subditos de obseruatione dictarum constitutionum?

4 ℞. In mensa publica, vel in capitulo specialiter ad hoc conuocato, spectat ad superiores locales, cuiusmodi sunt Abbates, Priores, Guardiani, Ministri, Correctores, & alij quovis nomine appellati, qui habent superioritatem iure ordinario, & immediatam administrationem Monasterij, hi enim propriè dicuntur Superiores; & hoc clarius exprimitur in Decretis de celebratione Missarum, dum in illis dicitur, quod superiores locales procurare debent, vt ea in publica
5 mensa perlegantur. Quare id munus non spectat ad eorum Superiores, aut Vicarios, quia non dicuntur superiores, neque immediatam habent gubernationem,
6 neque ordinariam administrationem Monasterij; neque ad superiores maiores Generalem, aut Prouinciales, quia non sunt superiores locales, neque eodem die præscripto id præstare possunt in omnibus conuentibus, & Monasteriis suæ Religionis, aut Prouinciæ, quia simul, & semel eodem die non possunt reperiri personaliter, in omnibus suis conuentibus ad commonendum suos subditos de iniuncta obseruantia huiusmodi constitutionum contra hæreticam prauita-
7 tem. Dixi (in publica mensa) quia in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus spectat ad superiores constitutos in huiusmodi Capitulis, quovis nomine appel-
8 lentur, siuè sit ipse Generalis, aut Præsidens, vel Commissarius, seu Prouincialis; Satisfit autem ab ipsis commonitioni, si procurent huius Decreti lectionem per Lectorem, vel alium deputatum, idem enim est commonere, & legere quo ad hoc. Vide quæ dixi *tom. 2. resolut.* 58. *n.* 63. *&* 64.

Quæres 2. An non legentes hoc Decretum præfixo die, quæ est feria sexta post Octauam Assumptionis B. M. V. peccent mortaliter, & sint accusandi de hac omissione superiores à suis subditis?

9 ℞. Qui illud non facit legere præfixo die ex mera negligentia obligatione præuisa antecedenter peccat mortaliter, & accusari potest, si loquamur ex vi Decreti præcisè, attenta verò gratia à Summo Pontifice facta, hæc obligatio extenditur per totum mensem Augusti, ac proindè qui illud non procurauit legi primo die Septembris, peccauit mortaliter.

Prima pars, de obligatione illud legendi de se patet, & sub mortali probatur. Tum quia, est omissio in re grauissima, cum in Bullis illius Decreti directè, & immediatè disponatur de materia in ordine ad conseruationem, & manutentionem Sanctæ fidei, & destructionem prauitatis hæreticæ. Tum quia, hanc
10 obligationem sub mortali indicant illa verba. *Districtè mandat, ac præcipit*, quæ de se insinuant grauem obligationem, maximè quando simul iunguntur, vt in casu præsenti D. Anton. *par.* 2. *tit.* 4. *cap.* 2. §. 3. *& par.* 3. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 35. præsertim adiecto aduerbio *districtè*, quod indicat voluntatem esse legislatoris vel obligare ad mortale, ad quod facit, quæ habet Nauar. *cap.* 23. *num.* 53.

Secunda pars, de accusatione patet ex *cap. Ex par- 11*
te 11. *de accusat.* vbi permittitur accusatio superioris facta per eius subditos; sed non ita facile procedendum est contra suos superiores, *cap. Qualiter* 24. *eod.* maximè in casu præsenti, quia huiusmodi omissio potius prouenit ex ignorantia, & inaduertentia, quam ex malitia, & negligentia, vt verisimiliter præsumi potest, vnde ex caritate prius admonendi, sunt de iniuncta obligatione, postea si munus suum negligant exequi, tamquam temerarij, & contemptores denuntiari possunt Prælatis suis, vt potius corrigantur quam vt priuentur suis officiis. Videant autem isti Zelatores Bullarum, ne internum odium, aut interesse sub zelo iustitiæ foueant, quia grauiter peccarent.

Tertia pars, de tempore prorogato vsque ad finem
mensis Augusti ostenditur responsione S. Congreg. 12
quam refert Peirinus ad Calcem *tom.* 3. *de priuil.* Decreto XIII. his verbis.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico coram Sanctissimo D. N. D. Vrbano diuina prouidentia Papa VIII. ac Eminen. & Reuerendiss. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Lecto memoriali Procuratoris Generalis Canonicorum Regularium Lateran. petentes extensionem diei præfixi in constitutione Sanctissimi emanata anno 1633. *circa publicationem faciendam Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum ad Sanctum Officium spectantium. Sanctissimus tempus in dicta constitutione determinatum pro feria sexta post festum Assumptionis Sanctissimæ Virginis extendit per totum residuum mensis Augusti, quam gratiam omnibus Regularibus suffragari voluit.* Concessum fuit die XI. Febr. 1638.

Vtrum autem concessa fuerit extensio pro Decretis de celebratione Missarum?

Idem Peirinus Decreto 14. refert Procuratorem
Generalem Ordinis Eremitarum S. Augustini suppli- 13
casse, à Sacra Congregatione benignè condonari pœnas iis superioribus qui die præfixo lectioni Constitutionis de Celebratione Missarum per obliuionem, vel inaduertentiam legi non fecissent, & simul prorogari terminum præfixum dictæ lectionis. Verba autem Sac. Congregat. sunt hæc.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita Præfatis precibus benigne annuendo, gratiose condonauit supradictis superioribus localibus Ordinis Eremitarum S. Augustini omnes, & quascumque pœnas de præterito incursas ob inobseruantiam Decreti de publicandis Ordinationibus S. C. Cardinalium Concil. Trident. interpretum de celebratione Missarum. Et iisdem superioribus permisit, vt in posterum facere possint dictas ordinationes perlegi, vel die in ipsis ordinationibus præscripta, vel infra terminum dierum decem immediatè subsequentium. Romæ 21. *Martij* 1638.

Refert idem Peirinus ibidem S. Congreg. ad instantiam Procuratoris Generalis Congregationis Lateran. tempus lectionis Decretorum de celebratione Missarum prorogasse per mensem immediatè subsequentem à die præfixo, sub datum diei 16. Aprilis 1638.

Sed quæri potest an dicta gratia gaudeant superio-
res locales aliorum ordinum? Ratio dubitandi est, 14
quia in gratia Decreti Bullarum S. Inquisitionis fit mentio de omnibus regularibus aliorum ordinum. In

his

his autem duabus responsionibus gratia non extenditur, ergo alij regulares non gaudent, neque communicant in ea. Nihilominus dico hanc gratiam communicari etiam aliis quibuscumque superioribus localibus quorumcumque ordinum, & hoc ex illo communi fundamento, quod omnes religiones communicant in priuilegiis, & gratiis ad inuicem, quamuis sint concessa vni tantum. Confirmatur, quia hic nulla reperitur specialis ratio suadens gratiam huiusmodi restringendam esse tantum ad illos superiores, pro quibus fuit petita. Gratia igitur omnibus communicatur? nec obstat ratio in contrarium adducta, quia expressio communicationis in Decreto S. Inquisitionis, & suppressio, seu omissio eiusdem in aliis responsionibus non arguit negationem communicationis, sed tantum virtualiter in his comprehendi, quod in primo expressè, & clarè dictum fuit.

15 An autem huiusmodi gratia suffragetur superioribus maioribus in Capitulis suis, itaut possint differre lectionem dictorum Decretorum? Respondetur negatiuè, quia in dictis responsionibus fit tantum mentio de superioribus localibus, ad quos non pertinent Capitula Generalia, neque Prouincialia, præterquam quod capitula sunt transitoria, & non possunt singulis diebus, aut hebdomadibus conuocari, vt localia, & commensalia. Quod si primis diebus capituli omissa fuit lectio Decreti S. Inquisitionis? poterit legi etiam vltimo die capituli absque periculo incursionis pœnarum, quia in Decreto non præcipitur lectio initio, medio, aut fine capituli, sed simpliciter dicitur, quod superiores in capitulis commonefaciant suos subditos de obseruantia Bullarum Apostolicarum pertinentium ad Sanctum Officium Inquisitionis.

Quæres 3. An pœna priuationis officij, & vtriusque vocis ipso facto incurrenda afficiantur statim superiores negligentes illud Decretum legere, ante sententiam iudicis?

16 ℟. Nequaquam, sed requiritur factum iudicis declarantis superiorem omisisse dictam commonitionem, ac proindè incidisse in eam pœnam, quia huiusmodi pœnæ etiam priuatiuæ requirunt sententiam iudicis ad sui incursionem, vt multis probaui *contr. 30. q. 2.* de vtraque voce, & *q. 5.* de priuatione officiorum, Confirmatur, quia vbi lex pœnalis non apponit illam clausulam, *Absque alia declaratione*, ad incurrendam pœnam requiritur sententia declaratoria incursi criminis, secundum quod docet Silu. *ver. Emphiteusis q. 2.*

Quæres 4. An acta capitulorum Generalis, aut Prouincialis, in quibus huius Decreti lectio neglecta fuit, sint nulla?

17 ℟. Valida sunt, quia in eo non annullantur, neque vocales per illius omissionem sunt priuati facultate, & iure peragendi acta sui capituli, cum pœna priuationis afficiat tantum superiorem capituli negligentem commonere vocales de obseruantia illarum Bullarum, & cum ipse eam pœnam non incurrat nisi post sententiam iudicis, nullus remanet dubitandi locus de nullitate actuum capituli.

Quæres 5. An puniendi sint superiores sub dominiis quorumdam Principum, non audentes illud legere, ex prohibitione sibi facta à Ministris illorum.

18 ℟. Excusandi sunt, quia sicut metus grauis, qui solet timeri ex imperio horum magnatum, excusat à culpa, ita & fortiori à pœna, quæ necessario supponit culpam ex vulgatis iuribus. Confirmatur, quia sine culpa nemo priuandus est iure suo, *cap. Discretionem 6. de eo, qui cogn. Reg. 23. in 6. cap. Satis peruersum 6. dist. 56.* vbi Glos. explicat, nisi subsit causa, hic autem nulla est causa spoliandi superiorem suo officio, quia quantum est ex se paratus erat commonere, sed impeditus fuit inhibitione iniqua, qualem in hoc casu vocarem, cum per lectionem huiusmodi Decreti intendatur tantum conseruatio Sanctæ fidei, & profligatio hæreticorum, aut de hæresi suspectorum. Scrupulosa est similis prohibitio, & valde periculosa, videant ipsi, qui talia agunt. Superiores, ergo ita impediti possunt prosequi sua capitula, & sua tractare, & expedire negotia sine peccato, & periculo inualiditatis actorum in illis. 19

Quæres 7. Quidam Commissarius delegatus à suo Generali ad faciendum Capitulum Prouinciale in dominio, in quo Bullarum Pontificiarum lectio prohibetur, timens incursionem pœnarum huiusmodi, secreto vocatis nonnullis vocalibus ex magis amicis, coram ipsis legit decretum, An; qui illum accusauit coram Ministris laicis, quia eumdem statim extra statum eiecerunt, puniendus sit per suum superiorem regularem, an denuntiandus Inquisitori, & ad hoc puniendus tamquam de hæresi suspectus? Videtur autem transgressor Bullæ, *Si de protegendis*, ac proindè puniendus ab Inquisitore.

℟. Puniri potest ab vtroque, tam superiore regulari, de quo non est dubitandum, propter iniuriam illatam superiori, quam ab Inquisitore, quod probatur. Tum quia, ab Inquisitore puniri possunt negligentes huius decreti lectionem ex probandis sequenti quæstione, ergo & accusari superiores, qui eius lectionem procurauerunt; error enim vtriusque redundat in violationem huiusmodi Decreti. Tum quia, accusare lectorem huius Decreti idem est, ac quasi impedire in futurum eius lectionem, illata enim iniuria facilè auertere potest alios superiores ab eius lectione. Tum quia, actus sequens indicat præcedentem voluntatem impediendi eius lectionem, si præuisa fuisset à maligno accusatore, cum actus sequens præsumatur factus ex causa præcedente, *l. Quadam, C. de rei vendic.* Craueta *consil. 234. ex eo M. Anton. lib. 3. resolut. 19. num.* 8. Tum quia maius delictum est impedire eius lectionem, & post lectionem querelare superiorem, quam simpliciter omittere eius lectionem, quia id imputari potest obliuioni, inaduertentiæ, & negligentiæ superioris, qui defectus sunt excusabiles, illa verò duo priora abscribi debent malignitati, & odio accusantis, atque suspicioni contra fidem impedientis, ac proindè vterque tamquam de fide suspectus, & violator eorum quæ spectant ad fidem puniri potest ab Inquisitore. 20

An autem inciderit in pœnas Bullæ, *Si de protegendis*: dico, quod non offendit Ministrum designatum pro Officio S. Inquisitionis, vt exigit ea Bulla. Quod si esset officialis, procul dubio puniendus esset iuxta illius præscriptum, quia offendisset officialem huius tribunalis in causa fidei. 21

Quæres 7. An superiores regulares negligentes lectionem huius Decreti denuntiati puniri possint ab Inquisitoribus;

℟. Huiusmodi obligatio non extat, tamen denuntiati subsunt iudicio Inquisitoris. Primum constat, quia nullibi huiusmodi obligatio imponitur religiosis, nec vlla ratio id suadet, quia eius omissio potius videtur attribuenda obliuioni, & inaduertentiæ, labitur enim hominum memoria, *l. Peregrè ff. de acquir. possess.* vnde faciendum semel in anno statuto die non ita facilè præuideri potest, cum ergo hic locum habeat ignorantia probabilis sicut hæc excusat à peccato, ex communi doctorum, ita & ab incurrendis pœnis, quæ non nisi propter præcedentem culpam infliguntur. Quare à nullo viro timoratæ conscientiæ vnquam audiui laudare denuntiatores 22

huius omissionis, nisi antecedenter constet de mera, & culpabili negligentia superiorum nolentium legere similia decreta; & quia S. Congr. considerauit, huiusmodi omissionem potius accidere ex obliuione, & inaduertentia excusabili, quam procedere ex negligentia culpabili, ideo tempus vnius diei præfixum extendit in plures, vt diuturnitate temporis possent præuidere huiusmodi obligationem, &
23 sic satisfacere muneri suo. Secundum, quod in hoc defectu subsint inquisitoribus, si illis accusentur, docet Carena de modo procedendi in S. Officio *Inquisit. par. 2. tit. 17.* extremis verbis. Vide, quæ dixi *resol. 58. num. 62.*

Quæres 8. An Inquisitoribus deferenda sit Schedula fidem faciens lectionis habitæ de huiusmodi decreto in publica mensa, vel in Capitulis?

24 ℟. Nequaquam, quia hoc speciale munus non exprimitur in eo Decreto, in cuius extremis verbis dicitur. *Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe.* Ergo non in aliis ciuitatibus. Confirmatur, quia non est obligatio denuntiandi omittentes eius lectionem ex supra probatis, ergo neque deferendi schedulam lectionis, quod minus est.

Quæres 9. An dictum Decretum legendum sit in capitulis extraordinariis congregatis pro aliquo negotio incidenti expediendo, vt pro recipiendis nouitiis, pro examinandis lectoribus, pro eligendo aliquo superiore in locum mortui, & similibus?

25 ℟. Affirmatiuè ex illis verbis. *In quocumque, Generali, ac Prouinciali capitulo, conuentu, dicto, vel alio quouis nomine nuncupato capitulari*
26 *congressu.* Particulæ enim illæ *Quocumque*, & *Quouis*, sunt vniuersalissimæ comprehendentes quamlibet Congregationem, arg. eorum quæ habet Barbosa de hac dictione. *Quicunque distin. 317.* & de hac alia *Quiuis distin. 325.* Intellige, quando in eis interueniunt Generalis, seu Prouincialis, vnusquisque in suo, ea enim dicuntur capitula Generalia, & Prouincialia respectiuè.

Quæres 10. An hoc decretum legendum sit in mensa quorumdam clericorum viuentium in communi Refectorio, vt oblati Mediolanenses, clerici S.
27 Philippi Nerij? Videtur sic, ex illis verbis. *Vt omnes superiores cuiusuis ordinis, Congregationis Societatis etiam de necessitate exprimenda, Regularis, aut cuiusuis alterius instituti etiam quamtumuis exempti, & priuilegiati.* Nam hæc postrema verba indicant aliud institutum, præter Regulare propriè acceptum, ne dicamus contra iura, verba superfluere in hoc decreto.

Quæres 11. An superiores suo muneri satisfaciant per commonitionem sine formali lectione Decreti huiusmodi? Nam in Decreto id videtur clare dici illis verbis. *Suos subditos, ac religiosos commonere de iniuncta omnibus obseruantia & executione earumdem* &c. nulla facta mentione lectionis. Et hoc idem videtur colligi in fine eiusdem Decreti illis verbis. *Et affixa conseruentur, itaut ab eisdem subditis religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant.* Ergo lectio spectat ad subdito, commonitios ad superiores. Deinde si Papa voluisse lectionem per superiores, id expressisset, vt se declarauit in aliis decretis in mensa legendis per regulares. Quare sufficiet superiori publicè dicere suis subditis. Mementote, vos teneri obseruare constitutiones, quæ spectant ad sanctum officium Inquisitionis. Hæc habet probabiliter quidam P. Iesuita meus Amicus; reuera sistendo in verbis materialibus bene concludit, sed quoniam non legis verba, sed mens legislatoris attendenda est, quæ & ex praxi, atque obseruantia colligitur.

℟. Superior non satisfacit per illam commonitionem, vt ita dicam in actu signato, sed cum effectu debet commonere, itaut subditi per illam instruantur, & edoceantur, ergo per lectionem formalem. Confirmatur id, Tum quia praxis, & consuetudo, quæ est optima legum interpres, satis dat intelligere, per introductam lectionem, hoc idem importare verbum illud *Commonere.* Tum quia, in decreto superius allato *sub n. 12.* fit mentio de publicatione harum Bullarum, quæ fieri non contingit nisi per publicam lectionem. Tum quia, finis Summi Pontificis per hanc commonitionem est, vt religiosi deueniant in cognitionem huiusmodi constitutionum ministerio sui superioris, per illam simplicem commonitionem venire non possunt, ergo per illam commonitionem Papa intelligit formalem lectionem. Demum in hoc Decreto compendiose registratur substantia singularum constitutionum huius materiæ ad effectum, vt scientificè, & doctrinaliter subditi commoneantur, quod fieri non potest sine formali lectione huius Decreti, ergo commonitio consistit in lectione, 28

Quæres 12. An impedientes ne legantur huiusmodi decreta sint suspecti de hæresi, & pro fautoribus hereticorum sint habendi?

℟. Sic, quia impedientes illorum lectionem duo efficiunt fauore hæresis, vnum est, quia fideles remanent immemores eorum, quæ spectant ad tuendam fidem, alterum facit pro hæreticis, vt liberius suos errores seminare valeant, dum sciant pœnis Bullarum huiusmodi puniri non posse, cum illæ publicatæ, neque receptæ fuerint in illorum sententia. Confirmatur, quia quis non solum dicitur fautor hæreticorum committendo aliquid fauore hæretici, sed etiam omittendo aliquid, quo fidei præiudicatur, & hæretico fauor præstatur, vt in casu præsenti omittendo publicationem Bullarum Sanctæ Inquisitionis. Vide Carenam *par. 2. tit. 4. §. 1.* per totum, & quæ dico *c. 12. n. 35. & 36.*

Quæres 13. Quid contineant Bullæ Gregorij, & 29
Vrbani felicis recordat. circa viuę vocis oracula. Quid illud sit docui *resol. 31.* vbi has duas Bullas cum suis dubitationibus resolui. Vide ibi, ne idem bis repetam. Summus autem Pontifex dictas Bullas Oraculorum reuocatorias reposuit inter Bullas spectantes ad Sanctum Officium, vt omnes Christi fideles, præsertim Regulares, quibus olim familiaria erant, scirent, se illis amplius vti non posse, maximè, quæ concernunt tribunal Sanctæ Inquisitionis.

Quare audiendi non sunt, qui postea scripserunt de huiusmodi Oraculis, ac si adhuc vigerent, cuiusmodi
sunt *Compend. Rodr. resol. 117.* Portellus *ver. Viuæ vocis* 30
oracula, nihil dicentes de huiusmodi reuocationibus, Idem Portellus *tom. 1. Respons. par. 3. casu vltimo* asserit Vrbanum VIII. die 19. Aprilis 1624. ea confirmasse Societati Iesu sine vlla limitatione ac proindè prodesse cœteris religiosis; qui in calce *tom. 2.* melius, & attentius rem inspiciens, antea enim cito crediderat, concludit, nouam reualidationem illorum non probari, ac proindè nullatenus aliquam vim habere. Et ita tenendum est, maximè in causis fidei.

CAPVT

CAPVT XXIX.

De Offendentibus S. Officium.

SVMMARIVM.

1 *Bulla* Si de protegendis.
2 *Strictè interpretanda.*
3 *Omnes laicos comprehendit.*
4 Quicumque *latius verbo* Qui,
5 *Imperator, & Reges non comprehenduntur,*
6 *Ecclesiastici omnes.*
7 Regularis *communis etiam monialibus.*
8 *Cardinales non comprehenduntur.*
9 *Quæ persona, & res protegantur per Bullam.*
10 *Quas conditiones requirat in offendentibus.*
11 *In dubio an quis præsumatur offendisse intuitu officij.*
12 *Actiones prohibitæ numerantur.*
13 *Verberare.*
14 *Metus leuis non consideratur à iure.*
15 *Metus grauis qualis.*
16 *Metus verbis, & factis incutitur.*
17 *Deiicere.*
18 *Expugnare.*
19 *Inuadere, & occupare.*
20 *Expilare.*
21 *Diripere.*
22 *Interuertere.*
23 Quilibet *omnes comprehendit, & distribuit.*
24 *Auxilium, fauor, & consilium principaliter prohibetur.*
25 *Conatus item in actu.*
26 *Mandans reus est mandato etiam reuocato.*
27 *Non obuians actu positiuo.*
28 *Ratificans non est reus.*
29 *Probationes claræ dicuntur.*
30 *Euidentia facti, testibus, & coniecturis.*
31 Testem in causis fidei.
32 *Pœna contra reos huius Bullæ.*
33 *Excommunicatio reseruata.*
34 *Suspecti sunt vehementer.*
35 *Torquentur super negatiua, & intentione.*
36 *Pœna extraordinaria.*

SAnctissimus Dominus noster Pius Papa V. maximè affectus in propagatione, & conseruatione Sanctæ Fidei contra hæreticam prauitatem, & eas personas, quæ audent offendere statum, res, & personas Sancti Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis, edidit constitutionem sequentis tenoris.

1 *Si de protegendis cæteris omnibus Ecclesiæ Ministris, quos in fidem, & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto maiore studio eam nos solicitudinem capescere necesse est, vt qui in Sacro Inquisitionis hæreticæ prauitatis officio versantur, sub tutela inuiolatæ auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur? Cum igitur eius generis impiorum ius quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subuertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eos iam nos detrusit necessitas, vt nefariam, & scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus.*

Hac igitur generali constitutione de Fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque siuè cuncta ciuitas, siuè populus, siuè Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemquam ex Inquisitoribus *Aduocatis, Procuratoribus Notariis, aliisque Ministris prædicti officij, vel* Episcoporum *id munus in sua diœcesi aut prouincia obeuntium; seu accusatorem, denuntiatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum.*

Occiderit, Verberauerit, Deiecerit, seu Perterrefecerit; quine Ecclesias, Aedes aliasue res, siuè publicas, siuè priuatas officij, seu ministrorum Expugnauerit, Inuaserit, In*tenderit, Expilauerit, aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliaue instrumenta, siuè publica, siuè priuata vbicumque posita Combusserit, Diripuerit, seu* Interuerterit*; seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumque modo illa exportauerit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, siuè capiendi, siuè comburendi, siuè supprimendi causa fuerit, siuè res, aut personas seruari, defendiue, prohibuerit.*

Quique carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu priuatam effregerit, vinctam extraxerit, seu emiserit; capiendum prohibuerit, captumue eripuerit receperit, occulerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri; qui cœtum, concursumue fecerit; siuè vt aliquid prædictorum fieret homines accommodauerit; siuè aliàs auxilium, consilium, aut fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit.

Licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumue, nullum denique damnum re ipsa sit secutum.

Nihilominus is sit anathematis præsentis canonis auctoritate ligatus. Idem *quoque læsæ maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, aut quocumque alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipso priuatus, secularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exiget, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur. Bonis rebus omnibus Fisci iuribus applicatis, vti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum.* Eius *filij paterna infamia, subiecti; omnis, & cuiuscumque hæreditatis, successionis, donationis, & legati, siuè propinquorum, siuè extraneorum omnino sint expertes.* Eisdem *præterea portæ pateant dignitatum numquam.*

Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum, & odium huius officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse.

Quod porrò de prædictis, eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus clericis & presbyteris secularibus, & quorumuis ordinum etiam exemptorum regularibus, & quacumque etiam Episcopali, *& maiori dignitate prædictis ac etiam priuilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum, ita ut ipsi beneficiis, & officiis omnibus* Ecclesiasticis, *præsentium auctoritate priuati, per iudicem* Ecclesiasticum *hæreticorum more degradentur, demum potestati seculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subiiciantur.*

Pontificum tamen causis nobis, & successoribus nostris reseruatis, vt re quæsita, & nobis renuntiata, contra eos ad depositionem, & alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur postulare.

Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se nouerint incidisse.

Verum si quis etiam huiusmodi criminum conscius, vel affinis, siue religionis studio, siue pœnitentia ductus rem adhuc incognitam retexit, supplicio liberatur.

Cœterum eam omnium, & quarumcumque absolutionum rationem à prædictis criminibus, nec non habilitationem, & restitutionem etiam ad famam, & honores ita deinceps habendam optamus, vt successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cuiusque assumptionem

ad huius dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum Officium Inquisitionis hic institutum verificatis concedant. Decernentes omnes, & quascumque huiusmodi absolutiones, habilitationes, & restitutiones, quæ precibus sic non verificatis, de cœtero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratia ex certa Romani Pontificis scientia, facta, & propria manu subsignata, vlla in parte derogari, nec derogatum censeri debere, & si illis ex quacumque causa aliter derogari contigerit, derogationes huiusmodi nullius prorsus roboris, & momenti.

Iubemus igitur vniuersos, &c. Datum 1569. Calendis Aprilis, publicatum 2. Maij eiusdem anni.

Pro intelligentia huius Bullæ, & resolutione quæstionum, quæ circa illam proponi possunt duo sunt præmittenda; vnum est, illam semper fuisse, & modo esse in viridi obseruantia quo ad censuram, & pœnas læsæ maiestatis, quando excessus sunt graues, & magni momenti, in aliis pœnæ mitigantur attentis circumstantiis delicti, & personarum tam offensarum,
2 quam offendentium. Alterum est, hanc Bullam, licet sit in fauorem Catholicæ fidei, & religionis Christianæ, quibus aliquid maius excogitari non potest, nihilominus esse odiosam, & in materia stricta, consequenter ex vulgatis iuribus, & esse pressè, propriè, & strictè intelligendam, & non esse faciendam in ea extensionem de persona ad personam, de delicto ad delictum, quæ in illa non exprimantur. Est enim hoc commune apud omnes, quod non fit extensio in pœnalibus à delicto ad delictum, neque à persona ex allegatis supra *cap.23.num.21.30.47.& 51.* & in terminis docet Catena *part.2.tit.13.n.5.*

Quæres 1. Quænam personæ seculares offendentes comprehendantur sub hac Bulla contra illas infligente excommunicationem, & pœnas contra reos criminis læsæ maiestatis?

3 ℞. Comprehenduntur omnes tam masculini, quam fœminini sexus ex illa dictione *Quicumque* quæ vtrique sexui communis est, *Rebuff. de pacis. possess. num. 3.* & si relatiuum *Qui* vti masculinum concipit fæmininum ex vulgatis iuribus, Barbosa *dict. 322. num. 3* à
4 fortiori dictio *Quicumque* quæ est amplior, & vniuersalior. Non solum autem sub hac Bulla comprehenduntur personæ priuatæ, sed etiam qualificatæ vt sunt comes, Marchio, Dux siue habeat titulum solius excellentiæ, siue serenitatis, immo & si potiore titulo sit illustris. Non solum personæ singulares, sed etiam ciuitas, oppidum, aut populus, seu collegium. Item Gubernator, Prætor, Iudex, & quæuis alia persona publica, ex Bonac. *disp. 2. q. 2. part. 13. num. 5.* Carena *part. 2. tit. 13. num. 84.*

Quæres 2. An comprehendantur Imperator, Reges, Proreges, Archiduces?

5 ℞. Imperator, nec Reges comprehenduntur, tum quia non exprimuntur, habent enim priuilegia, vt non subiiciantur legibus, nisi de illis fiat expressa mentio. Tum quia sub illis terminis non veniunt, nam ea clausula. *Vel potiore titulo illustris*, refertur ad ibi expressos. Comprehenduntur verò per dictam clausulam Archiduces, Magniduces, & Proreges.

Quæres 3. Quænam Personæ Ecclesiasticæ offendentes comprehendantur sub hac Bulla?

6 ℞. Omnes clerici seculares, Abbates, Episcopi. Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates, licet enim fiat mentio solum de Episcopis, tamen prædicti comprehenduntur sub illa clausula. *Et maiori dignitate præditis*, sub qua etiam veniunt electores imperatoris Ecclesiastici, sicut laici electores sub clausula *Vel potiori titulo illustris*. Religiosi omnes etiam officiales, & & Generales ordinum quorumcumque priuilegiatorum, quamuis aliàs non continerentur, sic dictante Bulla Vrbani VIII. iuxta quod dictum per nos fuit *cap. 27. q. 3. 6. & 7.* Etiam religiosi militares S. Ioannis Hierosolymitani. Moniales quoque sub hac Bulla comprehenduntur probabilius, quamuis æque etiam probabile sit non comprehendi, cum sermo in ea sit de clericis, religiosis, & Episcopis, quibus nominibus non veniunt moniales; dicas nihilominus comprehendi sub dictione, *Regularibus* communis 7
omnibus religiosis vtriusque sexus.

Quæres 4. An comprehendantur sub offendentibus etiam Cardinales?

℞. Negatiuè, quia non nominantur neque for- 8
maliter, neque virtualiter continentur sub illis verbis. *Et maiori dignitate præditis* quæ referuntur ad Archiepiscopos, &c. de quibus præcedenti quæstione. Habent enim priuilegia, quibus non comprehenduntur, nisi de illis fiat indiuidua mentio propriæ eorum dignitatis. Confirmatur, quia non est congruum, vt Cardinales, quæ sunt partes corporis politici Papæ, & quasi collegislatores comprehendantur sub lege, cui consiliarij fuerunt.

Quæres 5. Quænam personæ, seu res offensæ pro- 9
tegantur sub hac Bulla?

℞. Personæ, quæ nominantur in hac Bulla sunt sequentes, 1. Inquisitores, 2. Aduocati, 3. Procuratores, 4. Notarij, 5. Ministri alij S. Officij, sub qua clausula veniunt Consultores, Familiares, Vicarij, Custodes carcerum. 6. Episcopi in sua diœcesi. 7. Accusatores. 8. Denuntiatores. 9. Testes in causis fidei. 10. Birruarij. Qui offendunt vnam, vel plures ex dictis personis, quæ pro S. Officio laborant incurrunt e. communicationem, & pœnas criminis læsæ maiestatis.

Res verò, quæ possunt offendi sunt Ecclesiæ ædes, & aliæ res siue priuatæ, siue publicæ S. Officij, aut ministrorum eius, vti sunt libri, literæ, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturæ, & alia instrumenta publica, seu priuata.

Quæres 6. Quæ conditiones requirantur ex parte offendentium, & offensorum, vt pœnæ huius Bullæ incurrantur.

℞. Ex parte offendentis necessarium est, vt offen- 10
dat in odium, & contemptum sancti Officij, hoc est, intuitu sancti officij, non ex odio priuato alia ex causa concepto, Ex parte offensi requiritur, quod actu sit minister sancti Officij, aut saltem si amplius non est officialis, quod offensus fuerit ex aliqua causa eiusdem officij.

Prima pars, quod offensa oriatur ex causa sancti Officij, probatur. Tum quia id expressè dicitur in Bulla illis verbis. *Qui tantum nefas in contemptum, & odium huius officij admiserit.* Tum quia, hoc idem specificatur de Episcopis ibi: *Id munus in sua diœcesi*, & de testibus ibidem. *Aut testem in causa fidei.* Tum quia, Papa per suam Bullam intendit protegere officium sanctæ fidei, & respectu illius personam eius ministrum; sed persona offensa non spectatur vt minister sancti Officij, quando offensio aliunde causata fuit quam intuitu seruitij præstiti sancto officio. Quare offendens ministrum sancti Officij ex priuato odio, & ex alia causa huius Bullæ reus est. Ita Carena *part. 2. tit. 13. num. 23.*

Secunda pars, quod offensus debeat esse minister actu, probatur. Tum quia, verba formaliter accipienda sunt, & non per accidens, vt dixit Caiet. *excom. c. 1.* ad finem Nau. *consil. 23. de sent. excom. num. 9.* Megal. *part. 3. lib. 3. cap. 1. n. 26.* Tum quia, qualitas adiecta verbo intelligitur iuxta tempus verbi, *l. in delictis*, *§. Si detracta, ff. de noxal.* Barb. *axiom. 196. num. 6.* Tum ex dictis mox de Episcopo, & teste, qui in Bulla spectantur vt actu tales, & in officio. Ita Carena

part. 2.

part.2.tit.13.n.16. concludens, eum, qui iam fuit minister, & non amplius est, non gaudere priuilegio huius Bullæ.

Tertia pars, quod Minister gaudeat hac protectione, quando functo officio, offenditur intuitu officij, probatur. Tum quia, hæc offensa est in odium sancti officij, cum ex beneficio præstito illi offendens moueatur ad offensam, ergo offenditur illa persona sub ratione ministerij. Tum quia, protectio semper respicit personam, quamuis aliquando dirigatur ad rem ipsius personæ, offensa autem iniuriosa fuit officio, ergo corrigenda est fauore vtriusque per huiusmodi Bullam.

Quæres 7. Pro quo præsumendum est, quando dubitatur, an offensa illata fuerit contemplatione, & intuitu sancti Officij, an ex odio priuato, & alio interesse?

11 ℞. Quando offendens, vel ei consanguineus, seu affinis fuit in sancto officio querelatus, vel punitus ex causa offensi, tunc offensa præsumitur facta intuitu sancti Officij. Non verò quando nihil horum præcessit, quia in hoc casu nulla ratio suadet huiusmodi præsumptionem, sicut in primo casu, & taliter præsumptus deliquisse in odium sancti officij non potest se tueri nisi per claras probationes. Vide Carenam *par.2. tit.13. num.25.* qui *num.* 28. subdit Inquisitorem prætendentem punire offendentem Ministrum sancti Officij in eius odium, teneri probare in secundo casu hanc qualitatem secundum doctrinam Abbatis, Butr. Felin. & aliorum *in cap. Si clericus. de foro compet.* sufficeret autem probare per coniecturas ex Farin. *de crim. læsæ maiest. quæstio.* 112. *num.* 154.

Quæres 8. Per quasnam actiones offenduntur S.Officium, & eius ministri, & Officiales?

12 ℞. Numerantur viginti quinque actiones, quarum, 1. Est occidere, 2. Verberare, 3. Perterrefacere, 5. Deiicere Inquisitores, Aduocatos, Procuratores, Notarios, & alios ministros tam Inquisitoris, quam Episcopi obeuntis id munus, item accusatorem, denuntiatorem, aut testem. 5. Expugnare, 6. Inuadere, 7. Incendere, 8. Expoliare, 9. Diripere, 10. Interuertere Ecclesias, ædes, aliasue res siue publicas, siue priuatas officij, seu ministrorum, 11. Exportare illa. 12. Prohibere ne personæ, aut res seruari, aut defendi possint. 13. Esse causa comburendi, & capiendi prædicta. 14. Effringere carcerem etiam priuatum. 15. Extrahere carceratum. 16. emittere carceratum. 17. prohiberecapiendum. 18. Captum eripere. 19. Recipere. 20. Occulere. 21. Dare facultatem effugiendi. 22. Iubere fugam 23. facere cœtum, & concursum. 24. Accommodare homines ad quoduis prædictorum. 25. Demum scienter præstare auxilium consilium, & fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum. De singulis pro eorum intelligentia aliquid dicendum est.

Primò, actio occisionis de se nota est, adeo quod alia declaratione non indiget, & est principalis, respectu cuius pœnæ locum habent, & non parcitur vlli, cum pœnæ inflictæ in hac Bulla commensurentur tam graui delicto.

13 Secundò, verberare quamuis ex primæua significatione importet fuste, seu baculo aliquem percutere secundum Grammaticos, tamen legaliter loquendo verberare dicitur ille, qui non solũ instrumento seiuncto percutit, vulnerat, & mutilat, sed etiam pugnis, manu, pedibus, aut genibus conculcat, vel dentibus lacerat, mordet, is enim omnibus actionibus verberatur aliquis modò grauis sit læsio.

Tertiò, perterrefacere significat metum incutere, & quidem grauem, atque cadentem in constantem virum, quia in iure nulla habetur ratio leuis metus, *l. Nec timorem ff. de eo quod metus*, Bonif. Clem. 1. 14
de foro compet. n. 3. Sanch. *lib.* 4. *disp.* 17. §. 2. & *lib.* 10. *disp.* 18. *num.* 10. Lupus *part.* 2. *de casib. Bergomi casu* 7. *part.* 2. §. 1. *num.* 2. Vt autem metus dicatur cadere in constantem virum quinque requirit. Sanch. *l.4. disp.7. n.10.* Primò, quod sit grauis. Secundò, quod probabiliter immineat. Tertiò, quod perterrefaciens sit potens executioni mandare malum, quod comminatus fuit. Quartò, quod perterrefaciens sit solitus exequi minas, & non iactatur, Quintò, demum perterrefactus non possit facilè occurrere malo. Procedit hoc, siue metus verbis, siue factis incuciatur, nam à verbis, vt plurimum ortum habet. 16
15
Contrarium tenet Carena *par.2. tit.13. n.65.* asserens Bullam hanc loqui solum de perterrefactione facta factis, non autem solis verbis, probando per ea, quæ tradit Alterius ad *can.* 13. Bullæ Cœnæ, dum distinguit, quod perterrefacere est metum factis inferre, comminari verò est tantum verbis metum incutere; hæc differentia ibi bene quadrat ad euitandam superfluitatem in verbis legis, quæ ratio cum hic non sit necessaria, ideo verbum perterrefacere vtrumque significat, immò primo timor incipit à verbis, & quandoque illa sufficiunt ad metum grauem. Idem Carena *n.66.* dicit perterrefacientem testem effectu non secuto non incurrere pœnas, quia particula *per* importat consumationem facti, & quia hæc actio non exprimitur in ea clausula. *Licet nemo occisus, &c.* Vide Diana *p.4. tr.7. resol.13.*

Quartò, deiicere significat ministrum, seu officialem è suo loco, & officio expellere, & deturbare procurando, quod priuatus sit suo munere. *c. Clerici 4. de excessib. prælat.* ibi: *Et si clerici fuerint deiiciantur à clero* facit Cicer. dictum in orat. *Nos sæpè aduersarios nostros de statu omni deiecimus.* Ita docet Bonac. *disp.2. de censur. in partic. q.2. p.13. n.3.* Procedit non solum si deiiciatur ab officio, quod habet à S.Inquisitione, sed etiam à quolibet alio etiam non dependente à S.Officio, deiectio enim non specificat officium, à quo expellitur. 17

Notandum est, quod supradictæ quatuor actiones locum habent, siue perpetrentur antequam supradicti officiales operentur fauore S. Officij, siue post, quia sub vtroque casu semper sunt officiales formales. Quare occidens, verberans, deiiciens, seu perterrefaciens eum, qui vult denuntiare, testificari, inquirere, &c. reus est huius Bullæ, sicut ille, qui post factum dictas actiones perpetrat. Quia offendit non solum personam, sed etiam sanctum Officium, quod grauius est crimen, quam post factum denuntiatorem offendere.

Quintò expugnare Ecclesias, ædes, & res alias tam S.Officij, quam proprias illius ministrorum, & officialium, quod significat per vim capere aliquid ex supradictis rebus. 18

Sextò, inuadere prædicta significat illa occupare, & apprehendere, & licet inuadere referatur ad immobilia, & occupare ad mobilia, tamen vt plurimum confunduntur Gl. *verb. occupare capite. Generali* 13. *de elect. in* 6. potest igitur inuasio referri ad Ecclesias, ædes, & agros, expugnareverò ad mobilia. 19

Septimò, incendere hoc est, igne res insumere, & comburere, satis notum est vocabulum.

Octauò, expilare est spoliare, & deprędari aliena diripiendo, vt contingit in exercitu, iuxta illud Cicer. 2. *Offic. Expilatio, direptioque sociorum.* 20

Nonò, Diripere significat per vim rapere, seu in diuersas partes rapere. Legunt aliqui dirumpere, hoc est, effringere, & lacerare libros, scripturas, &c. 21

Numquid fur exemptus est? subiicitur, quia clarum est offendere sanctum officium. 22

Decimò interuertere significat auferre cum astutia, & callide surripere, quod plerumque fit, inquit Calepinus hic, cum rem commodatam aut creditam nobis indicamus, doloque ne domino restituatur efficimus.

Vndecimò, exportare illas res ex incendio, aut direptione, vel quouis alio modo, vbicumque sint posita, tollere, & aliò portare.

Duodecimò omnes illi, qui causa sunt, vt res in conflagratione, expugnatione, aut direptione? capiantur, siue comburantur, vel supprimantur, idest, abscondantur ab alijs. *Inermis.* idest etiam ille, qui facto non potest defendere, modò possit verbis.

Decimotertiò, omnes illi, qui prohibuerint seruari, aut defendi res, & personas S. Officij.

Decimoquartò, frangens carcerem, seu alium locum datum pro carcere reo, subintelligitur etiam aperiens clauibus adulterinis, aut subreptis custodi, vel alteri.

Decimoquintò, extrahere carceratum, siue extractio significet violentiam ex parte officialis, & custodis carceris, seu alterius, aut etiam ex parte vincti, si nollet exire.

Decimosextò, emittere carceratum refertur propriè ad eos, in cuius potestate sunt claues carceris, seu ipse vinctus.

Decimoseptimò, prohibens, quicumque ille sit, capi reum huius tribunalis.

Decimooctauò, erigens de manibus captoris captum, aut illum recipiens, occultans, seu dans facultatem fugiendi reus est huius Bullæ.

Decimononò, recipiens in domo captum ereptum de manibus birruariorum.

Vigesimò, occulere captum ereptum de manibus satellitum significat illum abscondere, ne iterum capiatur.

Vigesimo primò, dare facultatem effugiendi è manibus illorum.

Vigesimo secundò, præcipere fugam iubendo satellitibus, vt captum dimittant.

Vigesimo tertiò, congregare plures homines ad effectum eripiendi captum de manibus birruariorum, idem enim significat vox illa *cœtum c.* 1. *dist.* 15. gl. *in c. Dominus* 86. 1. q. 1. Concursus autem est plurium hominum cursus in vnum conuenientes, vt eripiant captum.

Vigesimo quartò, accommodare homines alicui volenti eripere captum.

Vigesimo quinto, demum rei sunt huius Bullæ præstantes publicè, vel occultè auxilium, consilium, aut fauorem in quolibet prædictorum. Præstantia autem duo requirit, præsumptionem, & scientiam, quod agatur contra Sanctum Officium, seu illius ministros, & quod captus sit reus Sancti Officij. Præsumptio autem, & scientia censetur esse, quando carceratus est in carceribus peculiaribus Sancti Officij, aut captus tenetur per speciales satellites eiusdem Officij. Quod si carceratus sit in vinculis curiæ Episcopalis, aut laicalis, vel captus sit in manibus personarum alterius forisquam Inquisitoris, non censetur prædicta præstare scienter, & temeratiè. Præstantia autem hæc locum habet respectu supradictarum viginti quatuor actionum prohibitarum, vt colligitur ex clausula: *In quolibet prædictorum* terminus enim, *quilibet*, vniuersalis est comprehendens omnes actiones supranominatas, *ex l. cum quid. ff. si certum per.* Menoch. *consil.* 33. *n.* 21. Decius *consil.* 619. *n.* 2. & hoc efficit distributiuè, Natta *consil.* 675. *n.* 27. Paris. *l.* 2. *consil.* 49. *n.* 3. Surd. *consil.* 549. *n.* 5.

Quæres 9. An hæc præstantia auxilij, consilij, & fauoris hic principaliter prohibeatur, ita quod statim inducat pœnas, licet nulla facta sit verberatio, incendium, ereptio, &c.

℞. Affirmatiuè, vt expresè colligitur ex sequentibus verbis. *Licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, &c.* ex auxilio, consilio, aut fauore datis. Ita docet Bonac. *disp.* 2. *q.* 2. *puncto* 13. *n.* 4. 24

Quæres 10. Qualis debeat esse effectus, seu conatus ex quibus tamquam actibus imperfectis non sequuntur supradictæ actiones prohibitæ?

℞. Conatus huiusmodi debet esse aliquis actus exterior, & proximus delicto, neque enim leges puniunt voluntatem male agendi, sed actum exteriorem prauæ voluntatis effectum, quo immediatè attingitur delictum prohibitum. Confirmatur id, quia agitur de re odiosa, ac proindè restringenda. 25

Quæres 11. An mandans vnam ex dictis actionibus prohibitis, sit reus huius Bullæ?

℞. Affirmatiuè, ex illis verbis. *Siuè supprimendi causa fuerit.* Item Ibi: *Seu iusserit id fieri.* Et procedit, licet mandatum reuocauerit, quia hic principaliter prohibetur mandatum ad supradicta, vt dictum fuit *sub quæst.* 9. Nec allata à Carena *part.* 2. *tit.* 13. *num.* 59. asserente mandantem non affici excommunicatione, quando reuocauit mandatum aliqua ratione notum mandatario, ea ducto ratione, quod hæc Bulla est tantum accessoriè contra mandantes. Nam id falsum est ex citatis clausulis, & alia *sub quæst.* 9. allata. Nec obstat, quod diximus præcedente quæstione, & obijcit Carena, nimirum hic puniri non quemlibet affectum, & conatum, sed proximum delicto tantum, quia mandatum non est affectus, nec conatus, sed factum ratione sui prohibitum in ea Bulla. 26

Quæres 12. An non obuians supradictis actionibus prohibitis, cum possit, fiat reus Bullæ nostræ?

℞. Non obuians se habendo mere negatiuè, idest, non influendo physicè neque moraliter huius Bullæ reus non est, quia in ea prohibentur actus merè positiui, vt occidere, verberare, præstare auxilium, &c. Non obuians verò per actum positiuum, e. g. abscondendo arma ministro Ecclesiæ, qui non possit se defendere, incurrit pœnas, quia actione positiua hic prohibita offendit ministrum. Ita Carena *part.* 2. *tit.* 13. *num.* 35. 27

Quæres 13. An ratum habens aliquam ex prædictis actionibus prohibitis sit reus? Ratificatio est approbatio alicuius gesti per tertium facti meo nomine. De Ratificatione multa dixi *contr.* 32.

℞. Non est reus, quia, ne verbum quidem de hac actione in Bulla. Et licet in iure Ratihabitio comparetur mandato, non tamen est mandatum, nisi quo ad fictionem iuris, secundum Duardum *l.* 2. *Bullæ Can.* 9. *q.* 7. *n.* 8. *&* 9. Confirmatur quia in odiosis loquentibus de mandantibus locum non habet ratificatio, Ita Carena *par.* 2. *tit.* 13. *n.* 42. 28

Quæres 14. Quid sint claræ probationes requisitæ in Bulla in eo, qui vult se expurgare non peccasse in Bullam?

℞. Ille censetur se expurgare per claras probationes, qui se innocentem probat non solum per euidentiam facti, aut per idoneos testes, quæ sunt duo genera probationum potissima, & clarissima secundum Mascard. *de probat. q.* 4. Prælud. *num.* 5. verum etiam per præsumptiones, & coniecturas non solum iuris, sed etiam hominis, modo non sint leues. Istæ enim probationes per coniecturas iuris, aut hominis tantum sunt verè, & propriè probationes, vt docuerunt de probatione per coniecturas iuris Menoch. *l.* 1. *Præsumpt. q.* 36. *n.* 10. & alij omnes; atque hominis, Bald. *in Addit. ad Specul. tit. de præsumpt.* §. *Species* Berous *in Rubr. de probat. n.* 42. Merenda *l.* 5. *de controu. iuris c.* 29. *n.* 11. Ita in terminis Carena *part.* 23. *titul.* 13. *n.* 29. 29 30

Quæres 15.

Quæres 15. An offendens aliquem testem Sancti Officij, sed non in causa hæresis sit reus huius Bullæ? Ratio dubitandi est, quia in textu Bullæ habentur hæc verba. *Aut testem in causa fidei quomodolibet productum, vel euocatum.* Aliquando enim testes deponunt de casibus, quæ non sunt fidei, sed tantum circa suspicionem fidei. Interdum examinantur testes fauore rei, qui probatur non esse hæreticum.

31 ℞. Hæc clausula, *in causa fidei*, respicit testificationem non solum circa delictum hæresis formalis, sed etiam circa delictum inducens suspicionem hæresis, vel quodcumque aliud spectans ad vnum illorum, ex quo bene dicitur testificari in causa fidei, quia non solum hæresis, sed eiusdem suspicio, & quodcumque aliud contrarium opponitur Sanctæ fidei, ex quo dicitur tractari causa fidei. Et Zanardo tradit Carena *p. 2. tit. 13. n. 67.*

Quæres 16. Quibus pœnis hæc Bulla afficiat offendentes Sanctum officium?

32 ℞. Prima est excommunicatio latæ sententiæ. Secunda est incursio pœnarum criminis læsæ maiestatis. Tertia est confiscatio omnium bonorum. Quarta, filij horum sunt infames sicut eorum patres. Quinta ijdem filij sunt incapaces cuiuscumque hæreditatis, successionis, donationis, aut legati à quocumque sibi factorum. Sexta perpetuo inhabiles ad dignitatem tam patres, quam filij. Huiusmodi autem grauioribus pœnis non puniuntur pro qualibet ex dictis actionibus prohibitis delinquentes, sed tantum, quando læditur Inquisitor, vel quiuis alius minister occiditur. Et in his casibus solent Inquisitores consulere supremum tribunal Vide Dianam *part. 4. tract. 7. resolut. 13. §. Non desinam.* Supradictæ pœnæ incurruntur etiam per Ecclesiasticos tam Seculares, quam Regulares, qui degradati, si id grauitas, seu enormitas delicti exegerit, traduntur curiæ seculari.

Quæres 17. An excommunicatio sit reseruata? Negant Na. Viuald. Filliuc. & Bonac. *disp. 2. q. 2. de cens. part. 13.* quia in Bulla ne verbum quidem de reseruatione. Affirmant Sairus, & Scortia, quos sequitur Carena *p. 2. tit. 13. n. 103.* cum quibus.

33 ℞. Est reseruata, quod expressè probatur per ea verba. *Cæterum eam omnium, & quarumcumque absolutionum rationem à prædictis criminibus nec non habilitationum, & restitutionem etiam ad famam, &c.* Quæ & si magis referantur ad cœteras pœnas propter illam dilationem, nihilominus intelligenda sunt quoque respectu excommunicationis, licet non patiatur dilationem absolutionis in excommunicato pœnitente.

Quæres 18. An huius Bullæ violatores sint suspecti de hæresi, & qualiter? Discrepant doctores, aliis negantibus, nonnullis affirmantibus, de quibus Diana *p. 4. tract. 7. resol. 13. ad finem.*

34 ℞. Sunt suspecti vehementer, quia isti *ex cap. Vt inquisitionis 18. de hæret. in 6.* extremis verbis, excommunicati persistentes in ea per annum velut hæretici condemnantur non tam ob pertinaciam in excommunicatione, quam propter offensam Sancti Officij, ergò censentur vehementer suspecti de hæresi, non enim præsumptio violenta immediatè oritur ex leui, licet ab ea incipere possit, sed à vehementi. Ita Eimer. *part. 2. Direct. quæst. 56.* Notat Pegna ibidem, & ex eo Farin. *quæst. 182. num. 70.* pro qualitate huius suspicionis considerandas esse circumstantias personæ offendentis, quo fine, in odiumne Sancti Officij, an amore consanguineorum, & odio speciali in personam offensam ex alio motiuo, quam quod est minister, vel officialis Sanctæ Inquisitionis. Iuxta ergo qualitatem suspicionis cogatur abiurare.

Quæres 19. Quomodo violatores huius Bullæ torqueantur?

℞. Si negent, se quemquam offendisse contra Bullam, delicto semiplene probato, torquendi sunt pro veritate eruenda, vt fit in aliis criminibus. Tormentis quoque subijciendi sunt super intentione quando suspecti sunt, interrogando eos, quid sentiant de Sancto Officio, & eius ministris, atque rebus, liceat ne perturbare illud, & offendere, &c. 35

Quæres 20. Quibus pœnis extraordinariis puniri possint offendentes in causis Sancti Officij?

℞. Sequentibus pœnis, nimirum pecuniariis, carceris, triremium, exilio, & aliis similibus iuxta grauitatem delicti, & conditionem personæ. 36

Quæres 21. An lacerare, remouere, aut deturpare, seu comburere Edictum S. Inquisitionis affixum in locis solitis sit casus comprehensus sub hac Bulla?

℞. Negatiuè, quia in Bulla fit mentio de interuertentibus, diripientibus, seu comburentibus res, quæ actu sunt sub potestate Inquisitoris; folia autem Edicti affixa non amplius sunt sub manibus Inquisitoris. Quare neque illa lacerantes sunt rei huius Bullæ, ideo contra istos Inquisitor comminatur excommunicationem. 37

Quæres 22. An iniurians officialem dicendo illi, v.g. Spione, vel quid simile sit reus Bullæ?

℞. Negatiuè, quia actiones in ea prohibitæ de quibus *sub num. 52.* habent pro obiecto res corporales, & materiales, non opus linguæ. Confirmatur, quia in Bulla nulla fit mentio, de iniuriis, ergo Bulla cum sit odiosa, extendenda non est ad non expressa, Nihilominus Inquisitor procedere potest, immo, & debet contra huiusmodi iniuriantes illos seuere puniendo, vt exemplo similium punitorum cæteri animentur ad propalandos hæreticos, vel alios de hæresi suspectos. 38

CAPVT XXX.

De edictis Inquisitorum.

SVMMARIVM.

1 *Edictum quid sit?*
2 *Edictum supremi tribunalis non est perpetuum.*
3 *Edictum* Inquisitoris *Parmæ.*
4 *Edicta sunt perpetua.*
3 *Edictum idem est quod statutum.*
6 *Spatium duodecim dierum quomodo computandum.*
7 *Apponitur ad solicitandum, non terminandum.*
8 *Hæresis nunquam præscribitur.*
9 *Vtique alia delicta.*
10 *Emendatus post quinquennium quis præsumitur.*
11 Maximè *idest, tantum.*
12 *Quinam denuntiare teneantur.*
13 *Imperator, Reges. & Cardinales non tenentur.*
14 *Aduenæ non subduntur.*
15 *Superstitiones sine abusu sacrorum non denuntiantur.*
16 *Denuntians Vicario Generali satisfacit.*
17 *Excommunicatio afficit tantum non denuntiantes.*
18 *Regulares tenentur publicare Edicta.*
19 *Absoluit nemo ab ea excommunicatione.*
20 *Neque superior suos religiosos.*
21 *Quid sit tempus gratiæ.*
22 Infra *quid importet?*
23 *Sponte comparare quid sit?*
24 *Capaces huius gratiæ.*
25 *Quomodo recipiatur confessio comparentis.*
26 *Sponte comparens extra tempus quomodo tractandus.*

27 *Confessio redigitur in scriptis.*
28 *Præsertim solicitatio.*
29 *Hæretici comparentes abiurant, non suspecti.*
30 *Comparens, postea nolens confiteri cogitur.*
31 *Lacerare Edictum, & illud remouere idem.*
32 *Episcopi non affigunt edicta.*

1 EDicti nomen significat id, quo aliquid Imperatur, vt dixit Cicer. pro Quint. *Quod prætor non fieri, sed ex Edicto suo fieri iubet* & potissimum pro præmonitione eorum, quæ facienda sunt, secundum Plautum in Truc. *Edico prius, ne duplices habeatis linguas.* Vtrumque facit ad rem siuè sumatur pro præcepto, siuè imperio, aut pro præmonitione, qua Inquisitores admonent fideles de obligatione quam habent denuntiandi hæreticos, vel de hæresi suspectos.

Emanauit à Sacra Congregatione Supremi Tribunalis Sanctæ Inquisitionis præceptum de hæreticis, seu de hæresi suspectis Sancto Officio propalandis sub die 3. Ianuarij 1623. tenoris sequentis.

2 *Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus vtriusque sexus, cuiusuis, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, & quacumque dignitate, & auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum serie, & tenore, auctoritate nostra, & huiusmodi nostri Officij, qua fungimur in hac parte, præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies, proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint; debeant nobis, vel Reuerendo Commissario nostro, quo ad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicariis Generalibus sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, iudicialiter propalare, cuius excommunicationis maioris absolutionem S D. N. Papæ, & nobis reseruamus, certificantes huiusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes, quod contra ipsos tamquam contra hæreticorum fautores, aliàs prout melius visum, & iudicatum fuerit procedetur, ideo &c. Datum in nostra, & Officij Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Congregatione die 3. Ianuarij 1623.*

Peirinus *tom. 2. ad constit. 9. Pauli V. num. 27.* vbi hoc præceptum extendit, & ex ipso Trimar. *disp. 4. de solicitat. num. 23.* docent hanc dispositionem licet expressam sub nomine præcepti esse perpetuam. Tum quia; præceptum, & statutum, seu Decretum in iure pro eodem accipiuntur, sed Decretum perpetuo durat, ergo & præceptum. Tum quia, nullum apparet signum cur non debeat dici perpetuum. Tum quia, vbique locorum omnes obligat. Sed hæc non obstant. Puto esse præceptum transitorium vrgenti occasione tunc illis Patribus nota promulgatum tanquam quoddam monitorium, cui censetur satisfactum pro eo tempore. Nec vrgent in contrarium adducta, & quoad primum argumentum respondeo esse præceptum monitoriale, quod cessauit pro eo tempore instar aliorum præceptorum pro negotio occurrente. Ad secundum nullum video signum perpetuitatis neque in modo præcipiendi, nam illa verba. *Auctoritate nostra, & nostri Officij* non arguunt perpetuitatem, sed indifferentia sunt, cum quilibet disponens in agendo sua vtatur auctoritate, & potestate, siuè præcipiat ad tempus, & transitoriè, siuè vti legislator perpetuum Decretum, seu legem decernat; neque in pœna ferenda, quæ licet sit reseruata, non ideo habet perpetuitatem, sed designat à quo sit tollenda; neque ex eo quod omnes ligat, infertur perpetuitas, id enim indicat amplitudinem iurisdictionis præcipientis; ex quibus patet ad tertium, superiorem sub sua sphæra imperij comprehendere omnes subditos, sed omnes Christi fideles vbique terrarum sunt subditi tribunali supremo Sanctæ Inquisitionis, siuè ergo præcipiatur pluribus, siuè omnibus non inde colligitur perpetuitas præcepti, sed quousque se extendat potestas imperantis. Demum si hoc præceptum non esset transitorium, sed perpetuum sequeretur absurdum, Inquisitores perperam sibi reseruare excommunicationem in suis edictis contra non denuntiantes hæreticos, & de hæresi suspectos. Tum quia; soli Papæ, aut supremo tribunali reseruata est. Tum quia, non videtur congruum, quod pro eadem re inferior imponat eandem pœnam, quam apposuit superior pro eodem delicto, vt accideret in casu nostro. Demum in aliis Decretis, & ordinationibus perpetuis concurrit semper Summus Pontifex approbans determinata in Congregatione supremi Tribunalis, vt videre est, in Decretis de Immaculata Conceptione B. M. V. sine peccato originali sub Paulo V. & Gregorio XV. de cultu, & veneratione eorum hominum, qui cum martyrij fama, aut opinione Sanctitatis, non adhibendis, &c. In hoc autem præcepto ne verbum quidem de Sanctissimo Gregorio Papa XV. cuius vltimo anno editum fuit. Sed quidquid sit de hoc vnusquisque suum sequatur sensum. Accedamus ad Edicta Inquisitorum, referendo ad verbum Edictum Parmense sequentis tenoris. Præmittendo, qualiter Sacra Congregatio huius Tribunalis volens tollere diuersitatem, qua Inquisitores variabant in publicatione horum edictorum, communem formam præscripsit omnibus Inquisitoribus anno 1607. die 22. Septembris, prout apparet ex literis eiusdem Congregationis extensis per Salellem l. 1. de Materiis Tribunal. fidei Reg. 51. à num. 47. & est forma, quæ sequitur.

EDITTO GENERALE.

PER il S. Officio della Inquisitione di Parma, Borgo S. Donino, con sue Diocesi, Distretto, Luoghi soggetti, è consueti. 3

Noi Fra Stefano Boido dà Gastellaccio dell'Ordine de' Predicatori, Maestro di Sacra Theologia, Inquisitore Generale delle Città di Parma, Borgo S. Donino con sue Diocesi, è luoghi dalla Santa Sede Apostolica contro l'Heretica prauità specialmente delegato.

Desiderando, come ricerca il carico, di questo Santo Officio à Noi imposto, che la Sacrosanta Fede Catholica, senza la quale è impossibile piacere à Dio, in questa nostra giurisditione da ogni heretical contaggio immacolata, è pura si conserui; con Autorità Apostolica à Noi concessa, in virtù di S. Obedienza, è sotto pena di Scommunica, oltre l'altre pene da Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, è Bolle de Sommi Pontefici imposte; commandiamo à tutte, è ciascheduna persona di nostra Giurisditione di qualunque conditione, stato, grado, ò dignità così Ecclesiastica, come mondana, sia quanto si voglia grande, che fra dodeci giorni prossimi, de' quali i primi quattro assegniamo per il primo, li altri quattro immediati per il secondo, è li vltimi quattro per terzo, & vltimo perentorio termine, debano al S. Officio di queste Città, ò all'ordinario riuelare, è notificare giuridicamente tutti, è cia scheduno di quelli, d'e quali sappiano, ò habino hauuto, ò haueranno notitia.

I, Che siano Heretici, ò sospetti, ò diffamati di heresia, ò credenti, ò fautori, ò recettatori, ò defensori

sori loro, ò habbiano aderito, ò aderiscono à riti de'Giudei, ò Maometani, o de'Saraceni, ò de'Gentili, ò habbiano Apostatato dalla Santa Fede Christiana; ò in qualunque modo espressamente habbiano inuocato, ò inuochino il demonio, ò habbiano prestato, ò prestino honore, ò habbiano hauuto parte, ò si siano ingeriti, ò s'ingeriscano in qual si sia esperimento di Magia, ò Negromantia, Incantesimi, ò altre simili superstitiose attioni, & massime con abuso di cose sacre. *Vide cap.* 8.9.16.17.18. 19.20.

II. Che con sacrilego ardire non essendo Sacerdoti si habbiano vsurpato, ò si vsurpino di celebrare Messa, ò habbino presunto, ò presumino di ministrare il Sagramento della Penitenza à i fedeli di Christo. *Vide cap.* 22.

III. Che habbino abusato, ò abusino il Sagramento della Penitenza contro i Cecreti, è Constitutioni Apostoliche. *Vide cap.* 23.*n.*23.*&* 26.

IV. Che habbino celebrato, ò celebrino occulti conuenticoli in materia di religione. *Vide cap.* 24. *&* 25.

V. Che contro Dio, e de'suoi Santi, particolarmente contro la B. V. M. proferiscono Biasteme hereticali. *Vide c.*26.*q.*10.*& per totam.*

VI. Che habbiano impedito, ò impediscono l'Officio della Santa Inquisitione; ò habbiano offeso alcun testimonio, denuntiatore, ò Ministro di quello. *Vide cap.* 29.

VII. Che habbiano hauuto, ò habbino libri, ò scritti, che contenghino heresie, ò libri d'heretici, che trattino di Religione, senz'autorità della Santa Sede Apostolica; ò che habbiano letto, ò tenuti, ò stampati, ò fatti stampare, ò difesi, ò li leggano, ò tengano, stampano, fanno stampare, ò diffendano sotto qualsiuoglia pretesto, ò colore: ouero libri di Negromantia, Magia, ò continenti Incantationi, Sortilegij, è simili superstitioni, massime con abuso di cose sacre. *Vide cap.* 24. 25.

VIII. Dichiarando per la detta espressione di casi da Noi specificati, da riuelarsi come sopra, di non escludere li altri casi spettanti al Santo Officio, che per altro ne Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni Apostoliche, è Bolle de'Sommi Pontefici sono compresi.

IX. Auertendo, che à questi nostri precetti non sodisfaranno, ne s'intenderanno sodisfare quelli, che con Bollettini, ò lettere senza nome, è cognome delli Autori, ò in altra maniera incerti, delli quali niun conto si tiene nel Sant'Officio, pretendessero riuelare li delinquenti. *Vide c.*23.*n.*88.

X. E dalla detta Scommunica, e pene nelle quali i disobedienti incorreranno, non possa alcuno esser assoluto, se non da Noi, ò dal Supremo Tribunale del Sant'Officio di Roma, ne sarà assoluto se prima giuridicamente riuelando i detti heretici, come di sopra, ò sospetti d'heresia, non haurà sodisfatto.

XI. E quelli, i quali sanno, ò hanno hauuto, ò hanno notitia di qualsiuoglia caso spettante al S. Officio, e massime d'heresia, sono tenuti come di sopra sotto l'istesse pene, e censure à denuntiarli, ne sonoscusati de qualsiuoglia conditione, ò longhezza di tempo; onde s'ingannano quelli, che pensano, per esser trascorsi dieci, quindeci, ò vent'anni, non esser più obligati à denuntiare i casi al S. Officio, il che però s'intende di quelli, che non hanno mai sodisfatto, e denontiato.

XII. E però auuisiamo, e nel Signore ammoniamo tutti i fedeli à Noi soggetti, che hauendo cognitione di qualsiuoglia caso spettante al S. Officio per zelo dell'honor diuino, per diffesa della Santa Fede, e per l'estirpatione dell'heresie, delle quali non vi è cosa peggiore, per l'obligo delle censure, & scommuniche, come di sopra, voglino caritatiuamente denonciarli, sprezzando i falsi abusi, che in ciò il Demonio per sdegno, & ira hà posti nel mondo, volendo in questa maniera disturbare così pio, e S. Officio, i quali sono il temere esser chiamati accusatori, spie, e simili, il non voler essere per questi atti stimati infami, indegni della conuersatione honorata del mondo; imperciò che chi bene considera, ritrouarà, che officio tale, nel quale si diffende l'honor diuino, la Santa Fede, merita non titoli, e nomi sodetti, ma piu tosto epitetti di Caualiero di Christo, diffensore della Santa Fede, e zelante dell'honor di Dio, oltre che saranno tenuti secretissimi.

XIII. Raccordando à tutti li Reuerendi Confessori, che con diligenza cerchino, & inuestighino da'suoi penitenti, se sanno alcune delle sudette cose, auuisandoli, che non denuntiandole à Noi, ò à nostri Vicarij, come impenitenti non li possono assoluere.

COMMANDAMENTI.

XIV. Commandiamo, che nissuno sotto le pene dovute à fautori, respettiuamente ardisca trattare, ragionare, scriuere, ò mandar lettere, polize, bolettini, auuisi, ambasciate, instruzioni, ne far cenni, ne conuoci, ne con cifoli, ò in qualunque altro modo alli carcerati del S. Officio; ne procurare di saper da essi qualsiuoglia cosa in pregiuditio delle cause del S. Officio.

XV. Commandiamo alli Guardiani delle Porte, Datiari, Doganieri, Corrieri, Librari, Stanpatori, ad osseruare ciascheduno di loro respettiuamente quanto si contiene nel sudetto nostro Editto circa l'introdurre, e mandar fuori à stampare, & vender libri, e parimente alli heredi, & essecutori dell'vltima volontà circa li studij, libri, e librarie lasciate da defonti, conforme alla Regola X. de'libri prohibiti nell'indice.

XVI. Commandiamo, che nuino possa vendere, ne far vendere sotto Portici con Banchetti, ò cesti à modo di Riuendarolo ò in qualunque altro modo, ne dentro, ne fuori della Città Libri, Historie, Figure, Carte, ò qualsiuoglia altra cosa stampata, benche minima, senza nostra licenza, sotto pena della perdita de libri, & altre pene à Noi arbitrarie.

XVII. Alli ciarlatani, & altre persone vagabonde commandiamo sotto pena della perdita delle robe, & altre à Noi arbitrarie, che non ardiscano vendere, donare, ò prestar libri, scritture, ò carte stampate, ò scritte à mano, ouero figure senza nostra licenza, ò de'nostri Vicarij.

XVIII. Che tutti i libri, che s'introducono dentro le Città, ò in altri luoghi della nostra giurisditione, particolarmente quelli, che vengono fuori d'Italia, siano portati al Sant'Officio, prima che si sballino.

XIX. Che tutti quelli, che hanno licenza di vendere, ò riuendere libri sopra banchetti in piazza, sotto li portici, ò in altro modo per la Città debbano frà vinti giorni doppo la publicatione di questo nostro Editto, presentarsi auanti di Noi à rinouare licenza; E contrafacendo incorreranno nella perdita de libri, & altre pene.

XX. Et acciòche questi ordini nostri venghino à notitia di tutti, e nessuno possa pretendere ignoranza, commandiamo in virtù dello Spirito Santo, e di S. Obedienza, e sotto pena della sospensione de'suoi Officij à tutti i Reuerendi Rettori delle Chiese della Città, Terre, Castelli, e luoghi di detta nostra giurisditione, anco per particolar ordine delli Eminentiss. & Reuerendiss. Signori Cardinali Generali Inquisitori, che li debbano publicare trè volte l'anno, cioè in vna

Domenica

Domenica dell'Auuento, ò in vn'altra della Quaresima, e nella festa del Corpus Domini in tempo, che sia in Chiesa maggior concorso, è numero de popoli, & ogn'anno mandarci fede autentica di tal publicatione. Le quali cose commandiamo ancora alli Reuerendi Abbati, Priori, Presidenti de' Conuenti, è case de Religiosi, che respettiuamente l'essequiscano con i subditi loro, è che delle due copie, che li mandaremo di questo nostro Editto, vna debbano far attaccare alla Porta principale delle loro Chiese, in tal modo, che non si possi leuare, se non con violenza, el'altra habbiano à conseruare nelle sagristie loro per memoria di douersi osseruare i predetti ordini.

Et in fede di quanto habbiamo detto, ordinato, auuisato, è commandato con questo nostro Editto, l'habbiamo sottoscritto di nostra propria mano.

TEMPO DI GRATIA.

E Perche tutti conoschino, che non desideriamo la confusione d'alcuno, ma ben si l'emendatione di qualsiuoglia, per tanto inuitiamo per gratia speciale ogni heretico, ò sospetto di heresia, apostasia, è simili, frà il termine di trenta giorni doppo la notitia di questo nostro Editto ad vna spontanea comparatione, & volontaria manifestatione de'suoi errori, che confessando li con candidezza d'animo, e li complici suoi li promettiamo, che riportaranno si copiosa, & abbondante misericordia, che goderanno, & restaranno appagati, d'hauer prestato orecchie à si gratioso, è pretioso inuito; come all'incontro lasciando di godere tal dono, & indulto, si procederà contro di loro conforme alla giustitia. Datto nel S. Officio di Parma li 23. Luglio 1641.

Ita est F. Stephanus Boidus de Castellatio Magister Inquisitor Parmæ, &c.

Non sia rimosso sotto pena di Scommunica.

Nonnullæ difficultates occurrunt supra huiusmodi Edicta, quæ in sequentibus quæstionibus resoluentur.

Quæres igitur 1. An hoc Edictum vim habeat perpetuæ legis, an verò extinguatur morte edicentis? Videtur simplex præceptum transiens cum ipso Inquisitore moriente, aut translato, aut amoto ab officio, cum sit factum hominis cum quo extinguitur. Præterea delegatus vti est Inquisitor non potest condere statuta habentia vim legis perpetuæ, quia caret iurisdictione ordinaria requisita ad legem, & statuta condenda perpetuo duratura, *ex cap. 2. de constitut. in 6. cap. fin. de off. delegati, c. 2. de maior.* vbi de Episcopo statuente. Quibus tamen non obstantibus.

4 ℞. Edicta huiusmodi Inquisitorum denuntiandi hæreticos, seu de hæresi suspectos sunt perpetua, ac si essent constitutiones, & leges à Summo Pontifice latæ. Probatur. Tum quia, causa edicendi nimirum, vt Sancta Fides conseruetur intacta ab hæresibus, est perpetua, ergo & remedium Edicti. Tum quia, huiusmodi Edictum formaliter est collectio Ecclesiasticarum constitutionum, in quibus demandatur huiusmodi denuntiatio, contra hæreticos, & suspectos de hæresi, sed istæ sunt perpetuæ, ergo & Edicta Inquisitorum. Tum quia, Edicta, & Constitutiones in re, & perpetuitate non differunt, sed solum in materia, & personis, nam constitutio vniuersalis est & supremi legislatoris, Edictum verò est inferioris, & materiæ particularis, vt habent scribentes *in l. de constitut. princ. & C. de edicto diui Andr. tollend.* Nec vis
5 facienda est in verbo Edictum, quod confunditur cum Constitutionibus, & statutis, *arg cap. Ne aliqui, de hæret. in 6.* Ita Suar. *de fide disp. 20. sect. 4. num. 11.* Portel. *ver. Solicitare num. 17.* Bossius *dub.... n. 77.* ex illis Carena *p. 2. tit. 9. n. 34.*

Quæres 2. A quo numerandum sit spatium duodecim dierum, à die ne publicati Edicti, an à die scientiæ delicti, ita quod tunc incipiat currere obligatio denuntiandi?

℞. Incipit à die scientiæ criminis denuntiandi, id 6
enim claré colligitur inde, quia denuntiandi sunt à nobis non solum illi quorum delictorum cognitionem habemus tempore publicationis, sed etiam illos, quorum notitiam ante, & in futurum contingit haberi; non igitur tempus hoc præcisè incipit à die publicationis nisi respectu illorum, qui cognitionem habent de huiusmodi delictis ante publicationem, sed numerandum præterea est in futurum à die scientiæ. Confirmatur hæc ampla numeratio, quia aliter Edictum duraret tantum per duodecim dies, quod quam absurdum sit, omnibus patet. Denuntianda ergo sunt delicta præterita, præsentia, & futura. Neque obstat, quod lex, ad cuius instar spectantur Edicta, futuris det formam negotiis, & non ad præterita trahatur, *cap. 2. & fin. de constit.* quia id locum habet in iis constitutionibus, & statutis, in quibus expressa mentio non fit de præteritis, vt patet in nostris Edictis, in quibus expressè præcipitur denuntiatio delictorum commissorum ante publicationem, quia potius, quod ad hoc, est quædam rememoratio perpetuæ obligationis denuntiandi similes delinquentes. Primus autem die scientiæ non computatur, vt docuit Trimarch. *disp. 4. n. 5.*

Quæres 3. An terminus duodecim dierum appositus fuerit ad terminandam obligationem denuntiandi, an potius ad illam solicitandam, itaut ea remaneat quousque in effectu fiat denuntiatio.

℞. Apponitur ad solicitandam exequutionem obli-
gationis, non verò ad extinguendam obligationem. 7
Tum quia obligatio denuntiandi non pendet à tempore præfixo, sed à virtute fidei, quæ omnes obligat ad sui defensionem, & propagationem. Tum quia, in denuntiatione hæc duo spectantur, vnum, quo ad rem, nimirum delationem hæretici, alterum tempus, vltra quod si non denuntiauit obligatus cum posset, incurrit excommunicationem, ratione primi semper manet obligatio denuntiandi, & sic illud spatium non respicit hanc obligationem, ratione secundi spatium illud extinguitur, in quantum amplius non potest prodesse denuntiatori, quin incurrat censuram, itaque tempus quo ad obligationem semper durat, quo ad incurrendam excommunicationem finitur duodecimo die.

Quæres 4. An hæc obligatio denuntiandi ita perpetua sit, vt temporis præscriptione tolli non possit? Clarus *q. 51.* Farin. in sua praxi *q. 10.* & multi alij docent spatio viginti annorum delicta præscribi, itaut iudex contra huiusmodi delinquentes vlterius procedere non possit, in crimine tamen hæresis hæc opinio locum non habet, ideo.

℞. Delictum hæresis nunquam præscribitur fauo- 8
re delinquentis contra iudicem, quod colligitur *ex cap. Sanè 6. 24. quæst. 2.* vbi dicitur, quod hæreticus etiam post mortem excommunicatur, vnde & illius bona confiscantur non obstante morte, vt colligitur *ex cap. fin. de præscript. in 6.* vbi filij hæreticorum, qui Catholici putabantur, præscribunt bona paterna spatio quadraginta annorum. Vide Sanch. *lib. 2. cap. 22. numer. 40.* Ratio est, quia delictum hæresis semper serpit, & propagatur contra Catholicam fidem, idem ius semper viget procedendi contra hæreticum etiam defunctum, consequenter semper debitum remanet illum denuntiandi, & hic Parmæ

res

res est clara in nostro Edicto expressa *sub num.* 11.

Difficultas remanet super aliis delictis suspicionem hæresis inferentibus, an præscribi possint fauore denuntiantium, qui non teneantur, ita quod aliquando cesset obligatio?

Communis est opinio in cœteris habere locum
9 præscriptionem quinquennij *ex l. 2. C. de apost.* vbi prohibetur, ne vltra quinquennium quæratur de statu vitæ alicuius, rario potest esse, quia post triennium
10 quis præsumitur emendatus, ex allatis per Mascard. *concl.*600. *Alciat.reg.2.præsum.*7. Farin. *in prax. q.* 23. *n.* 26. Sed hæc doctrina non videtur procedere in nostro Edicto ex illis verbis *sub n.*11. *E quelli, i quali hanno notitia di qualsiuoglia caso spettante al S.Officio, e massime d'heresia, sono tenuti come di sopra sotto l'istesse pene à denontiarli, ne sono scusati da qualsiuoglia conditione, ò longhezza di tempo, &c.*

Ex quibus apertè habetur in nullo casu siuè hæresis, siuè suspicionis eiusdem ex allatis *sub* I. *ad VII.* habere posse longitudinem temporis, & præscriptionem. Responderi tamen potest supradicta verba non
11 obstare, quia illa dictio, *Maximè*, bene interpretari potest taxatiuè, & importare, *tantum*, vt pluries in iure, ad cuius formam explicantur etiam statuta, & edicta, *cap. Cum dilectus* 8. *de consuet.* iuncta Glos. *Nec iuri communi*, glosatur particula, *maximè*, *cap. Cum contingat, de foro compet.* Aduertè tamen, quod si scio hodie, Petrum blasphemasse hæreticaliter anno præterito, nullam habeo excusationem non denuntiandi prætextu vnius anni. Si verò hodie venio in cognitionem Petrum non Sacerdotem celebrasse quinque ab hinc annis transsactis, possum me tueri ea præscriptione.

Quæres 5. Quænam personæ denuntiare teneantur ex vi huius Edicti.

12 ℞. Omnes subiectæ iurisdictioni huius Inquisitoris, siue masculi, siue fœminæ post decimum quartum annum, quo tunc plenum rationis vsum habere possunt in hac re magni momenti. Siuè Religiosi, de quibus in præcedenti capite, etiam moniales, siue clerici, siue laici cuiuscumque gradus, & conditionis, vt constat ex illis verbis. *Di qualunque conditione, stato, grado, ò dignità così Ecclesiastica, come mondana, sia quanto si voglia grande.* Ergo comites, Marchiones, Abbates, Duces, Principes denuntiare tenentur, Deo enim obsequium præstare dicuntur, & quo personæ sunt in altiori gradu dignitatis, & maiestatis, quibus secundum excellentiam videntur quodammodo appropinquari Deo, eo in illis maior est obligatio tuendi honorem Dei, procurando per denuntiationem, vt similes malefactores puniantur.

Quæres 6. An Imperator, & Reges subdantur Edicto Inquisitionis? Idem quærere de Cardinalibus.

13 ℞. Negatiuè, quia habent priuilegia, vt non subiiciantur Bullis Pontificiis, nisi nominatim exprimantur, ergo multo minus subiecti sunt Edictis Inquisitorum, quæ sunt statuta inferiora, & vt ita dicam, minus fortia; contra Suar. quem pro se citat Carena *part.2.tit.9. num.* 28. Neque enim illis adaptatur illa clausula: *Sia quanto si voglia grande*, cum verificari possint in inferioribus illis Principibus magnis.

Quæres 7. An aduenæ, & Viatores teneantur denuntiare vigore huius Edicti? e. g. Regiensis casu hic audit blasphæmum, vel videt laicum celebrantem, an teneatur hunc delinquentem Parmæ denuntiare, an Regij?

14 ℞. Viatores, & Aduenæ parum manentes non obligantur huic edicto, quia denuntiare tenentur tantum illi, qui sunt sub iurisdictione Inquisitoris, vt patet ex illis verbis. *Commandiamo à tutte, e ciascheduna persona di nostra giurisditione*; Aduenæ autem, & Viatores non dicuntur esse sub iurisdictione superioris illius loci, vbi casu, vel pro aliquo breui tempore reperiuntur, neque eius legibus, seu statutis adstringuntur, *l. Hæres absens* 19. §. *Proinde ff. de iud.* & qui transit ad aliquem locum, inde breui reuersurus, non dicitur ibi fuisse, *l. Quæsitum* 76. §. *fin ff. de legat.* 3. bene Sanchez, *lib.3.disp.*18. *num.* 6. *& lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 38. ergo non ligantur Edicto Inquisitoris. Dixi, *parum manentes*, quia si maiore anni parte manent, vt faciunt Scholares, tenerentur, quia in eo casu fiunt de iurisdictione huius fori. Neque tenetur illum denuntiare proprio Inquisitori, & quia non deliquit Regij, & quia non est subditus eius Inquisitoris.

Quæres 8. An ex vi Edicti denuntiandæ sint superstitiones factæ sine abusu Sacramentorum, quæ nimirum qualificatæ non sunt? Ratio dubitandi desumitur ex relatis *sub num.* 1. ibi. *O altre simili superstitiose attioni, e massime con abuso di cose sacre.* Idem repetitur *sub num.* 7.

℞. Non est obligatio, quia non sunt superstitio- 15
nes qualificatæ per abusum rerum sacrarum ex quo inducatur suspicio hæresis. Vnde ea dictio *Maximè* 16
explicanda est iuxta dicta *sub q.* 4.

Quæres 9. An denuntians Episcopo, seu eius Vicario satisfaciat huic Edicto?

℞. Affirmatiuè, quia id expresse dicitur ibi: *Debbano al S.Officio, ò all'Ordinario riuelare, &c.* Diana *part.*1.*tract.*4.*resolut.*28. Bossius *de confess.solicit.dub.* 30. *numer.*37. Carena *part.*2.*tit.*9.*num.*36.

Quæres 10. An transgressor existens illorum capitum, quæ continentur *sub num. XIV. ad XX.* incurrat excommunicationem Edicti?

℞. Negatiuè, quia ea fulminatur tantum contra 17
non reuelantes, vnde & neque de illa fit mentio in dictis præceptis, quæ non sunt de notificando.

Quæres 11. An regulares teneantur publicare supradicta Edicta, & fidem mittere Inquisitori? & an negligentes incurrant aliquas pœnas?

℞. Affirmatiuè, iuxta dicta *cap.* 27. *q.* 12. *&* 13. 18
Pœnas autem nullas incurrunt, ea autem pœna suspensitionis comminatoria est tantum contra Rectores Ecclesiarum, nam clausula initio posita licet referatur ad sequentia, *cap. Secundo requiris, de appellat.* tamen in odiosis restringitur ad proximè positum, *arg.cap. Cum dilecti* 6. *de donat.* Capicia *in decis. Neapolit.*108. *num.* 10. *ad* 14. sed pœna suspensionis proximè ponitur ad Rectores, ergo illos tantum comprehendit, & non Regulares.

Quæres 12. An confessarij Regularium absoluere possint laicos supradicta excommunicatione affectos?

℞. Nullus regularium confessarius siue Mendicantium, siue non Mendicantium, siue Clericus 19
Theatinus, aut Iesuita ab hac excommunicatione absoluere potest, quia nusquam reperitur hoc priuilegium confessariis Regularibus concessum, aliud enim est, quod Papa aliquando concesserit Regularibus Confessariis priuilegium absoluendi à suis, & Episcoporum casibus, & censuris personas extraneas, de quo vide, quæ alias dixi *tom.* 1. *Resolut.*6. aliud, quod in specie indulserit eisdem, quod absoluant à censuris, quam sibi Inquisitores reseruant, qui peccata sibi reseruare non solent, nam hoc posterius Summi Pontifices numquam fecerunt, ergo oppositum sentientes audiendi non sunt, qui sunt Portellus *ver. Solicitare, n.*24. *Compend. resolut.* 131. *num.* 16. Trimarchus *disp.*14. *num.* 50. quorum rationes reieci *resolut.* 6. *q.* 14. vbi id probaui, fieri non posse loquendo in casu præsenti. Sed numquid saltem absolui potest, qui post longum tempus, ex quo incurrit excommunicationem, denuntiauit? Nec in hoc casu quia per denuntiationem non fuit sublata reseruatio. Nota demum, quod huiusmodi reseruatio intelligitur, siue excommunicatio sit occulta, siue denuntiata per Inquisitores,

quisitores, quidquid dicant nonnulli Recentiores falsa asserentes, non esse reseruatam nisi post denuntiationem.

Quæres 13. An superiores Regulares possint absoluere ab ea excommunicatione suos Religiosos, qui non denuntiarunt.

20 ℞. Negatiuè, quia in iis, quæ spectant ad Sanctum Officium Regulares omnes subsunt Inquisitoribus, vt ex Bullis Pauli V. & Vrbani VIII. probaui *sub cap. 27. de Regular. subiectis Inquisit.* Neque valet dicere, Bullas illas intelligi pro foro fori, non pro foro conscientiæ, quia loquuntur absolute, ne superiores Regulares se ingerant in causis hæresis, vel eiusdem suspicionis respectu suorum subditorum; & aliter dicendo datur pœnitentibus occasio subterfugiendi obligationem denuntiandi, quod omnes etiam religiosos cuiuscumque ordinis, & Societatis comprehendit. De his dixi *resol. 3. q. 3.*

Quæres 14. Quid sit hoc tempus gratiæ?

21 ℞. Est spatium aliquot dierum præfixum, infra quod hæretici, vel de hæresi suspecti ad Tribunal Inquisitoris sponte comparentes, confitendo omnia sua delicta, & complicum spectantia ad S. Officium, consequuntur impunitatem pœnarum ordinariarum, auctoritate Apostolica introductam in fauorem animarum.

Primò dixi: *spatium aliquot dierum præfixum*, quod hic Parmæ est triginta dierum computandorum à die scientiæ huius Edicti exclusiue, vt dicitur ibi: *Fra il termine di trenta giorni doppo la notitia di questo nostro Editto.* Itaque primus dies notitiæ excluditur à numero, nam facit illud axioma. Dies termini non computatur in termino, *l. Vbi lex, ff. de reg. iur.* alia iura, & doctores plenè cumulat Barbosa Var. lit. D. *num. 26.*

22 Secundò, dixi: *Infra quod*, quia quilibet dies contentus infra illud spatium, licet esset vltimus sufficit ad gratiam consequendam, cum vnus alio non dicatur magis gratiosus, sed pares sint in fauore, cuius continuationem importat verbum infra, ita quod currit de momento ad momentum, *Angel. consil.* 404. Bald. *consil. 246. lib. 5.* Tuscus littera D. *concl.* 294. *num.* 1. & facit quod habet Gemin. *in consil.* 121. *num.* 3. dicendo, quod si assignatur terminus ad aliquid faciendum infra decem dies, qualibet die illorum decem dierum poterit ille actus fieri, & postea non. Quare hæreticus quolibet ex triginta diebus prædictis comparere potest coram Inquisitore, ad confitendum suum delictum, & complicum, vt gratiam consequatur.

Tertiò, dixi. *Ad tribunal Inquisitoris* ob differentiam quæ reperitur inter tempus veniæ, & tempus gratiæ, nam veniæ concessio fit per solam confessionem, Sacramentalem, gratiæ verò immunitas extra hoc forum tractatur per confessionem iudicialem coram Inquisitore. Sousa *lib. 4. cap. 1. n. 5.*

23 Quartò, dixi: *Sponte comparentes*, ille autem dicitur sponte comparere, qui nec præuentus, accusatione, aut denuntiatione nec vocatus, nec citatus comparet, sponte enim aliquid dicitur fieri, quando illud fit propria auctoritate, sine alterius requisitione Glos. *ver. sponte, c. 1. 16. quæst. 6.* Ita ex Fulcodio, *q. 2.* Carena *p. 2. tit. 18. n. 19. §. Gaudere* Sousa *lib. 4. cap. 8. à n. 5.* vsque ad finem. Nondum ergo præuentus accusatione, seu denuntiatione dicitur comparere sponte, vt colligo ex Bulla 23. Iulij III. incip. *In multis* illis verbis: *Blasphemis non accusatis nec denuntiatis, si seipsos humili, & contrito corde accusent.*

Quintò, dixi: *Confitendo omnia sua delicta, & complicum*, & in hoc confessio hæc comparatur Sacramentali, in qua si vnicum omittatur peccatum mortale, quamuis minimum, committitur Sacrilegium, & peccatorum remissio non obtinetur, quia impium est dimidiam sperare veniam, *cap. sunt plures 42. de pœnit. dist. 1.* Sicut ergo in Sacramentali confessus non lucratur veniam, ita neque in iudiciali coram Inquisitore consequitur gratiam. Ita *Concil. Biterrense, c. 2.* Pegna *p. 2. Direct. q. 34. com. 59.*

Sextò, dixi. *Consequuntur impunitatem.* Est effectus huius gratiæ condonare pœnas, quas de iure hæreticus mereretur, vnde Inquisitores huiusmodi comparentes dimittunt cum pœnis salutaribus, facta in secreto abiuratione hæresis.

Septimò, demum dixi: *Apostolica auctoritate introductam*, quia nullus præter Summum Pontificem pœnas iuris contra delinquentes remittere potest, cum inferior in legem superioris dispensare non possit, *cap. Cum inferior 46. de maior.* Tempus ergo gratiæ originem habet à Sede Apostolica, Carena *p. 2. tit. 19. n. 17.* Sousa *lib. 4. cap. 4.* vbi *n. 2.* dicit, hoc fundari in iure *cap. Ad abolendam, §. Præsenti de hæret. l. Manichæos, §. Præterea, C. de hæret.* vbi sponte venientes, & proprios errores detestantes humaniter recipiuntur cum venia.

Quæres 15. Quinam sint capaces huius priuilegij temporis gratiæ?

℞. Omnes subditi Inquisitori concedenti gratiam sunt capaces huius temporis, modo sponte infra tempus determinatum compareant, & perfectè confiteantur sua delicta, & complices reuelent, modo non sint relapsi. 24

Primum de spontanea comparentia explicatur, ille enim dicitur spontè comparere, qui non est querelatus in Sancto Officio, iuxta dicta *sub §. Quarto,* qui enim coactus comparet, non dicitur sponte venire ad Sanctum Officium, ac proinde cum non dicatur verè conuersus, non meretur gratiam, quæ solis ex corde accedentibus conceditur. Eimeric. *p. 3. Direct. num. 56.* ibi Pegna *Comment. 12.* Farinac. *quæst. 193. num. 27.*

Secundum de tempore præfixo constat *ex §. Primo, & Secundo*; quo transacto, non amplius vti potest hoc beneficio, sed more aliorum coactè comparentium tractatur ab Inquisitoribus.

Tertium, de perfecta, & completa confessione suorum delictorum contra Sanctam fidem, & reuelatione complicum constat ex dictis *sub §. Quinto.*

Quartum, de Relapsis non gaudentibus priuilegio probatur, quia relapsus est indignus venia, *cap. Super eo, 4. de hæret. in 6.* & facit illud, *cap. Priuilegium 11. q. 3.* nimirum ille meretur perdere priuilegium, qui illo abutitur. Pegna *de temp. grat. cap. 10.* Carena aliis citatis *p. 2. tit. 18. num. 13.* dicit Relapsos sponte comparentes esse admittendos mutuis cum illis agendo.

Quæres 16. Quomodo agat Inquisitor in recipienda confessione comparentis spontè tempore gratiæ?

℞. Inquisitor attenta qualitate personæ per se solum oretenus potest recipere iudicialem confessionem spontè comparentis, & aperientis illi propria crimina contra Sanctam Fidem. Aduertat tamen quod si delictum factum sit coram aliis aut sit de genere eorum, quæ fiunt cum complice, necessarium est, quod saltem ipse solus registret huiusmodi comparitionem spontaneam, vt si quando ab aliquibus denuntiatus fuerit, sciat quid agendum sit cum huiusmodi. Si enim ex denuntiatore, seu testibus appareat defecisse in spontanea confessione, puniendus est, ac si non comparuisset, iuxta dicta *sub q. 14. §. Quinto.* Si verò nihil de nouo emergit, sed denuntiatio concurrit cum spontanea confessione non est vlterius procedendum. Quæ procedunt non tam respectu sui, quam alterius Inquisitoris succedentis, qui impunitatem à suo prædecessore concessam conseruare possit. 25

Quæres 17.

Quæres 17. Quid agendum cum comparentibus spontè extra tempus gratiæ?

26 ℞. Sponte comparens, qualis dicitur ille, qui non querelatus comparet coram Inquisitore plenam dicendo veritatem tam de se, quam de aliis humiliter veniam petendo, impunitatem meretur tam de iure, quã de stilo Prætorij inquit Bariola *in suis Aphor.* cum Simanch. Enchir. *tit.* 51. *de absolut. Locato ver. Absolutio.* Farin. *q.* 193. *n.* 103. Impunitas autem in eo consistit, vt non plectantur pœnis ordinariis, licet essent hæretici, sed pœnitentiis salutaribus afficiuntur aliquando etiam pecuniaria, ex Pegna Carena *par.* 2. *tit.* 18. *n.* 8. abiurant autem de formali, si sunt hæretici, in secreto tamen.

27 Debet autem Inquisitor iudicialiter coram se Notario vocato recipere confessionem sponte comparentis, Eimer. Pegna, & cum illis Bariola ad *pa.* 3. *Comment.* 12. *fine*, idem Bariola aliis citatis *in aphor. ver. Inquisitores.* Excipitur casus, in quo delictum comparentis est omnino occultum, itaut ab aliquo deduci non possit coram hoc tribunali, quod contingit in delictis, quæ perpetrantur sine socio, & nullis videntibus, vel audientibus, qui scire possint tale delictum. Inquisitor in huiusmodi casu non debet, nec potest adhibere Notarium, sed per seipsum oretenus debet sine scriptis recipere confessionem delinquentis, & cum salutaribus pœnitentiis illum dimittere, quia in hoc casu nullę militant rationes, de quibus hic, & præcedenti quæstione, quibusque moueri possit Inquisitor ad recipiendum in scriptis delictum omnino occultum. Hinc

28 fit, quod confessarij solicitantis sponte comparentis confessio iudicialiter coram Notario recipienda est, quia inter alia crimina hoc maximè probabile, cum pœnitens solicitata absolui nequeat, nisi denuntiet confessarium solicitantem, ex quo etiam constat, cum præsumatur per Inquisitorem, & secundum veritatem, confessarium solicitantem non sponte præcisè, sed potius ex metu denuntiationis faciendæ per personam solicitatam comparuisse, illius confessionem non esse purè spontaneam, ideo Inquisitorem cum aliquo rigore posse contra illum procedere, sed mitius, cum huiusmodi comparitio debeat potius prodesse, quam obesse. Vide Farinac. *q.* 193. *n.* 37. & Carena *par.* 2. *tit.* 18. §. *Primus*, vbi multa ad propositum nostrum.

Quæres 18. An sponte comparentes debeant abiurare de formali si sunt tales hæretici, vel de vehementi, aut leui; si sunt tantum suspecti?

29 ℞. Hæretici formales sine dubio debent abiurare de formali, quia tales sunt, vnde egent formali expurgatione, & detestatione hæresis. Suspecti verò non videntur cogendi ad abiurationem, quia illis sponte comparentibus interrogatis super intentione creditur asserentibus se numquam male sensisse de mysteriis fidei, & de Sacramentis, nec torturantur, ergo neque debent abiurare.

Quæres 19. An comparens, sed nolens confiteri delictum in scriptis coram Notario ad id cogendus sit?

30 ℞. Affirmatiuè, quando delictum probari potest, iuxta superius dicta, nam Inquisitor per illam comparitionem acquisiuit ius interrogandi illum iuridice pro foro externo, consequenter redigendi in scriptis illius confessionem.

Quæres 20. An laceratio, seu deturpatio Edicti sit idem, quod remouere illud, ac proindè lacerans illud sit reus excommunicationis Comminatoriæ, immo, & pœnarum Bullæ, *Si de protegendis*?

31 ℞. Non solum simpliciter remouens, sed etiam lacerans, seu deturpans à fortiori ea pœna digni sunt, quia peior actio est lacerare, & deturpare, quam simpliciter auferre, præterquamquod lacerans, deturpans, & comburens dicuntur etiam remouere, cum reddatur folium inutile, tamquam si non esset affixum. Non incurrit pœnas Bullæ. *Si de protegendis*, ex probatis *c.* 29. *q.* 21.

Quæres 21. An Episcopus, sicut facit Inquisitor, possit producere, & affigere Edicta contra hæreticos.

℞. Affirmatiuè ex c. Excommunicamus 13. §. 32 Volumus, de hæret. vbi Episcopus negligens inuigilare in persequendis hæreticis remouendus est à sua dignitate. *Et in c. Per hoc* 17. *ead. in* 6. mandatur vt Episcopi, & Inquisitores ambo inquirant; huiusmodi autem vigilantia, & inquisitio bene exercetur per huiusmodi edicta ergo non solum Inquisitor, sed etiam Episcopus edicere potest. *Ita Direct. par.* 3. *Com.* 135. §. *Sed quid*, contra *Royas, qui dicit*, Inquisitorem posse lacerare edictum ab Episcopo productum, sed male loquitur nulla nixus ratione. Si inspiciamus praxim, his temporibus Episcopi non solent curare huiusmodi Edicta.

Sed ea publicanda relinquunt Inquisitoribus. In alibus locis Episcopi concurrunt cum Inquisitoribus, vt Bergami teste Lupo *in Edictum S. Inquisitionis lib.* 1 *dist.* 3. *art.* 1. *diffic.* 3. vbi adducit non causam pro causa. Quare Episcopi ex negligētia sibi preiudicarunt ab eo quod hæc non possunt affigere, quod potissimum verum est si fiat occasione accepta ex aliqua altercatione inter Episcopum, & Inquisitorem.

CAPVT XXXI.

De Denuntiatione Hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Correctionis Euangelicæ tres gradus.*
2 *Inquisitores per sua Edicta intendunt punire.*
3 *Denuntiatio fieri potest omissa correctione fraterna.*
4 *Emendatus adhuc denuntiandus.*
5 *Emendatus quis præsumitur post triennium.*
6 *Quinam denuntiandi sint?*
7 *Probare non valens adhuc denuntiat.*
8 *Licet solus sciat sub secreto.*
9 *Pœnitens statim facti adhuc denuntiandus.*
10 *Denuntiatus ab vno debet denuntiari ab aliis.*
11 *Denuntiatio hæretici facienda cum proprio damno.*
12 *Excusatur quis respectu suspectorum.*
13 *Filius denuntiat parentes hæreticos, non suspectos, & è contra.*
14 *Vxor maritum hæreticum.*
15 *Seipsum nemo tenetur denuntiare.*
16 *Complex in hæresi magistrum denuntiat.*
17 *Turpitudinem suam quis reuelat quando est contagiosa.*
18 *Maximè cum reuelatio sit in consequentiam.*
19 *Complex vero in suspicione non tenetur.*
20 *Confessarius an absoluat ante denuntiationem.*
21 *Scita, & audita etiam denuntiare tenemur.*
22 *Iudex non præsumitur deficere in suo officio.*
23 *Omittens denuntiare hæreticum est leuiter suspectus de hæresi.*

24 *Omittere verò suspectum, nequaquam.*
25 *Denuntiator ibidem fit testis.*
26 *Testis falsus non excusatur à denuntiatione.*

1 Correctionis Fraternæ tres gradus sunt, primo correctio fit soli peccanti; secundò, si non prodest adhibentur vnus, vel duo testes; tertiò, si non prodest denuntiatur Ecclesiæ, idest, superiori. Id totum docuit Christus Matth. *c.*18.*n.*15. illis verbis. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Tres igitur sunt gradus correctionis; circa tertium obseruandum est quod aliquis peccator dupliciter denuntiari potest Ecclesiæ, seu superiori, vno modo extraiudicialiter, vt cum denuntiatur superiori eo fine, vt tantum corrigatur paterna obiurgatione, & salutari pœnitentia, sine iudiciali strepitu, qua ratione superiores regulares suos subditos, vt plurimum solent corrigere in suis capitulis culparū, & hæc vocatur denuntiatio fraterna altero modo quis denuntiari potest iudicialiter coram superiore iudice, qui vocato Notario in scriptis recipit denuntiationem, per quam non tam emendationem, quam punitionem ex officio intendit superior, vt cœteri timore correpti abstineant à peccatis, iuxta illud 1. *ad Timoth. c.*5. *n.*20. *Peccantem coram omnibus arguo, vt & cœteri timorem habeant.* nam pœna vnius est metus multorum, Deuter. *c.*17. *n.*13. *c. Vt clericorum* 13. *de vita, & honest. cler. c. fin. de calumn.* & transgressionis vltio fit cæteris interdictio delinquendi, *c. Quapropter* 46. 2. *q.*7. Sed accedamus ad quæstiones de denuntiatione iudiciali in foro Sanctæ Inquisitionis aliis omissis.

Quæres 1. An sacrum Inquisitionis Tribunal per sua Edicta de hæreticis, & suspectis de hæresi intendat non solum emendationem peccatoris, verum etiam directè illius punitionem? De emendatione nulli est dubium, Inquisitores intendere hæreticorum, & aliorum delinquentium correctionem, & vitæ emendationem, Potissimum quæritur de intentione puniendi.

2 ℞. Inquisitores per sua Edicta de hæreticis denuntiandis directè, & potissimum intendunt punire, & castigare delinquentes. Probatur. Tum quia, finis principalis Inquisitorum est hæresum extirpatio, conseruatio, & propagatio Catholicæ fidei, vt colligitur ex præmio huiusmodi Edictorum, ex quo causa finalis accipitur, *l. fin. ff. de hæret. instit.* & ex procœmiali causa colligitur mens, & intentio disponentis, *l. Item quia* §. *fin. de pactis, l. Cum hi, de transact.* sed talis finis obtineri non potest sine castigatione, & punitione delinquentium contra Sanctam fidem. nam per pœnam hæretici resipiscunt, & redeunt ad fidem, ad quod facit illum Ierem. *Castigasti, me & eruditus sum capite* 31. Illud Ouidij *Æacus in pœnas ingeniosus erit.* ex quo alij quoque timore correpti, fidem quam habent constanter retinent, pœnæ enim sunt in exemplum aliorum, *cap. cum quidam* 12. *cap. Sicut* 13. *de iureiur. cap. Ea quæ* 8. *de statu monach.* ergo intendunt directè punitionem Tum quia, Inquisitorum officium est iudiciale, & fori externi, quod directè intendit castigationem, habent enim iurisdictionem contentiosam, quæ adiunctam habet coactionem, & punitionem, *capite Pastoralis* 28. *de off. deleg. l fin. ff. de offic. eius, cui mand.* Tum quia, si in hoc iudiciali foro directè non intenderetur castigatio, frustratorium esset, quia paternaliter corrigi possunt hæretici à quolibet, immò & debent, & sic tolleretur necessitas eius tribunalis. Tum quia, denuntiatio iudicialis consisteret in sola emendatione fratris, sicut fraterna, quod falsum est Tum quia, peccata publica, quæ scilicet sunt in damnum, & perniciem reipublicæ ab omnibus denuntianda sunt eo fine, vt iudex decernat in delinquentem perturbatorem quietis, & pacis reipublicæ ex Glos. *in sum.* 2. *q.*7. Silu. *ver. crimen n.*4. sed hæresis delictum, & alia crimina, quæ eam fouere possunt, redundant in damnum reipublicæ christianæ, ergo ab Inquisitoribus præcipiuntur ab omnibus denuntiari eo fine, vt possint illorum auctores mulctari.

Quæres 2. An necessario præmittenda sit correctio fraterna denuntiando Sanctæ Inquisitioni? Affirmant quamplures, qui sunt Ledesma, Sousa, Fagundez, Paulus, Portellus, Peirinus, Lezana, Ioannes Crux, quos citat Trimarchus *disp.*12. *de solicit. sect.* 2. Sotus, Canus, Silu. Lopez, Zanardus, Toletus, Leazarius, Homobon. Rosella, Angelus, quos citat contra se Diana *par.* 1. *tract.* 4. *resol.* 2. Negant alij apud prædictos, qui sunt Siluius, Villalobus, Simanch. Sanctar. Bonac. Suar. Sancius, Azor. Turrianus, Henriquez Paramus, à Cugna, Layman, & alij plures. Differunt tamen inter se, quia nonnulli volunt præmittendam esse correctionem fraternam respectu omnium delictorum; alij verò id admittunt respectu delictorum suspicionem hæresis inducentium, non verò respectu hæreticorum, qui denuntiandi sunt omissa correctione fraterna, demum aliqui simpliciter negant præmittendam esse correctionem huiusmodi, cum quibus.

℞. Correctio fraterna necessario non est præmittenda, sed omitti potest respectu cuiuslibet hæretici, aut alterius suspecti de hæresi. Probatur. Tum quia, 3
correctio fraterna in tantum est necessaria, in quantum ex ea sequitur emendatio, hæc enim potissimum intenditur, & finis est, vnde locum non habet in eo, in quo nullus speratur fructus, *cap.* 3. *dist.* 7. *de Pœnit.* ex illis verbis. *Si scirem, tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Augustini apud Graffium *par.* 1. *lib.*1. *cap.*16. *n.*20. quia nemo tenetur ad opus inutile; sed huiusmodi emendatio æquè bene, immò potiori ratione, & efficaciter obtinetur per denuntiationem immediatè factam Inquisitori, vt experientia constat, ergo nulla est necessitas præmittendi illam. Tum quia, quandocumque aliquis potest duobus modis satisfacere suæ obligationi, æquum est, & prudenter se gerit, si securiorem viam eligat; sed securior est immediata denuntiatio pro obtinenda emendatione, quam præmissio correctionis fraternæ, ergo hac omissa amplectenda est denuntiatio. Tum quia, correctio præcisè præmittenda est denuntiationi Euangelicæ, quæ solam emendationem intendit, & non emendati punitionem, vt colligitur ex verbis Euangelij Matth. *c.* 18. *n.* 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* vbi non punitur, sed admonetur corrigens, vt illum incorrectum habeat pro ethnico, & peccatore, cum quo non sit conuersandum, nulla facta punitionis mentione. Sed in Edictis Inquisitoris non est sermo de denuntiatione Euangelica, & paterna, sed iudiciali, ergo illi præmittenda non est correctio fraterna. Tum quia, textus Euangelij loquitus de peccatis, quæ non sunt perniciosa reipublicæ, ibi: *Si peccauerit in te* respicit enim damnum priuatum. Vel *in te* 1. coram te nam quam de ignoto crimine non est corrigendus. Tum quia, ille ordo Euangelicus corrigendi fratrem, siuè referatur demum ad denuntiationem Euangelicam paterne factam superiori, ad solam emendationem siuè iudici ad punitionem, & vindictam, adhuc nulla est necessitas seruandi illum ordinem gradatim procedendo, cum finis intentus emendationis, ex supradictis, sine illo ordine æque bene, immò melius, obtineri possit, vnde fieri potest immediatè transitus ad iudicem omissis intermediis? quod confirmatur exemplo appellationis, quæ ex regulis iuris facienda esset

esset gradatim, nihilominus fieri potest à superiori locali omisso Prouinciali, & Generali immediatè ad pedes sanctissimi, vt probaui *resolut.* 32.*q.* 8. Tum quia, si necessaria est correctio fraterna, ea facienda est ordine præscripto in Euangelio, consequenter non solum facienda est soli delinquenti denuntiando, sed etiam coram duobus, si prima non prosit, quod tamen hactenus nullus dixit, ergo simpliciter omitti potest. Tum quia, si denuntiaturus teneretur prius facere correctionem fraternam perdifficilis redderetur denuntiatio, quia qui præmitteret fraternam correctionem prudenter putare, & timere posset, reum Sancti Officij suspicaturum esse, nullum alium ipsum denuntiasse præter correctorem, ne igitur reddatur negotium hoc difficile, dicendum est non esse necessario præmittendam denuntiationem. Ita docent Pegna, *part.* 2. *comment.* 18. *de blasphemis* Cugna *de confess. solicit.q.* 18. Henriq. *lib.*6.*cap.*17.*num.*4. Paramus *l.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. Debrius *lib.* 5. *Magi. sest.*4.*num.*6. Turrian. *in Select. part.* 1. *disp.* 30. *in cens. propos. centuria* 2. *dub.* 24. quos pro se citat Carena *part.* 2. *tit.* 9. §. *in quare. num.* 18. Diana *part.*1.*tract.* 4.*resolut.*2.*& part.*7.*tract.*3.*resol.*63. Trimarchus *disp.*12. *num.*23. Vide Mazuchellum *de casib. reseru. Mediol. vbi disp.*2.*cap.* 16. *diffi.* 6. rem hanc fusè sed clarè pertractat, & quo ad hæresis delictum cum communissima sententia asserit non esse necessario præmittendam correctionem denuntiando, siue hæreticus sit publicus, siue occultus omnino denuntiandus omissa correctione, quia hæreticus non est frater Euangelicus licet sit frater secundum naturam, cum quo non est seruandus ordo Euangelicus *ex Archid. in c. Si peccauerit* 2.*q.*1. In aliis delictis suspicionem hæresis inducentibus putat esse præmittendam, quia cœtera peccata non sunt ita grauia, nec nociua sicut hæresis, ob cuius magnum periculum illico, & absque vlla præuia correctione denuntiandus est hæreticus, & pro se citat plures Sanchez, Facundez, Clauem, P. Nauarrum, Reginaldum, qui *lib.* 24. *cap.* 3. *sect.* 6. *num.* 52. sic scribit: *Superior non potest præcipere, vt pretermissa correctione fraterna reus occultus denuntietur, neque ei quid tale præcipienti obediendum est.* Si hoc verum est, quomodo stabit statutum sui ordinis, quod quilibet societatis alterius peccatum extra confessionem deferat ad superiorem omissa correctione fraterna. Nonne maius sine vlla hæsitatione est Edictum Inquisitionis, in quo agitur de extirpatione hæresis, & conseruatione fidei, quam hoc statutum Societatis, in quo agitur de conseruatione Societatis, non necessarium ad statum regularem, in quo aliæ omnes reguntur bene sine illo statuto. An Inquisitores, tales edictum proponere possint, alibi deputandum.

Quæres 3. An hæreticus, seu quiuis alius de hæresi suspectus correctione fraterna emendatus adhuc sit denuntiandus? Negant Sotus *lib.* 3. *de iust.q.*5.*art.*5. Genuens. *cap.* 18. *num.* 6. *dub.* 4. dixit, hos non esse denuntiandos, quando certo scitur, esse emendatos. Royas *singul.* 3. *num.* 22. alios citat Trimarchus *disp.* 12.*sect.* 3. *num.* 26. Affirmant melius alij cum Bonac. *part.*3.*de onere denunt. num.*9. Carena *part.*2 *tit.*9.*num.*24. cum quibus.

4 ℞. Emendatus adhuc denuntiandus est, non ex vi præcepti euangelici, quod præcipit, vt dicatur Ecclesiæ hoc est, superiori, quando nondum est emendatus, sed ex vi Edictorum Inquisitorum, quod probatur. Tum quia, huiusmodi edicta habent pro fine non solum emendationem, sed etiam & directè punitionem ex probatis sub prima quæstione, ergo denuntiandi sunt, non obstante emendatione, vt suum debitum sortiantur finem. Tum quia, euacuerentur huiusmodi edicta, & forent inutilia, quia fingerent omnes audire correctionem, vt euitarent pœnas proinde nullus esset denuntiandus. Tum quia, ex opinione contraria tunc cessat obligatio denuntiandi, quando quis præsumitur emendatus; sed quomodo possum ego probabiliter scire à me correctum esse emendatum, non ex eo, quia audiuit me, & confessus est, se male egisse, & nolle amplius tale delictum committere, nam cum cognoscat delictum spectare ad Inquisitorem ex vna parte, & me teneri illum denuntiare ex alia reddor dubius, an ex corde dicat se emendatum, an fingat emendationem, vt ego cessem à denuntiatione; deinde ille præsumitur emendatus, qui post peccatum operatur bene, laudabiliter viuendo, cum possit peccare, secundum Petrum de Anania *in Reg. semel in* 6. duodecim autem dies non sufficiunt ad obseruandam illius laudabilem vitam, & tamen intra id tempus teneor denuntiare, ergo locus non erit emendationem cognoscendi, consequenter vrget tempus ad denuntiandum. Deinde tres annos exigit communis doctorum, quos 5
citat Sancius *disp.* 11.*num.* 51. ad emendationem præsumendum, ergo cum edicta obligent infra spatium duodecim dierum, non potest expectari illud triennium ad præsumendam emendationem, huiusmodi enim expectatio maxima esset negligentia Catholicæ fidei valde perniciosa. Tum quia, iudicium de emendatione hæretici, vel suspecti est magni momenti, consequenter non est officium priuati. Tum quia hæretici formales à nullo possunt absolui ab excommunicatione nisi à sede Apostolica, aut ab Inquisitoribus denuntiati, ergo si nolunt sponte comparere videntur ex hoc denuntiandi, ne diu detineantur legati ea censura, immo ex hoc nondum dicuntur emendati, ergo denuntiandi sunt. Tum quia, hæreticus formalis debet abiurare hæresim, quam abiurationem indicere, & recipere spectat ad solum iudicem huius tribunalis, cum sit actus fori externi ex alibi probatis ergo cum ex hoc non censeatur integre emendatus, restat, quod sit denuntiandus, vt perfecte emendetur. Tum quia, Ricardus in 4. *distin.* 19. *art.* 3. *quæst.* 9. tenet, quod quamuis frater per secretam nostram admonitionem sit emendatus, est nihilominus prælato denuntiandus, quo ipse remedia necessaria adhibeat, & ipsum à recidiuo reseruet, si hoc dicit de denuntiatione paterna, à fortiori de iudiciali maximè in hac materia de hæresi, & eius suspicione, quidquid immerito dicat contra illum Mirand. *q.* 11. *art.* 5. de ordine iudiciario. Hanc responsionem docent Sanctarellus, Sancius, Bonacina, Azor. Suarez, Salonius, Royas, Paramus, quos pro se citat Diana *resolut.* 3. *de denunt.*

Quæres 4. Quinam sint denuntiandi Inquisitoribus?

℞. Hæretici tam materiales, quam formales, & 6
suspecti de hæresi, cuiusmodi sunt omnes enumerati in edicto, de quo capite præcedenti, vti Superstitiosi, Blasphemi hæreticantes, non Sacerdotes ministrantes Sacramentum Pœnitentiæ, aut celebrantes, solicitantes in confessione &c. Denuntiandi igitur reducuntur ad duo capita, sub primo continentur omnes hæretici tam formales, quam materiales, qui sunt denuntiandi iuxta tenorem Edictorum Inquisitorum & etiam ex Bullis Pontificiis, & iure communi, vt iis citatis, & doctoribus plene tradit Farinac. *q.* 197. §. 2.*à n.*35. Sub secundo continentur omnes, suspecti de hæresi, qui sine dubio denuntiandi sunt, secundum omnes, quos pro se citat Carena *part.* 2. *tit.*9.*n.*5. quod procedit, non solum quando delinquens est suspectus vehementer, verum etiam solum leuiter talis habetur, quia Edicta Inquisitorum immediate specificant delicta, quæ denuntianda sunt, nihil exprimendo circa qualitatem suspicionis, siue deinde sit vehemens, siue leuis ad ipsum enim Inquisitorem,

& doctores spectat considerare qualitatem suspicionis, non autem ad denuntiatores, quibus præcipitur tantum notificatio delictorum, ex quibus inducitur suspicio. Scio Castrensem, Sanctarellum, Genuensem cum aliis apud ipsos docere, non esse obligationem denuntiandi leuiter suspectos, quorum tamen placitum sequendum non est ob dictam rationem, præterquam quod pauci denuntiandi essent, maximè in sententia eorum, qui cum Hispanis tenent, poligamiam, solicitationem & alia delicta huiusmodi non inducere vehementem suspicionem, sed tantum leuem, id autem absurdum est, ergo & prædictorum sententia.

Quæres 5. An non valens probare adhuc teneatur denuntiare?

7 ℞. Affirmatiuè, quia in hoc tribunali vsus probatissimus obtinuit, ne denuntiator teneatur probare, quamuis de iure aliàs teneretur *ex l. Diuus, l. Ab accusatore ff. ad senatus consul. Turpil.* abrogato per contrariam consuetudinem legitimè introductam etiam in aliis iudiciis, ex Saliceto, & Mariano Socino probat Eimer. *part. 2. Rubr. de secundo modo proced.* Confirmatur. Tum quia, talis denuntiatio multum vtilis est reipublicæ Catholicæ, ex qua Inquisitor ex officio, & ex vi sui nominis, tenetur inquirere delicta aduersantia sanctæ fidei, quod facit per suum Fiscalem. Tum quia, cum quilibet teneatur denuntiare, facilè eueniet, vt aperiatur via aliis denuntiatoribus. Est communissima sententia doctorum, quos pro se citant Farinac. *q.* 197. *n.* 36. Diana *res.* 1. *de denunt. & p.* 7. *tract.* 12. *resol.* 21. contra Fagundez, Reginaldus, & alios paucos. Nec iste denuntiator dicitur peccare contra iustitiam, quia per hoc reus non exponitur periculo infamiæ ex defectu aliquo denuntiatoris, cum benefaciat obediendo Inquisitoris Edicto, peccans enim legis auctoritate non peccet, *Cap. Qui peccat ver.* 23. *q.* 4. Sed sibi imputet, qui enim facit quod non debet recipit quod non oportet.

Quæres 6. An sciens secretissimè aliquem hæreticum teneatur denuntiare?

8 ℞. Affirmatiuè, quia licet secretum naturaliter obliget, nihilominus etiam ius naturale dictat conseruationem vnius fidei, & extirpationem hæresis, ideo hoc vti bonum publicum, & commune toti Christianæ religioni præferendum est illi alteri vti respicienti bonum priuatum vnius personæ. Excipitur secretum Confessionis, nam confessarius sciens ex Sacramento hoc aliquem esse hæreticum non tenetur, immo neque potest illum denuntiare, contra illud falsum carmen. *Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.* Verte sic. *Hæresis est delictum, quod confessio celat.* Scotus in 4. *dist.* 21. *q.* 2. vbi Faber *de Pœnit. disp.* 34. *num.* 72. Prædicta locum habent in hæretico formali, licet secretum pendeat ex consilio petito, in aliis casib. vbi agitur de suspicione secretum ex consilio excusat, prout dixi *cap.* 23. *num.* 95.

Quæres 7. An denuntiandus sit, qui post perpetratum delictum superstitionis, Blasphemiæ, statim pœnitet?

9 ℞. Affirmatiuè. Tum quia, huiusmodi pœnitentia non tollit obligationem ex parte eius qui denuntiare tenetur, sed ostendit pœnitentem tædere malefacti. Tum quia, neque Sacramentalis pœnitentia tollit huiusmodi obligationes, nam fur post absolutionem adhuc tenetur restituere ablatum, *cap. Ventum est* 18. 1. *q.* 1. Tum quia, in delictis spectatur voluntas deliberata in factum transiens, non perseuerantia voluntatis in eo, aut subita illius retractatio per actum voluntatis, ergo parum refert pœnitentia, quo ad hoc. Dixi *c.* 23. *num.* 98. Trimarchus *disp.* 12. *sect.* 1.

Quæres 8. An denuntiatus ab vno debeat etiam denuntiari ab aliis?

℞. Denuntiatus ab vno, ex quo punitus fuit pœna debita delicto, de quo fuit querelatus, non est amplius de eodem delicto iam perpetrato denuntiandus, quia sicut Deus non iudicat bis idipsum, *cap. Sunt* 42. *dist.* 3. *de Pœnit.* ita neque homo iudex, neque enim debet consurgere duplex tribulatio, Nahum, *cap.* 1. *num.* 9. quia afflictio non est, addenda afflicto, *cap. Cum percussio* 2. 7. *q.* 1. *l. Pœna* 9. *ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* 10

Quod si querelatus nondum fuit sententiatus, sciens illius delictum, tenetur denuntiare, vt iudicium suum possit sortiri effectum.

Si verò condemnatus fuit in pœnam extraordinariam, defectu probationis, & ego id sciam, teneor denuntiare, vt iudicium debitum sortiatur effectum; à fortiori, si ab imputatione absolutus fuit defectu probationis, non enim expedit delicta remanere impunita. Si sermo sit de solicitatione singulæ personæ solicitatæ necessario semper debent denuntiare, non obstante alterius denuntiatione, quia sicut augentur solicitationes, ita & pœna solicitantium. Si quis fecit sortilegium, vel blasphemauit coram quatuor aut quinque sufficiũt duo in testes, alij non tenentur, quia reus plene condemnari potest. Quidquid dicant nonnulli apud Trimarchum *disp.* 12. *n.* 37. Diana *resol.* 26. *de denunt.* eo falso fundamento, quod iam emendatus non est denuntiandus, reiecto *sub quæst.* 3. Vide adducta per doctores adductos à Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 35. quæ faciunt in confirmationem prædictorum.

Quæres 9. An sibi timens aliquod damnum ex denuntiatione imminens teneatur denuntiare?

℞. Non obstante quouis damno probabiliter imminente in vita, honore, & rebus tam propriis, quam coniunctorum, quilibet tenetur denuntiare hæreticum, licet non dogmatizet. Excusatur verò à denuntiandis de hæresi suspectis, vti blasphemantibus, abutentibus Sacramentis, sortilegis, &c. 11

Primum, quod nullus metus etiam mortis excuset respectu hæretici formalis, probatur. Tum quia, vnusquisque pro republica tenetur vitam ponere, si opus sit, impediendo damna illi imminentia, vt omnes docent; sed inter damna, quæ potissimum obesse possunt reipublicæ Christianæ, est hæresis, quæ vt cancer serpit, ergo ea denuntianda non obstante quouis metu. Tum quia, conseruatio propriæ vitæ quid minus est conseruatione fidei, & eiusdem propagatione, in conseruatione enim vitæ attenditur bonum priuatum, & vtilitas propria, in conseruatione fidei extirpatione hæresum inspicitur bonum commune totius reipublicæ Catholicæ, ergo præponenda est conseruatio fidei vitæ propriæ, est enim regulare, quod bonum proprium & priuatum postponitur bono communi, & publico, ex vulgatis iuribus, nam bonum maius præponitur minori, *cap.* 18. §. *Si verò, de regul.* & priuato præfertur publicum, *cap.* 3. *de postulat. prælat.* Tum quia, nullum extat præceptum conseruandi propriam vitam, sed ponere potest pro actibus virtutis, secundum illud Domini. *Maiorem caritatem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* Quod maximè locum habet hic, vt quis profundat suum corpus exponendo se periculo mortis pro tuenda fide contra hæreticos denuntiando illos Inquisitoribus, vtique verò præceptum est naturale, diuinum, & humanum defendendi, & conseruandi fidem denuntiatione hæreticorum, ergo hoc simpliciter vrget contra conseruationem propriæ vitæ. Ita docet Bonac. *part.* 2. *de onere denunt.* §. 3. *num.* 6. vbi citat Farin. Mascardum, Suar. & Azorium. Freitas, & Royas apud Dianam, *resol.* 7. *de denunt.* Carena *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 34. §. *An autem* Genuensis *cap.* 18. *n.* & consensit contra dogmatizantem tantum, cum Sanctarello,

Homobono,

Homobono, Trimarch. *disp.* 13. *num.*7. Igitur siue dogmatizet, siue non, denuntiandus est. Confirmantur prædicta, quia hæreticus formalis aut comburitur, aut immuratur perpetuò, ex quo denuntiaturus nullam habet rationabilem causam timendi sibi aliquod notabile damnum ex persona hæretici, qui fit impotens ex dictis pœnis.

Nonnulli excusant ab excommunicatione lata in Edictis omittentes denuntiationem hæreticorum ob metum notabilis damni probabiliter imminentis, quia leges, & præcepta humana non obligant cum tanto rigore, neque Inquisitores præsumuntur constringere in eo casu sub pœna excommunicationis lata. Dicunt igitur quemlibet obligari quidem etiam cum periculo vitæ ad denuntiandum, non ex vi Edicti, sed virtute iuris naturæ, quo vnusquisque tenetur reipublicæ damnis occurrere, & illa impedire. Mihi non probatur hæc speculatio, Tum quia, leges humanæ etiam cum periculo vitæ obligare possunt Caiet. 1. 2. *q.*96. *art.*4. & aliquando obligant, cum Soto *lib.* 1. *de iust.* *q.*6. *art.*4. Suarez *lib.* 3. *de legib. cap.* 30. *num.*4. Vasq. *disp.*161. *cap.*2. Tum quia, Edicta Inquisitorum coadiuuant conseruationem præcepti naturalis de occurrendo, & impediendo hæreses, adiectione pœnarum ergo ea intelligenda sunt secundum obligationem ipsius legis naturæ, nimirum cum periculo vitæ; neque enim inducta in fauorem operari debent diminutionem. Tum quia, tunc lex humana censetur obligare cum periculo vitæ, quando eius obseruatu magis conducit ad bonum commune totius reipublicæ, maxime religionis statui, quam conseruatio propriæ vitæ, nulli autem dubium est, plus vtile esse denuntiare hæreticum, quam propriam vitam conseruare.

Secundum, quod in periculo mortis, aut alterius notabilis mali, cesset obligatio denuntiandi suspectos, probatur. Tum quia in aliis delictis non apparet illa pestifera qualitas serpendi, & inficiendi Catholicam religionem, vt contingit in hæresi. Tum quia suspicio hæresis de se hæresis non est, sed Iudices huius fori prudenter suspicantur induci posse ex nonnullis delictis, in quibus virtualiter fouetur, ergo in casu periculi notabilis damni non est inducenda obligatio tam rigorosa. Tum quia, pœnæ latæ contra hæreticos, nulla mentione facta de suspectis de hæresi, ad hos extendendæ non sunt, siquidem statutum, seu dispositio loquens de hæreticis, non habet locum in suspectis, ex allegatis per Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 27. consequenter rigorosa obligatio denuntiandi hæreticos cum periculo vitæ non est extendenda ad suspectos de hæresi. Ita Sancius *disp.*11. *n.* 65. Fagundez præcepta 2. *lib.*4. *cap.* 3. *num.* 31. alios pro se citat. Trimarch. *disp.*13. *num.*4. Homob. *p.*2. *de casib. reseru. c.*1. *fol.*141. & alij communiter.

12 Verum quidem est, quod necesse est, vt non solum huiusmodi periculum mente concipiatur, sed vt rationibus, & coniecturis valde solidis conceptum periculum ostendat, vnde in hoc facto opus est viri prudentis, & timoratæ conscientiæ consilio. Pono exemplum in ea muliere, quæ solicitata non vult denuntiare timens sibi periculum honoris, aut vitæ, honoris, quidem, quia ex eo, quod consensit in solicitationem, putat, confessarium coram iudice esse copulam manifestaturum; vitæ vero, quia suspicatur confessarium per se, vel per consanguineos, aut amicos, sumpturum esse vindictam de illa, eo quod certo scit aliam personam non potuisse illum denuntiare præter solicitatam. Si similes, rationes admittantur, euanescit obligatio denuntiandi, quia quilibet confessarius solicitans certo credere potest, nullam aliam personam præter solicitatam denuntiasse, ne ergo euanescat obligatio in hoc casu denuntiandi, dicitur eam rationem esse friuolam, & aliunde periculum accipiendum est, nam scientia personæ denuntiantis ex parte confessarij non sufficit ad concipiendum probabile periculum ex parte denuntiantis, sed quod aliàs ille confessarius inquisitus ex hoc damnum intulit denuntiatori, seu testibus. Neque timor, quem habet solicitata ex copula sequuta, alicuius est momenti, quia de illo consensu nulla mentio facienda est, præterquamquod mulier ne quidquam putauit detrimenti circa suum honorem, quando consensit in solicitationem, & modo in re honesta, & necessaria, cuiusmodi est actus denuntiationis, cogitat de honore amisso, vt excusetur ab abligatione denuntiandi. Nec facit, quod maritus deueniet in cognitionem solicitationis, & eam maletractabit, quia secreto accedat ad Inquisitorem, qui accepta denuntiatione cum omni secretudine illam dimittet, absque eo, quod maritus de re hac cognitionem habeat, præterquamquod non est dedecus mariti, quando mulier reiecit impudentiam solicitantis ex quo neque vxor rationabiliter concipere potest indignationem mariti contra se.

Quæres 10. An filius teneatur denuntiare patrem hæreticum, vel suspectum de hæresi? & è contra patet filium?

℞. Filius tenetur denuntiare parentes hæreticos, licet non dogmatizent, & è contra, quod clare colligitur Deuteron. *c.*13. *n.*6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens. Eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul sunt, ab initio vsque ad finem terræ, non aquiescas ei, nec audias, neque pareat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo.* Tanta igitur est obligatio denuntiandi hæreticum, vt nec proprius filius excusetur erga patrem, & matrem, sed tenetur illos denuntiare; & è contra parentes tenentur denuntiare filios. Est communis sententia apud Farinac. *q.* 197. *n.* 40. Dianam *resolut.* 4. *de denunt.* Carenam *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 10. Contrarium tenent Abulensis, Simanchas, Genuensis, & Gutier. apud Carenam, alij apud Dianam asserentes filios non teneri denuntiare parentes hæreticos, nisi quando dogmatizant; nec esse cogendos in testes, quando absunt alij testes. Quod ad suspectos, de hæresi non tenentur denuntiare secundum humaniorem opinionem, quod probatur. Tum ex eo, quod non est obligatio denuntiandi extraneos, cum timetur damnum notabile, ex probatis præcedenti quæstione, ergo neque respectu parentum ob notabile damnum redundans in ipsos filios. Tum quia, ita multi docent cum Homob *part.* 2. Examinis *tract.* 7. *cap.* 7. *q.* 32. apud supracitatos, quidquid dicat Carena *part.* 2. *tit.* 9. *n.* 13. denuntiandum esse patrem de hæresi suspectum cum Zechio *casu* 2. *num.* 2. Lazar. *quæst.* 12. *num.* 57. Comitulus *lib.* 4. *q.* 8. & aliis, ductus Carena ex ratione familiari, quod Edicta Inquisitorum loquuntur generaliter, ac proinde sunt generaliter, & indistinctè intelligenda, id enim procedit, quando aliqua specialis ratio contrarium non suadet, *ex l. Heres absens ff. de hæred. institu.* neque generaliter dictum refertur ad extraordinaria, *l. Scio amico* §. *Medico ff. de ann. legat.* 13

Quæres 11. An vxor maritum, & è contra maritus vxorem? Item, frater fratrem, & vnus alterum consanguineum.

℞. Nulli dubium est teneri denuntiare, si sit hæreticus, quod à fortiori constat ex dictis, si enim filius tenetur denuntiare patrem hæreticum, eo magis vxor 14

& doctores spectat considerare qualitatem suspicionis, non autem ad denuntiatores, quibus præcipitur tantum notificatio delictorum, ex quibus inducitur suspicio. Scio Castrensem, Sanctarellum, Genuensem cum aliis apud ipsos docere, non esse obligationem denuntiandi leuiter suspectos, quorum tamen placitum sequendum non est ob dictam rationem, præterquam quod pauci denuntiandi essent, maximè in sententia eorum, qui cum Hispanis tenent, poligamiam, solicitationem & alia delicta huiusmodi non inducere vehementem suspicionem, sed tantum leuem, id autem absurdum est, ergo & prædictorum sententia.

Quæres 5. An non valens probare adhuc teneatur denuntiare?

7 ℟. Affirmatiuè, quia in hoc tribunali vsus probatissimus obtinuit, ne denuntiator teneatur probare, quamuis de iure aliàs teneretur *ex l. Diuus, l. Ab accusatore ff. ad senatus consul. Turpil.* abrogato per contrariam consuetudinem legitimè introductam etiam in aliis iudiciis, ex Saliceto, & Mariano Socino probat Eimer. *part. 2. Rubr. de secundo modo proced.* Confirmatur. Tum quia, talis denuntiatio multum vtilis est reipublicæ Catholicæ, ex qua Inquisitor ex officio, & ex vi sui nominis, tenetur inquirere delicta aduersantia sanctæ fidei, quod facit per suum Fiscalem. Tum quia, cum quilibet teneatur denuntiare, facilè eueniet, vt aperiatur via aliis denuntiatoribus. Est communissima sententia doctorum, quos pro se citant Farinac. *q. 197. n. 36.* Diana *res. 1. de denunt. & p. 7. tract. 12. resol. 21.* contra Fagundez, Reginaldus, & alios paucos. Nec iste denuntiator dicitur peccare contra iustitiam, quia per hoc reus non exponitur periculo infamiæ ex defectu aliquo denuntiatoris, cum benefaciat obediendo Inquisitoris Edicto, peccans enim legis auctoritate non peccet, *Cap. Qui peccat ver. 23. q. 4.* Sed sibi imputet, qui enim facit quod non debet recipit quod non oportet.

Quæres 6. An sciens secretissimè aliquem hæreticum teneatur denuntiare?

8 ℟. Affirmatiuè, quia licet secretum naturaliter obliget, nihilominus etiam ius naturale dictat conseruationem vnius fidei, & extirpationem hæresis, ideo hoc vti bonum publicum, & commune toti Christianæ religioni præferendum est illi alteri vti respicienti bonum priuatum vnius personæ. Excipitur secretum Confessionis, nam confessarius sciens ex Sacramento hoc aliquem esse hæreticum non tenetur, immo neque potest illum denuntiare, contra illud falsum carmen. *Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.* Verte sic. *Hæresis est delictum, quod confessio celat.* Scotus in *4. dist. 21. q. 2.* vbi Faber *de Pœnit. disp. 34. num. 72.* Prædicta locum habent in hæretico formali, licet secretum pendeat ex consilio petito, in aliis casib. vbi agitur de suspicione secretum ex consilio excusat, prout dixi *cap. 23. num. 95.*

Quæres 7. An denuntiandus sit, qui post perpetratum delictum superstitionis, Blasphemiæ, statim pœnitet?

9 ℟. Affirmatiuè. Tum quia, huiusmodi pœnitentia non tollit obligationem ex parte eius qui denuntiare tenetur, sed ostendit pœnitentem tædere malefacti. Tum quia, neque Sacramentalis pœnitentia tollit huiusmodi obligationes, nam fur post absolutionem adhuc tenetur restituere ablatum, *cap. Ventum est 18. 1. q. 1.* Tum quia, in delictis spectatur voluntas deliberata in factum transiens, non perseuerantia voluntatis in eo, aut subita illius retractatio per actum voluntatis, ergo parum refert pœnitentia, quo ad hoc. Dixi *c. 23. num. 98.* Trimarchus *disp. 12. sect. 1.*

Quæres 8. An denuntiatus ab vno debeat etiam denuntiari ab aliis?

℟. Denuntiatus ab vno, ex quo punitus fuit pœna debita delicto, de quo fuit querelatus, non est amplius de eodem delicto iam perpetrato denuntiandus, quia sicut Deus non iudicat bis idipsum, *cap. Sunt 42. dist. 3. de Pœnit.* ita neque homo iudex, neque enim debet consurgere duplex tribulatio, Nahum, *cap. 1. num. 9.* quia afflictio non est, addenda afflicto, *cap. Cum percussio 2. 7. q. 1. l. Pœna 9. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* 10

Quod si querelatus nondum fuit sententiatus, sciens illius delictum, tenetur denuntiare, vt iudicium suum possit sortiri effectum.

Si verò condemnatus fuit in pœnam extraordinariam, defectu probationis, & ego id sciam, teneor denuntiare, vt iudicium debitum sortiatur effectum; à fortiori, si ab imputatione absolutus fuit defectu probationis, non enim expedit delicta remanere impunita. Si sermo sit de solicitatione singulæ personæ solicitatæ necessario semper debent denuntiare, non obstante alterius denuntiatione, quia sicut augentur solicitationes, ita & pœna solicitantium. Si quis fecit sortilegium, vel blasphemauit coram quatuor aut quinque sufficiūt duo in testes, alij non tenentur, quia reus plene condemnari potest. Quidquid dicant nonnulli apud Trimarchum *disp. 12. n. 37.* Diana *resol. 26. de denunt.* eo falso fundamento, quod iam emendatus non est denuntiandus, reiecto *sub quæst. 3.* Vide adducta per doctores adductos à Diana *part. 4. tract. 7. resolut. 35.* quæ faciunt in confirmationem prædictorum.

Quæres 9. An sibi timens aliquod damnum ex denuntiatione imminens teneatur denuntiare?

℟. Non obstante quouis damno probabiliter imminente in vita, honore, & rebus tam propriis, quam coniunctorum, quilibet tenetur denuntiare hæreticum, licet non dogmatizet. Excusatur verò à denuntiandis de hæresi suspectis, vti blasphemantibus, abutentibus Sacramentis, sortilegis, &c. 11

Primum, quod nullus metus etiam mortis excuset respectu hæretici formalis, probatur. Tum quia, vnusquisque pro republica tenetur vitam ponere, si opus sit, impediendo damna illi imminentia, vt omnes docent; sed inter damna, quæ potissimum obesse possunt reipublicæ Christianæ, est hæresis, quæ vt cancer serpit, ergo ea denuntianda non obstante quouis metu. Tum quia, conseruatio propriæ vitæ quid minus est conseruatione fidei, & eiusdem propagatione, in conseruatione enim vitæ attenditur bonum priuatum, & vtilitas propria, in conseruatione fidei extirpatione hæresum inspicitur bonum commune totius reipublicæ Catholicæ, ergo præponenda est conseruatio fidei vitæ propriæ, est enim regulare, quod bonum proprium & priuatum postponitur bono communi, & publico, ex vulgatis iuribus, nam bonum maius præponitur minori, *cap. 18. §. Si verò, de regul.* & priuato præfertur publicum, *cap. 3. de postulat. prælat.* Tum quia, nullum extat præceptum conseruandi propriam vitam, sed ponere potest pro actibus virtutis, secundum illud Domini. *Maiorem caritatem nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis.* Quod maximè locum habet hic, vt quis profundat suum corpus exponendo se periculo mortis pro tuenda fide contra hæreticos denuntiando illos Inquisitoribus, vtique verò præceptum est naturale, diuinum, & humanum defendendi, & conseruandi fidem denuntiatione hæreticorum, ergo hoc simpliciter vrget contra conseruationem propriæ vitæ. Ita docet Bonac. *part. 2. de onere denunt. §. 3. num. 6.* vbi citat Farin. Mascardum, Suar. & Azorium. Freitas, & Royas apud Dianam, *resol. 7. de denunt.* Carena *part. 2. tit. 9. num. 34. §. An autem* Genuensis *cap. 18. n.* & consensit contra dogmatizantem tantum, cum Sanctarello, Homobono,

Homobono, Trimarch. *disp.* 13. *num.*7. Igitur siue dogmatizet, siue non, denuntiandus est. Confirmantur prædicta, quia hæreticus formalis aut comburitur, aut immuratur perpetuò, ex quo denuntiaturus nullam habet rationabilem causam timendi sibi aliquod notabile damnum ex persona hæretici, qui fit impotens ex dictis pœnis.

Nonnulli excusant ab excommunicatione lata in Edictis omittentes denuntiationem hæreticorum ob metum notabilis damni probabiliter imminentis, quia leges, & præcepta humana non obligant cum tanto rigore, neque Inquisitores præsumuntur constringere in eo casu sub pœna excommunicationis lata. Dicunt igitur quemlibet obligari quidem etiam cum periculo vitæ ad denuntiandum, non ex vi Edicti, sed virtute iuris naturæ, quo vnusquisque tenetur reipublicæ damnis occurrere, & illa impedire. Mihi non probatur hæc speculatio, Tum quia, leges humanæ etiam cum periculo vitæ obligare possunt Caiet. 1. 2. *q.*96. *art.*4. & aliquando obligant, cum Soto *lib.* 1. *de iust. q.*6. *art.*4. Suarez *lib.*3. *de legib. cap.*30. *num.*4. Vasq. *disp.*161. *cap.*2. Tum quia, Edicta Inquisitorum coadiuuant conseruationem præcepti naturalis de occurrendo, & impediendo hæreses, adiectione pœnarum ergo ea intelligenda sunt secundum obligationem ipsius legis naturæ, nimirum cum periculo vitæ; neque enim inducta in fauorem operari debent diminutionem. Tum quia, tunc lex humana censetur obligare cum periculo vitæ, quando eius obseruatu magis conducit ad bonum commune totius reipublicæ, maxime religionis statui, quam conseruatio propriæ vitæ, nulli autem dubium est, plus vtile esse denuntiare hæreticum, quam propriam vitam conseruare.

Secundum, quod in periculo mortis, aut alterius notabilis mali, cesset obligatio denuntiandi suspectos, probatur. Tum quia in aliis delictis non apparet illa pestifera qualitas serpendi, & inficiendi Catholicam religionem, vt contingit in hæresi. Tum quia suspicio hæresis de se hæresis non est, sed Iudices huius fori prudenter suspicantur induci posse ex nonnullis delictis, in quibus virtualiter fouetur, ergo in casu periculi notabilis damni non est inducenda obligatio tam rigorosa. Tum quia, pœnæ latæ contra hæreticos, nulla mentione facta de suspectis de hæresi, ad hos extendendæ non sunt, siquidem statutum, seu dispositio loquens de hæreticis, non habet locum in suspectis, ex allegatis per Ricciull. *lib.*5. *cap.*19. *n.*27. consequenter rigorosa obligatio denuntiandi hæreticos cum periculo vitæ non est extendenda ad suspectos de hæresi. Ita Sancius *disp.*11. *n.* 65. Fagundez præcepta 2. *lib.*4. *cap.* 3. *num.* 31. alios pro se citat. Trimarch. *disp.*13. *num.*4. Homob. *p.*2. *de casib. reseru.c.*1. *fol.*141. & alij communiter.

12 Verum quidem est, quod necesse est, vt non solum huiusmodi periculum mente concipiatur, sed vt rationibus, & coniecturis valde solidis conceptum periculum ostendat, vnde in hoc facto opus est viri prudentis, & timoratæ conscientiæ consilio. Pono exemplum in ea muliere, quæ solicitata non vult denuntiare timens sibi periculum honoris, aut vitæ, honoris, quidem, quia ex eo, quod consensit in solicitationem, putat, confessarium coram indice esse copulam manifestaturum; vitæ vero, quia suspicatur confessarium per se, vel per consanguineos, aut amicos, sumpturum esse vindictam de illa, eo quod certo scit aliam personam non potuisse illum denuntiare præter solicitatam. Si similes, rationes admittantur, euanescit obligatio denuntiandi, quia quilibet confessarius solicitans certo credere potest, nullam aliam personam præter solicitatam denuntiasse, ne ergo euanescat obligatio in hoc casu denuntiandi, dicitur eam rationem esse friuolam, & aliunde periculum accipiendum est, nam scientia personæ denuntiantis ex parte confessarij non sufficit ad concipiendum probabile periculum ex parte denuntiantis, sed quod aliàs ille confessarius inquisitus ex hoc damnum intulit denuntiatori, seu testibus. Neque timor, quem habet solicitata ex copula sequuta, alicuius est momenti, quia de illo consensu nulla mentio facienda est, præterquamquod mulier ne quidquam putauit detrimenti circa suum honorem, quando consensit in solicitationem, & modo in re honesta, & necessaria, cuiusmodi est actus denuntiationis, cogitat de honore amisso, vt excusetur ab abligatione denuntiandi. Nec facit, quod maritus deueniet in cognitionem solicitationis, & eam maletractabit, quia secreto accedat ad Inquisitorem, qui accepta denuntiatione cum omni secretudine illam dimittet, absque eo, quod maritus de re hac cognitionem habeat, præterquamquod non est dedecus mariti, quando mulier reiecit impudentiam solicitantis ex quo neque vxor rationabiliter concipere potest indignationem mariti contra se.

Quæres 10. An filius teneatur denuntiare patrem hæreticum, vel suspectum de hæresi? & è contra patet filium?

℞. Filius tenetur denuntiare parentes hæreticos, licet non dogmatizent, & è contra, quod clare colligitur Deuteron. *c.*13. *n.*6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens. Eamus, & seruiamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta, vel procul sunt, ab initio vsque ad finem terræ, non acquiescas ei, nec audias, neque pareat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum, lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo.* 13
Tanta igitur est obligatio denuntiandi hæreticum, vt nec proprius filius excusetur erga patrem, & matrem, sed tenetur illos denuntiare; & è contra parentes tenentur denuntiare filios. Est communis sententia apud Farinac. *q.* 197. *n.* 40. Dianam *resolut.* 4. *de denunt.* Carenam *part.*2. *tit.* 9. *num.* 10. Contrarium tenent Abulensis, Simanchas, Genuensis, & Gutier. apud Carenam, alij apud Dianam asserentes filios non teneri denuntiare parentes hæreticos, nisi quando dogmatizant; nec esse cogendos in testes, quando absunt alij testes. Quod ad suspectos, de hæresi non tenentur denuntiare secundum humaniorem opinionem, quod probatur. Tum ex eo, quod non est obligatio denuntiandi extraneos, cum timetur damnum notabile, ex probatis præcedenti quæstione, ergo neque respectu parentum ob notabile damnum redundans in ipsos filios. Tum quia, ita multi docent cum Homob *part.*2. Examinis *tract.* 7. *cap.* 7. *q.*32. apud supracitatos, quidquid dicat Carena *part.*2. *tit.*9. *n.*13. denuntiandum esse patrem de hæresi suspectum cum Zechio *casu* 2. *num.*2. Lazar. *quæst.*12. *num.*57. Comitulus *lib.*4. *q.*8. & aliis, ductus Carena ex ratione familiari, quod Edicta Inquisitorum loquuntur generaliter, ac proinde sunt generaliter, & indistinctè intelligenda, id enim procedit, quando aliqua specialis ratio contrarium non suadet, *ex l. Heres absens ff. de hæred. institu.* neque generaliter dictum refertur ad extraordinaria, *l. Scio amico* §. *Medico ff. de ann. legat.*

Quæres 11. An vxor maritum, & è contra maritus vxorem? Item, frater fratrem, & vnus alterum consanguineum.

℞. Nulli dubium est teneri denuntiare, si sit hæreticus, quod à fortiori constat ex dictis, si enim filius tenetur denuntiare patrem hæreticum, eo magis vxor 14

virum, & consanguineus consanguineum, quia minor coniunctio, affectio, & naturalis obligatio est inter hos, quam inter filium, & parentes, Ita Pegna & Freitas, quos pro se citat Diana *resolut.* 5. *de denunt.* Carena *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 10. Loquendo vero de eisdem suspectis de hæresi non necessario denuntiandi sunt, secundùm auctores tenentes nobiscum de cœteris non obligatis denuntiare, vt patet ex præcedentibus.

Quæres 12. An quis hæreticus teneatur seipsum denuntiare?

15 ℞. Nemo tenetur denuntiare seipsum, Tum quia, nemo tenetur se prodere *cap. Quis aliquando* 87. *de pœnit. l. Nimis graue ff. de testib.* Tum quia, nullus tenetur suam turpitudinem detegere, *l. Alias ff. de iureiur. Dec. l. fin. C. edend. n.* 6. Beia *part.* 2. *casu* 2. §. *Ad confirmationem*, dicit esse de iure communi tum naturali, tum diuino, tum humano ne quis suum delictum occultum prodat, & in crimine hæresis docent omnes, quos citat Diana *resolut.* 8. *de denunt.* Bossius *de solicitat. num.* 73. *Clauis lib.* 12. *cap.* 16. *num.* 1.

Quæres 13. An quis teneatur denuntiare complicem? Negant Suar. *disp.* 20. *de fide sect.* 4. *num.* 18. Megal. *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 4. *num.* 30. Portell. *ver. Denuntiatio* 10. Probant primò, quia qui denuntiat complicem, reuelat propriam turpitudinem, ac proinde seipsum prodit, ad quod nemo tenetur. Secundo nemo tenetur cum amissione sui honoris, & periculo vitæ alterum denuntiare ex supradictis, in casu autem præsenti amittitur fama, honor, & reputatio, & incurritur periculum, immo euidens damnum in propria persona, ergo nulla est obligatio denuntiandi. Vnde ex his Portellus concludit fœminam, quæ consensit in confessarium solicitantem non teneri illum denuntiare.

16 ℞. In casu hæresis complex, qualis censetur ille, qui est auditor dogmatizantis sectando eius errores tenetur denuntiare suum Magistrum, in aliis delictis inducentibus suspicionem hæresis non nisi in casu solicitationis.

Primum de complice discipulo probatur, quia hoc delictum ita graue est, vt nullam habeat exceptionem præter sigillum confessionis; nec obstat ea prior ratio, quod nullus tenetur reuelare propriam turpitu-
17 dinem, quia id verum est, quando turpitudo ex sua natura non est aliis nociua, & toti reipublicæ perniciosa, vt hæresis, quæ vitium contagiosum est; præterea reuelare hæreticum est præceptum iuris naturæ, diuini, & humani; vitam verò, famam, & res proprias conseruare quis ita non obligatur, quin aliquando ex dictamine alicuius virtutis non solum possit, verum etiam debeat prædicta exponere periculo propter maius bonum, vt docent omnes; sed hæc doctrina locum habet hic cum agatur de extirpanda hæresi serpente in fideles in destructionem fidei, ergo complex discipulus magistrum denuntiare tenetur. Præterea discipulus auditor hæretici directe non dicitur reuelare suam turpitudinem, sed tantum in consequentiam, quatenus querelat magistrum à quo sanam doctrinam non recepit, non est autem obligatio reuelandi propriam turpitudinem directe, vtique in consequen-
18 tiam, ex eo, quod talis reuelatio redundat in propriam vtilitatem, cum iudex mitius cum istis agat & censeantur potius comparentes sponte, quam denuntiatores. Ex quo etiam patet ad secundam rationem minus periculum incurrere denuntiando, quam cessando à denuntiatione, nam si complex in denuntiatione præueniatur ab alio, substat maiori periculo, cum veniat puniendus de rigore iustitiæ, non sic ille, qui comparet denuntiaturus, cum quo mitius hoc Tribunal agit.
19 Secundum de casibus suspicionis non teneri complicem denuntiare suum complicem, probatur cohærenter ad dicta in præcedentibus quæstionibus, & docent supracitati.

Tertium de solicitatione patet ex dictis *cap.* 23. *q.* 24. mulierem non obstante consensu in solicitationem, adhuc teneri denuntiare confessarium, quia de copula, & consensu ne verbum quidem faciendum, consequenter mulier reuelando solicitationem, quæ stare potest, & debet in hac materia sine consensu copulæ spectari, non prodigit suum honorem, nec famam, neque alteri periculose exponit. Confirmatur id per ea quæ dixi hic *sub q.* 9. §. *Verum.*

Quæres 14. An confessarius possit absoluere obligatos ad denuntiandum, antequā oneri suo satisfaciat?

℞. Si obligatus denuntiare ex negligentia omisit
suum munus, ac proinde incurrit excommunicatio- 20
nem latam in edicto absolui non potest propter reseruatam excommunicationem. Quod si nondum tempus elapsum est, aut si præteriit, sed illi non currit, propter aliquod impedimentum, cum nondum dicatur excommunicatione affectus, absolui potest à confessario, dummodo illi promittat, se velle satisfacere suæ obligationi. Si verò alias promisit, & nondum satisfecit, dimittatur ad denuntiandum, & nequaquam absoluatur obstante excommunicatione, quam incurrit, non denuntiando cum posset, & teneretur. Vide Doctores citatos à Diana *resolut.* 27. Cautus sit confessarius in causis hæresis, prius si possibile est cogat pœnitentem ad denuntiandum, in grauioribus enim mora est periculosa, vbi enim maius periculum timetur, ibi cautius procedendum est, *cap. Vbi periculum, de elect. in* 6.

Quæres 15. Qualis sciens teneatur denuntiare, an ille tantum, qui ex propriis sensibus immediatè sit delictum? vt quia ipse oculis propriis vidit sortilegum facientem maleficium, vel Sacerdotem osculantem in confessionali mulierem, vel quia audiuit auribus propriis aliquem blasphemare &c. An verò qui illud scit ex auditu aliorum, qui sibi delictum narrauerunt?

℞. Tenemur denuntiare non solum, quæ scimus
ex propria scientia, quod apud omnes certum est, ve- 21
rum etiam ea, quæ scimus ex scientia aliorum, quæ scilicet ab aliis audiuimus, dum sint fide digni. Probatur. Tum ex verbis Edictorum, quæ ita se habent. *Notificare giuridicamente tutti, & ciascheduno di quelli, de quali sappiano, ò habbiano hauuto, ò hauerranno notitia*, distinguitur enim hic scientia personalis per illud verbum, *Sappiano*, quæ habetur per proprios sensus immediate, à scientia, seu notitia ab aliis per scripturam, vel locutionem habita per illud verbum, *Notitia*, à notificando. Tum quia, quæ nouimus ex aliorum auditu scire dicimur ad effectum reuelandi, ex iis, quæ dixi *cap.* 23. *num.* 94. Tum quia, denuntiatio facta ex huiusmodi notitia multum prodest Inquisitoribus, nam denuntians in eo casu vicem habet solius denuntiatoris, & personæ, à quibus auditum narratur, & reuelatur, adhibentur in testes oculares, & sic melius probatur delictum. Adest autem obligatio denuntiandi, licet ab vnico fide tamen digno denuntiator audiuerit, quia per illum Inquisitor dicitur sufficienter instructus ad inquirendum contra denuntiatum. Si verò is, à quo audiuimus, non sit fide dignus, non tenemur reuelare, quia veram notitiam sufficientem ad denuntiandum non acquisiuimus, cum hæc tota dependeat à persona dicente, quæ sicut fide digna non est, ita neque in nos veritatem sui dicti, cum ea careat, transfundere non potest. Ita Corduba *lib.* 1. *q.* 43. *dub.* 2. §. 6. Gutier. *quæst. Canon. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 71. Sanct. *cap.* 9. *de hæresi num.* 16. quos pro se citat Carena *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 31.

Quæres 16. An quando quis certo scit, seu probabiliter credit, Inquisitorem non puniturum hæreticum,

cum, vel suspectum de hæresi, teneatur nihilominus illum denuntiare? Auila cum aliis prout colligit *Bonac. part.1. de onere denunt.* §. 4. *num.* 3. negat, quia nullus obligatur ad opus inutile. In dubio verò aiunt esse obediendum.

22 ℞. Casus iste est magis speculatiuus, quam practicabilis, vnde habes certam notitiam, aut cognitionem probabilem iudicem non esse puniturum delinquentem? aliter enim iudicare sapit iudicium temerarium, vnde nemo potest certo, aut probabiliter scire, hunc defectum iudici infuturum, si iudicium probatur temerarium, & irrationabile, vti reuera tale est, nam semper pro iudice præsumendum est, quod bene functus sit officio suo, & potissimum, quod obibit illum, nisi expressè contrarium constet, quod respectu effectus euenturi constare non potest, cum de futuris non habeatur certa scientia, de præsumptione pro iudice, *cap. Post cessionem de probat. cap. Sicut, de re iud. cap. In præsentia, de renunt. ex glos. fin. in cap. Ad reprimendam* 8. *de off. ordin.* Glos. *ver. cum ipsi, cap.* 14. *de priuileg.* Nec dicas, constat hunc nocentem dimissum fuisse innocentem, quia licet tibi constaret maleficium huius, præsumere debet pro iudice, nimirum illi non constitisse saltem vt iudici tale delictum commisisse. Itaque difficile est bene male sentire de iudice.

Quæres 17. An negligens denuntiationem tam hæretici, quam suspecti de hæresi fiat suspectus de

23 hæresi?

℞. Non denuntians hæreticum, cum possit, regulariter est suspectus tantum leuiter de hæresi, nisi omiserit ob metum cadentem in virum constantem, quia præsumuntur omittere denuntiationem, non vt defendant hæresim, sed vel negligentia, vel ex metu, aut alia causa consanguinitatis, aut amicitiæ, nisi ea amicitia, & familiaritas nimis assidua esset, ex qua induceretur vehemens suspicio hæresis. Ita Duardus ad Bullam *lib.2.cap.1.q.*33.*n.* 17. ex illo Carena *part.* 2. *tit.* 9. *num.* 44. de suspicione simpliciter omnes fere do-

24 ctores, quos citat Farinac. *q.*197.*num.*38.

Non denuntians suspectum de hæresi non fit suspectus, quia præsumptio non oritur ex præsumptione, nec suspicio ex suspicione, bene inquit prædictus Carena.

25 Quæres 18. An denuntiator simul & semel fungatur etiam officio testis?

℞. Affirmatiuè, quod probatur ex Bulla 23. Iulij 111. in cap. *In multis* §.10. *in condemnando pro hoc execrabili scelere stabitur duobus testibus si de dignis*; poterit haberi loco testis vnius denuntians, si medio iuramento denuntiet, diligenter obseruata qualitate, integritate, & reliquis circumstantiis tum denuntiantis, tum alterius tertij. Deinde deducitur *ex cap. In omni* 4. *de testib.* vbi denuntiator succedit in testem, quod confirmatur tum fauore fidei, quia summa est ratio, quæ pro religione stat, ex vulgatis iuribus; tum ex praxi omnium Inquisitorum. Ita Molfesius, & Bariola, quos pro se citat Trimarch. *disp. fin. num.* 34. Et ego *resolut.* 101. *q.* 9. Nec obstant, quæ ab aduersariis adducuntur, quod idem esset actor, & testis, quia id non decet, quando quis suam prosequitur causam, tunc enim non potest esse actor, & subsequenter testis, denuntiator autem in causis fidei propriè non dicitur actor, quia non suam, sed Christi causam tuetur. Nec facit, quod præsumatur aduersus denuntiantem, qui instat vt pœna alteri infligatur, *ex cap. Si quis* 2. *q.* 7. quia hæc præsumptio hic locum non habet, denuntiator enim mouetur non ad vindictam, sed vt obediat Edicto Inquisitoris. His responderi potest ad alia, si quæ obiici possent. Ita quod si denuntiator calumniatus sit proximum vti falsus testis puniri potest, Palaus apud Carenam, *part.* 3. *tit.* 1. *n.* 20. Per ipsius denuntiationem, si sit omni exceptio maior, iudex ad interrogandum reum deuenire potest, habet enim ex hoc semiplenam probationem. Quando agitur de condemnando hæreticum formalem in pœnam ordinariam non succedit loco testis, *cap.* 36. *num.* 80.

Quæres 19. An testis subticens veritatem, vel falsum ex crimen teneatur denuntiare sub pœna excommunicationis?

℞. Affirmatiuè, quia ex sua iniquitate non debet 26
reportare commodum, & exemptionem; neque debet esse melioris conditionis eorum, qui contra Sanctum Officium non peccarunt, qui denuntiare tenentur, ergo à fortiori iste.

CAPVT XXXII.

De Captura & Carceratis.

SVMMARIVM.

1 *Captura initium sumit à mandato iudicis.*
2 *Citatio est vocatio rei coram iudice responsuri.*
3 *Tria sunt de eius essentia.*
4 *In criminalibus citatio fere semper est realis.*
5 *Non necessariò exprimenda causa in specie.*
6 *Citationes ad condemnandum absentem.*
7 *Præsentem vna sufficit.*
8 *Contumax domi, vel in locis solitis vocatur.*
9 *Nuntio credendum referenti citationem in actis.*
10 *Citatio facta non præsumitur.*
11 *Citatio ad locum non securum nulla est.*
12 *Citari extra existens non potest.*
13 *Capitur repertus in fragranti crimine.*
14 *Capi non potest, nisi præcedentibus indiciis ad torturam, nisi fuga timeatur.*
15 *Appellatur à carcere non à citatione.*
16 *Quid agendum in actu capturæ.*
17 *Inquisitor mandat capturam sine Episcopo.*
18 *Citatus eadem hora ab vtroque datur optio reo.*
19 *Delegatus Papæ, quando sit maior ordinario.*
20 *Quæ indicia ad Capturam.*
21 *In Ecclesia capi possunt hæretici, & suspecti.*
22 *Quomodo puniatur fugiens carceribus fractis.*
23 *Fuga indicium ad torturam.*
24 *Fuga relapsum non facit.*
25 *Fuga non facit hæreticum.*
26 *Quid de seipso occidente in carcere?*
27 *Frangens carceres reus Bullæ Pij V.*
28 *Præceptum non alloquendi carceratos comprehendit omnes carceratos etiam ad pœnam.*
29 *Carcer infamat.*

INitium Capturæ semper desumitur à citatione à 1
iudice decernenda, nullus enim capi, & carcerari regulariter potest sine mandato iudicis, coram quo aliquis querelatus est. Ideo.

Quæres 1. Quid sit citatio, quotuplex, & quæ ad eius substantiam spectant?

℞. Citatio est iuridica vocatio rei coram iudice 2
responsuri ad interrogata; quæ tribus modis fieri potest, voce, scriptura, aut apprehensione personæ primis duobus modis dicitur citatio personalis, voce, cum nuntius verbaliter admonet reum de comparendo coram iudice, aut scriptura ad domum citandi transmissa per currerium, vel in locis solitis affixa, sine enim affixione non consistit citatio hæc secundum omnes, Puteus, *lib.* 2. *decis.* 168. his modis vocatur personalis,

nalis, seu verbalis; tertio modo per capturam, & apprehensionem personæ ipsius rei citatio dicitur realis, de qua diuisione citationis omnes cum Maranta *part.6. de citat. præsertim n.* 58. vbi de citatione reali, Cantera *pralud.* 3. *q crimin.n.*2. Eimer. *part.* 3. *Direct. n.*73. ibi Pegna *comm.*17.

3 Tria autem sunt de eius substantia, & essentia, Mandatum, Exequutio, & Relatio; mandatum se tenet ex parte iudicis, qui facit citare reum, reliqua duo ex parte ministri exequutoris, qui admonet reum de comparendo coram iudice, vel illum ligatum ducit, quod est secundum requisitum nempè Exequutio; tertium denique est relatio facta per ministrum exequutorem cum iuramento redacta in actis, quod reum admonuerit, vel duxerit in carcerem. Ista tria sunt de essentia citationis, itaut si vnum desit, nulla sit citatio, vt de communi, iuribus, & doctoribus citatis tradit Maranta in sua praxi *p.6. de cit. n.*51.

Quæres 2. An in criminalibus sancti Officij possit adhiberi citatio realis omissa verbali, hoc est, an capi possit reus sine præuia admonitione, quod compareat coram Inquisitore?

4 ℟. Raro adhibetur citatio personalis, sed fere semper rei citantur realiter apprehensione personæ, eo quod verisimiliter semper timeatur fuga per istos arripienda. Ita Eimer. & Pegna apud Sousam *lib.*2. *Aphoris. cap.*27. *n.*2. Felin. *in cap. Cum non ab homine, de iud.* & alij omnes.

Quæres 3. An in citatione verbali exprimenda sit causa, propter quam quis citatur?

5 ℟. Est exprimenda, quando hæreticus, vel suspectus de hæresi non potest capi, eo quod latitat, & sic contumax est, iuxta *cap. Cum contumacia* 7. *de hæret. in* 6. vbi excommunicatus post contumaciam non respondendi super hæresim, de qua erat suspectus, post annum damnatur vt hæreticus; in hoc casu igitur exprimitur causa sub hac clausula. *Compareas responsurus de fide* aliter non posset Iudex procedere contra eum per hanc pœnam. Ita Farin. *q.*185. *n.*114. ex eo Sousa *lib.*2. *cap.*27. *num.*5. Alij tamen absolute tenent citationem simpliciter factam per Inquisitorem sine expressione causæ esse legitimam, quia hanc causam respondendi de fide virtualiter includi in citationibus huiusmodi, certum est, cum Inquisitoris officium sit præcisè, & solum super causas fidei. Ita Simancha *de Cathol. Instit. tit.* 43. *num.* 12. Pegna *part.* 3. *com.* 33.

6 Quæres 4. Quot citationes sint necessariæ ad condemnandum reum contumacem, qui non vult comparere? Quo ad præsentem in fortiis retentum omnes conueniunt, vnicam citationem esse necessariam, & sufficere, quos citat Farin. *q.* 185. *n.* 158. Decian. *lib.*5. Crimin. *cap.*38. *num.*9. estque de substantia iudicij, cum sit quædam species defensionis, *doct. in l. fin. C. de legib.* Vantius *de Nullit. Rubr. de defectu citat.* M. Ant. *lib.* 1 *resolut.* 29. *num.*6. ita quod nec ptinceps eam omittere potest, Maranta *part.* 6. *de citat. numer.* 3. *per cap. Pastor* §. *Cæterum, clem. de re iud.* & ea neglecta, & prætermissa sententia est nulla ex allegatis per Rotam *vol.*4. *decis.*26. Orani. Remanet igitur difficultas quo ad contumaces.

7 ℟. Communior praxis est, quod requirantur tres citationes, & monitiones vbi agitur de condemnando hæretico formali, doctores vocat Farin. *quæst.*185. *numer.* 117. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 42. *fine, &* 80 Carena *part.* 3. *tit.* 1. *numer.* 12. Alij vt Scaccia postulant vnam triginta dierum æquiualentem tribus. Alphonsus de Castro, & Carerius duas tantum postulat. Sed nos stemus cum primis in nomine Sanctæ Trinitatis, quia forsan in tertia conuertetur, & id est conforme iuri Euangelico de correctione fraterna Matth. *c.*10. & iure communi *cap. Omnes* 16. *q.*7. *cap. Constitutionem* 9. *de sent. excom. in* 6.

Quæres 5. In quo loco citandus est reus, qui se abscondit, & non vult comparere?

℟. Contumax citandus est domi suæ, si non comparet ad valuas Ecclesiæ maioris, vel ad vuluas Ecclesiæ Inquisitoris, de citatione sancta domi sermo habetur *cap. Causam, de dolo, & contum.* Ad valuas Scaccia *lib.*1. *de iud. c.*98. *n.*32. Barbosa *cap. fin. de dolo.* 8

Quæres 6. An credendum sit Nuntio attestanti se citasse reum, & eum inuenisse, vel non inuenisse?

℟. Affirmatiuè. Tum quia, Nuntius est seruus publicus iuramento firmatus, ergo ei credendum est ex officio, sicuti creditur cuilibet experto in sua arte, *l. Septima, de statu homin.* Tum quia iurat ac quilibet alius testis, qui deposuit pro, vel contra aliquem, cui creditur, ergo & huic Nuntio, qui in nullo videtur differre à teste, eius enim Relatio est expositio facti, quod accidit. Tum quia, creditur nuntio Glos. *ver, Vocatos cap.* 28. *de elect.* Nec obstat, quod similes personæ habeantur pro infamibus, quia ratione publicæ seruitutis reputantur habiles, neque per vulgi opinionem detrahitur illis de propria fide, & credulitate in præiudicium iustitiæ, quæ similibus ministris indiget. Ita Carena *part.* 3. *tit.* 1. *nnmer.* 17. Barbosa *in cap. Cum dilecti, de dolo.* Responsio huius expresse habetur in Bullis Innoc. IV. & Alex. IV. Item incip. Ad extirpanda, in Directorio. 9

Quæres 7. An si in reuisione processus dubitetur de citatione rei, præsumatur præcessisse.

℟. Negatiuè, quia substantialia rei, quæ non apparent, vbi necessario expressa esse debent, non præsumuntur, sed probanda sunt, Glos. *verb. Vocatos cap. Quod sicut* 28. *de elect.* vbi dicitur per Glosam, quod si quis negat, se fuisse vocatum, aduersario incumbit probatio. 10

Quæres 8. An citatio ad locum non securum valida sit?

℟. Quamuis ex communi doctorum nulla sit ex ex Clem. Pastoralis *de sent.* Bart. *in l. Recusare* §. *Si quis alio ff. ad Tiebell.* Abbas *in cap. Cum dilecti, de dolo*, Felin. *in cap. Accedens vt lite non cont.* Farinac. *de Inquisit. quæst.* 11. *num.*55. Scaccia *lib.*1. *de iud. cap.*32. Ruinus *consil.*114. *num.*386. vbi *de monitorio comparendi Roman.* Nihilominus locus sanctæ Inquisitionis habendus est pro securo, nisi manifestè constet Inquisitorem esse inimicum mortalem querelati. 11

Quæres 9. An per Inquisitores citari possit reus existens extra suam diœcesim tam verbaliter, quam realiter capiendo personam? Affirmant Simancha, Scaccia, Diana *part.*4. *tract.*8. *resolut.*7. cum illis Carena *part.*3. *tit.*2. *n.*28. etiam irrequisitis Episcopis, Inquisitoribus, & dominis illorum locorum, quia omnes subsunt eidem Pontifici maximo.

℟. Inquisitor non potest citare, neque capere suum subditum existentem extra suum territorium, nisi de licentia Inquisitoris, aut Episcopi illius diœcesis, vbi tunc reperitur suus subditus, probatur quia citatio, & captura sunt actus iudiciales fori contentiosi, qui non possunt exerceri in alieno territorio, sine licentia, vt docet Oldr. *consil.*88. vbi *num.*1. §. *Primo dico*, scribit, citationem non posse fieri extra territorium, cum sit de processu, qui extra territorium factus non valet, cum quo Feder. de Senis *consil.*16. *n.*13. §. *Item non obstat.* Genuens. *cap.*69. *num.*18. Nec obstat, quod omnes fideles subsint eidem Papæ quia id intelligitur mediante inferiorum superiorum, quibus fideles immediate 12

mediate subsunt singulis in suis diœcesibus, ita quod singulis proprium ius obseruandum est, ne ordo peruertatur. Deinde vnusquisque Inquisitor determinatum habet territorium,& diœcesim, itaut extra illam nihil agere possit sine licentia aliorum, qui præsunt, vnicuique enim propria iurisdictio seruanda est, ne ordo in regimine confundatur, *cap. Peruenit 36. 11. quæstio. 1.* Quod si Inquisitori sit incommodum citetur domi reus vbi habitare solet, vel ad valuas Ecclesiarum, hac enim ratione suo muneri satisfacit.

Quæres 10. An quis capi possit sine mandato iudicis?

13 ℞. Repertus in fragranti crimine capi potest,& conduci debet coram iudice intra spatium viginti horarum, vt docent Gomex *tom.3.* Var. *cap.9. num. 3.* Farin. *q.21.n.140.* ex illis Sousa *Aphor.lib.2. cap.46. n.4.* Id autem probaui *contr. 35. q.10.* vbi de hac materia fusè dixi,& Ecclesiasticos non posse capi à satellitibus fori laici.

Quæres 11. An Inquisitor pro quauis leui suspicione,& informatione possit reos carcerare?

14 ℞. Ad carcerandum aliquem necessaria talia indicia,quæ sufficiant ad torturandum reum, si neget talia delicta commisisse, de quibus saltem semiplene constat, in tantum enim quis carceratur,in quantum cogi possit per tormenta si neget veritatem, nullus autem cogi potest tormentis ad dicendam vnitatem, nisi delictum semiplene probatum fuerit, vt suo loco dicam. Ita Cantera *cap. 1. de probat.* Genuens. *cap. 68.* Royas de hæret. *par.2. assert. 1. numer. 22.* Diana *part. 4. tract. 8. resolut. 11.* Carena *part. 3. tit. 2. numer. 24.* Procedunt nisi timeatur fuga,nam in eo casu sufficit quæuis informatio, secundum Glos. *in l. Sed & siff. de in ius voc.* Salicet *in l. Nullus C. de exhibend.* reo, Bossius *de capt. numer. 1.* Maranta *par. 6. de citat. numer. 60.* Roland. *lib. 1. consil. 17.* Farin. de carcer, *quæstio. 27. numer. 115.* Clarus *quæst. 27. §. Scias* M. Anton. *lib. 1. resolut. 36. numer. 2* Sousa *lib. 2. cap. 26. numer. 15.* ex Pegna & Farin. dicit, hæreticum esse semper suspectum de fuga. Timeri autem potest fuga probabiliter in iis qui non habent firmam habitationem, vel in aliis etiam quando inquisitio per Inquisitorem cœpta facile deuenire potest ad aures querelati ex loquacitate eorum, qui cognitionem habent informationis. Quod si Inquisitor ex leuibus indiciis det mandatum capturæ, eo, quod timet fugam querelati, præsumitur bene facere,neque in hoc grauatur inquisitus,quia regulariter malefactores solent fugere, id enim omnibus videtur à natura inditum propter innatam libertatem, quare disputandum non erit de illicita,aut inualida reali citatione. Neque nobilis famæ bonæ conqueri potest de irrogata infamia ex carceratione,quia si innocens probatur,vt talis absoluitur,& in pristinum restituitur cum maiori reputatione;si reperitur reus,sibi imputet malefacto.

Quæres 12. An detur appellatio à captura, & à carceratione?

15 ℞. Appellatio locum non habet in captura secundum Guidop. *decis. 235.* ex Carena *part.3. tit.2. numer. 31.* licita vero est appellatio à carcere vt doctoribus citatis docui *contr. 35. quæst. 8.* Ratio differentiæ, quia per citationem tam verbalem, quam realem citatur non grauatur, cum vocetur ad respondendum, si non errauit, carcer vero ex natura sua aggrauat apprehensum, cum illum sua priuet libertate, ideo quo ad hoc grauamen appellare potest, non tamen in totum liberatur, cum tunc detur domus aliqua, vel cubiculum bene visum iudici, pro custodia, vel cum fideiussione dimittitur in domum suam. In sancto autem officio non solet admitti huiusmodi appellatio, quia loca pro carceribus deputata non sunt austeriora, sed leuia & humana.

Quæres 13. Quid agendum in actu capturę,seu eius occasione?

℞. Si plures capiendi sunt, non detur commune 16
mandatum contra reos sed sigillatim capiantur, vt nuntio auferatur occasio admonendi aliquem eorum ad fugam, ita Pegna apud Sousam *lib. 2. capite 26. numer. 17.* Deinde relatio capturæ referenda est in actis cum iuramento Nuntij, qui omnes res inuentas apud captum narrare debet, vt in actis redigantur. Proturea si agatur contra hæreticum formalem,ex ordine Inquisitoris facienda est descriptio omnium bonorum rei, quæ sequestrari debent apud idoneum, qui illa custodiat. Demum custodiæ tradendus est. Ita Carena *part. 3. tit. 2. à numer. 29. ad 34.* ibi *numer. 33.* dicit mandatum exequutiuum capturæ ostendendum esse reo, aliàs illi non tenetur credere. Sed hoc non obseruatur in praxi, quia huius officij ministri noti sunt. Vide Dianam *par. 4. tract. 8. resolut. 86.* de bonorum descriptione.

Quæres 13. An Inquisitor sine Episcopo mandare possit capturam?

℞. Affirmatiuè ex Clem. *1. de haret.* illis verbis. 17
Sic quod quilibet de prædictis sine alio citare posit, & arrestare, sine capere, ac tuta custodia mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis si ei visum fuerit faciendum. Duro tamen tradere carceri, siue arcto,qui magis ad pœnam, quam ad custodiam videatur, vel tormentis exponere illos aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, & Inquisitor sine Episcopo &c. Si verò duo sunt Inquisitores vnus sine alio capere non potest ex Simancha, & Instrut. Tolet. apud Dianam *part. 4. tract. 8. resolut.90.*

Quæres 15. Citatus eadem hora ab Episcopo, & Inquisitore ad respondendum in causa fidei, cuinam respondere debet primo?

℞. Cui ipse voluerit, quia ex citata Clem. præ- 18
cedenti quæstione datur locus præuentioni,cum vnusquisque de iure citare possit, ergo reus respondere poterit, cui voluerit, ita Molina *de iust. tract. 5. disp. 20. numer. 17.* Esse verò magis parendum Inquisitori docent Simancha? Pegna, Paramus, Azor, & alij apud Dianam *par. 4. tract. 8. resol. 47.* quia iurisdictio Inquisitoris vti delegata à Papa maior est potestate ordinaria Episcopi, ergo hæc cedit, ita quod Inquisitor reuocare potest à carceribus Episcopalibus reum, inquit Zanard. *par. 2.* Directorij sui *capite 6. quæst. 13.* Sed ea ratio simpliciter non procedit, sed tantum, quando aliqua causa specialiter committitur alicui expedienda, tunc enim delegatus in ea causa maior est ordinario, cui illi subest in hoc, cum delegatus repræsentet personam 19
Summi Pontificis, qui est ordinarius supremus omnium ordinariorum, & quod hæc maioritas intelligatur respectu causæ specialis, & transeuntis,colligitur *ex capite Sane 11. de offic. delegati, & capite Pastoralis 11. §. Præterea, de offic. ordin.* in quibus locis sermo est de causis transeuntibus. Inquisitores autem non sunt hoc modo delegati, cum mittantur ad vniuersas causas fidei non transeuntes, sed perpetuo, neque vnquam in hoc sunt maiores Episcopis,vnde si causis huiusmodi vel interesse Episcopus, Inquisitor accedit ad aulam Episcopi, & ibi ad illius sinistram sedet Inquisitor, quod signum est, Inquisitorem non intelligi delegatum secundum illam maioritatem, sed potius dici ordinarium inferiorem Episcopo. Vel dic, quod delegatus à Papa est maior, ordinario quando delegatus est ad illum iudicandum,

candum, & id habetur *ex illo cap. Sane.* Quoniam autem in omnibus fere locis Inquisitores magis tractant causas contra hæreticos, & suspectos de hæresi, formando processus, quam Episcopi qui raro se ingerunt, ideo suos Vicarios Generales transmittunt ad loca Inquisitionis, vt assistant à sinistris Inquisitoris, quod etiam illis committitur *in dicta Clem. 1. de hæret.* Hic Parmæ processus semper formantur per Inquisitores, ideo ab illo tantum citantur, & si casu pro eodem delicto reperiantur in fortiis Episcopalibus, transmittendi sunt ad carceres Inquisitoris petentis, vt possit procedere contra querelatos.

Quæres 16. Qualia indicia sufficiant ad carcerandũ.

20 ℞. Leuia indicia non sufficiunt ad carcerandum secundum Pegnam *2. par. Direct. super cap. Excommunicamus, §. Cœterum, & part. 3. comment.* 17. sed requiruntur indicia vrgentia, & suspiciones vehementes, ex quibus delictum sit semiplene probatum, ex dictis *q. 11.* Ita Farinac. *q.* 185. *num.* 7. vbi alios citat. Quæ verò sint ista indicia in dubio relinquitur prudenti iudicio Inquisitoris, considerata qualitate delicti, & personæ, sit ne nobilis, diues, an vilis, delictumue publicum, an occultum, Farin. *q. 27. de Carcer. num. 26.* ex eo Sousa *lib. 2. cap. 26. num. 7.* Si suspectus sit de fuga, minora indicia sufficiunt, idem Farinac. *q.* 185. *num.* 7.

Quæres 17. An hæretici, & suspecti, de hæresi capi possint de ordine Inquisitoris in Ecclesia?

21 ℞. Affirmatiuè de vtrisque, quia Inquisitor, & Episcopus in hoc non subduntur Bullæ Gregorianæ; & de hæreticis res clara est, quia non gaudent immunitate, vtique verò suspecti respectu laicæ potestatis, contra quam emanauit Bulla fauore Ecclesiarum. Ita docent Farinac. *cap.* 13. *de immun. num.* 167. *&* 175. Sousa *lib. 2. cap. 26. num.* 28. *&* 29. & de Blasphemis dixi *cap. 26. q. 9.* Diana *part. 1. tract. 1. resol.* 38.

Quæres 18. An carceratus aufugiens puniendus sit, & qua pœna?

22 ℞. Affirmatiuè pœna arbitraria, quia carceratus iuste amittit ius suæ libertatis, quod transfertur in iudicem, ergo fugiendo delinquit in iudicem, cui obedire tenetur manendo in carceribus. Ita Anton. Gomez *tom. 3. Var. cap. 9. n.* 11. Farinac. *q. 30. de carcer. num.* 8. *&* 25. Procedunt siue extra maneat, siue recedat. Contingit autem fuga cum effractione carceris, & isti puniri solent duriori custodia si sunt nobiles, si viles fustigantur, Carena *part. 2. tit. 17. num.* 75. Non incurrunt pœnas Bullæ: Si de protegendis, quia ea verba: *Quique carcerem aut aliam custodiam effregerit, vinctumque extraxerit, seu emiserit.* Referri non possunt ad carceratum, cum referantur ad extrahentem, seu emittentem, ita Carena *cit. num.* 76. §. *In contrarium.* Qui cito reuertit non præsumitur fugisse animo non redeundi, & cum animus reuertendi non præsumatur, ideo fugiens aliqualem causam allegare debet, secundum Mascardum *concl.* 819. *num.* 24. apud Sousam *l. 2. cap. 36. n.* 26. Cito dicitur redire, qui eodem, vel die sequenti reuertitur. Qui asserit se non fregisse carcerem, aut fugisse aperto ostio, probare id tenetur, cum non præsumatur, de iure enim carceres semper clausæ manent, Gomez *tom. 3. Var. cap. 9. n.* 11. Menoch. *tom. 2. de arbitr. casu* 301. *n.* 3. Farinac. *q. 30. de carcer. n.* 160.

Quæres 19. An fuga faciat indicium sufficiens ad torturam pro eo delicto, quo profugus fuit carceratus?

23 ℞. Affirmatiuè, *ex Claro quæst. 21. §. Tertio autem* Menoch *lib. 2. de præsumpt. q. 89. n.* 42. Farinac. *q. 30. de carcer. num.* 85. ex illis Sousa *lib. 2. c. 26. n.* 34. de fuga ante carcerationem, *cap. 35. num.* 25.

Quæres 20. An fugiens è carcere, in quo in pœnam detinebatur, habeatur pro Relapso?

24 ℞. Negatiuè, quia primo fugiens ante sententiam non habetur pro hæretico formali, vt apparebit seq. quæstione, ergo neque in hoc casu pro Relapso, hæc enim fuga arguit tantum tædium in sustinenda pœna, & inuoluntariam permansionem in carcere, de ratione enim omnis pœnæ est, vt sit contraria voluntati ex D. Thoma 1. 2. *q.* 87. *art. 2. &* 2. 2. *q.* 18. *art.* 3. Farinac. *q. 30. num.* 200. Mascard. *concl.* 820. *num.* 21.

Quæres 21. An fugiens fracto carcere habeatur pro conuicto, & confesso, & condemnandus sit vti hæreticus formalis?

℞. Fuga à carcere fracto non facit hæreticum formalem reum fugientem, neque pro confesso, aut conuicto habetur, si aliàs talis non erat, ratio est, quia fuga, & carceris fractio neque formaliter, neque virtualiter continet confessionem hæresis, ad quam requiritur, quod de ea querelatus aut proprio ore, fateatur, aut idoneis testibus conuincatur, vt omnes docent cum Pegna *part. 3. Direct. comment.* 35. quos citat Farinac. *q.* 193. *num.* 138. Sousa *lib. 2. cap. 26. n.* 37. Carena *part. 2. tit. 17. num.* 72. asserentes contra sic fugientem resultare nouum indicium, quo mediante cum aliis coniuncto citari potest fugitiuus, ad comparandum sub pœna excommunicationis, & non comparens infra annum insordescendo in excommunicatione postmodum damnatur vti hæreticus, *ex cap. Cum contumacia 7. de hæret. in 6.* ex Carena loco citato, Nonnulli tamen apud Farinac. citata *q.* 193. *num.* 137. tenent fugitiuum haberi pro conuicto, & confesso, quia tales habentur in aliis criminibus, & condemnantur pœna ordinaria ex doctoribus allegatis à Carena *cit. num.* 70. volunt enim fugam cum fractione carceris facere plenam probationem ad condemnationem in pœnam ordinariam, quos ego citaui *contr.* 35. *q.* 15. Sed reuera prior opinio mitior est, & magis naturæ huius criminis conformior cum illis circumstantiis, nam vocatus ad comparendum, aliter condemnabitur vti hæreticus, non comparendo interpretatiuè fatetur se hæreticum, fugiens verò præcisè non fatetur se hæreticum, sed ostendit libertatem omnibus à natura inditam, liberando se à molestiis carcerum. 25

Quæres 22. Quid dicendum de carcerato seipsum occidente?

℞. Carceratus potest seipsum occidere, vel ex conscientia criminis pro quo fuit carceratus, vel ex tædio, & molestia carceris. Hoc secundo modo non punitur, *ex l. fin. §. Si quis autem ff. de bonis eorum, qui sibi mortem.* Priori modo eius bona fisco applicantur duobus concurrentibus primum, quod delictum, propter quod carceratus seipsum occidit, habeat de iure hanc pœnam confiscationis sibi adiunctam; alterum, quod delictum huiusmodi sit saltem semiplene probatum cum ipsa occasione. Ita colligo ex Baltasar. Gomez *de potest. homin. in seipsum lib. 1. cap.* 23. *num.* 26. Farinac. *de homicid.* 128. *n.* 47. Cantera *quæst. crimin. part. 4. de homicid. n.* 54. ex illis Carena *part. 2. tit.* 17. *num.* 83. In dubio an se occiderit ex conscientia, an ex tædio, præsumitur primum, quando delictum est semiplene probatum, se postmodum occidendo ex Cantera, ergo in huius opinione talis præsumptio est necessaria, ita quod aliter præsumi non possit, cum nullus sit carcerandus, nisi delictum sit semiplene probatum, nisi timeatur fuga, de quo timore debet constare ad purificandam præsumptionem. Demum Inquisitor horum iudex est, quouis in casu se occidant, cum occisio semper dependeat à crimine proximè, vel mediatè, de quo iudicium ferre debet Inquisitor. Si quis carceratus in pœnam seipsum occidit, præsumitur occisio facta ex tædio, non ex remorsu criminis, cum persona puniatur in delicto, & solum tædium spectetur post condemnationem. 26

Quæres 23. An fractores carcerum Sancti Officij, vel cooperantes ad fugam carceratos sint rei Bullæ: *Si de protegendis*?

Resp.

27 ℞. Ipsi carcerati fugientes fractis carceribus non sunt violatores huius Bullæ ex dictis hic *q.* 18. quidquid dicat Farinac. *q.* 193. *num.* 38. §. *Et rursus.* Vtique verò alij cooperantes ad fugam, vt dixi supra *cap.* 29. *q.* 8. §. *Decimoquarto.*

Quæres 24. An præceptum de non alloquendo carceratis, de quo in Edicto *sub cap.* 30. *num.* 14. includat carceratum tam ad pœnam, quam ad custodiam.

28 ℞. Vtique, quia in vtroque casu par periculum fugæ, aut instructionis respectu custodiæ ad respondendum in præiudicium iustitiæ, aut fugæ respectu pœnæ, cooperando ad exitum, & fugam.

Quæres 25. An carcer Sancti Officij infamet carceratum præcisè?

29 ℞. Infamat ex probatis *q.* 30. *cap.* 23. ex ibi allegatis, quando carceratio fuit legitima, hoc, est, posita semiplena probatione delicti, vel periculo super probabile.

CAPVT XXXIII.

De testibus in causis fidei.

SVMMARIVM.

1 *In teste conditio personæ, & qualitas dicti spectatur.*
2 *Testis idoneus, cui nihil opponi potest.*
3 *Inhabilis cui defectus aliquis obiici potest.*
4 *Probatio testis ad plura refertur.*
5 *Quinam testes sint inhabiles refertur.*
6 *Inhabiles admittuntur cum suis defectibus.*
7 *Inimicus capitalis non admittitur in testem.*
8 *Vtique in querelatorem tantum.*
9 *Inhabiles non sufficiunt ad torturam.*
10 *Admittuntur ad probandum adminicula.*
11 *Absolutè admittuntur.*
12 *Etiam fauore rei.*
13 *Pluralitas testium inhabilium facit ad condemnationem.*
14 *Inhabilitas spectatur tempore depositionis.*
15 *Torquendi non sunt.*
16 *Aliquando torquentur.*
17 *Recusans deponere dicitur fautor.*
18 *Consanguinei admittuntur.*
19 *Minor quomodo admittatur.*
20 *Iuratur tactis Euangeliis.*
21 *Nullum testis dictum sine iuramento.*
22 *Coram Inquisitore testes examinandi.*
23 *Inquisitor quærit qualitatem testium.*
24 *Infideles raro admittendi in testes.*
25 *Repetitio testium.*
26 *Fit etiam per depositionem relatiuam.*
27 *Sibi contradicens torturatur.*
28 *Repetuntur lite non contestata.*
29 *Confrontatio non admittitur.*
30 *Nomina testium non publicantur.*
31 *Attestationibus publicatis adhuc recipiuntur testes.*
32 *Interrogatoria rei ad testes admittuntur.*
33 *Testis contra se tenetur dicere veritatem in aliquibus.*
34 *Admittuntur oppositiones rei contra testes in causa appellationis.*
35 *Testis de auditu alieno leuem facit probationem.*
36 *Ex duobus dictis statur secundo fauenti fidei.*
37 *Testes varij, & contrarij non probant.*
38 *De concordia testium.*
39 *Falsi testes nihil probant, eorum pœna.*
40 *Testis ab alio vocatur deponens contrarium eneruat dictum eius.*
41 *Nocturnus testis quomodo probet.*
42 *Vnico teste nullus condemnatur.*
43 *Testis dubitans, vel opinans tenetur respondere.*
44 *Contestes quinam dicantur.*
45 *Testes singulares quinam dicantur.*
46 *Testes obstatiui nihil probant.*
47 *Testes cumulatiui probant ad pœnam ordinariam in hæresi.*
48 *Testes diuersificatiuè probant vnusquisquis pro seipso.*
49 *Concordes præsumuntur testes in dubio.*
50 *Testes ab incognito producti examinantur.*

IN testibus duo generaliter spectantur, conditio 1
personæ, & qualitas dicti, ratione primi inter testes alij sunt idonei, quales sunt omnes vsum rationis habentes, qui non prohibentur testificari, edictum enim de testibus est prohibitorum, ita quod quilibet admittatur, si non repellitur, *l.* 1. *ff. de testib.* Glos. *ver. Idonei cap.* 1. *de testib.* Testis igitur idoneus dicitur ille, qui per aliquam exceptionem non repellitur; ex quo à contrario sensu ille non est idoneus nec integer, qui aliqua exceptione repelli potest. Ratione secundi alij sunt singulares, alij contestes, alij varij, alij contrarij. In vtroque sensu fusè loquutus sum *contr.* 1. 2. & 3. per totam. Quare sub hoc capite tangam tantum specialia in causis fidei.

Quæres 1. Quis dicatur testis idoneus, & habilis? Similiter qualis vocetur non idoneus, & inhabilis?

℞. Primò, testis idoneus est ille, cui nulla exceptio 2
opponi potest. Seu, qui est omni exceptione maior, Glos. *verb. Idonei, cap.* 1. *de testib.* qui igitur patiuntur aliquem defectum, per quem eorum fides euacuatur, debilitatur, aut minuitur non sunt idonei, neque habiles vsquequaque.

℞. Secundò, ex dictis patet illum testem esse in- 3
habilem, qui per aliquam exceptionem repellitur à testimonio ferendo, vel in totum, vel ex parte; illi dicuntur repelli in totum, qui nihil probant neque contra, neque pro reo; in parte verò repelluntur, qui & si non sufficiunt ad condemnandum, faciunt tamen ad interrogandum, aut torturandum reum, si neget veritatem. Ex quo nota, quod probatio referri potest ad 4
tria; primò, ad interrogandum reum, secundò, ad torturandum reum negantem delictum, de quo interrogatur, in quo casu non sufficit quicumque testis, sed debet esse idoneus, vel ex se, vel ex circumstantiis, vt dicam suo loco, tertiò ad condemnandum in pœnam ordinariam, in quo necessarij sunt duo ad minus testes habiles, & idonei in omnium sententia, probationes enim ex vulgatis iuribus, debent esse meridiana luce clariores, quales esse non possunt, si offuscari, & infici possunt exceptione alicuius imperfectionis testium.

Quæres 2. Quinam vocentur testes inhabiles?

℞. Inimici, Mulieres, Consanguinei, Affines, Ami- 5
ci strictissimi, Excommunicati, Infideles, Meretrix Infames, Banniti, Vsurarij, Spurij, Blasphemi consuetudinarij, Lusores ludis prohibitis, Ebrij, Histriones, Apostatæ, Periuri, Fustigati, Proditores, Falliti, Prodigi, & alij infames. De quibus egi cit. *citatis controu.*

Quæres 3. An supradicti enumerati inhabiles admittantur in causis fidei.

℞. Omnes testes inhabiles, cum suis tamen exce- 6
ptionibus admittuntur in causis fidei tam contra hæreticos, quam suspectos de hæresi, excepto capitali inimico, qui numquam in testem admittitur, licet in accusatorem sit admittendus cum circumspectione tamen.

Primum de admittendis inhabilibus colligitur *ex cap. In fidei fauorem* 5. *de hæret. in* 6. vbi mentio fit de excommunicatis, & de sociis criminis, *& cap. Accusatus*

cusatus 8. *eod.* §. *Licet verò*, vbi admittitur secundum dictum contrarium primo fauore fidei, quando ex manifestis indiciis apparet secundum esse verum, & primum falsum, ac proinde periurium ratione primi commisit deponendo falsitatem ex quo fit testis inhabilis, admittitur tamen in causis fidei. Et si fiat mentio tantum de illis tribus defectibus, nihilominus textus locum habet respectu omnium inhabilium, qui admittuntur in his causis, quia positum exempli gratia regulam non restringit ad expressa, sed extensam intelligitur, seu potius comprehendere similia, *l. damni infecti*, *ff. de damno inf.* Surd. *consil.* 308. *n.* 10. Tuschus lit. E. *conclus.* 547. Confirmatur, quia omnes inhabiles admittuntur in crimine læsæ maiestatis, ex communi, *Canon. super cap.* 1. *de confess.* à fortiori in causis fidei, vbi agitur de delictis contra maiestatem supremam, & infinitam. Ita Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 15. *num.* 1. ex illo Carena *part.* 3. *tit.* 5. *n.* 2.

7 Secundum de capituli inimico docent omnes cum Farin. *q.* 188. *num.* 101. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 16. ratio cur non admittatur in testem contra hæreticum, est quia lex in omni casu semper præsumit malum de capitali inimico, *l. Inimicitia ff. de his, quibus, vt indig.* Farinac. *de indic. q.* 49. *num.* 88. M. Anton. *lib.* 3. *resolut.* 6. *num.* 12. Confirmatur, quia in deponendo contra aliquem maximè locum habere potest exercitium inimicitiæ, & odij eius qui iam est inimicus, quæ ratio non militat respectu aliorum, quorum inhabilitas nihil excitat præiudiciale, contra reum, sed potius illi fauet, ex quo nihil, aut parum contra ipsum probatur. De causis inimicitiæ, Pegna *part.* 3. *com.* 116.

8 Tertium, de eodem inimico admisso accusatore in causis fidei docet idem Farinac. *q.* 185. *n.* 25. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 40. contra Eimer. Carerium, & alios. Sed bene priorem opinionem, quia melior, & fauet fidei, neque potest subesse falsitas, quando bene testes interrogantur, in quo casu crederem duos omni exceptione maiores requiri non solum ad condemnandum, sed etiam ad torturandum accusatum, vt hac diligentia euacuetur suspicio corruptions testium productorum ab inimico, & diligenter inuestigandum est, quam habeant amicitiam cum accusatore.

Quæres 4. Quam fidem habeant testes inhabiles in causis fidei? & qua ratione Iudex procedere possit ad capiendum, interrogandum, torturandum, & condemnandum reum.

9 ℞. Testes inhabiles remanent cum ea fide diminuta, quam de iure habent, quia iura per admissionem illorum fidem non augent, neque pares faciunt testibus idoneis, & integris. Ita Farinac. *q.* 188. *n.* 83. Cantera, apud Carenam *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 73. Ex quo Farinac. colligit dictum vnius testis inhabilis non dare ius Iudici ad torturam, neque multo minus ad condemnationem, nam ad illam requiritur testis saltem vnus omni exceptione maior, ad hanc duo omni exceptione maiores, ex communi doctorum. Quo ad capturam nec sufficit, cum requirantur talia indicia, vel testis integer ad torturandum ex probatis *praced. cap. q.* 11. sed quoniam vt plurimum timetur fuga, ideo in hoc casu sufficit. Quare Carena ibi, & alibi probat per dictum vnius mulieris solicitatæ non esse capiendum confessarium, multo minus torturandum, cum mulier duos defectus, qui illam reddunt inhabilem, patiatur, nimirum, conditionem sexus fragilis subiecti mendaciis, & inconstantiæ, atque societatis, quamquam alioquin, quando non consensit, non possit dici pati hunc defectum, cum reuera non sit socia sine consensu. Vide dicta ad hoc *cap.* 23. *q.* 30.

Quæres 5. An testes inhabiles admittantur ad probandum adminicula in causis hæresis.

10 ℞. Affirmatiuè, loquendo de adminiculis intrinsecis, & substantialibus, ex quibus infertur delictum, non autem loquendo de extrinsecis, quæ scilicet prærequiruntur, sed delictum non inducunt, cum illius causa non sint. Res exemplis declaratur, oscula, amplexus, secreta colloquia, nudus cum nuda in lecto, &c. inferunt adulterium. Conuenticula, familiaritas cum hæreticis, probant hæresim. Hæc & similia vocantur adminicula inferentia ad substantiam delicti. Alia sunt adminicula præuia ad delicta, non tamen illa inferunt, vt sunt Baptismus ad hæresim, Matrimonium ad adulterium, & tamen hæc delicta non inferunt. Adminicula igitur prioris generis probantur per testes inhabiles, non verò secundi generis, sed requiruntur testes integri ad probandum Baptismum, & Matrimonium. Ita Mascard. *lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 35. Farin. *de testib. quæst.* 62. *num.* 87. & *quæst.* 188. *de haret. num.* 80. Sousa *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. Carena *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 75. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 11. *notab.* 3.

Quæres 6. An testes inhabiles admittantur solum, quando integri haberi non possunt.

℞. Absolutè admittuntur, quia *cap. In fidei fauorem, cap. Accusatus*, §. *Licet, de haret. in* 6. illos indistinctè admittunt sine vlla limitatione. Ita Palaus apud Carenam *part.* 3. *tit.* 5. *num.* 81. Diana *part.* 4 *tract.* 6. *resolut.* 11. *notab.* 5. 11

Quæres 7. An testes inhabiles admittantur fauore rei, sicut recipiuntur contra illum.

℞. Affirmatiuè, quia religio Catholica, eum fauorem, quem pro se introducit, non negat reo contra se, quando innocens probatur supra *cap.* 23. *q.* 43. Gomez. 3. *Var. cap.* 12. *num.* 23. Sousa *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 8. Eorum tamen fides diminuta est propter inhabilitatem apud prædictos. Contrarium tenet Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 11. §. 1. *Notab.* 1. & *tract.* 8, *resolut.* 57. *Dicto* 3. vbi pro se citat Royas, & Farinac. *quæst.* 188. *num.* 149. qui fundatur in tex. *cap. Filij, de haret. in* 6. sed ibi sermo est de defensione hæretici defuncti, qui defendi non potest ab hæresi per testes domesticos, agitur enim de eorum interesse. 12

Quæres 8. An ex pluralitate testium inhabilium resultet habilitas producens plenam probationem sufficientem ad condemnationem in pœnam ordinariam.

℞. Plures testes licet omnes in seipsis inhabiles videntur sufficere ad pœnam ordinariam, modo plures non patiantur defectus, sed singuli vnum. Probatur. Tum quia, duo inhabiles sufficienter probant ad torturam, ex quo faciunt semiplenam probationem, ergo plures plene probant. Tum quia, pluralitas; & conuenientia illorum super idem delictum numero auget eorumdem credelitatem, & transfert in fidem simpliciter, ita quod censeantur omni exceptione maiores, & Greg. XV. *decis.* 351. *num.* 4. & 5. Cesar de Graffis *decis.* 175. *num.* 9. apud Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 123. Tum quia falsum est ex pluribus imperfectis non posse fieri vnum perfectum, nam in naturalibus scimus ex materia, & forma duabus compartibus confici compositum, quod est totum perfectum, cuius partes respectu illius dicuntur entia imperfecta, à fortiori in moralibus ex imperfectis resultare poterit vnum perfectum, igitur duo testes inhabiles contestes dicentur perfici in ordine ad semiplenam probationem, plures vero in ordine ad pœnam ordinariam. Ita docet Palaus apud Dianam cit. de tribus aut quatuor ad pœnam ordinariam, quem impugnat idem Diana *tract.* 6. *resolut.* 11. *notab.* 3. dicens nec quatuor sufficere. Portellus *ver. Testis num.* 10. Farinac. *q.* 188. *num.* 59. Pegna *part.* 3. *com.* 113. ex illis Sousa *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 2. dum dicunt, fidem vnius testis integri & valde boni non supplere defectum alterius, nisi aliud concurrat, intelliguntur ad plenam probationem, 13

sufficiunt

sufficiunt verò ad torturam. Carena *part. 3. tit. 5. n. 77.* dicit numerum hunc relinqui arbitrio iudicis.

Quæres 9. An inhabilitas testium spectetur solum tempore iuramenti & eorum examinis.

14 ℞. Affirmatiuè, quia in omnibus termini accipiendi sunt formaliter, ex vulgatis iuribus, & facit illa regula. Qualitas adiuncta verbo intelligenda est iuxta tempus verbi, vnde habilitas debet inesse testi dum iurat, & deponit suum dictum. Quare qui dum examinatur non est excommunicatus, non est inimicus, &c. licet antea fuerit, modo reconciliatus, non dicitur testis inhabilis, sed integer ex hoc capite. Ita Farinac. *q. 62. de testib. num.* 166. Sousa *lib. 2. c.* 13. *num.* 11.

Quæres 10. An testes inhabiles sint torquendi.

15 ℞. Negatiuè, aliter facile auerterentur à testificando. Regulariter non sunt torquendi, nisi in aliquo casu id necessarium esset, quod relinquitur arbitrio Inquisitoris. Pegna *part. 3. comment.* 113. alios citat Diana *part. 4. tract. 6. resolut.* 11. §. *Verum.*

Quæres 11. Numquid testes tam habiles, quam inhabiles aliquando torqueri possint.

16 ℞. Testis qui fuit præsens delicto nolens fateri veritatem, torquendus est, pro ea elicienda, quod verum est, quando contra reum sunt aliqua indicia, ex Bossio *de tortura test. num.* 1. Scaccia *lib. 1. de Iudic. cap. 86. num.* 14. in eo autem casu prius examinandus est reus, si non fatetur, tunc torquetur secundum Baiardum ad Clarum *quæst. 25. num.* 1.

Quæres 12. An testis nolens testificari sit suspectus de hæresi vti fautor hæretici.

17 ℞. Recusans deponere contra hæreticum præsumitur illius fautor de hæresi vehementer suspectus, quia illi fauet in causa hæresis subtrahendo testimonium suum, ne puniantur. Talis autem non præsumitur, quando se subtrahit, & recusat deponere contra consanguineum, & affinem, præsumitur enim tunc id facere fauore personæ, non pro hæresi. In primo casu puniendus est vt fautor, in secundo, vt inobediens. Ita Eimer. *part. 3. q. 62.* Pegna *comment.* 111. Farinac. *de testib. q. 75. c. 14. n. 3.* ex illis Sousa *lib. 2. cap. 17. n. 7.*

Quæres 13. An consanguinei admittantur contra consanguineos, & affines, & recusantes cogi possint.

18 ℞. In causis fidei admittuntur, & coguntur contra consanguineos, & affines, nimirum filius contra parentes, & contra fratrem, coniuges contra alterum. Ita omnes, quos citat Farinac. *q.* 188. *num.* 149. Sousa *lib. 2. cap. 11. n. 2. & seq.* Carena *part. 3. tit. 5. num.* 15. non sunt autem integri, sed fidem habent diminutam, inquiunt Cantera, & Farinac. apud Carenam *num.* 22. Ego hic putarem deponentes contra consanguineos esse omni exceptione maiores; quia nulla ratio suadet, illos velle esse mendaces contra personas sui sanguinis; & si iure in aliis causis non admittuntur nec cogi possunt consanguinei in recta linea in infinitum, & in transuersali vsque ad quartum inclusiue, non repellantur, quia fidem habeant diminutam, sed propter pietatem debitam parentelæ ob coniunctionem sanguinis, vel quia præsumuntur peierasse fauore rei.

Quæres 14. An minor ætate in causis huius officij admittatur.

19 ℞. Impuberes, qui nimirum excusserunt decemdium cum dimidio admittuntur, immo, & coguntur, sed sine iuramento, eorum dictum prodest ad indagandam veritatem, Clarus *q. 24. num.* 17. & positis adminiculis etiam facit ad torturam, secundum Farinac. *de testib. q. 58. num.* 52. Carena *part. 3. tit. 5. num.* 53. Puberes verò post decimum quartum annum admittuntur cum iuramento, & prosunt ad torturam cum aliis adminiculis, Maiores viginti annis in omnibus delictis dicuntur idonei, & omni exceptione maiores, *l. In testimonium 2. de testib.* Farinac. *q. 58. de testib.* Carena *cit. num.* 47.

Quæres 15. An testis necessario iurare debeat tactis sacrosanctis Euangeliis etiam per Sacerdotem.

℞. Ita practicatur in officio hoc etiam respectu 20
Sacerdotis testatur Carena *part. 3. tit. 7. num.* 5. Iuramentum autem est de substantia processus, itaut testes examinati sine iuramento nihil probent, & exa- 21
men nullius est valoris. Ita Cantera *in quæst. crim. cap. 2. de probat.* per testes, Barbosa *in cap. Tuis de testibus,* Egolatius *contr. 1. quæst.* 6. Quo ad valorem actus sufficit quomodocumque præstetur sine tactis sacris Euangeliis, siue Sacris Scripturis, siue pectus Sacerdotale, aut quid aliud sacrum, seu benedictum, huiusmodi enim circumstantiæ illud non infringunt si desint.

Quæres 16. Coram quibus testes examinandi sint?

℞. Coram Inquisitore interrogante, & Notario 22
scribente, exprimendo etiam iuramenti delationem tactis Euangeliis. Præsentia duorum religiosorum præcepta *cap. Vt officium, de hæret. in* 6. non est amplius in vsu, ne grauetur officium, & negotium magis secretum sit, & testes liberius loquantur coram paucioribus. Requirunt etiam aduocatum fiscalem Palaus, & ex eo Carena *part. 3. tit. 7. num.* 14. Debent autem formalia verba testis notari, & in dubio ab eodem declaratio dubiorum petenda est, vt veritas pateat sui dicti. Debet autem testis subscribere, non tenetur autem, nisi ei legatur quidquid respondit, ignorans vero apponit signum crucis suis manibus. Dimittitur autem cum obligatione iuramenti nihil reuelandi eorum, quæ deposuit in processu sui examinis, cum aliis pœnis arbitrariis.

Quæres 17. An Inquisitor teneatur inquirere super qualitate, & vita testium, vt sciat quantum valeat eorum fides contra reum.

℞. Affirmatiuè, quia cum in hoc officio nomina 23
testium, neque denuntiatoris non publicentur reo, vt infra dicam *sub quæst.* 23. partes iudicis erunt pro reo diligenter inquirere super vita, & moribus testium, supplendo partes, quæ aliàs competerent reo. Confirmatur id, Tum quia, iudex est medius inter actorem, & reum, ergo pro vtrisque & contra vtrosque æqua lance procedere debet. Tum quia, à teste exigitur iuramentum de dicenda veritate tam contra se, quam contra reum, ex doctoribus allegatis à Carena *part. 3. tit. 7. n.* 1. Tum quia, debet ex officio suo scire quanta fides adhibenda sit testibus contra reum, tam in ordine ad torturam, quam ad pœnam. Nec obstat, quod idonei præsumantur testes, nisi contrarium probetur, quia id locum non habet, quando probatio per aduersarium non admittitur contra testes, vt in sancto officio, quare Inquisitoris partes erunt se informare de qualitatibus testis, an sit excommunicatus, periurus, inimicus, &c. Ita Albertinus *c. 1. de hæret. in 6. q. 16. n. 28. & 32.* Campeg. ad Zanchinum *c. 13. lit. B.* ex illis Diana *tract. 8. resol.* 124. Carena *part. 3. tit. 1. num.* 66.

Quæres 18. An Iudæi, & alij infideles etiam hæretici admittantur ad testificandum in causis sancti Officij.

Resp. Sunt testes inhabiles, & si admittantur fa- 24
ciunt tantum indicium ad sumendas secreto informationes contra reum. Ita aliis allegatis Farinac. *q.* 188. *num.* 116. Carena *part. 3. tit. 5. num.* 26. Verum quidem est, quod ab horum testimonio abstinendum est, quia probabile est, quod potius faueant hæretico, cum sint eiusdem generis & conditionis, quam s. officio, & fidei catholicæ.

Quæres 19. An repetendi sint testes non obstante renuntiatione facta per reum.

25 ℟. Testes examinati in iudicio summario non probant, nisi repetantur, vt docent omnes, cum Albertino *de Agnosc. Assert. q.* 34. *num.* 16. Simancha *de Catholic. instit. tit.* 64. *num.* 16. Royas *de hæret. part.* 2. *Assert.* 4. *num.* 107. Carena *part.* 3. *tit.* 7. *num.* 33. Si tamen reus vult illis renuntiare, & habere pro repetitis, probant, consequenter non est necessaria repetitio. An autem reuocare possit renuntiationem factam, & iterum petere repetitionem testium? Affirmant Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 64. *num.* 25. Gabriel *vol.* 1. *consil.* 178.

Quæres 20. An in huiusmodi ratificatione, seu repetitione testium iudex debeat testi petenti dare primam attestationem? Quod est etiam quærere, an testis possit se referre ad primum examen? Et vocatur tunc depositio relatiua.

26 ℟. Repetitio facti examinis per relatiuam depositionem de iure bona est, & illam concedere potest iudex, nisi prudenter iudicet necessariam esse formalem repetitionem, ac si primo testis examinaretur; & petenti primas depositiones denegare potest maxime cum non multum temporis spatium intercessit inter vtramque. Testis autem se indemnem seruare potest, protestando, si in aliquo aduersetur primis depositionibus, se velle stare primo dicto, in quo casu non imminuitur eius fides quo ad primum dictum. Demum ratificatio huiusmodi fit cum omnibus requisitis solemnitatibus, quæ adhibentur simpliciter in examine testis.

Prima pars de valore depositionis relatiuæ tenetur ab omnibus, cum nullo iure reprobetur, & eam suadeat defectus memoriæ, quæ labilis est, *l. Peregrè ff. de acquir. possess. vnde l.* 2. §. *Si quid autem C. de iure vet. enucl.* dicitur, quod diuinum est memoriam omnium habere. Ita Scaccia *lib.* 1. *de indic. cap.* 86. *n.* 48. *&* 55. Seraph. *decis.* 270. Royas *singul.* 206. *num.* 3. Farinac. *q.* 66. *de testib. num.* 39.

Secunda pars, quod eam non permittat, quando testis suspectus est, probatur, quia tunc periculum est, ne iudicium reddatur iniustum, cui iniustitiæ ex officio occurrere debet iudex non concedendo illam. Ita Farin. *q.* 66. *de testib. num.* 55. Pegna in sua praxi *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 11. ex illis Carena *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 40.

Tertia pars, quod iudex denegare possit primas attestationes, si suspectus est, aut parum tempus præteriit, probatur, nam quo ad suspicionem suadet præcedens ratio, ne iudicium fiat iniustum; quod ad tempus vero breue, testis non præsumitur immemor, ideo nulla ratio cogit ad legendum illi primam depositionem. Ita Simancha *de Catholic. instit. tit.* 64. *n.* 25. & alij supracitati.

Quarta pars, quod testi legenda sit prima depositio, quando est antiqua, & intricata, docetur per Farinac. *q.* 64. *num.* 41. *&* 55. Royas *singul.* 206. Castro Palaus *disp.* 8. *p.* 15. §. 3. *num.* 5.

Quinta pars, de ea protestatione habetur apud Scacciam *lib.* 1. *de iud. cap.* 86. *num.* 48. *&* 55. Farinac. *q.* 64. *num.* 41. & in terminis *q.* 188. *num.* 35. Sousa *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 59.

Sextam partem de iisdem solemnitatibus requisitis docent Clarus *q.* 45. & Carena *part.* 3. *tit.* 7. *num.* 37.

Quæres 21. Quid agendum per iudicem, quando testis in repetitione dicit contraria primis depositionibus.

27 ℟. Subiiciendus est torturæ, & tunc standum erit dicto per torturam confirmato. Ita Pegna in praxi *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 4. Zanch. *de hæret. cap.* 14. Sousa *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 2.

Quæres 22. An lite non contestata repetantur testes? Hoc est, an Inquisitor possit recipere testes ad instantiam fiscalis, vt postea faciant fidem cõtra reum.

28 ℟. Affirmatiuè, quia litis contestatio locum non habet in causis fidei, Lucerna *Inquisit. ver. Litis contestatio*, ita Cantera apud Diana *parte* 4. *tract.* 8. *resolut.* 115. Carena *part.* 3. *tit.* 7. *num.* 45. Vide Farinac. *quæst.* 185. *num.* 17. *&* *q.* 188. *num.* 15. referentem doctores asserentes non requiri litis contestationem, vide etiam Glosam. *ver. Regulariter cap. Quoniam Vt lite non contest.*

Quæres 23. An confrontatio testium cum reo locum habeat hic.

℟. Negatiuè, eo quod nomina testium numquam publicantur in hoc officio, ex *cap. Statuta* 20. *de hæret. in* 6. sine quorum publicatione non contingit confrontatio. Ita omnes cum Scaccia *lib.* 1. *de iudic. c.* 87. *n.* 19. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 63. Carena *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 50. Si per testem recognoscendus sit reus, is illi caute ostenditur per rimulas ianuæ, & ostij, cum multis aliis existens simul. 29

Quæres 24. An reis in sancto Officio publicandæ sint attestationes, & depositiones testium sine nominibus testium.

℟. Affirmatiuè *ex cap. fin. de hæret. in* 6. ratio, cur non debeant publicari nomina testium est, Tum propter periculum, quod incurrere possent ex huiusmodi publicatione. Tum quia, vt testes, & denuntiatores facilius alliciantur ad deponendum fauore fidei. Tum quia, cum cogantur ex virtute religionis, & extirpatione hæresum denuntiare, & testificari in causis fidei, æquum est, vt hoc officium illos præseruet à periculo, quod possent incurrere. Ita Farinac. *q.* 188. *num.* 7. Carena *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 63. 30

Quæres 25. An publicatis attestationibus, noui testes superuenientes recipi possint.

℟. Noui, & veteres semper examinari poterunt. Ita Farinac. *q.* 188. *num.* 5. & hoc fauore fidei ex officio Iudicis, seu ad instantiam fiscalis, non vero fauore rei, Carena *part.* 3. *tit.* 7. *num.* 65. 31

Quæres 26. An admitti debeant interrogatoria rei ad testes fisci.

℟. Affirmatiuè ex Genuens. *cap.* 27. Ex eo Farinac. *quæst.* 188. *n.* 14. §. *Vide* vbi dictum Genuens. citat, & Pegnam, Carena *part.* 7. *num.* 71. ea ratione, ne reo nimis arctetur defensio, cum illi nomina testium non porrigantur, ad debilitandum eorum fidem propter defectus, quos illis obiicere posset. 32

Quæres 27. An testis ab Inquisitoribus interrogatus de vita & moribus suis ad effectum, vt sciatur quanta valeat eius fides contra eum, teneatur contra se dicere veritatem.

℟. Non tenetur manifestare delicta propria personalia, quæ redundant, in dedecus proprium, vt quod sit latro, adulter, sodomita, &c. quia nemo tenetur propriam turpitudinem detegere ex vulgatis iuribus; vtique verò, eos defectus, qui illi non sunt ignominiosi, cuiusmodi sunt excommunicatio, quod sit de genere hebræorum, infidelium, &c. Ita de his secundis Cantera, quem pro se citat Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 114. Carena *part.* 3. *tit.* 7. *num.* 74. inclinat dum in confirmationem huius dicit, sacrum Tribunal respondisse, mulierem non teneri manifestare Inquisitori consensum in turpitudinem; sed Patres ita responderunt ex alio fine, nimirum, quia perfecta sollicitatio, quam punit sanctum Officium consistit præcisè in prouocatione facta per confessarium absque consensu in eam, illa enim tantum punitur. Demum si testis, & denuntiator tenerentur Inquisitori reuelare omnia sua vitia nimis grauarentur in hoc tribunali, à quo propterea multi deuiarent; sicut enim releuantur ab aliis oneribus ex occultatione eorum nominum, & confrontatione cum reo, à fortiori non sunt onerandi obligatione manifestandi propria vitia in dedecus, & detrimentum proprij honoris, & famæ. Vide quæ dixi *contr. q.* 30. 33

Quæres

Quæres 28. An Inquisitor debeat admittere oppositiones factas à reo contra testes in causa appellationis.

34 ℟. Affirmatiuè, quia Iudex in hoc officio debet procurare, quod iudicium sit iustum, ac proinde defendere reum. Ita Cantera, & Diana *part.* 4.*tract.* 8. *resolut.* 117.

Quæres 29. Qualem probationem faciant testes de auditu? Loquor de auditu relatiuo, non personali,& proprio, de quibus dixi *c.* 31.*q.*15. probare sicut testis ocularis,quando testatur de delicto cadente sub sensum visus,Farinac. *de testib.q.*69.*num.*148.Cantera *de probat.per testes cap.* 2.*num.*22.

35 ℟. Testis de auditu auditus, vt aiunt, facit leuem præsumptionem non sufficientem ad capturam, maximè contra personam bonæ famæ, nam hæc elidit, & destruit præsumptionem, vt docent Farinac. *cit.num.*10.Camillus Borella *tom.* 2. *Summa tit.* 13.*de testib. num.*28.Carena *part.*3.*tit.*6.*num.*11. Vide me, *resol.*101.*q.*27.

Quæres 30. Cuinam ex duobus dictis contrariis vnius testis standum sit.

36 ℟. Standum est secundo dicto asserto tam contra se, quam contra alium vt clarè dicitur *cap. Accusatus de hæret. in* 6.§.*Licet*,& in hoc omnes conueniunt in causis fidei,fauore eiusdem fidei, vnde intelligendum est hoc, quando primo deposuit pro se, & pro reo, postea se retractando dixit contra se,& contra reum, hoc enim modo ille textus intellectus fauet fidei,ex quo statur secundo dicto,quod hæresim affirmat, quam negabat prius dictum,cui si staretur,non est id fauorabile fidei, sed contrarium. Ita limitant Sanctar. *cap.*38.*de hæresi n.*12. Treuis.*decis.*39 *n.*13. Diana *part.*4.*tract.* 7. *resol.*22. Carena *part.* 3. *tit.*6. *n.*61.Contrarium,hoc est, intelligi illud caput tam de dicto affirmante, quam negante hæresim, tenent Farin.*q.*188. *num.*95. Sousa *lib.*2.*c.*9.*n.*4. *qui num.*6.dicit, quod licet stetur secundo dicto fauore fidei, non tamen videtur admittenda eius probatio sine tortura; secundum Pegnam, & Farinac. citatum *num.* 99. Quoniam autem est duobus dictis contrariis testis sit periurus in primo dicto, reputatur testis idoneus solum in ea causa,in qua peierauit contra fidem, postea reuocando prius dictum fauore fidei, nam si aliàs est periurus non est testis idoneus, vt docent Decian. *lib.*5.*crimin.cap.*35.*num.*14.Farin.*q.*118.*num.*91.

In aliis criminalibus semper statur priori dicto, si illi credendum sit, regulariter tamen non facit fidem deponens contraria in eodem iudicio, quia expressè apparet mendacium, quod probationem, & fidem destruit, intellige, quando se incontinenti non corrigit,idest,antequam recedat à conspectu Iudicis,& nisi aliàs euidentem causam adducat, ex qua appareat secundi dicti veritas. Vide quæ dixi *contr.*1.*q.*21.

Quæres 31. Quid dicendum sit de testibus variis, & sibi contrariis.

37 ℟. Testes sibi inuicem contrarij in substantialibus nihil probant, quia sibi inuicem destruunt, nec vlla ratio prima fronte suadet esse credendum magis, vni quam alteri,ratione assertionis. Ita omnes cum Mascardo *tom.*3.*de probat. concl.* 1367. *num.*4. *&* 6. Farinac. *q.* 65.*num.* 2. 11. *&* 15. apud Sousam *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. Contrarij sunt, & discordant in substantialibus, quando non concurrunt circa idem tempus, & locum respectu eiusdem delicti numero, vt constat in testibus contra Susanam, *ex Daniel.cap.*13. vel quando differunt in probanda formalitate verborum,vt in Blasphemia, Sousa *l.*2.*c.*6.*n.*15. Farinac.*de testib.q.*65.*n.*28.*Ego contr.*1.*q.*16.

Quæres 32. An expediat testes concordare non solum, vt euitetur periurium, sed etiam vt probent pro,vel contra reum.

℟. Expedit concordare testes, quando inter eorum dicta non est euidens contrarietas, sit autem hoc 38
non solum ad euitandum periurium, sed etiam contra reum; hæc autem concordia non tantum probat, quantum si testes ex seipsis essent contestes, aliquid tamen plus probant,quam sine concordia.

Primum, de expedientia concordiæ patet, quia sicut expedit iura iuribus concordare, *cap. cum expediat* 29. *de elect.in* 6. ita & dicta testium iisdem modis,quibus leges concordantur ex Farinac. *q.*65.*n.*55. *&* 59. Tum quia, per huiusmodi concordiam vitatur periurium. Ita Farinac. *q* 66. *n.* 320. ex illo cum aliis Carena *part.* 3.*tit.*6.*num.* 49. Ex quo concordia non facilè admittitur in testibus de falso suspectis, *Alex. consil.* 154.*n.*7.*lib.*5.Natta *consil.*315.*n.* 10. Craueta *consil.*665.*num.*17.Clarus *quæst.*23. initio.

Secundum, de concordia probante etiam contra reum suadetur. Tum quia,testes aliquid plus probant ex concordia, quam sine illa, ergo augent probationem contra reum. Tum quia, testes producuntur à fisco, vel denuntiatore, seu accusatore ad eum effectum, vt probent contra reum, ergo concordantur etiam ad eumdem finem, aliter nulla esset ratio suadens huiusmodi concordiam. Tum quia, concordia inducta ad euitandum periurium est magis contra reum, quam eius fauore, euitatio enim periurij firmat dictum contra reum. Ita Abbas *in cap. Cum tu,de testib. num.*5. Felin.*num.* 4. Farinac.*q.*65. *num.* 76. ex illis Sousa *lib.*2.*cap* 6.*num.*19. Carena *part.*3.*tit.*6. *n.*54. in fine. Aliter dicunt obseruari in iure ciuili.

Tertium, de exceptione concordiæ patet ex eo, quod hæc concordia respectu concordantium de seipsis diminuit probationem defectu huius exceptionis. Verum quidem est, quod hæc concordia addit aliquid plus testibus, cum ex ea resultet maior probatio, quam testes sine illa non præberent ex Pegna, & Cantera docet Carena *part.*3.*tit.*6 *num.*54.& in hoc nulla est difficultas. Quantam fidem faciat hæc concordia relinquitur arbitrio iudicis, ex Bossio *de oppos. contra testes num.*11.

Quæres 33. De testibus falsis in Sancto Officio, & eorum pœna.

℟. Falsum testis dictum simpliciter nihil probat, 39
cum veritate careat; ex sententia omnium. Multi docuerunt testem falsum in crimine hæresis, & aliis puniri pœna talionis, ea scilicet pœna, qua punitur reus, contra quem falsum dixit, quos citat Farinac. *q.*188. *n.* 39. vbi in fine testatur praxim supremi tribunalis esse in contrarium,& puniri pœna triremium, aut fustigationis,quibus pœnis immo grauioribus puniendi sunt subornatores falsorum testium, sunt enim in maiori culpa,ex Simancha *de cathol. instit. tit.* 64. *num. fin.* Pœna autem hæc infligenda est simul cum Episcopo,quia vtriusque iudicis dignitas dicitur offensa,Pegna *part.*3.*com.*122.ex illo Carena *part.*2.*tit.*17. *num.* 55. Ad pœnam infligendam tria sunt obseruanda, primo, damnum illatum, vel attentatum, secundo,persona,cui infertur;tertio,ipsius testis qualitas,ex quibus congruenter decernitur pœna commensuranda culpæ. Vide Carenam *part.*3.*tit.*6. *num.* 68. cum sequentibus.

Quæres 34. An dictum vnius testis vocantis alium eneruetur, si testis vocatus deponat oppositum.

℟. Neutri credendum,quando sunt pares,non primo vocanti alterum,quia redditur suspectus de veri- 40
tate,allegando alterum in confirmationem suæ veritatis,quæ ab altero negatur;non secundo, quia pari suspicione infirmatur.Si verò inter eos sit disparitas creditur digniori,in his autem obseruandæ sunt conditiones vtriusque, & modus deponendi, & ex illis iudex suum ferat iudicium super credulitate dictorum & testium.Vide Giurb.*consil.*23.*&* 37.Car.*p.*3.*tit.*6.*n.*42.

Quæres 35. De probatione testis nocturni.

41 ℞. Testis de visu nocturno tempore nihil probat, nisi asserat, se vidisse ad lumen, vel lunæ lucentis, vel ignis, vel candelæ accensæ, vel explosione Sclopi ex accenso puluere, vel ex lumine fulguris coruscantis, ad visionem enim ocularem ex parte obiecti visi duo desiderantur lumen, & color, quæ cum sint accidentia per se non possunt esse, sed inhæret subiecto, quod est quoduis coloratum, & illuminatum, ex quo sequitur sine lumine videri non posse obiectum licet coloratum, nisi ex illuminatione fiat perspicuum. Ita Borella *tom.* 2. *tit.* 13. *num.* 1. Farinac. *quæst.* 62. *n.* 33. Clarus *q.* 21. §. *Sed quid si testis* Giurba *consil.* 37. *num.* 41. Castillus *decis. Regni Sicil.* 179. *num.* 14. Testis ille non videtur omnino integer, cum patiatur exceptionem nocturni temporis, quia facilis est deceptio in visione nocturna, cum lumen lunæ, vel alterius ex supradictis non ita clarè, & distinctè repræsentent obiectum ad potentiam, sicut facit lumen solis.

Quæres 36. An vnicus testis conuincat reum inconfessum ad condemnationem in Sancto Officio.

42 ℞. Per vnicum testem quamtumuis omni exceptione maiorem, qualitercumque qualificatum non potest inconfessus condemnari ad pœnam ordinariam, neque extraordinariam, est omnium sententia *ex cap. Licet* 23. *de testib.* vbi habetur in fine *Nulla est tamen causa, quæ vnius tantum testimonio, quamuis legitimo terminetur*, terminatio autem causæ criminalis fit per condemnationem rei in pœnam, quam meretur. Ita Farinac. *q.* 63. *de testib.* Cantera *de plena probat. num.* 3. Sousa *lib.* 2. *cap.* 14. per totum, dum dicit, vnicum testem non plene probare, idest, ad condemnationem. Ita quod nec dictum Episcopi, Cardinalis, Papæ aut Principis plene probant ex citatis doctoribus, qui omnes tamen affirmant vnicum testem semiplene probare, si sit integer, & idoneus.

Quæres 37. An testis dubitans vtrum legitimè interrogetur à iudice possit æquiuocare, an verò teneatur dicere veritatem? Item quid quando probabiliter putat illegitimè interrogari.

43 ℞. In vtroque tenetur directè respondere. Primum probatur. Tum ex illo communi axiomate. In dubiis obediendum est superiori; qualis est iudex respectu testis, Glos. *ver. Iniquitas, cap. Quid culpatur* 4. 23. *q.* 1. Glosa *ver. Obedientiam cap. Ad aures* 5. *de temp. ordin.* Glosa *fin. cap. Dilecta de maior.* Theologi omnes cum D. Thoma citati pro se à Sairo *lib.* 1. Clauis *cap.* 13. *num.* 37. Tum quia, iudex statim ac accipit querelam contra aliquem propositis sibi testibus per querelantem ius habet actu fundatum super querelam interrogandi quemcumque testem in causa productam, ergo per superueniens dubium iure suo priuandus non est. Tum quia, pro iudice facit illa regula. In pari causa melior est conditio possidentis 65. *in* 6. sed iudex in eo, quod iudex semper est in possessione iudicandi, maximè accepta querela, ergo dubium testis non potest remouere iudicem à possessione sua. Tum quia, ius, & potestas iudicandi, quod possidet iudex, est ius publicum, & legale, ius vero, qualecumque illud sit, acquisitum dubitandi de non respondendo, est priuatum, debile, & obscurum, ergo non valet deiicere iudicem à sua possessione. Tum quia, hoc suum dubium non teneri respondere, vel oritur ex incompetentia iudicis, vel quia iniustè inquirit iudex contra reum, vel quia testis est priuilegiatus; non potest oriri ex incompetentia iudicis, quia constat de iudice, & suppono, & si constaret sibi, esse incompetentem, non esset iam dubius, sed certus, consequenter non tenetur respondere defectu potestatis interrogandi in iudice, deindè esto esset dubius, cum ad ipsum non spectet iudicare de incompetentia, sed ad superiorem, recurrat ad illum, & sic tollat dubium, aliter non recurrendo, dubium videtur potius vanum, & irrationabile; nec dubium oriri potest ex iniusta inquisitione, quia posita querela iudex acquirit ius inquirendi contra reum, ex omnium sententia, examinando testes productos; si demum testis est priuilegiatus, ostendat priuilegium, & dimittetur. Concludendum ergo est dubium nullatenus eneruare ius iudicis præsertim in actu iudicandi positi.

Pasqualigus *decis.* 219. tenet, in dubio, quod iudex legitimè interroget, non teneri testem respondere, & fateri veritatem, quia iudex se habet vt actor repetens quod suum est à teste nempè testimonium, vnde debet constare quod iustè repetat, & quamdiu non constat, testis non tenebitur soluere, nemo enim tenetur soluere debitum dubium, nec creditor potest illud exigere, nisi prius ipsum liquidet. Et sicut iudex ad instantiam creditoris non potest condemnare debitorem allegantem incertitudinem debiti, nisi prius creditor faciat constare de debito, ita si iudex citaret testem nolentem deponere coram alio iudice, non posset constringi ad deponendum, dum allegaret iudicem non interrogare legitimè, nisi iudex faceret constare se legitimè interrogare. Quod subdit *sub n.* 3. est repetitio eiusdem.

In hoc argumento comparat iudicem cum actore, creditore, & querelante consequenter videtur casum mutare. Deindè iudex in quocumque actu suæ causæ siue examinet testes, siue reum, siue quidquam aliud faciat, semper se gerit, vt iudex, & numquam vt actor, cum iudex dicatur, vt tale mediare inter actorem, & reum, quibus ministrat iustitiam. Præterea demus iudicem actorem contra naturam eius, & facti, semper iustè repetit, cum querelans testem productum de iure potuerit producere, ergo legitimè illum interrogat ab ipso repetendo veritatem sibi à querelato oppositam eruendam à teste. Adhuc, factum à querelante narratum iudici ab hoc iudicandum est, vel non est iudicandum, si est iudicandum, iam debitum respondendi est certum, cum testis sit productus, ergo euacuatur dubium, si non est iudicandum, res adhuc certa est, & sic dubium non habet locum, si dubitetur an delictum sit cognoscibile à iudice, cum tale dubium sit liquidandum per superiorem iudicem, interim si non quærat liquidationem, & citetur à iudice ad respondendum, tenetur dicere veritatem, quia ex data querela iudex est in possessione iudicandi. Demum, licet verum sit, iudicem non posse condemnare debitorem ad solutionem debiti, nisi prius illud actor probauerit per testes, quando illud reus negat, non ideo tamen currit illa similitudo, quia iudex citans testem coram alio iudice cum sit tantum actor, & querelans, illi sufficit, quod in querela proponat testes, qui vocati ab eo iudice tenentur respondere, neque allegare possunt se illegitimè interrogari, id enim est subterfugere iudicium, vnde si sentiunt se grauati recurrere debent ad secundi iudicis superiorem, interim si negligunt, vocati respondere tenentur, quia per eam querelam est in possessione interrogandi.

Multa alia subiungit, quæ videntur restringi in hoc, quod dicit ex parte testis esse certam possessionem libertatis non respondendi, per quam assistentia iuris ad manu tenendum iudicem in possessionem redditur dubia, & incerta. Sed ex dictis patet dubium testis, si dubium, nullam dare posse certitudinem possessionis testi ad non respondendum, ac proinde supponit certam possessionem, quæ potius probanda erat, cum reuera talis non sit. E contra supponit assistentiam iuris esse dubiam, cum tamen reuera, & de iure sit

sit certa fundata in querela proposita ab actore, magis enim operatur factum à iure prouenìens, cuiusmodi est productio testium per actorem, quæ dat ius interrogandi ipsos testes, quam factum hominis consistens in mero dubio, quod elidere nequaquam potest iuris assistentia.

Ex his quoque patet ad secundam partem, nam eædem rationes adductæ contra testem dubium faciunt contra testem opinantem, nam opinio probabilis, qua non teneatur testis respondere fundatur, vel in eo, quod iudex sit incompetens; vel in eo, quod est testis priuilegiatus; vel in eo, quod est inhabilis; vel in eo, quod querela est falsa, primo modo præualet opinio pro iudice, quod sit competens, tum quia est simpliciter iudex, ergo in qualibet causa sibi proposita in suo territorio, tum quia præsumendum est pro iudice, ex vulgatis iuribus, qui non est priuandus iure suo; secundo modo, si testis est priuilegiatus, ita quod non teneatur respondere, non citabitur à iudice, aut si citabitur, & non ostendet suum priuilegium, videtur consentire, ac proinde renuntiando iuri suo tenetur, vt alter testis rectè respondere; tertio modo, testis inhabilis tenetur respondere, & talem facit probationem, qualem exigit eius inhabilitas; quarto modo si querela est falsa, tunc potissimum respondere tenetur, vt liberet innocentem. Demum non video qua ratione mouenda sit difficultas, præter adductas rationes, qua dubitetur, aut opinetur quis, testem non legitimè interrogari, sicut moueri potest pro reo, qui interrogari non potest à iudice, nisi sibi constet in tali gradu probationis, an reus illud delictum commiserit: loquendo verò de teste, tunc legitimè censetur interrogari, quando præcisè productus fuit à querelante, & iudex ex sua parte acquisiuit ius ad illum interrogandum, quod tunc censetur acquisiuisse, quando testis non est ex priuilegiatis iuxta superius dicta.

Quæres 38. Quales testes dicantur contestes.

44 ℞. Illi testes dicuntur contestes simpliciter, absolutè, & perfectissimè, qui alias idonei in deponendo conueniunt in quatuor, primò in nomine, & substantia delicti; secundò, in circumstantiis eius; tertiò, in tempore; quartò demum in loco: e.g. Duo testes examinati super homicidio, v. g. Pauli, deponentes, quod occisus fuit à tali persona cum gladio die tali mensis N. in loco nuncupato N. dicuntur contestes simpliciter. Testes ergo contestes dicuntur illi, qui concordant, & conueniunt in substantia, & essentialibus circumstantiis delicti, atque in eodem tempore, & loco conueniunt. Si verò discordant in aliquo illorum dicuntur singulares in eo, in quo discordant, & contestes in eo, in quo conueniunt, sed secundum quid sunt tales. Simpliciter verò singulares dicuntur, qui in nullo conueniant. Pro perfectiori intelligentia horum.

Quæres 39. Quid, & quotupliciter testis dicatur singularis? Sumo hic testem singularem non pro eo, quod vnicum appellat testem, simpliciter, & absolutè in seipso, sed comparatiuè, & relatiuè ad alios testes, à quibus in deponendo discordat.

45 ℞. Testis singularis dicitur ille, qui circa idem negotium seu delictum discordat ab aliis, vel in substantia facti, vel in instrumentis, quibus factum fuit, vel in verbis formalibus, quibus commissum fuit; vel in tempore quo perpetratum fuit; vel in loco, vbi accidit. Ex his deducitur triplex singularitas, prima dicitur obstatiua, qua vnus testis super eodem facto numero deponit contrarium dicto alterius; vt, si vnus deponat Petrum occidisse, & alter neget, vel occidisse quidem talem, sed non eodem loco, vel tempore, quibus alter deponit.

Secunda, vocatur adminiculatiua, seu cumulatiua, qua plures testes sibi inuicem adiuuant in eodem delicto numero, vel specie, vt, si vnus deponat de visu, alter de auditu; vnus de facto, alter de fama, vnus vidit non Sacerdotem Epistolam legentem in missa, alter eundem consecrasse; vnus proferentem, quod Deus non est omnipotens, alter, quod non est iustus.

Tertia, dicitur diuersificatiua, qua plures testes deponunt de diuersis specie delicti; vt, vnus de homicidio, alter de blasphemia, alter de poligamia, hæc enim in eodem reperiri possunt delinquente.

Notandum est, diuersitatem temporis, & loci, quæ testem reddit singularem inducere singularitatem obstatiuam, quando sermo est de eodem delicto numero, vt de vno homicidio, de vna fornicatione, &c. in his si vnus testis deponat tali die, vel tali loco fuisse commissum, & alter deponat alio die, vel loco, per hos testes nihil probatur, quia dictum vnius destruit dictum alterius, cum impossibile sit idem delictum numero fieri diuersis temporibus, seu locis. Si verò sermo sit de delicto aliquo non articulato ad vnitatem numericam, diuersitas temporis, seu loci testes facit singulares singularitate adminiculatiua, quia depositio vnius coadiuuat dictum alterius; vt, si vnus deponat de tali hæresi asserta in tali loco, vel die, alter verò alio in loco, & die; nam in huiusmodi delictis repetibilibus testes cumulatiuè probant, eo, quod hæc delicta successiuè repeti possunt in diuersis locis, & temporibus. Vide Sousam *ad Calcem suorum Aphor.* de hac re quæstionem particularem institutam resoluentem, Carenam *part. 2. titul. 6. §. 5. & part. 3. tit. 6. §. Quintus.* Dianam *part. 4. tract. 8. resolut.* 57. Ego multa dixi *controu.* 1. *quæst.* 32. His notatis.

Quæres 40. An si singularitas obstatiua aliquid probet contra reum.

℞. Nihil probat, quia dictum vnius testis destruit quod dicitur ab altero, cum ad inuicem repugnent, ex quo ambo præsumuntur falsi, cùm non magis credendum sit vni, quam alteri. Ita omnes cum Sousa *hac q. sect.* 2. *num.* 7. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 57. *§. Dico sexto,* Carena *part. 2. tit. 6. num.* 50. 46

Quæres 41. An singularitas adminiculatiua aliquid præbet.

℞. Certum est apud omnes etiam vnicum testem probare ad examinandum reum, & illum torquendum si neget, quando est omni exceptione maior, quia singularitas adminiculatiua quæ recepit pluralitatem testium discordantium in diuersitate deponendi circa idem delictum, quo ad varios modos, &c. non inficit testem ratione sui, sed in ordine tantum ad alterum, ac proindè in ordine ad vlteriorem probationem respectu pœnæ iuxta diuersitatem opinionum, de quibus vide prælatum Sousam *in dicta quæstione Vnica* Carenam *part. 3. titul. 6. §. 5.* Dianam *part. 4. tract. 8. resol. 57. à concl. 7.* Pasqualig. *decis.* 158. Trimarch. *q. fin. de solic. sect.* 5. 47

Duplex est opinio, prima asserentium, hæreticum conuinci per testes singulares singularitate cumulatiua, ac proinde condemnando ad pœnam ordinariam; secunda negantium, doctores pro vtraque parte referunt prænominato. Ne pugnantia dicam, me refero ad id quod resolui *contr. 1. quæst.* 23. Ad extraordinariam omnes conueniunt.

Quæres 42. Quam probationem faciat singularitas diuersificatiua.

℞. Tantam, quantam facit quisque testis per se spectatus, & nihil vltra, quia respectu delicti, de quo causa agitatur simul plures coniungi non possunt ad concordiam, cum quisque illorum deponat tantum de proprio delicto, quod nouit. Hanc vocat communem Sousa *cit. q. sect. 2. num.* 9. 48

Quæres 43. An in dubio teſtes iudicandi ſint conteſtes potius, quam ſingulares?

49 ℞. Affirmatiuè ex Farinac. *q.* 64. *de teſtibus*, ex eo Carena *part.* 3. *titul.* 6. *num.* 39. forſan fauore fidei contra hæreticum; obſtare videtur illud axioma, in pari cauſa fauendum eſt reo, ergo dicendum teſtes iudicandos eſſe ſingulares, vt minus grauent reum, in obſcuris enim ſequendum eſt, quod eſt minimum.

Quæres 44. An examinandi ſint teſtes producti à denuntiatore incognito? De denuntiantibus per ſchedulas ſine proprio nomine dixi *c.* 23. *n.* 88.

50 ℞. Affirmatiuè, Tum quia, iudicem non habet mouere querelans, ſed teſtificans; ergò parum refert quo ad hoc, quod denuntiator cognoſcatur, vel ſit incognitus per ſui nominis ſuppreſſionem. Tum quia, maior ſuſpicio ſpectatur reſpectu inimici denuntiantis, quam incogniti, ſed examinantur teſtes producti ab inimico capitali; ergò, & ab incognito ex minori ſuſpicio. Tum quia, *in cap. Inquiſitioni* 21. §. 3. improbantur quidem ſimiles ſchedulæ, ex quo nec puniendus eſt nominatus in illis, ſi tamen in ea producantur teſtes, nihil circa hoc textus diſponit, ſint nec ne examinandi, ſed ſolum inde colligitur ex ſchedula incogniti non eſſe immediatè procedendum contra nominatum in ea, quando teſtes non exprimuntur, qui ſi exprimantur certè examinandi ſunt. Ita Paramus *lib.* 3. *de orig. inquiſit. quæſt.* 6. *num.* 93. contra Ferdinandum à Caſtro, Farinac. *quæſt.* 185. *num.* 68. quos ſequitur Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 41. quo ad praxim, non quo ad rationem. Nec obſtat, quod in Edictis Inquiſitorum, vt dixi *cap.* 23. *num.* 88. pro nihilo reputentur huiuſmodi ſchedulæ, quia intelligitur hoc de illis, quæ ſine teſtibus inſcribuntur ab incognito auctore.

CAPVT XXXIV.

De Confeſſione reorum.

SVMMARIVM.

1 *Tria requiruntur, vt reus teneatur reſpondere.*
2 *Si non conſtat de corpore delicti non tenetur.*
3 *Reſpondet etiam iuramento non delato.*
4 *Dubitans an iure rogetur teneatur reſpondere.*
5 *In pari cauſa potior conditio poſſidentis explicatur.*
6 *Reſpondere tenetur etiam cum periculo vitæ.*
7 *Maximè in cauſis Sancti Officij.*
8 *Nolens fateri veritatem ante ſententiam non abſoluitur.*
9 *Confeſſarius datur reo petenti.*
10 *Abſolutus ab hæreſi iterum vocatur ex nouis probationibus.*
11 *Condemnatus in pœnam mitiorem defectu probationis iterum vocatur.*
12 *Confeſſio qualificata minuit delictum.*
13 *Quando prodeſt reo confitenti.*
14 *Confeſſio dubia non nocet.*
15 *Cogitur edere claram, & expreſſam.*
16 *Confeſſio ſurdi, & muti non dicitur expreſſa.*
17 *Confeſſio de delicto non conſtante non valet.*
18 *Confeſſio facta coram iudice incompetente ſufficit ad torturam.*
19 *Sicut, & extra iudicialis probata per teſtes.*
20 *Confeſſio incidens valet ad condemnationem.*
21 *Confeſſio in tortura extra ratificanda.*
22 *Sponte confeſſus adhuc punitur ex rigore iuris.*
23 *Confeſſio minoris ſine curatore valet.*
24 *Confeſſio ex ſuggeſtione non condemnat.*
25 *Confeſſio in vno tribunali valet in alio.*
26 *Æquiuocatio confeſſionis quando valet?*
27 *Confeſſio, & ſententia facta deambulante iudice teneat.*
28 Summariè, & de plano *quid.*
29 *Confitens factum hæreticum, ſed negans intentionem quomodo tractatur.*
30 *Confeſſio extorta terrore tormentorum non valet.*
31 *Confeſſio vt plena ſit requirit octo conditiones.*
32 *Impunitatem non licet promittere pro veritate eruenda.*
33 *Procurator quando admittatur.*
34 *Inquiritur etiam contra non diffamatum.*

PErfecto, & abſoluto proceſſu informatiuo examinatione teſtium, & aliis requiſitis, ſi conſtat de delicto; & eiuſdem corpore, procedendum eſt per iudicem ad interrogationem rei, pro cuius rei intelligentia.

Quæres 1. Quid requiratur, vt Inquiſitor poſſit legitimè interrogare reum, & hic teneatur reſpondere?

℞. Tria ſunt neceſſaria. Primum, quod iudex ſit 1 competens in cauſa. Secundum, quod delictum ſit ſemiplene probatum. Tertium, quod probatio notificetur reo. His tribus concurrentibus iudex dicitur legitimè interrogare, ita quod reus tenetur reſpondere, & non poteſt veritatem occultare, neque æquiuocare, vt iudicium condemnationis effugiat.

Primum, de competentia iudicis ita notum eſt, vt probatione non indigeat, ſi enim incompetens eſt, iudex non dicitur, & procedens nihilominus in cauſa cenſetur perſona priuata, ſecundum omnes cum Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed.* 8. 13. & 17. & tradunt doctores *ſuper tit. de foro compet.*

Secundum, de ſemiprobatione tenetur ab omnibus, contingit autem ſemiplena probatio, vel per vnicum teſtem omni exceptione maiorem; vel per infamiam, vel per indicia illis æquipolentia. Qualis teſtis dicatur omni exceptione maior patet ex dictis præcedenti capite, & dicitur ille, cui nihil objici poſſit, quo eius fides infringatur, vel minuatur. De probatione per famam, & per indicia dicam ſequenti capite. Quod requiratur ſemiplena probatio, vt reus dicatur legitimè interrogari docent omnes cum Nauar. *cap.* 25. *num.* 56. ex D. Thoma 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. idem Nauar. *tom.* 4. *de Iudiciis num.* 53. Leſſius *l.* 2. *cap.* 31. *dub.* 3. ex illis Bonac. *diſp.* 10. *de legib. q.* 3. *p.* 2. *propoſ.* 1. *Spathar. tract.* 8. *cap.* 5.

Tertium, de notificatione delicti probati facienda reo conſtat ex ſupradictis doctoribus, & multos alios citat Diana *part.* 1. *tract.* 5. *reſolut.* 91. aſſerentes iudicem debere ordinare Notario, vt copiam depoſitionum tradat reo, ſine nominibus teſtium, vt ſciat de ſuo delicto conſtare; & nonnulli dicunt, iudicem peccare ſi non notificet, quia iudicium eluditur ex eo, quod reus probabiliter credens, ſe non legitimè interrogari, occultabit veritatem æquiuocando ſe non commiſiſſe tale delictum vt teneatur illud fateri; habet locum etiam apud regulares, ex Diana in calce reſolutionis. Quod ſpectat ad officium Sanctæ Inquiſitionis puto ſufficere, ſi reo proteſtetur ſerio tale & tale delictum probatum fuiſſe contra illum, & ideo ex ordine iuris ſeruato procedere ad illum interrogandum, hoc enim modo Inquiſitor probationem delicti ſufficienter notificat reo, omiſſa formali copia proceſſus, in hoc enim tribunali proceditur de plano, & ſummariè. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſol. finali.*

Illis tribus poſitis Reus reſpondere tenetur dicendo veritatem, quam nec occultare, neque æquiuocatione ſubterfugere poteſt, docent omnes omnino, aliter

aliter peccat grauissime, tum propter obedientiam iudici debitam, tum propter mendacium, tum propter iuramentum. Quod si vnum illorum desit tacendo veritatem, vel illam æquiuocatione subterfugiendo non peccat, quia nemo tenetur suum delictum occultum patefacere ex illo vulgato iure. *Non dico, vt te prodas.* delictum autem ad hunc effectum dicitur occultum, quando iudex legitimè non interrogat.

Quæres 2. An quando in processu non constat de corpore delicti, vt quia de illo non fit mentio, forsan quia iudici non occurrit, teneatur reus respondere.

2 ℞. Non tenetur, quia iudex non dicitur legitimè procedere in examinatione rei, quando sibi non constat de corpore delicti, cum id sit de substantia iudicij, ex allegatis supra *cap. 19. num.* 14. Procedit hoc quando delictum est de genere eorum, quæ post se relinquunt aliquod vestigium, vt homicidium, maleficium stregarum, deturpatio imaginis sacræ, &c. in aliis, quæ transeunt, vt hæresis, blasphemia, &c. non probatur, quia id impossibile est, cum nihil sit digito demonstrabile, nec oculo visibile.

Quæres 3. An interrogatus legitimè sed sine iuramento teneatur respondere?

3 ℞. Affirmatiuè, quia iudex non aquirit ius interrogandi reum per delationem iuramenti, sed tantum ex illis tribus supra explicatis, ergo illis positis reus tenetur respondere, iuramento etiam nondum delato. Ita Sair. in Claui *lib. 12. cap. 16. num.* 7. §. *Quando.* Communis est praxis omnium iudicum deferendi iuramentum reis de veritate dicenda, de qua re ego *contr.* 46. per totam. Pitigianus in sua praxi *de test. substant. cap. 2. §. In contrarium.* Delatio iuramenti non placet Claro *quæst.* 45. propter periculum aut suspicionem periurij, sed reus sibi imputet, iudex enim vtitur iure suo, & omnibus viis licitis potest cogere reum ad veritatem dicendam. Confirmatur, quia sicut potest cogere reum ad veritatem per torturam, vt omnes concedunt, ita & per iuramentum, quod est quædam species tormenti, nam Panot. *in c. Per tuas, de probat.* ad finem iuramentum vocat torturam spiritualem.

Quæres 4. An dubitans de legitima interrogatione teneatur respondere ad mentem iudicis?

4 ℞. Adhuc tenetur, quia est in possessione indicandi à qua remouendus non est propter dubium rei. Vide quæ dixi præced. *cap. quæst.* 37. Ita Sanc. *disp.* 43. *numer.* 28. aliis allegatis, cum quibus est Bonac. *disp. 10. de legib. quæst. 3. p. 2. numer.* 4. contra Sanchez, Lessium, & alios fauentes reis potius, quam iudici, quos pro se citat Diana *part. 2. tract. 5. resol* 106. putans, reum, nec testem teneri, quando agitur de delicto non tendente in perniciem publicam, & probat primo, quoniam maius periculum est, si occidatur homo contra ius quam si non obediatur superiori. Ad hoc dico, talem occisionem non esse homicidium, cum innitatur iure ex parte iudicis, inobedientia vero formalis est, ac proinde obediendum est. Secundo, vnusquisque præsumitur bonus, quoadusque probetur malus. Respondeo ex parte iudicis probari sufficienter malum querelatum, actus enim iudicialis querelæ & attestationis siue per testes, siue per famam, siue per indicia præualent cuilibet conceptui suspicionis, & dubitationis hominis priuati. Tertio, iura fauent reo, sicut & possessori ergo quoadusque constiterit ius esse inquirendi, reus habet ius vitæ, famæ, & bonorum suorum, atque adeo non licet in illum inquirere, nec testimonium dicere, Respondeo non fauere in omnibus, vnde illud axioma: *In pari causa potior est conditio possidentis 65. in 6.* locum habet, quo ad absolutionem, *ex l. 2. C. de cond. ob turpem causam*, Glos. ibi non 5
procedit, ergo in examine, præterquamquod reus non dicitur esse in possessione, vt non iudicetur, cum prius ipso iudex sit in possessione iudicandi, ergo non est par causa.

Colligitur ex his etiam in sententia horum doctorum in causis fidei semper fauendum esse iudici, qui tuetur causam fidei & religionis, vnde & pro iudice præsumendum est fauore fidei Catholicæ & propter bonum publicum semper legitime procedere, nisi euidenter constet de opposito.

Quæres 5. An reus legitimè vt supra interrogatus teneatur respondere veritatem, vbi agitur de pœna mortis contra ipsum confitentem inferenda?

℞. Adhuc tenetur dicere veritatem, quia legitimè interrogatur, quia illa tria præcedunt, ergo 6
tenetur etiam legitimè respondere, nulla enim legitima causa saluandi vitã datur, per quam excusari possit à peccato mendacij, & periurij, cum hæc intrinsecè mala sint, quæ per nullam circumstantiam cohonestari possunt, ita quod neque æquiuocatio hic locum habere possit, cum respondendum sit ad mentem iudicis. Ita omnes antiqui discipuli sancti Thomæ, & multi alij, quos contra Diana *part. 1. tract. 15. resolut.* 27. qui more aliorum Modernorum humanæ inclinationi fauentium asserit non teneri cum nonnullis aliis cum Sancio *disp. 43. numer.* 29. inter quos hanc opinionem nonnulli extendunt à pœna capitali ad pœnam mutilationis, triremium, confiscationis bonorum omnium, aut ad aliquod graue dedecus. Vide Pitigianum in *praxi subst. 3. cap. 3. §. Cæterum.*

Probant hanc suam opinionem primò, quia leges, & præcepta humana non obligant cum discrimine mortis, aut mutilationis membrorum ob naturalem inclinationem, quam habet homo conseruandi proprium corpus. Contra quia obligatio respondendi non oritur ex pura lege humana, sed ex diuina, qua præcipitur obediendum esse superioribus, inter quos est iudex legitimè interrogans, & reus sibi imputet, neque ex illa naturali inclinatione conseruandi propriam vitam excusatur à responsione, quia sufficit, quod sibi propria auctoritate mortem non inferat, & sicut quis pro amico se potest exponere morti ex actu aliquo honesto, ita non solum potest respondere sed à fortiori tenetur iuxta mentem iudicis respondere, cum ad hoc obligetur; non autem conseruandam propriam vitam, *Secundò*, leges concedunt defensionem propriæ vitæ cum damno alienæ vitæ, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, ergo & in hoc casu permittitur reo defensio propriæ vitæ solo vsu æquiuocationis sine aliqua formali læsione iustitiæ aut iudicis. *Hoc argumentum* nihil probat, quia qui se ab alio iustè defendit non supponitur esse in culpa, cum iniquè ab inimico dicatur inuasus. Reus vero in culpa est propriæ vitę ex proprio delicto, neque iudex illi violentiam facit, sicut aggressor vim infert innocenti. *Tertiò*, consanguineus non cogitur testificari, aut prodere consanguineum *lib. 4. de testib. lib. 5. C. eodem.* quia sanguine iuncti sunt? sed nemo est magis coniunctus, quam idem sibi ipsi. *Respondetur*, non cogi non solum propter amorem & charitatem, quæ naturaliter reperitur inter ipsos, verum etiam ne propter hoc exponantur periculo periurii, quæ locum non habent in Reo, qui sicut ad seipsum charitatẽ non dicitur habere, charitas enim ad alterum est, iuxta illud D. Gregorij *Homil. 17. in Euang. Nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur, sed dilectio in alterum tendit vt chari-*

tas esse possit. Id enim est mera speculatio metaphysica, quod ego sim mihi ipsi sanguine coniunctus, seu verius conceptus chimericus entis rationis, ita neque comparari potest cum consanguineis inter se collatis, quasi ad similitudinem istorum non teneatur fateri veritatem. Ex quo patet ad rationem Sancij, qui dicit *disp.* 43. *n.* 32. ideo non teneri reum respondere, quia iudex non habet ius interrogandi reum de crimine semiprobato, ob quod esset grauibus pœnis corporalibus plectendus, quia præceptum vt habeat vim obligandi debet esse tolerabile, est vero intolerabile obligare reum, quod proprio ore fiat auctor suæ damnationis, qua ratione legis peritus *in l.* 4. *de testib.* decreuit neminem teneri testari contra suum consanguineum; nisi in causis fidei, & proditionis reipublicæ. *Nam Sancius* supponit pro probatione id quod est in quæstione, siquidem quærere an reus teneatur respondere, & resoluere difficultatem non teneri, quia iudex non habet ius interrogandi, est id quod quærimus, an nimirum iudex possit interrogare reum, si enim potest, etiam reus tenetur respondere, & si non tenetur respondere, neque iudex habet ius interrogandi, quia cum sint correlatiua non debent iudicari ad imparia; neque iudex dicitur imponere præceptum intolerabile reo, cum de iure diuino teneatur obedire ex supra adductis, ex quibus etiam constat, tunc iudicem legitimè interrogare reum, quando concurrunt illa tria, de quibus *sub q.* 1. quæ supponuntur in hoc casu ab omnibus doctoribus. Dicere ergo quod reus non tenetur respondere veritatem, quia iudex non habet ius interrogandi, est petitio principij in hoc speciali casu, cum in omnibus aliis habeat ius, ergo aliunde sumenda est probatio. Neque absurdum est, quod quis proprio ore efficiatur auctor propriæ damnationis, quia vnusquisque recipit mercedem suæ iniquitatis, & in iure *cap.* 2. de iis quæ fiunt à maiori, ibi: *Peccata suos authores tenere debent*, & pœna tenet suos auctores, *l. Sancimus*, *C. de pœnis*, Glos. *Culpa caret. cap.* 2. *de constit.* sicut enim quilibet est auctor culpæ, ita & fabricator suæ damnationis ad illam consequentis.

Idem Sancius eadem *disp.* 43. *num.* 37. §. *Nec fundamentum*, respondet rationi Torres, quæ talis est, iudex ex plena probatione habet ius puniendi reum, ergo ex semiplena saltem habet ius interrogandi illum, cum negari nequeat semiplenam probationem aliquod ius iudici tribuere. *Respondet*, inquam, hoc modo; non aduertit tamen semiplenam probationem ius tribuere iudici, non ad interrogandum reum, sed ad interrogandum testes de reo nominatim. Nec hoc exiguum ius est, nam videntes testes de reo nominatim rogari, deducunt inde, iam reum infamia laborare, & delictum esse semiprobatum, præcedente autem infamia delinquentis, & probatione semiplena non potest testis veritatem celare, posset tamen illis deficientibus iuxta aliquorum opinionem. *Non placet ea responsio*, quia iudex in processu informatiuo semper instruitur in ordine ad reum, vt illum constituat reum vel per semiplenam probationem, quæ resultat vel ex infamia, vel ex indiciis; vel ex depositione vnius testis integri, in omnium sententia vel per plenam secundum quam conuincitur, ergo quæcumque probatio ex dictis resultans ordinatur ad reum, ex quo velit nolit teneatur respondere ex iure aquisito per iudicem super ipsum, consequenter illam semiplenam probationem facere pro iudice contra reum, quod tamen negat Sancius, sed non probat; nec quidquam facit pro ipso, quod semiplena probatio sit ad interrogandum testes, quia id simpliciter falsum est, & solum habere potest locum, quando iudex procedit per generalem Inquisitionem, constante delicto, sed occulto existente perpetratore illius, & tunc etiam illorum probatio vlterius ordinatur contra reum, ex quo adductis aliis testibus tandem proximè iudex acquirit ius actuale interrogandi reum.

Colligitur ex dictis, hanc opinionem in causis fidei, & sancti Officij nullatenus locum habere posse, 7
vt etiam docent multi huius opinionis, in specie Sancius cit. *disp.* 43. *num.* 32. tum propter eius exiguam probabilitatem, tum quia facile euacuaretur iustitia huius tribunalis, cum maior pars delictorum, quæ in hoc foro sunt multum grauia, puniantur pœnis aut mortis, aut perpetui carceris, aut triremium; tum quia dans reis huius sancti Officij consilium æquiuocandi sine dubio esset suspectus de hæresi, & hæretici fautor, quia directe faueret hæresi.

Quæres 6. Quid agere debet confessarius cum reo nolente se retractare, & fateri veritatem? in sententia eorum, qui tenent, vbi pœna mortis, mutilationis, &c. timetur, reum posse celare veritatem, resoluitur difficultas dicendo, in eo casu confessarium posse absoluere pœnitentem, cum non teneatur in eo casu fateri veritatem, nec se retractare, habendo pro se opinionem probabilem.

℞. Confessarius absoluet ab illo periurio, & cœteris peccatis, si habet propositum cauendi in futurum 8
à quouis peccato, in quo includitur etiam propositum fatendi veritatem, si iterum interrogetur à iudice. Sed numquid confessarius in specie debet illum admonere, vt fateatur veritatem, si iterum interrogetur? Affirmat Azor. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. *dub.* 5. Negat Sanchez *lib.* 3. *c.* 7. *num.* 9. & cum eo Diana *part.* 1. *tract.* 15. *resolut.* 16. asserendo sufficere propositum cauendi in genere à peccatis, subiciendo hanc obligationem fatendi, si iterum interrogabitur, nam admonendo reum exponit illum periculo iterum peccandi concipiendo propositum contrarium. Opinio Azor. tenenda est, quando nondum causa est finita, nam confessarius probabiliter dubitat, an habet propositum cauendi in futurum ideo admonitione debet se certificare, ne se exponat periculo nulliter administrandi Sacramentum Pœnitentiæ propter indignitatem pœnitentis. Confirmatur id, quia sicut confessarius debet se certificare expresse interrogando an concubinarius habeat hoc speciale propositum dimittendi concubinam, ita & in casu præsenti cognitionem habere debet, an reus paratus sit fateri veritatem, si iterum interrogabitur à iudice, par enim est ratio dubitandi penes confessarium de vtroque proposito dimittendi concubinam, & fatendi veritatem Neque huiusmodi admonitione confessarius exponit periculo pœnitentem, in quo antea non esset saltem virtualiter, præterquam quod non ipse confessarius, sed obstinatio pœnitentis est in causa. Finito iudicio reus, qui negauit veritatem non tenetur se retractare, quia ea obligatio fatendi veritatem cessauit cum ipso iudicio, in tantum enim tenetur, in quantum citatur, & interrogatur à iudice. Ita Nauar. *c.* 25. *num.* 38. nisi ex taciturnitate veritatis sequatur notabile damnum proximi, illum sequuntur Regin. Pitigianus, *subst.* 3. *cap.* 3. §. *Cæterum ego existimo* Rodriq. & Diana *part.* 3. *tract. resolut.* 103. contra nonnullos, quia infamatur iudex, & testes; sed apud omnes constat, reos solere veritatem negare, ex quo nulla infertur infamia contra prædictos.

Quæres 7. An ab Inquisitore dandus sit confessarius ad petitionem rei?

℞. Vtique, si peritus sit, & timoratæ conscientiæ, 9
qui reum instruere possit de obligatione, quam habet fatendi veritatem, & de hac instructione facienda admonendus est confessarius, præcipuè ne sequatur opinionem eorum, qui tenent non obligari reum fateri veritatem, quando pœna mortis imminet. Concedi autem potest non solum infirmis,

sed

sed etiam sanis, non tantum post iudicialem confessionem, de quo non est difficultas, verum etiam ante nam hoc modo facilius disponetur ad dicendam veritatem. Si hæreticus est pœnitens illum non absoluat nisi esset reus in articulo mortis constitutus, cum debitis cautionibus. Ita docet Zanardus in Directori Theolog. *par.* 3. *cap.* 86. Diana *par.* 4. *tract.* 80 *resolut.* 6. refert Toletanam instructionem, &. Piasecium, negantes concessionem confessarij reis ante confessionem iudicialem, sed melior est prior opinio, quam tenent etiam Pegna, & ipse Diana.

Quæres 8. An reus iterum reuocari possit ad examen quando absolutus fuit ab hæresi noua superueniente probatione.

℞. Absolutus ab hæresi defectu probationum, reuocatur iterum ad quæstionem, nouis superuenien-10 tibus probationibus. Tum quia, multum expedit reipublicæ Christianæ, vt similes delinquentes puniantur. Tum quia in causis fidei sententia numquam transit in rem iudicatam. Vnde reus iterum vocatus non potest se tueri exceptione rei iudicatæ. Ita omnes cum Farinac. *q.* 185. *n.* 197. aliis citatis Carena *par.* 3. *tit.* 11. *num.* 14. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 35.

Quæres 9. An condemnatus in pœnam extraordinariam defectu probationum requisitarum ad pœnam ordinariam, si superueniant possit iterum vocari, & examinari ad imponendam pœnam ordinariam?

℞. Potest iterum examinari, & condemnari confessus in pœnam ordinariam, quia sententia non solum absolutoria, sed neque condemnatoria transit in 11 rem iudicatam in causis fidei; duobus tamen concurrentibus; primum, quod nondum impleuerit pœnitentiam, secundum, quod nouæ probationes sufficiant ad pœnam ordinariam, sine primis ratio primi est, ne quis pro eodem delicto puniatur bis, non enim consurgit duplex tribulatio; ratio secundi sit, quia antiquæ probationes sortitæ fuerunt suum effectum, cum desierint in sententia definitiua non videntur coniungi posse, maximè cum aliquando tortura destruantur, vt bene notat hoc Carena *par.* 3. *tit.* 11. *n.* 15. Ita tres doctores refert Farinac. *q.* 185. *n.* 199. Alios refert Diana *par.* 4. *tit.* 7. *resol.* 35. qui loquuntur cum maiori rigore.

Quæres 10. An reus non obstante confessione qualificata puniendus sit pœna ordinaria? Confessio qualificata est illa, per quam reus fatetur quidem delictum, sed cum tali circumstantia, & qualitate, quæ dectum minuit. In hoc Fiscus acceptat 12 querelam super delictum, & qualitatem relinquit probandam per reum, eo quod pro ipso faciat contra fiscum. Item an qualitatem probare possit saltem per torturam. De hac materia Bartol. *in l. Aurelius*, §. *Item quæsiuit ff. de liber. leg. n.* 2. Farinac. *q.* 81. de reo confesso, & conuicto *n.* 110. Carena *par.* 3. *tit.* 8. *n.* 1. *& seq.*

℞. Tunc punitur pœna ordinaria, quando qualitas excusatoria habet non solum præsumptionem iuris contra se, sed etiam quando est multum inuerisi-13 milis à communiter accidentibus. Quando verò qualitas est multum verisimilis à communiter accidentibus, licet adsit Præsumptio iuris contra illam, & delinquentem punitur reus pœna extraordinaria arbitrio iudicis, vel torqueri potest, vt repondeat sine qualitate.

Prima pars, de pœna ordinaria ex inuerisimilitudine probatur, quia aliter nullus vnquam puniretur pœna ordinaria, solent enim omnes rei, vt mortem effugiant, & alias pænas grauissimas, fateri cum circumstantiis diminuentibus delicti grauitatem, & pœnam. Non obstantibus ergo his qualitatibus ex circumstantiis, quæ multum aberrant à vero, damnantur in pœnam ordinariam, consequenter, cum id, quod verisimile non est, habeat speciem falsitatis; secundum Bald. & Iason *in l. Si extraneus, ff. de condit. caus. data*, Dec. *consil.* 644. *n.* 6. Mascard. *de probat. conclus.* 140. *n.* 35. nula ratio habenda est huiusmodi qualitatis ex circumstantiis inuerisimilibus. Ita aliis allegatis Fachin. *l.* 1. *controuers. iuris c.* 27. Carena *par.* 3. *tit.* 8. *n.* 5.

Secunda pars, quod non punitur pœna ordinaria; sed extraordinaria quando probatur qualitas ex communiter accidentibus verisimiliter, probatur per Abbatem *in cap. Auditis de præscript. numer.* 33. Farinac. *de reo confesso quæst.* 81. *numer.* 157. Cantera *in quæst. crimin. cap.* 1. *de vera confess. numer.* 18. In hoc casu melius est sinetortura punire reum pœna extraordinaria, quia per torturam potest superare difficultatem & effugere pœnam. Ita Abbas, quem omnes fere sequuntur, contra Bullam tenentem hunc esse torquendum, vt absolute respondeat. Carena ex illis *part.* 3. *tit.* 8. §. 1. Sed in S. Officio procedetur cum tortura ex necessitate materiæ.

In tribunali Sancti Officij tunc confessio dicitur qualificata, quando reus ex vna parte confitetur delictum hæreticale, sed ex alia negat qualitatem intentionis hæreticæ e. g. fatetur se sortilegum, solicitatorem, poligamum, negat verò habuisse intentionem hæreticam, asserendo semper habuisse catholicam credulitatem, nihilominus ea delicta perpetrasse ex libidine, auaritia, ira, aut alio motiuo, & non ex praua intentione infidelitatis, quamuis contra talem reum semper adsit præsumptio iuris. In hoc casu reus aliquali tortura non tamen rigorosa probat qualitatem bonæ intentionis, & pœna extraordinaria commensurata illi delicto punitur, & sic euadit pœnas hæreticorum cum ex hoc capite dicatur purgata præsumptio iuris per torturam, & abiurationem. Quando autem qualitas non fundatur in verisimilitudine ex communiter accidentibus, sed illa caret, punitur pœna ordinaria, exemplum ex Cantera refert Carena *par.* 3. *tit.* 8. *numer.* 7. in quodam reconciliato ex genere Maurorum qui ad alios eiusdem generis transiuit punitus pœna ordinaria Relapsorum non obstante, quod diceret, apud illos fuisse ob famem, nam hæc qualitas est multum inuerisimilis à communiter accidentibus.

Quæres 11. An ex confessione dubia, & incerta, seu æquiuoca reus comdemnari possit.

℞. Ex huiusmodi confessione nullus condemnari potest, quia confessio ex qua sequitur condemnatio, debet esse expressa, specifica, & certa quo ad tale, 14 vel tale delictum cum expressione circumstantiarum, quæ illud apertè declarant, vt docent allegati per Farin. *quæstio.* 81. *numer.* 31. Quare qui se fatetur hæreticum nullam exprimendo in specie propositionem hæreticam, non potest vt talis formaliter condemnari, nisi dicat, se esse Luteranum, aut Caluinistam, vel alterius sectæ, in hoc enim casu confessio est specifica, & certa, in priori æquiuoca, & dubia, quia delictum in genere expressum facit confessionem æquiuocam, iuxta illud Aristotelis; In genere latent æquiuocationes, & secundum iurisperitos, generalitas parit obscuritatem, *l. Ita fidei ff. de iure fisci* Glos. *ver. Vel indeterminatè, c. fin. de rescr.* Ita Simanch. *de cathol. instit. tit.* 13. *de confessis n.* 2. Carena *par.* 3. *tit.* 8. *n.* 49.

Quæres 12. An reus ex confessione dubia torqueri possit, vt clarè loquatur, si spontè requisitus negat expressam confessionem? Vel potius interpretanda sit in eius fauorem?

℞. Si non vult se declarare sponte cogi potest per torturam, partes enim iudicis sunt, ne iudicium redatur

datur nullum ex eius negligentia in inquirendo, *cap. iudicantem* 11. 30. *quæst.* 5. vbi Glos. *ver. Remaneat refert de quibus, debeat supplere, ex cap. Causam. de iudic.* vnde inquit Glos. *ver. Nimis, cap. Accedens, vt lite non cont.* quod iudex debet interrogare, vbicumque eum mouet æquitas, ita quod vsque ad prolationem sententiæ debet omnia diligenter rimari, *cap. Cum fides, fine, de fide instr.* ac proinde de tota causa debet esse instructus, *lib. iudices, ff. de iud.* ita quod habet cognoscere initium, medium, & finem illius *cap. super* 27. *de off. deleg.* Ita Bossius *de confess. numer.* 34. Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæstio.* 89. *numer.* 42. exemplificando in eo, qui de multis interrogatus respondit tale, & tale non commisi, subticendo reliqua, quæ nihilominus dicitur virtualiter confessus fuisse, & cum hæc confessio non sit specifica, sed dubia, & incerta specificanda est per expressionem delicti in indiuiduo, & recusans cogitur per torturam, vt docent prædicti.

Quæres 13. An surdus, & mutus, quorum confessio reuera specificari per ipsos non potest, condemnandi sint in pœnam ordinariam?

16 ℞. Si plenè non sint conuicti per testes integros, & contestes non sunt condemnandi, quia eorum confessio dubia, & incerta est ex dictis in præcedentibus, iudex autem incerta iudicare non potest, *cap. Si quis* 9. §. *Incerta* 30. *quæst.* 5. vnde in ambiguis rebus absolutum non debet esse iudicium, *cap. fin. dist.* 33. Ita Bald. *l.* 1. *C. de conf. ssis n.* 27. Anton. Gomez 3. *Var.* 1. *n.* 69. Farinac. *q.* 98. *n.* 62. alios Carena *parte,* 3. *titul.* 8. *num.* 48.

Quæres 14. An confessio delicti facta per reum, de quo non constabat legitimè noceat ipsi reo?

17 ℞. Non nocet facta confessio in tormentis, cum nulla sit, & dicatur potius emanata ex vi tormentorum, quam ex veritate, cum præsertim de delicto antecedenter nihil constet. Ita docent omnes cum Farinac. *quæst.* 85. Cantera *par.* 1. *de vera confess. numer.* 10. Carena *cap.* 1. *tit.* 8. *numer.* 18. ita quod neque huiusmodi confessio ratificata postmodum quidquam operatur contra reum, nisi prius certioretur de nullitate. Neque sufficit ad torturandum reum iterum ad reua idandam illam, quia iudex nullum acquisiuit ius contra reum, contra quem nihil adhuc constat, vt suppono, ita contra Bossium *de confess. per torturam numer.* 22. docent Bertazol. *consil.* 39. *numer.* 10. Honded. *vol* 1. *cons.* 108. *numer.* 34. Confessio verò facta sine tormentis nocet reo, vt docet Clarus *quæst.* 55. *numer.* 10. in causa hæresis exemplificando, sed loquitur per verbum, *crederem*, & in ordine ad corpus delicti, de quo non potest constare, quare cum præter ordinem iuris interrogetur confessio facta nihil probat.

Quæres 15. An confessio facta coram iudice incompetente aliquid valeat?

18 ℞. Confessio hæc spontè facta, hoc est, sine metu tormentorum non sufficit ad condemnationem, vt omnes fatentur, quos recenset Barbosa *ad cap. At si clerici, de iudic.* Farinac. *quæstio.* 81. *numer.* 188. Sousa *lib.* 2 *capite* 20. *numer.* 36. siuè fuerit ratificata; siuè non, siuè iudex sit incompetens ratione personæ, vel causæ. Sufficit verò ad torturam pro iudice competente, non obstante reuocatione facta coram ipso, Boss. *de confess. num* 55. Clarus *quæstio.* 21. *numer.* 20. Farinac. *quæstio.* 81. *num.* 216.

Quæres 16. Quid operetur confessio extraiudicialis?

19 ℞. Facit indicium sufficiens ad torturam, quia est multum verisimile, quod dixerit veritatem, & facit illud axioma, quod nulla verior confessio, quam proprij oris. Hanc communem vocat Clarus *q.* 21. *numer.* 19. Pegna *in par.* 3. *comment.* 110. Eius autem dictum probandum est depositione duorum testium, qui ipsum audierint confitentem se tale delictum commisisse, & debent esse integri, & contestes, Mascard. *lib.* 1. *concl.* 369. Menoch. *lib.* 1. *de præsumpt. quæst.* 89. *numer.* 21. Farinac. *quæst.* 82. *reg.* 2. *numer.* 44. ex illis Sousa *lib.* 2. *capite* 21. *numer.* 9. in causa tamen hæresis sufficiunt testes singularitate cumulatiua, in quo casu etiam plene probant, secundum Mascard. *cit. numer.* 9. & Sousam *ad calcem Aphor. quæst. Vn. sect.* 2. *concl.* 11. Prædicta procedunt, licet illam reuocet coram iudice competente, quia hoc modo numquam posset esse indicium ad torturam, quisque enim semper eam reuocaret, & sic eluderet ius per indicem acquisitum ad torturam, Anton. Gomez 3. *Var. c.* 13. *de tortura n.* 8. Mascard. & Farinac. apud Sousam *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 6.

Quæres 17. An puniatur, qui incidenter confessus est, delictum, super quod principaliter non agitatur causa? Exempli gratia, agitatur causa adulterij per maritum contra vxorem, & vxor opponit viro crimen lenocinij, si confitetur, punitur pœna ordinaria, quia exceptio lenocinij tangit causam principalem adulterij, *ex c.* 1. *de except.* Ita Farinac. *q.* 81. *n.* 251. alij cum Sousa *l.* 2. *c.* 20. *n.* 39. Si verò crimen obiectum non tangit causam principaliter, non mulctatur pœna ordinaria ex prædictis, quod colligunt ex illo textu, ibi? *Pœna ordinaria mulctari non debet.*

℞. Non obstante ea distinctione confessus incidenter delictum spectans ad sanctum Officium, licet non tangat causam principalem, adhuc mulctatur pœna ordinaria, non obstantibus iuris apicibus de hac re, ibi? *Cum accusatio in ipsos secundum iuris rigorem non procedat.* Verba illius *cap.* 1. *de except.* Iudices autem Inquisitores non tenentur ad apices iuris, sed summariè, & de plano procedunt, ex *cap. Statuta, de hæret. in* 6. Ita Carena *part.* 3. 8. *tit. num.* 29. 20

Quæres 18. An confessio in tormentis ad sui valorem exigat ratificationem extra tormenta?

℞. Confessio in tortura nocet reo, quia vt sic spectata nulla est, sed præterea extra tormenta ratificanda est, ex quo suas vires recipit, aliter nullus damnari potest. Ita Farinac. 185. *numer.* 150. vbi quod non noceat non ratificata, *quæstio.* 187. *numer.* 77. quod non sufficit ad condemnationem sine ratificatione, aliis citatis Sousa *lib.* 2. *cap.* 21. *numer.* 17. Ratificatio fit ex interuallo temporis cessante tormentorum dolore, ad arbitrium iudicis. 21

Quæres 15. An spontè confessus mitius puniatur?

℞. Comparentes spontè nondum præuenti mitissime tractantur. Præuenti sed nondum vocati mitius afficiuntur. Vocati demum primo libere confitentes non ita seuere castigantur. Demum vocati fabricato processu informatiuo ad examen, non obstante spontanea confessione facta sine vllo ordine ad torturam, non effugiunt pœnam de iure sibi debitam, quia sicut tunc de ordine iuris tenetur respondere, ita & secundum ordinem iuris mulctandi sunt. Ita Clarus *quæstio.* 60. *numer.* 30. Carena *par.* 3. *tit.* 8. *num.* 40. 22

Quæres 20. An confessio minoris illi noceat? De iure *l. Clarum C. de auctor. præstand.* apud Farinac. *quæst.* 81. *numer.* 352 confessio facta à minori intra annos 14. & 25. sine curatore nulla est. Abiit tamen

men id in desuetudinem apud Gallos, & Italos secundum prædictum Farin. *numer.* 370. Quid enim prodesse iuste potest curator minori, cum proprio ore teneatur fateri veritatem, quem illi etiam curator consulere tenetur, frustra ergo adhibetur, habet enim minor ætatem sufficientem ad respondendum per se, est enim confessio personalis accusatio de delicto, quod quisque personaliter commisit.

23 ℞. Confessio minori nocet, & valida est facta sine curatore vbi viget consuetudo non dandi curatorem, quia sicut valet confessio istorum sine curatore in aliis causis à fortiori in his, ita aliis citatis refert Carena *par.* 3. *tit.* 8. *numer.* 44. Sousa *lib.* 2. *cap.* 33.

Quæres 21. Quid operetur confessio facta ex suggestione iudicis?

24 ℞. Valet quidem confessio, sed non sufficit ad condemnationem, cum ex astutia, & versutia contra ordinem iuris sit extorta, vt fatetur Farinac. *quæst.* 83. *numer.* 84. Sousa *lib.* 2. *cap.* 20. *numer.* 60. Tunc autem Iudex dicitur interrogare ex suggestione tam testem, quam reum quando per verba interrogatoria supponentia delictum perpetratum procurat extorquere confessionem ex ore testis, vel rei. Exemplum ponit Massinius in sua praxi *part.* 2. *fol.* 31. apud Carenam *par.* 3. *tit.* 8. *numer.* 33. de teste interrogato his verbis. *Nonne verum est, quod Titius blasphemauit; scio ego te audiuisse eumdem bis blasphemasse al dispetto* De Reo ita scribit. *An interfecerit Titium in tali loco, tali die eum vulnerando in pectore, cum ense.* Farinac. cit. *quæst.* 83. *numer.* 88. dicit esse interrogandum generaliter, an à tanto tempore citra cum aliquo fuerit rixatus, cum quo, quo loco, qualiter, quo tempore, an vulnerauerit, quibus vulneribus, in qua parte corporis. Vide prædictum Carenam loco citato, & *tit.* 2. *à num.* 35. de modo interrogandi reum.

Quæres 22. An confessio rei facta in vno iudicio valeat in alio, itaut puniri possit reus præcisè ex ea confessione?

25 ℞. Potest per Inquisitorem quando confessio facta fuit iudicialiter in tribunali Episcopi, & è contra, quia in hoc casu nihil aliud videtur desiderare, docet Carena *part.* 3. *tit.* 8. *numer.* 32. Si verò sermo sit de confessione facta coram iudice incompetente, vel in causa ciuili, tunc talis confessio facit indicium tantum ad torturam, ex doctoribus per prædictum citatis.

Quæres 23. An reuocatio propriæ confessionis possit quidquam reo?

26 ℞. Quatuor modis potest reuocari confessio per reum. *Primò*, incontinenti, hoc est, antequam reus recedat à conspectu iudicis, in quo casu prodest reo, vt non possit condemnari, etiam si non doceat de errore. Ita Royas de hæret. *part.* 2. *numer.* 260. Palaus *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *p.* 16. §. 1. *numer.* 3. Sousa *lib.* 2. *cap.* 20. *numer.* 55. *Secundò*, reuocatur confessio etiam extra examen, & errore probato confessio non nocet in ordine ad pœnam. Ita Cantera de hæret. *capite* 1. *numer.* 70. Sousa, & Palaus cit. Carena *part.* 3. *tit.* 8. *numer.* 53. *Tertiò*, confessio facta in tortura reuocatur, allegata pro causa vi tormentorum, nullo existente errore, Ita Sousa & Palaus *Quartò* demum, cum reuocatur confessio extra illos tres casus, & tunc hæc reuocatio nihil prodest, nec liberat à condemnatione ex communi doctorum cum Farin. *q.* 187. *num.* 73. ex illo Carena citatis *num.* 55.

Quæres 24. An confessio per reum facta coram Inquisitore deambulante, & non sedente pro trinali sit nulla?

27 ℞. Valet confessio, & sententia lata licet non sedet pro tribunali, quia licet de iure ciuili vtrumque asseratur nullum defectu huius requisiti, tamen locum non habet in S. Officio, in quo summariè, & de plano proceditur, *ex cap. Statuta 2. de hæret. in 6.* quia procedens ex hac clausula *Summarie, &c.* non tenetur ad solemnitates iuris, Maranta de ordine iudic. 28 *part.* 4. *tit. An iudex sit comp. numer.* 8. Hond. *consil.* 94. *numer.* 52. & in terminis, quod non teneatur iudex sedere in proferenda sententia, modo sit in scriptis, docet Gratian. *Disceptat. Forens. capite* 522. *numer.* 4. & in casu præsenti Carena *part.* 3. *tit.* 8. *numer.* 59. Confirmantur prædicta, quia quando Deus interrogauit, & iudicauit Adam perambulabat ad auram, ergo signum est, quod hoc sedere est voluntaria iuris solemnitas.

Quæres 25. Confessus propositionem hæreticam, vel factum hæreticum, sed negando se errorem habuisse in intellectu an damnandus sit vti hæreticus formalis, reiiciendo illam negatiuam?

℞. Quando est conuictus non solum super facto, 29 sed etiam super intentione nulli dubium est reiici negatiuam, & damnari ad pœnam ordinariam, obstante huic negatiuæ legitima depositio testium. Quando non est conuictus, sed confessus cum negatiua, diminuente in hoc casu si probat causam suæ negatiuæ vt quia metu mortis coactus fuit adorare idola, circumcidi, iudaizare, &c. non damnatur vt hæreticus formalis, sed tantum vt suspectus de hæresi vehementer, vnde & super hac intentione torquendus est. Si verò nullam adducit causam, cur ita fecerit, vti formalis hæreticus punitur, & hoc videtur sentire Farinac. *quæst.* 179. *numer.* 60. quem sequitur Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 34. ad finem vide *capite* 37. *quæst.* 11. Carena *part.* 2. *tit.* 1. *numer.* 107. vbi §. *Modo*, subiungit in aliis casibus, quorum delicta aliam possunt habere intentionem causatam nimirum ex auaritia, luxuria &c. vt in sortilegiis, solicitatione, poligamia, & similibus, si reus fateatur factum, & neget intentionem hæreticam, torquetur & si persistat in negatiua, punitur non vt hæreticus, sed vt suspectus de hæresi in ordine ad delictum, quod ratione sui pœnam quoque meretur, & grauiorem ratione suspicionis. Vide supra *quæst.* 9.

Quæres 26. An confessio extorta comminatione torturæ valeat ad condemnationem?

℞. Negatiuè, quando extorquetur in loco tormentorum, vel reus ligatur, seu spoliatur prope torturam 30 vt fateri cogatur, huiusmodi enim confessio æquiparatur confessioni factæ in tormentis, quæ nulla est nisi postea extra ratificetur vt dicam *capite seq. quæst.* 43. Comminatio verò verbalis sine illis actibus proximis non infringit confessionem, Ita Pegna *par.* 3. *com.* 39. Mascard. *l.* 2. *concl.* 357. *n.* 4. Farin. *q.* 81. *n.* 83. Sousa *l.* 2. *c.* 20. *n.* 23.

Quæres 27. Vt confessio rei plene probet, quid requiratur? 31

Resp. Octo conditiones. Prima, vt confitens sit maior viginti annis, supra *quæst.* 20. Secunda, vt confessio fiat sponte, non coactè, iuxta *quæst.* 26. Tertia, vt non fiat per errorem, quia emendari potest docendo de errore, supra *quæst.* 23. Quarta vt confitens dicat contra se. Quinta, vt fiat coram iudice competente *quæstio.* 18. Sexta, vt in confessione non detur repugnantia naturalis, facit *quæstio.* 12. 13. & 14. Septima, vt etiam in iure non detur repugnantia, ex dictis quæstionibus. Octaua demum reus non velit probare contrarium eius, quod confessus fuit. Ita colligitur ex Glosa *in cap.* 1. 2. *q.* 1. Farin. *quæst.* 81. *à numer.* 21.

Quæres 28. An iudex ad extorquendam rei

rei confessionem licite promittat impunitatem?

32 *Resp.* Non licet illam promittere, cum dedeceat sic decipere reum, quando postea iudex non potest remittere pœnas quæ sunt iuris, licet remittere valeat arbitrarias. Pegna *par.3.com.23.* Verum quidem est, quod illi potest promittere misericordiam minuendo rigorem pœnæ, vt docent Menoch. *casu.367.* Farin. *q.91.n.296.* Sousa *l.2.c.20.n.41.*

Quæres 29. An reus absens possit respondere per suum procuratorem?

33 *Resp.* Non admittitur procurator in causis fidei fauore absentis, vt multi docent allegati à Farinac. *quæst.185. numer.98.* neque pro defensione innocentiæ, nisi reus se in carcerem constituat ex eodem *n.99.* quia aliter iudicia redderentur illusoria. Admittitur verò ad reddendam rationem absentiæ rei, ex eodem Farin. *n.101.* Sousa *l.2.c.49.n.11.* Carena *par.3.tit.11. num.53.*

Quæres 30. An Inquisitor nulla præcedente diffamatione procedere possit inquirendo solum ex leui suspicione?

34 *Resp.* Affirmatiuè inquirendo generaliter, quis tale delictum, de quo constat, licet ignoretur auctor perpetrauerit, quia delictum succedit loco infamiæ secundum Canon. *in capite Qualiter 24. de accusat.* præterquamquod. vt plurimum delicta remanent impunita, & in praxi obseruatur apud omnes iudices, vt constito de corpore delicti, statim procedatur ad Inquisitionem generalem. Ita Simanch. *de cathol. institut. tit. 44. numer. 9.* Scaccia *lib.1. de indic. cap. 59. numer. 11.* Diana *par. 4. tract. 8. resol. 4.* Sed numquid interrogari potest leuiter suspectus de fide? Resp. Ita, quia ea suspicio est sufficiens fundamentum malè sentiendi de ipso, ideo Inquisitor ex officio debet ab eo inquirere quid sentiat de fide. Ita Decianus *lib.5. cap.20. numer. 21.* Scaccia *lib.1. capite 59. numer. 12.* Royas *de hæret. par. 2. numer. 20.* siuè sit vir nobilis, siuè ignobilis, siuè doctus, siuè indoctus, omnes enim indifferenter debitores sunt legis fidei, ac proindè eodem iure censendi, præterquamquod in illis facilius ingeri potest huiusmodi vitium propter conuersationem, & doctrinam. Vide Dianam *par.4.tract. 2.resol.39.*

CAPVT XXXV.

De Indiciis & Tortura.

SVMMARIVM.

1 *Tortura ad pœnam, & veritatem inuenta.*
2 *Indicium quid, & quotuplex.*
3 *Præsumptio quid, & quotuplex.*
4 *Indicium, & præsumptio non faciunt scientiam.*
5 *Indicium vnicum, remotum, sed proximum sufficit ad torturam.*
6 *Duo indicia remota sufficiunt*
7 *Probata per testes contestes integros.*
8 *Testis vnicus integer sufficit ad torturam.*
9 *Non verò si reus sit bona famæ.*
10 *Minor viginti annis non est integer.*
11 *Socij dictum non sufficit sine adminiculis.*
12 *Vtique cum adminiculis.*
13 *Socius patiens alios defectus non sufficit cum adminiculis.*
14 *Sociorum duorum sine indiciis dictum sufficit.*
15 *Socij debent esse contestes, nisi &c.*
16 *Socij dictum habet locum quouis modo deponatur.*
17 *Tortus super dicto socij, adhuc torquetur aliis superuenientibus.*
18 *Dicta de sociis non habent locum, quando reus est bonæ famæ.*
19 *Confessio rei extraiudicialis sufficit ad torturam.*
20 *Testes eam probantes sufficiunt singulares.*
21 *Confessio hæc sufficit licet reus tempus, & locum non expresserit.*
22 *Inhabiles testes non torquentur.*
23 *Fama sola non probat ad torturam.*
24 *Quibus probetur fama.*
25 *Fuga ante querelam sufficit.*
26 *Contumacia cum condemnatione sufficit.*
27 *Minoris dictum non sufficit.*
28 *Assertio vulnerati non sufficit.*
29 *Inimicitia capitalis non sufficit.*
30 *Minæ non sufficiunt.*
31 *Res inuenta apud reum malæ famæ sufficit.*
32 *Titubatio, & faciei mutatio non sufficit.*
33 *Mendacium coram iudice sufficit.*
34 *Indicia plura quando iungantur.*
35 *Torqueri nullus potest nullis præcedentibus indiciis.*
36 *Nolens respondere indiciatus cogitur tortura.*
37 *Stultus, & furiosus simulati torquentur.*
38 *Reus torquetur super complicibus.*
39 *Nouis superuenientibus indiciis torquetur.*
40 *Quis ex complicibus prior torquatur.*
41 *Copia indiciorum datur torturando.*
42 *Appellatio hic locum habet.*
43 *Tortura non decernitur, nec datur sine coniudicibus.*
44 *Quomodo interrogatur reus in tortura.*
45 *Confessio in tortura postea ratificatur.*
46 *Nolens illam ratificare iterum, & tertio torquetur.*
47 *Exempti à tortura quinam sint.*
48 *Minori toto non datur curator.*
49 *Confessarius solicitans non torquetur ex dicto vnius bonæ famæ.*
50 *Sagarum duarum dictum non sufficit.*
51 *Inter vnam, & aliam torturam ad minus tres dies interponuntur.*
52 *Hæretici, & suspecti torquentur super intentione.*
53 Citra præiudicium probatorum, *clausula exprimitur.*
54 *Conuictus, sed non confessus torquetur si intendatur pœna ordinaria.*
55 *Corpore delicti non constante nullus torquetur.*
56 *Æqualiter non omnes torquentur.*
57 *Fune tantum torquendi.*
58 *Per horam tantum &, non vltra.*
59 *Si moriatur reus in fune homicida est iudex.*
60 *Clericis etiam non infamatis datur tortura.*
61 *Tortura ad veritatem illata non infamat.*
62 *Tortura datur ex opinione probabiliore.*
63 *Tortura in dubio non datur.*
64 *Purgat indicia, & probationes respectu pœnæ ordinariæ.*
65 *Torturatur respectu delicti non confessi, licet alia fuerit confessus.*

Tortura ex duabus causis infligitur, primò, quandoque in pœnam alicuius delicti; secundò, reo nolenti veritatem fateri, ad quam per tormenta cogitur. Quia autem in iure *cap. Cum 9. de reg. iur. & l. 1. C. de quæst.* dicitur non esse incipiendum à tormentis, etenim res est fragilis, & periculosa, quæ sæpe veritatem 1

veritatem fallit, ideo legitima indicia debent illam præcedere, vt id totum ibi expresse scribitur.

Quæres igitur primo quid, & quotuplex sit Indicium?

2 ℞. Indicium est coniectura orta non ex necessarijs, sed ex probabilibus, à quibus licet possit abesse veritas, non tamen verisimilitudo patrati criminis, per quam aliquando iudex cogitur iudicare secundum illam. Est igitur signum demonstratiuum rei gestæ inducens iudicem in cognitionem delicti. Ita ex Baldo, & alijs relatis Farinac. *q.* 36. *n.* 17. Sousa *lib.* 2. *cap.* 25. per totum.

Diuiditur Indicium primo in Dubitatum, & non plenum, atque in Indubitatum, & plenum. Secundò, in Remotum, & Proximum. Farinac. *cit. q.* 36. *num.* 35. & 44 Carena *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 5. & 6. Sousa *lib.* 2. *cap.* 25.

Dubitatum, & Indubitatum per hoc differunt, quod hoc plenum, ita cogit mentem iudicis, vt omnino credat non posse in partem contrariam. Dubitatum verò non ita arctat mentem iudicis, quin possit inclinare etiam in partem oppositam. Exemplum primi sit matrimonium contractum cum persona hæretica, est enim hoc indicium ita plenum, & indubitatum, vt iudex cogatur credere hunc esse hæreticum. Talia sunt omnia facta hæreticalia, Pegna *par.* 2. *com.* 80. Exemplum secundi sit in legente librum prohibitum alio fine, quam quod tractet de hæresi, & religione, vt si tractet de rebus lasciuis; fauor, auxilium, &c. præstita per consanguineos hæretico consanguineo enim, & consanguinitas inclinant iudicem ad credendum oppositum scilicet, quod non legeret ex hæretica intentione, sed potius ex delectatione sensuali, & hæretico consanguineo ex parentela, non vt faueret eius hæresi.

Proximum indicium est illud, quod rem immediatè attingit. Seu quod respicit veritatem delicti per proprium sensum visus, seu auditus iuxta exigentiam delicti; & per illud dicitur deponi substantia delicti; vt, ego vidi Petrum adorantem idolum, audiui meis auribus illum blasphemantem.

Remotum indicium est illud, quod attingit circumstantias facti delicti, in cuius cognitionem per illas deuenitur, cuiusmodi sunt, fama, confessio extraiudicialis, Socius criminis, inimicitia, minæ, assertio vulnerati, res inuenta, vestigium pedis, dictum mandatarij, acclamatio, consuetudo delinquendi, amplexus, oscula, tactus, &c. Igitur proximum respicit substantiam criminis, remotum eius circumstantias, quibus præsumitur commissum.

Nota quod indicium est triplex. Leue ex quo raro, & non ita facilè infertur crimen, quia frequenter contingit abesse vix sufficiens ad informationem, & à nonnullis dicitur suspicio coniectura ex leuibus indicijs, vel potius leue indicium facere suspicionem. Graue, & vrgens, ex quo delictum facilè, & frequenter solet deduci. Grauissimum ex quo ferè semper multum verisimilitudiniter deducitur delictum, quia frequentissimè solet esse. Quænam verò indicia sint leuia, grauia aut grauissima, cum non possit dari certa regula relinquitur arbitrio iudicis. Vide Mascard. *lib.* 1. *q.* 10. *num.* 17. Farinac. *q.* 36. *num.* 110. & 118. Sousa *lib.* 2. *cap.* 25. *à num.* 11. Qui sub nomine Præsumptionis afferunt prædictam distinctionem indicij, nam doctores, vt plurimum accipiunt præsumptionem, & indicium pro eodem.

Quæres 2. Quid, & quotuplex sit præsumptio? Quamuis, vt dixi, præsumptio, & indicium pro eodem accipiantur apud Doctores nihilominus aliquid de illa dicendum est. Vide *cap.* 10. *à num.* 13. *ad* 15.

3 ℞. Præsumptio est coniectura verisimilis rei dubiæ orta ex natura rei, vel circumstantijs gestorum, vel personarum. Triplex est, prima dicitur hominis causata ex aliquo eius facto, vel dicto, nullo iure expressa. Secunda, dicitur præsumptio iuris probabilis coniectura, quæ secundum ius habetur pro veritate, nisi contrarium probetur. Tertia, dicitur præsumptio iuris, & de iure & violenta, qua lex aliquid ita disponit pro verò, quod directè non admittit probationem in contrarium. Exemplum sit in sæpius peierante, qui iudicio humano præsumitur non bene credere in Deum; in receptatore hæretici, qui de iure præsumitur hæreticus, admittitur tamen probatio in contrarium, vt quia id fecit titulo consanguinitatis; in excommunicato insordescente in censura per annum, qui præsumitur de iure hæreticus, & vt talis condemnatur. Vide Pegnam *par.* 2. *com.* 80. De hac triplici præsumptione Farin. *q.* 36. *num.* 85. Mascard. *lib.* 1. *q.* 10. *n.* 17. Sousa *lib.* 2. *cap.* 25. *à num.* 6.

Quæres 3. An huiusmodi indicia, seu præsumptiones inferant scientiam, vel solum coniecturam verò similem, semiplenam, aut plenam probationem.

℞. Certum est indicia, & præsumptiones non parare scientiam, cum formaliter in se non contineant veritatem, sed tantum dicant talem cognitionem, 4
quæ magis veritati appropinquatur. Ita omnes, qui etiam conueniunt in eo, quod nullus condemnari potest formaliter hæreticus per sola indicia, & præsumptiones, nisi sint violentissima, secundum Farinac. *q.* 187. *num.* 46. Pegna *par.* 2. *comm.* 80. Sousa *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 35.

Quæres 4. An vnicum indicium sufficiat ad torturã?

℞. Vnicum indicium remotum non sufficit ad 5
torturam, vtique verò si sit proximum. Primum suadetur ex æquitate, quæ non patitur, vt quis tam graui tormento vrgeatur pro indicio remoto, quod potius leue, quàm graue reputatur; neque enim vnicũ indicium ex remotis potest facere semiplenam probationem, ergo neque dare ius ad torquendum iudici. Ita doctoribus allegatis Farinac. *q.* 37. *num.* 45. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 16. Diana *par.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 4. Pitigian. *in sua praxi* 2. *subst. cap.* 7. §. *Et si quæras*. Secundum de indicio proximo delictum multum verisimiliter inferente docent Caren. *pract. crim. reg. obseruare curabis*, Miranda *q.* 26. *art.* 6. *concl.* 2. *de ordine indic.* Pegnera *prax. cap.* 12. §. 9. *n.* 8. Diana, & Carena citati. Intellige, si nullam patitur exceptionem.

Quæres 5. An duo indicia remota sufficiant ad torturam, & quibus testibus illa probanda sint?

℞. Sufficiunt, vt docent Miranda, *tom.* 2. *de ordine* 6
ind. q. 26. *art.* 4. *concl.* 4. Guazinus *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *c.* 4. *n.* 12. Iacobus Bozius *de Indic. n.* 71. Farinac. *q.* 585. *n.* 46. Cum autem indicia remota vt plurimum dicantur leuia, ideo duo requiruntur, vt docent Bertazol. *vol.* 1. *consil.* 213. *n.* 8. Silu. *ver. Indicium q.* 2. Tabiena *n.* 1. Baiard. ad Clarum q. 64. *num.* 60.

Probanda autem sunt per duos ad minus testes 7
singula indicia, qui sint omni exceptione maiores, & contestes in suis indicijs. Illud probatur ex eo quod pro iudicio proximo sufficiente ad torturam requiritur dictum vnius testis omni exceptione maioris, *ex seq. q.* 6. de communi sensu omnium doctorum, ergo à fortiori in probatione indiciorum remotorum testes debent esse integri, cum magis sit proximus veritati testis prout est indicium proximum, cum attingat immediatè veritatem, quam testis prout facit indicium remotum, cum attingat circumstantias delicti tantum, & non delictum ipsum. Mirand. *q.* 26. *à num.* 73. Carena *par.* 3. *art.* 10. *num.* 22. de communiori, contra aliam communem, quam sequitur Diana *par.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 3.

Quod debeant ambo testes esse contestes respectu proprij indicij docent in terminis Farin. *quæst.* 185. *de hæresi n.* 145. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *num.* 25. vbi citat Ciriacum, Guaçinum, Suar. Paz, & alios citat Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resol.* 5. contra se asserentem sufficere testes singulares maximè quando sunt idonei.

Quæres 6. An vnius testis indicium proximum delicti sufficiat ad torturam?

8 ℞. Affirmatiuè, quando est maior omni exceptione deponens de propriis visu, seu auditu delicti, ita quod inter indicia hoc tenet primum locum. Ita omnes apud Clarum *quæst.* 22. Pegna *par.* 3. *com.* 110. Diana *par.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 6. qui multos citat, Carena *par.* 3. *tit.* 19. *num.* 29. & in hoc non est difficultas Miranda *quæst.* 26. *num.* 101. infra *quæst.* 8. & 25. *de Minore.*

Quæres 7. An quando denuntiatus est bonæ famæ tunc sufficiat dictum vnius integri testis ad torturam?

9 ℞. Negatiuè, quia bona fama apud omnes magni æstimatur, ergo ex hac præsumptione, & existimatione debilitatur dictum vnius etiam integri testis. Ita Sanctar. *de hæresi cap.* 41. *dub.* 1. *n.* 1. Decian. *lib.* 5. *c.* 36. *n.* 6. Zanardus *in suo Direct. par.* 3. *c.* 95. Diana *par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 6. Sousa *l.* 2. *c.* 39. *n.* 17. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 32.

Quæres 8. An minor viginti annis dicatur integer sufficiens ad inducendam torturam?

10 ℞. Negatiuè, quia patitur exceptionem minoritatis, probaui *contr.* 39. *q.* 7.

Quæres 9. An dictum socij criminis faciat indicium ad torturam?

11 ℞. Dictum vnius socij præcisè non facit indicium ad torturam, quia non est omni exceptione maior, cum patiatur defectum infamiæ. Ita communiter doctores cum Angelo *ver. Indicium*, Silu. Tabien. & alij summistæ, Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 7. Farinac. *q.* 185. *de hæresi, n.* 151. contra nonnullos ab illis citatos, Carena *par.* 13. *tit.* 10. *n.* 36.

Quæres 10. An dictum vnius socij, cum alio indicio, seu præsumptione, & adminiculo sufficiat ad torturam?

12 *Resp.* Affirmatiuè, quia concursus prædictorum duorum facit semiplenam probationem, quæ sufficit ad torturam. Ita præcitati cum Menochio *lib.* 2. *de arbitr. casu* 474. *n.* 47. cum Sousa *l.* 1. *c.* 25. *n.* 24. vbi refert adminicula, nempe quando concurrunt testes de auditu, fama, fuga, stricta amicitia cum socio, secreta allocutio, & conuersatio inter ipsos.

Quæres 11. An quando Socius præter hunc defectum societatis alios patitur defectus adminiculatus in sua depositione faciat indicium ad torturam?

13 *Resp.* Negatiuè, quia ex pluralitate defectuum ita eneruatur, vt sustinere non valeat adminicula, cum quibus non potest semiplenè probare. Ite Menoch. *l.* 2. *casu* 474. *n.* 54. Farin. *q.* 62. *n.* 381. Boërius *decis.* 1311. *n.* 13. & 42. Sousa *l.* 2. *c.* 39. *n.* 53. ex illis Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resol.* 8. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 52. Megal. *consil.* 41. *n.* 5.

Quæres 12. An depositio duorum sociorum sine aliis adminiculis sufficiat ad torturam?

14 *Resp.* Affimatiuè, quia dictum vnius cum adminiculis sufficit ex probatis, ergo à fortiori depositio duorum, cum faciant indicium proximum. Ita Pegna *part.* 3. *com.* 110. *in Append.* Menoch. *lib.* 1. *q* 91. *num.* 5. Clarus *q.* 21. Becanus de iustitia *q.* 57. *de iniust. iud. quæst.* 10. *num.* 10. Ciarlin. *contro forens. cap.* 10. *num.* 119. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 37. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 7. §. *Notandum.* contra Zanardum in suo Direct. *part.* 3. *c.* 94. & Megalium *consil.* 41. requirentes præterea adminicula.

Quæres 13. An isti duo socij criminis debeant esse contestes?

Resp. Quando crimen committi potest simul per plures, tunc debent esse contestes, vt homicidium, sortilegium, dogmatizatio, &c. aliter sufficiunt testes singulares, vt contingit in peccatis carnis, & forsan ita intelligendus est Sousa *l.* 2. *c.* 39. *n.* 55. quem citat Diana *part.* 4. *tr.* 6. *resol.* 7. §. *Sed difficultas.* 15

Quæres 14. An dicta de sociis locum habeant siue socius deposuerit voluntariè, siue interrogatus à iudice? Mascard. *concl.* 1318. *numer.* 43. concedit in secundo casu.

Resp. In vtroque casu est indicium ad torturam, vt ex Farin. & Queuedo refert Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 7. §. *Notandum.* Neque illa distinctio considerabilis videtur in officio nostro, in quo complices comparentes vt exonerent suas conscientias formaliter interrogantur, ac si in processu aliàs interrogarentur de suis complicibus. 16

Quæres 15. An tortus ex dicto vnius socij adminiculato persistens in negatiua, adhuc torqueri possit, si superueniant alij duo socij eiusdem criminis?

Resp. Affirmatiuè, quia superuenientes socij de nouo semiplenam probationem faciunt, ex quo ius denuo iudex acquirit ad torquendum, & si enim euacuatum fuit illud primum indicium adminiculatum, remanet tamen secundum fortius priori, cui non potest obesse prior tortura ad posterius non ordinata. Ita Giurba *consil. crim.* 50. *n.* 42. cum Muschatello, inquit Diana *part.* 4. *tr.* 6. *resol.* 7. *notab.* 2. 17

Quæres 16. An prædicta de socio criminis locum habeant, quando reus est bonæ famæ.

Resp. Negatiuè, quia si ex dicto vnius integri testis non est deueniendum ad torturam ex dictis *q.* 7. neque ex dicto vnius socij, aut plurium, quando querelatus est bonæ famæ, siquidem bona fama elidit dictum non solum vnius, sed etiam duorum testium, qui non sunt integri in sua depositione. Ita Paris. *consil.* 151. *l.* 4. *n.* 13. Roland. à Valle *vol* 1 *consil.* 16. *n.* 24. Bertazol. *l.* 1. *consil.* 61. *n.* 19. Peguera *decis. crim.* 5. *n.* 31. Grammat. *consil.* 70. *n.* 7. Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resol.* 9. qui relinquit arbitrio iudicis. Addo, quod Inquisitores debent se informare de bona fama, & opinione personæ, maximè si sit Ecclesiasticus. 18

Quæres 17. An propria confessio delicti extraiudicialis faciat indicium ad torturam?

Resp. Affirmatiuè, modò confessus sit seriò delictum & in specie, quia multum creditur confessioni oris proprij, cum hac nulla verior, nisi iocosè delictum fuerit prolatum, quod tunc censetur, quando confitens probatur iactator propriæ famæ; confessio debet esse in specie, quia in genere nullus dicitur peccare, actiones enim humanæ sunt circa determinata crimina. Ita Summistæ *v. Indicium*, *Angel. num.* 2. Silu. *q.* 2. Tabien. 1. *Gomez* 3. *Var. cap.* 13. *numer.* 8. Simanch. *in Enchir. tit.* 56. *num.* 14. Clarus *quæst.* 21. *n.* 31. Farin. *q.* 37. *num.* 47. Diana *part.* 4. *tr.* 6. *resol.* 12. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 58. Pitig. *in sua praxi substant. cap.* 7. §. *Septimo.* Procedit, licet reuocaret, aliter numquam id verificaretur, quia omnes reuocarent ad euitandum torturam, ita Farin. *q.* 82. *num.* 28. Mirand. *quæst.* 26. *de ordine iudic. art.* 7. *concl.* 1. Diana cit. 19

Quæres 18. An testes probantes huiusmodi confessionem extra iudicialem debeant esse contestes?

℞. Sufficit, quod sint contestes, quod ad delictum ore proprio expressum diuersis temporibus, & locis, ex quo respectu loci, & temporis sufficiunt testes singulares. Ita Albertinus [illegible] 5. *num.* 20. Sousa *lib.* 2. *c.* 21. *num.* 10. 20

Quæres 19.

Quæres 19. An vt confessio extraiudicialis sufficiat ad torturam, confessus debeat exprimere in ea circumstantias loci, & temporis?

21 ℞. Non est hoc necessarium, licet enim delictum in suo fieri pendeat à loco, & tempore, non tamen in narratis, cum aliud sit tempus, & vt plurimum locus in quibus narratur præterquamquod sufficienter delictum exprimitur, si in sua substantia determinata narratur neque solent crimina à delinquentibus explicari cum omnibus illis modis, & circumstantiis, quibus commissa fuerunt, demum ex sola facti substantialis narratiua sufficienter resultat proprij oris confessio extraiudicialis, aliter quo ad expressionem differret minime à iudiciali. Ita docet Antonius de Ballis Var. l. 1. q. 13. n. 3. contra Menochium, Brunum, Carerium, Farin. & alios apud Dianam *par.* 4. *tract.* 6. *resol.* 12.

Quæres 20. An testes inhabiles sint torquendi?

22 *Resp.* Negatiuè in Tribunali S. Officij; ne testes nimis grauentur, ac proinde retrahantur à suo officio. Ita practicatur respectu omnium inhabilium, complicum, excommunicatorum, &c. Freitas *de confess. solicit. q.* 4. *n.* 42. Simanch. *de Cathol. instit.* 53. *n.* 38. *&* *tit.* 65. *num.* 37. Royas *de hæret. part.* 2. *assert.* 7. *n.* 153. *&* 155. Ant. Gomez. Var. *l.* 3. *c.* 12. *n.* 16. Pegna *part.* 3. *q.* 46. *com.* 113. Diana *part.* 4. *tr.* 6. *resolut.* 10. & 11.

Quæres 21. An fama sit indicium sufficiens ad torturam?

23 *Resp.* Fama sola de se non probat, sed debet esse adminiculata aliis indiciis, vti fuga, dicto inhabilis, inimicitia, minis &c. Dic tu quatuor requiri. Primò quod persona sit vilis. Secundò, quod sit infamata ante accusationem. Tertio, quod fama ortum habeat à personis honestis, & fide dignis. Quarto quod probetur iuxta quod dicam sequenti quæstione.

Primum, de persona vili constat ex eo, quod ab huiusmodi personis facilius contrahitur, quæ parum sunt bonæ existimationis, ex quo facilè cadunt in crimina præcipites. Ita Simanch. *tit.* 65. *num.* 37.

Secundum, de infamatione ante querelam patet ex eo quod in hoc casu fama præsumeretur orta potius ex facto querelæ, aut carcerationis, quam ex delicto. Ita Azeuedo *consil.* 30. *num.* 28. Giurba *consil.* 91. *numer.* 44. Grammat. *voto* 34.

Tertium, quod fama ortum debeat habere à personis fide dignis, habet *c.* *Qualiter* 24. *de accusat.* ibi doctores. Ita Simanha *tit.* 65. *n.* 37. Miranda *q.* 26. *n.* 89. Diana *part.* 4. *tr.* 6. *resol.* 13. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 68. quia orta à maleuolis nihil probat.

Concluditur ex his famam de se acceptam sine prædictis requisitis nihil probare, Glosa *verb. de auditu c. Præterea* 27. *de testib.* Ita supradicti omnes, vt plurimum enim incertum habet auctorem, & fallacem, *c. Vestra de cohabitat. cler.* Quod igitur non sufficiat de se ad torturam docent omnes supracitati cum Pitigiano 2. *subst. c.* 7. *in Addit.*

Quæres 22. Quomodo probanda sit fama in ordine ad torturam?

24 ℞. Fama probanda est per duos ad minus testes omni exceptione maiores, qui debent nominare auctores, à quibus delictum audiuerunt, qui debent esse bonæ famæ, & debent reddere rationem bonam sui dicti, & interrogati quid sit fama, debent respondere explicando illam suo modo.

Primum, de duobus testibus ad probandam famam docet Glosa *ver. Iudicis*, *capite Deus Omnipotens* 20. *q.* 21. Glosa *in l.* 3. §. *Eiusdem, ff. de testib.* Bartol. *cum omnibus legistis, in l. De minore*, §. *Plurium ff. de quæstion. n.* 19. Clarus *q.* 6. *y.* 12. Miranda *q.* 26. *de ordine iud. n.* 94. Farin. 47. *n.* 210. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *num.* 66.

Secundum, quod isti duo testes sint integri, constat ex eo, quod cum fama sit indicium valdè remotum, æquitas suadet, quod testes debeant esse omni exceptione maiores, & tantam fidem habeant, quanta adhibenda est nominatis per ipsos, cum fides nominantium, & nominatorum in vnum coadunentur. Ita omnes cum Canonistis *in c. Qualiter* 24. *de accus.* Mascard. *de probat. l.* 2. *concl.* 749. *n.* 73. Mirand. *q.* 26. *n.* 95. Farinac. *q.* 47. *n.* 210. *&* 214. Ciriacus *controu. forens.* 150. *n.* 49. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 66. Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resolut.* 13. §. *Notandum.*

Tertium, quod nominandæ sint personæ, à quibus audiuerunt, probatur, quia cum fama, vt plurimum ortum habeat ab incerto auctore *c. Vestra, de cohabit. cler.* ac proinde nihil vt sic probet, necesse est, quod nominentur personæ, à quibus fama sparsa audita fuit. Ita Farin. *q.* 47. *n.* 229. *&* 330. Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resolut.* 13. Miranda *q.* 26. *n.* 98. Carena *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 67. qui docet personas nominatas debere esse bonæ opinionis, & famæ; addentes, quod præterea deponere debent, se id audiuisse à maiori parte viciniæ, seu loci, quia famam inducit multiplex rumor populi, Glosa *ver. de plano c. Cum in tua* 27. *de sponsal.*

Quartum, quod interrogati de quidditate famæ debeant respondere, patet ex eo, quod non possunt deponere de eo, quod ignorant, si ergo ignorant quid sit fama, & nihilominus de ea deponunt, nihil agant, verum quidem est, quod sufficit rudis cognitio iuxta capacitatem testium, non enim tenentur respondere per terminos iuris, inquit, Scaccia apud Carenam *par.* 3. *tit.* 10. *n.* 72.

Sed numquid nominati, à quibus testes audierunt de fama, citandi sint, & examinandi super fama? Non quia testes testibus non superadduntur nisi in testes formaliter citentur.

Colligitur ex supradictis, quod aiunt, famam vehementem solum per se ipsam facere indicium ad torturam, non differre à fama probata iuxta dicta in supradictis duabus quæstionibus, vt ex aliis aduertit Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resol.* 13.

Quæres 23. An fuga faciat indicium ad torturam?

℞. Fuga ante accusationem, seu citationem facit 25
indicium ad torturam, quia ex nulla alia causa præsumitur fugisse nisi ex conscientia delicti; post verò accusationem non, quia præsumitur fugisse non ex conscientia delicti, sed ex metu vexationis, & tormentorum imminentium ex carcere. Si verò fuga sit adminiculata facit ad torturam. Ita omnes cum Farin. *q.* 48. Giurba *consil.* 13. *n.* 20. Diana *par.* 4. *tr.* 6. *resol.* 14. vbi ex Sousa *lib.* 2. *c.* 26. *num.* 34. Farin. *quæst.* 30. *num.* 85. dicit, fugam è carcere sufficere ad torturam. Excipiuntur duo casus. Primus, quando fugitiuus sponte redit, ex spontanea siquidem comparitione purgatur præsumptio. Farinac. *quæst.* 48. *numer.* 48. *&* 55. Secundus, quando ex fuga fit recursus ad superiorem, quia non dicitur fugere, qui vadit ad superiorem, ille enim dicitur fugitiuus, qui in ipsum factum fugæ vitium mentis deduxit, *l. Fugitiuus* 225. *ff. de verb. signif.* recursus autem ad superiorem non est vitiosus, cum iura illum concedant. Ita Mastrillus *decis.* 296. *n.* 27. *&* 29.

Quæres 24. An ex contumacia oriatur indicium ad torturam?

℞. Contumacia cum subsequuta condemnationis 26
sententia facit indicium ad torturam, quando non probat suam innocentiam. Ita Giurba *consil.* 13. *n.* 22. *&* 24. Carena *par.* 3. *titul.* 10. *n.* 117.

Quæres 25. An dictum minoris viginti annis faciat indicium ad torturam?

27 *Resp.* Negatiuè, quia defectu requisitæ ætatis non potest dici maior omni exceptione, cum minoritas illi obiici possit *ex l. In testimonium, ff. de testib.* Ita ex Cantera Diana *par.4. tract.6. resolut. 25.* vbi ex Delrio dicit, requiri ad minus duos testes minores, qui tunc euacuunt exceptionem, Carena *part. 3. titul. 10. num.103.*

Quæres 26. An assertio vulnerati sit indicium ad torturam?

28 *Resp.* Non, sed tantum ad inquirendum, quia cum testificetur in propria causa suspectum se facit ad veritatem. Ita Clarus *q.21. num.14.* Honded. *consil.102. l.1. n.6.*

Quæres 27. An inimicitia faciat indicium ad torturam? De inimicitia plura dixi *contr. 3.* & de ea ad torturam *contr. 39. quæst. 12.* Vide Pegnam *par. 3. com.116.* de causis inimicitiæ tam capitalis, quam non capitalis.

29 *Resp.* Inimicitia capitalis sola, sed tantum cum alio adminiculo facit indicium ad torturam, quia vt superius dictum fuit *q.4.* vnicum indicium remotum, inter quæ computatur inimicitia, non sufficit ad torturam. Ita Cantera *in quæst. crim. cap. 2. de probat. per testes, tit. de indic. ad torturam n.16.* Farin. *q. 89. num.102.* Giurba *consil.13. num.7.* Carena *par.3. tit.10. num.89.* Pitigianus *in sua praxi subst.2 cap.7. §. Sexto* Miranda *quæst. 26. num.125.* Probanda autem est per duos testes idoneos, & contestes, ex dictis de aliis indiciis. Inimicitia verò non capitalis nullum facit indicium: quæ autẽ sit capitalis, vel non capitalis relinquitur arbitrio iudicis. Vide Baronium Siculum, qui volumen dedit de Effectibus inimicitiæ.

Quæres 28. An minæ faciant indicium ad torturam.

30 *Resp.* Minæ prolatæ contra aliquem faciunt indicium ad torturam tribus concurrentibus. Primò, quod minitans sit potens, & solitus exequi minas. Secundò, quod paulò post minas secutum fuerit delictum. Tertiò, quod plene id totum probatum sit per testes idoneos, & contestes. Ita docent Clarus *q. 21. num. 25.* Giurba *consil.91. n.34.* Farin. *consil.102. n.44.* Miranda *q.26. n.131.* Carena *par. 3. tit.10. n.96.* Castillus *dec. Regni 173.*

Quæres 29. An res inuenta in loco delicti, vel in domo rei faciat indicium ad torturam contra dominum rei inuentæ?

31 *Resp.* Res furto sublata inuenta in domo alicuius malæ famæ indicium facit ad torturam, nisi probet ab alio rem habuisse, non verò si sit bonæ vocis inquit Clarus *quæst. 21. num. 30.* Sic mortuus in domo facit indicium contra habitantes in ea domo. Ita Farinac. *de indic. & tort. à n.98.* Mirand. *q. 26. n.174.* Carena *par.3. tit.10. n.18.*

Quæres 30. An sola titubatio, & faciei mutatio coram iudice faciat indicium ad torturam?

32 *Resp.* Negatiuè, quia hæc solent accidere in personis pusillanimibus, & titubans, seu vacillans, quod idem est, quodammodo errat, & nihil dicit, ex Nepote de Monte Albano *de testib. num. 151.* ergo ex hoc iudex nihil iuris acquirit ad torturam. Ita Zonard. *in suo Directorio par 3. cap.93.* Lessius *lib.2. cap. 29. n. 164.* Becan. *de iustitia q. 10. de iniustit. iud. n. 13.* Mirand. *q.26. n.165.* Menoch. *l.1. q.89. n.71.* Sousa *l.2 c.39 n.8.*

Quæres 31. An mendacium faciat indicium ad torturam?

33 Placet opinio asserentium solum mendacium etiam sine adminiculo aliquo commissum coram iudice facere indicium ad torturam, quando est circa substantiam delicti. Ita Giurba *consil. 87. n.71.* quam citat Diana *par.4. tr.6. resol.15.*

Quæres 32. An plura indicia imperfecta coniuncta sufficiant ad torturam? Sermo est de indiciis remotis, quæ recensui hactenus & *sub. q. 1.* quæ spectari possunt dupliciter in sua imperfectione, primo quatenus sunt imperfecta in ratione substantiæ, quia immediatè non attingunt delictum, & in hoc sensu non est difficultas, quia plura coniunguntur, vt probatum fuit in præcedentibus; secundo, in ratione probandi dicuntur imperfecta, quia non sunt plene probata per testes idoneos, & contestes. In hoc sensu.

℞. Quando plura indicia remota tendunt ad eumdem finem, ad quem subordinantur, licet in ratione probationis sint imperfecta, sufficiunt ad torturam, quia habent fundamẽtum coniunctionis in illa subordinatione ad idem delictum, & facit Axioma illud: Quæ singula non prosunt, simul iuncta iuuant, Glos. *fin. cap.13. de probat.* exemplum sit in diuersis testibus deponentibus indicia remota subordinata tamen ad idem delictum, quorum vnus deponit de gestatione armorum, alter de gladio sanguine asperso, alter de fuga, alter de absconsione in silua, &c. Ita omnes cum Farin. *q.86. n. 100.* Giurba *consil.87. n.29.* Carena *par.3. tit.10. n.112.* qui cum aliis negant posse coniungi indicia quando nullam habent subordinationem ad inuicem. Cantera tamen *c.2. de probat. per testes, q.5. n.4.* dicit, quando duo testes sunt bonæ famæ, eorum depositiones de indiciis non subordinatis probabiliter inducere posse indicium ad torturam. 34

Quæres 33. An aliquis torqueri possit nullis præcedentibus indiciis?

℞. Negatiuè, quia est commune axioma, *l.1. C. de quæstion.* quod non est incipiendum à tormentis, ita quod nec Princeps dispensare potest. Ita Gram. *voto 32. n.9.* Clarus *q.64. n.9. & 13.* Farin. *q.37. n.79.* Carena *p.3. tit.10. n.118.* 35

Quæres 34. An reus indiciatus nolens respondere possit torturari?

℞. Affirmatiuè, quia nolens respondere æquiparatur reo negatiuo, qui torquetur pro habenda veritate. Ita Farin. *q.37. n.176.* Capicc. *decis.145.* alios citat Diana *par.4. tr.6. resol.34.* 36

Quæres 35. An se fingentes stultos, aut furiosos torqueri possint?

℞. Affirmatiuè, quia cum aliàs constet illos esse sanæ mentis, simulant stultitiam, & furorem, vt euitent responsionem, ac proindè cum in hoc æquiparentur nolentibus respondere, & existentibus negatiuis torqueri possunt pro habenda veritate, & contra istos facit axioma diuinum *Ierem. 31. Castigasti me, & eruditus sum,* supple in respondendo, atque humanum: *Stultus in culpa fit sapiens in pœna, c. Qui ea 10. dist. 38.* Carena *part.3. tit.10. n.119.* ex Senatu Sabaudiæ *l.9. sui Codicis tit.1. defens.1.* 37

Quæres 36. An reus torqueri possit super complicibus?

℞. Nulli dubium est torqueri respectu criminum, quæ sine sociis committi non possunt, super aliis præsertim delictis de hæresi, extat decretum relatum in calce Bullarum per Bariolam, & Dianam sub 28. Iulij 1569. his verbis, *Inhærendo Decretis alias per felic. record. Paulum Papam IV. Sanctissimus D. N. Pius Papa V. decreuit omnes, & quoscumque reos conuictos, & confessos de Hæresi, pro vlteriori veritate habenda, & super complicibus fore torquendos arbitrio dominorum iudicum.* Quod verum siuè sit indiciatus super complicibus, siuè non, item siuè sit tantum conuictus, & non confessus, siuè confessus, vt aliis allegatis docet Farin. *q.185. num.133. ad 135.* Carena *pa.2. tit. 1. §.23.* Diana *par.4. tr.6. resolut.27.* qui dicit *notab. fin.* torturam in caput alienum debere esse moderatam, ad quod plures citat, & Guazinus *tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 9.* dicit, torturam per semihoram esse moderatam. 38

Quæres 37.

Quæres 37. An, & quomodo nouis superuenientibus indiciis reus torqueri possit, existendo in negatiua?

39 ℞. Affirmatiuè, quando noua indicia superuenientia sint de se talia vt inferre valeant torturam dummodo sint diuersa specie, & substantia à primis. Ita Pegna *part.* 3. *comm.* 39. Farin. *q.* 38. *n.* 79. Clarus *q.* 64. *n.* 45. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 148. *part.* 4. *tr.* 6. *resol.* 16. Primum igitur requisitum de nouis indiciis siue remotis, siue proximis, quidquid dicant, cõstat ex eo, quod non possunt coniungi cum præcedentibus iam sublatis per torturam si tamen fuit regularis, & colliderit indicia, vt docet Clarus cit. Francus *decis.* 577. Giurba *consil.* 50. *n.* 42. Guazzinus *tom.* 2. *defens.* 30. *c.* 23. *n.* 8. Secundum, quod indicia noua sint alia à prioribus, patet, quia coinciderent cum prioribus & bis torqueretur reus, quod non est rationabile, quando primo fuit sufficienter tortus, præterquamquod, si antiqua indicia sufficiebant ad priorem actum torturæ, frustra coadiuuantur de nouo. Ita supradicti omnes.

Quæres 38. Quis ex complicibus primo torquetur?

40 ℞. Incipiendum est ab eo, à quo verisimilius speratur confessio veritatis, quod contingit à timidiore, debiliore, & viliore, vt docet Simanch. *tit.* 65. *num.* 66. Clarus *quæst.* 64. *num.* 29. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 26.

Quæres 39. An danda sit copia indiciorum reo antequam torqueatur, siue petat, siue non?

41 ℞. Absolutè danda est, sed sine nominibus testium, qui numquam publicantur, licet non petatur etiam à doctis reis, quia cum agatur de damno irreparabili, æquitas suadet, vt reus sciat sit ne dignus tortura nec ne. Ita Miranda *q.* 26. *n.* 220. Pitig. *subst.* 2. *c.* 7. §. *Tertio*, Simanch. *in Enchir. tit.* 52. *n.* 8. alios citat Diana *part.* 4. *tr.* 6. *resol.* 28. Farinac. *quæst.* 39. *n.* 90. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 159. Vide Dianam in Addit. *resol. fin.* §. *Ad quartum*.

Quæres 40. An appellatio à tortura habeat locum in causis S. Officij?

42 ℞. Affirmatiuè duobus concurrentibus, grauamine nimirum, & illius causa impugnatiua, *ex cap. Vt debitus honor* 59. *de appell.* fundamentum enim appellationis est illatum grauamen. Notant autem Canonistæ *cap. Vt Inquisitionis, de hæret. in* 6. quod in omnibus causis huius officij admittitur appellatio tam à definitiua, excepto hæresis articulo, quam ab interlocutoria, quæ habet locum in tortura etiam respectu hæretici formalis. Ita Farinac. *q.* 185. *n.* 227. de exclusa appellatione à definitiua per hæreticum formalem, de concessa appellatione ab interlocutoria *n.* 232. Sousa *l.* 2. *c.* 35. per totum. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 20. Reus autem appellans non dimittitur, sed custoditus ne fugiat conducitur ad supremum tribunal cum copia processus expensis appellantis. Pegna *part.* 3. *com.* 31.

Quæres 41. An Inquisitor sine Episcopo, & hic sine illo torturet?

43 ℞. Ambo concurrunt ad sententiam interlocutoriam torturæ, & ad actum torturæ, Clem. 1. §. *Propter, de hæret.* Farin. *q.* 186. *n.* 67. Diana *par.* 4. *tra.* 6. *resolut.* 17. & alij omnes.

Quæres 42. Quomodo rei in tortura positi interrogandi sunt à iudice?

44 ℞. Iudex debet exhortari reum, dum ligatur, vt veritatem dicat sine tormentis, persistentem in negatiua suspensum in tortura interroget super his, de quibus est indiciatus, præcipiendo ei, vt dicat veritatem de omnibus, quæ contra ipsum constat delictis sibi notificatis ex copia processus sibi ostensa. Ita Royas *part.* 2. *de hæret. num.* 295. Vide Mirandam *q.* 26. *n.* 157. Carenam *part.* 3. *tit.* 10. *à num.* 164.

Quæres 43. Quid agendum per iudicem, vt confessio in tormentis facta valeat contra reum?

℞. Confessus veritatem in tormentis debet sequenti die, seu post spatium viginti quatuor horarum, ratificare suam confessionem factam ex vi tormentorum. Ita omnes, & de ratificatione extra locum, & tempus torturæ Glosa *in l.* 2. *verb. Aliquid C. quorum appellatio non recip.* illud spatium nullibi definitur, tamen cum Anton. Gomez. 3. *Var. cap.* 13. *num.* 24. omnes fere obseruant. De ratificatione Farinac. *q.* 185. *num.* 150. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 22. Carena *part.* 4. *tit.* 10. *numer.* 174. & 175. vbi *num.* 176. idem, ait, esse dicendum de confessione emanata prope torturam quia æquiparatur factæ in tortura, cum quo alij omnes. Si autem est minor reus datur curator in huiusmodi ratificatione ex citatis à Diana, sed dicitu iuxta *c. præced. quæst.* 20. & *q. sequenti* 45. & 46. 45

Quæres 44. An secundo, & tertio sit torquendus reus qui primo confessus in tortura sequenti die non ratificat, sed negat confessionem factam?

℞. Confessionem primo in tortura factam nolens ratificare, negando illam, se excusando ex dolore tormentorum confessum fuisse, secundo torqueri potest, quia illo prior confessio facit indicium sufficiens ad secundam torturam, vt omnes citandi docent; persistendo autem in negatiua in secunda tortura, si est rigorosa, non amplius torquetur, quia per illam sufficienter purgauit illud indicium, & diluit. Si vero in secunda tortura fatetur delictum, & postea illud in ratificatione neget, tertio torquetur, si leuis fuit tortura, & adiecta fuerint aliqua signa priori confessioni, quia insurrexit nouum indicium demum quarta vice non est torquendus, quia non est dandus processus in infinitum in tormentis. Ita Pegna *part.* 3 *com.* 39. prope finem, Farin. *q.* 185. *n.* 124. Diana multos citat *part.* 4. *tract.* 9. *resol.* 23. vbi de communi, & *resol.* 24. de non reiteranda tertio. 46

Quæres 45. Quinam exempti sint à tortura?

℞. Minores annis quatuordecim, prægnantes, senes, laborantes febri etiam quartana, morbo gallico. 47

Primum, de minoribus docent Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 65. *n.* 45. Pegna *part.* 3. *com.* 110. Mirand. *quæst.* 26. *num* 215. alios pro se citat Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 29. dicentes posse terreri, ac etiam verberari. Sed cum istis cautius agendum, quia facilè mentiuntur. Carena *par.* 3. *tit.* 10. cum Cantera, Castro, & Selse, dicit *num.* 140. posse torqueri pro delicto hæresis, eo quod *in l. De minore ff. de quæst.* habentur hæc verba. *Sed omnes omnino in maiestatis crimine, quo ad personas Principum attinet, si ad testimonium prouocantur, cum res exigit, torquentur.* Ex quibus verbis infertur minorem torqueri, illa aduersatiua, *Sed*, & particula, *omnes omnino*, præcedentibus aduersantur in iure, & in facto, quare si torquentur pro crimine læsæ maiestatis humanæ, à fortiori diuinæ. Sed huiusmodi regulæ vniuersales non conuincunt cum patiantur suas exceptiones, vnde Decius *consil.* 386. *n.* 7. Alex. *vol.* 2. *consil.* 66. Cenedus *sing.* 35. *num.* 6. dicunt non procedere, quando est diuersa ratio, vt in casu præsenti, illa enim ætas cum sit debilis & periculosa mortis propter tormenta, ideo non sunt torquendi sunt alij, sed terroribus cogendi ad veritatem huiusmodi enim terror aliqua ratione supplet defectum ætatis, non secus, inflictio torturæ.

Prægnantes nequaquam torquentur, nec terrentur, nisi post dies quadraginta à partu, intra id tempus confessio ex tortura nulla est. Tuscus *lit. T. concl.* 328. *num.* 21. Cantera *q.* 10. *de reo n.* 1. alij cum Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resolut.* 29. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 144. & 145.

Senes ſexagenarij debiles arbitrio Inquiſitoris non ſunt torquendi, poſſunt vero terreri, doctores refert Diana cit.

Febricitantes non torquentur, laborantes quartana leuiter, &c. ex eodem Diana.

Nobiles non ita acriter torquentur ſicut alij laboribus aſſueti, quia iſti minus timent tormenta, quam illi. Ita Simancha *de Cathol. inſtit. tit.* 65. *num.* 62. Pegna *part.* 3. *com.* 110. quos ſequitur Diana *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 29. *fine* Farinac. *quæſt.* 185. *num.* 175. de hac re dubitat.

Energumeni non ſunt torquendi ſecundum Rugiellum *pract. quæſt. cap.* 38. vbi refert quemdam tortum in equulio à dæmone fuiſſe ſuffocatum, Adde, quod dæmon pro eo poſſet reſpondere mendacium illudendo iudici, aut illum ſuſtinere in fune ſine dolore. Cum eo ſentit Carena *part.* 4. *tit.* 10. *num.* 146.

Quæres 46. An minori viginti annis detur curator.

48 ℞. In S. Officio in multis locis non eſt in vſu, quia adeſt præſentia iudicis, qui etiam partes rei ſuſcipit. Diana aliis citatis contra multos *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 31.

Quæres 47. An Inquiſitor poſſit torquere confeſſarium ſolicitantem ex dicto vnius fœminæ bonæ famæ.

49 ℞. Negatiuè, quia ad torturam requiritur teſtis omni exceptione maior, qualis non eſt fœmina, vt notum eſt. Ita dixi *cap.* 32. *q.* 13. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 21.

Quæres 48. An ex dicto duorum ſagarum contra tertiam deueniri poſſit ad torturam ſine aliis indiciis, & adminiculis.

50 ℞. Negatiuè ex communiori ſententia, quia licet ex dicto duorum ſociorum in aliis caſibus deueniatur ad torturam, adeſt tamen alia ſpecialitas in hoc caſu, quia in conuenticulis huiuſmodi vt plurimum viſiones accidant ſecundum illuſionem dæmonum, & non ſecundum realem, & corporalem viſionem ideo illis fides non eſt adhibenda. Ita Tannerus *tom.* 3. *diſp.* 4. *q.* 5. *dub.* 2. cum aliis Diana *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 30. Contra Delrium, & Valentiam.

Quæres 49. Quando reus torquendus eſt pluries quantum temporis ſpatium intercedere debet ab vna ad aliam torturam.

51 *Reſp.* Tres ad minus dies intercedere debent inter vnam, & alteram torturam ex Peregr. *vol.* 2. *conſil.* 2. *dub.* 26. tradit Carena *part.* 3 *tit.* 10. *num.* 154. Et vltra tertiam vicem nullus eſt torquendus ex communi Mirand. *q.* 26. *n.* 299. Pitig. 2. *Subſt. cap.* 7. *fine.*

Quæres 50. An quilibet hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus quomodolibet ſit torquendus ſuper intentione?

52 *Reſp.* Confitentes dictum, ſeu factum hæreticale, ſed negantes intentionem hæreticalem, ſeu habuiſſe errorem in intellectu contra fidem, ſeu de prædictis conuicti, torquendi ſunt ſuper hac intentione, cum alio medio iudex non poſſit ſe certificare, habeant errorem in intellectu nec ne; non enim tenetur illis credere, niſi probent; ea autem quæ in animo conſiſtunt probari nequeunt, niſi iuramento, quia iuramento veritas in animo latens inquiritur, Gloſ. *ver. Si eſt ita, cap. Significaſti* 16 *de homic. Couar.* 2. *Var. c.* 10. Maſcard. *concl.* 45. *de probat. num.* 48. quod tamen locum habere non poteſt hic, quia illud intelligitur non ſolum pro foro conſcientiæ ex Gloſa *cit. de homic.* Nauar. *conſil.* 42. *de regul. num.* 7. verum & pro externo, ſed non, quando præſumptio iuris eſt in contrarium, vt in caſu noſtro, non enim tunc iudex ſtare debet iuramento, Bart. *in l. Inter omnes* §. *ratio ff. de furt.* ex eo Modeſtius §. *Lex eſt. dubio* 71. *num.* 3. alios citat Sanch. *lib.* 3. *diſp.* 15. *num.* 12. teſtat ergo, quod iudex huius veritatem inquirat per torturam, quæ datur in ſubſidium probationis ſecundum omnes. Et quod detur tortura ſuper intentione negata docent ferè omnes cum Simancha *de Cathol. inſtit. tit.* 65. *num.* 52. Pegna *part.* 3. *com.* 100. Cantera *in Rubr. de hæret. cap.* 1. *n.* 69. contra Albertinum, & Locatum apud Carenam *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 105. vbi volunt confeſſum factum hæreticale non eſſe torquendum ſuper intentione, ſed damnandum vti hæreticum, cum in malis factis malus præſumatur animus, id verum eſt, quando reus nullam allegat cauſam, cur ita fecerit, minis, ne an alio fine, & cauſa, quibus poſſit excludi hæretica intentio, & hos ſequitur Farin. *quæſt.* 179. *num.* 54. dicens iſtos eſſe damnandos vt hæreticos reiecta excuſatione, & qualitate intentionis, & *n.* 57. dicit torturam ſuper intentione locum habere reſpectu dicti hæretici, quod reus fuit confeſſus negata intentione. Sed concludendum eſt vt dixi *cap.* 34. *q.* 10. in omnibus caſibus admitti illam excuſationem qualitatis intentionis, & eam eſſe probandam in tormentis iuxta conditionem delicti, non enim eſt maior in vno caſu, quam in alio, cum vtrobique accidere poſſit vt ſic delinquens careat praua intentione, ex alia cauſa, quam infidelitatis motus ad male dicendum, vel faciendum, immò praua intentio mentis videtur magis coniungibilis cum dicto hæretico, eo quod vterque eſt actus mentis, ſimbola enim facilè vniuntur, quam cum facto, quod eſt alterius potentiæ ab intentione, conſequenter minus coniungibilis ex diſſimboleitate.

Quæres 51. An in torquendo reo conuicto, ſeu etiam confeſſo, ſuper intentione, à iudice in decreto torturæ apponenda ſit clauſula: Citra præiudicium probatorum. 53

Reſp. Quando fit decretum torturæ præcisè ſuper intentione, ea clauſula non eſt neceſſaria, quia ſi adhuc perſiſtit in negatiua prauæ intentionis, non ideo infringitur conuictio, vel confeſſio ſuper dicto, vel facto hæreticalibus, cum ſuper illis præcisè non interrogetur. Vnde ſi interrogaretur ſuper principali, prædicta clauſula non expreſſa in decreto torturæ, & perſiſteret in negatiua, elideret probationes contra ſe præmiſſas, tunc igitur addenda eſt prædicta clauſula, quam Diana *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 32. cum multis dicit, eſſe addendam etiam, quando infertur tortura ſuper intentione.

Quæres 52. An non confeſſus delictum, ſed tantum conuictus in aliquo caſu torqueri poſſit? 54

Reſp. Affirmatiuè, nimirum quando iudex iuſtis de cauſis intendit illum punire ſupplicio mortis, vt contingit in grauiſſimis delictis, in hoc enim caſu reus, nunquam condemnatur ad mortem, niſi ore proprio ſit confeſſus. Quare perſiſtens conſtanter, in negatiua non eſt condemnandus pœna ordinaria, quia in aliquo debet illi prodeſſe, cum ſit ſpecies probationis, ex Craueta *conſil.* 31. *num.* 20. non ideo tamen excuſatur à pœna extraordinaria, ad quam damnatur, quando delictum fuit plenè probatum per teſtes, ita ex Giurba *deciſ.* 42. *num.* 30. Carena *part.* 3. 10. *n.* 180. vnde & in Tribunali Sancto abiurant quoque Genuenſ. *cap.* 68. *n.* 8. & alij cum Diana *part.* 4 *tract.* 6. *reſolut.* 32. §. *Et ideo, & ſeq. reſolut.* bene dicit tortum perſiſtentem in negatiua ex pluſquam ſemiplena probatione, acri exiſtente tortura, per quam omnia indicia cenſeantur expulſa, abſolui poſſe, aliter puniri pœna arbitraria.

Quæres 53. An ille ſit torquendus, de cuius corpore delicti non conſtat in proceſſu, non obſtantibus indiciis contra ipſum ſufficientibus ad torturam. 55

Reſp. Negatiuè, quia id eſt de ſubſtantia proceſſus, & ſine quo iudicium non ſubſiſtit ex dictis *c.* 19. *num.* 14. Ita ex Claro Carena *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 156. Corpus autem delicti in permanentibus dicitur conſtare

stare per illius formalem visitationem, in transeuntibus verò, vt in hæresis, solicitatione, &c. dicitur constare per indicia, & semiplenam probationem.

Quæres 54. An omnes æqualiter torquendi sint.

56 ℞. Negatiuè, sed magis vel minus secundum qualitatem personarum, delicti, & indiciorum, vnde attenta conditione personæ magis torquendi sunt serui, quam liberi; fortes, quam timidi; iuuenes quam senes; humiles, quam honesti; ignobiles, quam nobiles item ratione delicti, qui maius delictum commiserunt, quam minus; pariter durius tortura afficiuntur illi contra quos maiora extant indicia, quam illi, contra quos minora, & leuiora inducta sunt indicia. Ita Simanch. *de cathol. instit. tit.* 65. *num.* 62. Sousa *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 30. & alij omnes.

Quæres 55. Quo genere tormenti vexandi sint.

57 ℞. Ordinarium, & commune tormentum est per funem iuxta, *l. Nullus C. ad Iul. Maiest.* & hoc practicatur in S. Officio; & si pluribus vrgetur indiciis etiam tribus ictibus conquassatur. Sousa *lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 25. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 35.

Quæres 56. Per quantum spatium temporis sit reus torquendus.

58 ℞. Per horam ad summum, & rigorosa dicitur, neque enim iudices debent esse carnifices sæuientes in carnem suam. Ita Sousa *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 25. ex Farin. *q.* 38. *num.* 52. *&* 105. Mirand. *q.* 26. *num.* 265. Carena *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 171.

Quæres 57. An iudex peccet mortaliter, & homicida reputetur, si vltra horam detentus in tormentis moriatur.

59 ℞. Affimatiuè, quia iniquè agit, & exequitur sententiam ante tempus, & inhumaniter agit contra iura, & consuetudinem legitimè approbatam à doctoribus.

Quæres 58. An clericis, & religiosis non infamatis dari possit tortura.

60 ℞. Affirmatiuè, quia nullo iure, nec sufficienti ratione probatur quod prius sint diffamati, præterquamquod semiplena probatio habet locum diffamationis, & præterea delicta Ecclesiasticorum, vt plurimum remanerent impunita, maximè religiosorum, quorum malefacta solent esse occulta secularibus. Ita Addit. Pitigiani *subst.* 3. *cap.* 6. *in fine*. Et in delicto hæresis specialiter Simancha, Zanardus, Miranda, & alij ferè omnes, quod sequitur Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 36. qui cum multis tenet in aliis delictis requiri infamationem. Nostris autem temporibus torquentur per laicos peritos in exercitio, & non per Ecclesiasticos, qui officium hoc legitimè ignorant, cum spectet ad personas viles, & infimæ conditionis. Neque sequitur aliqua ex hoc infamia, quia familiare est laicis id munus, nec mirantur de actu torturæ, cum sit iustitiæ, sed scandalizantur, seu potius mirantur de delicto, de quo sunt inculpati torturandi.

Quæres 59. An tortura infamet.

61 ℞. Non, si sit data ad eruendam veritatem expressè *l. Nullam* 14. *C. ex quibus causis infam. irrog.*

Quæres 60. An iudex in torquendo possit vti opinione probabili relicta probabiliore.

62 ℞. Affirmatiuè Delrius *disquisit. Magic. Append.* 2. *lib.* 5. *q.* 1. quia prudenter se gerit, ideo non est subiiciendus sindicatui, cum eo Sancius *disp.* 44. *n.* 72. in ferenda sententia, ex illis Diana *part.* 4. *tract.* 6. *resol. fin.* Ego dicerem, non licere, quando non agitur de præiudicio actoris, sed attenditur solum damnum rei, quia cum hoc casu æquitas suadet illi fauendum esse.

Quæres 61. An in dubio tortura sit danda reo.

63 ℞. Negatiuè, quia in dubiis fauendum est reo, Glos. *ver. Benignè, cap. Cum tu* 16. *de testib. per cap. Ex literis* 3. *de probat.* & aliis iuribus, *vnde reg.* 11. *in* 6. dicitur, quod in pari causa absoluitur reus, intellige à tortura, & condemnatione, *vt dixi praeced. cap. num.* 5. Dixi *contr.* 39. *q.* 33.

Quæres 62. An rigorosa tortura destruat non solum indicia indubitata, semiplenam probationem, & etiam plenam.

℞. Quo ad semiplenam probationem destruendam prodest rigorosa tortura, & etiam quo ad plenam, conuicto scilicet existente reo, respectu pœnæ ordinariæ, quia tortura cum sit species probationis debet aliquid prodesse torturato persistenti in negatiua; respectu verò pœnæ extraordinariæ, & mitioris tortura nihil prodest. Ita Mirand. *q.* 26. *num.* 306. qui dicit communem. Vide Farinac. *q.* 40. *num.* 15. *supra q.* 52. In S. Officio, quia regulariter rigorosè non torquentur, non censentur purgari indicia indubitata. 64

Quæres 63. An confessus, ad conuictus de nonnullis blasphemiis, & semiplenè probatus de aliis torqueri possit, & debeat?

℞. Affirmatiuè, quia iudex ex illa semiplena probatione acquisiuit ius torturādi negantem pro eruenda veritate, & licet non remaneat reus impunitus respectu aliarum blasphemiarum, super quibus fuit confessus, vel conuictus, remaneret tamen ab aliis, si per torturam non legeretur ad veritatem dicendam, quod si tormentis stet in negatiua se non blasphemasse, cum purgauerit illud indicium, reus non dicitur, & ideo nec punitur. 65

CAPVT XXXVI.

De defensione reorum.

SVMMARIVM.

1 *Defensio omnibus competit de iure natura.*
2 *Defensio est propulsio iniuria.*
3 *Reus vere adhuc potest se defendere.*
4 *Renuntiare non potest iuri suo.*
5 *Negantur in duobus casibus.*
6 *Religiosis conceduntur.*
7 *Omnibus in causis hæresis.*
8 *Hæretico pertinaci in sua opinione non.*
9 *Datur copia processus sine testibus.*
10 *Aduocatus, & Procurator eius qualis.*
11 *Exceptiones pro reo contra actorem.*
12 *Contraria allegans quando non auditur.*
13 *Iudex recusari potest ex inimicitia.*
14 *Inimicus iudex semper suspectus.*
15 *Recusatur si sit consanguineus partis.*
16 *Si pariter sit excommunicatus.*
17 *Nullitatem processus opponere potest.*
18 *Quatuor de essentia processus.*
19 *Processus nullus est multis modis.*
20 *Præscriptio in hæresi locum non habet.*
21 *Mors denuntiantis non reuelat reum.*
22 *Mutatio status non prodest reo.*
23 *Delictum sibi imputatum quomodo probet.*
24 *Innocentem quomodo se probet.*
25 *Confessionem propriam impugnat.*
26 *Testes repellit solum quo ad inimicitiam & conspirationem.*
27 *Delictum obiectum in terminis probandum.*
28 *Reus non probans obiectum crimen peccat.*
29 *Per testes idoneos.*
30 *Appellatur in causis Sancti Officij.*
31 *Causa minuentes pœnam.*
32 *Minor atas minuit pœnam.*

33 *Ira minuit pœnam.*
34 *Lubricum linguæ & iocus.*
35 *Amor inordinatus.*
36 *Ebrietas.*
37 *Prouocatio aduersarij.*
38 *Dormiens.*
39 *Sexus muliebris.*
40 *Rusticitas.*
41 *Multitudo delinquentium.*
42 *Quando timetur scandalum, & strages.*
43 *Confessio spontanea.*
44 *Furor.*
45 *Quales testes fauore rei.*
46 *Defensiones nullo iure tolli possunt.*
47 *Ignorantia excusat.*
48 *Etiam iuris.*
49 *Amentia.*
50 *Furor.*
51 *Ebrietas.*
52 *Blasphemus, & periurus.*
53 *Iocose loquens.*
54 *Iratus, & animo perturbatus.*
55 *Dormiens.*
56 *Recitatiuè proferens.*
57 *Per modum imperatiui, & vt optatiui.*
58 *Asserens velle facere non est hæreticus.*
59 *Hæreticus formalis probatus habere errorem in intellectu.*
60 *Materialis vero qui caret errore.*
61 *Hæresis probatur per testes idoneos.*
62 *Testes duo sufficiunt.*
63 *Deponere debent, quod crediderit hæresim.*
64 *Antiqui criminis querela est suspecta.*
65 *Testes debent esse integri.*
66 *Metus etiam leuis excusat à formali hæresi.*
67 *Non tamen à peccato.*
68 *Neque à suspicione hæresis.*
69 *Defensiones dandæ sunt hæreticis.*
70 *Non tamen per torturam à consultoribus decreta.*
71 *Hæreticus se defendit testibus.*
72 *Reprobando alios contra se.*
73 *Negatiuus conuictus de formali errore non admittitur ad torturam.*
74 *Tortura inuenta fauore iustitiæ contra reum.*
75 *Conuictus de dicto, sed non de intentione torturatur.*
76 *Adhuc punitur vt suspectus.*
77 *Hæreticus formalis qui probatur habere errorem in intellectu.*
78 *Qui illo caret est tantum materialis, & suspectus.*
79 *Denuntiator non potest esse testis in causa hac.*
80 *Testes omni exceptione maiores ad puniendum hæreticum formalem.*
81 *Procurator pro absente non admittitur.*

1 Communis est doctorum omnium sententia, defensiones esse de iure naturali, quod expresse dicitur *Clem. 2. de sent. & re iud.* prope finem, ita quod neque Imperator, neque quiuis alius Princeps denegare potest illas petentibus, quod & de Papa dicendum est, quia nullus illorum venire potest contra ius naturale. Quod ita verum est quod neque diabolo denegari possent, si in iudicio compareret, vt dicunt Specul. *part. 3. tit. de Inquis. cap. Vlt.* Abbas *in cap. Cum contingat, de foro compet. num.* 27. immo neque brutis animalibus, ex Marsil. *consil. 8. num. 27.* Roland. *vol. 3. consil. 8. num. 66.* Quamuis defensiones tolli penitus non possint ex dictis, moderari tamen possunt, & limitari iuxta prudentiam iudicis, & exigentiam causæ, vt aliis citatis docet Farinac. *q. 39. num. 112. quæst. 185. num. 216.*

2 Est autem defensio propulsatio legitima præsentis, vel imminentis mali facta per reum excipiendo contra iudicem, aut testes, aut processum, aut contra propriam confessionem, & similia. Sed accedamus ad quæstionum resolutiones.

Quæres 1. An reus, qui reuera deliquit, possit nihilominus se defendere sine peccato, an potius teneatur subire condemnationem?

3 ℞. Non obstante delicto reuera perpetrato, adhuc sine peccato reus se defendere potest, viis tamen licitis, quando iudex est eius inimicus, aut cum delictum non fuit plene probatum, vel ex alio capite processus est nullus, vel iudex incompetens, quia in his casibus retinet ius suæ libertatis, vt non puniatur, cum de iure iudici tunc non sit subiectus.

Quæres 2. An reus renuntiare possit defensionibus?

4 ℞. Non potest, quando agitur de pœna corporali, quia membrorum suorum nemo est dominus, *ex cap. Si non licet 8. 23. q. 5. ex leg. liber homo, ff. ad legem Aquil.* Barbosa *Var. in suis locis commun. lit. M. num.* 24. adde etiam cum iuramento, ex Gutier. *de iuram. confirm. part. 3. cap. 10. num.* 8. Remissio igitur defensionum nulla est, & ad factam redire potest reus. Ita Anton. Gomez. *3. Var. cap. 13.* Menoch. *de arbitr. q. 7. num. 9.* Farin. *q. 39. à num. 51.* Sousa *lib. 2. cap. 29. num. 7* Carena *part. 3 tit. 9. num. 90.* Procedit respectu defensionum iure naturæ debitarum, nam iure positiuo introductis renuntiari potest, vti appellationi, quæ est de iure positiuo, quam sicut Princeps tollere potest, ita, & reus illi renuntiare, ex allegatis per Marantam *part. 6. §. Et quandoque appellatur, num. 340.* Item remittere potest earum dilationem, quia terminus est de iure positiuo, bene tamen faciet iudex expectando præfixum tempus, nisi periculum sit in mora.

Quæres 3. An in aliquo casu reo nullæ competant defensiones?

5 ℞. In duobus casibus. Primò, quando delictum est notorium, ita quod nulla tergiuersatione excusari potest per reum. Secundò, quando repertus fuit in fragranti crimine, in quo nullam potest habere excusationem, vt in homicidio pueri, in fornicatione. In istis duobus casibus non sunt concedendæ defensiones inquiunt Menoch. *lib. 1. de arbitr. q. 17. n. 15.* Decian. *consil. 18. num. 6. vol. 1.* Farin. *q. 39. n. 103.* ex illis Sousa *lib. 2. cap. 29. num. 8.* Nihilominus de negatis defensionibus, & illarum causa constare debet in processu, aliter nullus iudicaretur.

Quæres 4. An religiosis sicut aliis offerendæ sint defensiones.

6 ℞. Affirmatiuè, quia in iure naturæ pares sunt cum cœteris hominibus, neque enim per professionem huic renuntiant. Ita omnes cum Mirand. *q. 21. de ordine iud. à num. 28.* Foller. apud Coriolanum *part. 2. de censib. reseru. casu V. de indicio Regul. num. 98.* Fr Franciscus Aretinus in sua praxi *de 4. subst. cap. 1.* Spatharius *tract. 10. cap. 1.*

Quæres 5. An hæreticis, & aliis de hæresi suspectis concedendæ, immo offerendæ defensiones.

7 ℞. Omnibus offeruntur defensiones, quia ex huiusmodi delictis non sunt priuati iuribus naturalibus, sed gaudent illis, sicut cœteri homines.

Quod verum est, siue hæreticus sit conuictus, siue confessus de verbo, siue facto hæreticali, quia excipere potest non solum contra dicta testium, sed etiam contra propriam confessionem. Ita Pegna *part. 2. comment. 10.* Farinac. *q. 185. à num. 210.* non solum conuicto, sed etiam confesso *num. 215.* etiam relapso, quando intendit probare se non esse relapsum *n. 217.*

Quæres 6. An hæretico notorio persistenti in sua pertinacia dandæ sint defensiones, quibus vellet probare hæresim ab Ecclesia damnatam non esse hæresim.

8 ℞. Nequaquam, quia in suo delicto est ita notorius, vt nulla tergiuersatione excusari possit, & dicitur esse in fragranti crimine ob suam pertinaciam, in qua

propriè

propriè hæresis delictum consistit, ergo defensio hic locum habere non potest, cum ex nullo capite dicatur innocens. Ita Simancha *de cathol.instit.tit.*17.*n.*1. Farinac.*quæst.*185.*num.*223.*ad* 226. *quæst.* 197.*n.*70. vbi, quod non conceditur defensio probatiua non hæresis, quæ reuera est hæresis. Sousa *lib.*2.*cap.*29.*n.*10. Carena *part.*2.*tit.*9 *num.* 1. Quod si aliqua propositio sit in controuersia datur ei locus se defendendi, ex prædictis doctoribus?

Quæres 7. Quomodo iudex concedat defensionem reo?

9 ℞. In confessione defensionum danda est copia processus, suppressis nominibus testium, ipsi reo, vt se possit defendere cum suo aduocato, & procuratore designando, regulariter loquendo, ab Inquisitore, vt mox dicam.

Quæres 8. Qualis debeat esse Aduocatus reum defensurus?

10 *Resp.* Aduocatus debet esse vir probus, fidei defensor, vtriusque iuris doctor iurare debet de bona, & fideli defensione, & si cognoscat se iniustam fouere causam, eam deserere tenetur, exhortando reum ad veritatem dicendam; & legitimis probationibus debet reum defendere abstinendo à calumniis, & prolixitatibus inutilibus; demum copiam processus consignare debet Inquisitori. Ita Carena *part.* 1. *tit.* 10. Inquisitor Aduocatum, seu Procuratorem assignat reo, quod si reus specialem petat, non debet negare, si vir probus est, & fidei zelator ex eodem Carena ibidem. Non potest autem quis patrocinari hæretico, de cuius hæresi constat, fauore hæresis, aliter efficitur fautor hæretici & omnes illius pœnas incurrit, secundum Decian. *lib.*5.*cap.*51.*n.*13. *&* 23. Pegna *part.*3. *com.*88. Farin. *q.*197.*num.*55. ex illis Sousa *lib.*2.*c.*30. *num.*4. dico, (fauore hæresis,) quia licet in aliis capitibus defendere, vnde admittitur, si obiicere velit defectum iurisdictionis in iudice ex Deciano *cap.* 37. *num.*51. Farin.*q.*197.*num.* 81. Sousa *cit. num.* 5. Vide Dianam *part.*4.*tract.*8.*resol.*9.

Quære 9. Quibus mediis, seu exceptionibus, & armis reus possit se defendere.

11 ℞. Multæ sunt exceptiones, & causæ, quibus rei possunt se defendere, neque enim quis prohibetur vti pluribus defensionibus *Reg.*20.*in* 6. etiam contrariis, non obstante, quod allegans contraria non auditur, *c.*

12 *Solicitudinem* 54. *de appellat.* quod id intelligitur in eadem instantia secus in diuersis, ibidem Glosa, intellige, modo id non sit lege prohibitum, vnde in duabus electionibus non potest quis se defendere, *ex cap. Vt quis duas electiones* 25.*de elect.in* 6.

Defendit autem se reus primò obiiciendo iudicem suspectum seu incompetentem. Secundò, nullitatem processus. Tertiò, præscriptionem delicti. Quartò, mortem accusatoris. Quintò, mutationem status. Sextò, probando delictum non commisisse. Septimò, probando suam innocentiam. Octauò, excipiendo contra propriam confessionem. Nonò, contra inhabilitatem vel alium defectum testium. Decimò, appellando. Vndecimò, excipiendo nonnulla, quæ saltem pœnam minuunt. De quibus sigillatim & clarius in sequentibus.

Quæres 10. An in causis hæresis recusari possit iudex, & propter quas causas.

13 ℞. Inquisitor recusari potest per reum propter inimicitiam capitalem, propter cognationem quam cum querelantibus, seu denuntiatoribus, aut testibus habet; propter excommunicationem præsentem; in eo tamen casu reus ligatus transmittendus est ad supremum tribunal propriis expensis.

Primum de recusatione iudicis propter inimicitiam capitalem patet, quia inimicus in qualibet sua actione præsumitur semper machinari contra suum inimicum, *l. Si inimicitia ff. de his, quibus vt indign.* inimicus ergo iudex esse non potest, *cap. Quod suspecti* 14.3.*q.*5. vbi dicitur: *Quodammodo naturale est suspectorum iudicium insidias declinare, & inimicorum iudicium semper velle refugere.cap Secundo requiris* 41. 14
de appellat.extremis verbis, l.apertissime C. de iudic. in terminis nostris Eimer. *part.*3. *Direct. in Rubr. de Recusat. iud.num.*120. Pegna ibi *com.*30. Farinac.*q.*185. *num.*236. De causis inimicitiæ Sousa *lib.* 2. *cap.* 34. *num.*11.

Secundum de cognatione secundum consanguinitatem, aut affinitatem docent Pitigianus 4.*subst.cap.*3. 15
Spatharius *tract.*10. *cap. num.* 3. ex *cap. Absens* 173. *q.*9. iste ab illo accepit textum ex citatione falsa. Licet non loquantur in terminis nostris, absolutè tamen pronuntiant de iudice.

Tertium de excommunicato patet ex *cap.Exceptionem* 12. *de except. cap. Ad probandum* 24. *de appell.* 16
in quibus locis sermo est de iudice publice excommunicato, cuius acta nulla sunt, si vitandus sit, aliàs non opponitur de nullitate. Alia iura citant Pitigianus, & Spatharius locis prædictis, sed non in terminis.

Quartum denique de reo transmittendo ad supremum tribunal intelligitur, quando delictum est plene probatum per testes, quia in hoc casu præsumitur potius remedium fugæ prætextu recusationis iudicis, quam defensio, ideo caute procedendum est.

Quæres 11. Quomodo reus possit se defendere opponendo nullitatem processus.

℞. Colligitur ex iis, quæ spectant ad formationem processus, nam alia sunt de eius substantia, & 17
essentia, & communiter numerantur quatuor. Primò querela, quæ consistit in accusatione, denuntiatione, aut infamatione, seu inquisitione, per quos tres modos iudices solent procedere, Inquisitores, vt plurimum procedunt medio modo per denuntiationem; 18
Edicta enim illorum cogunt subditos ad denuntiandum hæreticos, & de hæresi suspectos. Secundò requiruntur testes examinari cum iuramento super querela data. Tertiò, reus vocandus est vt respondeat ad querelam probatam saltem semiplenè in processu offensiuo. Quartò, demum dandæ sunt illi defensiones antequam condemnetur, nisi sit contumax, quia citatus intra præfixum terminum si non comparuerit, est condemnandus. Hæc quatuor tradunt omnes doctores cum Panorm. *in cap.Dilecti, de iud.* Silu. *verb. Iudex* 1.*q.*5. Coriolanus *part.*2. *de casib.reser.casu* 5. *de iudic. Regul.* §.6. vocant substantialia iuris de iure naturali, seu gentium, vt est iuramentum, quod datur querelanti, testibus, & reis, cuius omissione nullum est iudicium, ex dictis *cap.*33. *de testib. q.* 15. Et hæc ab omnibus iudicibus obseruanda sunt respectu quorumcumque reorum, ne vitietur processus, etiam respectu Regularium, ex Nauar. *consil.*5. *de appellat.* in fine Pitigian. initio *cap.*3.*Coriolan.cit.* initio Peirin. *lit.P.cap.*16.*num.*2.*&* 3.

Alia vero spectant ad processus formationem, quæ dicuntur solemnitates iudicij, inuenta à iure positiuo tum Canonico, tum ciuili, cuiusmodi sunt interualla citationum, contestatio litis, dilationes interlocutoriæ. &c. quæ vocantur apices iuris, hæ obseruandæ non sunt à Regularibus in suis iudiciis, ex dictis doctoribus cum Peirino *in suo Formul.lit. P. cap.* 16. *num.*3. vbi alios citat; neque ab Inquisitoribus, qui ex *cap. Statuta* 20.*de hæret. in* 6. procedere debent simpliciter, & de plano.

Processus autem redditur nullus. *Primò* defectu cuiuslibet ex prædictis, quatuor requisitis, tunc enim 19
deficit in substantialibus, & nulla res existere potest sine sua forma substantiali, ex vulgatis iuribus. *Secundò*, nullus est, quando non constat de corpore delicti permanentis ex dictis *cap.*19. *n.* 14.*cap.*35. *num.* 55.

Marsil.

Marsil. *consil.* 12.*num.* 34. *consil.* 14.*num.*15.*Tertiò*, processus factus per iudicem recusatum est ipso iure nullus Maranta *part.*4.*dist.*16.*num.*4. *pag. mihi* 190. *Quartò*, processus factus contra Ecclesiasticum coram iudice laico nullus est, *c. Atsi clerici*, Calder.*de iud. cons.*12 *de iud.* Genuens. *cap.*6.*num.* 2. potest tamen deseruire iudici Ecclesiastico ad inquirendum contra reum. *Quintò*, processus formatus contra formam rescripti nullus est, *cap. Cum dilecta* 22.*de reser.Sextò*, parte non citata nihil probat, *Angel. de Malefi.*§. *Quod fama num.*11. Verallus *part.*2.*decis.*207.*num.*9. *Septimò*, processus formatus super testes sine iuramento nullus est, ex cumulatis per Barbosam *in cap. Tuis de testib.* Carena *part.*3.*tit.*7.*num.*1. *Octauò*, fabricatus à iudice non competenti nullus est *ex dictis cap.* 6. *num.*44. Vbi alia apud præcitatos.

Quæres 12. An reus se tueri possit præscriptione delicti.

20 ℞. Contra hæresim numquam præscribere potest reus, neque denuntiator vtique verò contra alia delicta inferentia suspicionem hæresis, *ex adductis cap.*30. *quæst.*4.

Quæres 13. An morte accusatoris, seu denuntiatoris reus se tueri possit.

21 ℞. Nequaquam in hoc officio. Tum quia, Inquisitor ex officio tenetur inquirere hæreticos, & de hæresi suspectos, ac proinde contra illos procedere, *cap. Vt officium* 11. *de heret.* Tum quia, in hoc tribunali, sicut & in aliis spectat ad fiscum producere testes. Tum quia denuntiatoris, & testium nomina numquam publicantur, ergo habentur pro mortuis. Est communis opinio respectu omnium delictorum ex Bartolo *in l. Libellorum*, §.*fin.ff.de accusat.num.* 5. Bossio *tit. de Inquis. num.* 89. Claro *q.*51. *num.* 9. vbi dicit, quod iudex ex officio suo potest procedere contra accusatum, à fortiori hoc facere debet Inquisitor propter publicam vtilitatem reipublicæ Christianæ.

Quæres 14. An reus obiicere possit mutationem status? Exempli gratia, quando de laico factus est clericus, vel de clerico, aut laico religiosus vel de non Episcopo Episcopus.

22 ℞. Mutatio status in prædictis casibus, excepto Episcopo, cuius causa tunc defertur ad Summum Pontificem nihil prodest querelato, cum Inquisitores delegati à Sede Apostolica omnes sub sua iurisdictione habitantes habeant pro subditis, siue laici, siue clerici, siue religiosi sint, & in hoc nulla difficultas. Idem dic, si Hebræus querelatus sit in casibus, de quibus dictum fuit *cap.* 25. nam non obstante Baptismi susceptione potest puniri, quamquam in eo casu illi potius parcendum esset, vt sic experiretur benignitatem ecclesiæ matris illum suscipientis in filium, & non in seruum. Et ita de aliis delictis ex Glosa *cap. Quod autem* 7. 32. *q.*1.*ver. Pœnitentis*, Clarus *q.* 51. *num.* 19. *Viuius in commun. ver. Accusari potest.* Ruin. *consil.* 13.*num.*2. Obseruandum tamen est, an id fiat in fraudem, vt effugiat pœnam, nam post accusationem iudæus, qui se deliberat suscipere Baptismum, videtur id facere potius timore pœnæ, quam amore fidei catholicæ, & cum deliquerit contra fidem, non est æquum, vt omnino ab omni pœna eximatur.

Quæres 15. Quomodo reus se defendat probando delictum sibi imputatum non commisisse.

23 ℞. Duobus modis id probare potest, primo probando suam absentiam à loco, secundo probando per testes absentiam ab eodem loco testium, qui contra se deposuerunt. Criminalistæ vocant hanc defensionem probationem secundum negatiuam coarctatam tempore, & loco, quo ad seipsum, vel quo ad testes. Exemplum sit in confessario de solicitatione denuntiato à tali muliere deponente solicitationem, quam viderunt duo testes prope confessionale existentes, tali tempore, & loco. Confessarius se defendit probando per testes legitimos se tali die fuisse continuè extra illam Ecclesiam in alio loco, seu non audiuisse confessiones in illo confessionali, sed in alio remoto. Propulsat quoque testes, probando, illos illo tali die fuisse in alio loco extra illam Ecclesiam. Vide Canteram *q.*12.*de reo num.*2. vbi aduertit, quod probatio negatiuæ coarctatæ non iuuat personam maleficam solitam conuersari cum dæmone, nam absente illa dæmon operari potest maleficium, Carenam *part.* 3. *tit.* 9. *n.*10. & 11.

Quæres 16. Quomodo reus probat se innocentem.

℞. Contigit multis modis. *Primò*, ex euidentia facti, vt si quis querelatus, quod hominem occiderit, quod lacerauerit Sacram Imaginem talis Altaris, seu loci, ostendat vtrumque illæsum, hæc est probatio, & defensio certissima, Clarus *q.*52. Carena *p.*3.*tit.*9.*n.*9. *Secundò*, ex dicto personæ læsæ, vt si in articulo mortis, vel alio tempore se exculpet, dicendo querelatum verè non esse reum. *Tertiò*, quando iure constat de malefactore alio, qui etiam seipsum inculpat. *Quartò*, in exequutione sententiæ accidit aliquod miraculum, vt quando instrumentum frangitur, vel redditur ineptum alioquin in se aptum. Lucas de Penna, *l.*1.*C.de desert. lib.*12.*colum.*7. Paris de Puteo *de Sindic.ver. Pœna* Decius *in l. Fauorabiliores*, *ff.de reg.iur.* Menoch. *de præsumpt.lib.*5.*præsumpt.*49. Prædictæ sunt potentes probationes fauore rei. Sequentes multum prosunt, sed non sunt ita efficaces. *Quintò* quando querelatus non fugit, sed verbaliter citatus comparet, Alciatus *Respons.*453.*num.*5. ex Bart. *in l. Si quis fugitiuus*, §.1.*ff.de edil. edic. Sextò*, quando accusatus sua sponte se offert iudici, Blanchus in sua praxi, *part.*1.*defens.num.*191. Marsil. in sua praxi, §. *Diligenter num.*204. in Sancto Officio quo ad spontaneam comparitionem vide dicta *sub cap.*30.*à quæst.*14. *Septimò*, si querelatus e. g. quod non credat esse purgatorium, probet, quod pro mortuis sæpius orauit, fecit celebrare, recitauit Officium Defunctorum, soluit pro illis legata à suis relicta. Ita ex Simancha *de cathol.instit.tit.*17.*num.*58. ex Massinio Carena *part.*3.*tit.*9.*num.*13. 24

Quæres 17. Quomodo opponat contra propriam confessionem.

℞. De confessione rei dictum fuit, *cap.* 34. per totum quænam sufficiat ad torturam, aut condemnationem, & quænam ab illis excuset, & defendat. Vide Spatharium *tract.*10.*cap.*8. & 9. 25

Quæres 18. Quomodo reus se defendere potest contra testes productos.

℞. In causis Sancti Officij repulsio testium non ita facilè admittitur præsertim, quando testes de crimine illis obiecto iam sunt emendati, quia licet inhabilitas minuat, & debilitet fidem illorum, non ideo tamen repelluntur, sed cum sua inhabilitate admittuntur, ex probatis *cap.*33. Vnde Pegna. *part.* 3. *com.*28. prope finem dicit, solum delicta inimicitiæ capitalis, & conspirationis in totum repellunt testem. Frustra igitur obiiciuntur illis per reum alia delicta, præterquam quod huius generis defensio raro admittitur in S. Officio, in quo nomina testium non traduntur reo, vt contra testes valeat se defendere, ex determinatione iuris, vt dixi præcitato *cap.* 33. *q.* 24. ex quo vt ibi probaui sunt partes iudicis inuestigare de idoneitate testium, ne reus contra iustitiam grauetur. 26

Notandum autem est, quod non sufficit opponere testibus delictum aliquod etiam in specie, sed illud probandum est indiuidualiter loco, & tempore, in quo perpetratum fuit, Clarus *q.* 53. *num.* 2. *de communi*, Boer. *decis.*321.*num.*2. Alex. *consil.*152.*lib.*5. *num.*16. ex eo Crotus *de testib. num.* 4. dicunt infamiam testis sufficienter probari ex tali delicto inducente infamiam, quod commisit, neque necesse est, quod communiter 27

muniter reputetur infamis, contra Bart. *in lib. 1. C. de testib. num. 4.* Reus autem non habens in promptu probationem delicti, quod intendit obiicere testibus,
28 tenetur actione iniuriarum, vt de communi docet Bossius *de iniur. num. 21.* & peccat mortaliter, quia licet reus ad se defendendum possit manifestare occulta delicta testium, id tamen intelligitur, quando illa probare potest, & releuant aliquo modo ab imputatione, vt docent omnes, quos citat Bonac. *disp. 10. de legib. q. 3. part. 2. à num. 10.*

29 Delicta autem huiusmodi, quæ sunt periurium, excommunicatio, inimicitia, conspiratio, &c. si non probantur per scripturas autenticas, quæ multum valent, ostendenda sunt per testes idoneos, & contestes; casus verò conspirationis, cum sit regulariter occultissimus, ac proinde difficillimæ probationis, manifestatur sufficienter per testes singulares Mascard. *de probat. tom. 1. concl. 420.* non obstante etiam iuramento de non reuelando, quia non tenet, cum sit de re turpi, Carena *part. 3. tit. 9. num. 16.*

Quæres 19. Quomodo appellandum in causis fidei.

30 ℟. Appellatio, quæ est prouocatio à minori iudice ad maiorem prætextu alicuius grauaminis, contingit fieri in sententia tam interlocutoria, quam definitiua, vtraque respectu cuiuslibet delicti, vt omnes concedunt in materia appellationis, vt videre est apud Clarum, *q. 94.* Spatharius *tract. 14.* Mirand. *q. 29.* Pitigian. *4. subst. cap. 10.* Maranta *part. 6. tit. de appellat.* Excipitur casus hæresis, à cuius sententia definitiua non datur appellatio ex communi doctorum quos citaui *præcedent. capite q. 40.* & habetur *ex cap. Vt Inquisitionis de hæret. in 6.* Eimer. *part. 3.* Rubr. *de appell. num. 121.* Farinac. *quæst. 185. num. 227.* in aliis omnibus non prohibetur de iure. In appellatione autem in scriptis facienda *ex cap. Cordi 1. de appell. in 6.* exprimendum est grauamen, & illius causa, ex Pegna *part. 3. comment. 31.* Vide quæ dixi *cap. 35. quæst. 40.* Dianam *part. 4. tract. 8. resol. 20. & 32.*

Quæres 20. Quibus ex causis reus possit se defendere ad diminutionem pœnæ.

31 ℟. Pœnam minuunt sequentes causæ. Senectus, Ira, Lubricum linguæ, Minor ætas, amor nimius, Ebrietas, Prouocatio aduersarij, Dormitio, Sexus fœmineus, Rusticitas, Multitudo peccantium, Spontanea confessio delicti, Furor. De singulis aliquid dicendum. Vide Clarum *q. 60.* & Carenam *part. 3. tit. 9.*

32 Senectus minuit pœnam incipiendo ab anno quinquagesimo, ex Tiraq. *de pœnis temper. causa 8. num. 4.* Anton. Gomez *de delictis cap. 1. num. 68.* Farin. *q. 92. n. 23. ad 26.*

Minor ætas minuit pœnam in hæretico pœnitente accusato in minori ætate, facto autem maiori non minuitur, quia delictum hæresis habet tractum successiuum, Farin. *q. 197. n. 10.* & qui in minori ætate fuit incredulus talis etiam remanet in maiori ætate constitutus, quando antea hæresim non retractauit, vnde punitur pœna ordinaria, vt ex Simancha *de cathol. instit. tit. 29. num 59.* docet Carena *part. 3. tit. 9. num. 27.* Nec his obstant Tiraq. & Farin. quos pro se citat Sousa *lib. 3. cap. 32. num. 18.* dicentes minores viginti quinque annorum mitius puniri etiam facti maiores, quia non ad tempus punitionis, sed delicti attenditur; id enim intelligitur respectu delictorum, quæ in ipso fieri transeunt, & momentanea sunt. Nota quod non Sacerdos celebrans, aut absoluens maior viginti annis, licet nondum excesserit vigesimum quintum, punitur pœna ordinaria, non obstante minori ætate, ex dictis *cap. 22. q. 9. & 18.*

33 Ira vehemens si prouenit ex iusta causa minuit pœnam, *ex l. 2. C. de abolit.* Tiraq. *de pœnis tempor. causa 1. num. 1.* Farinac. *q. 91.* & in terminis nostris idem Farin. *q. 179. num. 63. & 64.* Carena *part. 3. tit. 9. n. 31.* Si verò prouenit ira ex illicita causa, vt ex ludo non excusatur. Vide quæ dixi *q. 10. cap. 26.*

Lubricum linguæ, & iocus, atque incogitantia minuunt pœnam, quia deficit plenus vsus, & aduertentia rationis. Ita aliis citatis Farinac. *q. 179. num. 63. & 64.* Vide quæ dixi *cap. 9. sect. 3. num. 80.* Carena *part. 3. tit. 9. num. 35. & 36.* 34

Amor inordinatus, qui solet contingere in sortilegiis amatoriis minuit pœnam, comparatur enim amor furori, *cap. Cum in iuuentute, de præsumpt.* Oldradus *consil. 210.* Monald. *consil. 101.* Farinac. *q. 98. num. 88.* Carena *part. 3. tit. 9. num. 50.* vbi *num. 53.* bene contra Zanardum, asserit, sortilegia amatoria ex facto hæreticali inducere vehementem suspicionem hæresis. Vide, quæ dixi *de sortileg. cap. 18. quæst. 14.* 35

Ebrietas quando pœnam minuat dixi *cap. 26. q. 10.* 36

Prouocatio aduersarij minuit pœnam, cum prouocatio inducat iracundiam, & præsumatur potius se velle defendere, quam malè sentire, aut loqui. 37

Dormitio regulariter excusat à peccato, & pœna ex iis, quæ habet Glosa *in dist. 6.* tunc enim caret aduertentia, & vsu rationis, vnde solet dici. Qui dormit, non peccat. Carena *part. 3. tit. 9. num. 39.* bene dicit, Inquisitores in hoc inuigilare, quia de nocte proferentes hæreses, & blasphemias præsumuntur ad eas inclinati, & de die proferre, quia nocte quia solet proferre ea, quæ die dixit. Vide Pegnam *com. 17. part. 3.* Sousam *lib. 3. cap. 36. num. 4. & 5.* 38

Muliebris sexus excusat ab hæresi in iis, quæ eius capacitatem excedunt, & difficilis sunt cognitionis, non spectantia ad earum statum quo ad cognitionem actualem. Ita Farin. *179. num. 14.* Simancha *de cathol. instit. tit. 17. num. 21.* Sousa *lib. 3. cap. 36. num. 1.* ex illis Carena *part. 3. tit. 9. num. 47.* In aliis delictis vti poligamiæ, blasphemiæ, sortilegiorum ferè in nihilo excusantur, cum hæc soleant esse omnibus nota, ex citatis. 39

Rustici pari ratione excusantur, & puniuntur in aliis ex citatis doctoribus. 40

Multitudo peccantium inducit veniam *2. Regum cap. 18. num. 16. Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini. cap. Commessationes 1. dist. 44. cap. Quoties 13. 1. q. 7. cap. Non potest 32. 23. q. 4.* Glos. *ver. multitudo, cap. 2. de temp. ordin.* vbi refert hoc Carmen. *Ob populum multum crimen pertransit inultum.* Valerus *ver. Pœna diff. 8.* explicat habere locum, quando timetur scandalum, aut multorum strages populorum, tunc enim parcitur, aut mitigatur pœna, vt colligitur ex citatis capitibus, *& cap. Vt constitueretur 22. dist. 50. cap. Ordinationes. q. 1. cap. Ipsa pietas 24. 23. q. 4. cap. Latores, de cler. excom.* Graff. *part. 2. lib. 3. cap. 28. num. 30.* Ita in terminis nostris Decian. *lib. 5. cap. 50. n. 5.* Farinac. *q. 197. num. 32.* ex illis Carena *part. 3. tit. 9. num. 55.* Sousa *lib. 3. cap. 35. num. 3.* 41

Præcisis igitur scandalo, & populorum strage potest condemnari, comburi, & destrui aliqua ciuitas, aut castrum in hæresim lapsum, ex prædictis doctoribus, de mandato tamen speciali solius Papæ, sed in his cautè agendum, & non nisi præmissis quibuscumque mediis ad occurrendum huic malo, præsertim autem ab indictione belli abstinendum est, quia solent sequi maiora scandala, & strages sine aliqua emendatione, & magis indurantur corda eorum, & hæresis potenter serpit, vt experientia compertum est extra Italiam. 42

Spontanea confessio delicti minuit pœnam iuxta dicta de sponte comparentibus *cap. 30. à q. 14.* 43

Furor minuit pœnam, immo in totum tollit, quando in actu furiæ quis deliquit, quia fati infelicitas eum excusat, 44

excusat, *l. Diuus ff. de off.* præsidis, & facta illis non imputantur, *cap. Aliquos* 5. 15. *q.* 1. & carent consensu necessario ad peccandum, *cap. Neque furiosus* 26. 32. *q.* 7. In dubio præsumitur delictum in furore factum in eo, qui habet lucida interualla, Anton. Gomez 3. *Var. cap.* 1. *num.* 70. Pegna *part.* 3. *comm.* 22. *num.* 96. ex illis Carena *part.* 3. *tit.* 9. *num.* 65. Quando quis commisit delictum tempore mentis sanæ, & tempore sententiæ incidit in furorem verum; non est puniendus corporaliter, sed in bonis tantum Farin. *q.* 94. *num.* 16. Sousa *lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 5. aliis citatis Carena *num.* 68. Furiosus autem custoditur à ministris Sancti Officij non à parentibus, ex Pegna *part.* 3. *comm.* 22. illis nihilominus sub fideiussione de illo præsentando consignari potest, vt curetur. An furiosus per procuratorem possit comparere probando suum furorem, disputat hoc Carena loco citato *à n.* 70.

Quæres 21. Quales debeant esse testes produ-
45 cendi fauore reorum, quibus intendit se defendere.

℞. Testes producendi fauore rei tales esse debent, quales adducti contra ipsum reum ex probatis *q.* 7. *cap.* 33. nisi casus sit ita grauis, vt requirantur testes omni exceptione maiores, vt quando obiicit crimen testibus *supra num.* 29. Et sicut in condemnatione requiruntur omni exceptione maiores, ita & in absolutione, pari enim passu currunt. Vnde supradicta locum habent, quando testes adducuntur occasione torturæ, aut vt reus excusetur à pœna ordinaria, non autem ab omni pœna, quia tunc integri omnino, & contestes esse debent. Vide infra *n.* 61. *ad* 66. *n.* 79. & 80.

Quæres 22. An defensiones aliquo iure, vel consuetudine tolli possint.

46 ℞. Non quæ sunt iuris naturæ, vt citatio rei ad examen, & sententiam, quia nullus inauditus condemnandus est, quia nulla lex positiua, aut consuetudo potest induci contra ius naturale, & diuinum *cap. fin. de consuetud.* Salas *de legib. tract.* 19. *sect.* 11. *num.* 80. Molfes. *tom.* 1. *summæ tract.* 9. *cap.* 11. *n.* 41. Suar. *lib.* 7. *de legib. cap.* 6. *num.* 4. esto diceremus defensionem rei esse de iure gentium, quia tolli non potest, cum sit quasi ius naturale, Azor. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 17. *q.* 6. Bonac. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *part. fin. num.* 8. Nec obstat, quod appellatio quandoque non admittatur, & possit non admitti, vnde Principes iubent aliquid cum clausula: *Appellatione remota*, de qua late Barbosa *Claus.* 9. quia ea est de iure canonico, & ciuili, secundum doctores cum Maranta *part.* 6. *suæ praxis ver. Appellatio num.* 340.

Quæres 23. Quomodo hæreticus possit se defendere, si non est formaliter talis?

47 ℞. Multis modis. Primò, probando, se ignorasse verba à se prolata esse formaliter hæreticalia, & contra fidem, nam sicut ignorantia excusat ab hæresi incurrenda in foro conscientiæ, ex dictis *cap.* 9. *sect.* 3. *q.* 5. & 6. vide ibidem, ita etiam excusare potest in foro iudiciali, esto enim ignorantia iuris *ex Reg.* 13. *in* 6. non excuset pro foro externo, & talis sit ea quæ ver-
48 sari potest cum hæresi, cum omnis hæresis contraria sit alicui propositioni lege diuina, aut humana de fide definitæ, illud tamen vniuersaliter non est intelligendum, cum etiam ignorantia iuris in multis possit excusare in foro externo, & ad rem nostram excusat mulieres, rusticos, & alios, qui probantur indocti, *l. Cum de indebito, ff. de probat.* ibi doctores, Alex. *in l.* 15. qui putat. *ff. de acquir. heredit. num.* 7. Natta *consil.* 140. *n.* 11. Mascard. *n.* 11. *de probat. vol.* 1. *concl.* 47. quod procedit etiam in materia fidei ex Farin. *de hæresi quæst.* 179. ex eo Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 7. Carena *tit.* 1. *de hæresi num.* 42. qui omnes cum aliis asserunt non esse allegandum ignorantiam in articulis manifestis fidei, quos omnes scire tenentur, quales sunt qui continentur in Symbolo Apostolorum, qui nimirum inter Christi fideles publicè solemnizantur, quamquam & inter illos, aliqui sunt, qui etiam probabiliter præsumi possunt ignorati à quibusdam rudibus, vt est articulus de communione fidelium, & quidam alij magnæ speculationis, vt essentia diuina personis communicata absque sui diuisione, hæc enim, & similia sunt intellectu difficilia non solum à rudibus, sed etiam à quibusdam aliis, qui literas didicerunt.

Secundò, quis defenditur non esse formalis hære- 49
ticus, si probetur fuisse amens tempore, quo protulit, & credidit hæresim, quia non potest dici pertinax, & cognoscens errorem suum contra fidem, hoc ipso, quod caret vsu rationis, solum ergo dicetur materialiter hæreticus, & non ex intentione. Et hoc procedit licet mente captus habeat quandoque lucida interualla, in quibus ratione vtatur, quia ex intrinsecis naturæ præsumitur habere intellectum læsum, ita quod non bene, nec plene aduertit ad id, quod dicit, quod sufficit, vt quis non damnetur formaliter hæreticus, cùm amens non dicatur consentire, *cap. Sicut tenor.* 15. *de regular.*

Tertiò furiosus probatus dum protulit hæresim ex- 50
cusatur, quod non est puniendus, vt hæreticus, quia ignorauit se errare, neque pertinax dici potest, quia caret vsu rationis *cap. Neque furiosus* 26. 32. *quæst.* 7. comparatur mente capto, *l. Si pater ff. de Curat. fur.* vnde eius facta illi non imputantur, *cap. Aliquos* 5. 15. *quæst.* 1. furor de præsenti præsumitur in futurum durare, Paris. *consil.* 87. *num.* 12. Couar. *de Sponsal. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. Rota Rom. *vol.* 2. *decis.* 106. *num.* 26. licet quandoque videatur sanè loqui, id tamen verum est solum apparenter, sed vere captus est Glos. *ver. Furore, cap. Dilectus, de sponsal.* Mar. Anton. *lib. resolut.* 43. præsumitur autem durare, si probatur adfuisse per annum, vel etiam per mensem ex Couar. & Menoch. Sanch. *lib.* 1. *disput.* 8. *num.* 17. §. *Quando.*

Quartò, neque qui in ebrietate hæresim dixit iu- 51
dicandus est formaliter hæreticus, quia non habuit talem rationis vsum, quo potuisset scire se errare contra fidem, ideo fuit tantum materialiter hæreticus, comparatur enim ebrius furioso, *l. Omne delictum*, §. *Per vinum, ff. de re milit.* qui sicut non est formaliter hæreticus, neque pariter talis censendus est ille, qui in ebrietate dixit hæresim.

Quintò, ab hæresi formali excusatur blasphemus, & 52
periurus, quia præsumuntur ita loquentes verba proferre ex indignatione, quam habent erga alium hominem; vt si quis dicat, Putana, &c. occidam te, vel ex iuramento proferre, dicendo per Deum iniustum id verum est, his enim modis loquens blasphemus est hæreticalis, non tamen est formaliter hæreticus, sed tantum de hæresi suspectus, quando protestatur se credere quod credit Ecclesia, & talia verba continere hæresim si credantur. Ita Castro *l.* 1. *cap.* 12. Eimer. *part.* 2. *Directorij quæst.* 41. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 3. ex illis Sousa *Aphorism. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 17. Carena *tit.* 7. *de Blasph.* §. 4. *num.* 18.

Sextò, excusatur ab hæresi formali ille qui proba- 53
tur iocose hæreses protulisse, ita Albert. *q.* 36. *num.* 11. Pegna *part.* 3. *Direct. comm.* 17. Sousa *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 1. Farinac. *de hæresi, quæst.* 179. *num.* 40. Sanct. *de Blasphem cap.* 8. *dub.* 2. Carena *tit.* 1. *de hæresi n.* 48. Probare autem debet hanc ioci qualitatem, sufficienter autem constat aliquem dici nimium verbosum, & scurrilem, quando pro tali habetur in loco, vbi moratur.

Septimò, non est dicendus formalis hæreticus ille, 54
qui ob magnam animi perturbationem, & iram protulit hæresim, quia ira impedit animum, nesciat cernere verum, ergo non potest scire verba à se prolata continere hæresim, & esse contra aliquam

veritatem

veritatem de fide definitam. Ita Albert. *quæst.* 36. *n.* 18. Pegna *part.* 3. *Director. comm.* 17. Farinac. *q.* 179. *de hæresi num.* 42. Sousa *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2.

55 Octauò, qui probat se dormisse, vel fuisse semidormientem, quando protulit hæresim, non est iudicandus formaliter hæreticus, quia tunc cum caruerit ratione, non potuit scire hæresim à se prolatam esse contra fidem; Vide Hurtadum 2. 2. *disp.* 83. *sect.* 3. §. 29. relatum à Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 17. asserentem dormientem etiam simulate non esse indicandum hæreticum, nisi temerariè.

56 Nono, neque eum esse damnandum de hæresi, qui probat hæresim protulisse recitatiuè, quia is non dicitur asserere, neque illi credere, sed ab alio dictum aliis manifestare; neque comœdias agentem repræsentando factum hæreticum iudicandum esse hæreticum docuit Hurtadus loco citato.

57 Decimo, hæreticus formalis non est censendus ille, qui verba hæreticalia profert per modum imperatiui, aut optatiui; vt, maledictus sit, cadat è Paradiso, &c. quia non proferuntur per modum assertionis, & credulitatis contra fidem, sed ex quadam indignatione, constituunt tamen hunc blasphemum, & vehementer de hæresi suspectum.

58 Vndecimo, asserens se velle facere aliquid, quod est directè hæreticum non est formaliter hæreticus, quia hæresis non consistit in faciendo, sed in credendo rem à se prolatam esse veram, licet contra fidem, Azeuedo apud Carenam *tit.* 1. *de hæresi num.* 4. dicit ex facto hæretico oriri suspicionem hæresis, ergo non potest dici formaliter hæreticus, & à fortiori ille, qui non fecit factum hæreticum, sed tantum dixit se illud velle facere.

59 Concluditur ergo ex his, illum esse formaliter & propriè hæreticum dignum pœnis contra hæreticos inflictis, qui proferendo aliquam propositionem à se creditam pro vera, scit esse contra aliam de fide clare definitam ab Ecclesia quam nulla sufficienti ratione excusare potest, non fuisse hæreticam,

60 Hæresis autem materialis sic dicta in ordine ad eam proferentem, est illa, quæ in homine illam proferente, caret errore in intellectu, & probabiliter excusari potest aliqua verisimili ratione, aut testimonio, iuxta dicta in præcedentibus vndecim excusationibus, quibus quis nō iudicatur hæreticus formalis. Materialis hæreticus suas non effugit pœnas, cum suspectus habeatur de hæresi, venit puniendus iuxta qualitatem facti, aut dicti, attenta specie suspicionis.

61 Duodecimò, requiritur ad hæreticum formalem puniendum à S. Officio, quod testes duo deponant, vnum verba, vel facta hæresim importantia clare, & manifestè sine vlla ambiguitate in sensu verborum, alterum, quod deponant, se audiuisse propriis auribus reum dixisse se illa credere, factum autem, seu dictum non debet esse antiquum, sed recens, & testes negotium probantes debent esse omni exceptione maiores. Ricciull. *lib.* 5, *cap.* 6.

62 Duo igitur testes requiruntur ad conuincendum hæreticum formalem negatiuum, id enim regulare est in omni negotio requiri duos testes etiam ad condemnandum pœna ordinaria, & non plures, nisi ius id exprimat, vnius enim testimonio nullus est condemnandus *cap. Veniens* 10. *cap. Licet* 23. *de testib. & cap. Si testes* 4. *q.* 2. *dicitur ex lib.* 22. *ff. titul. de Testib.* quod vbi numerus testium non adiicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim locutio duorum numero contenta est. Sic docent Farin. *quæst.* 188. *de hæresi num.* 96. Sanctar. *de hæresi cap.* 39. *dub.* 2. *num.* 11. Borella *tom.* 2. *tit.* 5. *de num. testium num.* 50. Carena *tit.* 1. *de hæresi num.* 66. nec contrarium prædictis probatur *cap. Excommunicamus, de hæret.* quia ibi plures testes duobus requiruntur in generali inquisitione, non vero in speciali, de qua nulla fit mentio.

Non sufficit, quod hi duo testes deponant se factum hæreticum vidisse, aut dictum propriis auribus audisse clare, sed præterea debent probare, & testificari, se audisse querelatum dicentem se suam hæresim credere, ratio est, quia ad constituendum aliquem formaliter hæreticum requiritur, quod errorem hæresis habeat in intellectu sciens, aduertens se errare contra fidem; sed error iste non habet necessariam connexionem cum verbis, aut factis per testes probatis contra querelatum, ergo non tantum factum, aut verbum hæreticum, sed etiam error in intellectu probandus est, de quo tunc constare dicitur, quando testificatum fuit, querelatum dixisse, se credere suam hæresim. Quod si non probetur hoc secundum dictum, in quo potissimum consistit ratio formalis hæresis nempè credere contraria fidei Christianæ, seu non credere res, quæ sunt fidei, iam denuntiatus non probatur hæreticus, quia non constat illum habere errorem in intellectu, sed tantum præsumitur tunc de hæresi suspectus. 63

Hoc autem factum, vel dictum hæreticale non debet esse antiquum sed recens, aliter præsumitur illatum potius ex calumnia, quam ex caritate, quia obligatio denuntiandi hæreticos, & de hæresi suspectos diu differenda non est, sed infra præfixum tempus quilibet denuntiare tenetur ad exonerandum propriam conscientiam, qui autem post determinatum tempus diu differt denuntiationem non videtur ad id moueri ex præcepto Ecclesiæ, cum in eo fuerit negligens, sed alio fine, qui bonus præsumi non potest, nisi excusationem tantæ dilationis afferat, quæ tamen non potest obesse querelato, adhuc enim delictum hæresis manet antiquum, & non recenter factum, ergo non probatur sincerè querelatum esse hæreticum formaliter, cum aliqua suspicio calumniæ subsit ex allatis. 64

Testes autem contra hæreticum formalem negatiuum debent esse omni exceptione maiores, agitur enim in ordine ad pœnam ordinariam, & grauissimam de tradendo hæretico curiæ seculari, de confiscatione eius bonorum, ideo hæresis debet esse legitimè, clarè, & manifestè probata per testes omni exceptione maiores, quibus nihil obiici possit. An autem in hoc casu debeant esse contestes non solum respectu delicti, sed etiam respectu loci, & temporis? probaui negatiuè *contr.* 1. *à num.* 200. *cum sequent.* & facit Sousa *in fine sui Aphor.* & in quæstione vnica de testibus *sect.* 2. *num.* 13. *&* 16. *&* 17. Pasqualigus *in terminis decis.* 158. *num.* 25. *& num.* 10. quamplures vocat doctores asserentes in crimine hæresis sufficere testes contestes in specie hæresis, licet discordent in tempore, & loco, & hoc verum est, vt probaui multis *contr.* 1. *n.* 200. 65

Tertiam decimam, adde causam excusantem aliquem ab hæresi formali, nimirum timorem, & metum, qui igitur hæresim profert verbo, vel facto, aut fidem negat non iudicatur formaliter hæreticus, hoc est, se habuisse in intellectu errorem fidei contrarium, quia præsumitur id fecisse potius ad euitandum periculum mortis, aut alterius mali, quam crediderit aliquid contra fidem, in dicendo, vel faciendo aliquid hæreticale. Quod iudex debeat habere hanc præsumptionem metu probato, ostenditur ex eo, quia metus excludit consensum, *l. Nihil, ff. de reg. iur. cap. Cum locum* 14. *Cap. Veniens* 13. *Cap. Consultationi* 28. *de sponsal.* & causat inuoluntarium secundum Theologos cum D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. vnde in se includit ignorantiam, *l. Si cum exceptione*, §. *In hac actione*, §. *quod metus.* Hæresis autem formalis requirit, quod eam proferens scienter, & aduertenter credat contra fidem, hanc autem scientiam, & 66

aduertentiam non præsumitur habere ille, cui metus
fuit incussus, cum mentem perturbatam habeat, ergo
proferens, aut faciens aliquod hæreticale timore, &
metu mortis, aut alterius periculi non præsumitur
habere errorem in intellectu, sed ea præstare tan-
tum ad effectum euadendi periculum. Metus igitur
etiam leuis excusat, vt quis non iudicetur hæreticus
formalis, vt docent Albert. *de agnosc. quæst.* 30. *à
num.* 6. Pegna *part.* 1. *Direct. comm.* 24. Farinac.
de hæres. quæst. 183. *num.* 23. 26. 29. 31. Azor.
part. 1. *lib.* 8. *capit.* 9. *quæst.* 9. ex illis Sousa *lib.* 1.
cap. 17. Carena *titul.* 1. *de hæret.* §. 11. Qui omnes
cum aliis asserunt hunc peccare mortaliter, quamuis
faciat ad euitandam mortem inique illi intentam,
quia metus etiam grauis in iis, quæ intrinsecè sunt
67 mala, cuiusmodi sunt dictum, vel factum hæreti-
cum, nullo modo excusat à peccato, Sanch. *lib.* 1.
cap. 18. *num* 6. Excusat tamen ab excomm. & aliis pœ-
nis iuxta qualitatem metus, & personæ. Huiusmodi
68 ergo hæretici, qui materiales, seu externi vocantur
non sunt verè formaliter hæretici, sunt tamen suspe-
cti vehementer, vel leuiter de hæresi attenta quali-
tate metus, & conditione personæ metum patientis.

Supradictæ autem omnes causæ, quæ faciunt pro
exonerando querelatum à formali ratione hæresis,
probandæ sunt per ipsummet probatum reum, dum ei
69 offeruntur defensiones, quæ cum sint de iure natu-
ræ nulli negantur, neque hæreticis, vt colligitur *ex
cap. fin. de hæret. in* 6. Eimer. *part.* 3. *Direct.* Rubr.
de defens. reorum num. 117. Pegna *comm.* 28. Farin.
de hæresi q. 185. §. 14. *num.* 210. quod procedit licet
reus sit malæ famæ, & vitæ. Farin. *cit. num.* 218. licet
eas non petat; procedit etiam respectu torturæ, ex
70 prædictis, quod verum non puto, quando à consulto-
ribus fuit conclusum, reum esse torquendum pro vl-
teriori intentione, quia tunc nullo modo se excusare
potest, & officium tunc ius habet absolutum torquen-
di reum.

Sed quibus mediis hæreticus formalis conuictus
probabit suam innocentiam?

71 ℞. Si intendit probare, se non habuisse errorem in
intellectu per supradictas causas, sufficiunt duo testes
licet non sint omni exceptione maiores; si verò inten-
dit reprobare testes, in casu, quo testium nomina sunt
72 publicanda iuxta *cap.* 20. *de hæret. in* 6. necessario testes
reprobatorij debent esse omni exceptione maiores, &
reprobandos in aliquo excedere, probatio enim alia
fortiori reprobanda est, iuxta quod dixi *cont.* 2. *n.* 134.

73 An hæreticus negatiuus, conuictus tamen legiti-
mis testibus possit per torturam purgare hanc partem
negatiuam, probando se verè non credidisse hæresim
à se prolatam, & etiam confessam? Hæreticus nega-
tiuus de hæresi conuictus, negans se hæresim de qua
fuit conuictus, protulisse, non admittitur ad torturam,
sed puniendus est pœna ordinaria, quando de vtro-
que de verbis, aut factis, & intentione cum errore in
intellectu fuit conuictus, quia per suam negatiuam
nullo modo infringit dicta testium, neque illi aliqua
ratione est credendum, quilibet enim ad pœnam effu-
giendam præsumitur peierare, & esse mendacem,
nulli enim credendum est in casu proprij interesse, nisi
per testes probet *contr.* 3. *num.* 114. ergo frustra ad-
74 mittitur ad torturam, vt probet se esse innocentem.
Confirmatur, quia tortura inuenta est, vt reus cogatur
fateri delictum, de quo constat semiplenè, non autem
ad illud negandum, & probandum se innocentem, si-
quidem ex eadem causa non debent oriri contrarij
effectus, *l. Meminerint, C. Vnde vi, l. quod Labeo, ff. de
compens.* & quod introductum fuit in fauorem iustitiæ
contra reum, vt cogatur fateri veritatem, de qua ali-
quo modo, & in casu hoc plenè constat, non est retor-
quendum in eius dispendium fauore rei *arg. reg.* 61.
in 6. Ita ex Farinac. *q.* 179. *de hæresi num.* 60. docet Ca-
rena *tit.* 1. *de hæret. n.* 76. & 77. Conuictus ergo de hæ-
resi tam quoad dictum seu factum, quam quoad in-
tentionem erroris in intellectu, & credulitatis hæresis
asseueranter vtrumque negans, tortura abiecta pœna
ordinaria puniri debet, non obstante eius negatiua,
sententia enim ferri potest in conuictum tantum, licet
non confessum, *cap. Nos* 1. 2. *q.* 1. etiam in materia hæ-
resis, *cap. Super quibusdam* 26. *de verb. signif.*

Quando fatetur delictum de quo fuit conuictus
etiam super praua intentione, quam tamen negat, po-
test iudex subiicere torturæ pro vlteriori veritate ha-
benda fauore S. Officij contra conuictum cum clausu-
la protestatiua, *citra præiudicium probatorum*, non ta-
men tenetur, quia sufficienter sibi constat de intentio-
ne per testes, quibus obuiare non potest negatiua rei,
quod si velit magis se certificare, subiiciat illum tortu-
turæ absque præiudicio probatorum, sed id ego cense-
rem frustraneum, cum iudex non indigeat maiori cer-
titudine, quam habet per testes legitimos.

Ex his ergo habes hæreticum formalem, qui nimi-
rum fuit conuictus de vtraque, hæresi, & intentione
praua per legitimos testes probantes siue dictum, siue
factum cum errore in intellectu non esse admittendum
ad torturam, neque pro se, quia tortura inuenta fuit
fauore iustitiæ contra reum, vt cogatur fateri, neque
fauore iustitiæ, quia adhuc iudex pœna ordinaria reum
conuictum punire potest, non obstante eius negatio-
ne, quæ nullius est valoris.

In casu, quo querelatus fuit conuictus de dicto, vel 75
facto hæreticali, non autem de intentione, & errore
in intellectu, quia ab aliquo numquam auditus fuit
se dixisse hæresim credere, in rigore criminis hæresis
sic conuictus non dicitur formaliter hæreticus, quia
non constat de errore in intellectu, sed solum à iu-
dice præsumitur, ideo pro qualitate suspicionis sine
dubio torquendus est, vt satisfiat huic Sancto Offi-
cio, qui non potest se certificare super intentione
querelati nisi mediante tortura, & in hoc nullus con-
tradicit. Quod si reus in negatiua persistat, punien-
dus est, non vt hæreticus formalis, sed tantum, vt de 76
hæresi suspectus, hoc enim ipso, quod quis conuin-
citur se protulisse aliquid dictum, aut factum hæreti-
cale de se tale est vehementer de hæresi suspectus, ideo
vt talis puniri potest. Ita docent cum Farinac. *de tor-
tur. q.* 40. *num.* 16. Carena *tit.* 1. *de hæresi*, §. 15. Diana
part. 4. *tract.* 6. *resolut.* 32. Præmittenda autem est clau-
sula, *Absque præiudicio probatorum*, neque in tortura
examinandus est super delicto, de quo iam constat, sed
tantum super intentione, de qua est vehemens suspicio.

Ad constituendum ergo querelatum hæreticum 77
formalem duo sunt necessario probanda, primum,
quod hæresim verbo, aut facto perpetrauerit; secun-
dum, quod testes omni exceptione maiores delictum
probantes deponant se audisse querelatum dicentem
se credere hæresim contra fidem, aliter defectu vnius
istorum, hæreticus formalis non probatur in ordine
ad pœnas iuris. Intellige modo non purget querelam
excusationibus supra positis. Defectu secundæ con- 78
ditionis de errore in intellectu, querelatus dicitur tan-
tum suspectus de hæresi, qualis est ille, qui licet sit con-
uictus de dicto, vel facto hæretico, non tamen proba-
tum fuit ipsum habuisse errorem in intellectu, sed tan-
tum præsumitur talis, & in hoc sensu agendum in
sequentibus.

Quæres 24. An denuntiator succedat loco testis
ad condemnandum hæreticum formalem ad pœnam
ordinariam?

℞. Non succedit, quia hoc delictum probandum 79
est per testes, sicut alia omni exceptione maiores, qui-
bus obiici nihil possit, qualis nõ est testis simul denun-
tiator, cui obiici potest, quod ei non conuenit duplici
officio

80 officio fungi in eadem causa. Quod testes debeant esse omni exceptione maiores etiam in causa hæresis ad condemnandum in pœnam ordinariam docent omnes cum Pegna *part. 3. com.* 113. *&* 120. Decian. *lib.* 5. *cap.* 35. *n.* 6. Farinac. *de hæresi q.* 188. ex illis Sousa *l.* 2. *cap.* 19. *num.* 1.

Quæres 25. An pro Reo admittatur procurator?

81 ℞. Admittitur pro reo præsenti, non pro absenti, nisi in allegãdis causis absentiæ. Vide *c.* 34. *q.* 29.

Quæres 26. An testes deponentes pro reo conuicto, quod sit boni nominis, & bonæ famæ quidquam ei prosint contra testes?

82 ℞. Negatiuè, quia probatio in genere, quod quis sit bonus nihil prodest, quia genus parit confusionem, non charitatem, ita fidei ff. de iure fisci, & nimia generalitas reprobatur, glos. v. vel indeterminatè, *cap. fin. de reser.* debet enim probare bonitatem in specie articulando reus esse bonum in ratione illius virtutis, cui opponitur vitium, de quo fuit denuntiatus e. g. eum, si denuntiatus fuit blasphemus, esse bonum in genere rectæ locutionis, vt elidat blasphemiam, probando non blasphemando, quod tamen redditur difficile, quando negatiua non potest coarctari loco, nec tempore, negatiua enim vaga non probat, sed vana est, in sententia omnium.

CAPVT XXXVII.

De sententiis ferendis.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor procedit duobus modis.*
2 *Tribus modis terminat suos processus.*
3 *Sententia quid sit definitur.*
4 *Axiomata quindecim de sententia.*
5 *Sententia alia absolutoria, alia condemnatoria, &c.*
6 *Condemnandus est prius citandus specialiter ad hoc.*
7 *Delictum condemnandum, vel absoluendum exprimitur in sententia.*
8 *Subiicentur aliqua rationabiliter.*
9 *In ea exprimendum tempus, quo reus fuit in hæresi.*
10 *De die fertur, etiam festiuo.*
11 *Innocens probatus absoluitur.*
12 *Sententia transit in rem iudicatam.*
13 *Non tamen in causis Sancti Officij.*
14 *Absens quomodo condemnandus.*
15 *Appellatio ab interlocutoria, non à definitiua.*
16 *Non plene conuictus quomodo punitur.*
17 *Condemnatur vt hæreticus conuictus indiciis indubitatis.*
18 *Ex præsumptionibus pluribus vnitis non damnatur ordinarie.*
19 *Fertur, & legitur per Notarium.*
20 *Reseruatio pœnarum.*
21 *Iudex laicus, cui reus tradendus, non interest sententiæ.*
22 *Suspectus negans prauam intentionem adhuc condemnatur.*
23 *Absolutus defectu probationũ punitur ab alio iudice.*
24 *Non verò condemnatus per Ecclesiasticum.*
25 *Licet insufficienter, per laicum puniri potest.*

1 INquisitor sic dictus ex officio, quod habet inquirendi delinquentes in causis fidei, & illos taliter repertos puniendi duobus modis procedere potest. Primò generaliter, quando ex officio visitat prouinciam sibi commissam, perscrutando an in ea adsint hæretici, & alij de hæresi suspecti; raro autem solent visitare personaliter incedendo, sed solum nostris temporibus Edicta ad loca omnia suæ iurisdictionis transmittunt publicanda à Rectoribus Ecclesiarum. Secundò, per Inquisitionem specialem ad instantiam querelantis, & denuntiantis fabricato processu informatiuo, & offensiuo contra reum, vt tandem eum confessum, vel saltem conuictum condemnet in pœnam sibi condignam. De hac duplici Inquisitione. *Directorium Inquis. p.* 3. *comm.* 16. ex Pegna.

De tredecim modis terminandi processus agit *Director. p.* 3. aliis citatis Carena *p.* 3. *tit.* 11. *à n.* 33. Quibus relictis, assentior iis, qui tribus modis suas causas terminant. Primò, absolutione, quando in processu nihil probatur contra inculpatum, qui probat se innocentem. Secundò, condemnatione ad pœnam ordinariam eo quod est conuictus, & confessus, aut ad minus conuictus ad pœnam extraordinariam. Tertiò abiuratione, & tortura, cum pœna extraordinaria, quod accidit, quando reus est ita indiciatus, vt non possit absolui, neque impunis dimitti, non plenè conuictus, remanendo cum suspicione hæresis, quæ purgatur abiuratione, & tortura, imposita pœna mitiore, & extraordinaria iuxta qualitatem suspicionis, & delicti, illa enim non semper tollitur, cum leuis tortura afficiatur reus. Vide Dianam *p.* 4. *tract.* 8. *res.* 77. His præmissis. 2

Quæres 1. Quid sit sententia?

℞. Sententia est legitima determinatio facta à iudice super aliquod factum. Dicitur determinatio, quia est vltimus actus, quo processus terminatur, importat expeditionem causæ habita ratione ad præcedentia, quæ in processu exprimuntur, vnde bene Glossa, 1. *cap. Inquisitioni* 71. *de appell.* quod determinatio respicit tantum præcedentia, iudex enim ex vulgatis iuribus, secundum allegata, & probata iudicare debet, & non ex propria conscientia, D. Thomas 2. 2. *q.* 67. *art.* 2. Clarus *q.* 66. Tuschus *lit. In consil.* 398. apertè *cap. Iudicet* 4. 3. *q.* 7. *c.* 2. *&* 3. 6. *q.* 2. *l. Illicitas* 6. §. *Veritas, ff. de off. præsid.* ex quo etiam colligitur quod huiusmodi determinatio est legitima, quando secundum allegata, & probata pronuntiatur sententia, aliter contra iura dicitur esse, ac proindè nulla, *cap.* 1. *de sent. & re iud. l. Prolatam, C. de sent. & interloc. om. iud.* Hinc deducuntur nonnullæ propositiones. 3

Sententia lata contra iura nulla est, *cap.* 1. *de sent. & re iud. l. Prolatam, C. de sent. & interlocut.* intelligitur non solum quo ad substantialia, verum quo ad solemnitatem, & formam iuris respectu eorum, qui non habent ius procedendi de plano. *Secundò*, sententia à non iudice lata, nulla est. *cap. Ad audientiam* 3. *de consuetud. cap.* 4. *de iudic. l. fin. C. si non à compet.* Tertiò, sententia sine citatione partis condemnandæ ad eam audiendam nulla est, etiam si detur à Papa, Abbas *in cap.* 1. *de causa possess.* Imola *in Clem. Pastoralis de re iud.* Oldr. *consil.* 44. Roman. *consil.* 369. Aretinus *consil.* 163. *n.* 14. Socin. senior. *consil.* 120. *Quartò*, sententia sine scriptis non meretur nomen sententiæ, Glos. *in c. Statutis* 82. *q.* 1. *l. fin. C. de sent. ex breui. recit. cap. Et si sententia, de re iud. in* 6. *cap. Sæpe Clem.* 2. *de verbor. signif.* vbi etiam in causis summariæ, & de plano tractatis, non tamen requirit subscriptionem iudicis *l.* 2. *& fine C. de sent. ex breu. recit.* Verallus *part.* 3. *decis.* 139. vt autem in iudicio probet debet autenticari per iudicem, aut notarium actuarium, *ex cit. l. neque per testes probari potest*, qui fuerunt præsentes, Lanfranc. *in cap. Quoniam contra, de probat. num.* 72. Verallus *part.* 2. *decis.* 90. *Quintò*, sententia super re dubia nulla est, *cap. Nomen* 12. 2. *q.* 1. *cap. si quis* 9. §. *Incerta* 30. *q.* 5. *cap. fin. dist.* 33. *l. In summa* 59. *de re iud. Sextò*, sententia continens errorem intolerabilem nulla est, *cap. Per tuas* 4. *de sent. excom.* Glos. ibi *ver. Intolerabilem. Septimò*, sententia nulla nullum parit effectum, 4

effectum, *l.*4.§.*condemnatum,ff.de re iud.cap. Non debet* 11.*q.* 3. Nau. *tom.*4.*in cap. Cum contingat de rescript.remed.* 3. Megal. *part.* 3. *de censf. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 67. nihilominus adhuc dicitur sententia ex allegatis per M.Anton.*lib.* 1.*resol.*50.*n.*57.§.*Allegabatur*, & transit in rem iudicatam, vt dicam infra *sub q.* 7. *Octauò*, sententia non habet vim legis, *l. fin.ff.de legib.* vbi excipitur sententia principis, quæ pro lege est habenda, *l. Nemo, C.de interlocut.om. iud.* Thomaset. *Regul.* 279. intellige, quando se explicat, vt valeat pro lege, Sanch. *lib.* 2. *disp.* 14.*n.*4.§.*Et ad caput*, habet locum in sententiis in corpore iuris expressis, secundum doctores *in cap. In causis, de sent. & re iud. Nonò*, sententia non dat ius, sed illud explicat, *l. sicut*, §. *sed si quaritur.ff.si seru. vend.* facit tamen si transeat in rem iudicatam, *l. si seruus*, §. *si hareditatis*, ibi: *Et cum ius ff.de leg.* 1. item quando fertur in causa status, *ex allegata decis.* per Tambur. *tom.*3.*decis.* 69.*num.*5. *Decimò*, sententia strictissimi iuris, Fulgos. *consil.* 40. Alex. *vol.*7.*consil.*164. vnde ex *Decis.*48. apud Tambur.*n.*7. verba sententiæ non debent plus operari, quam de necessitate importent, & tantum importat, quantum verba sonant, Socin. *inn.consil.*181.*num.*6. & 97. Rota Rom. *vol.*2.*decis.* 317.*num.* 4. *Vndecimò*, sententia nulla confirmari potest, si constet de iustitia, *Innoc.in cap.*1. *de confirmat.* aliis allegatis Rota *vol.*4. *decis.*52. Littæ, Alex.*vol.* 5. *consil.* 3. *n.*4. Aymon *consil.*270. *fine*. *Duodecimò*, sententiæ verba intelligenda sunt, secundum quod iudex de iure pronuntiare debebat, *l. Miles ff.de re iud. iuncta* Glos. 1. Peirinus *ad const.* Pirrhi *num.* 9. *Decimotertiò*, sententia intelligitur secundum ius commune, à quo recipit interpretationem, *l. Hieronymus ff. de euict. l. Miles* §. *Decem. ff.de re iud.* Alex.*lib.*5.*consil.*36. Craueta *consil.*74.*n.*9. *Decimoquartò*, in sententiando non recedendum à communi opinione Bart. cum aliis *in l.*2.*C.de pœn.iud.* Felin.& Dec.*in c.*1.*de constit.* M.Ant.*l.*2.*resol.*28.*n.*15. alios citans *Decimoquintò*, sententia in dubio præsumitur iusta, & legitima, Glos. *In Auth. Generaliter.C.de Episc. & cler.* Doct. *in cap. Quoniam, de probat.* Abbas *vol.*1.*consil.*71. M. Anton. *lib.*1.*resolut. fin. casu* 41.§. *Accedit*, nisi probetur oppositum, Glos. *fin. cap. Conquerente, de restit. spoliat.*

Quæres 2. Quotuplex sit sententia?

5 ℞. Diuiditur in definitiuam, & interlocutoriam. In condemnatoriam, & absolutoriam. Definitiua est illa, quæ totum negotium absoluit, & vltimo terminat. Interlocutoria, quæ determinat articulos emergentes in progressu causæ, dum principale adhuc pendet, Iason *in l. Ne quidquam*, §. *Vbi decretum.ff.de off. procons.* Silu. *ver. eod.* Condemnatoria subiicit reum pœnæ, absolutoria eum liberat, vide Mirandam *q.*27 *art.*7.

Quæres 3. An qui condemnandus est, specialiter debeat citari ad audiendam sententiam contra se ferendam, & legendam?

6 ℞. Reus condemnandus siue sit præsens, siue absens, & contumax specialiter citandus est ad audiendam sententiam, vt aliis allegatis docet Farinac.*q.*185. *num.* 155. Scaccia *lib.* 1. *de ind. cap.* 88. & *lib.*2. *cap.* 2. *num.* 397. Pegna *part.* 3. *com.* 40. Carena *part.*3.*tit.*11.*num.*22. De absente idem Pegna *com.*49. Sousa *lib.*2.*cap.*49.*num.*5. idem Carena *num.* 56. aliter nulla est sententia, vt in aliis, in quibus sententia sine hac speciali citatione non afficit, ex allegatis per Rotam *vol.*4. *decis.* 26. Orani, Tambur. *in decis.* 87. coram Cardin. Virile *num.*5.

Quæres 4. An in sententia exprimendi sint omnes errores, super quibus reus est confessus, vel conuictus?

7 ℞. Tam in sententia absolutoria exprimendi sunt errores, quibus culpatus fuit absoluendus, quam in condemnatoria, recensendo delicta, & hæreses, excepto homicidio, tempus, quo reus permansit in hæresi, quandoque subticentur nomina certarum blasphæmiarum ne piæ aures fidelium offendantur, quando sententia legitur in publico.

Primum, de exprimendis erroribus in vtraque sententia probatur, quia omnis sententia definitiua componitur ex aliquo delicto, & pœna, vel exemptione ab illa, tamquam ex materia, & forma est enim quoddam morale compositum; sed sententia non potest existere, nec intelligi in ratione sui compositi, neque in seipsa sine suis partibus componentibus, ergo hæ necessario in illa exprimendæ, ac proinde in ea narranda sunt delicta, quibus reus querelatus fuit, vt per condemnationem pœnis debitis plectatur, aut per absolutionem declaretur inculpatus ab illis exemptus. Deinde ex illo communi axiomate, quod iudex sententiare debet secundum allegata, & probata, colligitur, in vtraque sententia exprimenda esse delicta, quorum probatio, vel reprobatio nota est, sunt enim correlatiua ad sententiam, ergo in illa sunt exprimenda. Præterea sententia debet esse conformis libello, in quo delicta exprimuntur, *l. Vt fundus* 18. *commun. diuid.* ergo eadem exprimenda sunt in sententia, aliter non dicitur conformis libello. Insuper falso inculpatus per actum publicum sententiæ absoluitur, vt de sua innocentia à delicto sibi imposito testificari possit per sententiam, id autem facere non potest, nisi in ea delictum impositum exprimatur, ergo illud narrandum est. Adde, quod sententia declarat, an querelatus sit verè reus, nec ne, ergo de necessitate delictum est exprimendum. Demum exprimitur in condemnatoria, ex sententia omnium etiam in terminis nostris ex Pegna *part.*3.*com.*40. Sousa *lib.*2.*cap.*36.*n.*25. alios citat Carena *part.*3. *tit.* 11. *num.* 23. ergo & in absolutoria, cum vtraque sit sententia de crimine, & delicto. Negant hanc delictorum expressionem in sententia absolutoria Carena cit. cum Farinac. *q.* 185. *n.*175. ex instructione Madriliana, contra quos sufficienter actum est per supradicta.

Secundum de subticendo homicidio intelligitur, 8 quatenus ex illius narratiua iudex laicus posset agere contra reum, cui nulla ratione Inquisitor debet dare copiam processus, ne fiat irregularis, ex Albertino Sousa *lib.*2.*cap.*28.*num.*18. ex illis Carena *part.* 3.*tit.*11. *n.*25. Hæc intelligo, quando crimen est incidens, nam si causa sit principaliter super delicto homicidij, aut mutilationis in terminis Bullæ: *Si de protegendis*, nulli dubium est, hoc esse exprimendum, aliter sententia non esset conformis libello. Idem dic de homicidio ex maleficio, hæc enim exprimendo nullum incurrit periculum irregularitatis, nisi processum communicet iudici laico. Verum quidem est, quod iudex prudenter se gerit subticendo personam occisam, vel mutilatam, hoc enim modo iudex laicus non ita facile deuenire potest in cognitionem facti, & si aliquo modo deueniret ex auditu, non ideo fit irregularis Inquisitor, si pœna mortis, aut mutilationis mulctaretur reus suo laico iudice, quia non dicitur cooperari huic pœnæ, cum propriè non influxerit in sententiam tali influxu, quod irregularitatem inducat, censetur enim causa remotissima insufficiens ad inducendam irregularitatem.

Tertium de exprimendo tempus, quo hæreticus 9 permansit in sua hæresi docent Simanch. *de cathol. instit. tit.*60.*n.*3. Sousa *lib.*2.*cap.*36.*n.*26.

Quæres 5. An sententiæ in causis fidei ferri possint de nocte, & diebus festis?

℞. Ferendæ sunt de die, non tempore nocturno, 10 nisi id suadeat aliqua necessitas, & temporis angustia, nam nocte agens à lege præsumitur male agere, Glos. *in l. si furem.ff.de sicar.* Alex. *consil.* 103. Ita

Pegna

Pegna *part.3.com.*40.Farinac.*q.*185.*n.*165. Quando sententiæ condemnatoriæ feruntur publicè, leguntur diebus festis in Ecclesia præsertim coram populo, vt punitione reorum timore correptus, se contineat in obseruatione mandatorum Dei. Ita Diana *par.* 4.*tr.*8. *resol.* 98.Carena *part.*3.*tit.*11.*n.*11.

Quæres 6. An quando querelatus probat suam innocentiam à crimine sibi falsè imposito sit declarandus talis sententia absolutoria.

11 ℞. Sic, quia iudex ex officio suo cuique iustitiam ministrare debet, quod consistit in eo, vt restituat illi, quod per querelam falsam fuerat illi ablatum, quod præstatur per sententiam absolutoriam, per quam falso querelatus declaratur innocens, & inculpabilis à delicto imposito. Ita omnes cum Eimerico *part.* 3.*n.*242. Pegna *com.*37.Farin.*q.*185.*n.*172.Sousa *l.*2.*c.*37.*n.*1. Carena cum aliis *part.*3.*tit.*11.*num.*33. Quod si reus apertè non probauit suam innocentiam, neque simpliciter absoluendus est, sed tantum ab ea instantia ex eo, quod contra illum nihil legitimè probatum fuit, ex citatis.

12 Quæres 7. An sententia in causis fidei transeat in rem iudicatam? Est commune axioma, quod sententia transit in rem iudicatam, quando ab ea non fuit appellatum infra decem dies, *cap. Cum dilectus* 32. fine, *de elect.cap. Cum sit Romana, de appell.* Auth. Hodie, *C. eod.* hoc est, post illud tempus non potest amplius retractari, neque impugnari, quia res iudicata pro veritate habetur, *l. Res, ff. de reg.iur.* Barbosa *axiom.* 200. vnde, & facit ius irretractabile inter partes, *l. Eleganter, § Si quis post, ff. de condit.indeb.* Craueta *consil.* 10. *n.*7. Paris.*consil.*23.*n.*218. intelligitur, quando sententia est valida, nam nulla non transit, cum non mereatur nomen sententiæ ex allegatis per dictum Barbosam. Hæc locum habent in aliis causis, non in illis Sancti Officij. Vnde.

13 ℞. Sententia in causis fidei non transit in rem iudicatam, sed retractari potest, quandocumque opus erit, vt determinauit Pius V. Bulla incip. *Inter multiplices.* Ita Pegna *p.*3.*com.*37.Farin.*q.*197.*n.*18.Carena *p.*3.*tit.*11.*num.*14. quod procedit tam in sententia condemnatoria, quam absolutoria, cum par sit ratio vtriusque arg. *l. Qui condemnare* 3. *de re iud. l. Nemo qui ff. de reg.iur.* Doct. *super cap. Inferior dist.* 21.*cap. Cum inferior de maior.* in terminis Scaccia *de sent. & re iud.* Glos.14.*q.*7.*num.*162. Quare superuenientibus nouis probationibus contra reum eius sententia retractatur, ex quo non fuit punitus adæquatè defectu probationum, *ex dictis c.*34.*q.*8.*&* 9. sicut absoluitur superuenientibus probationibus clarè eius innocentiam demonstrantibus, vt ibidem dixi, quamuis ante fuerit condemnatus. Sicut absolutus, siue ab instantia, siue simpliciter, & definitiuè, nouis superuenientibus probationibus condemnatur ex communiori doctorum, quos citat Diana *part.*4.*tract.*8.*resol.*10.

Quæres 8. Quomodo condemnandus sit absens.

14 ℞. Reus absens conuictus citandus est ad respondendum illi dandæ sunt defensiones, & omnia facienda, ac si esset præsens, demum vocatus ad audiendam contra se sententiam ferendam condemnandus est, transmissis citationibus ad domum habitationis, & ad valuas Ecclesiæ affixis, vt possit certiorari, si velit, de sua condemnatione imminente. Ita Pegna *part.* 3. *com.*49. Sousa *lib.*2.*c.*49.*num.* 5. Carena *part.*3.*tit.*11. *n.*56. Quando non est conuictus, sed tantum indiciatus, & grauatus seruatur forma præscripta *in cap. Cum contumacia, de hæret.in* 6. vbi reus citatur ad respondendum de fide, qui non comparens iuxta terminum præfixum, contumacia per fiscalem denuntiata, excommunicatur, & si in ea per annum manserit, vt hæreticus impœnitens damnatur ex citatis.

Quæres 9. An in causis fidei detur appellatio à sententia tam definitiua, quam interlocutoria?

℞. Datur ab interlocutoria, non à definitiua, ex adductis *sub cap.*32.*n.*15.*cap.*35.42.*cap.*36.*q.*19. 15

Quæres 10. An non plenè conuictus, sed vehementer indiciatus possit puniri pœna ordinaria?

℞. Ex præsumptionibus, & indiciis vehementibus, & vrgentibus iudex non potest procedere ad condemnationem etiam extraordinariam, nisi prius subiiciat reum torturæ negatiuum existentem, vt inde veritatem eruere possit, cum clausula: *citra præiudicium probatorum*, vt docent Bald. quem sequuntur Gregor. Lop. & Anton. Gomez 3.*var.c.*12.*n.*26. Sanch. *tom.*1. *l.*3.*dub.*17.*n.*4. ex illis Diana *p.*4.*tract.*6.*res.* 18. Non obstante tortura, quæ in rigore dari non solet, licet non possit condemnari, vt hæreticus persistens in negatiua, nihilominus condemnatur pœna extraordinaria, ex illis præsumptionibus reuera probatis ex doctoribus allegatis à Diana *part.* 4. *tract.* 8. *res.* 36. Dixi etiam *cap.* 34.*q.*10.*cap.*35.*q.*50. 16

Quæres 11. An condemnari possit vti hæreticus conuictus per indicia indubitata? Exempli gratia Iudæus factus Christianus vtitur cæremoniis Hebræorum; effectus catholicus ex gente Mahometana adorat Mahumetum, vel aliud idolum; item concionator ex professo in suis concionibus prædicat errores, & hæreses docendo populos, illas continere veritatem, &c. Vide *cap.*34.*q.*25.

℞. Similia dicens, aut faciens, & nullam euidentem habens excusationem legitimam, & verisimilem, vt videtur non posse assignari in dictis casibus attenta qualitate personarum, nisi interponatur metus mortis, condemnandus est in pœnam ordinariam non obstante negatiua, quæ expressè falsa deprehenditur, vt docet allatis prioribus exemplis Cant. *in quæst. crim.c.*2. *de probat.per testes q.*1.*n.*60. quem sequitur Diana *p.*4. *tract.*8.*res.*116. Farin. *q.*179.*n.*149. de concionatore, excusando se prædicasse hæreses, quas tamen non credebat, propter commodum temporale, aut vanam gloriam. 17

Quæres 12. An iudex vnire possit duas semiplenas probationes, ita quod ex illis reus condemnari possit in pœnam ordinariam? Quod est etiam quærere, an reus conuictus tribus aut quatuor testibus minus idoneis condemnari possit in pœnam ordinariam?

℞. Affirmatiuè, *cap.* 33. *q.* 8. *&* de tribus, aut pluribus testibus docent Palaus, & alij, quibus adhæret Diana *p.*4.*tract.*8,*resol.*123. accedentibus aliis adminiculis. Vnus verò testis integer cum alio inhabili ad id vniri non possunt, sine aliis adminiculis, quamtumuis ille integer sit magnæ dignitatis, & fidei, ex Pegna *part.*3.*com.*113. Portellus *ver. Testis num.* 10. vnde Farin.*q.*188.*num.*59. dicit quod fides vnius testis valde digni non supplet defectum alterius, cum quibus est Diana *cit.resol.*129. 18

Quæres 13. An sententia ferri possit per Inquisitorem ambulando, & per notarium?

℞. Affirmatiuè, vt primum probaui *cap.*34.*q.*24. Hoc posterius probatur per communem praxim tribunalium Inquisitionis, secundum quam Inquisitores per suos Notarios ferunt, & legunt sententias contra reos, Ita Pegna *part.*3.*com.*40. Farin.*q.*185.*n.*170. Sousa *lib.*2.*cap.*36.*num.*7. non obstante. *l.*1.*C. de sent. ex breui, recit.* quæ disponit esse legendas ore proprio iudicis, nam abiit in dissuetudinem. 19

Quæres 14. Quo iure in sententiis exprimitur hæc clausula? *Riseruando à noi l'autorità d'accrescere, ò sminuire, commutare, rimettere, ò condonar in tutto, ò in parte le sudette pene, ò penitenze?*

℞. Hoc habent Iudices ex priuilegio iuris Concilij Narbonensis *can.*7. illis verbis. *Illa semper retentione cautè adhibita, vt liceat vobis iniunctis pœnitentiis addere, vel detrahere.* Vide Eimer *part.*3 *in* 8.*mo-* 20

do termin. processum n. 196. Pegnam *com.* 108. Sousa *l.2.c.37.n.12*. Carenam *part.3.tit.11.n.16.ad 21*. vbi subiungit, hoc priuilegium ab Inquisitore non posse mandari exequutioni sine Episcopo, nec ab hoc sine illo, intellige, quando simul sententiam tulerunt, tunc enim sibi vtraque reseruauerunt coniunctim hoc ius, aliàs non, cum Inquisitor per seipsum procedendo ad sententiam sibi soli, & non alteri hoc priuilegium reseruauerit.

Quæres 15. An si per sententiam reus tradatur curiæ seculari, debeat interesse iudex laicus, cui est consignandus,

21 ℞. Iudex laicus non potest interesse, quia huiusmodi causæ per solos iudices Ecclesiasticos expediendæ sunt, *ex cap. vt Inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. in 6.* & relaxatum sibi, reum punire debet, ita quod non debet, neque potest causam reuidere, sed omnino obedire cum sit merus exequutor voluntatis, & sententiæ sui iudicis, cui in hoc subditur, & nolens cogi potest censuris Ecclesiasticis ad executionem. Vide dicta *cap.9.num.95.cap.22.num.34.*

Quæres 16. An conuictus, & confessus de delicto inducente suspicionem vehementem hæresis, sed negans intentionem prauam, & illam tortura sustinens, absoluendus sit à suspicione.

22 ℞. Non obstante negatiua etiam in tortura confirmata adhuc condemnandus est vti suspectus, indicendo illi abiurationem de vehementi cum pœnis debitis delicto, ratio est, quia in hoc tribunali solent iudices leuem inferre torturam, & in eorum est arbitrio iudicare an tortura purgauerit sufficienter suspicionem, nec ne, ideo condemnant illos ad abiurationem, & pœnam, aliter si fieret, fere omnes euaderent pœnas, quod absurdum est, nam delictum ex se punibile est, à fortiori adiuncta suspicione hæresis, quam penitus purgare non potest tortura. Ita doctores allegati à Farinac. *q.185.n.128*. Carena *part.2.tit.1.§.21.*

Quæres 17. An sententiatus, seu punitus in hoc tribunali, iterum sub alio iudicari possit super eodem delicto? Casus accidere potest in facto homicidij, seu percussionis in personam officialis Sanctæ Inquisitionis iuxta Bullam: *Si de protegendis*, & in aliis delictis, quæ sunt mixti fori.

23 ℞. Quando in Sancto Officio homicida non fuit punitus, sed absolutus ab ea instantia defectu probationem, & in foro Ecclesiastico, si clericus est, aut laicali, si secularis est, adsunt probationes contra reum, nulli dubium est, posse puniri. Si verò in foro Inquisitionis fuit punitus delinquens iuxta præscriptum præfatæ Bullæ, aut vlterius de Maleficiis, certè sub alio tribunali vocandus non est ad iudicium, etiam prætextu, quod non fuerit sufficienter punitus.

Primum, de absoluto ab instantia probatur. Tum quia, nulla fit iniuria priori iudici, qui defectu probationum non potuit perficere suum iudicium. Tum quia, absurdum est, quod delicta remaneant impunita. Tum quia, in tribunali Inquisitionis reus se defendere potest probandò homicidium formaliter, & ex intentione lædendi Sanctum Officium non accidisse, sed ex alia causa, de qua ferre iudicium non spectat ad Inquisitorem, ergo tunc puniri potest ab alio iudice. Et in hoc puto nullam esse difficultatem. Neque Inquisitor absolutum ab instantia dimittens à suo foro defectu probationum, vel qualitatis Sancti Officij non probatæ tenetur conseruare illum illæsum ab aliis tribunalibus, quamuis reus ab ipso declaratus fuisset innocens in suo foro, quod tamen facere non debent, quando præuident in aliis tribunalibus fore, vt probentur rei.

24 Secundum, quod reus punitus per Inquisitorem non sit ab aliis puniendus, suadetur. Tum quia, finis iudicij est, vt reus puniatur iuxta mensuram sui delicti, & tunc iudicium dicitur perfectum, cui ideo nihil supperaddi potest. Tum quia, Deus non punit bis idipsum, non enim consurgit duplex tribulatio pro eodem delicto, Nahum, *c.1.n.9. cap. Ex part.5. de cler. ægrot. Neque afflictio* addenda est afflicto, *c. Cum percussio, 2.7.q.1 l. Pœna 9.§. fin. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* Neque pœna duplici quis puniendus est pro eodem delicto, *c.4.* fine *de iudic.* non enim pœnæ repetendæ sunt, *l. Qui proprio, §. Pœnam, ff. de procur.* Quod autem condemnatus in vno foro, iterum pro eodem delicto non possit perturbari, nec condemnari iuribus, & doctoribus allegatis docet Dominus meus Illustrissimus Ioannes Baptista Gargiareus Auditor æque diligens, & iustus ad Ciuilia Parmæ *tom.1. Decis.* pro Magistratu Antianorum Bonon. *decis.25.*

Dixi demum, quod reus condemnatus in nostro officio non est vocandus ad aliud tribunal etiam prætextu insufficientis punitionis, quia id esset declarare insufficientiam, & incondignationem pœnæ, quod numquam spectat ad inferiorem iudicem contra superiorem, vt notum est, enim in naturale, & irrationabile, quod minor iudicet actiones maioris, & sui superioris. Ita ex Salcedo notat Barbosa de Episcopo *par.3. allegat.51.n.95.* apud Carenam *part.2.tit.7.n.16.* 25

CAPVT XXXVIII.

De consultoribus inquisitorum,

SVMMARIVM.

1 *Consilium in omnibus petendum.*
2 *Consultores ab Inquisitoribus eliguntur.*
3 *Quibus etiam renuntiant.*
4 *Morte Inquisitoris non cessat officium consultoris.*
5 *Gratia facta non expirat morte facientis.*
6 *Moritur quis in dignitate multis modis.*
7 *Consultores debent esse omnes doctores.*
8 *Pater & filius simul non consulunt in eadem.*
9 *Vota consultorum libera, certa, & absoluta.*
10 *Religiosi duo eiusdem ordinis esse possunt.*
11 *Absens consultor non mittit suum votum.*
12 *Consilium ab illis exhibetur sine pretio.*
13 *Consilium in aliis vendibile.*
14 *Si consultor illud venderet simoniacus non esset.*
15 *Eorum votum non est decisiuum.*
16 *Iudex communem sequitur sententiam peritorum.*
17 *Inquisitor consilium ab illis petere tenetur.*
18 *Consilium adiectum habenti iam facultatem non est de forma substantiali.*
19 *Acta sine consilio per iudices tenent.*
20 *In quibus datur consilium?*
21 *Vota exprimuntur ordine antianitatis.*
22 *Consultor paucis se expediat.*
23 *Qualificatores propositionum sunt tantum Theologi.*
24 *Secretum seruatur sub pœnis.*
25 *Præcedentia in sedendo, & respondendo.*
26 *Consuetudo in præcedentia multum attenditur.*
27 *Intersunt sententiæ.*
28 *Arma deferre possunt.*
29 *Canonici lucrantur distributiones.*
30 *Consultor delinquens in officio punitur ab inquisitore.*
31 *Extra id officium punitur à suo superiore.*
32 *Abusus armorum dupliciter spectatur.*
33 *Priuilegia consultorum.*

SAlomon Prouerb. *cap.3. num.5.* omnibus agentibus 1
præsertim iudicibus dat regulam bene gerendi suas causas illis verbis. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* vnde D. Hierony

D. Hiero nymus relatus *cap. 5. de const.* dicit: *Prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda, vel dicenda videntur Patrum decretis præponit.* Igitur in omni negotio peragendo peritorum consilium est adhibendum, vnde *lib. 3. C. de repud.* dicit, quod ea firmitate nituntur, quæ consilio geruntur, sic Episcopus consilio clericorum suorum disponit de rebus Ecclesiæ, *cap. Nouit, de iis, quæ fiunt à prælat.* & iudici non licet deuiare à responsis prudentum? *Inst. de iure nat. §. Responsa.* Quare Inquisitoribus ad hunc effectum bene gerendi, & disponendi causas Sancti Officij dantur Consultores *ex cap. vt commissi* 12. ibi: *Aduocandi quoque prout expedierit peritos quoslibet, vt vobis assistant, & in huiusmodi deferendis sententiis præbeant consilium oportunum, ac eis, quod super his vobis humiliter pareant in virtute obedientiæ iniungendi.* Ex quibus patet Inquisitorem hos nolentes accedere, & consulere posse cogere in virtute sanctæ Obedientiæ; vocantur etiam Assessores, quia coram eo sedent in dandis consiliis, ex quo Consultores vocantur. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. A quibus eligendi sunt huiusmodi Consultores.

2 ℟. Regulariter eliguntur ab ipsis Inquisitoribus in suis ciuitatibus quibus præsunt, & rationabiliter, nouerunt enim ipsi, quinam sint periti, prudentes, timoratæ conscientiæ, & zelatores Catholicæ fidei? & huiusmodi electio arbitrio Inquisitoris est iuri supradicto consona, hoc modo Parmæ eliguntur à solo Inquisitore. Carena *par. 1. tit. 8. n. 3. &* 4. dicit Mediolani, & Cremonę Consultores ab Inquisitore nominatos eligi per Eminētissimos Cardinales supremi tribunalis? & subdit sic electos nō posse ab Inquisitore remoueri, quia actus tribuitur confirmanti, Surd. *vol. 3. consil.* 385. *n.* 33. & confirmatio facit confirmantis suum, quod non erat suū *l. 1. C. de vet. iur. enucl. c. Si Apostolicæ* 22. ibi: *Cum ipsa prouisio ipsius legati post impertitā à nobis auctoritatem nostra censeatur effecta. de præbend. in 6.* ita
3 quod etiam renuntiatio facienda sit in manibus Cardinalium confirmantium ex doctrina Bartoli *in l. fin. C. de defens. ciuit.* ab eodem Carena adducta *num. 5.* adde quod renuntiatio officij, & dignitatis fit in manibus eius, qui illam contulit, Gemin. *consil.* 127. quia renuntiatio est actus restitutionis, quæ fit ei, à quo res accepta fuit. Electi verò ab Inquisitore ab eodem ex causa remoueri, aliis in locum remotrum substitutis.

Quæres 2. An morte Inquisitoris, vel alia amoto, cesset officium Consultoris in electis, ita vt nouus Inquisitor possit sibi eligere alios, antiquis ex suo mero arbitrio reiectis?

4 ℟. Non cessat. Tum quia, in literis patentibus huiusmodi deputatio, & electio fit simpliciter sine vlla limitatione temporis, ergo & pro tali habenda est, consequenter non expirat morte Inquisitoris. Tum quia, electus à iure, seu ex ordine iuris perpetuus est in officio, ita quod in eo perseuerat etiam post mortem electoris, & superioris, vt de Vicario de iure eligendo, docent Canon. *in cap. 1. de off. vicar. in 6.* de Priore Claustrali sub Abbate, *Clem. in agro 1. de statu monach.* Nauar. *consil. 12. de elect.* aliis allegatis Compend. Rodr. *resol.* 139. sed electio, & deputatio consultorum est de iure, & à iure per factum hominis, ex præcitato, *cap. Vt commissi, de hæret.* ergo perpetuo durat ex se, nisi expressè reuo-
5 cetur. Tum quia, gratia facta sine temporis limitatione non expirat morte concedentis, *cap. Relatum* 19. *cap. Gratum* 20. *de off. deleg. cap. Si super gratia* 9. *eod. in 6. c. Si cui 36. de præbend. in 6.* officium autem consultoris est gratia facta, vt notum est, ergo non expirat morte Inquisitoris, aut eo amoto ab officio, siuè per priuationem, siuè per translationem, siuè per renuntiationem, sub quibus modis dicitur superior mori ciuiliter Glos. *ver. moriatur cit. cap. 36. de præbend. in 6.* & Glos. *ver. mortuo prælato, cap. Vn.* 6
Ne Sede Vac. *in 6.* Igitur post mortem Inquisitoris, Consultores ab eo electi, & deputati, adhuc sunt actu Consultores, & suis gaudent priuilegiis, donec à successore reuocentur, & præsentantibus suas patentes liberas confirmare tenetur, nisi intendat omnes literas singulis in generali reuocare, de nouo alios constituendo. Procedunt dicta de Consultoribus ab Inquisitore electis, nam consultores à supremo tribunali prouisi reuocari non possunt nisi ab eodem sacro tribunali.

Quæres 3. Cuius conditionis, qualitatis, & status eligendi sint?

℟. Debent esse omnes Doctores Theologi, Canonistæ, & Ciuilistæ, viri probatæ vitæ, prudentes, 7
& catholicæ fidei zelatores, de quibus conditionibus Tapia *ad constit. Regn. Neapol. lib. 2. in Rubr.* apud Carenam *par. 1. tit. 8. num.* 10. communiter assumuntur duodecim, quorum sex sunt Theologi, alij doctores vtriusque iuris, siuè sint clerici, siuè laici, omnes sufficiunt, nam etiam laici in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus consilium dare possunt, *Innoc. in cap. 2. de iud. fine,* in quibus possunt esse Assessores. Host. *cap. 2. de iud.* ibidem omnes, & ita de se testatur Carena *par. 1. tit. 8. n. 6.* qui laicus coniugatus est. Inter Ecclesiasticos recipi possunt non solum clerici seculares, sed etiam regulares, licet non sint doctores Theologi, modò in sua religione sint graduati nomine Lectores Theologiæ, aut alterius nomine appellantur.

Quæres 4. An Pater, & Filius simul consultores esse possint eiusdem Sancti Officij?

℟. Quamuis de iure id non prohibeatur, cum pa- 8
ter, & filius in eadem Ecclesia beneficiari possint non solum successiuè, sed etiam simul *ex cap. Ad hac 12. de filiis presbyt.* ac proindè à simili, & fortiori etiam ratione eligi in consultores; nihilominus, quia potest esse non leuis suspicio inter vota vtriusque in eo, quod filius patri naturaliter subditur, consequenter in hoc votum filij potest dependere à voto patris, & è contra ex affectu paterno votum patris offerri filio, ideo conueniens non est, vt ambo simul sint in eadem congregatione, vota enim semper libera, certa, determinata, & independentia esse debent, 9
cap. 2. de elect. in 6. Quare Carena *par. 1. tit. 8. num.* 32. refert S.C. ordinasse, quod pater, & filius ob merita patris assumptus in Congregatione Cremonæ, quasi illius coadiutor, numquam simul interuenirent in Congregationibus. Ex quibus infertur, Inquisitori non licere assumere in consultores patrem, & filium, patruum, & nepotem, aut duos fratres in- 10
consulta Sacra Congregatione. Nihil obstat, quin duo religiosi eiusdem ordinis sint simul consultores in eadem Congregatione, nulla enim ratio militat in contrarium, sicut enim in facto sui Monasterij concurrunt, ita & albi.

Quæres 5. An consultor ægrotus, vel alia causa transmittere possit in scriptis, vel voce suum consilium ad Congregationem?

℟. Huiusmodi vota non recipiuntur, sed con- 11
sultores capitulariter congregati coram iudicibus verbaliter, & ore tenus viua voce suum præbent consilium, sic practicatur in omnibus Congregationibus Sancti Officij, & iure merito, tum quia vota consultorum æquiparantur electioni, sicut enim electio est assumptio vnius personæ ad officium ex pluribus propositis, ita ex consilio dato circa aliquid agendum, vel non agendum hoc, vel illo modo, assumitur vnum illorum, quod melius est? electio autem præstanda est capitulariter vocalibus

simul existentibus in loco deputato, *cap. Quia propter 42. de elect. cap. Cum terra* 14. *cap. In Genesi* 55. *eod.* & alibi sæpius. Tum quia, electionis votum non potest dari in camera, Lauor. *tit.* 4. *de elect. c.* 6. *n.* 13. *ex cap. In Genesi* 56. *cit.* vbi dicitur, quod electio communiter facienda est, ergo & consilium capitulariter dandum est coram Inquisitore, & Vicario Generali. Datur autem viua voce, quia hoc modo quisque cum sua ratione respondendo cogitur rectum dare consilium, quod sibi verius, & melius videtur, erubescit enim malum dare consilium vocaliter, qui fortassis non verecundaretur secretè illud præbendo iniquum, vel fauorabile reo, contra iustitiam.

Quæres 6. An aliqua mercede, vel pretio, consilium dari possit in Congregatione Sancti Officij?

12 ℟. Omnino gratis exibendum est ex Simancha *de catholic. instit. cap.* 41. *num.* 13. Carena *par.* 1. *tit.* 8. *numer.* 2. ordinatur enim ad bonum spirituale totius reipublicæ Christianæ, & conseruationem fidei Catholicæ, ad quæ quilibet fidelis gratis tenetur. Quod si aliquis prætium reciperet, reus esse peccati mortalis, putans sibi licere pretio facere, quod gratis exhibere tenetur, faciens iniuriam fidei catholicæ, quam gratis propugnare debet. Nec obstat, quod consilium vendi potest *ex cap. Non licet* 69. 11. *q.* 3. quia aduocatus, & iurisperitus non tenetur gratis consulere. Quia sermo est in causis forensibus, & temporalibus. Demum non esset simoniacus qui ali-
13 quid reciperet, quia venditur merè temporale, quod est consilium datum, Bonac. de Simoniâ *quæst.* 4. §. 10.
14 *n.* 6. *&* 7.

Quæres 7. An vota Consultorum sint decisiua?

15 ℟. Est communis sententia, quod non sunt decisiua, sed tantum consultiua, quia contulit ex officio non definit; ex quo sequitur, Iudices non teneri eorum sensum sequi, ita Pegna *par.* 3. *comm.* 127. Bariola *ver. vota Consultorum in Aphoris.* Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 38. ex illis Carena *par.* 1. *tit.* 8. *n.* 51. Nihilominus quando Consultores ferè omnes conueniunt in eamdem sententiam, congruum non est, neque expedit iudicibus amplecti contrariam sententiam, quia in tali casu videtur melior opinio illorum, quam iudicum, nam illa sententia est melior, quæ pluribus auctoritatibus, & rationibus corroboratur, *cap. Qui recedit dist.* 4. *de pænit.* Deinde iudex non debet recedere ab opinione peritorum, §. *Responsa*
16 *prudentum, Instit. de iure natur.* Præterea in iudicando non est recedendum à communi opinione, Bart. cum aliis, *in l.* 2. *C. de pœnis iud. qui male iud.* Felin. Dec. & alij *c.* 1. *de constit.*

Quæres 8. An non obstante, quod vota Consultorum sunt tantum consultoria, teneatur nihilominus petere illorum consilia, an verò valeat sententiare iudex illis irrequisitis?

17 ℟. Inquisitor consilium petere tenetur *ex cit. cap. Vt commissi* 12. *de hæret. in* 6. *& cap. fin. eod.* omissum tamen non infringit iudicis sententiam,
18 quia quandocumque iam habenti iurisdictionem præcipitur aliquid agendum cum alterius consilio, in hoc casu consilium adiectum non habet rationem formæ substantialis, sed per id tantum admonetur iudex, vt alterius consilio vtatur, ne sine illo malè se gerat, & iniquè contra proximum, vnde sonat in monitionem, non in conditionem, Canonistæ cum Glosa *ver. Reperierint Clem. de off. deleg.* Silu. *ver. consilium* 2. *&* 5. Nauar. *cap.* 27. *numer.* 37. §. *Dixi, & consil.* 3. *de statu mon. numer.* 37. & Glosa, *ver. Nullatenus Clem. de sequestr.* dicit actum non vitiari, quando omittitur forma à iure præscripta habenti iam potestatem, Rodr. *tom.* 2. *quæst.* 35. *art.* 2. Angel. *ver. consilium numer.* 3. Constat autem, eam consilij formam ab Inquisitoribus, & Episcopis exigendam à 19
iure eisdem præscribi, iam potestatem habentibus, ex citatis iuribus, ergo prætermissis consiliis, acta per ipsos gesta valent. Ita docet Diana *par.* 4. *tr.* 7. *resolut. fin.* §. *Verum*, ex Carena *par.* 1. *tit.* 8. *numer.* 55. contra Palaum.

Quæres 9. In quibus casibus hi doctores consulere debent Inquisitoribus?

℟. Inquisitores regulariter finito processu solent 20
Consultoribus mittere copiam breuem, & summarium continentem substantiam totius processus, quærentes resolutionem dubiorum, quæ solent emergere, nimirum an testes plenè probent, an torquendus sit reus negans prauam intentionem, qualis sit propositio prolata ab illo, an sit vehementer, vel leuiter de hæresi suspectus, an absoluendus, an condemnandus, & quibus pœnis, &c. Nomina vera, & propria testium, atque reorum non exprimuntur in copia, sed aliorum nomina confinguntur, nihilominus narrantur eorum qualitates, sintne bonæ, an malæ famæ, laici, an Ecclesiastici, &c. Quandoque conuocantur ad concludendum, an aliqua insignis persona sit carceribus mancipanda, item an reus sit torquendus ad eruendam veritatem ex eius ore.

Quæres 10. Quo ordine vota exprimuntur per Consultores in Congregatione?

℟. Hic Parmæ proferuntur secundum ordinem 21
antianitatis, à prouectioribus enim iuniores ediscunt modum respondendi, & incogruum non est, licet impolitum, illud axioma. *A boue maiori discit arare minor.* Facit illud *Eccles. capite.* 32. *numer.* 5. *Loquere maior natu, dicet enim te primum verbum diligenti scientia, vt non impedias musicum*; vnde Præpos. *in cap. Episcopos dist.* 17. & ex eo Catalogus gloriæ mundi *par.* 1. *consid.* 19. dicunt, digniorem dare primum votum. Ita seruatur in meo ordine tam in votis mortuis, quam viuis, vt initium capiatur à maioribus descendendo ad minores gradatim. Carena *par.* 1. *tit.* 8. *numer.* 45. testatur sic seruari etiam Cremonæ. Aliorum collegiorum placita, & vsus refert.

Quæres 11. Qua ratione, quoue modo vnusquisque consultor suum exprimat in Congregatione votum?

℟. Exponat suam sententiam certò, & absolutè 22
cum vna ad minus ratione illam corroborando, paucis se expediendo, casum non exaggerando, ne aliis sit tædiosus. Dixi, *certo*, quia à Consultoribus quæritur determinatio rei peragendæ, super qua dubitatur, quomodo sit expedienda, ex consultatione enim res dubia deliberatur, & ad vnum determinatur, vnde bene dixit Arist. 3. Æth. allegatus à Nau. *comment.* 1. *de regul. numer.* 7. quod non est multum in certis consulendum, sed in dubiis, super quæ est deliberandum, iudex enim certa iudicare debet, *cap. Si quis* 9. §. *Incerta* 30. *quæst.* 5. Huiusmodi autem sententia absolutè proferenda est, & non ex placito aliorum, neque iudicio alterius proprium votum remittendum est, id totum colligitur *ex capite* 2. *de elect. in* 6. vbi sicuti vota conditionalia, alternatiua, & incerta reprobantur in electionibus, ita & in consultationibus, cum in vtrisque quoad hoc par sit ratio, nam ex pluribus propositis etiam in his, sicut in electionibus, assumitur vnum per iudicem ex determinatis per consultores. Allegare vnum, vel alterum doctorem non est necessarium, est verò vtile ad corroborandum propriam sententiam.

Quæres 12. An ad qualificandas propositiones concurrant soli consultores Theologi?

℟. Spectat ad solos Theologos vna cum Inquisi- 23
tore

tore quia de iure tantum Theologi censentur periti in hac materia, de qua tantum in Theologia tractatur, Legistæ autem non sunt huius professionis, ideo neque id muneris ipsorum est. Vide allegatos à Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 84. Carena *par.* 1. *tit.* 8. *numer.* 35. In aliquibus locis similes difficultates proponuntur in plena congregatione; & Iurisconsulti quandoque etiam periti in Theologia suum sensum aperiunt, & approbatur, quando apertè non dissentiant à sententia Theologorum, quibus in hoc se submittunt; sicut & Theologi sequuntur opinionem Legistarum, quando tangitur aliquod dubium merè legale, ita quod omnes promiscue respondent, siuè casus sit merè Theologicus, siuè legalis, nam electi consultores habent libros de vtraque materia tractantes, & facile difficultates perceptas resoluere possunt. Ita practicatur hic Parmæ in nostris Congregationibus. De qualificatione propositionum dicam infra.

Quæres 13. An, & quomodo consultores teneantur seruare secretum ab Inquisitoribus indictum?

24 ℟. Inquisitores *ex cap. fin.* §. *Et vt eorum hæret. in* 6. possunt indicere omnibus officialibus suis secretum super negotiis Sancti Officij, & hoc præstatur, dum quis primo Congregationem ingreditur, aliquando sub pœna excommunicationis ipso iure, interdum hoc iuratur cum indictione periurij pœnæ, quas pœnas sibi Inquisitor reseruat. Per hoc tamen consultores non prohibentur inter se tractare de meritis causæ sibi propositæ ad dicendum, non possunt tamen extraneis manifestare vota, siuè fauorabilia, siuè aduersa rei, cum ex huiusmodi reuelatione exurgere possint rixæ, & alia inconuenientia Lucerna *Inquisit. ver. Inquisit. numer.* 21. Zanard. in summa *c.* 6. *de Inquisit. c.* 42. Carena *par.* 1. *tit.* 8. *n.* 60. *ad* 65. Post sententiam cessat obligatio, quia res non amplius secreta est.

Quæres 14. Quomodo Consultores præcedere habent in sedendo, & consulendo?

25 ℟. In nostra Congregatione attenditur ordo antianitatis de iure vulgati axiomatis? *Qui prior est tempore prior est iure*, æquum enim est, vt ille præponatur aliis, & magis honoretur, qui plus, & diutius pro Sancto Officio laborauit. Itaque nullus attenditur ordo dignitatis etiamsi Abbas, vel Episcopus in-
26 grederetur vt consultor, quia ex approbata consuetudine, quæ multum spectatur in hac materia præcedentiæ ex doctoribus allegatis à Carena *par.* 1. *tit.* 8. *n.* 15. attenditur tantum tempus ingressus, reiecta quauis qualitate, & dignitate. Theologi autem ad dextram in ordine, Legistæ verò seu Canonistæ ad sinistram in suo ordine, & quandoque laici præcedunt canonicos, quia prius ingressi sunt. Carena præcitatus dicit *numer.* 13. Romæ consultores præcedere inter se eo modo, quo solent præcedere extra Congregationem Sanctæ Inquisitionis ex Gratiano *discept. for. tom.* 5. *cap.* 845. per totum præsertim, *numer.* 45. Hoc mirum non est, quia omnes sunt prælati, quorum labor pro Ecclesia Dei sicut incœpit à prælatura, ita consentaneum est, vt ab eadem initium capiat præcedentia; in aliis autem Congregationibus, vt plurimum, pauci sunt prælati ideo eorum labor remuneratur respectiue ad ingressum, & non ante. Ridiculum autem est, quod quis sedeat apud iudicem, & vltimo respondeat, vel quod vltimo loco sedeat, & primo respondeat, cum vnum alteri proportionandum sit. De Præcedentia habeo excussum opus in script. *Theatrum Præcedentis*.

Quæres 15. An consultores ad petendam sententiam vocandi sint?

27 ℟. Sic, *ex capite Vt commissi*, 12. *de hæret. in* 6. Pegna *par.* 3. *comment.* 40. Carena *par.* 3. *tit.* 11. *num.* 13.

Quæres 16. An Consultores possint deferre arma?

℟. Sic Pegna *par.* 3. *comm.* 105 Ecclesiasticis autem potius conuenit illis non vti, quia dedecet eorum 28
statum, quorum arma sunt Breuiarium, & Missale, aliiue libri ad studendum. Vide *capite* 40. *num.* 24.

Quæres 17. An Canonici Consultores, dum actu sunt in Congregatione, lucrentur distributiones, quæ dantur solis interessentibus?

℟. Affirmatiuè ex declaratione Eminent. sub die 2. Ianuar. 1614. & die 17. Ianuar. 1619. Id refert Ca- 29
rena *par.* 1. *tit.* 8. extremis verbis. Ratio est, quia si distributiones debentur clerico absenti pro euidenti vtilitate Ecclesiæ, *c. Vn. de cler. non resid. in* 6. à fortiori absenti pro necessitate catholicæ fidei tuendæ in destructionem hæresum.

Quæres 18. A quonam puniendus sit Religiosus officialis Inquisitoris, vti consultor, Reuisor librorum &c.

℟. Delinquens in officio, quod habet ab Inquisitore ab hoc punitur! si vero extra officium, puniendus 30
est à suo superiore Ordinario, vnde percutiens alium religiosum, seu secularem à superiore suo regulari punitur, non ab Inquisitore.

Primum probatur, quia religiosus per illud officium honorificum fit subditus inquisitori, & eximitur à suo superiore ordinario, vt in similis de Parocho, qui ratione Officij parrochiali subditur Episcopo, *cap.* 1. *cap. Rer. exemptionem* 9. *de priuileg. in* 6. ergo si delinquat in suo officio accepto ab inquisitore punietur ab eodem. Confirmatur. *Tum quia*, quis sit de foro alterius ratione delicti in re, in qua ab alio dependet, *cap. fin. de foro compet.* ergo religiosus delinquens in officio in quo dependet ab inquisitore puniendus est. *Tum quia* qui abutitur priuilegio, meretur eo priuari, & pœnam subire, cap. vbi 7. dicit 74. cap. priuilegium 63. 11. q. 3.

Secundum probatur. *Tum quia*, in regularibus obseruantiis est subiectus suo superiori, cui promittit ta- 31
lem vitam, à qua non eximitur ex eo quod ab inquisitore honoratus fuit eo officio; sicut nec eximitur factus parochus ab episcopo, cum vtrique inseruire possit, absque alterius præiudicio; ergo in hoc omnino subiicitur correctioni superioris sui naturalis cui perpetuò promisit obedientiam ex voto. *Tum quia*, si ex eo, quod religiosus est electus Consultor S. Officij, eximeretur quoad punitionem à superiore suo & fieret de foro inquisitoris, sequeretur, quod omnino posset se eximere ab obedientia, & subiectione sui superioris in eo quod nullatenus teneretur ei obedire, quia subiectio quoad punitionem maior est, quam subiectio obseruandi regularem disciplinam, ergo respectu illius est subiectus Inquisitori, etiam respectu huius argumenti à maiori ad minus, & hoc argumentum videtur efficax, quia punitio relationem habet ad transgressionem omnium obseruantiarum regularium, super quas ratione violationis earum haberet ius inquisitor in casu quo si posset exempli gratia indicare de homicidio facto à religioso officiali suo, à fortiori iudicium ferre posset de aliis delictis quibuslibet inferioribus, & sic absorbere, & trahere ad se omnem iurisdictionem, quam habet superior. *Tum quia*, esset amplior potior, & potentior iurisdictio inquisitoris super religiosum consultorem, quam superioris sui, quod est absurdum nam potior & efficacior est potestas ordinaria, naturalis, & ex voto obedientis originem trahens perpetuo existens in superiore suo naturali, & essentiali, quam in Inquisitore cui fit religiosus subditus secundum quid, & accidentaliter, ad tempus, sine

aliqua

aliqua singulari obligatione, nam inquisitori dicere potest, gratias tibi ago domine pater Inquisitor de tanto honore cum paruo onere, renuncio officio, nolo amplius seruire, quod facere non potest respectu sui superioris, à quo se nullatenus eximere potest. *Tum quia*, Inquisitor regularis est magis subiectus suo superiori regulari, quam ipse Consultor proprio superiori suo, si Inquisitor tam amplam habet iurisdictionem super suos Consultores, & id probatur infra *sub cap.* 40. *numer.* 44. ergo ne sequatur hoc inconueniens, dicendum est. Inquisitoris Iurisdictionem pro, vel contra consultores religiosos restringi in causis officij tantum, & non vltra.

Dices omnes familiares Inquisitores sunt de foro officij S. Inquisitionis respectu omnium, & quarumcumque causarum, & ab eo solo debent iudicari in omnibus causis tum criminalibus tum ciuilibus, tam in fauorabilibus, quã in odiosis. Ita quãplures citati ab Aurelio Augustino Sorzanensi in suo concilio rescripto *ad Barbosa l.* 1. *de iure Ecclesc.* 39. §. 4. *n.* 25. *& seq.*

℞. Quidquid sit de illorum opinione, quam ægre ferunt iudices ecclesiastici & laici difficultatem habere respectu religiosorum, qui non possunt eximi ab obedientia, & iurisdictione suorum superiorum, quibus sunt subiecti ex voto obedientiæ, ideo ratio non dictat, vt possint eximi & esse subiecti inquisitoribus, quibus obligantur voluntarie tantum.

Dices ex supradictis, Inquisitorem posse punire suum familiarem etiam religiosum abutentem armis, vnde percutiens, vulnerans, seu occidens non solum alium officialem, sed etiam non officialem ab Inquisitore, non à Superiore regulari castigandus est, quia abusus fuit armis, nam illis abuti est adhibere ad finem diuersum ab eo propter quem conceduntur; inquisitores enim arma concedunt suis familiaribus ad capiendum hæreticos, & alios de hæresi suspectos, & ad defendendum ipsum Inquisitorem, ne ab inimicis offendatur dum suum exercet officium, ex clem. Volentes 2. §. porro, de hæret. si ergo Consultor, & quilibet alius occidit aliquem, abutitur armis, quia per eam occisionem non defendat fidem nec Inquisitorem, ergo vt abusor armorum puniendus est ab Inquisitore. Et id confirmatur, quia abusor priuilegij punitur à priuilegiante, hic enim melius aliis cognoscit abusum sui priuilegij, Hæc & alia *Carena par.* 1. *tit.* 14. §. 4.

℞. Abusus armorum puniendus ab Inquisitoribus, de quo Clement. citata his verbis: *Porro Inquisitoribus districtius inhibemus, vt nec abutantur quomodolibet concessione portationis armorum, nec officiales nisi sibi necessarios habeant, tales qui se conferant ad sua cum Inquisitoribus ipsa officia exequenda.* Talis esse debet, qualis esse potest in ipso Inquisitore, malus ergo vsus
32 armorum Inquisitoris dat cognoscere abusum armorum in suis officialibus; Sed abusus armorum ex parte Inquisitoris consistit, quando armis male vtitur in causis fidei, dum scilicet percutit eum hæreticum, quem sine læsione potest tradere in carcere, vel dum vulnerat, aut occidit fugientem reum, quem capere debebat per suos familiares, si poterat, aliter abutitur armis, quæ illi conceduntur ad defensionem fidei & sui ipsius, non ad offensionem aliorum, qui capi debent sine sanguinis effusione, vt idem contingit etiam in aliis foris. Ita pari ratione abusus armorũ per familiares intelligi debet in malo scilicet modo vtendi armis in causis fidei, & pro causis fidei, abusus enim proprie specificatur à proprio fine, proper quem arma conceduntur, dũ armatus finé consequitur modo indebito. Non nego, illum abuti quoque armis, qui offendit proximũ sibi inimicum extra causam fidei, ac proinde vtitur armis ad alium finem diuersum ab eo propter quem conceduntur; tamen cum talis abusus ab alia causa, quam à causa fidei originem trahat, nimirum ex simplici inimicitia, quæ non refertur ad rationem officij, ideo talis abusus nõ afficit ipsum officialem vt officialis est, sed vt talis persona priuata præscindendo à ratione officij, & à causa fidei; Officialis, & Consultor, qui talis non vulnerat, non occidit, sed quatenus rixam habet, vel inimicitiam cum altero, nec ex eo, quod arma gestat ex priuilegio, percutit, quia adhuc percussisset armis, quam propria facultate siue etiam vsurpata non existens officialis detulisset. Quis dicet abusum armorum in officiali, qui numquam vsus fuit priuilegio defendendi arma, si casu aliquo altercans, pugione arrepto à femore altercantis occidat. Nemo certe, quia non potest diei armis abuti, qui illa numquam gestauit licet casu occiderit alienis armis; Adde quod finis armorum est potius offendere, quam defendere, cum ipsa offensio obtineatur offensione. Officialis, ergo quantoque se defendet offendendo alium, & interdum simpliciter offendit, factum est talis naturæ in seipso in quocumque siue in officiali, siue in priuato, & non officiali. Per accidens ergo est, quod officialis percutiat, sicut per accidens est, quod musicus ædificet. Quoniam autem consideranda sunt, quæ per se sunt, & non quæ per accidens, cum non habeant necessariam connexionem cum facto, sicut ea quæ sunt per se, nam causa ordinaria, assentitur, non ea, quæ venit per accidens, l. Si quis nec causam 4. ff. si certum petat. Parum refert, quod occidens sit officialis, quando non occidit ratione officij, hæc enim est causa per se, quod officialis vt talis hoc est in causa fidei, & ex causa fidei occidat male, & ex abusu armorum, quæ à iure concessa fuerunt Inquisitoribus, & per istos familiaribus, vt bene vterentur in suis officiis, nihil considerando eorum, quæ accidere possunt extra causam per se, cum accidentalem causam iam non cõteplentur. Episcopus quamuis magnam habeat potestatem super religiosum parochum, quem ideò corrigere & punire potest, si abutatur suo officio curæ animarum, tamen si percutiat, ceu occidat quemquam, ab Episcopo non punitur, quia Limitatam habet suam iurisdictionem in causa tantum parochiali, & ex causa parochiali, quæ est causa per se respiciens parochum quatenus parochus est, sub qua ratione non dicitur vulnerare, nec percutere, quamuis occideret propriam ouem. Vnde cum excessus proueniat per accidens ex officio, non potest ab Episcopo cognosci, nec puniri, quia ex causa per accidens iudex nullum ius aperit super subditum talem secundum quid. Applica proportionaliter Inquisitori, ambo enim in multis æquiparantur, & referuntur ad personam exemptam, & secundum quid subiectam ratione talis officij.

Confirmantur prædicta, quia si Inquisitor vtitur familia armata hoc est Birrnariis principis, abusus armorum non cognoscitur ab Inquisitore nisi præcisè in casu hæresis, & in causa hæresis, si Birrnarius excessit in suo officio, non vero si abusus fuit armis, v.g. occidendo suum inimicum, in hoc enim casu non fuit abusus armis Inquisitoris, sed sui Principis, ideo ab huius ministris puniendus est, quia offendit officium principis, non Inquisitoris. Pariter religiosus in similibus casibus non offendit officium Inquisitoris, sed sui superioris immediati, à quo, & à regula sua habet inhibitionem abusus armorum, ergo in huiusmodi excessibus subditur suo superiori, à cuius Regula, & constitutionibus prohibentur.

Quæres 10. Quænam sunt priuilegia Consultorum?

Resp.

Resp. Sunt sequentia. *Primo*, Lucrantur indulgentiam trium annorum, quandocumque consilium dant, seu assistant abiurationi *ex Bulla 16. Alexandri IV. in B. Nouo, & apud Directorium, fol. 30.* vbi Inquisitori conceditur plenaria. Item Vrbanus IV. *in eodem directo. fol. 119. §. Sociis.* vbi si moriuntur in prosecutione sui officij in causa S.Officij lucrantur in articulo mortis indulgentiam plenariam. *Masinius ait fol. 11. in suo Arsenali*, quod consultores, & aliis acquirunt indulgentiam plenariam in quolibet actu spectante ad causas fidei ex Concilio literanensi sub Innocentio III. & Paulo V. ex eius Breui dato 29. Iulij 1611. *Secundò*, in iis quæ spectant ad sanctum officium exempti sunt à superioribus suis, in eo, quod non possunt impediri, quin possint accedere ad Congregationem, vel abiurationem, quæ fiunt pro reis, & similibus. Nec remoueri possunt à conuentu ad conuentum, quando Inquisitot indiget eorum officio. Verum quidem est, quod Inquisitor debet annuere superiori dum ex causa religiosum vult transferre de loco ad locum, quia superior in hoc non debet esse deterioris conditionis suo subdito, qui sicut sponte seruit, & sponte recedere potest, quia Consultoris officium est beneficium honorificum, quod sicut non confertur in inuitum, ita neque inuitus exercetur à beneficiato. cui renuntiare potest pro suo libito, regulariter loquendo, ita conueniens, & rationabile est, vt superior ex causa remouere illum possit à loco ad locum. *Tertiò*, possunt impune deferre arma, quia Inquisitor habet priuilegium armatæ familiæ, Clem. Nolentes, §. Porro de hæret. Ioannes XXII. Bulla incip. *Exigit ordinis vestri*, ad calcem Direct. fol. 63. illis verbis. *Quare volumus, & discretioni vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus quatenus neminem familiarem, nisi eiusdem Ecclesiæ fidelem, ac deuotum, & laudabilis conuersationis, & vitæ habere quomodolibet præsumatis, nec aliquibus de cætero extra familiam vestram, quam vobiscum habetis continuè, nisi forsan illis, qui eundo de terra ad terram, vel etiam redeundo vobiscum, & in casibus aliis, in quibus in vobis pro securitate vestra forsitan expediret alicui deferendi arma per dictam ciuitatem, & districtum ense, licentiã concedatis.* Quamuis hic non fiat mentio de Consultoribus, & aliis officialibus, qui immediatã sancto officio de armis non inseruiunt, sed tantum de iis, qui comitantur Inquisitorem pro aliquo negotio S. Inquisitionis, nihilominus Doctores delationem armorum extendunt etiam ad Consultores, qui sunt *Pegna par. 3. Direct. Comment. 105. §. Bursus. Barbosa l. 1. de iure Ecclesc. 39. §. 4. n. 28.*

Sed cur Inquisitor habet armatã familiã. Ea est ratio, quia cum habeat iurisdictionẽ contentiosam fori externi in causis fidei, ad eius executionẽ indiges talibus ministris, qui armati ad eius carceres possint hæreticos, & alios de hæresi suspectos, id enim præstare non potest per hos ministros nisi arma deferant incutiendum timorem reis, & ad se defendendos contra eosdem reos & ad defendendum ipsum Inquisitorem, ne malè tractetur ab huiusmodi hominibus. Quibus sic stantibus non video causam legitimam in Consultoribus deferendi arma, quia non associant Inquisitorem ad capiendum reos, neque enim hoc eorum est officium, sed tantum consulere, quid legitimè faciendum sit per iudices in executione causarum. Priuilegium armorum vrgebat multum ante publicationem Bullæ: *Si de protegendis* Pij V. modo ita necessarium non videtur, nisi ipsis captoribus, & aliis, qui quandoque foras exeunt contra hæreticos, seu de hæresi suspectos, cæteris non videtur reuera Suffragari, nec facere ad rem, maximè Ecclesiasticis quorum statum dedecet ferre arma ad pompam, maximè religiosis.

Quartò Consultores in actu consulentes, & assistentes abiurationi, seu aliter occupati in officio hoc lucrantur distributiones vt probaui Supra *quæst. 17.*

CAPVT XXXIX.

De Vicariis S. Officij

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores Creant sibi Vicarios Generales.*
2 *Quas conditiones debeant habere.*
3 *Potestatem tantam habent quantam illis dat Inquisitor.*
4 *Vicarius institutus à Papa maior Vicario Episcopi.*
5 *Non creatus ab Inquisitore.*
6 *Cuius morte non expirat.*
7 *In Vicarios assumi possunt clerici, & religiosi.*
8 *Qui non possunt remoueri à suis superioribus.*
9 *Vicarij foranei quales esse possint.*
10 *Vicarius Episcopi procedit in causis fidei.*
11 *Item Capitularis.*
12 *Abbates magni sunt iudices in causis fidei.*
23 Instruttione per pigliare le denontie, & essamimare testimonij nelle cause spettanti all'Offitio della Santa Inquisitione da osseruasi dalli Vicarij Foranei.

QVATVOR species Vicariorum spectare possumus in causis Sancti Officij, sub prima continentur Vicarij Generales instituti ab ipso, Inquisitore; sub secunda alij Vicarij non Generales tum in ciuitate, tum extra, qui vocantur foranei. Sub tertia continentur Vicarij Generales Episcoporum. Sub quarta, demum comprehenduntur Vicarij Capituli Sede Vacante. De singulis aliquid agendum pro instituto nostro. 1

Quæres 1. An Inquisitores possunt sibi substituere, & eligere Vicarios Generales, communicando eis omnem suam facultatem.

℞. Affirmatiuè, ex Bullis Pij II. incip. *Cum dudum*, Clem. VII. incip. *Cum sicut*, & apertè colligitur *ex Clem. 2. de hæret.* iuncta Glos. *ver. ipsorum.* Ita docent omnes apud Farinac. *quæst. 186. numer. 29.* Diana *par. 4. tract. 8. resolut. 18.* Carena *par. 2. tit. 7. numer. 3.* Et ex his tollitur difficultas, qua videbatur, illos non posse delegare huiusmodi Vicariis vniuersitatem causarum, non obstante, quod Inquisitores sint delegati Principis, hoc est Papæ, à quo instituuntur, qui est Princeps principum, cum super omnibus sit ex probatis, *capite 5. quæst. 42. & 43.* ac proinde possint subdelegare *ex cap. Super quæstionum 27. §. Si verò, de off. deleg. capite Cum causam 62. ad finem, de appell.* quod intelligitur, illos posse delegare vnum, vel alterum articulum exponentes ita doctores iura cum Bart. *in l. More maior, ff. de iurisd. om. iud.* Inde supradicti Summi Pontifices suis Bullis difficultatem remouerunt, ita quod amplius dubitandum non sit. Per hoc tamen non intelligitur concessa facultas huiusmodi Vicariis subdelegandi, nisi exprimatur in eorum literis patentibus, & hoc in casu aliquo occurrenti committendo tunc nudum ministerium; nec contrariũ videntur velle Eymer. *par 3. q. 13. & 15.* Pegna ibid. *comm. 62. & 74.* Molina *tr. 5. de iust. disp. 28. n. 8.* ex illis Sousa *lib. 1. cap. 1. n. 10.*

Quæres

Quæres 2. Cuius ætatis, & qualitatis debeat esse eligendus in Vicarium?

2 ℞. Debet attingere annum trigesimum, qui sit vir literatus, fidei zelator, idoneus, & probus, in terminis Bullæ supracitatæ Clem. VII. extensæ *in Directorio Inquisit.* Ita Farin. *quæst.* 86 *numer.* 52. Carena *par.* 1. *tit.* 7. *numer.* 4. Potest ergo Inquisitor eligere aliquem virum Ecclesiasticum literatum bonæ famæ, siuè clericum siuè religiosum in Vicarium Generalem, non solum intra ciuitatem, vbi moratur, sed etiam extra, immo debet, propter suam absentiam, & maximè in aliis ciuitatibus sub eius iurisdictione, & castris, atque cæteris locis insignibus. Quod procedit, non obstante, quod in ciuitate adsit Episcopus, Abbas, aut Vicarius Episcopalis, cum absolutè Inquisitoribus hæc facultas committitur, ac proindè tam vbi manent, quam extra ius habent instituendi, & creandi Commissarios, & Vicarios S. Officij?

Quæres 3. Quam potestatem habeant isti Vicarij Generales ab Inquisitoribus instituti?

3 ℞. Non datur certa regula, cum pendeat ab eorum arbitrio à ratione tamen regulato. Quare tantam habent Vicarij facultatem, quantam illis exprimunt Inquisitores in literis patentibus. Grauiores causas, vbi agitur de formali hæretico, de relapsis, de homicidio ex Bulla: *Si de protegendis, &c.* prudentes Inquisitores sibi reseruare solent.

Quæres 4. An huiusmodi Vicarij Generales instituti præcisè ab Inquisitoribus extra Vrbem sint maiores Vicariis Generalibus Episcoporum, ac proindè præcedant illis?

4 ℞. Vicarius Generalis Inquisitoris electus à supremo tribunali præcedit Vicarium Episcopi in negotiis Sancti Officij, quia electus à maiori præfertur electo minori, & inferiori, ex Cardin. Butrio, & Anchar. *in cap. Per tuas de maior.* Menoch. *l.* 2. *consil.* 126. *numer.* 34. Natta *consil.* 637. *numer.* 14. & 41. Gratian. *cap.* 845. *numer.* 34. aliis allegatis Catalog. ambitionis mundi *par.* 10. *consid.* 31. in terminis Carena *par.* 1. *tit.* 7. *numer.* 10. vbi dicit, & bene Vicarium Generalem Episcopi præcedere Vicarium Generalem electum ab Inquisitore, quod pro-

5 bo. Tum quia habens iurisdictionem ordinariam præfertur habenti iurisdictionem delegatã, cum enim illa sit perfectior, amplior; & fauorabilior, debet præualere delegatæ; nec obstat, quod Vicarius eligatur ab Inquisitore ex facultate sibi concessa à Papa, quasi ex hoc dicatur maior Vicario Episcopali ex illis verbis. *Vnde in illa causa superior est, & maior. cap. Sanè* 11. *de off. deleg.* Siquidem respondeo, hoc procedere, quando electio est immediatè à Principe, non autem mediatè, nam Vicarius non gerit vices, nec repræsentat Papam, aut supremum tribunal, sed tantum suum Inquisitorem, cuius vices gerit. Tum quia, locum tenens maioris præfertur tenenti locum minoris *ex cap. fin. dist.* 93. sed Vicarius tenet locum Episcopi, qui est maior Inquisitore, vt patebit sequenti capite, cuius locum tenet Vicarius suus, ergo huic ille præfertur. Tum quia, ex maiori administratione arguitur maior dignitas, & honor, Host. *in summa de Maior. numer.* 1. Gemin. *in cap.* 1. *de consuet. in* 6. Decius *consi.* 91. fine; maior autem est administratio Vicarij Episcopalis Vicario Inquisitionis, cum ille procedat in quibuscumque causis extra officium quoque Inquisitionis, ad quod tantum limitatur facultas Vicarii Inquisitoris, ergo illi habet cedere. Tum quia quando concurrunt duæ rationes, præualet habens duas habenti tantum vnam, *cap.* 1. *de tregua, l. Re coniuncti, ff. de leg.* 3. sed Vicarius est in causis Episcopalibus, atque etiam Sancti Officij, ergo præualet. Ita colligitur ex allegatis per Farin. *quæst.* 186. *numer.* 91. Carenam *par.* 1. *tit.* 7. *n.* 10. Sed hodie hæc quæstio de præcedentia Vicarij Episcopi, & Vicarij Inquisitoris vana est, quia nullus Vicarius eligitur ab Inquisitoribus, sed solum à Sacra Congregatione supremæ, & vniuersalis Inquisitionis.

Nota autem, quod Vicarij præfecti in locum præmortui, vel amoti ab officio Inquisitoris, per modum prouisionis non esse præferendos Vicariis Episcopalibus, ex eo, quod non sunt permanentes sicut Varij Episcopales. Confirmatur, quia naturaliter proueniens anteponitur ei, quod venit casu, & per accidens *l. Qui habet ff. de tutel.* Et ille præfertur, qui habet aliquid per essentiam alteri, qui solum habet incidenter, & per accidens, & allatis à Penoto *lib.* 2. *Hist. Canon. Regul. c.* 71. *n.* 3.

Quæres 5. An morte Inquisitoris expirent eius Vicarij?

℞. Vicarij Generales Inquisitorum, siuè à supremò tribunali confirmentur, in quo casu nullum esset dubium, quia eorum potestas per confirmationem illorum perpetuatur *ex dictis præced. cap. quæst.* 1. Carena *par.* 1. *tit.* 7. *numer.* 16. siuè non durant post mortem Inquisitoris donec reuocentur, quod probo, quia Vicarius electus à iure durat post mortem sui superioris ex allatis à *doct. in cap.* 1. *de off. Vicar. in* 6. *Clem. Ne in agro, de statu mon.* Nauar. *consil.* 12. *de elect.* quia potius à iure, quam ab homine recipit potestatem, & in hoc Vicarij Generales Inquisitorum comparantur illis, de quibus Nauar. præsertim cum quotidie casus occurrere possint, quibus est de necessitate remedium applicandum. 6

Quæres 6. Cuiusnam status debeant esse huiusmodi Vicarij, an sui ordinis, vel alterius?

℞. In eius est arbitrio, quia in præfatis Bullis non exprimitur, quod assumantur ex eodem ordine, in quo sunt Inquisitores, sed quod eligant *viros scientia probos prouiduos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis annum trigesimum attigerint.* Quare poterunt eligere, vel clericos seculares, vel regulares alterius ordinis, quamuis in loco adsint sui ordinis periti, & idonei ad id munus. 7

Quæres 7. An sic electi remoueri possint religiosi à suis superioribus regularibus ex causa scandali, aut beneficij propriorum conuentuum?

℞. Non possunt remoueri inconsulto Inquisitore, vel supremo tribunali, quia superiores regulares super religiosum destinatum officialem Sanctæ Inquisitionis ius non habent in iis, quæ concernunt hoc munus, vt illud libere, & absque vllo impedimento exercere possint. Ita Carena *par.* 1. *tit.* 7. *numer.* 13. qui refellit Zanardum asserentem, superiore declarante huiusmodi officiales, quos sine scandalo non possunt retinere, non amplius esse de suo conuentu, sed remittendos esse ad originales conuentus, cessare in illis officium. Id falsum est, quia nullum ius super ipsos habent, cum illos non instituerint in officio; & etiam ipsi superiores regulares subsint Inquisitoribus in causis fidei; præterquamquod quid responderet Zanardus de originariis, quo essent tunc mittendi? 8

Quæres 8. Quid dicendum de aliis Vicariis vti foraneis ab Inquisitore constitutis?

℞. Vicarij Foranei in qualitatibus non debent esse minoris conditionis, sed viri docti, boni exempli, zelatores fidei, quibus Inquisitores solent committere solum informationes ex parte processus offensiui, referendo semper quidquid agunt Inquisitori. Non possunt carcerare, nisi in casu hæresis, aut alterius grauis, quando probabiliter timetur fuga. Nullam ex hoc prærogatiuam acquirunt in præcedentiis, & honoribus. 9

noribus. Instituendi sunt paucis, & in locis maioribus diœcesis, vti in castris, & locis frequentibus multum distantibus à ciuitate, Castris, & Vide Carenam *par.* 1. *tit.* 11. de his.

Quæres 9. An Vicarius Generalis Episcopi procedat in causis hæresis contra delinquentes, licet de hoc specialiter nulla fiat mentio in suis literis?

10 ℞. Affirmatiuè, quia in *Clem.* 11. *de hæret.* §. 1. vbi de modo procedendi in causis fidei seruando per Episcopum, & Inquisitorem diuisim, siuè coniunctim, fit mentio de Vicario eius Generali sub nomine officiali, quo venit Generalis, *ex Clem.* 2. *de rescr.* ibi Glosa, Sbrozius *lib.* 1. *q.* 2. *num.* 10. Confirmatur, quia in diuersis Bullis modernis fit mentio Episcopi. Et ex ex his tolluntur omnes difficultates, quas afferunt doctores apud Carenam *par.* 1. *tit.* 6. *per totum.* Quare in hoc casu non est inspicienda facultas illius, an in ea exprimatur hic specialis casus, sed tantum in eo, quod auferret illi hanc facultatem, quod esset in terminis exprimendum in literis patentibus.

Quæres 10. An similiter Vicarius Capitularis Sede vacante sit iudex in causis fidei?

11 ℞. Affirmatiuè. Tum excitata *Clem.* 1. *de hæret.* Tum quia, capitulum Sede vacante succedit in omnem iurisdictionem Episcopo competentem iure ordinario, de communi doctorum, quos allegat Barbosa *par.* 3. *de Episc. allegat.* 36. *num.* 10. Ita Farin. *q.* 186. *num.* 177. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resol.* 33. Carena *par.* 1. *tit.* 6. *n.* 10. vbi *n.* 13. ait procedere minime respectu exemptorum, quia Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo quo ad iurisdictionem delegatam. Sed id non placet quid dicat Diana *par.* 4. *tr.* 8. *resolut.* 33. & quia Quar. *ver. capitulum Sede vacante num.* 1. probat *Capitulo competere iurisdictionem delegatam Episcopo.* Et quia modo in causis fidei exempti nihil differunt à non exemptis, ita quod pari iure procedatur contra vtrosque ex Bullis allatis *sub cap.* 17.

Quæres 11. An magni Abbates exempti, & nullius iudicare possint in causis hæresis?

℞. Possunt, si sub se habent populos tam seculares, quam clericos, quia isti habent iura Episcopalia, & possunt erga suos quo ad iurisdictionem quidquid potest Episcopus in sua diœcesi. Ita ex Molina, & Castro Palao Carena *par.* 1. *tit.* 6. *num.* 16. 12

BREVE COMPENDIO ET INSTRVTTIONE per pigliare le denontie, & essaminare testimonij nelle cause spettanti all'Officio della Santa Inquisitione.

Da osserua si dalli M. RR. Vicarij Foranei del medemo S. Officio, estratto dal Sacro Arsenale del Masini.

Et compilato dal Molto R. P. Fr. Pietro Martire Ricciardi d'Aqua Negra dell'Ordine de' Predicatori Maestro di Sacra Theologia, & Inquisitore Generale di Cremona, & sua Diocesi, à beneficio, & vtilità de' detti Vicarj Foranei.

Indulgenze, e gratie, che acquistano gli Vicarij, & Notari del Santo Officio.

SE durante il loro Officio di Vicario, ò Notario dell'Inquisitione auuiene, che dalla presente faccino all'altra vita passaggio acquistano Indulgenza Plenaria, e remissione di tuti li lor peccati, de quali però siano contriti, e Confessati; Ogni volta, che in fauore della Santa Fede fanno qualche attione pertinente al S. Officio acquistano tre anni di Indulgenza; la quale ottengono parimente tutti quelli, che denontiano alcun Heretico, ò diffamato, ò sospetto di heresia, ò rendono testimonianza nel Sant'Officio in causa di Fede, ò danno agiuto, conseglio, e fauore per impugnare, & espugnare gl'heretici, e fautori, ricettatori, e diffensori di essi, è tuto ciò si vede chiaro, & manifesto rispettiuamente nelle Bolle de Sommi Pontefici Vrbano IV. Gregorio IX. Clemente IV. Allesandro IV. Clement. VII. & Pio V.

Molte, & molte altre grande, e notabili Indulgenze anche plenarie acquistano gli sopradetti Vicarij, & Notari della Santa Inquisitione, come appare per il Breue della Santità di Papa Paulo V. sotto li 29. di Luglio 1611.

Contra à quai persone proceda il S. Officio.

SI come cinque generalmente sono i casi, & i delitti appartenenti à questo Santo Tribunale, cioè. Primò, l'Heresia formale, & la sospitione d'essa. Secondò, la fautoria de gli Heretici, e sospetti d'heresia. Terzo, la Necromantia, maleficij, stregarie, & incanti. Quartò, la bestemmia hereticale. Quintò, l'offesa, & la resistenza al Sant Officio: Così contro cinque sorti di persone procede il Sant'Officio.

1. *Contro gli heretici, & sospetti d'heresia.*
2. *Contro i fautori loro.*
3. *Contro i Maghi, & Malefici, & Incantatori.*
4. *Contro i Bestemmiatori.*
5. *Contro quelli, che s'oppongono ad esso Santo Officio, e suoi officiali.*

Et accioche meglio siano distinte, e conosciute tai persone, dichiareremo con essempi, quali siano.

Degli Heretici.

Heretici sono quelli, che dicono, insegnano, predicano, o scriuano cose contro la Sacra scrittura.

Contro gli articoli della Santa Fede.

Contro i Santissimi Sacramenti, ceremonie, e riti, ouero vso d'essi.

Contro i Decreti de' Santi Concilij, e determinationi fatte da' Sommi Pontefici.

Contro la suprema autorità del Sommo Pontefice.

Contro le Traditioni Apostoliche.

Contro il Purgatorio,& Indulgenze.

Quelli, che rinegano la Santa Fede. facendosi Turchi, ò Hebrei, ò d'altre Sette, e lodano le loro osseruanze,& viuono conforme ad esse.

De' sospetti d'Heresia.

Sospetti d'heresia sono quelli, i quali dicono alle volte in materia di Fede certe propositioni, le quali offendono l'orecchie de gli vditori, e non le dichiarono.

Quelli, che se bene non dicono parole, fanno però fatti hereticali, come abusare i Santissimi Sacramenti, & in particolare l'Hostia consagrata, & Santo Battesimo, battezando cose inanimate, come calamita, carta vergine, imagini, faue, candele, & altre simili.

Quelli, che abusano cose Sacramentali, come Oglio santo, Cresima, parole della consacratione del corpo, e sangue di N. S. acqua benetta, candele benedette, &c.

Quelli, che dileggiano, feriscano, spezzano, imbrattano, o percuotono la Santa Croce,& altre imagini sacre.

Quelli, che tengono, scriuano, leggono, o danno ad altri à leggere libri prohibiti nell'Indice, e negli altri Editti particolari.

Quelli, che notabilmente s'allontanano dal viuer commune de' Catholici, come in non confessarsi, e communicarsi vna volta l'anno, in mangiare cibi prohibiti senza necessità ne' giorni determinati dalla Santa Madre Chiesa, in non andar mai alla Messa, e simili.

Quelli, che non essendo Sacerdoti ardiscono di celebrar la Messa, & ascoltar le confessioni de' penitenti, che perciò in caso, venga loro per gratia, dopo d'essere stati processati, e legitimamente conuinti o confessi, perdonata la pena ordinaria, o spontaneamente compaiano nel S. Officio, deono in ogni modo, negando la mala credulità, abiurare come sospetti d'heresia.

Quelli, che essendo Sacerdoti celebrano senza consecrare.

Quelli, che sagrilegamente presumono di reiterare i santi Sacramenti del Battesimo, Confirmatione, & Ordine.

Quelli, che hauendo moglie riceuano gli ordini sacri, o congiunti con vna ne prendano vn'altra.

Quelli, che essendo constituiti in detti ordini sacri, o con legamini di religione astretti ad osseruar castità pigliano moglie.

Quelli, che ascoltano, etiandio vna volta sola, le prediche, de gli heretici.

Quelli, che citati, e chiamati à risponder de Fede, non vogliono vbbidire, o concumacemente si assentano, ne fra il termine competente, giuridicamente loro assegnato, si curano di comparire.

Quelli, che essendo in qualsiuoglia modo scommunicati per causa di Fede non si curano di sodisfare al S. Tribunale anche prima che passi l'anno.

Quelli, che per familiarità, e conuersatione hauuto con heretici notorij, e manifesti, saranno stati diffamati per heretici.

Quelli, che visitano, accompagnano e con doni, e presenti honorano gli heritici, & impediscono la lor punitione.

Quelli, che in causa di Fede hauranno giudicialmente negato quello, che prima haueuano affermato, o pur detto la bugia,& anco spergiurato.

De Fautori degli Heretici.

Fautori de gli heretici sono quelli, i quali difendano, fauoriscono, e danno aiuto a quelli, contro de' quali procede il S. Officio.

Quelli, quali sapendo, alcuno esser heretico, o fuggitiuo dalle forze del S. Officio, o citato, l'allogiano, o nascondono, lo consigliano, o gli danno qualsiuoglia altro aiuto, acciò non venga nelle mani del S. Officio.

Quelli, che aiutano i carcerati à fuggire, o rompere le carceri, dando loro qualsiuoglia instromento.

Quelli, che senza licenza parlano co' carcerati, ò li consigliano, od instruiscono a tacere la verità, o gli scriuono.

Quelli, che com fatti, o comparole minaccieuoli impediscono i ministri del S. Officio nell'essecutioni commesse, come di citare, o carcerare, o punire alcun delinquente.

Quelli, che scientemente porgono consiglio, aiuto, o fauore a' soprodetti impeditori del S. Officio

Quelli, in quali trafficano con heretici, mandando loro robbe, denari, lettere, e simili, o riceuendone da essi.

Quelli, i quali subornano i testimonij à tacere il vero contro alcuno nel S. Officio.

Quelli, i quali nascondono, rubano, abbruciano processi, o altro scritture pertinenti al S. Officio.

Quelli, i quali conoscendo heretici, o sospetti, come di sopra, non gli depongono al S. Officio.

De' Maghi, Streghe, Incantatori, e simili.

Perche simili sorti di persone abbondano in molti luoghi d'Italia, & anche fuori, tanto più conuiene esser diligente, e perciò s'ha da sapere, che a questo capo si riducono tutti quelli, c'hanno fatto patto, o implicitamente, o esplicitamente, o per altri col Demonio.

Quelli, che tengono costretti (com'essi pretendono) Demonij, in annella specchi, medaglie, ampolle, o altre cose.

Quelli, che se gli sono dati in anima,& in corpo, apostatando dalla S. Fede Catholica, che hanno giurato de' esser suoi, o che hanno fatto scritto, anco col proprio sangue.

Quelli, che vanno al ballo, o (come si suol dire) in striozzo,

Quelli, che maleficiano creature ragioneuoli, o irragioneuoli, sacrificandole al Demonio.

Quelli, che adorano, o esplicitamente, o implicitamente, offerendoli sale, pane, allume, o altre cose.

Quelli, che l'inuocano, domandandogli gratie, inginocchiandosi, accendendo candele, o altri lumi, chiamandolo Angelo Santo Angelo bianco, Angelo negro, e parole simili, seruendosi in ciò di persone vergini: o fanno l'incanto, cinque detti pongono al muro, & altri simili.

Quelli, che gli domandano cose, ch'egli non può fare, come sforzare la volontà humana, o sapere cose future dipendenti dal nostro libero arbitrio.

Quelli, che in questi atti diabolici si seruono di cose sacre, come Sacramenti, o forma, e materia loro, e cose Sacramentali, e benedette, e di parole della diuina scrittura.

Quelli, che mettono sopra Altari, doue s'hà a celebrare, faue, carta vergine, calamita, o altre cose accioche sopra d'esse si celebri empiamente la Santa Messa.

Quelli, che tengono, scriuono, o dicono orationi non approuate, anzi riprouate dalla santa Chiesa, le quali sono delle maniere infrascritte, cioè.

Quelle, che si recitano per farsi amare d'amore disonesto, come sono l'orationi di S. Daniele, di S. Marta, e di Sant' Elena.

Quelle, che si dicono per sapere cose future, occulte, come la già detta, Angelo Santo, Angelo bianco, &c. e quella, Dolce Vergine, e simili.

Quelle, che comengono nomi incogniti ne si sà il loro significato, con caratteri, circoli, triangoli, &c. quali si portano adosso, o per farsi voler bene, o per essere sicuri dall'armi de' nemici, o per non confessare il vero ne' tormenti.

Sotto

Sotto questo capo si cōtengono ancora quelli, che tengono scritture di Necromantia, e fanno incanti, & essercitano astrologia giudiciaria nelle attioni pendenti dalla libera volontà.

Quelli, che fanno (come si dice) martelli, o mettono al fuoco pignattini per dar passione, e per impedir l'atto matrimoniale.

Quelli, che gettano le faue, si misurano il braccio con spanne, fanno andare attorno i sedazzi, leuano la pedica, guardano, o si fanno guardare sù le mani per sapere cose future, o passate, & altri simili sortilegij.

De' Bestimiatori.

Quantunque ogni bestemmie sia degno degna punitione, con tutto ciò il S. Officio non procede se non contro coloro, i quali proferiscono bestemie hæreticali, e sono quelli, che dicono parole, le quali contradicono à quelle verità, che si contengono ne gli articoli della santa Fede, e quanto più abbondano i delinquenti in questi tempi, tanto più deono esser vigilanti i Giudici. E per dare alcune regole per cognoscere, quali bestēmie siano hereticali, e quali nò, dee auuertirsi, che si chiamano bestemmiatori hereticali.

Quelli, che negano i titoli dati à Dio nel Simbolo, come l'onnipotenza sua, dicendo, al dispetto, &c. D. potlrone, Io farò tal cosa, ancor che Dio non voglia. Tu m'hai fatto tutto il male, che hai potuto, e simili; la giustitia, dicendo D. traditore D. partiale, o partegiano. la prouidenza, dicendo, che Dio non s'imppaccia di queste cose basse, o equiualenti parole; la bontà dandoli nomi d'infamia, con dire putana di D. o simili.

Quelli, che dicono parole contro la perpetua verginità della Beatissima Madre di Dio, come puttana N.D. o contro la maternità sua santa.

Quelli, che dicono parole contro la S. Chiesa, e Santissimi Sacramenti d'essa, come riniego il Battesimo; Riniego la Fede, &c. e contro la gloria de Santi canonizati.

Di quelli, che s'oppongono al Santo Officio, e l'offendono.

Molti di questi tali sono compresi sotto il capo de' Fautori, e per hora si nominano questi per essempio di tutti gli altri, contro de' quali hassi à procedere, cioè.

Quelli, che offendono le persone del S. Officio, cioè Inquisitori, Vicarij, Consultori, Fiscali, Notari, Custodi, & altri essecutori mandati dal Superiore, siasi l'offesa, o nella vita, o nella robba, o nella fama, o qualsiuoglia altro modo, o pur anco li minnacciano.

Quelli, che offendono, o fanno offendere i denontiatori, e testimonij essaminati nel S. Officio, o con percosse, o con ingiurie, o con minaccie.

Quelli, che rubano scritture, o libri, o qual si uoglia altra cosa del S. Officio.

Quelli, che fanno in pezzi gli Editti del S. Officio acciò non siano litti; ouero gli leuano dal luogo, doue sono stati affissi.

Degli Hebrei, & altri Infideli.

Benche i Giudei, gl' Idolatri, i Maometani, e gl' Infedeli d'altre sette, non soggiacciano ordinariamente al giudicio della santa Inquisitione, in molti casi non dimeno, i quali sono anche expressi nelle Bolle de Somi Pontefici, possono essere dal S. Officio castigati.

I Giudei, se negassero quelle cose della Fede, le quali à noi Christiani, & à loro sono communi, come, Iddio esser vno, eterno, omnipotente, creatore dell'vniuerso, & altre simili.

Se inuocassero, o consultassero i Demonij, o facero loro sacrificij, suffumigij, orationi, & ossequio, per qual si voglia fine: e in segnassero, & inducessero altri a far tai cosè.

Se empiamente dicessero, che il Saluator Nostro Giesù Christo fosse stato huomo puro, e non Dio, e peccatore, e che la sua Santissima Madre non fosse stata Vergine, & altre simili bestemmie.

Se inducessero in qual si voglia modo alcun Christiano a rinegare la Santa Fede.

Se impedissero alcun hebreo, o altro infedele, che si volesse far Christiano, o lo consigli assero, o inducessero a non farsi.

Se facessero fuggire Neofiti, o in ciò progressero alcuno aiuto, o fauore.

Se tenessero, occultassero, o diuulgassero libri Talmudici, & altri libri giudaici dannati, o prohibiti; e similmente libri prohibiti a' Christiani, o scritture magiche, & altri libri, o scritti contenenti, o tacitamente, o espressamente, heresie, o errori cōtro la sacra Scrittura del vecchio testamēto, o contumelie, impietà, e bestēmie contro Dio, la Santissima Trinità, il Saluator nostro la Christiana Fede, la Beatissima Vergine Maria gli Angeli, Patriarchi, Profeti, Apostoli, & altri Santi di Dio, contro la Santissima Croce, i Sacramenti della nuoua Legge, le Sacre Imagini, e la Santa Catholica Chiesa, la Sedia Apostolica, contro i fedeli, specialmente Vescoui, Sacerdoti, & altre persone Ecclesiastiche, o contro i Neofiti, che nuouamente sono conuertiti alla Santa Fede, o che contenessero narrationi impudiche, & obscene.

Se beffassero i Christianese per disprezzo della passione di N.S. nella Settimana Santa, e specialmente nel Venerdi Santo, o in altro tempo crucifigessero agnelli, pecore, o altra cosa.

Se tenessero nudrici, o balie Christiane.

E similmente sono soggeti al Santo Officio in tutte le cose contenute sotto i capi de' Fautori d'heretici, de' maghi, & incantatori, e degli offensori del Sant' Officio.

Gli altri infedeli ancora possono esser castigati dal S. Officio por li medesimi delitti rispettiuamente.

Del modo di formare i processi, & essaminare i testimonij.

Due modi di formare i processi.

QVando l'Vicario haurà auuiso, essere ne luoghi della sua giurisdittione alcuno, il qual sia incorso in qualcheduno de' sopranominati delitti, o altri, che però appartengano al S. Officio, subito sarà obligato per l'officio, che tiene, a farne giuridico processo in iscritto: e perche potrà sapere, & hauere cognitione del delitto, e delinquente, o per mezo del deponente, & accusante, o per fama publica: però nell'vno, e nell'altro modo gli sia lecito incominciare il processo: e per chiarezza qui si mostrerà di fare l'vno, e l'altro.

Primo modo di fare il processo per via de denontia.

Il primo modo, nel quale si forma il processo nel S. Officio, si chiama per via di denontia (tralasciando quel modo, che per via d'accusa, si perche rare volte accore, si anco perche è quasi il medesimo, ehe questo via di denontia) & è quādo viene alcuna persona a denotiarne vn' altra, che habbia cōmesso qualche delitto spettāte al Sant' Officio de i sopranominati, o altro, come d'hauer tenuta qualche heresia, fatto qualche incanto, o proferito bestēmie hereticali, e dice che cio sà, cioè denontia per isgrauio della propria coscienza, per zelo della santa Fede, per non cadere in scommunica,

scommunica, o perche il suo R. Confessore pli l'ha imposto: non isponendosi a voler prouare il delitto, che depone, ne essere attore, o parte cōtro del denontiato. E questo e il più commune, e più vsitato modo, che s'osserua nelle cause della Inquisitione.

Quando adunque verrà alcuno per deponere, subito, senza differire in altro tempo la denontia, s'ascolterà, e se il caso e pertinente al Sant'Officio, chiamato il Notaro specialmente instituito dall'Inquisitore, e si farà il giuramento al comparente di dir'l vero facendolo toccare gli Euangelij con le sue mani, da poi se gli farà vn'ammonitione paterna, che sia auuertito a dire solamente il vero, imperoche facendo altrimenti offenderebbe Iddio, il prossimo, e se stesso, e peccarebbe mortalmente, ne potrebbe esser'assoluto mai fin a tanto, che non tornasse a riuocare tutto quello, che hauesse detto falsamente, oltre che incoreria in molte alte pene temporali grauissime.

Di poi si scriuerà il nome, cognome, patria, padre, essercitio, età & habitatione del comparente, alla presenza di chi comparisce, il luogo, anno, mese, e giorno, quando comparirà, che gli è dato il giuramento, e che egli comparue spontaneamente, e si cominciarà il processo in questo modo, o in simile.

Die Mensis Anni.

Comparuit personaliter sponte coram M.R.D.N. Vicario N. sedente in aula N. in meique Notarij, &c.

N. de filius N. nobilis, *ouero*, exercens artem, &c. *e si descriua l'arte, ch'essercita*, habitans in loco N. ætatis annorum, &c. pro vt dixit, & ex aspectu apparebat, qui petiit audiri pro exoneratione propriæ conscientiæ, & ei data facultate, ac iuramento de veritate dicenda, quod præstitit, tactis litteris sacris, &c. deposuit, vt infra.

E quì se gli farà spiegare tutto il fatto, facendolo notare in iscritto al Notaro.

Hauuta la depositione, principalmente si cercarà di sapere, se egli è testimonio de visu *del delitto, o* de auditu, *e se ha contesti, i quali possano confermare questo suo detto, o se almeno sà, che altri possano dare informatione di questo, specificandoli vno per vno, ponendo iscritto i nomi, cognomi, case, allogiamenti, e conditioni de' testimonij, che nominarà.*

Se gli farà esprimere l'occasione per la quale è stato presente a quel delitto, il luogo, doue fu fatto le parole precise, che furono dette, il giorno, e l'hora, se è possibile, & il numero delle volte, che fu fatto, e tutte quelle cose, che porta seco il delitto denontiato.

Se gli farà anco dire il nome, cognome, padre, patria, essercitio, habitatione, & età del Reo denontiato, e si farà descriuere la persona di lui, cioè, di che statura, effigie, barba, &c. egli sia.

Auuertendo a far constare in processo le negatiue, che dirà, come saria, Non mi ricordo, con che occasione dicesse le tali parole. Non sò, in che luogo fosse precisamente. Non mi ricordo il giorno; ma fu circa al tal tempo, sò, ch'era di Verno, e simil modo.

E di più farà sempre scriuere tutto quelle, che domanida al testimonio, si che auanti alla risposta preceda in iscritto l'interrogatione, nella quale sia posto tutto quel che si ricerca: come se vorra sapere, in che giorno N. bestemmiò non farà.

Interrogat. Respondit. *Il tale disse quelle bestemmie, Ma prima farà.*

Interrog. Quo die præcisè dictus denuntiatus protulerit blasphemiam, &c. *E ciò si dourà parimente osseruare negli essami de' Rei.*

Quando poi sarà finito l'essame, e che non restera altro da interrogare, se gli faranno gl'interrogatorij generali, come appresso.

Interrog. Super generalibus. An ea, quæ dixi, odio, vel amore ductus deposuerit, aut ob exonerandam conscientiam, & Dei honorem, & gloriam. *Resp. &c.*

Interrog. An habeat aliquam inimicitiam, vel odium, aut litem, vel antea habuerit cum dicto N. per eum denuntiato. *Resp. &c.*

Interrog. An confiteatur, & communicet quolibet anno, saltem in Paschate. *Resp. &c.*

Di poi, se vorrà il denontiante, gli si rileggerà l'essame anco alla presenza di due testimonij timorati, e secreti (se così sarà giudicato expediente) nella quale rilettione potrà il testimonio accommodare, dichiarare, o aggiungere quello, che vorrà, e tutto ciò si dourà notare nel fine in questo modo.

E dum de mandato M.R.D.N. Vicarij & ad instantiam ipsius Testis legeretur sibi eius depositio, dixit. *Auuertite, &c. E si scriua tutto ciò, che dirà, o per aggiungere, o per isminuire, o per dichiaratione. Ma non volendo aggiungere, o sminuire cosa alcuna, se gli comonderà sotto pena espressa, o arbitraria, e sotto il medesimo giuramento, che non parli con arcuno di questa sua depositione, o essame. E poi il Notaro terminerà la depositione in questo modo, cioè,*

Quibus habitis, & acceptatis in parte, & partibus fauorabilibus, &c. dimissus fuit, imposito sibi silentio super prædictis sub iuramento, & in fidem se subscripsit. *E se saprà scriuere, se gli farà scriuere il suo nome così.*

Io N. de N. confermo quanto di sopra si contiene.

Ma se non saprà scriuere, il Notaro in vece di quelle parole, & in fidem se subscriptis, *scriuerà in questo modo.* Et cum (pro vt dixit) nesciret scribere, pro confirmatione supradictorum apposuit signum Crucis. *E se gli farà fare effettiuamente vnà Croce con la penna così* †

Actum per me N. de N. Notarium S. Officij, anno, die, loco, & coram, vt supra. *E se vi saranno stati presenti testimonij, aggiungerà* presentibus pro testibus vocat is, &c. N. de N. & N. de N.

E questa è la forma, che ordinariamente si potrà osseruare nelle denontie, che saranno date da persone conosciute.

Ma se per sorte venisse qualche straniero, e persona incognita a deporre si potrà cominciare il processo in questa, simigliante maniera.

Die Mensis Anni.

Comparauit personaliter sponte coram M.R.D.N. Vicario, &c. in meique, &c. Homo quidam staturæ, &c. habens barbam, &c. indutus toga, &c. aut vestimento coloris, &c *e si descriua diligentemente, l'effigie, habito, e forma del comparente,* qui petiit audiri pro exoneratione propriæ conscientiæ, & data sibi facultate, & iuramento in forma consueta super veritate dicenda, & per eum suscepto, tactis sacris literis, &c. fuit per præfatum Admod. M.R.D.N. Vicarium.

Interrog. De nomine cognomine, patre, patria, ætate, exercitio & habitatione ipsius comparentis, & ad quid venerit ad S. Officium, *Resp. &c.*

E scritta la risposta, si seguiteranno le interrogationi come di sopra.

Si suole anche tal volta senza dare il giuramento nel principio far notare la spontanea comparitione in quella forma, cha s'è detto, e dopo che il denontiante haurà raccontato tutto il fatto, e sarà registrato nel processo, soggiungerà il Notaro.

Quibus omnibus acceptatis in parte, & partibus fauorabilibus, &c. datum fuit iuramentum dicto comparenti de veritate dicenda tam super præmissis,

missis, quam super his, de quibus interrogabitur infra, quod præstitit, tactis sacris litteris, &c.

Interrog. An ea, quæ dixi, & modo scripta fuerint, vera sint, & illa pro veritate confirmet. *Resp. &c.*

E poi si seguiteranno, l'opportune, e necessarie interrogationi, come di sopra s'è accennato.

Riceuuta la rinontia, parti del Giudice saranno, auanti che si prendano l'altre informationi, diligentemente auuertire, e maturamente considerare la qualità, natura, costumi, e conditioni del denontiatore, con le circostanze non pur della persona di lui, ma d'ogn'altro particolare ancora compreso nella denontia, accioche senza causa non si generi ad alcuno odiosa molestia, e graue danno.

Secondo modo di formare il processo per via d'Inquisitione.

Il secondo modo, nel quale si può formare il processo, è per via d'Inquisitione; & è quando non v'è alcuno accusatore, o denontiatore, che venga à far saper nel S. Officio il delitto, ma corre fama, e voce publica in qualche Città, o Terra, o luogo, che alcuna persona hà fatto, o detto alcuna cosa contro la Santa Fede, e tal voce, e fama viene all'orecchie dell'Inquisitore, e massime per via di persone graui, honorate, e zelanti della Fede; & in tal caso, non precedendo denontia, ne accusa alcuna, ma solo per publica fama venendo a notitia del S. Officio, che sia stato commesso alcun delitto, dourà esso Inquisitore per debito dell'officio suo formane inquisitione particolare, & cominciar il processo nel seguente, o altro simigliante modo cioè.

Die Mensis Anni

Cum peruenisset ad aures M. R. D. N. Vicarij, &c. publica quadam fama deferente, quòd N. de N. dixit, vel fecit talia contra Fidem Catholicam, *e si scriua quello, che s'hà per fama contro di lui, come*, quod dixerit, Non esse Purgatorium, vel tales, & tales blasphemias, cum scandalo, & admiratione multorum protulerit. Attendens præf. M. R. D. N. Vicario, quod iniurias Creatoris tolerare valde impium est, & illas maximè, quæ, vltra Dei offensam, vergunt, vel vergere possunt in S. Fidei Catholicæ opprobrium, & iacturam, voluit ex debito officij iuridicè super his informari, & processit ad examinandum testes, quos à fide dignis accepit, posse aliquem S. Officio informationem dare, locis, & temporibus, vt infra.

E dopo questo principio farà citare i testimonij e si registreranno i citati, la citatione, il giorno, che sarà data, e le relationi del messo in quella forma, che più a basso si dirà opportunamente.

Modo d'essaminare i testimonij de Fisco.

Dopo che il precesso sarà fondato, e cominciato in vna delle dette due maniere, le quali communemente s'vsano nel S. Officio, dourà l'Inquisitore senza alcuno indugio procedere più auanti & essaminare que' testimonij, che o sono nominati dal denontiare, o per relatione particolare sapra poter dare informatione al S. Officio del delitto, e della persona, contro di cui è stato denontiato, o è prouenuto a sua notitia por fama, come di sopra. E però li farà citare, e registrare in processo dal Notaro il giorno della data citatione, & il tenore d'essa, accio che nõ comparendo nel termine statuito, e persisso nella citatione, si possa procedere più oltre contro quel tale, che s'e citato E si auuertirà d'assegnare alla persona, che si cita, tempo commodo per poter comparire, considerata la distanza del luogo, doue stà. Si possono anche far chiamare testimonij senza citatione in iscritto, commettendo solo a qualche essecutore che vada a dir loro da parte dell'Inquisitore, che compariscano auanti di lui, e questo si potrà fare, quando i testimonij sono vicini nella medesima Città, Terra, o luogo, e non v'hà dubbio, che, non debbano vbidire. Si haurà anche non mediocre consideratione, se alcun testimonio fosse persona di grado, o autorità, o nobilità segnalata, di mandare qualche persona particolare, e non essecutore, a chiamarla, e specialmente donne nobili, le quali anche (considerata la qualità loro) potrà l'Inquisitore, o andare, o mandare ad essaminare alle loro case: auertendo di non riceuer mai per iscrittura testimonianza alcuna di qualsiuoglia persona assente, ma operische i testimonij di presenza depongano veramente cio che sanno, & hanno veduto.

Comparsi poi che saranno i testimonij, gli essaminerà nel modo infrascritto, o simigliante, cioè.

Die Mensis Anni.

Examinatus fuit pro informatione S. Officij per M. R. D. N. Vicarium, qui supra, existentem, &c. *si porrà il luogo, doue sarà ad essaminare, o nel S. Officio, o in Chiesa, o in casa di qualche persona*, &c. in meique Notarij, &c.

N. de N. filius N. *ouero, se il padre del citato sarà morto*, quondam N. de loco N. habitans ad præsens in loco N. in domo propria, *ouero*, in domo N. de N. exercens artem, &c. *ouero*, nobilis, ætatis annorum, &c. prout dixit, cui delato iuramento de veritate dicenda, quod præstitit, tactis sacris litteris, & præuiis debitis admonitionibus, Interrog. Resp. vt infra.

Et auanti che si cominci ad essaminare porrà l'Inquisitore ammonirlo a dir il vero per solo honore, e gloria di Dio per debito di coscienza, e per lo giuramento preso. Auuertendolo, che sempre sarà tenuto secreto del S. Officio, & acquisterà merito appresso Dio.

Interrog. An sciat, vel saltem imaginetur causam suę vocationis, & præsentis examinis. *Resp. &c. E si scriua quello, che dirà.*

Se dirà di sapere, ò d'imaginarsi la causa, per la qual è stato chiamato, e dee al presente esser essaminato, gli si faccia questa interrogatione.

Interrog. Quomodo sciuerit, aut quare imaginetur, se huiusmodi de causa fuisse vocatum, & ad præsens fore examinandum. *Resp. &c. Et hauuta la risposta da lui, si soggiunga.*

Et sibi dicto, quòd feriatim dicat, & narret quidquid scit de huiusmodi facto. *Resp. &c.*

Et racontato, ch'egli haurà quello, che sà, per maggior chiarezza si potranni aggiungere quelli interrogationi, che l'Inquisitore giudicherà necessarie per descriuer minutamente il delitto, il delinquente, il cõplici, il luogo doue è fatto il delitto, il tempo preciso quando fu fatto, l'occasione, il numero delle volte, alla presenza di chi, s'egli è testimonio di vista, o d'vdito, la fama del denontiato, e simili circostanze.

Ma se il testimonio dirà di non sapere, e di non imaginarsi la causa; per la quale sia stato chiamato, è debba esser essaminato, gli si facciano queste interrogationi.

Interrog. An cognouerit, vel cognoscat aliquem hæreticum, seu aliquos hæreticos, vel hæresi suspectos, aut hæreticorum fautores, vel incantatores, aut blasphemos hæreticales, seu maleficos, sortilegos, vel non viuentes secundum ritum S. Catholicæ Ecclesiæ. *Resp. &c.*

E si dourà sempre in questa prima interrogatione generale descriuere, o almeno accenare, il genere del delitto,

delitto, intorno al quale esso testimonio douera esse essaminato.

E se risponderà di sì, gli si faccia raccontar il tutto, e si registri puntualmente quanto dirà, aggiungendo le interrogationi opportune intorno alle circostanze come di sopra s'è detto, Ma se risponderà di nò, soggiungasi tal'interrogatione, cioè.

Interr. An cognoscat N. de N. *cioè quello, contro del quale è dato per testimonio*, à quanto tempore citra, & quæ fuerit causa cognitionis: *Resp. &c.*

Si risponderà, dicendo, che lo conosce, & ha sua prattica, si potrà interrogare più interrogare più oltre così.

Interrog. An audierit eundem N. aliquando tractantem aliquid de Fide, aut quouis modo concernens Religionem. *Resp. &c.*

Se dirà di sì, aggiungansi dal Notaro queste parole.

Et sibi dicto, quod narret præcisè & seriosè quidquid à prædicto N. dici audiuit spectans ad Religionem. *Resp. &c.*

E si scriua il tutto minutamente, aggiungendo quelle interrogationi, che saranno necessarie, & opportune.

Ma se risponderà negatiuamente, cioè che non conosce quel tale, e che non ha sua prattica, o, se pur lo conosce, che non l'ha sentita trattare di cose spettanti alla Fede, e pur tuttauia sia dato per testimonio, o conteste; si ammonisca a dire il vero in questa guisa, cioè.

Monitus per Dominum, quod veritatem, liberè dicat, & caueat à mendacio, quia datur in testem in actis S. Officij, quod audiuerit præfatum N. aliquando facientem, *ouero*, proferentem aliqua contra Religionem Catholicam. *Resp. &c.*

Se starà nella medesima negatiua; si discenda vn poco più al particolare con tale interrogatione.

Interr. An vnquam fuerit in tali loco, *e si descriua il luogo, oue si ha notitia, che sia stato commesse il delitto*, cum dicto N. *quando però habbia risposto di sopra, che lo conosca*, & an ibidem dictus N. aliquid dixerit, aut fecerit contra Fidem, ipso teste præsente, audiente, & vidente, &c. *Resp. &c.*

Se dirà di sì, gli si faccia descriuere il tutto.

Se negherà d'essere stato in quel luogo, si ammonisca a dire il vero con simili parole,

Et sibi dicto per D. quomodo audeat hoc negare, cum in S. Officio contrarium habeatur, videlicet, quò in tali loco fuerit cum dicto N. & quod in eius præsentia dictus N. fecerit *ouero*, dixerit talia, *e si descriua il delitto. Resp. &c.*

Se anche stara nella medesima negatiua, si potrà mettere questa per vltima ammonitione.

Iterum monitus per D. quod caueat à mendacio, & liberè veritatem dicat super præmissis; nam si tractu temporis apparebit, ipsum non dixisse veritatem, incidet in pœnam fautorum hæreticorum: immo, nisi veritatem fateatur, iam in excommunicationem incidit, & non potest ab aliquo Confessario absolui. *Resp. &c.*

Se non aggiungerà altro, ma resterà nella sua pertinace negatiua e non s'haurà mezzo di poterlo conuincere, come falso, si lascierà, e rimetterassi il tutto à Dio, il quale è scrutatore de' cuori, & à cui niuna cosa è occulta, o nascosta; e si porrà fine all'essame cosi.

Et cum nihil aliud ab eo haberi posset, dimissus fuit, iniuncto sib silentio sub iuramento, & quod se subscribat, &c.

E si termini l'essame come di sopra, con la sotto scrittione, & rogito del Notaro,

Et auuerta il Giudice di schifar sopra ogni cosa in tutti gli essami il fare interrogatorij soggestiui, per i quali il testimonio s'inducesse ad affermare, od a negare: come sarebbe a dire. Interrog. *Non è egli il vero, che N. bestemmiasse: Sò pure, che sapete voi, che bestiemmiò due volte al dispetto, &c. & altri interrogatorij in simil modo. E ciò dee farsi anche co' Rei.*

Quando per più testimonij degni di fede costa nel S. Officio ciò, che vn testimonio, il qual nega, sia consapeuole del fatto, è ne sia conuinto, o grauemente indiciato; ouero si conosca dalle sue risposte, o implicationi, o titubationi, ch'egli non voglia dire la verità, in tal caso si doura procedere contra esso testimonio, come deponente il falso nel S. Officio, e come fautore d'heretici, o sospetti d'heresia: e si potrà carcerare, ouere costringere a dar sicurtà idonea di presentarsi dauanti all'Inquisitore. Et in questo caso si dirà farne decreto particolare, come si dirà più abasso.

E per dar essempio quando vn testimonio sia indiciato di falsità, o di non voler manifestar il vero, di modo, che contro di lui si possa procedere, poniamo il caso in questo modo.

Se due, o più testimonij confessaranno in giuditio, che Antonio habbia loro detto Pompeo hauere alla presenza di lui negato il Purgatorio & Antonio negherà assolutamente in giuditio di sapere, che Pompeo habbia negato il Purgatorio: all'hora Antonio si chiamerà indiciato, o conuinto, per confessione estra giudiciale, e si duora procedere contro adesso Antonio, perche all'hora sarà sospetto d'essere falso. Similmente se il denontiante dica hauer vdito Pompeo dire, che non v'è il Purgatorio, e nomini per testimonii contesti Alessio, Giouanni, & Andrea, affermando, che tutti questi lo sentirono, perche lo ripresero, o che poterono, e douerono sentirlo, perche ragionauano tutti insieme; se vno de' testimonij nominati, come Alessio, conuenga col denontiante, & dica, che v'erano presenti Giouanni, & Andrea, che ripresero Pompeo, che Giouanni, & Andrea poterono, e douerono vdirlo negare il Purgatorio, perche ragionauano insieme; se Giouanni, & Andrea essaminati negassero hauer vdito Pompeo dire, che non v'e ra il Purgatorio, essi Giouanni, & Andrea sono grauemente indiciati, o conuinti di non voler dire la verità, e si dee procedere contro di loro, come di sopra. Il simile anche si dourà fare quando il testimonio nel suo essame espressamente si contradicesse, ne sapesse rispondere alle oppositioui, o ricusasse di voler testimoniare, & essere essaminato, o in altri casi, doue vi fosse qualche manifesto segno di falsità: o pure citato due, o tre volte, o no volesse comparire.

Et auuertasi, che all'horà saranno compiti gli essami, e le depositioni, quando si sapranno, e saranno registrate in processo le infra scritte cose, cioè.

Il delitto, come heresia, bestemmia, incanto, o altro tale.

Il delinquente, cioè quello, che ha detta l'heresia, bestemmiato, o fatto l'incanto, &c.

I complici, cioè le persone, che tengono le medesime heresie, & hanno di compagnia commesso il delitto, ouero aiutato, consigliato, &c.

Il luogo, doue fù fatto il delitto.

Il tempo preciso, quando fu fatto.

L'occasione, con che fu fatto.

Il numero delle volte, che fù fatto.

Il modo preciso, come fù fatto, e gl'instrumenti, che si sono adoperati, come ne gli incanti, e sortilegij.

Et vltimamente i testimonii, alla presenza de' quali fu fatto.

E perche i testimonii sono di due sorti, alcuni, i quali hanno veduto il delitto, o sentitolo con le propie orecchie, & altri, che l'hanno vdito narrare, i quali communemente si chiamano Testes de visu, & de auditu proprio, & Testes de auditu alieno, *quando nelle depositioni si haueranno questi testimonii* de auditu alieno, *e massime nelle depositioni* ex fama, *quei soli si essamineranno, i quali daranno informatione de' testimonii* de visu, & de auditu proprio, *e poi si essamineranno questi:*

questi: eccette se cio non si facesse per prouare vn'infamia, o voce. Quando anche saranno più testimonij, si comincierà sempre prima ad interrogare quelli, da' quali si spera hauere la verità più facilmente.

E douendosi questo negotio di essaminare i testimonij, come importantissimo, rettamente, e senza alcuna ruggine d'animo esseguire, oprarà l'Inquisitore, che si scriua tutto quello, che diranno i testimonij, o sia contra il Reo, o risulti in suo fauore, ne soffrirà giamai, che à partito alcuno si diuida il detto loro, che dee per ogni maniera esser sempre indiuisibile.

Modo di verificar nel Santo Officio il corpo del delitto, di cui siano rimasi vestigij.

SE alcuno verrà denontiato nel Santo Officio d'hauer (per essempio) ferita, spezzata, gittata à terra, imbrattata, o percossa qualche sacra imagine, diciamo quella della Beatissima Verg. Madre di Dio, essendo il delitto, come dicono, facti permanentis, di cui rimangono ad ogni modo i segnali, dourà il Vicario subitamente visitare il corpo del delitto andandoui egli in persona, se può, o mandandoui il Notaro solo, quando non vi sia il commodo di andar lui: & haurà cura esso Notaro di pigliare in iscritto alla presenza di due testimonij à ciò specialmente chiamati la detta visita, nella quale con somma diligenza, & essattezza descriuerà, & noterà ciò che sarà stato ritrouato. E tale sarà la forma.

Die Mensis Anni

M. R. D. N. Vicarius præfatus, visa denuntiatione, &c. ac maturè consideratis omnibus, & singulis in ea contentis, ne tam graue, immo tam atrox, & enorme facinus delitescat, vtque delinquens, quem dubio procul hæreticum, aut hæretico non dissimilem esse oportet debitis pœnis afficiatur, & iuxta mensuram delicti sit plagarum modus mandauit, ad effectum, vt de corpore delicti constet in actis locum visitari; & exinde debitas sumi, omni mora postposita, informationes, &c.

N. de N. S. Officij Notarius.

Formato il Decreto, come di sopra, si farà la visita, e si registrerà nel processo, come segue.

Die dicta, hora, &c.

Accessum fuit per eundem, per M. R. D. N. Vicarium Sancti Officij N. meque infra scriptum Notarium, cum N. & N. seruis, vel sociis ad locum in denuntiatione designatum, ibique per me eundem Notarium, præsente dicto Mult. Reuerendo D. Vicario, visa, & reperta fuit imago, vel statua Gloriosissimæ Deiparæ Virginis Dominæ Nostræ in via, vel in vico, vel in platea, vel in pariete domus N. atramento aspersa, ac maculata in facie, vel luto, ac cœno deturpata, vel lacerata, vel vulnerata in pectore tribus vulneribus gladio, vel ense, vel pugione, vel archibusio inflictis, vel fracta, vel deformata, vel effossis oculis, vel truncatis manibus, vel amputatis digitis, &c. Et hæc omnia vidi, & annotaui, vt supra, pro veritate, præsentibus Manilio Durante, & Afranio Prisco testibus, &c.

N. de N. S. Officij Notarius.

Ciò fatto hauranno ad essaminarsi al quanti de' vicini sopro lo stato di detta imagine auanti il commesso delitto. E se ne formerà il Decreto in questa maniera.

Quibus visis, atque animaduersis, ne dubitari possit de statu dictæ sacræ imaginis ante factum, seu delictum commissum, D. mandauit, examinari vicinos tanquam verisimiliter informatos de dicta sacra imagine, &c.

N. de N. S. Officij Notarius.

Die Mensis Anni.

Examinatus fuit pro informatione S. Officij, vbi supra, & per ante dictum M. R. D. N. Vicarium, in meique, &c.

N. de N. qui delato sibi, &c. fuit per D.

Interrog. An sciat vel saltem præsumat causam, &c. *Resp. &c.*

Interrog. An habeat notitiam cuiusdam sacræ Imaginis Beatissimæ Virginis sitæ in via, &c.

℞. *Signor si, perche è vicina à casa mia.*

Interrog. An hesterna die viderit dictam sacram imaginem.

℞. *Signor si: anzi la veggo ogni giorno, e bene spesso, anco per diuotione, io passo dauanti à lei.*

Interrog. In quo statu viderit hesterna die dictam sacram imaginem.

℞. *Io vidi hiersera la detta imagine della Madonna Santisima, ch'era bella, monda, pura, e senz'alcuna macchia; ma non l'hò già vista tale questa mattina: perche, &c.*

Quibus habitis, &c. *Si sottoscriua il Notaro.*

Et in questo medesimo modo essaminarassi qualche altro vicino, &c.

Prouato à questa foggia il corpo del delitto, si procederà ad essaminare gli altri testimonij nominati nella denontia. Egli è però d'auuertire, che hauutasi la denontia (come di sopra) contra alcun particolare, c'habbia commesso il già detto, o altro simigliante delitto, se vi sara pericolo nel differir l'essame degli altri testimonij nominati sopra il fatto, o qualche altra causa sorgerà, onde il Giudice possa temere, che il Reo, mentre s'attende à verificare il corpo del delitto, se ne fugga, dourà esso Reo in virtù del detto del denontiatore, che depone di propria scienza, carcerarsi; massimamente se esso denontiatore non haurà eccettione alcuna: e poi, verificato il corpo del delitto, essaminarsi gli altri testimonij.

E se non si haurà notitia alcuna del delinquente, & à gli orecchi del Vicario sarà solamente per relatione di persone zelanti peruenuto, esser seguito il sopradetto delitto, no per ciò mancherà di verificare il corpo d'esso delitto in questa forma.

Die Mensis Anni

Cum ad aures M. R. D. N. Vicarij, &c. peruenisset ex fide dignorum relatione, quemadmodum sacra imago Beatissimæ Virginis sita in loco, vico, via, &c. quæ hæsterna die erat pulcherrima, omnique decorata, nitore, hoc summo mane visa fuit atramento aspersa, &c. non sine totius populi incomparabili scandalo ob Religionis contemptum, atque infidelitatis notabile vestigium, præfatus M. R. D. N. Vicarius, his auditis, ne tantum, & tam graue scelus conniuentibus oculis præteriisse videatur, & vt delinquens omnino inueniatur, &c. mandauit, &c. *E si faranno le medesime diligenze di visitare la detta sacra imagine, con essaminare anco i vicini nel modo, che già è stato detto. E se da' sopradetti essami risultarà oltre à ciò qualche indicio, ò congiettura contro alcuno in particolare, come, per essempio, se Titio restasse indiciato, d'essere stato visto più volte passar dauanti la detta sacra imagine, e con faccia irreuerente, turbata, iraconda, e minaccieuole, e con atti sconci del corpo, e delle mani riguardarla, &c. non tralasciara il Vicario di procedere contro di lui secondo, che gli dettaranno le leggi, e la raggione; attesa ancora la qualità, e conditione della persona del detto Titio, come s'ei fosse conosciuto per publico, e notorio giocatore, e per huomo fiero, bestiale, & iracondo, &c.*

CAPVT XXXX.

De iudicibus contra hæreticos.

SVMMARIVM.

1 *Laicus non potest esse Inquisitor.*
2 *Inquisitionis iudices sunt triplicis generis.*
3 *Episcopus, & Inquisitor sunt paris potestatis.*
4 *In quibus actibus vnitim, aut diuisim procedunt.*
5 *Sententia absolutoria diuisim.*
6 *Sicut, & iudicium sponte comparentis.*
7 *In discordia consulitur Papa.*
8 *Episcopus non procedit contra Inquisitorem, nec contra.*
9 *Episcopus, vt delegatus iudicat regulares.*
10 *Aduena punitur, vbi fecit delictum.*
11 *Forum delicti fortius foro domicilij.*
12 *Inquisitor procedit contra omnes non exceptos.*
13 *Inquisitor durat post mortem Papæ.*
14 *Inconsulto Papa tradit Curiæ Seculari.*
15 *Episcopus non excluditur, sicut laicus in commissis Inquisitori.*
16 *Inquisitor iudex attentatorum.*
17 *Delegat vnum, & alterum articulum.*
18 *Impunitatem permittit non relapso.*
19 *Excommunicantur omittentes procedere.*
20 *Item extorquentes pecuniam.*
21 Extorquere *quid?*
22 *Pecunia propriè nummus est.*
23 Attentare *quid importet?*
24 *Arma deferunt officiales Inquisitoris.*
25 *Remouent officiales solum ex causa.*
26 *Legere nequeunt libros prohibitos.*
27 *Absoluunt minus hæreticos occultos.*
28 *Irregulares non fiunt tradentes Curiæ reos mortis.*
29 *Connexorum iudex est.*
30 *Connexa sunt eiusdem iudicis.*
31 *Consilium dans carcerato punitur.*
32 *Lacerans cedulones censuræ punitur.*
33 *Absoluens hæreticum punitur.*
34 *Iniuriantem se punit.*
35 *Dispensat minus in irregularitate.*
36 *Distributiones percipit.*
37 *Annorum quadraginta sit.*
38 *Attingit qui cœpit intrare primum diem.*
39 *Inquisitor sit graduatus.*
40 *Theologus magis quam iurisconsultus.*
41 *Reuerendissimus est vocandus.*
42 *Episcopus maior Inquisitore.*
43 *Vicario autem maior.*
44 *Quomodo subsunt prælatis regularibus.*
45 *Episcopus vt Vicarius cedit locum Inquisitori.*
46 *Comedentes carnes, & lacticinia puniuntur.*
47 *Priuilegia Inquisitorum.*

1 Extra controuersiam est nullum laicum quamtumuis magnum & superiorem, doctum, & pium in Inquisitorem eligi posse in causis fidei contra hæreticos, quod definitum reperitur in iure *cap. Vt inquisitionis, de hæret. in 6.* vbi determinatur, nullum laicum de hoc crimine aliquo modo posse cognoscere. Quare solum personæ Ecclesiasticæ siue seculares, siue regulares ad id munus assumendæ sunt. Potest nihilominus Summus Pontifex, qui solus habet plenitudinem potestatis causam hanc delegare laicis personis. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres igitur primo, quot sunt genera iudicum contra hæreticos.

℟. Tria sunt genera iudicum in his causis. Sub primo comprehenduntur Eminentissimi Cardinales, qui vocantur supremi, & vniuersales Inquisitores Sanctæ Ecclesiæ Romanæ ius dicentes pro, & contra quoscumque in toto orbe terrarum dispersos, quorum caput est Summus Pontifex, qui solet residere in Congregationibus huius supremi tribunalis instituti primo in modum Congregationis per Paulum III. Bulla incip. *Licet ab initio*, confirmati postea à Sixto V. Bulla incip. *Immensa æterni*, adiectis Commissario, qui est ordinis Prædicatorum, & Assessore Generali, qui est Clericus secularis. Prædictis subduntur reliqui omnes officiales tam in Vrbe, quam extra per vniuersum orbem, vnde causas grauissimas discutiunt, & cum hæreticis formalibus, & pertinacibus soli dispensant, sicut & in infamia ob hæresim contractam, iudicant solicitantes in confessione quod ad traditionem curiæ seculari ex testibus singularibus. 2

Sub secundo, veniunt communi nomine Inquisitores ab illis electi, destinati ad prouincias, & ciuitates per vniuersum orbem, qui in Italia sunt Religiosi Dominicanæ, & Franciscanæ Religionum. Solent vocari Inquisitores Generales, quia sunt destinati in suis locis ad cognoscenda generaliter quæcumque delicta concernentia Sanctum Officium Inquisitionis. Et quamuis sint delegati immediatè à Sede Apostolica, nihilominus eorum potestas ordinaria est ex vniuersitate causarum, ideo diximus præcedente capite illos posse sibi substituere Vicarios non solum in particularibus articulis, sed etiam generaliter, ex eo quod, & sunt delegati à Principe, & quia habent amplissimam potestatem ordinariè sibi competentem.

Sub tertio, genere veniunt Episcopi omnes actu iurisdictionē habentes in suos populos, & hoc ex officio suo, quo illis competit in suis diœcesibus crimina, & delicta quæcumque inquirere, & contra reos repertos procedere, consequenter etiam in delictis hæresis, vel hæresim sapientibus, vt colligitur *ex cap. 1. de off. ordin. & cap. Ad abolendam de hæret.*

Quæres 2. An in causis hæresis maiorem habeat potestatem Episcopus, an Inquisitor?

℟. Pares habent potestatem, ambo enim sunt iudices in omnibus causis spectantibus ad Sanctum Officium, ita quod facultas vni de iure concessa non negatur alteri. Quare *in Clem. 1. de hæret.* Clemens V. ponit quinque casus, super quibus alter sine altero procedere potest, qui sunt citare, capere, mancipare, ponere captum in manicis, vel compedibus ferreis, demum inquirere contra reos. Subiungit alios tres, qui sunt tradere captum duro carceri, tormentare, & sententiare, in his vnus sine altero procedere non potest. Et quod hic dicitur de Episcopo, locum habet etiam in eius Vicario, & capitulari Sede Vacante. De hac materia procedendi simul, vel diuisim latè Farinac. *q. 186. à num. 56.* 3

Quæres 3. In quibus casibus Episcopus sine Inquisitore, & è contra Inquisitor sine Episcopo procedere potest, vel procedere non potest?

℟. Certum est primo in supradictis quinque casibus allatis in præcedenti quæstione, qui sunt citare, capere, carcerare, ponere in compedibus, & inquirere, posse vnum sine altero; tradere verò duro carceri, vel sententiare spectare ad vtrumque simul, *Secundò*, placet opinio asserentium vnum sine altero procedere non posse in sententia definitiua, aliqui tenent oppositum circa sententiam absolutoriam, vide Barbosam ad Clem. I. de hæret. *n. 17. & 18.* Far. *q. 186. n. 60.* Car. *part. 1. tit. 4. n. 10.* *Tertiò*, cum sponte comparentibus potest vnus sine altero procedere ad abiurationem, & sententiam, quia licet sit actus iudicialis non tamen 4

est

est solemnis, & publicus, vt supponitur respectu dispositorum in præcitata Clementina. Vide Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 50. *Quartò*, vnus sine altero procedit, quando absens est, vel requisitus non conuenit cum altero infra octo dies, ex citata Clementina. *Quintò*, vnus sine altero procedit, quando alter illi suas committit vices, vt dicitur ibidem. Vide alia apud Farinac. *q.* 186. *à num.* 56.

Quæres 4. Quid agendum, quando discordant inter se Episcopus, & Inquisitor?

7 ℞. Consulendum est supremum tribunal, *cap. Super hoc* 17. *de hæret. in* 6. quia illis non superest alius superior, quam illud sacrum tribunal. Farin. *q.* 186. *n.* 64.

Quæres 5. An Episcopus procedere possit contra Inquisitorem, & Inquisitor contra Episcopum?

8 ℞. Negatiuè. Tum quia ambo sunt iudices in eadem causa, iudex autem non agit contra iudicem in eadem causa. Tum quia, par non agit in parem. Et colligitur *ex cap.* Inquisitores 16. *de hæret. in* 6. Farinac. *q.* 186. *num.* 124.

Quæres 6. Quo iure Episcopus procedat contra Regulares? ordinatione, an delegato?

9 ℞. Delegato, ad finem, *cap. ad abolendam, de hæret.* quamquam hodie iste modus procedendi videatur tantum speculatiuus, cum omnes Christi fideles etiam Regulares indistinctè subdantur Episcopis, & Inquisitoribus in causis Sancti Officij, ac si essent laici, vel clerici, vt constat *ex dictis cap.* 27.

Quæres 7. An aduena, & viator repertus hic Parmæ domicilium habens Regij puniri possit ab Inquisitore, & Episcopo Parmensibus.

10 ℞. Puniendus est Parmæ, quando Regij alias non erat reus coram illis iudicibus. Probatur. Tum quia, ratione delicti Parmæ commissi fit subditus istis iudicibus, *cap. Licet* 20. *de foro compet.* vbi dicitur, quod quis fit subditus ratione delicti, *& dixi, cap.* 5. *num.* 71. Tum quia, forum sortitum ratione delicti fortius est foro domicilij, vnde & ad illud fit remissio, quando vterque locus sunt sub eadem prouincia, ex adductis per Carenam, *part.* 1. *tit.* 4. *num.* 17. §. *Verum quo ad hoc.* Tum quia, iudices Regij non possunt formare processum contra huiusmodi delinquentem, nisi vocatis testibus Parmensibus, coram quibus commissum fuit delictum, quod tamen efficere nequeunt, quia non possunt citare nisi suos subditos, aut existentes in suo territorio, igitur causæ cognitio spectat ad Iudices Parmenses. Quod si Regiensis reus Inquisitus aufugiat Regium post perpetratum delictum, ad requisitionem Iudicis Parmensis caute remittendus est per iudicem Regiensem, siue clericum, siue laicum, ad quod tenetur de iure communi, vt colligitur *ex cap. Vt commissi* 12. *de hæret. in* 6. Quod idem dicitur si subditus habitationis, seu domicilij post delicti perpetrationem aufugiat, ad requisitionem enim alterius, in cuius territorio reperitur, caute restituendus est, vt possit proprius iudex in causa procedere contra eum.

Quæres 8. An Inquisitores procedant contra omnes, & quoscumque hæreticos, vel de hæresi suspectos.

11 ℞. Vtique *ex cap. Vt commissi* 12. *de hæret. in* 6. quia Papa illis delegat potestatem super omnes, sicuti ipse est dominus, & iudex omnium. Excipe. *Primò*, Papam ipsum, super quo nihil potest, vt notorium est, ipse enim omnes iudicat, & à nemine iudicatur, *cap. Si Papa dist.* 40. *cap. Duo sunt* 10. *dist.* 96. *Secundò* Episcopos ob eorum eminentem dignitatem immediatè in hoc subduntur Papæ, *cap. Inquisitores* 16. *de hæret. in* 6. *Tertiò*, non possunt procedere contra Nuntios, & officiales Sedis Apostolicæ *extr. comm. Cum Matheus de hæret. Quartò*, neque contra Generales ordinum iuxta dicta *cap.* 27. *q.* 28. qui sunt immediatè subiecti Papæ. *Quintò*, neque contra alium Inquisitorem, quia par in parem non habet imperium. Verum quidem est, quod contra prædictos possunt sumere informationem, & illam transmittere ad Sedem Apostolicam. Vide Sousam *lib.* 1. *cap.* 4. Carenam *part.* 1. *tit.* 5. *n.* 73. Dianam *part.* 4. *tr.* 8. *res.* 23. *&* 24.

Quæres 9. An potestas Inquisitoris expiret per mortem Papæ? Ratio dubitandi est, quia delegati iurisdictio expirat morte delegantis, *cap. Licet vndique* 30. *de offic. deleg.*

℞. Non expirat. Tum quia, eius delegatio est 12
successiua, & ad vniuersitatem causarum, quæ quotidie accidere possunt, ergo consequens est, quod officium Inquisitoris sit perpetuum. Tum quia huiusmodi delegatio est gratia facta, cum redundet in magnum honorem delegati, ea autem non expirat morte concedentis, *cap. Relatum, cap. Gratum, ff. de off. deleg. cap. Si super eo, eod. in* 6. Tum quia, ita habetur expressè *cap. Ne aliqui* 10. *de hæret. in* 6. Quod ampliatur, licet delegatio sit facta ad beneplacitum delegantis, & hoc fauore fidei Sousa *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 5.

Quæres 10. An Episcopus, & Inquisitor inconsul- 13
to tribunali supremo reum dignum morte, vel perpetuo carcere condemnare possint.

℞. Affirmatiuè, quia nullibi reperitur illos debe- 14
re tale consilium petere. Confirmatur, quia in Bullis Clem. VIII. de tradendis curiæ seculari non Sacerdotibus celebrantibus, aut absoluentibus; & Gregorij XV. contra Maleficos tradendos curiæ item seculari, aut perpetuo carceri, nulla fit mentio huiusmodi consilij, sed simpliciter Episcopis, & Inquisitoribus præscribuntur tales pœnæ infligendæ per ipsos contra reos illorum delictorum, quod signum est, non requiri S. C. consilium. Quidquid dicat Diana *part.* 4. *tract. resolut.* 121. Sed veri vsus habet quod Inquisitores non relaxant aliquem de iure Brachio seculari relaxando nisi Consulta S. C.

Quæres 11. An quando Papa causam aliquam delegat Inquisitoribus nulla facta mentione Episcoporum, & laicorum iudicum, censeantur exclusi, quamuis olim procederent in ea causa.

℞. Non excluditur Episcopus, vtique verò iudex 15
laicus; primum constat, *ex cap. Per hoc* 17. *de hæret. in* 6. ratio est, quia iurisdictio alicui competens ex officio non aufertur, nisi per expressam derogationem. Secundum probatur, quia illam delegationem causa aliàs mixta fit simpliciter de foro delegati, ac proindè merè Ecclesiastica, de quibus cognoscere non valent laici, *cap. Vt Inquisitionis* 18. *de hæret. in* 6. Et Carena *part.* 2. *tit.* 14. *num.* 38. ex Scaccia *lib.* 1. *de iudic. c.* 12. *num.* 53. dicit, delegata inquisitoribus delegari priuatiuè quo ad iudices laicos.

Quæres 12. An Inquisitor sit iudex competens 16
respectu delicti tantummodo attentati? e. g. Petrus vxoratus contraxit sponsalia cum Paula, querelatus de hoc ante contractum secundum matrimonium viuente adhuc prima, an ab Inquisitore puniri possit.

Affirmaui hanc quæstionem, *cap.* 22. *de abusu Sacramentorum, q.* 39. recurre illuc.

Quæres 13. An Inquisitor possit vnum, vel alterum articulum delegare.

℞. De hac re non est dubitandum, tum quia, est 17
delegatus Principis, qui potest subdelegare, *cap. Super quæstionem, de off. deleg.* Tum quia, potest creare, & eligere sibi Vicarios *ex probatis præced. cap. q.* 1. quod est maius, ergo & subdelegare vnum, vel alterum articulum, quod est minus. Ita Eimer. *in Direct. part.* 3. *q.* 15. Pegna ibidem *comm.* 61. ex illis Diana *part.* 4. *tract.* 18. *resolut.* 8. *&* 29. de examine testium delegabili.

Quæres 14. An Inquisitor promittere possit impunitatem reo, si confiteatur delictum.

Resp.

18 ℞. Potest exceptis relapsis, & quia impunitas in omnibus tribunalibus conceditur; & quia in casu nostro nullibi prohibetur,& quia Inquisitores in remittendis,& temperandis pœnis amplam habent facultatem *ex cap. Vt commissi, de hæret. in 6*. Excepi relapsos, quia *ex cap. Ad abolendam, eod.* isti sine vlla audientia, & remissione puniendi sunt. Ita Cattarius *in sua praxi lib.2.cap.1.num.27*. Barbosa *tom.3.Collectan.l.5. tit. 2. cap. 12. num. 9*. Vide Dianam *part. 4.tract.8. resol.22*.

Quæres 15. Quas pœnas incurrat Inquisitor delinquens in suo officio.

19 ℞. Duæ referuntur excommunicationes in Clementinis prima, & secunda de hæret. Prima excommunicatio sub capite primo est contra Inquisitores,& alios officiales deputatos ad executionem Sancti Officij, qui odio,gratia,amore,lucro, aut aliquo temporali commodo omittunt procedere contra aliquem in causa hæresis;aut propter easdem causas imponunt falso alicui hæresim, vel quod impedierint Sanctum Officium. Si sit Episcopus per triennium incurrit suspensionem ab officio. Excommunicatio reseruatur Papæ.

Dubitatur hic primo quinam dicantur officiales deputati? *Secundò*,quid importent illa verba: *Procedendum super huiusmodi prauitate* an scilicet denotent tantum hæresim formalem, an etiam illius suspicionem? *Tertiò*, an omittens procedere ex timore,vel ad euitandum scandalum, vel graue incommodum excusetur ab excommunicatione? *Quartò*,an omittens bona fide putans non teneri exercere suum officium incurrat? *Quintò*, an incurrat eam censuram, qui omittit procedere hoc mense, si postea suum exequitur munus sequenti mense? *Sextò*,an Birruarij non capientes hæreticum rei sint huius censuræ? *Septimò*, quomodo imponentes rei sint huius censuræ.

Primò, nomine Deputatorum sub illis verbis; *Ac aliis ad dicti exequutionem officij substituendis ab eis*, veniunt Vicarij tam Inquisitorum, quam Episcoporum, & Capituli Sede vacante, Notarij, Cancellarij, Carceratores,& huiusmodi,qui cooperari deberent ad exequutionem huiusmodi officij siue proximè,siue remotè adde Consultores vocati nolentes accedere ad Cõgregationem ne causa expediatur,vel iniquis consiliis eximẽtes reum ne puniatur,per has enim actiones ab ipsis omittitur procedere contra hanc prauitatem.

Secundò, illa clausula comprehendit non solum causam hæresis formalis, sed etiam illius suspicionem, vt colligi potest ex antecedentibus verbis; *Contra suspectos, vel diffamatos de huiusmodi prauitate* cum res sit certa non est immorandum, vnde causa fidei non solum est ipsamet hæresis formalis, sed quæcumque illius suspicio inducta per certa delicta illam de iure inferentia, vt sunt Blasphemia, Poligamia, Solicitatio in Confessione, &c.

Tertiò,probabilis timor,incommodum,& quælibet causa rationabilis, quibus omittitur processio contra huiusmodi prauitatem excusat ab hac censura, quia eam incurrunt tantum illi,qui ex iniusta & irrationabili causa omittunt,vt indicant illa verba;*Contra iustitiam, & conscientiam, præsumpserint*. Ita Glosa ibidem *ver. Obtentu*, & doctores, quos pro se citat Diana *part.4.tract.8.resolut.37*.

Quartò,bona fide omittens procedere non incurrit ob illa verba. *Contra iustitiam, & conscientiam præsumpserint*. Qui enim bona fide agit non dicitur præsumere, cum bona fides excludat dolum, & temeritatem,quam includit præsumptio,secundum Cardinalem *in Clem. 1. de priuileg*. Sicut neque bona fides potest stare contra conscientiam, neque enim bonam fidem dicitur habere agens contra conscientiam *ex cap fin. de præscript*.

Quintò, omittens deliberatè procedere nunc contra huiusmodi reum, & postea procedens, non ideo excusatur ab hac pœna, quia eam incurrit iam ex illo actu deliberato, neque liberatur ex eo, quod postea procedit,quia per solam absolutionem tollitur excommunicatio. Differens verò procedere ex negligentia non incurrit, quia in Clementina non præcipitur, vt statim procedatur,sed simpliciter, vt non omittatur.

Sextò, Birruarij non capientes hæreticum, seu de hæresi suspectum iuxta mandatum sibi factum rei sunt huius censuræ,quia & ipsi sunt substituti ad exequutionem huius officij, gerunt enim vices Inquisitoris, quod est illi esse substitutos.

Septimò, rei huius censuræ impingentes alicui vitium hæreticæ prauitatis, vel falso dicentes aliquem impedisse officium Inquisitionis, quod verum est, licet non fuerit punitus impinctus, sufficit enim ipsamet vexatio consistens in formali impositione alicuius ex dictis delictis,ibi: *Prauitatem ipsam,vel impedimentum officij sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquomodo vexare*. Referuntur autem illæ actiones ad Inquisitores, & officiales ex dictis sub primo dubio.

Secunda, excommunicatio est contra Commissarios deputatos per Episcopos,aut Inquisitores,vel Capitulum Sede Vacante extorquentes pecunias modo illicito, illis verbis *Clem. 2. de hæret. Et tam ipsorum*, idest Inquisitorum, *quam Episcoporum, seu Capitulorum Sede Vacante, super hoc deputatis commissariis quibuscumque districtius iniungentes ne prætextu officij inquisitionis, quibusuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant. Nec scienter attentent, Ecclesiarum bona ob clericorum delictum prædicti occasione officij fisco etiam Ecclesiæ applicare*. 20

Super illis nonnulla occurrunt dubia. *Primum*, An Episcopi,& Inquisitores afficiantur ea excommunicatione? *Secundum*. Quinam sint isti Commissarij? *Tertium*,quid sit extorquere? *Quartum*, an si extorqueant aliud, quod non sit pecunia rei sint huius censuræ? *Quintum*,quæ bona prohibeantur applicare fisco,propria ne clericorum, an illorum beneficiorum? *Sextum*, an requiratur realis applicatio, vt rei sint censuræ *Septimum*, an, & quomodo excommunicatio sit reseruata.

Primò, Episcopi non comprehenduntur, vt dicit Glosa *ver. Commissarij*, vtique Inquisitores, qui licet in supradictis verbis directè non exprimantur in casu datiuo, vt commissarij, nihilominus indirectè continentur sub ea dispositione, vt colligitur ex subiectis verbis: *Qui dictos Inquisitores,aut commissarios secretè nouerint talia commisisse*. Ita omnes super dicta excommunicatione cum Silu. *Excomm. 9. num. 81*. Angel.*casu 42*.Nauar.*cap.27. num. 142*. Bonac. *Bullar. disp.2.q.10 part.8.num.6*.

Secundò, Commissarij sunt Vicarij Inquisitoris, Episcopi, & Capituli, atque alij, quibus à prædictis Inquisitore, Episcopo, vel Capitulo committitur causa aliqua Sancti Officij.

Tertiò, extorquere significat auferre aliquid alicui per vim,& violentiam, *l. Fideicommissa, §. Si rem, ff. de legat. 3*.vel ex importunitate,Glosa *in casu cap.2.de concess.prebend. in 6*. Vt autem extorquens sit excommunicatus tria requiruntur, pecunia extorta, modo illicito, & prætextu officij Inquisitionis, ex quo deducitur, illum non esse reum huius Bullæ, qui alio prætextu, v. g. laboris, mercedis,mutui,aut crediti aliquid extorquet; sicut & ille,qui à sponte dante recipit pecuniam etiam prætextu officij, quia non dicitur extorquere,si dat non requisitus, neque inuitus. Extorquentem mutuo pecuniam,vel sub censu, cambio, & simili contractu, puto non incurrere, quia extorsio est in ordine ad prauam intentionem non restituendi. Deindè licet extorsio iniqua sit, non tamen retentio; 21

præter

præterquamquod non posset absolui nisi restitueret acceptum, non tenetur autem restituere pecunias census, mutui, & cambij, nisi ad præfixum tempus, ergo non posset absolui ante id tempus, quamuis esset paratus.

22 Quartò, nomine pecuniæ multum probabiliter aliud non venit in opinione Bonac. *Bullar. disp.* 2. *q.* 10. *part.* 10. *num.* 3. quia nomine pecuniæ in proprio sensu, qui attenditur in odiosis, veniunt numi tantum *ex cap.* 1. 2. 3. *causa* 14. *q.* 3. in quibus locis pecunia accipitur prout distinguitur à cœteris rebus. Communis tamen opinio doctorum sequentium Glos. hic *ver. Pecuniam tenet* cum Nauar. Caiet. Angel. Suar. Siluestr. Sayr. Suar. cum aliis, sub nomine pecuniæ comprehendi quaslibet res pretio æstimabiles, sic horologium, librum, frumentum, equum, &c. Horum ratio deducitur ex doctrina D. Augustini relati, *cap.* Totum 6. 1. *q.* 3. illis verbis. T*otum quidquid homines habent in terra, omnia, quorum domini sunt, pecunia vocatur seruus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata est: quia antiqui, quod habebant, in pecoribus habebant*. Colligitur etiam, *ex l. Pecuniæ nomine ff. verbor. significat.* Posset tamen quis respondere, D. Augustinum inniti sensu etymologico, & originario, à quo licet teneat argumentum, secundum omnes apud Gammarum *lib.* 1. *sua Dialect. iuris loco* 3. nihilominus postponitur sensui proprio rei, & vulgato modo loquendi de pecunia in ratione numi, ex communi enim vsu verba exaudiri debent, *l. habeo, ff. de suppell. legat.* vbi Glosa dicit, quod plus statur vsui, quam significationi vocis.

Quintò, non prohibentur confiscati bona propria clericorum, sed tantum ea, quæ possident intuitu Ecclesiæ, cuius sunt propria, vt clarè colligitur ex illis verbis: *Ecclesiarum bona*. Ita Glosa ver. *Ecclesiarum*, ex Ioan. Andr. Silu. *excom.* 9. *num.* 81. Bonac. *Bullar. disp.* 2. *q.* 10. *part.* 10. §. *Obserua*, procedit, siue bona sint immobilia, siue mobilia; non secuta applicatione,

23 non incurritur censura; nec verbum *Attentent* refertur ad conatum excludendo realem applicationem, sed ad nullitatem confiscationis attentatæ, idest, nulliter factæ, sumitur ergo pro facere actum nullum, non pro inchoare illum, sic religiosus professus matrimonium contrahens non dicitur illud celebrare, sed tantum attentare.

Sextò, patet ex mox dictis ad incurrendam excommunicationem requiri actualem applicationẽ rei fisco.

Septimò, demum restituta pecunia illis, à quibus extorserunt, à quolibet absolui possunt, ante autem realem restitutionem, extra articulum mortis à nullo absolui possunt; clarè colligitur ex textu.

Respectu confiscationis nihil disponitur de absolutione, ideo etiam ante restitutionem dari poterit à quolibet confessario Bonac. *Bullar. disp.* 2. *q.* 10. *p.* 10. *num.* 9. §. *Dixi.*

Quæres 16. An Inquisitores possint habere familiam armatam.

24 ℞. Habent priuilegia à Summis Pontificibus ferendi arma, & illa concedendi suis officialibus, expressè *Clem.* 2. *fine de hæret. Porro Inquisitoribus ipsis districtius inhibemus, vt nec abutantur quomodolibet concessione portationis armorum, nec officiales, nisi sibi necessarios habeant tales, qui se conferant ad sua, cum Inquisitoribus ipsis officia exequenda.* Vide Farinac. *q.* 182. §. 6. per totum dicuntur autem Inquisitores abuti hoc priuilegio, quando arma concedunt aliis quam suis officialibus actu inseruientibus. Officiales, quibus conceduntur arma sunt Aduocati, Notarij, Custodes, Consultores, &c. An autem officialis, in cuius literis patentibus nulla fit mentio de Armis in specie, ipso iure possit deferre Arma, an requiratur specialis licentia.

℞. Ipso iure potest deferre arma, quia in literis patentibus fit mentio de priuilegiis concessis huiusmodi officialibus, inter quæ connumeratur gestatio armorum, vt probatur sequenti clausula in eis expressa. *Cum omnibus gratiis, priuilegiis, indulgentiis, indultis, immunitatibus, & exemptionibus tam à Summis Pontificibus, quam ab aliis Christianis Principibus in fauorem Sanctæ fidei concessis, & concedi solitis*. Sed quid dicendum de clericis, & religiosis, quibus prohibetur declaratio, & retentio armorum à suis superioribus per censuras Ecclesiasticas, numquid illa deferre possunt sine incursione pœnarum? Vtique, quia statutis particularibus Episcoporum, & Regularium præualent priuilegia Apostolica, vnde neque puniri possunt à suis superioribus præcisè propter delationem armorum. Sed in religiosis nullam video necessitatem deferendi arma, nisi in casu, quo iter agerent pro Sancto Officio ad inquirendum contra aliquem, &c. Demum cum sit hoc priuilegium Papale à nullo auferri potest nec ab Imperatore vide *cap.* 38. *q.* 16. 18. & 19.

Quæres 17. An Inquisitores ad nutum proprium, & sine causa possint remouere officiales.

℞. Negatiuè, nisi ex causa legitima, quia aliter 25
videtur illis irrogare aliquam iniuriam. Quæ tamen non habet locum, quando reuocatio est generalis. Et nulli dubium est, nouum Inquisitorem veteribus officialibus exclusis, nouos eligere pro suo libito, quia sicut illi inseruire debent, ita congruum est, vt sint iuxta illius beneplacitum, & voluntatem. Verum quidem est, quod veteranos officiales benemeritos non deberet excludere, sed confirmare propter eorum diligentem, & fidelem seruitutem. De mutatione officialium vide Doctores citatos à Diana *part.* 4. *tract.* 8. *res.* 34.

Quæres 18. An Inquisitores, & Episcopi possint legere libros prohibitos? Item aliis concedere facultatem legendi.

℞. Negatiuè, ad vtrumque ex probatis *sub c.* 14. 26
q. 11. & 12.

Quæres 19. An Episcopus, & Inquisitor possint in foro conscientiæ absoluere hæreticum occultum? 27
De Inquisitore negaui, *cap.* 12. *num.* 43. De Episcopo *num.* 42. Vide Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 35. affirmantem pro Inquisitoribus.

Quæres 20. An Inquisitores, & alij iudices curiæ seculari tradentes reum probatum in suo tribunali, fiant irregulares.

℞. Non, quia hoc ipso, quod Papa in suis Bullis 28
præscribit pœnam traditionis reorum curiæ seculari, eximit ab irregularitate, quamuis in Bullis id non exprimat, absurdum est enim dicere subditum obedientem suo superiori, in cuius potestate est ablatio irregularitatis, fieri irregularem, quasi non aduerterit ad hoc absurdum legislator. Quod procedit non solum in actu traditionis, verum etiam quoque si iudex instaret, vt potestas laica exequeretur sententiam mortis. Ex his tollitur cautella Ferdin. de Castro Palao vti non necessaria, quam lege apud Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 51.

Quæres 21. An Inquisitor sit iudex connexorum, & incidentium.

℞. Non solum potest iudicare, & punire reos cri- 29
minis hæresis, aut illius suspicionis, verum etiam alia delicta de se non hæreses, nec hæresim inferentia, cum illis tamen connexa, vel incidentia, atque illa respicientia. Probatur. Tum quia, *ex l. Nulli, l. quoties, C. de iudic. l.* 1. *C. de ordine cognit.* iudex causæ princi- 30
palis cognoscit etiam de connexis, incidentibus, & dependentibus à causa principali. Grassus *de effect. cler. effectu primo, num.* 400. Tuschus *lib. C. concl.* 625. *num.* 10. Tum quia, commisso vno, intelliguntur concessa ea omnia, sine quibus illud commode expleri non potest, *cap. Præterea, cap. Prudentiam, de off. deleg.* Tum quia,

quia, connexorum idem est iudicium, Glos. *ver. Ex eo, cap. Praeterea cit.* ergo ab eodem iudice tractandum, *cap. 3. de iudic.* ibi Glosa *ver. connexa spiritualibus*. Ita docent Eimer. & Pegna citati à Diana *part. 4. tract. 8. resolut. 70.* Carena *part. 2. tit. 5. vbi à num. 83.* probat Inquisitores esse iudices competentes in causa legitimitatis prolis loquendo de poligamis.

Quæres 22. An Inquisitor puniat dantem consilium licet iustum carcerato.

31 ℞. Sic, quia carceratis in S. Officio nullus alloqui potest sine licentia Inquisitoris, & retuli, *cap. 30. n. 14. & cap. 32. q. 24.* Ex Vmberto; & Freitas docet Diana *part. 4. tract. 8. resol. 67.*

Quæres 23. An Inquisitor procedat contra lacerantes, & frangentes cedulones, in quibus quis declaratur excommunicatus? Item quæritur de aliis cedulis spectantibus ad S. Officium.

32 ℞. Ad vtrumque affirmatiuè, primum quidem patet ex eo, quod sic lacerans, vel deturpans reddit se de hæresi suspectum ad minus leuiter, quia non videtur credere in Ecclesia esse potestatem ad ferendas censuras. Secundum est certum, quia offenditur officium. Vide Dianam *parte 4. tract. 8. resol. 103.*

Quæres 24. An possit punire confessarium absoluentem hæreticum in foro conscientiæ.

33 ℞. Hæreticorum duplex classis, alij certam sectam profitentur, vt Luterani, Caluinistæ, &c. alij incidenter habent errorem in intellectu circa aliquem articulum fidei, & tamen nulli sectæ adhærent. Confessarius absoluens hæreticum sub prima classe, sine dubio puniendus est ab Inquisitore, cum vsurpet illius iurisdictionem, nam huius iudicium spectat ad ipsum ratione abiurationis, & aliorum actuum, qui à solis iudicibus fori externi expediuntur. Vt videre est, *cap. 11. num. 22. & 23. cap. 12. num. 11. & 48.* Non tamen dicitur violare Bullam, *Si de protegendis*, quia absoluere nulla est ex actionibus prohibitis in Bulla de qua *cap. 29. q. 8.* Si verò absoluat hæreticum secundæ classis non afficitur pœnis per inquisitorem, quia absolutio in foro conscientiæ non spectat ad inquisitorem ex probatis hic *q. 19. remissiue ad cap. 12. n. 43.* cum ergo confessarius sic absoluendo non sibi vsurpauerit iurisdictionem inquisitoris, neque per talem illicitam, & inualidam absolutionem factus sit de hæresi suspectus, non est cur Inquisitor puniat Confessarium, qui in nullo læsit officium Sanctæ Inquisitionis, sicut ille, qui absoluit Caluinistam, aut Luteranum, qui huius generis mittendi sunt ad Inquisitores. Diana *part. 4. tract. 8. resol. 109.* refert Vasq. & Homob. admittentes simpliciter hanc punitionem.

Quæres 25. An Inquisitor punire possit iniuriantem se.

34 ℞. Potest etiam sine processu, quando iniuria in publico illata fuit Inquisitori puta sedenti pro tribunali. Probatur quia, licet nemo sit sui ipsius iudex in causa propria ex vulgatis iuribus, nihilominus quando illata iniuria redundat contra bonum publicum, & in contemptum propriæ iurisdictionis, tunc iudex procedere potest contra iniuriantem se, quia sic faciendo tuetur potius iura suæ potestatis, quam honorem suæ personæ, cui etiam honor sine dubio deferendus est, *cap. Vt delitus 59. de appellat.* Et de propria iniuria iuridice vindicanda habetur, *cap. 1. de Maled. cap. 1. de Clem. de foro compet.* Ita in terminis citat doctores Diana *part. 4. tract. 8. resol. 91.* melius Carena *part. 2. tit. 17. à num. 27.* Non est reus pœnarum Bullæ, *Si de protegendis, ex cap. 29. q. 22.*

Quæres 26. An Inquisitor dispensare possit super irregularitate contracta ex hæresi.

35 ℞. Non, ex Pegna *part. 3. in Direct. comm. 375.* Sanctarellus *cap. 25. de hæresi dub. 1. n. 7.* ex prohibitione Pij V. alios citat Diana *p. 4. tract. 8. res. 85.*

Quæres 27. An iudex Inquisitor capax distributionum illas lucretur absens propter Sanctum Officium.

℞. Sic, ex priuilegio Pauli III. & Pij V. fauore 36
fidei, doctores citat Diana *part. 4. tract. 8. resol. 71.* Barbosa *ad cap. 12. sess. 24. num. 76.* Non tamen excusatur à residentia, si sit Parochus, vt docet idem Barbosa *ad cap. 1. sess. 23. n. 34. impress. Veneta.*

Quæres 28. Quam ætatem debeat habere Inquisitor.

℞. Nullis, nisi qui quadragesimum ætatis annum 37
attigerint officium Inquisitionis committi, &c. *Clem. Nolentes, de hæret.* Sufficit primus dies etiam cœptus initio anni quadragesimi, verbum enim *Attingo* importat inchoationem temporis, *vt dixi Resolut. 21. num. 38. meorum Consil.* Diana *part. 4. tract. 8. res. 54.* 38
ex Sanctar. & Zanardo docet cum hodie Inquisitores creantur à supremo tribunali non esse curandum de hoc tempore. Sed gratis id asseritur, nam Papa, à quo immediatè eliguntur proponentibus Eminentissimis Cardinalibus non præsumitur velle suas leges sine causa negligere.

Quæres 29. An Inquisitor debeat esse graduatus nimirum Lector, Theologus, an Iurisconsultus.

℞. Nulli dubium esse, Inquisitorem debere esse 39
doctum, clamante Dauid Propheta: *Erudimini, qui iudicatis terram.* Vnde non eliguntur nisi Magistri, vel Lectores Theologiæ, seu Canonistæ, vt praxis id probat, & docet Zanardus cum Carena *part. 1. tit. 5. num. 20.*

Quæres 30. An eligendi sint magis Iurisperiti, quam Theologi in Inquisitores.

Resp. Satius est eligere Theologum, quam iuris- 40
consultum, probatur. Tum quia obiectum, & materia circa quam Inquisitor ex officcio versatur est virtus fidei, & vitium hæresis, vel eiusdem suspicionis sibi oppositum, quilibet enim casus illi propositus, vel est de hæresi, vel de eiusdem suspicione, hæc enim potissimum intendit Sanctum Officium; sed circa huiusmodi magis versatus est Theologus, cum illius propria sit materia, quam Iurisconsulti, ad quem non spectat, vt talem cognitio huius materiæ, ergo melius est eligere Theologum in Inquisitorem, quam iurisconsultum. Tum quia, cognitio necessaria ad expediendas causas Sancti Officij æque sciri potest à Theologo, & mèlius ex fundamentis Theologicis, ac iurisconsulto, vnusquisque enim eorum antequam sit in officio necesse est quod addiscat spectantia ad hoc munus; ea autem non minus, immo magis, & melius discere potest Theologus, quam Iurisconsultus, sunt enim libri speciales illis viam aperientes ad perfectam cognitionem huius officij. Nec obstat, quod aduersarij obiiciunt, nimirum, Inquisitores in causis fidei plura vt Iurisperiti, quam vt Theologi efficere. Siquidem respondetur, hoc ius, quod scire debent Inquisitores non esse præcisè Iurisconsulti, sed commune vtrique & proprium Inquisitoris; præterquam quod principale spectatum in causis fidei est hæresis cognitio, vel eiusdem suspicio, quæ simpliciter spectant ad Theologum, reliqua vt doctrina testium, torturæ, sententiæ, appellationis, &c. tamquam accessoria licet originem habeant à peritia iuris, nihilominus multum familiaria sunt etiam Theologis. Nec præterea obstat, quod vltra montes sunt Inquisitores, vt plurimum Iurisperiti ex eo inquiunt, quia compertum est, longe vtilius, & commodius id esse. Siquidem hæc non est ratio, sed eliguntur in illis partibus Iurisperiti, quia assumuntur clerici, quorum maior pars sunt Doctores iuris, non Theologi, quod manifestè patet hic in Italia, vbi omnes Inquisitores sunt Theologi, quia eliguntur ex Religione Dominicana, aut Franciscana, apud quos magis est in vsu doctrina Theologica,

quam iuris peritia. Nostram respóſione docuerunt Pegn. *p.* 3. *comm.* 50. & Zanard *part.* 2. *ſui Direct. c.* 6. *q.* 12. contra Simanch. Azor. & Scacc. quos pro ſe citat Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 52. apud Caren. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 49. qui arbitratur ſequendas eſſe conſuetudines laudibiles Italiæ, & Hiſpaniæ.

Quæres 31. An titulus Reuerendiſſimi tribuendus ſit Inquiſitoribus electis à ſupremo tribunali?

41 ℟. Affirmatiuè. Tum quia, ex praxi, quæ in his multũ valet. Tum quia, illo inſigniuntur omnes delegati à Papa ad vniuerſitatem cauſarum maximè, magis ponderis, cuius generis ſunt cauſæ fidei. Tum quia, titulo hoc cohoneſtãtur Vicarij Generales, & Canonici Cathedraliũ, qui inferiores ſunt Inquiſitoribus. Ita ex Paramo *lib.* 3. *de Orig. S. Inquiſit. q.* 9. *n.* 23. *&* 24. docet Car. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 51.

Quæres 32. Quomodo practicatur præcedentia inter Inquiſitorem, & Epiſcopum?

42 ℟. Quando Epiſcopus vult intereſſe Congregationi S. Officij hanc congregare ſolet in ſuo Palatio, raro accedit ad cameras Inquiſitoris, vbicumque autẽ fiat congregatio, Epiſcopus ſemper præcedit, quia ſimpliciter dignitate eſt maior, excellentior, & eminentior Inquiſitore, cu[illegible] ex officio id munus, & prius incumbat *ex c. Ad abolendam de hæret.* quamquam hiſce temporibus parum inquirat, relinquendo id munus Inquiſitoribus nomine, & re. Nec obſtat, quod delegatus à Papa ſit maior ordinario, quia id verum eſt in delegationibus tranſeuntibus, & quãdo delegatus habet iudicare ordinarium ex dictis, *c.* 32. *q.* 15. hic autem Epiſcopus non iudicatur ab Inquiſitore, ſed ambo collegæ ſunt in Officio Inquiſitionis. Inquiſitor ergo requiſitus accedit ad aulam Epiſcopi in cauſis fidei.

Quæres 33. An Inquiſitor præcedat Vicar. Generalem.

43 ℟. Affirmatiuè non ſolũ in cauſis fidei, ſed ſimpliciter, niſi vt priuatus, ſeu ſub alio titulo inferiori cõgregaretur. Probatur quia, habẽti maiorem dignitatem debetur præcedentia ſuper alios, qui minore præditi ſunt, Gloſ. *ver. Et viliores, c. Sedes* 15. *de reſcript.* Batt. *in l.* 1. *ff. de alim. præſt.* dignior enim maior eſt *ex cit. c. Sed maior, eſt dignitas Inquiſitoris*, & quia ex officio, & propria iuriſdictione cognoſcit cauſas fidei, Vicarius ex ſpeciali commiſſione: & quia officium Inquiſitoris durat perpetuò etiã poſt mortem Papæ, Vicarij ceſſat morte Epiſcopi: & quia Inquiſitor eſt delegatus Papæ, Vicarius Epiſcopi: & quia Inquiſitor repræſentat Papam, Vicarius Epiſcopum: Et quia Inquiſitor procedit contra Vicarium, non è contra: Alia vide apud Carenam, *part.* 1. *tit.* 5. *à n.* 57. ampliantem id fauore Inquiſitorum.

Quęres 34. An Inquiſitor ſubſit ſuperioribus ſui ordinis.

44 ℟. Si accedat ad Refectorium, ad Capitulum, ad Proceſſiones ſubeſt, quia in his caſibus reputatur ſimplex religioſus, & ſubditus in ordine ad ſuum ſuperiorem, reſpectu cuius tunc non ſpectatur qualitas Inquiſitoratus, cum ſit nociua. In caſu proceſſionis Car. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 66. Ad Refectorium autem, & Proceſſiones cogi nõ poteſt, ſed ſi accedat, ſe gerere debet vt ſubditus cum aliis ſub Priore. De præcedentia Inquiſitorũ multa dixi in Theatro præcedentiæ *q.* 180. 181. & 182. Hæc quoad præcedentiam.

Loquendo autem quoad ſubiectionem coactiuam, puto non ſubeſſe ſuperioribus ordinis niſi in eo, quod ſi delinquant in obſeruantiis regularibus, & prout ſunt religioſi, per informationes deſumptas denuntiandi ſunt ſupremo tribunali, vt prouideat, quod melius eſt, ne turbetur officium ſanctæ fidei. Ita. Far. *q.* 186. *n.* 132. Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *reſ.* 52. ex illis Car. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 72. contra plures ab eo citatos, qui intelligendi ſunt pro eo tempore, quo Inquiſitores creabantur per ſuperiores regulares.

Quæres 35. An Inquiſitor præcedat Vicarium Generalem Epiſcopum.

45 ℟. Sic, neque Inquiſitor tenetur accedere ad aulã Epiſcopalem ab ipſo vocatus. Illud probatur ex rationibus adductis *ſub q.* 33. *&* 34. præcipuè ex eo, quod non attenditur ratio, ſeu qualitas Epiſcopatus, ſed tantum Vicariatus, vnde reputatur, ac ſi non eſſet Epiſcopus, nam quando concurrunt duæ qualitates vna per ſe, & altera per accidens, attenditur illa, non hæc *ex l. Qui habet, ff. de tutel.* Confirmatur per Gloſam *in c. A collationibus de appell. in* 6. vbi Epiſcopus etiam canonicus in capitulo ſedet vti canonicus, non vt Epiſcopus, Capicia *deciſ.* 27. *num.* 27.

Quæres 36. An inquiſitor procedat contra comedentes carnes, & lacticinia diebus prohibitis.

℟. Inquiſitor procedit contra comedentes carnes, & lacticinia diebus prohibitis, probatur, quia Inquiſitor procedere poteſt, & punire omnes hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, vt omnes concedunt ſequentes Gloſam *in Clem. Nolentes de hæret.* ſed comedentes carnes, & lacticinia in diebus prohibitis ſunt ſuſpecti de hæreſi, nam videntur facto approbare hæreſim affirmantium inutilem eſſe, & nullius laudis abſtinentiam à carnibus, & lacticiniis, contra Sacrã Scripturam, & Sanctorum Patrum auctoritatẽ, & definitionẽ omnium Conciliorũ, apud quos de fide tenendum eſt, delectum ciborum, ideſt, abſtinentiã à carnibus, & lacticiniis, quibus ſenſualitas inſultat, eſſe valde vtilem, & laudabilem omnibus, de qua re plura Val. *tom.* 3. *diſp.* 9. *q.* 2. *p.* 2. quod ſic comedentes ſint ſuſpecti etiam vehementer docent Pegn. *p.* 3. *comm.* 24. Genu. *c.* 18. *n.* 11. ex illis Car. *p.* 2. *tit.* 15. *n.* 7. Requiruntur tamen duo ad vehementem ſuſpicionẽ, vnum eſt, quod pluries quis comederit non curans de præcepto abſtinentiæ, alterum, quod comederit ſine licentia, aut neceſſitate, qui enim cum licentia ſuperioris comedit non peccat, *c. Qui peccat* 11. 24. *q.* 4, neque qui ex neceſſitate vel infirmitatis, vel carentiæ aliorum ciborum, quod enim lex naturæ concedit, peccatum non eſt, *l. Retractare. ff. Ne fiſcus rem, quam vend.* Comedens ergo cum licentia, vel ex neceſſitate cum non peccet, neque proinde ſe reddit ſuſpectum de hæreſi, ſuſpicio enim ſupponit factum, vel dictum cũ peccato accidiſſe. Quod caſus iſte ſpectet ad inquiſitorẽ docent Repertorium *ver. Cognoſcere*, Zanch. *c.* 35. *n.* 21. Zer. *in praxi ver. Caſus*, §. *Carnes*, Ricc. *in praxi reſ.* 423. ex illis Carena *part.* 2. *tit.* 15. *num.* 11.

Caue autem à falſa opinione damnata eorum, qui volunt in quadrageſima eſſe licitã comeſtionẽ lacticiniorũ, quam fusè, & peracutè impugnat ex induſtria Paſquali. *c. deciſ.* 71. *&* 72. in ſuo abſolutiſſimo tractatu de ieiunio.

Quæres 37. Quænam ſint priuilegia Inquiſitorum.

℟. Sunt plura, ſed præcipua ſunt. *Primò*, quod nõ poſ- 46 ſint excõmunicari à delegatis Sedis Apoſtolicæ, neque à quocumque alio, nec Cardinali à latere, quia immediatè ſunt ſubiecti ſupremo tribunali, ex Bullis allegatis à Pegn. *p.* 2. *com.* 70. *Secundò*. Inquiſitores, & eorum ſocij poſſunt ſe inuicẽ ab excõmunicatione abſoluere in illis caſibus, in quibus poſſunt abſolui à ſuis ſuperioribus, vt colligitur ex priuilegiis *in Direct. extenſis. Tertiò*, quãdo faciunt aliquem actum fidei indulgere poſſunt quadraginta dies de indulgentia, *ex p.* 3. *Direct. q.* 127. *Quartò*, poſſunt interpretari ſtatuta quæcumque lata cõtra hæreticos. *Quintò*, capere poſſunt ſuos reos intra Eccleſiam, nec ab Epiſcopo poſſunt impediri. *Sextò*, Inquiſitores cum omnibus ſuis bonis exempti ſunt à quibuſcumque datiis, & Gabellis. Vide Royas *p.* 2. *de hæret.* Carenam *part.* 1. *tit.* 5. §. 13.

CAPVT XLI.

De variis gradibus propoſitionum, & de earum qualificatione.

1 *Qualificare quid ſit.*
2 *Ens triplex, naturæ, artis, & mor[illegible]s.*
3 *Quæ qualificari poſſunt per eorum prædicatum.*
4 *Voluntas quid.*
5 *Voluntas potentia actiua, & paſſiua.*
6 *Voluntas elicit proprios actus extraneos imperat.*
7 *Volitum, & voluntarium differunt.*
8 *Voluntarium quid ſit.*
9 *Actus quando dicatur voluntarius.*
10 *Voluntas quando producat ſuos actus.*
11 *Intellectus quare neceſſario operatur, non ſic voluntas.*
12 *Voluntas dupliciter mouetur.*
13 *Iudicium ſpeculatiuum, & practicum quid.*
14 *Voluntas non mouetur ab intellectu tantum apprehenſiuo.*

15 *Iudicium intellectus non cogit voluntatem.*
16 *Iudicare intellectus voluntati est officium seruitutis.*
17 *Voluntas seipsam determinat.*
18 *Determinatur duobus modis, per exercitium, & per specificationē.*
19 *Quid sit liberum arbitrium.*
20 *Quomodo diuersum à libertate.*
21 *Libertas duplex à necessitate, & coactione.*
22 *Actus humanus vt liber dicatur duo postulat.*
23 *Voluntarium, & liberum differunt.*
24 *In actu humano plura spectantur.*
25 *Actus liberi alij sunt eliciti, alij imperiti.*
26 *Libertas alia contradictionis, alia contrarietatis.*
27 *Intellectus necessario operatur.*
28 *Sola voluntas liberè agit.*
29 *Vsus liberi arbitrij per quas causas impediatur.*
30 *Ignorantia triplex culpabilis &c.*
31 *Ignorantia inuincibilis.*
32 *Ignorantia iuris.*
33 *Antecedens ignorantia.*
34 *Earum differentia.*
35 *Ignorantia inuincibilis excusat à culpa.*
36 *Pracedens ignorantia.*
37 *Ignorantia facti non iuris excusat, explicatur.*
38 *Vis est maioris rei impetus, cui non potest resisti.*
39 *Actus eliciti non possunt violentari, sed tantum imperati.*
40 *Violentia est contra vtrumque principium tam actiuum, quam possiuum.*
41 *Vis tollit voluntarium, & liberum.*
42 *Metus quid, & quotuplex.*
43 *Metus, & vis differentia.*
44 *Metus excusat à peccato.*
45 *Metus non excusat in malis intrinsecè.*
46 *Moralitas quid sit.*
47 *Est ens reale.*
48 *Moralitas alia est bonitas, alia malitia.*
49 *Bonitas alia naturalis, alia moralis.*
50 *Circunstatia dant bonitatem actui.*
51 *Mediorum electio est eiusdem speciei cum fine.*
52 *Conscientia quid, & quotuplex.*
53 *In dubiis tutior pars eligenda.*
54 *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.*
55 *Dubius ab ignorante non distat.*
56 *Dubitandum non est, vbi lex habetur.*
57 *In obscuris minimum est sequendum.*
58 *Opinio probabilis, & improbabilis quid.*
59 *Malitia quid sit in humanis actibus.*
60 *A quo desumatur malitia in illis?*
61 *An idem actus possit esse bonus, & malus.*
62 *An idem actus possit successiue fieri bonus, & malus.*
63 *An dentur actus indifferentes.*
64 *An actus externi imperati qualificentur, & quomodo.*
65 *An actus externus, & internus sit vnicum peccatum.*
66 *An actus exterior addat actui interno malitiam.*
67 *Propositio in genere moris quid sit.*
68 *Propositio moralis quotuplex.*
69 *Propositiones omnes tam bona, quam mala qualificantur.*
70 *Propositio de fide immediate à* Deo *reuelata.*
71 *Quid dicat reuelatio immediata.*
72 *Conclusio deducta ex promissis de fide ambabus est de fide.*
73 *Non est de fide, sed Theologica deducta ex altera tantum.*
74 *Christus est risibilis Theologica, non de fide.*
75 *Singulares deducta tantum non sunt de fide.*
76 *Principia duo philosophica non habent locum in diuinis.*
77 *Haretica propositio quid sit.*
78 *Ex mixtis pramissis conclusio est tantum Theologica.*
79 *Quomodo opponantur propositiones fidelis, & haretica.*
80 *An dentur dua contraria de fide, & dua haretica.*
81 *Propositio de fide qualificatur per diuinam reuelationem.*
82 *Theologica propositio, & erronea ei respondens quid.*
83 *Sapiens haresim, & sapiens fidem quid.*
84 *Pia, & impia propositio quid sit.*
85 *Æquiuoca propositio quid sit.*
86 *Æquiuoca & ambigua in meliorem partem interpretatur.*
87 *Alij gradus propositionum censurabilium referentur.*
88 *Improbabilis opinio quid? vbi axiomata de opinione.*
89 *Opinionis triplex genus.*
90 *Eadem propositio contineri potest sub pluribus gradibus.*
91 *Omnes propositiones mala sunt etiam falsa.*
92 *Loci Theologici referuntur.*
93 *Quomodo propositio qualificatur ex Traditione.*
94 *Qualificatio spectat ad Iudices S. Fidei, & eius Consultoribus.*
95 *Votum in qualificando est decisiuum.*
96 *Abiuratio indicenda est proferentibus propositiones suspectas.*
97 *Non sunt miscenda profana sacris.*
98 *Indulgentia non lucratur ex actibus peccaminosis.*
99 *Christus non est sub pane, sed sub speciebus tantum illius.*
100 *Referuntur plura exempla diuersarum propositionum.*
101 *Deus non est ille sol materialis.*
102 *Nolite dare sanctum canibus.*
103 *Anima in Purgatorio non manet vltra decennium est erronea.*
104 *Peccatum remissum habet pœnam perpetuam.*
105 *Asserens nullas confessiones factas religiosis est temerarius.*
106 *Dicens non esse peccatum, quod peccatum est, hareticus est.*
107 *Innocentiam propriam quis probare non optet cum praiudicio sanctorum.*
108 *Talis habet affectum ad haresim.*
109 *Euentus non existens in nostra potestate est impossibilis.*
110 Conceptionis *Maria varia propositiones qualificantur.*
111 De *imaginibus sculptis immutatis.*
112 De *nonnullis contra Pontificem.*
113 De *quadam propositione contra* S. *Marcum.*

VErbum Qualificare componitur ex *Quali & Facere*, quod significat facere quale illud, quod qualificatur, nimirū definire, distinguere, & determinare qualificatum sub tali gradu, & specie entis. Huiusmodi autem qualificatio exercetur per secundam intellectus operationem, tam in propositione ex parte prædicati tribuitur aliquid subiecto, illi conueniens, vel ab eodem tanquā discōueniens remouetur. Munus Qualificationis duplex est, vnum constituendi propositionem, alterum eamdem distinguendi iam constitutam à qualibet alia, quæ tali prædicato caret; constitutionem habet communē cum genere, à quo differt per distinctionem tibi propriam in genere qualificandi; vnde genus, & subiectum ratione sui spectatum dicitur qualificari, determinari, & distingui per qualitatem prædicati constituentis gradum, & speciem. Est autem qualificatio duplex essentialis, & accidentalis, secundum quam assignatur duplex differentia, in rebus coincidit enim cū qualificatione, ea autē dicitur in quale Quid determinare, illa enim particula *Quid* quidditatem, & essentiam rei denotat, hæc verò *in quale* accidentaliter, & de genere qualitatis, & aliorum prædicamentorum respectu substantiæ, quæ ab illis accidentaliter qualificatur. 1

Sicut autem ens triplex est ens naturæ, ens artis, & ens iuris, ita triplex genus qualificationis statui potest versās circa illud triplex genus entis, vt si dicamus in genere entis naturæ: *Homo est naturalis*, prædicatum hoc dicitur qualificare subiectum, & quidem formaliter sub sua specie, & essentialiter. Pariter si in genere entis artis dicamus: *Hoc lignum est catedra, est scamnum.* Qualificatur lignum hoc tali, & tali specie artis. Demum in genere moris specificantur propositiones ex qualitate prædicati; vt si dicamus. *Adulterium est luxuria, est violatio alieni thori. Hac blasphemia est haereticalis.* 2

Sed numquid in his tribus entis generibus locū habet qualificatio tam essentialis, quam accidentalis? Non est dubium, nam id planum est, siquidem in naturalibus reperitur duplex propositio essentialis, & accidentalis, vt *Homo est rationalis* hæc est essentialis. *Homo est albus* hæc est accidentalis. In artificiatis similiter, dum exempli gratia prædicamus, quod scamnum constat pedibus, qui de illius sunt essentia, non enim lignum carens pedibus, scamnum est; quod verò habeat tres aut quatuor pedes, vel sit rotundum, quadratum, triangulare, hoc illi accidit. loquendo demum in genere moris, inuenio in moralibus vtriusque generis propositiones tam essentiales, quam accidentales, essentiales sunt illæ, in quibus prædicatum est vel genus, vel species, vel differentia, sicut in genere entis naturæ, vt si dicamus: *Temperantia est virtus. Hac copula est adulterium. Sacrilegium est violatio rei sacra.* Omnes propositiones de fide, & scientificæ in moralibus vocari possunt essentiales, quia in illis prædicatum essentialiter moraliter inest subiecto, à quo ommino est inseparabile. Propositiones verò morales sub genere opinionis vocandæ sunt accidentales, quia earum prædicatum modo inest earum subiectis, modo ab eisdem: negatur secundum diuersitatem opinantium, sed in his non est multum immorandum, quia magis fugiunt de genere logico, quam de morali. 3

Quoniam autem de entibus in genere moris, quorum qualificatio quæritur, agendum est, ad quorum perfectam agnitionem facit notitia voluntatis, voluntarij & liberi arbitrium, ideo ab his sumendum est initium,

tium, per quæstiones more solito procedendo.

Quæres igitur primo quid sit volũtas & voluntariũ.

4 ℞. Voluntas est potentia animæ rationabilis immanenter operans tam actiue, quam passiue, vel eliciendo immediatè hos actus, qui dicuntur voluntarij intrinsecè, & formaliter, immo & voliti saltem vt quo; vel imperando aliis potentiis tam internis, quam externis, & executiuis, vt singulæ suos actus producant. Ex his sequitur, quod Voluntarium est illud, cuius principiũ est in agente cognoscente singula, in quibus est actio. Sic definitur voluntarium ab epistola 3. Eth. c. 1. quem omnes tum Philosophi, tum Theologi secuti sunt, quia bene dixit.

Dixi 1. *Volũtas est potentia animæ rationalis.* Tres sũt potentiæ illius, Intellectus, Voluntas, & Memoria, de media agendũ, quia ea potissimũ facit humanos actus esse morales cum aduertentia rationis, vt infra suo loco manebit. Potentia vocatur ab operatione volendi, vel imperandi, non enim otiosa, neque inutilis est in homine, dum ab ea pendent nostræ actiones in genere boni, & mali, meriti, & demeriti, atque pręmij & pœnę. Restrinxi ad animam rationalẽ, quia de voluntate solius hominis intendo hic agere, quia finis huius opusculi est velle qualificare solum actiones humanas.

5 Dixi 2. *Immanenter operans tam actiue, quam passiue.* Voluntas habet rationem potentiæ actiuæ, quatenus suos actus elicit, vel aliis imperat; potentiæ verò passiue nomen consequuntur, in quantum eosdem suos actus in se recipit, vnde exierant, id enim propriũ est eius potentiæ, quæ immanenter operatur, cuius effectus extra se non ponuntur. Licet autem sit actiua non tam respectu propriorum actuum à se elicitorum, quam ignoratorum aliis potentiis, non tamen dicitur passiua respectu vtrorumque, sed tantum in ordine ad elicitos, quia eos in se recipit, quos producit, quo verò ad imperatos non dicitur potentia passiua, quia tales actus in se non recipit, dum iubet aliis potentiis, vt suos effectus producant iuxta naturam illarum, secundum quam aliquæ potentiæ in se operantur, vt intellectus, qui dum in se recipit suas operationes, non possunt illæ immanere in voluntate imperante; aliæ verò extra se producunt suos effectus, quos non possunt efficere in ipsamet voluntate imperante quia ab illis pati non potest ad receptionem huiusmodi effectuum, qui sunt incapaces talis subiectionis.

6 Dixi 3. *Eliciendo, vel imperando.* Voluntas vt quæ est regina cæterarum potentiarum duas habet operationes, eliciendi, hoc est, producendi in se proprios effectus, qui formaliter, & intrinsece sunt voluntarij; & imperandi, vt aliæ potentiæ suos sibi proportionatos effectus producant. Duo ergo sunt genera actuum voluntatis, alij vocantur eliciti, vt amor, odium, electio, &c. alij ab ea imperati, & sunt illi, qui fiunt ab aliis potentiis, & vocantur voluntarij secundario denominatione accepta à voluntate.

7 Dixi 4. *Voliti vt quo.* Voluntas dum fertur in obiectum dicitur illud velle, non ideò tamen denominatur, presse voluntarium, sed tantum volitum, eo quod actus immediata voluntatis operatio tantummodo recipit denominationem voluntarij, quam extrinsece communicat obiecto, ex quo non voluntarium, quia caret intrinseca ratione, sed tantum volitum dicitur propter sententiam potentiæ actu operantis circa obiectum sibi propositum à potentia intellectiua. Actus ergo eliciti dicuntur voluntarij vt Quod, & voliti vt Quo, quia sunt id, quo voluntas tendit in obiectũ extrinsecum; actus verò imperati dicuntur voluntatis extrinsece, & voliti vt Quod, quia voluntas vult, vt fiant ab aliis potentiis, voluntas verò respectu suorũ actuum non vult regulariter vt eos velit, sed per ipsos versatur circa obiecta, inutiles enim sunt illi actus reflexi suæ volitionis, ex quo essent obiecta volita, nõ ergo vult vt velit quasi per quandã speciẽ speculationis, sicut intellectus quandoque speculatur suas operationes, sed vult operando.

Dixi 5. *Voluntarium esse illud cuius principium est in agente.* Nomine principij productiui voluntarij venit ipsamet potentia voluntatis, à qua elicitus vocatur voluntarius, nã illud principiũ est in agente, sicut est voluntas in eadem, bene ergo principium explicatur per voluntatem existentem in homine expresso per illam particulã *In agente*, ipse enim homo est agens cognoscens, in quo est potẽtia voluntatis. Sub eo nomine non potest venire intellectiua potentia, quia principium, quod est voluntas non est in intellectu, sed ambæ sunt in homine, quoad partem formalem, consequenter nomine Agentis venit homo denominatiue, formaliter anima, ipsa enim agit intelligendo. 8

Hinc soluitur obiectio illorum, qui dicunt præfatam definitionẽ conuenire etiam operationibus intellectus, dum dicunt quamlibet cognitionẽ esse voluntariam, quia procedit à principio intrinseco cognoscẽte. Nam in definitione voluntatis nomen principij, vt dictum fuit, non sumitur pro principio cognoscente, vt perperam dicit obiectio, sed pro principio existente in agẽte cognoscente, clarum enim est, aliud esse principium cognoscens, aliud principiũ existens in agente cognoscente, sicut aliud est principium voluntatis, aliud principium intellectus, illud enim tendit in suum obiectum sub ratione boni, hoc sub ratione veri, ex quibus patet, nullam cognitionem elicitam dici voluntariam ex elicitione, sed tantum ex imperio. Ita potuisset respondere Caspensis disp. 2. de actib. human. nam num. 4. per principium intrinsecum ait intelligi voluntatem facilius se expediuisset.

Dixi 6. *Cognoscente singula, in quibus est actio.* Voluntarium igitur procedit à voluntate nõ qualitercumque sed prout ipsam operantem comitatur intellectus præmonstrando illi quascumque circumstantias, quæ in obiecto inueniri possunt, voluntarium enim in genere moris denominatur à potentia intellectus dictantis voluntati eius, actus esse bonos, vel malos ex circumstantiis apprehensis, & cognitis in obiecto, circa quod voluntas versatur. Quare actus humanus tunc solum dicitur voluntarius in genere moris, bonus, vel malus, quando intellectus cognoscit in obiecto volito circumstantias, si enim in obiecto cognoscitur vna tantum circumstantia, tunc respectu illius dicitur actus voluntarius, non respectu aliorum, qui non occurrerunt cognitioni, exempli gratia, si quis volẽdo occidat hominem, quem penitus ignorat esse sacerdotẽ, committit quidem homicidium, quia cognoscit esse hominem illum, quem occidit, eadem verò non imputatur sacrilegium ex homicidio, quia dum occidit ignorabat occidendum esse sacerdotem, igitur homicidium est voluntarium in se, non verò respectu sacerdotij, cuius qualitatem ignorabat, itaque homicidium non potest qualificari sub specie sacrilegij. 9

Quæres 2. An sola voluntas concurrat ad effectuam productionẽ voluntarij, seu suorum actuum? an simul cum ea concurrãt intellectus, phantasmata, & obiectũ.

℞. Sola voluntas effectiue producit suos actus voluntarios, proponente tamen intellectu, & obiecto alliciente ad actum. 10

Primum de sola voluntate eliciente suadetur, quia si actus voluntarij sunt alicuius potẽtiæ maxime voluntatis, à qua ideo denominãtur, & pendẽt vti à sua causa principali, proxima, & totali. Intellectũ non est illius causa partialis, neque secũdum suam entitatẽ, secundũ quam solam intellectionem producit; neque secundum intellectionem, quia per hanc vti existentem in intellectu non potest operari physice in voluntate. Obiectũ, & phantasmata non sunt eiusdem causa partialis productiua, quod patet, quia obiectum spectari potest dupliciter,

pliciter, vero modo in ratione suæ entitatis, qua ratione cum quandoque non existat, vt sanitas desiderata ab infirmo, non potest physice cócurrere ad actus volútarios cú voluntate producendos; altero modo in ratione apprehensi, in quo sensu quia habet rationem causæ finalis non potest actiuè, & physice producere actus voluntarios.

Secundum de intellectu, & obiecto disponentibus voluntatem ad operandum constat, quia voluntas non fertur in incognitum sed semper operatur, & cognoscente intellectu obiectum circa quod operari potest. Nullatenus ergo potest esse actus voluntatis sine cognitione obiecti, circa quod tendere potest voluntas, quæ de se cæca est, ideo indiget lumine intellectus, qui illi proponat obiectum, & dirigat eam in illius sententiam. Obiectum pari ratione mouet, & allicit voluntatem ad volendum illud sibi ab intellectu propositum.

Quidam Gotifredus apud Scotum in 1. dist. 15. q. 5. asseruit phantasmata esse causam totalem humanorum actuum sine vlla ratione, ideo ab omnibus reiicitur, præterquam quod sequeretur, actus voluntatis non esse vitales, si à solis phantasmatibus procederent, cùm ea non sint principium vitale, sed sola voluntas respectu suæ operationis.

Molina p. 1. q. 19. art. 2. disp. 3. cum nonnullis aliis sentit actum voluntatis pendere à cognitione obiecti in genere causæ efficientis, itaut operationes voluntatis pendeant à cognitione obiecti, & à potentia volútatis vti à duobus principiis partialibus vnum totale complentibus. Quod suaderi potest similitudine deducta à potentia intellectiua, quæ sicut cum obiecto integrat ex duab. partialibus causis vnam totalem ad producendam intellectionem, ita ex cognitione obiecti, & volútate duobus principiis partialibus conflatur vnú totale productiuum actuum humanorú volútatis.

11 Contra, quia ex dictis patet, obiectum cognitum solum allicere ad operandum voluntatem, non vero cum ea simul producere actum humanum, non enim voluntas, quando ei proponitur obiectum ab intellectu, ac proinde ab eodem cognito, semper se applicat ad operationem, sed quandoque sistit seipsam, & non operatur, quod signum est, voluntatem suæ operationis solam esse causam productiuam. Ex quo patet ad similitudinem dissimilitudo, ex quo enim intellectus necessario operatur, posito obiecto in actu non potest intellectus non operari simul & semel cum ipso, ideo ambo

12 concurrunt vt duæ causæ partiales ad productionem intellectionis; voluntas vero, quia positis omnibus circumstantiis cum obiecto, adhuc libera est ad operandum, & non operandum, ideo illa sola habet rationem principij totalis ad productionem suorum actuum.

Dictum sit intellectum, & obiectum mouere, & allicere voluntatem ad productionem suorum actuum, nunc videndum, quomodo id ab illis præstetur; & primo loquendo de intellectu, sciendum est, quod duplex motio assignari potest respectu voluntatis ad operandum; prior sit ab obiecto conuenienter proposito, cuius motio dicitur talis quo ad specificationem, quia actus ab obiecto proposito accipit suam speciem, & determinationem, posterior motio fit à voluntate, & vocatur talis quoad exercitium, hoc est, in genere causæ efficientis, quatenus potentia se applicat ad exercendú opus suum. Quare cum intellectus proponit obiectum voluntati, dicitur illam mouere quoad specificationé, nam actus volútatis ab eo sumit suam speciem, vt diximus, eadem voluntas seipsam dicitur mouere quoad exercitium, quando se applicat ad operationem; Intellectus ergo simul cum obiecto mouet quoad specificationem, & non quoad exercitium, quia nec ipse, nec obiectum habent exercere se immediate circa actus humanos illos producendo.

Hoc autem modo voluntas mouetur ad operandum ab intellectu, nam tale iudicium requiritur, per quod iudicetur de conuenientia obiecti, & quando voluntas efficaciter operari habet prærequiritur iudicium practicum, & non sufficit speculatiuum, neque simplex apprehensio obiecti, neque aliquod datur imperium in intellectu cogente voluntatem ad se applicandum ad operandum, sed ipsa sponte seipsam applicat ad suam operationem exercendam.

Primum de iudicio facto de conuenientia obiecti probatur, quia voluntas nunquam se applicat ad suam operationem, nisi prius intellectus illi proponat conuenientiam & bonitatem obiecti, circa quod versari debet, quia non fertur nisi in præcognitum sed hanc conuenientiam intellectus non potest cognoscere in obiecto, nisi per actum iudicij, componendo illam cum obiecto, vt inde voluntas possit se applicare ad operádum, prosequendo bonum, vel diuidendo, in obiecto cognoscendo disconuenientiam, secundum quam non debet voluntas se applicare sed fugere, & abstinere se à perpetratione mali, ergo intellectus voluntati proponit obiectum prosequendú, vel fugiendum per actú iudicij. Ita Caspensis disp. 3. de Act. hum. sect. 4. n. 26.

Secundum de iudicio duplici speculatiuo & practico, explicatur, iudicium speculatiuum est illud, quo aliquid cognoscitur sine vllo ordine ad praxim, quæ cognitio accidit, quando intellectus voluntati proponit simplicem complacentiam, & delectationem obiecti præsentis, & non vult operari, sed simpliciter complacere, & delectari. Iudicium verò practicum est illud, quod est circa aliquam operationem modo operabili, considerando nimirum illam, quatenus necessaria est ad operandum. Quando igitur voluntas vult efficaciter operari præequiritur illud iudicium practicum, quo illi ab intellectu proponitur obiectum sub consideratione operabili, aliter sufficit solum speculatiuum. 13

Tertium de apprehensione simplici non sufficiente patet & dictis, quia intellectus voluntati obiecti conuenientiam, aut discóuenientiam proponere debet iudicando per compositionem cóuenientiam in obiecto, vel per diuisionem, remouendo illam per disconuenientiam ei oppositam. Patet hoc etiam in potentia sensitiua, etiá brutorú; vt enim appetitus in illis prosequatur suum opus appetendo, necesse est quod brutum non solú apprehendat, sed habeat cognitioné æstimatiuam, quæ est consimilis iudicio hominis, canis e. g. vocatus à duobus à patrono, & ab extraneo, currit ad patronum, & non ad extraneum motus à cognitione æstimatiua, quæ refertur ad iudicium nostrum proportionaliter, canis enim æstimat esse cóueniens accedere ad patronum, & non ad extraneum. Exemplum aliud melius post hæc scripta refero ex Caspensi, vbi inquit: si duo animalia apprehédant lupum népe ouis, & lupa, illa, non hæc fugit, quod signum est in æstimatiua dari aliquem modum iudicij profluentis non à ratione, sed à naturali instinctu, quo ouis iudicat lupum sibi disconuenientem, lupa verò sibi conuenientem. Patet etiá idem in filiis brutorum sub eadem etiam specie, quorum singuli propriam matrem sequuntur, & non suam fugiant propter eamdem rationem iudicij æstimatiui, quo significatur illis conuenire accessum ad propriam matrem, & disconuenire accessum ad alienam. Quare ad hoc vt intellectus moueat voluntatem ad suam operationem, necessarium est iudicium, ita quod non sufficit simplicis apprehensionis cognitio. 14

Quartum de iudicio voluntaté non cogente probatur. Tum quia tolleretur libertas à volútate, si cogeretur imperio intellectus; & cósequenter nulla esset differentia inter causam necessariam, & liberá, nam causa necessaria est illa, quæ positis omnibus requisitis ad agendum non potest non agere, causa verò libera est illa, quæ positis omnibus eius requisitis adhuc potest non 15

non operari; & hæc est sola voluntas, si ergo cogitur imperio intellectus, iam non est libera, sed necessaria quod omnino falsum est, nam experientia patet, posita cognitione, & aliis requisitis, voluntas adhuc potest non operari, ergo per iudicium practicum intellectus non cogitur ad operandum. Quandoque intellectus, immo fere semper dum homo aduertit ad peccatum, retrahit illum sua directione dictando illud delictum non esse faciendum, & nihilominus voluntas eligit peccatum, respuendo rectum iudicium intellectus, ergo intellectus non potest imperare voluntati, vt se abstineat ab opere malo. *Tum quia*, omnes potentiæ subiiciantur imperio voluntatis, hæc enim vti regina aliis imperat, etiam intellectui, ergo intellectus illi imperare non potest. Probatur consequentia, quia subditus, minor & inferior non potest imperare suo prælato, maiori, & superiori, *cap. Inferior 4. dist. 21. cap. cum inferior 16. de maior. 1. Formam C. de offic. Electi Prætor.* illius enim est obedire, & obsequi, huius vero excipere, imperare, & cogere; sed intellectus est potentia inferior, minor, & subdita imperio voluntatis, vt constat, ergo non potest imperare, & cogere voluntatem, sed res è contra se habet, voluntas imperat intellectui. Nec quicquam facit, quod intellectus proponit, & dirigit voluntatem in suis operationibus, quasi hoc illi tribuat quandam maioritatem, & imperium super voluntatem, quia id est officium seruitutis, & obsequij, quod intellectus præstat voluntati; sicut enim ductor cæci non ideo est maior, & superior cæco, cum
16 huius sit famulus, ita neque intellectus cæcam voluntatem ducens, est per hoc voluntate maior, & eidem superior, sed quasi seruus præbens illi rectum iter, per quod incedere potest si velit currere ad suas operationes. Ductor cæcum non cogit ambulare, sed illi præbet viam, per quam incedere potest, si vult ambulare. Intellectus voluntati ostendit bonum prosequendum, & malum fugiendum, in cuius est potestate amplecti bonum, & malum respuere. Ita igitur voluntas libera est, vt posito quocumque iudicio practico cum aliis requisitis, adhuc dicatur indifferens ad agendum, vel non agendum, quod tibi proponitur ab intellectu. Ex quo etiam patet, voluntatem, quando operatur, semper præhabere iudicium rationis, siue illud sequatur, siue respuat per suspensionem actionis, siue operetur oppositum eius, quod illi intellectus dictauit. Ex his solutæ manent omnes obiectiones, quas habet *apud Becanum de Actib. hum. cap. 1. de libero arbitrio q. 5. & apud Caspensem disput. 3. de actib. human. sect. 4.*

17 Quintum de voluntate seipsam determinante ad opus suum. Probatur, quia voluntas essentialiter est potentia libera, ita quod positis omnibus requisitis ad operandum sit adhuc indifferens ad agendum, & non agendum, ex quo cùm ab illis prærequisitis non possit applicari ad opus, sequitur per seipsam determinare se ad exercitium sui operis.

Dices, multæ aliæ causæ sunt indifferentes, cum producere possint diuersos effectus, cuiusmodi sunt e. g. sol indifferens ad producendum hominem, leonem, ouem &c. item intellectus indifferens ad intelligendum hoc, vel illud obiectum, quæ duæ causæ seipsas non determinant ad suos effectus, sed aliunde aduenit determinatio, nam sol determinatur à causa particulari, cum qua conuenit ad productionem effectus in specie causæ particularis, intellectus vero determinatur à specie intelligibili proponente sibi proprium obiectum.

18 ℞. cum Becano de Actib. human. c. 1. q. 5 Causam efficientem duobus modis dici indeterminatam, primo quoad exercitium, qualis est ea, quæ est indifferens ad agendum, vel non agendum, in quo sensu sola voluntas dicitur indifferens, quia positis omnibus requisitis adhuc est indifferens ita quod ea requisita quo ad determinationem exercitij nil efficere possunt. Secundo quoad specificationem causa dicitur indeterminata ad productionem diuersorum effectuũ, in quo sensu tam causæ necessariæ, quam liberæ dicuntur indifferentes, quæ determinantur ab alio, dum volunt producere aliquem effectum, sic voluntas determinatur à suo obiecto, si enim illi proponatur obiectum honestum, determinatur ab illo, si turpe ab eodem. Intellectus à specie intelligibili, & hæc determinatio dicitur dependere in genere causæ formalis. Determinatio solis ad speciales effectus per causam particularem refertur ad causam efficientem. Hæc autem determinatio quoad specificationem nulla ratione lædit libertatẽ voluntatis quoad suum exercitium quia cum illa sit præcisè specificatio actus humani nihil habet influere in exercitium, quo recipit esse talis actus sub sua specie, maxime cum specificatio secundum actum sequatur exercitium voluntatis actu operantis.

Quæres 3. Quid sit liberum arbitrium, seu libertas, 19
& actus liber in homine? Restringo me ad libertatem hominis viatoris, quia de hac re exactè agere nolo, sed solummodo ad propositum huius opusculi.

℞. Libertas in homine dictum liberum arbitrium est dominium, quod voluntas habet super suas operationes, quas positis omnibus circunstantiis, potest elicere, & non elicere pro suo arbitrio, à nullo coactus, nec necessitatus, vnde duplex datur in homine libertas à coactione, & à necessitate, quæ duplex libertas necessaria est, vt actus à voluntate elicitus dicatur liber. Actus igitur humanus liber ille dicitur, qui producitur à voluntate non coacta, nec necessitata, ratione aduertente id, quod agit voluntas, cum aliis potentiis ab ea imperatis. Omnis actus liber est etiam voluntarius, non vero omnis voluntarius est liber.

Primum, quod libertas dicatur liberum arbitrium, 20
indicat eam à duabus potentiis dependere, nimirum ab intellectu proponente obiectum voluntati, & dirigente illam ad prosecutionem boni, & fugam mali, & aduertente bonitatem, seu malitiam in obiecto, circa quod voluntas operatur ff. voluntate deliberante, & se applicante ad obiectum sibi ab intellectu propositum, ea enim non fertur nisi in præcognitum, & eliciente proprium actum. Respectu potentiæ intellectiuæ libertas vocatur arbitrium, est enim arbitrium actus iudicij, quo intellectus iudicat & arbitratur obiectum voluntati propositum esse conueniens, ac proinde amplectendum, vel disconueniens ac proinde fugiendum. Respectu verò voluntatis nuncupatur liberum, est enim voluntas, non intellectus, quæ actus à se elicitos denominat liberos. Intellectus autem, & voluntas in ordine ad libertatem se habent eo modo, quo consiliarius, & princeps in agendo, sicut enim consiliarius necessitatur ad dandum bonum consilium, quod tamen Princeps sequi non cogitur, nec necessitatur, vt iura docent, cap. Cum olim, de arbitr. Reg. 62. in 6. sed in eius est libertate amplecti illud, & non amplecti: ita intellectus ex parte sua necessario operatur, quia obiectum voluntati prout est in suis conditionib. & circumstantiis proponitur, ipsa vero voluntas adhuc libera est ad operandum circa illud obiectum sibi ab intellectu propositum.

Secundum, de dominio voluntatis super suas actiones, constat Eccli. 15. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Homo innatam sibi habet libertatem, & dominium, quod per manus intelligitur suarum actionum, quas potest elicere pro hoc arbitrio, siue bonas siue malas.

Tertium, de duplici libertate à coactione, & necessi- 21
tate, requiritur in voluntate dum operatur, vt actus humanus ab ea elicitus dicatur liber, à coactione quidem, quia à nullo extrinseco debet cogi, tunc enim eius operatio non exiret libera; à necessitate vero, quia licet

licet voluntas sit potentia naturalis, non ideo tamen à natura necessitatur ad operandum, quia agit vt potentia libera, non vt potentia naturalis.

22 Quartum, de definitione actus humani liberi, explicatur, nam ad hoc vt actus humanus dicatur liber duo sunt necessaria aduertentia rationis, & libertas voluntatis, respectu primi intellectus debet præcognoscere omnes circumstantias obiecti, circa quod voluntas versatur, nam respectu circumstantiarum ignotarum, actus elicitus à voluntate liber non est, nec voluntarius, iuxta quod dixi sub q. 1. voluntarium esse illud, cuius principium est in agente cognoscente singula, in quibus est actio, sine enim præuia, & comitante cognitione voluntas cæca non culpatur, si cadit, quia cadit secundum conditionem naturæ, quod ideo ei non imputatur, quæ enim secundum naturam sunt nec laude, nec vituperio digna sunt. Respectu secundi voluntas vt liberè operari possit, debet esse immunis à coactione, & necessitate, prout supra dixi, si enim cogatur, non liberè, sed inuoluntariè agere dicitur, sicut & quando necessitatur, dum agit secundum naturæ impulsum, vt cum elicit motus primo primos, qui ratione non præueniente, nec aduertente, dicuntur naturaliter, & ex necessitate euenire.

23 Quintum, de diuersitate voluntarij, & liberi, constat, omne liberum esse voluntarium, quia à voluntate non coacta, non necessitata procedit, ratione aduertente, è contra non omne voluntarium est liberum, non solum in Deo, & Beatis, in quibus actus e. g. amoris est quidem voluntarius, quia à voluntate elicitur sponte, & sine vlla coactione, non tamen est liber à necessitate, quia non possunt non amare, cum amor diuinus sit indefectibilis, verum etiam in homine viatore datur aliquod voluntarium, quod non est liberum, vt id apparet in primis motibus, qui dicuntur non esse in nostra potestate.

24 Notandum est, quod in actu humano plura spectantur. Primò, ratio entis in genere, secundùm quod in rerum natura est aliquid physicum. Secundò, ratio talis entis, nempe, quod est accidens de genere qualitatis, respectu vtriusque habet rationem materialitatis, in quo sensu hic non consideratur sed respectu suæ rationis formalis libertatis, secundum quod Tertiò spectatur in ordine ad obiectum, circa quod versatur, & à quo specificatur. Quartò, in ordine ad voluntatem, à qua producitur tamquam à principio vitali, & à qua procedit vt causa libera. Quintò, in ordine ad auxilium supernaturale, quod concurrit simul cum voluntate ad operandum, ex quo actus humanus liber vocatur supernaturalis ex duplici capite, primo à principio naturali à quo producitur, secundo ab obiecto supernaturali e. g. virtutum Theologicarum, circa quod versatur; dicitur autem obiectum supernaturale omne illud, quod homo viribus propriis naturalibus attingere non potest, sed eget supernaturali Dei auxilio.

25 Actus humani liberi sunt in duplici differentia, alij eliciti à voluntate, qui sunt amor, desiderium circa absentia, & gaudiũ de præsentibus, consistunt in prosecutione boni. Actus oppositi sunt odium, timor, & tristitia, qui consistunt in fuga mali. Alij sunt actus eliciti, qui versantur circa finem, vt voluntas, intentio, & fruitio, qui coincidunt cum amore, desiderio, & gaudio. Circa media ad finem consequendum sunt electio, consensus, & vsus, per electionem voluntas amplectitur vnum mediũ præ aliis ad consequendum finem. Per consensum consentit in obiectum à ratione sibi propositum. Per vsum denique voluntas applicat alias potentias ad opus. Demum alij actus vocantur imperati à voluntate, cuiusmodi sunt omnes illi, qui exequuntur ab aliis potentiis imperio voluntatis.

26 Demum libertas duplex est, vna contradictionis, secundum quam quis potest agere, & non agere seu cessare ab actione inchoata, & dicitur quo ad exercitium actus, atque respicit vnicum obiectum. Altera contrarietatis, seu quoad speciem actus, quando ex duobus sibi ab intellectu propositis, potest alterum eorum facere, altero omisso.

Quæres 4. An intellectus sicut voluntas sit liber, an necessario agat? Non est dubitatio de libertate à coactione, quia certum est, intellectum non esse liberum à coactione, cum cogi possit ad operandum sed de libertate à necessitate.

℞. Intellectus non est liber, sed necessario operatur, sola ergo voluntas libera est ab vtroque ex coactione, & necessitate. 27

Primum de intellectu probatur, quia potentia intellectiua immutatur à suo obiecto, ita quod positis omnibus requisitis non potest non operari intellectionem. *Confirmatur*, quia si intellectus esset liber, ex hoc sequerentur quatuor absurda. *Primo*, intellectum peccare per solum assensum ante consensum voluntatis, quod est absurdum, certum enim est, intellectum per se spectatum sedulo voluntatis imperio, seu affectu, non esse capacem peccati, neque meriti, aut demeriti. *Secundò*, hominem bis peccare in quolibet actu peccati, semel in vindicando, & iterum in eligendo per voluntatem; nam actus isti intellectus, & voluntatis subsequenter se habent, ita quod si vnicuique attribui potest ratio peccati, si vtraque potentia est libera, nam radix, & causa peccati est libertas, siquidem peccatum est voluntaria legis transgressio. *Tertio*, ignorantiam omnino inuoluntariam non excusare à peccato, contra omnes inter causas excusantes à peccato, recensentes ignorãtiam inuoluntariam. *Quarto*, sequeretur dari peccatum non voluntarium, contra communem sensum omnium Theologorum *cum S. Augustino lib. de vera relig. c. 14. relato in causa 15. q. 1. D. Ioanne Chrysostom. relato cap. Sicut enim 10. 32. q. 5.* etiam respectu venialis, *Sair. lib. 7. de censur. cap. 5. num. 7.*

Secundum de sola voluntate libera ab omnibus conceditur, nam sacræ Scripturæ, & cum illis sancti Patres libertatem soli voluntati tribuunt. Res probatione non eget. Demum ratio libertatis ita est aliena ab intellectu, vt neque saltem radicaliter dici possit liber, quia non potest esse causa, cur voluntas libera sit, cum hæc ex sua natura talis à Deo creata fuerit cum sua libertate. Nec refert, quod Theologi liberum arbitrium vocant facultatem rationis, & voluntatis, quasi vtraque potentia sit libera, nam dicitur facultas rationis, quatenus voluntas in exercitio pendet ab intellectu proponente obiectum circa quod voluntas versari potest. 28

Quæres 5. Per quas causas impediatur vsus liberi arbitrij, ex quo actus dicitur inuoluntariè, seu non liberè factus. 29

℞. Causæ sunt Ignorantia, vis, seu coactio, & metus. Quæ licet simpliciter non tollant voluntarium, tamen illud ita minuunt, & libertatis qualitatem destruunt, ne actus dicatur liber, ac proinde non imputantur sic qualificati ad peccatum, nec ad pœnam. Patet id totum ex definitione actus voluntarij liberi, qui dicitur procedere à voluntate sponte agente non coacta, non necessitata, cogitur autem à vi, coactione, & metu, de quorum ratione quoque est cognitio & aduertentia ad circunstantias obiecti, quas excludit ignorantia, positis ergo illis causis voluntas operando non potest dici operari libere, & elicere suos actus voluntarios, & liberos.

Ignorantia ad tria comparari potest, ideo triplex eius diuisio dari potest, nam *Primo* comparata ad subiectum hominem ignorantem diuiditur in culpabilem, improbabilem, & vincibilem, quæ in idem recidunt, & in inculpabilem, probabilem, & inuincibilem. *Secundo* ex parte obiecti diuiditur in ignorantiam iuris, & facti. 30

Tertiò

Tertiò ex parte actus diuiditur in Antecedentem, Consequentem, & Comitantem.

31 Inuincibilis ignorantia est illa, qua ignoramus ea, quæ scire non tenemur aut si tenemur ea à nobis aliquo modo præuisa, post adhibitam sufficientem diligentiam non potuimus eam superare deueniendo in cognitionem eius, de quo quærimus, seu dubitamus. Debet ergo præcedere aliqualis cognitio, vel dubitatio de re, quam scire debemus, impossibile enim est, nos teneri inuestigare id, quod numquam nobis occurrit. Vincibilis ignorantia inuincibili opposita est illa, quæ diligentia superari potest.

32 Ignorantia iuris, qua ius nescitur, siue sit naturale siue diuinum, siue humanum, siue commune, siue particulare. Ignorantia facti, qua nescitur aliquod factum, siue omissum esse contra dicta iura.

33 Antecedens dicitur ignorantia, quæ antecedit consensum voluntatis, & actum ipsum, & tunc dicitur inuoluntaria causa actus. Quando vero sequitur ad consensum dicitur voluntaria, & vocatur cōsequens, sicut & comitans, quando non est causa actus, sed illum tantum comitatur.

34 Notandum autem est, omnem ignorantiam ex dictis tam iuris, quam facti, & antecedens denominari ignorantiam inuincibilem, quando superari non potest, & hæc minuit voluntarium, quod non est sufficiens ad inducendum culpam, neque pœnam in transgressore ex ea ignorantia. Ratio est, quia nullum peccatum nisi voluntarium, sed ignorantia tollit voluntarium, ergo non potest inducere peccatum. Ita omnes sentiunt Theologi, & Canonistæ, *gl. in cap. fin. dist.* 37. *v. omnis ignorantia cap. Apostolicæ* 9. *de cler. excom. ibid. gl os.* 1 . *Ignorantia.* Quod deducitur etiam ex sacris scripturis. Genes. c. 20. 4. *Num gentem ignorantem, & iustam interficies* Ecce ignorantia inuincibilis, qualis fuit in Abimelech, qui tulerat vxorē Abraham, quam ex eius assertione credebat esse illius sororem, excusat non solum à peccato, sed etiam à pœna mortis. Adduntur rationes, nam ad peccantem requiritur consensus voluntatis, & aduertentia rationis ad malitiam actus, vt constat ex præcedentibus; sed ignorans non dicitur aduertere, neque consentire, *l. Nihil* 117. *de reg. iur. l. si per errorem ff. de iuris d. om. iud. Grat. ad q.* 1. *causa* 29. *Tuschus lit. c. conclus.* 754. *Barbosa var. lit. c. n.* 44. ergo non peccat, qui ex ignorantia legem transgreditur. Deinde, ille dicitur peccare & legem transgredi, qui illi est inobediens, non enim solum inobediens dicitur, qui aduersatur iussioni verbali superioris sui, sed etiam qui non seruat mandata Dei illa violando, sed ignorans non potest dici inobediens, *cap. cum pro voluntate de sent. excom.* neque negligere, aut contemnere legem Dei *l. Nec ignorans c. de donat. Surd. decis.* 25. *n.* 30. *Farinac. in praxi crim. p.* 4. *cōsi.* 96. *n.* 33. Præterea legitime impeditus excusatur ab obseruatione legis, quia dicitur impotens illam obseruare, ac proinde non tenetur, quia impossibilium nulla est obligatio, Reg. 6. in 6. & l. impossibilium 145. eod. sed ignorans probabiliter, & inuincibiliter dicitur legitimè impeditus. *Paris. lib.* 1. *de Resignat. q.* 5. *n.* 85. *per text. in l. Lanius ff. de calum. Beia p.* 4. *casu* 28. §. *Tum quia,* ergo excusatur à peccato non agens, quod agere deberet.

35 Culpa igitur non existente, à qua excusatur ignorantia laborans, pœna locum habere non potest, pœna enim sequitur culpam, & illi commensuratur, pœna ergo non afficit ignor. fin. ff. de dec. ab ordin. faciend. cap. 2. de constit. in 6. vbi Papa non vult ignorantes probabiliter ligari statutis ordinariorum, *Bart. cum aliis in l. cunctos populos c. de sum. Trinit. n.* 20. *Afflict. decis.* 290. *n.* 3. *Iason consil.* 184. *in primo, Cephal. consil.* 167. *n.* 11. *Giurba consil.* 12. *n.* 25.

36 Procedunt dicta non solum in foro conscientiæ, in quo asserenti ignorantiam creditur, quia agitur de interesse animæ, cuius nullus præsumitur immemor, cap. Sancimus 16. 1. q. 7. nam cuique in foro conscientiæ tam pro se, quam contra se creditur ex cap. significasti 18. de homicid. verum etiam in foro externo, quia vtriusque idem est iudicium, *Sair. in Claui lib.* 1. *c.* 13. *n.* 24. *Sanch. l.* 1 *c.* 10. *n.* 11. *Val. in Prælud. differ. vtriusque iuris v. Forus*, asserens valere argumentum à foro interno ad externum, & è contra. Id verum dicunt, nisi forus externus fundetur in præsumptione, in quo casu allegans ignorantiam, eam probare tenetur.

Regula 13. in 6. habet, quod ignorantia facti excusat, non ignorantia iuris, quæ nihilominus in multis excusat casibus. *Primo* quando probatur, *Graff. tom.* 1. *consil.* 5. *de homic. n.* 16. *Sanch. l.* 9. *disp.* 32. *n.* 4. & 5. *Secundo*, in constitutione extra corpus iuris, *Abbas in cap. Pastoralis, vbi etiam* Felin. *de fide instr. Graff. part.* 1. *l.* 4. *c.* 9. *n.* 23. intellige si sit vetus, & non legatur in loco singulis annis. *Tertio*, in iure dubio, *Nauar. consil.* 4. *de vsur. n.* 7. *consil.* 10. *de sepult. n.* 7. etiam si ius sit diuinum, aut naturale, *Sanch. l.* 5. *disp.* 3. *n.* 13. *Quarto*, si ius sit infrequentatum, & insuitatum, *Nauar. consil.* 4. *de Vsur. n.* 7. *Quinto*, si sit circa apices iuris, idem Nauar. loco citato *Sexto*, excusat priuilegiatos, qui sunt mulieres, rustici, & milites, *gl. v. cui permittitur cap. Innocens* 23. 22. *q.* 4. *Grilenz. consil.* 170. *n.* 16. *Thomaset. reg.* 14 . vbi limitat in casibus iure expressis *ex Baldo in l. cum allegas c. de vsur. col.* 4. nec excusantur si singulis annis fiat publicatio, *Silu. v. Ignorantia n.* 16. *de mente Antonij de Butrio.* Archidiaconi. *Septimo*, excusantur religiosi, qui non tenentur scire leges extraneas à suis regulis, & ordinibus, *Nauar. consil.* 10. *de sepult.* §. *Tertio, per cap. Non magno, Ne cler. vel mon. & c.* 2. *de postulat. cum glos. Silu. cit. n.* 16. Intellige respectu constitutionum Apostolicarum, quæ de illis non agunt. *Octauo* demum excusat ab incursu censuratum, & irregularitatis, quandocumque excusat à peccato mortali, sine quo illæ non incurruntur, *Felin. in cap. cæterum de reser. n.* 19. *Grat. discept.* 631. *n.* 14. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gl.* 67. *n.* 19. *Sigism. dub.* 3. *de elect. n.* 6. *Sanch. l.* 9. *disp.* 32. *n.* 28. & 29. & 36. *Scot. in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. subdens Nau. *cit. consi.* 10. *de sepult. n.* 4. id procedere etiam si pœna lata sit contra aliquid lege naturali, aut diuina, quem cum aliis sequitur *Nald. v. Ignorātia n.* 7. 37

Vis est maioris rei impetus, cui resisti non potest l. 2. de eo, quo metus. Vnde fit in inuitum, qui contra propriam voluntatē operatur per principium extrinsecum. Violentum autem denominationem accipiens à vi definitur ab Arist. 3. Ethic. c. 1. *Violentum est illud cuius est prius, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata.* subdit autem clarius. *Violenta sunt quorum principium est extra, & ipsum agens, aut patiens nihil omnino confert.* Clarius violentum definitur quod fit à principio extrinseco passo resistente, & nullam vim actiuam conferente. Ex quo duo necessaria sunt, vt actus dicatur violentus. Primum, quod à sola causa extrinseca proueniat; secundo, quod homo patiens resistat, ita quod nihil coagat cum causa extrinseca impellente ad opus contra eius voluntatem. Sit exemplum in eo, qui per manum alterius percutit, nam percussio tribuitur manui impellentis, & resistentia manui impulsæ. Similiter legata nullo prorsus modo consentiens homini, qui cū ea fornicatur, dicitur vim pati contra suam volūtatē, vnde homo solus dicitur totalis causa fornicationis, mulier vero nullo modo, cū resistat huic impetui. 38

Becanus hic de libero arbitrio *q.* 10. *n.* 39. duo asserit spectare ad vsum liberi arbitrij, primo quod quis sponte agat, non coacte: secundo, quod agat libere, itaut possit non agere, subdens liberum arbitrium impediri in suo vsu quoad priorem partem, non quoad posteriorem, ac proinde factum coacte dici quidem libere factum, quia poterat non fieri, non tamen omnino sponte, sed coactè.

Hæc subsistere non possunt in ordine ad passum vim, quia totalis causa productiua actus est vim inferens, cùque non cōcurrit, nec coagit homo violentatus, cum resistat, ergo ex parte patientis, actus nec volentarius secundum quid nec liber dicitur. Deinde non potest dari actus simpliciter liber, qui etiam non sit simpliciter voluntarius, quia liberum supponit voluntarium omne enim liberum est voluntarium licet non omne voluntarium sit liberum, si ergo actus violentus est liber, à priori erit voluntarius, nec obstat illa ratio *quia poterat non fieri*, nam sequeretur omnes humanos actus prouenientes à coactione esse liberos, ex ea ratione, quia possunt non fieri siue sint eliciti, siue imperati, consequenter nullus esset actus violentus contra liberos actus.

Sub n. 40. tam actus elicitos voluntatis, quam ab ea imperatos dicit violentos, ceu coactos, vel à principio actiuo, vel à motiuo? infert dici violentos per hoc posterius principium. Sed contra est, vel enim loquitur de principio extrinseco in definitione violenti posito, vel de alio expresse per motiuum, de primo bene currit sermo, de secundo nequaquam quia vim inferens agit physicè, non mouet per aliud principium extra actiuum præterquam supponere videtur, passum vim habere aliquam rationem actiui, dum dicit. *Nam quando externa vis, mouet me, vt aliquid velim facere, vel reipsa faciam, tunc censeor, id aliquo modo, vi, aut coactè facere quia non facio omnino sponte & voluntariè, tametsi liberè.* quod non facit ad rem, sed omnino falsum est, si sermo tantùm sit de vi, & coactione, vt ipsemet loquitur, nam ea applicari nequeunt præcisè soli violentiæ, in qua passum nullam habet actiuitatem aut motionem in effectu, sed cum admixtione metus vt infra patebit.

39 Actus eliciti non possunt violentari in voluntate, sicut alij ab ea imperati, quia, extrinsecum principium impedire non potest potentiam voluntatis, quin eliciat suos actus, quando velit vnde dixit gl. in q. 5. causæ 32. per cap. 2. eod. quod vis animos non infertur; sicut impedire potest respectu potentiarum externarum, vt patet si oculi per vim claudantur, pedes, & manus conuinciantur, &c.

Scotus in 2. dist. 18. quæst. 1. quem sequitur Caspensis
40 *disputat. 2. actib. human. sect. 6. num. 51.* tenet cum communi Doctorum, violentiam ab extrinseco principio esse contra principium non solum actiuum, sed etiam passiuum subiecti resistentis, cum etiam potentia passiua habeat suam naturalem inclinationem ad suam perfectionem, vnde resistere potest per naturalem impetum, si à sua perfectione deturbetur. Sed de his speculationibus satis.

41 Ad rem nostram, vis violenta, ceu coactio tollit voluntarium, & liberum, ita quod homo coactus operans per principium extrinsecum, & illi resistens, excusetur à peccato. Probatur, ex illa communi ratione, quod nullum peccatum nisi voluntarium, sed quod fit per violentiam non est voluntarium cum non fiat à voluntate, sponte, & liberè, sed coacta, & ex parte sua nullam actionem præbente, ergo non peccat. Confirmatur, quia peccatum consistit in actu; sed ex parte hominis coacti nulla est actio cooperans, cum resistat impellenti, ergo non peccat. Deinde ad peccatum requiritur consensus voluntatis; sed per vim excluditur consensus, resistente violentiam patiente, *lib. Nichil. 117. de reg. iur. cap. cum locum, 14. cap. veniens 13. cap. consultationi 28. de sponsal.* ergo violentatus excusatur à peccato, ac consequenter à quauis pœna. Ita omnes Theologi & canonistæ.

42 Metus est timor mali probabiliter imminentis, ad quod euitandum homo cogitur aliquid facere, vel omittere, quod alias non faceret, vel omitteret. Quandoque prouenit à causa naturali vt ab infirmitate, feris, tempestate maris &c. Interdum ab homine comminante malum; quod accidere potest dupliciter, primò iustè, vt si iudex reum cogat intrare religionem, aut vxorem ducere à se violatam, ad euitandum mortem, vel aliam pœnam imminentem. Secundò iniustè, vt si quis cogat alterum ad homicidium, furtum, adulterium &c. Diuiditur in grauem dictum cadentem in constantem vitam, qui est timor magni mali verè probabiliter imminentis; Et leuem, qui est parui mali, aut etiam magni sed reuera non imminentis timor. Ita canonistæ *in tit. de his quæ ui, metusue causa Theologi in 4. vbi de matrimonio. Sanch. lib. 4. disp. 5.* vbi refert quatuor decim mala inferentia metum cadentem in constantem vitam. *Primum* est mors. *Secundum*, mutilatio membrorum. *Tertium*, terror armorum. *Quartum* grauis cruciatus corporis. *Quintum*, metus redigendi iterum in seruitutem. *Sextum*, timor captiuitatis. *Septimum*, timor exilij. *Octauum*, metus carceris diuturni. *Nonum*, timor amissionis status. *Decimum*, timor amittendi honorem. *Vndecimum*, comminatio stupri, *Duodecimum*, comminatio infamiæ Iuris. *Demum tertium*, metus excommunicationis iniustè illatæ. Demum timor amissionis saltem maioris partis bonorum, licet aliunde sustentari possit.

Metus grauis constituitur ex prædictis malis, leuis ex aliis malis minoribus, vel etiam ex illis, sed reuera non imminentibus: Grauis habetur in consideratione in iure & apud iudicem atque peritos non verò leuis, l. *Nec timorem ff. de eo, quod metus. Bonifac. idem 1. de foro compet. n. 3.* vnde metum vani hominis iura nihili faciunt, l. *Metum 6. ff. de eo, quod metus, Sanch. lib. 7. disp. 19. numer. 12.* ex quo metus grauis non dicitur, si ille, qui minatum malum quamuis magnum, non posset illud exequi, *l. famosi l. ad leg. iul. maiest.* quia illud non dicitur probabiliter imminere.

Iustus metus, qualis est ille, qui infertur legitimè à iudice, & superiore, non fauet illi cui incutitur eo quod pro non incusso habetur, quia non dicitur inferre metum alicui, quando secundum iura procedit contra reum, *gl. v. metum cap. cum 6. eod. per l. 2. ff. eod. gl. in cap. cum dilectus v. eod. de his quæ vi Sanch. lib. 4. disputat. 13. numer. 2.*

Vis & metus quandoque pro eodem sumuntur secundum Sanch. lib. 4. disp. 20. §. contrariam, 43
Longè tamen differunt in re, primò quia vis vt quid superius includit in se metum, *gl. v. causa cap. Ad audientiam eod. per l. 1. & 2. ff. eod. vnde*, idem est titulus: De iis, quæ vi, metusue causa fiunt. Secundò, ex vi tantum impellens operatur, violentatus verò non cooperatur, sed omnino resistit; in metu res è contra se habet, nam metuens violentatus cogitur operari ex imperio perterrefacientis, vt malum sibi comminatum euitet.

Cum metus non præsumatur, quia est de genere malorum, *Balt. lib. 1. consil. 148. numer. 4. Iason. lib. 2. consil. 165. cum aliis Giurba consil. 585. num. 6.* ideo allegans illum probare tenetur, Decius in c. 51. iustas metus de appellat. num. 25. vbi subiungit, quod plus creditur duobus testibus deponentibus de metu & violentia, quam centum deponentibus de libera voluntate, doctoribus allegatis. Firmatur antem probatio ex necessitate asserendo, & explicando malum in specie comminatum, non enim sufficit testi deponere talis comminatus est, metum intulit Petro sed explicanda est in indiuiduo species mali.

Metus

Metus autem tamdiu durat, quamdiu causa incutiens illum perseuerat in esse, *gl. fin. cap.* 5. *eod.* tandiu durat, quamdiu minans præest, *Abbas, & Imola in idem cap.* 1. *eod. ex quo Graff. lib.* 2. *de Arbitr. cap.* 39. *num.* 5. ait, quod metus incussus à iudice præsumitur durare, donec iurisdictioni præest. Professi metus præsumitur durare quousque pater incutioni illum filio moriatur, quia illi adhuc præest, cum verè non sit professus, & ideo non dicitur liberatus à patria potestate, à quâ solùm liberat vere professus, *Abbas in c. si quis, de Regul. n.* 2. *Bertius tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 13.

Grauitas metus attenditur tam ex parte minitantis, quam ex parte metuentis, ex illo quidem si est homo seuerus, magnæ potentiæ, assuetus armis, ex his circumstantiis arguitur grauis metus, aliàs leuis tantum. Ex patiente arguitur maior metus in muliere & iuuene, quam in viris, illi enim facilius succumbunt, quam isti.

Metus an irritet contractus defectu consensus, an verò sit iusta causa rescisionis ob illatam iniuriam? non est huius loci, quia de metu agimus in ordine ad qualificandas propositiones in genere moris.

44 Metus excusat à peccato respectu eorum quæ non sunt intrinsecè mala, tria autem sunt necessaria, primum quod sit grauis reuera imminens, secundum, quod iniustè incutiatur, tertium quod non incutiatur in contemptum religionis.

De excusatione à peccato suadetur. *Tum quia*, metus causat tale voluntarium quod non sufficit ad peccandum cum sit coniunctum cum coactione. *Tum quia*, metus æquiparatur ignorantiæ quam includit, *lib. si cum exceptione* 14. §. *in hac exceptione ff. de eo, quod metus gl. v. coactus, cap.* 2. *eod.* sed illa excusat, ergo & metus. *Tum quia*, non est verisimile, quod legis auctor suam legem obligare cum tanto rigore velit. *Tum quia*, licet voluntas coacta sit, voluntas, *cap. Merito* 15. *quæst.* 1. *capite explicet* 23. *quæst.* 4. *lib. Mulier* 21. §. *si metu ff. de eo, quod met. gl. v. conditionaliter capite* 3. *de baptismo*, sicut & voluntas turbata, *gl. v. paucis, capite* 23. *de simon.* ac proinde solum veniale arguere possit, dicente, *cum textu in capite Sacris eod.* metum attenuare culpam. quam tamen prorsus non tollit, ea tamen non sufficit ad peccatum mortale, quod requirit perfectum consensum, qui sine dubio impeditur à metu, qui animum & mentem facit trepidare, ne possit agere, quod debet, ita docent omnes.

Dubitari potest an opus factum ex metu excusetur à peccato, quia metu est factum; vel quia abest sufficiens consensus; vel quia cessat lex, quæ non intendit obligare cum tanto damno?

Respondeo excusationem à peccato procedere ex defectu perfecti consensus, non verò ex eo, quod in eo casu lex cesset quoad suam obligationem, in tantum enim homo in casu metus non subiicitur legi, in quantum operatur contra eam ex imperfecto consensu ad peccatum, ergo cessatio obligationis prouenit ex imperfectione voluntatis, & consensus. Confirmatur, nam legis obligatio cessat in occasione metus non ex se, aliter cessaret simpliciter, sed respectu personæ metuentis, non quomodolibet, sed ratione imperfecti consensus causati à metu, ergo excusatio à peccato potissimum prouenit ex imperfecto consensu, sine quo peccatum accidere non potest.

Caspensis disput. 2. de actib. human. sect. 9. numer. 86. infert transgressionem legis ex quocumque metu oriatur, esse etiam culpabilem rationem reddit, quia essentia peccati posita est in voluntaria legis transgressione, quare impossibile est, hanc transgressionem sine peccato esse, ex quolibet metu oriatur. Subiungit, excusari opus à peccato non quia fiat ex metu, sed quia lex non obligat cum periculo talis mali.

Contra est quia tandem, ea ratio, quod lex non obligat cum tanto periculo, resoluitur in metum causalem auferentem voluntarium, quod est causa peccati, neque enim transgressio legis ex metu est voluntaria, cum adsit metus cogens, & tollens voluntarium necessarium ad peccandum, tunc enim homo liberè non operatur, si cogitur, & necessitatur ad id, quod nollet, si enim ex duobus malis, minus eligens ex necessitate, non dicitur velle malum, sed bonum, quod est fuga maioris mali, quare ex metu operans dicetur velle malum, quod operatur præter eius intentionem cum solum intendat malum consistens in fuga maioris mali.

In intrinsecè malis non excusat à peccato metus 45
quamtumuis grauissimus, vti mortis, quia intrinsece mala ita talia sunt, vt præferantur etiam morti, ita quod non possunt aliqua circumstãtia cohonestari cuiusmodi sunt ea, quæ sunt immediate contra Deum, & religionem, vt odium Dei, Blasphemia, & luxuria, &c. ita sentiunt omnes *cum Sair. lib.* 2. *Clauis cap.* 2. *numer.* 50. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 18 *Reginal. lib.* 11. *cap.* 8. *numer.* 73. *Bonac. de peccatis, quæst.* 8. *p.* 2. *num.* 7. Metus ex titulo iustæ defensionis excusat à peccato eum, qui suum aggressorem occidit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, nam conseruatio propriæ vitæ vti melius bonum, præfertur conseruationi alienæ vitæ, cæteris paribus, & præceptum naturale de non occidendo intelligitur de homicidio iniquo, ei igitur non imputatur homicidium, qui se defendendo occidit inimicum, *capite non est iniquitatis* 23. *quæstio.* 5. in his nullus dissentit.

Quæres 6. Quid sit moralitas in actu humano? seu quid sit actus humanus quatenus moralis? Moralitas secundum Durand. in 2. dist. 28. q. 1. dicitur à more qui significat consuetudinem, seu actum, qui propriè conuenit actibus humanis.

℞. Moralitas est quidam respectus, ordo, & habitudo actus humani ad libertatem voluntatis. Actus 46
humanus moralis vocatur ille qui fit liberè à voluntate, intellectu proponenti; à libertate igitur voluntatis, & ab aduertentia rationis, actus humanus dicitur moralis, si desit aduertentia, vel libertas, actus non dicitur moralis, nec humanus sed hominis tantum. Duo autem spectantur in actu humano, ratio entis secundum quam est ens, in genere naturæ, & ratio moris, ratione cuius dicitur moralis, & liber, illud est materiale, hoc formale quod considerandum est. Igitur actus humanus in genere entis, & naturæ fit moralis, quandocumque elicitur liberè à voluntate cum aduertentia rationis, si desit alterum eorum non est actus humanus moralis, sed actus hominis in genere entis tantum.

Quærunt hic speculatiui an moralitas sit ens reale superadditum entitati actus humani.

Respondeo, esse ens reale. Probatur primò, quia 47
moralitas inest actibus seclusa, quauis intellectus operatione, nam illi sunt boni, meritorij, seu mali, & demeritorij sine vllo intellectus opere, quo illis affingatur relatio rationis, quæ in illis dicat moralitatem.

Caspensis *Tract.* 10. *De bonit. & malit. human. actuum disp.* 1. *sect.* 2. *numer.* 14. dicit quod ratio formalis moralitatis cognoscitur per relationem rationis, in qua formaliter consistit. Sed contra, quia quæcumque sit ea relatio actus humanus in genere moris prius

e st

est ad se in genere,& differentia qualitatis, quam sit ad alium per eam relationem, ergo est aliquid reale etiam absolutum cum sit sub genere qualitatis, ad quam sequitur ea relatio, per quam subsequenter cognoscitur, cum nobis ignota sit eius differentia.

Probatur 2. quia in actu humano duo spectantur, ratio entis in esse physico,quod est materiale ens reale de quo non dubitatur, & ratio moris, in quo est difficultas,si realitas præcisè consistit in primo,sequitur hominem saluari & condemnari propter ens rationis, quod est absurdum,sequela ostenditur, quia ens morale prout dicit moralitatem respicit bonitatem,& malitiam actuum humanorum propter quorum bonitatem homo saluatur, & propter eorumdem malitiam damnatur.

Respondet Caspensis,quod moralitas fundamentaliter spectata est ens reale,non autem,si formaliter spectetur,quia tunc est ens rationis. *Sed contra*,nam hoc fundamentale vel dicit præcisè solam entitatem physicam, in quo sensu est quidem reale,sed non facit ad propositum,quia non est quæstio de materiali, quod denominat illud fundamentum, sed de morali ratione sui, an superaddatur vt quid reale entitati physicæ. Vlterius hoc esse fundamentale si dicat complexum vtriusque entis,& moris. Quæro, hoc complexum est ne reale secundum se totum, ita quod realitas accipiatur ex parte vtriusque & sic habeo intentum, vel ex altera tantum, si ex parte moris, bonum est, si ex parte entitatis, iam de ea non quærimus,sed de moralitate,ergo necesse est, quod hæc sit realis in se.

Probatur 3. Actus moralis est causa habitus moralis acquisiti,& è contra, habitus moralis est causa productiua actuum moralium,ergo moralitas in se est quid reale, non enim ens rationis potest esse realis causa.

Respondet Caspensis actum moralem causare habitum quoad substantiam, non ratione moralitatis, sed ratione actus, cui conuenit moralitas. Similiter habitum non causare actum per se vt moralem, sed tantum per accidens, concurrendo ad actum, cui conuenit moralitas. Subiungit actibus propriè conuenire moralitatem, habitibus verò solùm vt principiis, & causis actuum moralium. *Contra est*, quia id aliud non significat, quam actum physicum causare habitum physicum, & è contra, ex quo moralitas non attingit moralitatem in genere moris, quod tamen falsum est, quia vtrumque consideratur formaliter prout in genere moris.

48 Notandum est, quod moralitas diuiditur in bonitatem, & malitiam, illa consistit in honestate actus ex obiecto, fine,& circumstantiis,ad quam consequitur ratio meriti, laudis,& præmij, nec verò consistit in turpitudine actus ex obiecto,fine,& circumstantiis ad quam sequitur ratio culpæ, demeriti, vituperij & pœnæ.

Quæres 7. Quid & quotuplex sit bonitas humanorum actuum, & à quibus desumatur eorum bonitas? Actus humani sunt in duplici differentia, alij interni qui solius sunt voluntatis de quibus hic agendum. alij externi qui à voluntate imperantur aliis potentiis exequentibus.

49 R. Bonitas alia naturalis, quæ actui competit in genere entis & naturæ,estque integritas,seu aggregatio eorum omnium,quæ competunt naturæ actus, & de hac non quærimus,sed de secunda,quæ vocatur bonitas moralis, quæ definitur aggregatio eorum omnium, quæ conueniunt actui secundum rectam rationem. Ita Scotus c...... & deducitur ex illo axiomate D. Dionysij cap. de diuin. & omnib. *Bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.* Bonitas actus desumitur ex tribus,ex obiecto,fine,& circumstantiis, in ordine enim ad hæc spectari potest actus, ergo ab his in sua bonitate pendet.

Actus interior volontatis sumit suam bonitatem ab obiecto in seipso honesto, & amabili per se. Est autem bonisas duplex formalis, quæ se tenet ex parte actus, & obiectiua quæ se tenet ex parte obiecti, consistens in ea honestate, quam obiectum habet in se,& per hanc obiectiuam actus interior denominatur bonus formaliter, consequenter bonitas prius est in obiecto, quam quod concipiatur in actu. Bonitas igitur obiecti consistit præcise in honestate eius, quæ dicit conuenientiam obiecti cum natura rationali,non autē in vtilitate, aut delectabilitate,quia obiectū vtile & delectabile est indifferens ad bonā, & malā actionē,honestū verò solius bonæ actionis capax,ideo actus bonus specificatur ab obiecto honesto,& non ab aliis.

Idem actus voluntatis interior non solum ab obiecto sumit suam bonitatem, quod dicitur finis intrinsecus, seu finis operis,vt cōstat ex mox dictis;sed etiam à fine extrinseco,qui dicitur præcipua circumstantiarum, & finis operantis,in quo consistit electio mediorū circa finem,ita quod in actu eodem duæ bonitates reperiri possunt,Exemplo id omne probatur. Nam si quis donet ecclesiæ pauperi calicem,duas actiones bonas facit,vnam ex parte misericordiæ,quia occurrit indigentiæ ecclesiæ,alteram ex parte religionis, quia donauit calicem ad cultum Dei per sacrificium exhibendum; is ergo actus bonus est duplici virtute misericordiæ, & religionis. Quandoque actus circa obiectum indifferens suam bonitatem accipit à fine bono, vt studere propter honorem Dei sicut studere propter ambitionem est actus turpis. Itaque in actu sunt duæ bonitates specie diuersæ, quando obiectum de se honestum est,& finis honestus.Vnica vero respectu finis boni,quando obiectum est indifferens.

Electio medij est eiusdem speciei cum fine motiuo 50
totali illius, vt constat ex dictis, nam si quis amet proximum non propter suam bonitatem intrinsecam, sed propter Deum, ita quod totalis ratio amandi sit Deus, tunc actus amoris pertinet ad virtutem Theologicam charitatis. Quando obiectum in se bonum amatur propter se, & propter alium finem extrinsecum bonum, tunc actus essentialiter specificatur ab obiecto,accidentaliter à fine. *D.Th.*2.2.*q.*11.*art.*1.*ad* 2. *argum.*

Circumstantiæ dant bonitatem actui interno vo- 51
luntatis dupliciter,vel augendo bonitatem sub eadem specie, vel addendo aliam bonitatem specie diuersam à bonitate obiecti. Auctio bonitatis actus sub eadem specie contingit ex maiori conatu,deuotione, vel alio modo honesto;vt volo celebrare missam, deinde addendo cum magna attentione. Item volo elemosinam dare,deinde maiorem.Modus ergo auget bonitatem,ad quod facit illud axioma:Magis, & minus non variant speciem.

Additio bonitatis diuersæ specie à bonitate alterius speciei contingit quando circunstantia habet bonitatem alterius speciei ab obiecto circunstantionato v.g. Elemosina data pauperi sacerdoti, & calicis donati ecclesiæ pauperi, vt in eo sacrificetur, iste actus præter bonitatis, virtutis, misericordiæ habet adiunctam bonitatem alterius speciei, nempe religionis. Necesse autem est, vtrumque intendatur, aliter vnicam bonitatem obiecti habebit actus.

Circumstantiæ autem actuum humanorum dicuntur etiam obiecta eorum,quia sunt volitæ, sicut obiectum principale, quod primo intenditur, illæ autem secundario.

Actus voluntatis ad hoc vt sit bonum non solum debet versari circa obiectum honestum,fine licito, & debitis circumstantiis munitus,sed præterea debet esse conformis

cõformis legi ęternæ,& recto iudicio rationis,lex enim ęterna est regulatiua remote humanorum actuum,recta verò ratæ est proxima regula bene operandi, sine qua voluntas vti cæca bene operari non potest.

52 Quæres 8.Vt actus interior humanus sit bonus, an sit necesse,quod sit conformis cõscientiæ?Resp. Conscientia est iudicium, per quod intellectus iudicat aliquid esse, bonum vel malum,ideo prosequendum, vel omittendum. Hoc autem iudicium est duplex, practicum,quo iudicatur aliquid esse faciendum,vel non faciendum. Speculatiuum verò, quo iam factum, vel omissum iudicetur bene, vel male factum, aut omissum. Est autem conscientia quintuplex Recta, Erronea, Opinatiua, Dubia, & Scrupulosa. Conscientia recta est illa, quæ iudicat de obiecto sicut est à parte rei. Erronea verò est illa, quæ errat in iudicando bonum pro turpi, vel è contra, vel in iudicando adesse præceptum, vel prohibitionem, quæ non adsunt,seu è contra. Opinio probabilis, quæ nititur ratione magni momenti, vel auctoritate grauis autoris. Improbabilis,quæ caret ratione, & auctoritate. Conscientia dubia, quæ ita anceps est vt nesciat se applicare magis vni parti, quam alteri. Scrupulosa demum conscientia est illa,qua quis ex nimio timore,& anxietate dubitat an aliquid sibi liceat nec ne motus ex leuibus coniecturis. Scrupulus autem quandoque est circa præterita v. g. an bene confessus sit sua peccata, vel circa præsentia, & factum, an e. g. sibi liceat agere hoc,vel illud. Prior dubitatio est speculatiua,posterior practica.

Conscientia recta actum humanum denominat bonum, eo quod ratio per suum iudicium præcognouit actum versari circa obiectum honestum in se, & in suis circumstantiis,eo quod præceptum est faciendum, vel prohibitum propter turpitudinem, ideo omittendum. Præceptum ergo arguit bonitatem in actu, prohibitio verò denotat turpitudinem,& malitiam.Quare actus conformis conscientiæ rectæ dicitur bonus,si verò sit difformis actus erit malus.

Conscientia erronea, quando iudicat aliquid est honestum, præceptum, aut prohibitum, quod reuera tale non est, tunc vt actus voluntatis dicatur bonus, debet elici iuxta dictamen huius conscientiæ, aliter turpis, & malus est. Ratio est,quia voluntas vt bene agat debet operari iuxta regulam sibi ab intellectu propositam. Facit illud Roman. 14. 23. *Omne autem quod non ex fide, peccatum est*. i. secundum conscientiam peccatum est. Debet ergo voluntas sequi iudicium intellectus aliter male operatur. Conscientia autem debet esse erronea inculpabiliter, nam si cum errore coniuncta sit culpabilis ignorantia,vtique actus voluntatis bonus non est, sed malus, & turpis ex illo defectu ignorantiæ, malum enim ex quolibet defectu procedit. Actus igitur voluntatis intellectu errante non imputatur ad malum, *Tum quia*, vbi error est,ibi nulla voluntas, *l. Testamentum l. Non idcirco l. de iuris, & facti ignor*. Tum quia errans non consentit, *l. Si per errorem ff. de iuris,om.iud.l. Nichil. v. 7. ff. de reg.iur. Thomaset. reg. 198. Megal. 22. lib. 1. cap. 2. num. 14.* hanc regulam non habere limitationem dicit *l. Leoncillus decis. Ferrar. 69. n. 7.*

Prædicta procedunt, licet conscientia inuincibiliter erraret etiam circa ea, quæ sunt intrinsecè mala,iudicando ea bona, quia voluntas tenetur sequi dictamen rationis, & stare illius iudicio, cum sit de se cæca in suis operationibus, ex quo tenetur operari secundum rationis dictamen, eam sequendo vti ducem dirigentem illam in viam bonam. Nec obstat quod malum non sit faciendum, neque quemquam obliget, quia tale obiectum licet in se malum, tamen quia vt tale non percipitur à ratione, quæ illud inculpabiliter vt bonum, & honestum iudicat, ideo voluntas dicitur obligari non ad malum, sed ad bonum, ac proinde sequi debet dictamen conscientiæ.

Quando conscientia errat culpabiliter ex ignorantia iudicando aliquid esse honestum, præceptũ, aut prohibitum, quod reuera tale non est, tunc voluntas debet operari iuxta iudicium sibi ab intellectu propositum, se confirmando dictamini rationis licet erroneo. Ratio est, quia voluntas semper sequi debet iudicium rationis, quæ illius est regula ad operandum. Istud autem debitum non infert, quod voluntas necessario & simpliciter peccet,sed tantum ex suppositione rationis, quæ negligit scire verum, quod tenetur assequi. Actus autem à voluntate elicitus ex iudici erroneo culpabiliter, bonus non est, sed peccaminosus, & malus non tam ex turpitudine obiecti, quam ex falso iudicio coniuncto cum ignorantia culpabili.

Differentia est inter conscientiam erroneam ex ignorantia inuincibili, & ex ignorantia vincibili, nam ex ea actus voluntatis bonus est, quia ex nullo defectu pendet, cum sit conformis iudicio rationis apprehendentis obiectum sub ratione boni Ex hac verò actus voluntatis bonus esse non potest, sed turpis, & inhonestus ex defectu scientiæ, quæ poterat ab ignorante assequi. Ex quo sequitur alia differentia, quod errans inuincibiliter non tenetur deponere conscientiam erroneam, id enim videtur impossibile, quia penitus ignorat hunc errorem, ideo illum deponere non potest, quandocumque sibi remanet ignotus. Contrarium verò accidit erranti vincibiliter, quia cum aliqualem dubitationem habeat seu titubationem de errore, debet illum deponere adhibendo diligentiam necessariam, ac proinde mutare iudicium de erroneo in rectum,siue speculatiue, & practice simul,siue altero tantum modo, potest enim quis iudicium speculatiuum,simul & practicum erraneum deponere,ex depositione enim speculatiui sine difficultate deponitur etiam practicum. Quandoque speculatiuo retento, mutari potest practicum,iudicando hic & nunc talem actum licere,iudicando è contra speculatiue non licere, nam in speculatiuo non attenduntur semper circumstantiæ, quæ necessario consideranda sunt in practico,quæ actum excludunt à malitia, & afficiunt bonitate, & honestate. Ex quo licet iudicium practicum fundetur in speculatiuo, non ideo tamen practicum semper debet sequi speculatiuum,quia practicum fundatur in suis principiis, & circumstantiis, quæ locum non possunt habere in speculatiuo, quod abstrahit à circumstantiis,quæ practico inesse possunt,vnde communiter dicitur, quod scientia speculatiua non est regula voluntatis ad bene operandum, sed iudicium tantum practicum.

Dubiam habens conscientiam,sit ne licitum, an illicitum,& cum ea operando voluntas non potest elicere actum bonum, sed turpem & malum. Ratio est, quia se exponit periculo peccandi, & imprudenter agit,ergo actus voluntatis proueniens ex dubio bonus esse non potest. Confirmatur, quia in dubiis tutior pars est eligenda, *cap. sicut quidam 2. dist. 14. cap. siquis 4. dist. 7 de Panit.* vbi dicitur: *Certum tene, & incertum dimitte*. Non est ergo operandum cum conscientia practicè dubia,si tutior pars est eligenda, quæ scilicet peccatum excludat, *cap. Iuuenis 3. de sponsalium cap. Ad audientiam 12. cap. significasti 18. cap. Petitio sua 24. de homicid.* Placet hic subiungere nonnullas propositiones legales de dubio ad nostrum propositum qualificandi propositiones.

Prima sit. *In dubiis tutior pars est eligenda*. Loca 53 iuris supra sunt citata; *& à Barbosa,Vaz. l. t. D. n. 61.* Procedit primo in vero dubio, per quod intellectus suspensus remanens ad neutram partem inclinat, non autem in opinione, per quam minus tutè operari potest, *Sanch lib. 2. disp. 41. num. 9. Bonac. q. 4. de peccat. p. 9. num. 5 idem Sanch. lib. 1. cap. 9. num. 14.*

Azor part.1.lib.2.cap.12.& cap. 16.q. 2. Procedit 2. potissimum in materia irregularitatis ratione facti, ex æstatis *cap.12.18. & 24. de homicid.* non in dubio iuris, quia nulla irregularitas asseritur nisi sit expressa in iure, *cap. 15. qui de sent. excom. in 6.* Fallit axioma quando agitur de amissione alicuius iuris, seu rei, non solum in materia iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum. *Sanch.lib.1.disp.9.q.dub.3.& lib. 1. cap. 10. num. 11. Megalius part.1.lib.5.cap.11.num.12.Consil.7.num.6. Bonac.de contractib.q.2.p. 3.* Est autem differentia inter dubium proprie dictum, & inter dubium ex opinionibus, nam in dubio extra opiniones vna pars est tuta omnino, quæ sequenda est à dubitante, vt si quis anceps est an sit dies festus, debet credere esse diem festum, ac proinde abstinere se à seruilibus, & missam audire, altera pars nullo modo est tuta ratione euidentis periculi peccandi, ex quo laborans, & non se abstinens à seruilibus peccat. Quando dubium non oritur ex ambiguitate, sed ex opinionibus, in eo casu vtraque pars est bona, cum formidine oppositi, consequenter vtraque est tuta, sed vna forsan tutior altera, cum nimirum vna opinio est probabilior, seu tutior altera, quæ est minus tuta, seu minus probabilior. Ex quo vlterius deducitur illud axioma respectu dubij ex ambiguitate accipi positiuè tantum: In dubiis tutior pars est eligenda i. pars tuta, quæ scilicet non infert peccatum, opposita enim pars imputatur semper ad peccatum propter euidentiam periculi, quod est peccatū, ex illo pronuntiato: Qui amat periculū peribit in illo. Non datur ergo in dubio ambiguitatis maior, vel minor securitas in ordine ad bonum, sed vna pars est bona, quæ amplecti debet, altera verò mala ex imputatione; quæ non est sequenda, sed fugienda, ne dubitans fiat reus culpæ. Idem verò axioma: *In dubiis tutior pars est eligenda*, respectu opinionum accipi comparatiue, secundum magis; & minus bonitatis, quæ inesse potest actui elicito iuxta regulam opinatiuam; & tunc axioma hoc non est in præcepto, sicut est respectu dubij ancipitis, sed tantum est in consilio, & ita intelligendi sunt Doctores cum Suar.tom.2.de Relig.tract.6.lib.4. cap.5.num. 14. & cap.8.num. 6. dum dicit, tutiorem partem sequendam esse, si fiat comparatio inter vtranque partem tutam, esse tantum de consilio, nisi casus in iure exprimantur, quo quis obligetur sequi partem tutiorem. Ratio disparitatis est quia dubitans ex ambiguitate si amplectatur partem periculatam imprudenter se gerit, dubitans verò ex opinionibus, non se gerit imprudenter, siue sequatur tutiorem, siue minus tutam, siue probabiliorem, siue probabilem, quia cuicumque ex illis se applicet, prudenter se gerit, ideo male non agit. Vtraque pars igitur respectu dubij opinionum qualificatur in bonum, propter rectum iudicium prudenter formatum ex parte vtriusque opinionis. Respectu verò dubij ex ambiguitate vna pars qualificatur ad bonum quæ nimirum videtur licita, ad malum verò, quæ videtur illicita, nec igitur voluntas actum turpem eliciat, sed amplectatur partem licitam.

Secunda sit. *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.*
54 *l. Cum creditor ff. de furtis, l. Proxime ff. de his, quod in test am.* debent *cap. Estote 2. de Reg. iur.* vnde in dubiis benignior interpretatio est facienda *l. semper ff. de reg. iur. cap. fin. de transact.* Ex quo quisque sua verba ambigua, quæ bonum, & malum sensum habere possunt, interpretari potest in bonum sensum *l. si quis intentione ff. de indic. Ricciull.lib.5.cap.6. num.7. Lazar.q.3.de Blasphem. num.38. Nauar.consil. 6.de heret. num.6.& consil.15. de homicid.* Procedunt dicta etiam pro foro externo. Nec obstat, quod verba dubia debent interpretari contra proferentem, *l. Veteribus 40. ff. de pactis, ad quod facit reg. 57. in 6.* contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. Quia hæc intelliguntur in contractibus, non autem in aliis, & delictis, ex glosa ibidem.

Tertia est Dubius ab ignorante non distat *l. Manifestissimi, §. Sin autem nescius C. de fort. Gama Lusit. decis.91.num.1.Surd.decis.26.num. 17. Barbosa Vaz. lib.2. D.n.18.* Intelligendum id est de ignorante vincibiliter, quia sicut ignorans vincibiliter non excusatur à mala qualificatione suæ actionis, ita neque dubius ex ambiguitate. Non habet verò locum in ignorante inuincibiliter, cuius actus qualificantur in bonum, non sic actus dubitantis. 55

Quarta est. *Dubitandum non est vlterius, vbi lex habetur.* Bald. *in l. Gallus §. si eius ff. de liber. & posth. Decius consil. 562.num.7. Corneus consil.109. in fine vol.1. M. Anton.lib.1.resol. 46. num. 1.* Vnde vti est casus legis expressus nullatenus est dubitandum *l. Ancillæ C. de furtis, Corneus vol.1.consil.9. Craueta consil. 4. M. Anton.lib.2.resol.51.num.5.* Ad quod facit, quod dubium non dicitur illud, quod est expressum, inquit *Megal.lib.7.part.3.cap.2. num. 12.* Et dubitare nemo debet vbi dubitandum non est, *cap. Cum contingat 24. de resur. ad finem* in claris enim non est locus coniecturis, *l. continuus, §. Cum quid ff. de verb. obligat. l. ille, aut ille ff. de legib.* 56

Quinta est. *In obscuris minimum est sequendum.* Reg. 30. in 6. *l. semper ff. eod.* ideo in dubio reus absoluitur Reg. 11. in 6. vbi dicitur: Cum partium iura sunt obscura, reo fauendum est potius, quam actori. Quare ex duobus iudicibus, vnus absoluit reum, alter verò condemnat, fauendum est attributioni, cap. fin. de sent. & re iudic. Fallit in causis matrimonialibus, libertatis, testamenti, & dotis, in quibus fauendum est actori, per iura ibidem citata. Subiungitur alia regula 45. in 6. In obscuris inspicimus, quod est verisimilius vel quod plerumque consueuit fieri, exemplum sit in liberis cancellatis, seu obscuratis, quæ verisimilius præsumuntur adfuisse ex cap. Inter dilectos, de fide instrum. vestigium enim cancellaturæ certum est indicium caracteris cancellato. 57

Opinio improbabilis vt talis cognita reddet actum voluntatis turpem, & malum, secundum quam ideo operari non potest, quia opinans hoc modo imprudenter, & temerarie agit. Dixi cognita vt improbabilis, quia opinio putata probabilis licet falsa excusat à peccato, & actum non facit malum, iuxta dicta de conscientia erronea, *Nauar.tom.3.in cap si quis autem n.7 per iura ibi allegata, & consil. 10. de consang. n.5 Moditius §. Prudentum responsa, dubit. 8.n.2.* 58

Opinio verò probabilis reddit actum bonum, & honestum, relicta probabiliore, quando non adest alia via securior ad recte operandum. Ratio est, quia tunc actus ille prudenter elicitur à voluntate intellectu dirigente; neque enim quis tenetur melius facere, sed sufficit, quod bene faciat, nam melius omittens, non peccat, si bonum agat *gl. v. Qui præstantior cap. licet 8. q. 1.* nemo enim tenetur esse melior, *Petrus Nauar. l.2.de restitut.c.1.n.59. Lessius l.2.c.7.dub.6.* num melior est virginitas, quam coniugium, ad eam tamen nemo tenetur, quia potest inire matrimonium, quod minus bonum est. Excipe, nisi iura præcipiant melius agere, vt de electione constat, quod melior præcipitur eligi *Rebuff. tom.4.repetit. Canon.n.199. Arrag.q.63.de accept. personarum. Nald.v. eligere num. 17. Vide infra q.29.*

Dixi, quando non adest alia via securior ad bene, & valide agendum. Exemplum sit in forma Baptismatis, quæ certa est iuxta regulā Ecclesiæ, qui enim cum ea baptizat licite, bene, & valide agit, qui verò vtitur hac forma: *In nomine Genitoris, Geniti, & Spirati* in opinione quorumdam bene facit, in opinione aliorum male & inualide baptizat, opinio ergo relinquenda est, quia periculum est animæ illius, qui forsan per eam formam inualide baptizaretur. Sic medicus non

non potest præbere medicinam incertam sub opinionibus, si habet certam, & vtilem extra controuersiam. Quandocumque ergo agitur de periculo valoris actus, de damno euitando, relictis opinionibus, amplectenda est via securior, si adest, aliter eligatur melior opinio.

Demum quando opinio est circa malitiam, aut bonitatem facti seu circa obligationem legis, tunc opinans operari potest secundum opinionem probabilem, relicta probabiliore, quia prudenter agit, consequenter bonum actum facit, neque tunc periculum est damni alterius. *Nauar. cap. 27. num. 280 Valent. disp. 2. q. 14. part. 4. Becan. de bonit. act. intern. q. 9. num. 15. Diana de opinione probabili, Sanch. lib. 1. cap. 9. Caspensis tom. 1. de conscientia dist. 3. sect. 2. num.* 15. & omnes recentiores.

Conscientia scrupulosa non facit actum malum, sed potius bonum, nam vel habet pro obiecto aliquod malum sibi tale visum ad fugiendum, vel aliquod bonum sibi amplectendum, seu aliquid esse præceptum, vel prohibitum, in eo casu scrupulis agitatus procurat amplecti bonum sibi visum sub præcepto, & fugere ad quod sibi malum videtur e. g. qui putat spuere in Ecclesia esse peccatum, omittendo bene agit. Item qui putat inaniter se male confessum, fuisse, & iterum confitetur, actum facit bonum.

Quæres 9. Quid sit malitia, à qua qualificantur actus interni voluntatis.

59 ℞. Malitia moralis est priuatio realis, seu carentia perfectionis & restitutionis debitæ actui, per quam homo scienter, & libere operatur contra legem Dei. Ita D. Aug. in Enchirid. cap. 11. *Quid aliud est malum, quam priuatio boni.* D. Dionysius part. 4. cap. 4. de diuinis nomin. ait malum esse priuationem boni. Ratio est, quia bonitas, & malitia priuatiue opponuntur, non contrarie, nisi sumantur in concreto pro ipsis actibus, vt voluit bene Aristot. in cap. de Qualit. sed bonitas consistit in aggregatione perfectionum, quam actus habet, ergo malitia consistit in priuatione earumdem perfectionum. Et sicut ad bonitatem actus requiruntur omnes perfectiones sibi debitæ, quia bonum ex integra causa, ita ad malitiam actus sufficit quælibet priuatio, quia malum fit ex quolibet defectu. Non solum in peccato Commissionis reperitur malitia, sed etiam in peccato omissionis, quæ est carentia actus, & perfectionis eius, in illo ponitur actus sine sua perfectione, in hoc neutrum ponetur nec actus, nec perfectio, sed carentia vtriusque.

Dixi, primo, malitiam esse priuationem, & carentiam ad excludendam opinionem *Caietani quæst.* 18. *art.* 5. *& q.* 71. *art.* 6. assignantis in peccato duplicem malitiam, vnam actus in se mali, quæ est priuatio perfectionis debitæ actui; alteram eiusdem actus non respectu sui, sed in ordine ad naturam rationalem, quæ non est priuatio, sed quoddam ens reale positiuum, quod hominem respicit, sicut frigus respectu ignis, calor respectu aquæ, dolor respectu sensus, error respectu intellectus, hæc entia sicut in se bona sunt, quia participans rationem entis, respectu verò eorum, quæ respiciunt mala sunt illis, quia destruunt contrarium, ita malum in se bonum est positiuum, respectu verò hominis habet rationem priuationis. Rationem reddit, quia actus malus seu peccatum duo in se includit, auersionem à Deo, quæ est aliquid priuatiuum, & conuersionem ad creaturam, quæ est aliquid positiuum.

Contra est, quia Caietanus supra priuationem adiecit malitiā positiuam, vt hac distinctione occurreret sibi obiicientibus, quomodo Deus non sit causa peccati, cum concurrat ad productionem omnium actuum positiuorum, ac proinde ad hunc actum positiuum malitiæ moralis. Nam respondet, Deum non concurrere ad peccatum, quia non concurrit ad priuationem, vtique verò ad malitiam positiuam peccati. Sed hæc responsio non potest saluare, quin Deus concurrat ad peccatum, posita sententia Caietani, quia in omnium sententia Deus effectiue concurrit ad omnem, & quemcumque actum positiuum, si ergo ista malitia positiua est, & de ratione formali peccati, necesse est fateri, Deum concurrere ad peccatum, quod hæresis est. Deinde exempla allata nescio quid exemplificant in eo, quod sicut illæ entitates aduersantur suo contrario, ita peccatum contrariatur naturæ rationali. In eo autem in quo deberet esse similitudo, potius apparet dissimilitudo, nam frigus, & calor, non solum ratione sui, sed etiam respectu sui contrarij habent rationem positiui, siquidem in tantum agunt in contrarium, in quantum sunt entitates, & ratione priuatiui solum habent causaliter, non formaliter; peccatum verò ratione sui, & naturæ rationalis semper habet rationem priuationis, & potissimum respectu naturæ, in quantum quærit illius destructionem, & priuationem moralem. Deinde in peccato primum est auersio, quam conuersio, ergo ratio conuersionis pendet tamquam posterius à suo priori, hoc est ab auersione, ergo si auersio est priuatio, etiam conuersio, quia nullum positiuum pendet à priuatiuo, sed potius è contra priuatiuum pendet à positiuo, quod præsupponit, quare ratio, quam dicit conuersio ad creaturas necessario asserenda est priuatio, non entitas positiua, quia hæc non potest fundari in priuatione.

Dixi 2. Quod malitia est priuatio realis ad excludendam opinionem eorum, qui volunt esse relationem rationis, inter quos *& Melchiol Canus, & Vasq.* quos contra se citat *Becan. cap. 5. de bonit. act. intern. quæst.* 1. *num.* 4. Non est igitur malitia relatio rationis, sed qualitas priuatiua sub genere qualitatis, nam bonitas non est relatio, ex probatis, sed qualitas quædam positiua, ergo & malitia qualitas priuatiua. Faciant, *q. supra dixi sub quæst. 6. §. Quærunt.* Non nego aliquam relationem consequi priuationem, sicut consequitur bonitatem, nam actus humanus primo bonus est ex honestate obiecti, & subsequenter ex conformitate cum lege, in qua consistit relatio subsequens ad essentiam actus moralis. Idem proportionaliter est in actu malo, nam priuatio honestatis, & rectitudinis est primum, & essentiale malitiæ, & peccato, subsequens relatio consistit in deformitate actus à lege, secundum quam voluntas operata non fuit.

Dixi 3. ex huiusmodi priuatione volontatem libere cum aduertentia rationis operari contra legem, quia sicut actus bonus est ille, qui à voluntate elicitur iuxta normam legis, ita actus malus est ille qui à voluntate producitur contra regulam legis. Actus autem non potest dici bonus, neque malus, nisi quando erit libere, & ratione aduertente ex probatis supra, ideo addidi illa verba: *libere cum aduertentia rationis.*

Quæres 10. A quo qualificentur actus voluntatis 60
quo ad malitiam? Seu A quo desumatur malitia in actibus voluntatis.

℞. Actus voluntatis malitiam, quæ est priuatio rectitudinis, sumit proxime ex honestate virtutis, vti opponitur, remote verò ab obiecto, fine, & circumstantiis, non autem à præcepto.

Primum, quod actus mali voluntatis, seu peccata, quod in idem recidit, qualificentur specie ex perfectionibus, seu per ordinem ad diuersas perfectiones speciei, suadetur, quia malum formaliter consistit in priuatione boni, hoc est, honestatis, & perfectionis debitæ actui; sed priuatio specificatur à forma sibi opposita, quæ cōsistit in perfectione, & honestate, ergo ab hac specificatur actus malus, & quidem proxime, ab obiecto verò cui illa inest, remote. Quod verificatur non solum respectu obiecti, sed etiam finis, & circumstantiarum quia hæc omnia habent rationem obiecti,

& in illis reperitur propria honestas, & perfectio, per quam actus boni specificantur,& mali. Similiter qualificantur per priuationes proprias in ordine ad honestates, & rectitudines, quib. aduersantur. Scio *D.Thomam* 1. 2. *q.*72.*art.* 1. dicere actus malos, seu peccata speciem suam, & consequenter distinctionem sumere ex obiectis, *Scot.verò in* 2.*dist.* 35.*q.*1.ex virtutib. quibus actus opponũtur. Sed ambo trahi possunt ad eumdem sensum, vt intelligant tam virtutes, quam obiecta formaliter respectiua ad perfectiones, quam dicunt. Vide *Valent.tom.*2.*disp.*6.*q.*2. *Bonac. q.* 4.*de peccat.p.*3. *Caspensis disp.*1.*de peccatis sect.* 2.

Secundum, quod malitia actus non specificetur à præceptis constat ex eo, quod idẽ bonum præcipi potest lege naturali, diuina, & humana, item malum prohiberi iisdem præceptis, vt patet in vsura prohibita dictis iuribus. Confirmatur quia malitia supponitur ad præceptum, ergo intelligitur specificata ante omne præceptum.

Quæres 11. An idem actus voluntatis possit esse simul bonus, & malus ad minus respectu vnius, vel alterius partis, seu respectu diuersorum.

61 ℞. Non potest, nam primo si eligat medium malũ, e.g. furtum ad finem faciendi eleemosinam; actus furti de se malus nullam recipit bonitatem à fine faciendi eleemosynam, licet de se sit in genere boni, ratio quia existentia vnius in actu est priuatio alterius, ita quod se inuicem excludunt ab eadem subiecto. Et id clarum est ex Sacris literis Rom. 3.8. *Non sunt facienda mala, vt veniant bona.* Ita D.Aug. in Enchir. c. 22. dum reprobat mendacium dictum vt prosit mendax tertio. Et in *lib. contra Mendac. c.* 7. sæpius dicit, mala facta ex aliquo bono fine, nullam ab eo recipere bonitatem, sed malam remanere. Secundo, è contra si quis eliget medium bonum, & malum finẽ, vt si quis faciat eleemosynam ob vanam gloriam, per hunc malum dehonestat medium bonum, quod est eleemosyna, & sic remanet actus totus malus sine vlla bonitate, quam non potest habere, neque ex fine, quia malus, neque ex obiecto, quod dehonestatur ex prauo fine, qualis est enim finis, tale est medium ad finem, à quo specificatur. Res clara est ex Sacris literis, nam Eccles. 34.121. dicitur. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Prouerb. 21. 27. *Hostia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.* Ecce quod actus alias boni, sunt mali ex iniquo fine. Quæ dicta sunt de fine locum habent etiam in circumstantiis intentis eo modo, quo finis intenditur, quia & ipsæ manent sicut finis. Ratio prædictorum omnium est, quia actus humanus non recipit bonitatem ab obiecto quouis modo spectato, sed sub ratione honesti, non potest autem obiectum esse honestum, nisi sit vestitum omnibus suis circumstantiis, quæ possint qualificare actum sub ratione bonitatis, quia bonum ex integra causa, consequenter si actus, est simpliciter, & secundum se totum bonus, ergo secum admittere non potest aliquam rationem mali, cum ambo se totis excludant ab actu ita quod si actus est bonus excludit ab eo omne malum, est enim ratio indiuisibilis bonitas ex integritate suarum perfectionum, ac proinde si actus non est bonus, erit malus ex qualibet priuatione, quia malum fit ex singulis defectib.

Dices, actiones nostræ specificantur à fine, qui si erit bonus, actio quoque erit bona *ex dictis q.*7. si verò malus, actio pariter mala erit *ex dictis q.*10. ergo si finis erit bonus etiam actus electionis medij erit bonus, licet medium sit turpe, consequenter idem actus erit simul bonus, & malus contra supradicta. *Confirmatur*, quia eadem est ratio finis, & mediorum l. oratio ff. de sponsal. media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, quare finis bonus qualificat in bonum actum de se turpem ex obiecto turpi, consequenter idem actus erit simul turpis, & honestus.

Respondetur, quod cum actus proxime specificentur ob obiectis, si obiecta de se continent turpitudinem, non possunt actus qualificari in bonum à fine, qui actus humanos specificat remote cum quadam dependentia ab obiecto, vnde finis de se bonus in praua intentione fundatus nullam bonitatem tribuere potest actui humano ex obiecto turpi, quia aliud est bona intentio, aliud est intentio boni finis, vt in exemplo allato de eleemosyna danda electione furti, nam licet finis sit bonus, intentio tamen ab eo ad media est praua, ex quo actus totus remanet prauus, & non partim bonus, & partim malus.

Quæres 12. An idem voluntatis actus internus possit successiuè fieri bonus, & malus.

℞. Actus ex obiecto bonus non potest subsequenter fieri malus, quia si est essentialiter bonus respectu cuiuscumque temporis semper est talis, ac proinde malitiam excludit. Pariter actus malus ex obiecto de se modo non potest fieri bonus quia manendo semper eadem malitia in actu ex obiecto non potest illi aduenire bonitas illius destructiua. Quod si aliquando appareat idem actus primo bonus, deinde malus, vel è contra; reuera non est idem actus numero sed alter, ex essentiali specificatione vnius ex alio. 63

Idem videtur dicendum respectu actus indifferentis ad bonum, & malum, vt sunt ambulare, comedere, studere, appetere sanitatem, quia licet sit idem actus physicus, diuersificatur tamẽ moraliter, & multiplicatur in genere amoris, nam sub hac ratione ponitur quæstio. Quare e. g. ambulans primo ea intentione vt missam audiat, facit actum bonum si verò durante eadem ambulatione antequam perueniat ad Ecclesiam, si incidat in concubinam cum ea pergendo ad domum, vt luxurietur, iam eadem ambulatio physica de bona, fit mala, consequenter non est idem actus moralis de bono malus, sed duo actu smorales inter se distincti, vnus bonus, alter malus.

Qui tenent malitiam, & bonitatem accidere humanis actibus, docẽt eumdem actum numero modo esse bonum, modo malum, quia actus tamquam subiectum est capax accidentium, successiue etiam sibi inuicem, repugnantium in eodem subiecto.

Quæres 13. An dentur actus eliciti voluntatis tam in specie, quam in indiuiduo indifferentes.

℞. Dantur actus indifferentes tam in specie, quam in indiuiduo, siue sint indeliberati, siue deliberati. 64

Primum de actibus in specie contra Scotum probatur, quia sunt quædam obiecta, vt fricare barbam, ambulare, studere, nolo esse religiosus, nolo audire missam non præceptam &c. quæ de se non sunt bona, quia fieri possunt sine vllo ordine ad finem honestum neque mala, quia neque turpia, neque sub præcepto, ergo sunt indifferentia. *Confirmatur*, quia elici possunt sine vllo ordine ad honestatem, aut turpitudinem, ergo sunt indifferentes. Ita *Becan.cap.*5. *de Actib. hum.q.*5. *n.*3. *Bonac.q.*2. *de peccat.p.*4.*propos.*2.*Caspensis disp.*1. *de bonit. & malitia sect.*8.

Secundum de actibus indifferentibus in indiuiduo, si sint indeliberati i. præuenientes aduertentiam rationis, constat, quia ad bonitatem, & malitiam moralem requiritur consensus voluntatis cum aduertentia rationis; si sint deliberati probatur. *Tum quia*, nulla lex nos obligat ad dirigendas nostras actiones in bonum finem moraliter, ergo possunt fieri à nobis sine illo fine morali, proinde non erunt boni, neque mali. *Tum quia*, tricare barbam, leuare festucam nõ est actus meritorius, ergo neque bonus, neque malus, cum demeritum non habeat. Idẽ patet respectu actuum omissionis, vt nolo esse religiosus, certe actus non est bonus, quia nullam in se continet honestatem, neque malus, quia status religionis nulli præcipitur, sed tantum consulitur. Ita docent

docent *Caspensis disp. 1. de bonit. & malit. sect. 8. n. 73. cum Scoto, D. Bonau. in 2. dist. 41. art. 1. q. 3. Vasq. & aliis, cum Bonac. q. 2. de peccat. p. 4. propos. 1.*

Dices primò, de omni verbo otioso reddenda est ratio Matth. 12. ergo omnis locutio aut mala, aut bona, nulla indifferens. Secundò, voluntas in suis operationibus habet pro obiecto bonum sub ratione boni, ergo nulla eius operatio potest esse indifferens, sed vel bona, si obiectum sit honestum, vel mala si obiectum est turpe, licet apprehensum sub ratione mali.

℟. Ad primum, per verbum otiosum intelligi illud, quod sine aliqua rationabili causa fit, *S. Bernard. serm. de triplici custod. apud Laymam fol. 23.* editionis Venetæ; actus autem indifferentes in genere moris, semper habent aliquam causam rationabilem, seu vtilem respectiue ad naturam. Ad secundum obiectum formale voluntatis, quod est bonum sub ratione boni non solum est honestas in obiecto concepta, sed etiam vtilitas, & delectabilitas, à quibus potest specificari actus, & sic remanere indifferens. Præterea argumentum probaret, omnem actum voluntatis esse bonum, nullum malum, quia voluntas habet pro obiecto formali solum bonitatem.

Quæres 14. An, & à quo actus externi à voluntate imperati qualificentur? Idest, à quo bonitatem, & malitiam assument.

64 ℟. Certum est in vtroque actu tam interiori elicito, quam exteriori imperato aliis potentiis reperiri bonitatem, & malitiam iuxta honestatem, vel turpitudinem obiectorum. Difficultas verò est, an malitia, & bonitas prius sit in internis actibus, quam in externis.

℟. Bonitas, & malitia obiectiua prius est in actibus externis, quam in internis, quia actus interni specificantur in bonitate, & malitia ab obiectis, & circunstantiis, vt superius dictum fuit, sed nomine obiectum veniunt actus externi aliarum potentiarũ à voluntate, ergo malitia, & bonitas obiectiua prius est in actis externis, à quib. deriuatur in internis. Bonitas verò, & malitia formalis, quæ originatur à volũtate libere operante cum aduertentia rationis prius est in voluntatis actibus internis formaliter & intrinsecè, à quibus deriuatur in externis, quas denominat extrinsecè. Ratio est, quia in tantum dicuntur boni, vel mali, in quantũ proueniunt à voluntate libere, & cum aduertentia rationis operante ex quo dicuntur liberi, ac proinde boni, vel mali, sed hæ rationes prius sunt in actibus internis, & per hos in externis, ergo actus externi boni, aut mali sunt per denominationẽ acceptam ab actibus internis. Vide *Becan. de actib. humanis in fine Caspens. disp. 3. de Bonit. & malit. sect. 1. num. 9.* non admittentes hanc distinctionẽ bonitatis in obiectiuam, & formalẽ.

Quæres 15. An actus internus, & externus sint vnicum peccatum.

65 ℟. In genere moris sunt vnum nomen peccatum, quia actus externus in ratione malitiæ depẽdet ab interno, ac proinde vnica est malitia diuersimodo denominans in actum internũ malum formaliter & intrinsecè, externum verò extrinsecè, & dependenter ab interno. Intellige prædicta, quãdo ambo coniuncti sunt, si enim ego hodie elicio actum volendi occidere, & cras occido, duo sunt peccata numero distincta ex interruptione temporis, nam hodie imputatur voluntas occidendi, cras verò factum coniunctum nouæ voluntati. Et in hoc sensu interpretandi sunt *Scot. S. Bonau. Ocham, & alij*, Dum dicunt, esse duo peccata numero distincta. *Caspens. infra disp. 3 de Bonit. & malit. sect. 2.* refert, Lorcam cõciliare prædictas duas sententias, dicens, quod loquendo metaphysicè, & cõsiderando naturã vtriusque actus in vtroque esse duas malitias, & ita esse duo peccata; loquendo verò secundum moralẽ æstimationẽ, siue considerando actum vt imputabilẽ, qua ratione illi debetur laus, vel vituperium, pœna vel præmium, sic vnam esse malitiam, & eorum peccatum, sicut vna est libertas deriuata ab actu interiori in exteriorem, & vno malitia in genere moris deriuata ab exteriori in interiorem, & vi ex vtroque consurgit vna integra actio moralis, & vtriusque malitia, vel bonitas dicitur vna integra in genere moris. Non placet, quia prior consideratio est potius in genere entis, quã moris, ex eo quod hanc considerationem ab illa, prætereà etiam actus præscindendo ab externo dignus est laude, vel vituperio.

Quæres 16. An actus exterior addat aliquid bonitatis, seu malitiæ actui interno sibi coniuncto.

℟. Non proprie, quia actus exterior qualificatur ab interior à quo totam suam bonitatem accipit, & malitiam, ergo cum nihil proprij habeat, nihil communicare potest actui interiori. Nihilominus actus exterior quandoque est causa, quod actus interior sit melior, aut peior; quod sit diutior propter tẽpus quod requirit actus externus; quod sit intensior propter delectationem actus externi. Vide *Becan. in fine de Actib. hum. Caspens. disp. 3. de Bonit. sect. 3.* 66

Dices, actus externus confert bonitatẽ obiectiuam, vt dictum fuit q. 14. ergo addit aliquod. ℟. ipse Becan. quod actus exterior in hac quæstione spectatur vt actus, non vt obiectum; vult ergo inferre in ratione obiecti addere aliquib. De voluntate, & intellectu hactenus actum fuit in ordine ad cognoscendum actus humanos, qui proueniunt à libertate voluntatis, aduertente ratione, in quib. consistit ratio moralitatis, hoc est bonitas, seu malitia humanorum actuum, in genere moris, quæ omnia faciunt ad cognitionẽ propositionũ. qualificandarum in genere moris, vnde subsequenter.

Quæres 17. Quid sit propositio in genere moris.

℟. Est illa, quæ tractat de bonitate, & malitia humanorum actuum procedentium libere à voluntate, ratione aduertente. 67

Dixi primò, propositionem moralẽ tractare de bonitate, & malitia actuum humanorum ad differentiam propositionis naturalis, quæ tractat de iis, quæ spectant ad naturã in genere entis, & si enim in ente reperiatur ratio boni naturalis, omne enim ens in quantum est, forum est, quia melius est quam non esse, & per bonitatem integratur in suis perfectionibus sibi à natura debitis, si verò exeat in rerũ natura defectuosus dicitur malum, quo natura, vt aiunt, peccauit; de his non est agendum, cum non dependeant à voluntate & intellectu, sed tantum à natura, sed de malitia, & bonitate actuum humanorum quatenus qualificantur in suis propositionibus moralibus ad effectum laudis, & vituperij, præmij, & pœnæ.

Dixi secundo, procedẽtium libere à voluntate ratione aduertente, quia actus humani digni laude, vel vituperio sunt tãtum illi, qui libere à voluntate eliciuntur, vel imperantur aliis potentiis ratione aduertente. De his autem abunde dictum fuit in præcedentibus.

Quæres 18. Quotuplex sit propositio moralis.

℟. Si ea spectetur materialiter respectu actuum duplex est, sicut duplicis generis sunt actus, nam primi generis actus dicuntur eliciti à sola voluntate, ex quibus deducitur primum genus propositionis, quæ dicitur constare ex actibus elicitis, & internis. Secũdi verò generis actus vocantur imperati à voluntate aliis potentiis exequẽtibus illius impetum, ex quibus componitur secundum genus propositionis, quæ dicitur cõstare ex actibus imperatis, & externis. Si verò spectetur formaliter respectu bonitatis, & malitiæ prædictorum actuum tam internorum, quam externorum, diuiditur in bonam, & malam propositionem. 68

Bona propositio est illa, cuius prædicatum continet honestatem conuenientem subiecto, & hæc semper vera est propter conuenientiam & conformitatem, quam habet cum subiecto. Mala vero propositio est illa, cuius prædicatum dicit turpitudinem in subiecto; & hæc aliquando est vera, cum scilicet vitium

tium de vitio prædicatur, e. g. Blasphemia est vitium. Adulterium est violatio alieni thori. Falsa verò cum malitia ex parte prædicati tribuitur subiecto bono; vt Deus est iniquus Christus est purus homo.

Notandum autem est, quod in propositione morali duo spectari possunt, vnum ex parte intellectus, respectu cuius propositio dicitur vera, vel falsa, præscindendo ab eius bonitate, & malitia, & tunc propositio bona ex parte voluntatis, & obiecti est etiam vera, quia tam actus intellectus, quam voluntatis sunt conformes obiecto, veritas enim est conformitas intellectus cum re intellecta, & bonitas est conformitas, seu conuenientia obiecti cum natura rationali. Propositio verò mala, vt dixi, aliquando est vera, aliquando falsa, & hoc accidit propter deformitatem, & conformitatem, quæ reperiri possunt in propositionibus ex parte intellectus, qui in obiectis etiam malis reperit modo deformitatem, modo conformitatem, secundum quod propositiones sunt veræ vel falsæ, non obstante earum malitia, quæ non aduersatur veritati, sed cũ ea manet, eo quod vna malitia coniungitur vere cum alia, non potest verò vna malitia coniungi vere cum bono, ideo in hoc sensu propositio mala est semper falsa, sicut & eadem semper est vera, quando malitia additur malitiæ. Alterum in propositione morali spectatur ex parte voluntatis, nimirum, quod ea sit elicita libere à voluntate, intellectu proponente, & aliis potentiis imperata, sub quibus conceptibus denominatur propositio in genere moris bona, vel mala bona quidem ex honestate, quam habet obiectum, vel mala ex turpitudine obiecti, consequitur quod sit digna laude merito, & præmio si sit bona; vituperio, demerito, & punitione in in homine operante turpiter; sicut respectu intellectus eadem propositio spectatur in genere naturæ, & entis prout est vera, vel falsa.

69 Quæres 19. An propositiones tam bonæ, quam malæ, tam ex actib. internis, quam externis sint capaces qualificationis? Ratio dubitandi est, quia actus interni relinquuntur Dei iudicio, dicente Vrbano II. relato cap. Erubescant 11. dist. 32. *De manifestis quidem loquimur, secretorum autem & cognitor Deus, & iudex est.* Idem dicit Stephanus Papa V. relatus in cap. Consuluisti 20. 2. q. 5. his verbis: *Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro iudicare; occulta verò, & incognita, illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda aliorum hominum.* Et id confirmatur, quia in tantum propositiones qualificantur, in quantum iudex ex earum qualitate possit procedere ad præmium, vel pœnam iuxta exigentiam qualificationis datæ: est autem certum in iure, quod occulta delicta non sunt ab humano iudice iudicanda, cap. Sicut tuis literis 33. de simon. & cap. leg. Tua nos dicitur: *Nobis datum de manifestis tantummodo iudicare & in cap. fin. 32. q. 5.* dicitur, quod latentia peccata vindictam non habent, frustra igitur qualificantur propositiones ex actibus internis.

℟. Tam propositiones internæ, quam externæ capaces sunt qualificationis, ita quod deductæ ad forum contentiosum qualificantur in ordine ad præmium, vel pœnam, etiam illæ internæ, de quibus non constat, nisi dependenter ab externis cognitis cum quib. necessario coniunguntur, vel iudicantur prudenter coniungi.

Primum de capacitate vtriusque constat, quia sunt capaces veritatis & falsitatis, bonitatis, & malitiæ, immo in actu exeunt cum vna, & altera ex his qualitatibus, ergo capaces sunt qualificationis, in prædictis enim consistit qualificatio, attentis circumstantiis personarum, locorum, temporum, & modorum quibus contingunt fieri actus humani.

Secundũ de actibus externis cõstat, quia isti cõmunem, habẽt capacitatẽ cũ internis, à fortiori qualificari possunt quia cadunt sub sensum, & iudiciũ hominũ, ergo illos qualificare potest iudex, & quisque peritus.

Tertium de actibus internis conuinctus cum externis probatur, quia afficiuntur eadem bonitate vel malitia, qua externi; communem enim bonitatem, vel malitiam cum illis habent ex obiecto, quod idem respicit vtrumque actum, & eadem ratio libertatis, à qua denominatur actus humanus, repetitur in vtroque ex probatis supra, ergo eadem qualificatio fieri potest de internis, quæ fit de externis actibus. Confirmatur, quia sunt idem numero actus in ratione moris, si tempore non diuersificantur, & sunt circa idem obiectum, ergo possunt pariter qualificari.

Et ex his patet ad rationem dubitandi, nam illæ auctoritates intelligũtur de illis occultis & internis, quæ nullam connexionem habent cum externis, *Nau. to. 4. de Iudic. à n. 53. ad 68. Graff. tom. 1. consi. vn. de sponsal. vbi n. 6.* ait iudicari de occultis, si adsint signa exteriora. Vide Becanum de lege humana q. 5. num. 3.

Notandum est, quod etiam actus interni non solum voluntatis, sed etiam intellectus in causa hæresis qualificandi sunt, vnde eius sacrum tribunal habita iuridica cognitione de aliquo dicto, vel facto hæreticali, vlterius quærit à reo qua intentione protulerit ea verba, an intentione hæreticali habens in mente hæresim, an alio fine, & licet iudex habeat pro se præsumptionem iuris, quod verba protulerit reus praua intentione, tamen quia potest esse, quod reus non habeat prauam intentionem neque hæresim in intellectu, vt apparet plurimum in blasphemis, ideo præsumptam prauam intentionem purgare debet reus per torturã, & hoc modo actus internus intellectus qualificatur excludendo errorem ab intentione. Vide *Doctores, quos citaui hîc supra cap. 35. q. 50. n. 52.*

Quæres 20. Quotuplex sit propositio bona, & mala, seu Catholica, & Hæretica, seu de hæresi suspecta conseruabiles, & damnabiles?

℟. Proposita bona in genere moris, quę & Catholica dicitur quadruplex est, Fidelis, seu de fide, cui opponitur Hæretica prima species ex propositionibus malis, & non catholicis. Secunda dicitur Theologica, cui opponitur Erronea. Tertia vocatur sapiens fidem, cui opponitur sapiens hæresim. Quarta demum nuncupatur Pia, cui opponitur mala vocata impia. 70

Quæres 21. Quid sit propositio de fide, quæ est prima species propositionis Catholicæ.

℟. Propositio de fide est illa, quæ à Deo immediate reuelata est, Hic duo spectantur. Res reuelata, & Deus reuelans. Res reuelata est omnis propositio expressa, vel alia contenta in Sacra Scriptura, & Traditionibus Christi. Propositio igitur de fide, articulus fidei, res reuelata, & obiectum materiale fidei idem in re sunt. Scio nonnullos distinguere Articulos fidei à propositionibus de fide, quod illi sint qui continentur in symbolo: sciendi à omnibus de necessitate: Istę verò sint reliquæ non necessario sciendæ ab omnibus, vt quod Adam habuerit plures filios, & huiusmodi historica. Deus reuelans propositiones de fide talis est quatenus est prima veritas quæ fallere, nec falli potest, & vocatur obiectum formale fidei, ex quibus formatur complexum fidei, quod est propositio à Deo reuelata. Vt propositio de fide inducat obligationem ad credendum id, quod sub ea continetur, necesse est, quod proponatur vt talis, & vt credenda à summo Pontifice toti Ecclesiæ, ad illum enim spectat hoc munus, cum sit pater, & pastor omnium fidelium.

Quæres 22. Quid dicat reuelatio immediata, per quam propositio qualificatur in esse fidei.

℟. Reuelatio immediata est illa, qua Deus res credendas manifestauit in terminis propriis vel æquiualentibus, ita quod immediatio reuelationis excludit medium syllogisticum & intrinsecum rei, non verò medium ministeriale, quo Deus per Angelos suos, & Apostolos reuelauit Ecclesiæ credibilia.

Primum

Primum de reuelatione in terminis propriis traditur, quia illa res dicitur expresse reuelata, quæ in propriis terminis reperitur in Sacra Scriptura, vel in Traditionibus Christi e.g. Genesis l. 27. *Deus creauit hominem ad imaginem, & similitudinē suam.* Item ad Rom. 14.9. *Christus mortuus est, & resurrexit.* Istæ propositiones, cū omnibus aliis clatis in voce, & sensu dicūtur expresse, & in terminis propriis à Deo immediate reuelatæ, nam termini earum secundum verum, & secundum sensum sunt per se nati.

Secundum de reuelatione in terminis æquiualentibus accidere potest dupliciter, primo secundum essentiā rei, vt quādo verum est reuelatum, quod immediate, & essentialiter continet aliud, quod expresse in suis terminis non reperitur inter Canonicos libros, nec in Traditionibus. Exemplū sit de Christo, qui expresse est reuelatus, quod sit homo, non verò quod sit substantia, quod sit animal, rationale, sensitiuum, corpus, &c. qui enim reuelauit, Christum esse hominem, dixit quoque per æquiualentiam eiusdem prædicati, illum esse substantiam, animal, &c. Hæc enim prædicata essentialia insunt homini, ita quod est impossibile, dari hominem sine illis, quare reuelato vno essentiali intelliguntur immediatè reuelata cætera illi essentialia, cum in vnū, & idem esse essentiæ conueniant. Itaque prædicata essentialia, & substantialia sicut sunt immediata in se, ita & re immediatè reuelata, dicūtur & ipsa immediate reuelata à Deo ex essētiali cōnexione vnius cū alio.

Secundo propositio in terminis æquiualentibus dicitur reuelata, quando termini subobscure continent sensum rei reuelatæ ex communi interpretatione Ecclesiæ. Exemplum pono ex Ioan. 16. 14. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Intelligitur hæc sententia de processione Spiritus sancti à Filio, in diuinis enim, vnam personam accipere ab alia, est ab illa procedere in genere productionis. Item ex eadem n. 15. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Intellige substantialia, præter relationem paternitatis, sed Pater habet potentiam spiratiuam, ergo & Filius, cum qua ambo producunt Spiritum Sanctum. *Accipere de meo. Mea esse quæ sunt Patris.* Immediate importent reuelationem processionis Spiritus Sancti à Filio, in terminis licet subobscuris, & æquiualentibus. Ita sancti Patres inuestigauerun tprocessionem Spiritus Sancti à Filio. Theologi similes propositiones vocant explicatas per discursum, non deductas, ad quod intelligendum faciunt diuersi sensus Sacræ Scripturæ, de quibus dixi in hoc *Sacro Tribunali cap.* 1. *n.* 109. Vide *D. Thomam part.* 1. *q.* 36. *art.* 2. *ad primum, Scotum in* 1. *dist.* 11. *& in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. in quibus locis, deducunt articulum de processione Spiritus Sancti ab vtroque.

Secundum prædictos modos intelligendi sunt Gregor. Nazianz. l. 5. his verbis: *Quæ colliguntur ex Sacris Scripturis perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent.* Origenes in Matth. c. 23. *Quæ in diuinis literis scripta non sunt tractare debemus per ea, quæ scripta sunt.* In Sacris Scripturis reperiuntur multa obscura secundum literam, vt testatur Petrus in sua Epist. 2. c. 3. n. 16. *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant.* Vnde bene dixit Paulus 2. Corinth. c. 3. n. 6. *Litera occidit, spiritus viuificat.* i. sensus verus, & realis sub litera occidente in sua obscuritate, explicandus est & habendus ac si esset expressus in propriis terminis illum clare significantibus. Patet ergo ex his explicationem veri sensus Sacræ Scripturæ sub illis verbis obscuris arguere immediatam reuelationem à Deo factam super illis sensibus declaratis, ac si expresse verba idem plane, & clare significarent. Quod huiusmodi declaratio habetur pro immediatè expressa in sacris literis, suaderi potest rationibus legalibus, quia quod tacite inest, habetur pro expresso, l. Fidei commissa §. filij ff. de legat. 3. l. Licet imperator ff. de legat. 1. Expressum quoque dicitur, quod continetur sub generalitate verborum, licet non exprimatur in propriis terminis, gl. n. specialiter *l. fin. C. quod cum eo.* Vnde & expressum dicitur, quod continetur ex vi verborum, *Flamin. l. 6. de Resignat. q. 1. n.* 55. *Ferrer. in constitut. Catalon. gl. 4. n.* 52. *Pasqual. q.* 130 *n.* 8. Maxime id habet locum in Sacra Scriptura & propter diuersitatem sensuum, & propter substitutionem vnius rei, & vocis ad significandam aliam rem. Manifestum igitur ex his est, reuelationem conceptam ex sensu verborum obscurè significantium dici immediatam non minus, ac ea, quæ concipitur ex sensu claro verborū, nā vtriusque auctor est ipsemet Deus reuelās.

Tertium de medio syllogistico excluso per reuelationem immediatam patebit infra q. seq. nam fides habet pro medio quid extrinsecū, quod est diuina reuelatio, non quid intrinsecum rei reuelatæ, & est illatio syllogistica, quæ supponitur in re etiā ante reuelationem, quæ subsequitur rem in genere naturæ spectatam.

Demum reuelatio quatenus immediata nō excludit ministeriū Angelorum, vel hominū, per quos Deus fidem reuelauit, est enim manifestū Deum per internuntios fidem reuelasse, & eius reuelationem nihilominus fuisse immediatā, quia immediatio hæc opponitur solū medio syllogistico, quod nullam vim, nec auctoritatem habet inducendi propositionem de fide, si talis non est aliunde i. ex diuina reuelatione, quæ tantum immediata est ex prædictis.

Quæres 23. An medium syllogisticum ex ambabus præmissis de fide semper inducat conclusionem quæ sit de fide.

℞. Quælibet conclusio deducta ex ambabus de fide est propositio de fide, non ex illatione syllogistica, sed de se, quia à Deo reuelata. Eadem verò licet non fiat de fide per medium syllogisticum, bene cognoscitur arguitiue per illud, & conditione præmissarum, quæ intellectum humanum determinant ad sic indicandū. Probatur primum, quia mediū solum extrinsecū, nempe diuina reuelatio immediate, & per se facit, & qualificat propositionem de fide, ex probatis, ergo id efficere non potest mediū syllogisticum, quod vim habet inferendi in genere entis nō in genere moris, cū intellectus necessario, & naturaliter operetur. Propositiones autē de fide spectātur in genere moris, nō entis, requirunt ergo causam moralē, qui est Deus libere reuelās. 72

Alterum, quod conclusio illata sit de fide, & talis cognoscatur ratiocinatione, suadetur ratione, & exemplis. Ratio sit, quia extrema conclusionis eamdem veritatis, & certitudinis nexum habent inter se, quem habet medium cum eisdem extremis in præmissis, nulla enim alia ratione extrema coniunguntur in conclusione, quam illa ratione, qua copulantur eadē extrema cū medio in præmissis; sed extrema cum medio nectuntur veritate, & certitudine supernaturali fidei, ergo eadem nexu veritatis, & certitudinis fidei extrema conclusionis debent coniungi inter se. Ergo sequens conclusio est semper de fide, cum participet veritatem, & certitudinem præmissarum fundatam in immediata reuelatione diuina, non in forma syllogistica, quæ tantum dat cognoscere conclusionem de fide antea fuisse. Exempla sint. *Ordo est sacramentum* ex sess. 7. can. 1. sess. 23. can. 4. *sed Diaconatus est ordo.* dicta sess. 23. c. 2. & 3. & can. 2. *ergo Diaconatus est sacramentum.* Item *omne sacramentum confert gratiam: sed Baptisma est sacramentum; ergo confert gratiam. Omne sacramentum* imprimens *Characterem est irreiterabile: sed Confirmatio imprimit Characterem, ergo est irreiterabilis. Omne productum in diuinis est distinctum à producente. Filius est productus à Patre, ergo Filius est distinctus à Patre.* Ecce his exemplis conclusio cognoscitur esse de fide, quia præmissæ sunt de fide, quasi communicantes illi certitudinem supernaturalem arguitiue, quam

quam ante in se habebat ex vi diuinæ reuelationis.

Quæres 24. An conclusio sequens ex præmissis, vna naturali, altera de fide, sit de fide?

73 ℟. Conclusio sequens ex illis non sit de fide ex vi illationis, sed Theologica tantum dicitur, nisi aliunde qualificata sit per immediatam Dei reuelationem. Probatur primo, quia illa propositio est de fide, cuius veritas nititur immediate diuino testimonio reuelante, ex probatis q. 21. id enim est eius obiectum formale, ac proinde illius constitutiuum; sed propositio deducta non nititur diuino testimonio immediate, si aliàs in se non est reuelata, sed fundatur in veritate præmissarum, ergo non est de fide. *Secundo*, intellectus ad assentiendum conclusioni non mouetur ex diuina reuelatione, de qua ne verbum quidem, nec agitatio haberi potest ex syllogismo, ergo non potest ex hoc dici, nec esse de fide, si abest diuina reuelatio, per quam constituitur propositio de fide. *Tertiò*, assensus conclusionis prouenit ab alio habitu, à quo non procedit assensus propositionis de fide, nam assensus in propositionem de fide gignitur ex habitu infuso eiusdem fidei, vt notum est; assensus verò conclusionis producitur ab habitu demonstrationis acquisito, ergo conclusio vt deducta non potest esse de fide, cum non producatur ab habitu fidei infuso. *Quarto*, diuersi sunt habitus fidei, & Theologiæ diuersuæ, sicut in naturalibus scientiis alter est habitus præmissarum, alter habitus conclusionis, nam intellectus ex diuersis motiuis vtrisque assentitur, præmissis quidem ex connexione nata extremorum inter se; conclusioni verò propter connexionem extremorum cum medio inferente veritatem eiusdem conclusionis, habitus enim specificantur per actus; ita & in Theologicis alius est habitus principiorum, seu præmissarum de fide, quibus assentimur per habitum infusum diuinæ reuelationis, alius habitus conclusionum, quibus adhæremus propter habitum demonstrationis, vnde motiuum ad assentiendum præmissis de fide est supernaturale, motiuum verò assentiendi conclusioni est naturale, & acquisitum, seu mixtum ex vtraque quod tandem resoluitur in naturale, cum non in genere moris, sed entis spectetur demonstratio effectus solius intellectus naturaliter operantis. *Quinto* facit illud axioma Philosophi: *Conclusio sequitur debiliorem partem*, quod non solum verum est, respectu quantitatis, & qualitatis præmissarum, iuxta formam syllogisticam, sed etiam respectu materiæ, nempe, veritatis, certitudinis, & probabilitatis, vt patet, quando ex vna scientifica, & altera probabili, infertur probabilis; si vna est vera, & certa, altera falsa, & incerta, conclusio est falsa. Ex his infertur conclusionem deductam ex vna naturali, & altera de fide, sequi debiliorem partem præmissarum, nempe conditionem præmissæ naturalis, ac proinde decendam esse naturalem, & Theologicam, non vero de fide; est enim certissimum, & extra controuersiam, quod propositio de fide in veritate, & certitudine longe excedit veritatem, & certitudinem propositionis naturalis, non obstante, quod propositio naturalis habeat adiunctam qualitatem euidentiæ, qua caret propositio de fide, quia hic non potest habere locum euidentia maior, vel minor comparando, si quidem comparatiuum non potest habere locum, vbi positiuum non potest rependi in vtraque non solum secundũ Doctores cũ Latine in l. Stipulatio ff. de verb. obligat. sed etiã secundum veritatem ex natura rerum, quis enim dicet, hunc hominẽ esse doctiorẽ Asino, qui doctrinæ incapax est. Et ex his defenditur *Suar. cõtra Vulp. d. 29. de fide art. 3. n. 5. Sic in proposito, sola* propositio naturalis est capax euidentię, ideo secundũ magis, & minus non potest comparari cum propositione de fide, quæ est incapax euidentiæ, remanet ergo quod conclusio sequitur debiliorem partem quoad veritatem, & certitudinem, consequenter præmissam naturalem, non verò supernaturalem, consequenter conclusio non potest esse de fide ex vi illatiua. *Sexto* quia pręmissæ sunt semper perfectiores in veritate, & certitudine, quam sit conclusio, quæ eis non potest æqui parari in illis perfectionibus, iuxta illud axioma: *Propter quod vnumquodque tale & illud magis*. Ex quo sequitur, conclusionem deductam esse minus perfectam in veritate, & certitudine; consequenter conclusionem non posse vt talem esse propositionem de fide, siquidem omnes propositiones de fide æqualiter veræ, & certæ sunt, in his secum non compatientes inæqualitatem, cum in perfectione veritatis, & certitudinis ab vna, & eadem numero diuina reuelatione specificentur. *Septimo*, forma syllogistica quandoque decipere potest, quando vna est naturalis, & altera supernaturalis, consequenter impossibile est, quod conclusio deducta sit de fide, cum fides excludat omnem falsitatem, quam tamen admittere potest forma syllogistica vt patet in sequenti exemplo: *Omnis homo mendax; sed beata Maria est homo, ergo beata Maria est mendax.* Cõclusio hæc est hæretica, quia Tridentinum sess. 6. can. 23. declarauit, eã neque venialiter peccasse. Falsum igitur est, conclusionẽ hic deductã esse de fide.

Hinc Doctores colligunt, hanc propositionem. *Christus est risibilis* deductam ex altera naturali: *Omnis homo est risibilis* & altera de fide: *sed Christus est homo* non esse de fide, sed Theologicam tantum; neque enim reperitur expressa in terminis propriis, neque æquiualentibus, sicut alia, quod sit flebilis, legitur enim, quod fleuit, sed quod riserit, non legitur. Qui tamen negaret risibilitatẽ à Christo erroneus, & temerarius esset, non tamen puniretur vt formalis hæreticus, vt alibi docui. 74

Quod propositio de fide non colligatur ex vna naturali, & altera supernaturali, neque proinde pendeat ex reuelatione mediata, quæ vere non potest dici reuelatio, cum non sit actus mere voluntatis, sed solius intellectus necessario operantis, docent quamplures, *cum D. Thom. p. 1. q. 1. art. 1. & 2. Mol. ibid disp. 4. & 2. Gregor. Maiore, Ochamo, Gabriele, Suar. disp. 3. sect. 11. n. 7.* quos contra se citat *Vulpes tom. 2. disp. 29. art. 3. n. 4.* nobiscum est *Caspensis de fide disp. 1. sect. 6.*

Sed cur cõclusio ex ambabus de fide est de fide, non verò quando altera pręmissarum est naturalis. Ratio à priori est, quia illa aliunde constat esse de fide, nempe, ex diuina reuelatione, non sic de ista. Nihilominus etiam ratio naturalis assignari potest, nempe id prouenire ex diuersitate nexus præmissarum, siquidem medium in præmissis ambobus de fide nectitur vtrique extremo nexu veritatis & certitudinis supernaturalis; medium verò in præmissis mixtis nititur nexu mixto ea supernaturalitate, & naturalitate, ergo necesse est, quod conclusio deducta ex medio supernaturali præmissarum ambarum de fide sit supernaturalis, deducta verò ex medio mixto, tẽdat magis ad naturalem, quam supernaturalem, ac proinde sit naturalis, eo quod conclusio habeat sequi debiliorem partem.

Quæres 24. An propositiones, & conclusiones singulares deductæ ex vniuersali de fide, & alia singulari naturali sint de fide? Pono exemplum: *Omnis homo in Adam peccauit: sed Petrus est homo; ergo Petrus in Adam peccauit.* An ex illa maiori de fide inferatur conclusio de fide.

℟. Propositiones singulares, quæ non inueniuntur expressæ in sacra Scriptura iuxta dicta superius, sed tantum deducuntur ex vniuersali de fide, non sunt de fide, sed tantum Theologicæ. 75

Probatur primo ex allatis in præcedẽti quæstione cũ sit eiusdẽ rationis, *Secundo*, quia in his mediũ cõclusionem inferens est vt plurimũ naturale mixtũ pariter ex prædicato supernaturali de fide, & subiecto naturali, & patet in exẽplo obiecto; in tantũ enim Petrus peccauit

in

in Adam, in quantum est homo, certum autem est medium naturalem non inferre conclusionem supernaturalem, neque ratione syllogistica, vt notum est, neque connexione naturali, quam non habet Petrus cum peccato originali in quantum est homo. *Tertiò*, in propositionibus vniuersalibus de fide, licet in se sint verissimæ, & certissimæ, tamen latere potest falsitas in singularibus, quæ in genere moris necessariam non habent connexionem, eo quod prædicatum morale essentialiter, & ex natura rei non iungitur cum inferioribus sicut coniungitur prædicatum naturale in genere entis, nam exempli gratia, ex eo, quod omnis homo est rationalis, sequitur omnes homines in singulari esse rationales, in his ergo est essentialis connexio, non in istis. Patet id multis templis, nimirum propositiones vniuersales de fide non includere singulares in ratione fidei. Nam de fide est, omnes homines in Adam peccasse, sequitur enim Scriptura aperte per signum vniuersale, & nihilominus B. V. M. non peccauit ex certissima iam sententia. Item dicitur in Psalmo: omnis homo mendax, & tamen habemus de fide Beatam Virginem nunquam peccasse venialiter, idem de Ioanne Baptista præcursore Domini, ibi: *Ne leui saltem maculare vitã famine posses.* Pariter legitur in Ester. cap. 15. num. 12. *Quòd habes Ester? Ego sum Frater tuus, noli metuere: Non morieris, non enim pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Locutio est vniuersalis, & sub hoc mortis decreto non comprehenditur Ester excepta; vnde Augustinus lib. 6. cap. 12. contra Iulianum Pelagianum dicit! *Omnes pro multis, & multi pro omnibus frequenter in sacris literis ponuntur.* Facit ad hoc pro positum, quod refertur lect. 6. Officij S. Bonauen. in die octaua eiusdem dictum ab Alexandro de Alex. de eodem S. Bonauentura. *Non videtur Adam in homine isto peccasse.* Quod non esset benedictum, si omnes propositiones singulares essent reuelatæ in suis vniuersalibus, fides enim includit dubium significatum per verbum, *videtur*, cum semper certissima sit. *Quarto*, propositiones singulares sunt infinitæ, quæ si essent de fide & suo principio in se reuelato, generarent confusionem, quod est absurdum, ergo & absurdum est dicere illas esse de fide *Quinto* demum sic sentiunt Doctores cum D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 3. ad 4. illis verbis: *Fides credentis non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc, quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratus.* Quem pro se citat Corduba lib. 1. q. 17. §. Tertium dictum, vbi ait: *Non est de fide, quod hac hostia non est consecrata, aut quod adoranda est, nec oppositum est hæreticum.* Viguer. de fide cap. 10. §. 3. Suar. de fide disp. 3. cap. 11. n. 7.

76 Prædictis obstare videntur duo notissima principia in Philosophia, quorum primum est, quia propositiones particulares, & singulares continentur in suis vniuersalibus, sicut continentur partes in suo toto, & effectus in sua causa; nam sub hac vniuersali: *Omnis homo est animal rationale*. continentur omnia, & singula indiuidua naturæ humanæ, in qua sunt homo animal rationale. Sicut enim genus prædicatur de omnibus suis speciebus, ita & species quælibet de omnibus suis indiuiduis semel cum genere, & rationibus eius. Idem proportionaliter dicendum est de propositionibus vniuersalibus de fide, quæ de suis inferioribus prædicantur ratione vtriusque. Quare Deus, qui reuelauit omnes homines peccasse in Adam, reuelauit quoque. Petrum, Paulum, & reliquos homines præteritos, præsentes, & futuros peccasse in Adam, ergo de fide sunt tam propositiones singulares, quam vniuersales. Alterum principium, in quo præcedens fundatur, *est dictum de omni*, quod est principium primæ figuræ, & habet hunc sensum. Omnia prædicta, quæ dicuntur de subiecto in maiori propositione, prædicantur etiam in conclusione de subiecto contento tam in minori, quam in conclusione, in qua sit prædicatio. Infertur ergo & his duobus principiis, quod cum omnes propositiones singulares tamquam partes contineantur sub vniuersali tanquam toto, necessario sequi, omnia prædicata totius conuenire partibus, nam habens connexionem ad inuicem, & partes nihil sunt præter totum, immo sunt ipsum totum, merito igitur quidquid dicitur de toto, prædicatur etiam de partibus e. g. de toto homine dicitur, quod est animal rationale, &c. hoc idem prædicari debet de singulis hominibus, qui sunt illius partes. Idem in moralibus. Nam omne sacramentum confert gratiam, ergo Baptismus, Confirmatio &c. conferunt gratias. Eadem ratione. Omnes in Adam peccauerunt, ergo Petrus, Paulus, & cæteri omnes peccauerunt in Adam.

Respondetur dupliciter. Primo, sapientiam huius seculi esse stultitiam apud Deum 1. Corinth. 1. 20. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.* Idem Paulus sequenti cap. 2. num. 4. loquens de prædicatione Euangelij, & cognitione fidei ita discernit: *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia, sed in virtute Dei.* Sapientia ergo Dei in mysteriis fidei non est alligata legibus sapientiæ humanæ; sed aliis regulis altioribus regitur, ideo allatæ obiectiones nullius sunt momenti in materiam fidei.

Nihilominus respondetur secundo directe ad vtrumque simul, vniuersale continere sub se singularia omnia, & *Rectum de omni* verificari in prædicatis essentialibus, non autem in aliis, etiam in moralibus; quando prædicatio est essentialis, & non aliter, in prædicatis vero accidentalibus nequaquam verificatur propter diuersitatem connexionis, quę essentialis vt inter prædicata essentialia cum subiectis, non verò respectu prædicationum accidentalium, quæ possunt abesse, & adesse subiecto, sine illius destructione, non vtique essentialia, quæ si absunt destruunt subiectum. Modo applicando ad non nostram, prædicata de fide licet sint infallibilia, verissima, & certissima, non ideo tamen habeat essentialem connexionem cum subiectis, quis enim dicet prædicatum peccati originalis, redemptionis, gratiæ, iustificationis & esse essentialia homini vt sic, ideo licet prædicatio in propositione vniuersali sit vera, non tamen semper verificatur in singularibus. Adde & clarius propositiones singulares contineri sub vniuersalibus in ratione veritatis Theologicæ non vero in ratione reuelationis, ac proinde non esse de fide, sed tantum Theologicas. Vide aliam responsionem in Sacro Tribun. cap. 2. num. 29. fol. 55.

Quæres 26. Quid sit propositio hæretica, quæ immediate opponitur propositioni de fide? 77

℟. Est illa, quæ continet errorem immediate contra fidem. Dico immediate, vt hoc genus distinguam ab alio de propositione sapiente hæresim non immediate, sed arguitiue, vt infra patebit. Differunt, quod fidelis habet pro auctore Deum; Hæretica Diabolum cum suis sectatoribus. Fidelis continet veritatem sine vllo errore; Hæretica est tota falsa sine vlla veritate. Fidelis est bona, ex cuius credulitate homo per opera bona saluatur; Hæretica mala est condemnans hominem ad mortem. Fidelis exprimitur per affirmationem, & rationem positiuam, vt plurimum, ex quo in genere suo dicit perfectionem; & si aliquando concipitur negatiue, id accidit cum exclusione imperfectionis; vt, *Christus non peccauit.* Hæretica fere semper exprimitur per negationem, quæ est malignantis naturæ, destruens, quod fides ponit.

78 Quæres 27. An propositiones particulares deductæ ex vna de naturali, & altera de fide, sit de fide, an tantum Theologica? Est differentia inter hanc prædistinctionem, & præcedentem sicut inter propositionem singularem, & particularem.

℟. Quod dictum fuit in præcedenti quæstione locum habet in præsenti, ac proinde ex præstitis mixtis non potest colligi propositio particularis de fide, nisi talis ex se sit. Ratio est, quia propositio particularis in re incidit cum singulari, nam quidam homo significatus vage, & sine determinatione definitur in re, & restringitur ad talem hominem in singulari; sed propositiones singulares deductæ non sunt de fide, iuxta probata in præcedenti, ergo neque particulares. Differentia ergo erit secundum esse Logicale, quia particularis propositio constat subiecto communi notato signo particulari; vt *quidam homo est doctus*. Singularis vero constat subiecto nomine proprio, aut communi, sed notato pronomine demonstratiuo, vt *Petrus est homo. Hic homo est animal.* In re vero est idem singulare illud particulare, nam vbi est quidam homo, si enim demonstretur, certe designabitur homo singularis, sicut ergo in re idem est homo particularis, & singularis, eodem quoque erit propositio particularis, & singularis, & quod dictum fuit de propositione singulari in præcedenti quæstione, dicendum quoque est de particulari in præsenti quæstione, nimirum non esse de fide, sed tantum Theologicam.

79 Quæres 28. Quomodo opponantur ad inuicem propositiones de fide, & de hæresi? Triplicem sensum potest habere quæstio, primum, an opponantur logice secundum quod opponuntur duæ propositiones eorundem extremorum secundum quantitatem, vel qualitatem in quadruplici specie oppositiones. Secundum, an opponantur secundum veritatem, & falsitatem ad modum propositionum naturalium? Tertium, an in genere moris opponantur, ita quod si vna sit de fide, reposita sit hæretica?

℟. Ad primum, in propositionibus moralibus dari oppositionem logicam, quod clarum est exemplis, nam istæ duæ. ***Omnis homo peccauit in Adam. Nullus homo peccauit in Adam.*** Sunt contrariæ. Hæ ***Aliquis homo peccauit in Adam, Aliquis homo non peccauit in Adam.*** Sunt subcontrariæ. Sequentes sunt subalternæ. ***Omnis homo peccauit in Adam. Aliquis homo peccauit in Adam.*** Item ***Nullus homo peccauit in Adam. Aliquis homo non peccauit in Adam.*** Idem patet in Contradictoriis. ***Omnis homo peccauit in Adam. Aliquis homo non peccauit in Adam.*** Idem. ***Nullus homo peccauit in Adam. Aliquis homo peccauit in Adam.*** Ecce oppositio logica.

℟. Ad secundum, obseruando, prædicatum esse triplex, essentiale seu necessarium, quod semper inest subiecto. Impossibile, quod nunquam est in subiecto. Accidentale, quod modo est in subiecto, modo ab eodem abest. Prædicatum de fide videtur reducibile ad primum genus prædicatorum essentialium seu necessariorum, in quantum semper inest subiecto secundum veritatem, semper enim verum est dicere, quod omnes homo factus est ad imaginem Dei. Sicut contrà prædicatum de hæresi est de genere impossibilium, quia sicut nunquam vera est propositio hæretica, ita neque vmquam illius prædicatum inest subiecto. Non tamen hinc sequitur prædicta moralia esse intrinseca, & essentialia homini, vt notum est, sed illi accidunt in genere entis, nisi velimus dicere esse illi essentialia prout spectatur in genere moris.

In contrariis, & subcontrariis de prædicato essentiali affirmatiua est semper vera, negatiua semper falsa. De prædicato impossibili affirmatiua semper falsa, negatiua semper vera. De prædicato accidentali in contrariis vtraque falsa, in subcontrariis vtraque indifferens. Applicando ad rem nostram.

Vtraque propositio contraria potest esse falsa, vt patet in his exemplis. *Omnes fideles sunt electi. Nullus fidelis est electus.* Vtraque est falsa, nam Scriptura dicit, quod multi sunt electi, ergo non omnes, consequenter vtraque vti falsa, hæretica quoque est, quare deuiant à regula de prædicato essentiali, & impossibili, & concordant cum regula de prædicato accidentali, quamquam alioquin discordare possunt, si in aliis ponamus exomplum, vt, *Omnes in Adam peccauerunt, Nullus in Adam peccauit.* Concordant cum prædicato essentiali, in reliquis discrepant. In subcontrariis datur indifferentia veritatis, & falsitatis ac si essent de prædicato accidentali.

In subalternis de prædicato essentiali vtraque affirmatiua semper vera, negatiua semper falsa. De prædicato impossibili vtraque affirmatiua semper falsa; vtraque negatiua semper vera. De prædicato accidentali affirmatiua vniuersalis semper falsa, particularis indifferens, negatiua vniuersalis semper falsa, particularis indifferens. Applicando ad rem nostram.

Hæ duæ subalternæ affirmatiuæ. *Omnis fidelis est electus. Aliquis fidelis est electus.* Prior falsa. posterior vera. In hoc vero exemplo. *Omnes sunt vocati. Aliquis est vocatus.* Vtraque est vera sequentes nagatiuæ ex eodem prædicato. *Nullus fidelis est electus. Aliquis fidelis non est electus.* Prior est falsa, posterior vera.

In contradictoriis ex quouis prædicato, si vna est vera, altera semper est falsa. Et non verificatur in moralibus, nam hæc est vera. *Omnes in Adam peccauerunt.* Similiter eius contradictoria. *Aliquis non peccauit in Adam.* Siquidem Christus non peccauit. Probabilissimum quoque est, nec Beatam Virginem Mariam. Item. *Omnes sunt electi* est vera. *Aliquis non est electus.* Est etiam vera, quia Iudas non fuit electus. Saltem particularis est indifferens in his contraditoriis.

Ex his constat alias esse leges Theologorum, alias Philosophorum, qui lumine fidei non edocti vel errauerunt deficientes à regulis vniuersalibus, vel doctrinam suam tradiderunt mancam, & imperfectam, quam ideo vti sapientiam huius seculi. Spiritus Sanctus vocauit stultitiam, cum respectiue ad sacras literas scateat Philosophia erroribus.

℟. Ad tertium, non dari semper hanc oppositionem, vt si vna est de fide, opposita ei sit de heresi, nam in contrariis quandoque moraliter opponuntur; vt, *Omnes sunt vocati. Nullus est vocatus.* Prior fidelis, posterior hæretica. In his vero. *Omnes sunt electi. Nullus est electus.* Ambæ sunt hæreticæ. In subcontrariis nec fides, nec hæresis locum habet propter dicta in præcedentibus quæstionibus, & ex eo quod sunt indifferentes ad veritatem, vel falsitatem, nisi restringantur ad quædam singularia, de quorum prædicato constat de fide, vt quod Iudas damnatus est. Idem dicendum de subalternis, & contradictoriis respectu propositionum particularium.

Deducitur ex his propositiones de fide opponi hæreticis coutrariè, si tunc vniuersales, si singulares opponi subcontrariè; ita quod propositio de fide propter suam perfectionem semper est vera; de hæresi vero semper falsa propter suam imperfectionem.

Quæres 29. An dari possint duæ propositiones contrariæ, quæ ambæ sint de fide, vel ambæ de hæresi?

℟. Inuenio duas propositiones contrarias de hæresi, non verò contrarias de fide, vt patet in hoc exemplo. *Omnes sunt electi. Nullus est electus.* Ambæ sunt contrariæ secundum quantitatem, & qualitatem, sed conuenientes in falsitate hæresis, nam Scriptura aperte dicit, quod multi sunt electi, ergo hæreticum est dicere 80

dicere, quod nullus sit electus & quod omnes sint electi. Similiter istæ sunt hæreticæ. *Omnes sunt redempti. Nullus est redemptus.* Item *Omnes sunt prædestinati. Nullus est prædestinatus.* Quamplures aliæ huius generis reperiuntur contrariæ, & simul hæreticæ.

Sed cur dantur duæ contrariæ hæreticæ, & non de fide? Sicut enim nectitur falsitas falsitati in ambabus hæreticis contrariis, ita veritas nectere potest duas contrarias de fide, non enim videtur habere maiorem efficaciam nexus falsitatis, quam veritatis. Adde, quod duo contraria, vt nubere, & non nubere, sunt ambo, bona, gl. 11. regni sui, cap. Intellecto 33. de iureiur. ergo & duæ propositiones contrariæ de fide esse possunt, quia sunt bonæ.

Respondeo primo, quod mysteria Dei aliam rationem non habent, quam illius liberam voluntatem. Secundo, ideo duæ propositiones contrariæ possunt esse simul hæreticæ, non autem de fide, quia fides propter suam infinitam perfectionem excludit omnem defectum, cum quo consortium habere non potest, & ideo duæ contrariæ simul esse non possunt de fide propter contrarietatem, quæ dicit imperfectionem. E contra verò duæ contrariæ possunt esse simul hæreticæ, quia propositiones hæreticæ propter suam imperfectionem, vt ita dicam, infinitam, non respuunt quamlibet aliam imperfectionem in omni genere entis. Confirmari potest ex diuersitate affirmationis propositionum de fide vt plurimum affirmatiuarum, & negationis in propositionibus vt plurimum hæreticis, nam negatio magis efficax est, quam affirmatio, *gl.* 11. *A suspensis cap. cum dilectus* 8. *de consuetud. Tuschus lit. N. concl.* 26. *Mar. Anton. lib.* 1. *resol.* 20. *num.* 7. *Surd. decis.* 243. & negatio plus ponit, quam affirmatio, *l. Filius familias*, §. 1. *C. de donat. Tiraq. de iure primog. q.* 24. *num.* 12. *Couar. lib.* 1. *Variar. cap.* 13. *num.* 7. Quare si negatio est magis efficax, & plus ponit, quam affirmatio, non est mirum si possit ponere duas hereticas contrarias, affirmatio verò non possit ponere easdem de hæresi. Quod autem affirmatio referatur ad propositiones de fide, & negatio ad easdem de hæresi constat ex eo, quod de ratione hæresis est destruere, & negare, quod fides ponit, & affirmat de misteriis Dei. Et ex his patet ad rationem dubitandi; & ad illud exemplum, quia in vtroque reperitur ratio continentiæ tum abstinentiæ tum coniungalis.

Quæres 30. An propositio tam de fide, quam de hæresi qualificata per ordinem ad obiectum, an subiectum? Vtroque dupliciter spectari potest, vel in ordine ad subiectum, quod est homo vtramque proferens, seu eidem assensum præstans; vel in ordine ad obiectum, quod est duplex materiale, & formale illud sunt res reuelatæ, hoc ipse Deus prima veritas reuelans.

81 ℞. Propositio de fide qualificatur talis per diuinam reuelationem illi dans esse in genere moris. De hæresi verò qualificatur per assensum humani intellectus pertinacis, scientis se sentire contra fidem. Fides ergo habet pro auctore Deum, pro executore, & credente fidelem Christianum. Hæresis pro auctore, & executore habet hominem infidelem. Fides supponitur ad hæresim, non enim esset hæresis, si nulla daretur fides cui aduersaretur, est enim hæresis negatio eius, quod fides docet, fides enim affirmat, hæresis negat, quod fides ponit. Quoniam autem hæresis non imputatur homini illius auctori, nisi præsciat se sentire contra fidem, & hoc est, quod dicunt Theologi, pertinaciam esse de ratione hæresis, ignorans enim probabiliter se tenere aliquid contra fidem, infidelis non est, defectu pertinaciæ, sed fidelis formaliter, quia ei non imputatur materialis, seu obiectiua hæresis. Hinc est, quod propositio hæretica est duplex, obiectiua, seu materialis, quæ de se contradicit propositioni de fide, quamuis id non sciatur ab homine, hæc enim non dependet ab hominis scientia, & cognitione, & ideo neque illi imputatur saltem apud Deum. Formalis altera dependens à cognitione hominis, vt possit illi imputari ad peccatum infidelitatis in specie hæresis. Obiectiua igitur talis est de se, nec pendet à cognitione hominis, sicut formalis, quæ talis dicitur in ordine ad pertinaciam, & cognitionem hominis male sentientis. Ita omnes *cum Simancha de Catholic. instit. tit.* 55. *n.* 3. *Alberghinus cap.* 12. *num.* 4.

Quæres 31. Quid sit propositio Theologica, & Erronea illa opposita?

℞. Propositio Theologica est illa, quæ colligitur 82 ex præmissis, quarum vna est naturalis, altera de fide ambabus omnino veris, quod dico ad differentiam aliarum Theologicarum ex opinione. Exemplum sit hoc. *Omnis homo est risibilis* Hæc maior est naturalis. *Sed Christus homo.* Hæc minor est de fide. *Ergo Christus est risibilis.* Est conclusio Theologica. Quamuis propositiones de fide probari possint per medium syllogisticum, ex quo denominati, possunt Theologicæ; tamen cum illæ distinguantur, tamquam principia à suis Conclusionibus, propriè non debent Theologicæ nuncupari, vt vna species ab alia distinguatur. Theologica ergo ideo est vera, quia sequitur ex præmissis veris. Fidelis verò ideo est, non quia procedit ex veris, sed quia à Deo immediate dicitur reuelata tamquam vera. Veritas igitur illius constat ex medio intrinseco, istius verò ex medio extrinseco.

Diuidi autem potest propositio Theologica in scientificam, cuius scilicet præmissæ sunt omnino certæ vt in exemplo allato, & ab omnibus conceduntur. Et in probabilem, cuius præmissæ passim conceduntur ab aliquibus, passim ab aliis negantur, prout fert conditio opinionis. Et certe Theologia, & cæteræ scientiæ sunt plenæ opinionibus, paucis constant propositionibus scientificis, pluribus verò opinionibus.

Erronea propositio est illa, quæ conclusioni Theologicæ oponitur, Itaque hæc propositio: *Christus non est risibilis.* Est omnino erronea, quia opponitur Theologicæ affirmatiue. Ita definit Suarez disp. 19. de fide, apud Salelles lib. 1. Reg. 99. num. 111. Becanus de natura Theologiæ in fine, cōclusio enim Theologica habet distinctum gradum certitudinis à certitudine fidei. Ita error immediate oppositus conclusionis Theologicæ veritati habet distinctum gradum censuræ ab hæresi.

Scio propositionem Erroneam ab aliis diuersimodè declarari, nam *Corduba lib.* 1. *q.* 17. §. 9. *vers. Ideo magis*, eam sic describit, quod si ea, quæ in materia fidei, & morum est contra rectam rationem vel contra veritatem aliquam obscuram nondum ab Ecclesia definitam. Vel est ea, quæ communi sanctorum, & Doctorum sententiæ aduersatur. *Canus lib.* 12. *cap.* 11. *apud Bariolam in Aphorism. fol.* 203. exemplificando in eo, qui negaret, orationes speciales alicui applicatas non plus ei prodesse, quàm generales. Vel qui negaret licere Fratribus mendicantium mendicare. Alios citat *Carena part.* 2. *tit.* 16. *num.* 5. cum prædictis sentiendo, & addit Erroneam minus erroris continere quam hæretica. Suar. disp. 19. de fide, & ex eo noster Alberghinus cap. 12. num. 6. affert exemplum. *Maria virgo aliquando peccauit venialiter.* Hæc ante Concilium erat Erronea, quia contra catholicam veritatem obscuram, seu contra communem Patrum sententiam, post verò per Concilij definitionem sess. 6. can. 23. declarata fuit hæretica. Itaque propositio Erronea ea est, quæ est contra rectam rationem; vel contra catholicam veritatem obscuram nondum definitam; vel contra communem Patrum. Canus, Simanchas, Corduba, & alij distinguunt propositionem Hæreticam, & Erroneam per hoc, quod Hæretica est contra obiectum fidei iam declaratum, Erronea verò contra idem nondum declaratum.

declaratum. Exemplum *Maria assumpta non fuit in cælum.* Est contra veritatem fidei sed obscuram nondum ab Ecclesia declaratam. Albertinus q. 18. ait, esse scandalosum, & hæresim sapere, quod Maria non sit mortua.

Allatæ descriptiones in eo videntur pati difficultates, quia non distinguunt propositionem Erroneam à cæteris gradibus propositionum censurabilium, nam applicari possunt cæteris cum omnes propositiones hæreticæ sint contra rectam rationem, & communem sensum Patrum, & licet Erronea ab Hæretica distinguatur per obiectum declaratum, & non declaratum, per hoc tamen illa non distinguitur à cæteris.

Nota autem, quod sicut propositio Theologica est duplex scientifica, & opinatiua, ita & Erronea ei opposita erit duplex, Erronea contra catholicam veritatem suam, & contra veritatem opinatam. *Lucius Turrianus lib. de Selectis disput. part. 1. disp. 30. apud Salleles Reg. 99. num. 113.* ait, erroneam ex opinione esse quidem dignam censura, sed minori.

Quæres 32. Quid sit propositio sapiens fidem, & opposita ei sapiens hæresim?

83 ℞. Sapiens fidem est illa, quæ non est reuelata, neque deducta formaliter ex reuelatis, sed recepta communiter ab Ecclesia. Vt: *Maria virgo assumpta est in cælum. Est immunis à peccato originali. Abstinendum est ab esu carnium, & lacticiniorum in Quadragesima.* Hæ & similes non sunt reuelatæ, non sunt deductæ, sed Ecclesia eas amplectitur vti Catholicas. Quarum negatiuæ sapiunt hæresim. Huius generis sunt omnes, quæ in Missali, & Breuiario, atque in Conciliis exprimuntur, extra materiam fidei, & Sacræ Scripturæ.

In confirmationem horum accipe duo argumenta, vnum S. Augustini in eius Epist. 118. his verbis: *Aduersari communi Ecclesiæ consuetudini insolentissima insania est.* Et in Epist. 86. relata cap. In his rebus dist. 11. ita scribit ad Casulanum. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Sacra Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Alterum Scoti in 1. dist. 11. q. 1. in cuius fine ita loquitur: *Periculosum est errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt præscripta, sed etiam quæ per consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ tenenda sunt.* Quæ ergo ab Ecclesia vniuersaliter solemnizantur sapiunt fidem quia suam veritatem, & certitudinem habent per communem Ecclesiæ sensum, & approbationem, diuina inspiratione intus coagente.

Sapiens hæresim est illa, quæ aduersatur propositioni non reuelatæ, non deductæ, sed receptæ tantum ex communi sensu Ecclesiæ; vt, *Maria non fuit assumpta in cælum.* Et ita videntur sentire Suar. disp. 19. de fide num. 17. Lorca disput. 40. n. 10. apud Palaum part. 1. tract. 4. disp. 3. p. 1. num. 5. dum dicent, Sapientem hæresim esse eam, quæ non per euidentem consequentiam, sed per probabilissimas consequentias moraliter certas obiecti fidei contradicit. Consequentiæ autem moraliter certæ sunt potissimum communis Ecclesiæ consensus.

Ab aliis sic describitur. Propositio sapiens hæresim est illa, ex qua aliis principiis assumptis sequitur hæresis, quando illa principia non sunt omnino certa, tamen in Ecclesia fere certa, aut quando illatio non est euidens. *Secundo*, quæ in sensu proprio est hæretica, in metaphorico sensu intellecta liberat ab errore. *Tertio*, quæ ex quibusdam circunstantiis ex parte asserentis, aut ex temporum calamitate saporem quendam habet hæresis, vel suspicionem inducit iudicio prudentum. Ex Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 7. num. 10. *Quarto*, quæ prima verborum significatione sensum habet hæreticum, quamuis pie intellecta possit habere catholicum sensum. *Quinto*, quæ asserit dogma peruersum, ex quo cum notorio verò, quod negari non potest, sequitur propriè hæresis. Bariola, & alij apud *Carenam part. 2. tit. 16. num. 7. Alberghinus cap. 12. num. 8. & 9.*

Huiusmodi descriptiones videntur in eo conuenire, quod propositio sapiens hæresim potest habere duos sensus, vnum hæreticũ, quem prima facie demonstrat, alterum sanum, & verũ, si bene intelligatur. Et hoc indicant exempla, quæ proferuntur à Doctoribus. Primum sit. *Biblia est falsa.* De se sensus iste est hæreticus, bene intellectus de codice corruptè impresso vera est. Secundum. *Christus est minor Patre*, hæretica secundum quod Christus vt Deus, & Filius Dei spectatur. Catholica verò spectatus vt homo, iuxta illud Symboli S. Athanasij: *Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Tertium sit. *Sola fides sufficit.* Sapit hæresim immo est hæretica si quis credat sola fide posse saluari sine bonis operibus, sine quibus ea est mortua. Est autem vera in eo sensu, quod sola cognitio ex fide sine cognitione naturali facit nos cognoscere mysterium Sacramenti Eucharistiæ. Quartum. *Omnis homo existens Romæ est in peccato mortali: sed infantes nouiter baptizati existentes Romæ sunt homines, ergo nouiter baptizati infantes sunt in peccato mortali.* Conclusio hæc est hæretica, quia certum est de fide baptismum rite collatum tollere omnia peccata maxime infantibus, qui cum mortali, immo & veniali actualibus careant, vt certum est, cum non habeant vsum rationis, asserta conclusio est erronea, seu hæretica, quia supponit infantes non obstante baptismo damnari posse, hoc ipso, quod sunt in peccato mortali; Bucerus enim ait, non ideo paruulos saluari, quia baptizati sunt, multi enim baptizati statim morientes damnantur, & alij non baptizati saluantur, apud Sebastianum Medices 11. Pueri hæresi 177. Conclusio in tantum hæretica est, seu melius erronea, inquantum deducitur ex maiori pariter hæretica, seu verius erronea. Quintum. *Papa errare potest.* Hæc quoad ea, quæ spectant ad definitionem fidei, & morum est omnino hæretica, vt probaui *cap. 1. q. 31. cap. 5. q. 35. seq.* In aliis est verò, vt ex ibi dictis patet.

Supradicta exempla cum in eo conueniant, quod possunt habere duplicem sensum hæreticum, & Catholicum, melius est constituere alium gradum propositionum, qui non sit nec pure Catholicus, nec pure damnabilis, sed mixtus ex his duobus, de quo sensu ambiguo, & æquiuoco dicam infra.

Quæres 33. Quid sit propositio Pia, & Impia illi opposita?

℞. Est illa, quæ non reuelata, non deducta, non solemnizata fouet religionem, fidem, caritatem, & deuotionem; vt, quod sancti aduocati, & Angeli Custodes adsint nobis in extremo vitæ periculo. Quod Angeli comitentur animas ad cælum. Quod Maria Virgo viderit in hac vita essentiam diuinam. *Corduba lib. 1. q. 17. §. Quinto.* Alia exempla accipe ex vitis sanctorum. Quod Maria sit præseruata à peccato originali olim pia, nunc Sapiens fidem, cum ab Ecclesia solemnizetur eius immaculata Conceptio. 84

Impia propositio est illa, quæ opponitur prædictis, & aliis similibus, tollit enim pietatem erga proximum, Deum, & Sanctos. *Sousa lib. 1. cap. 7. n. 22. Alberghinus cap. 12. num. 14.*

Hæc sunt quatuor gradus propositionum Catholicarum, quæ suam certitudinem gradatim habent, nam fidelis habet infallibilem certitudinem in summo de sua veritate. Deinde huic proxima est certitudo propositionis Theologicæ, hanc sequitur certitudo propositionis fidem sapientis, & demum certitudo pietatis. Primus gradus est ex reuelatis; secundus ex deductis; tertius ex solemnizatis; quartus demum ex piis operibus.

Quæres

Quæres 34. An propositio æquiuoca,& ambigua sit censurabilis contra, vel in fauorem proferentis illam?

85 ℞. Propositio æquiuoca, quæ plures sensus habere potest, Catholicum,& hæreticum interpretanda est in bonum sensum,& in fauorem eius, qui eam protulit, nisi aliquid aliud constet, ratione cuius debeat contra ipsum interpretari.

Iudex autem S. Fidei habet præsumptionem mali sensus propositionis prolatæ, ideo illi indulgetur, quod se declaret per se, vel per consultores, in quo sensu enim protulerit, maxime quando est ignorans, tunc enim indiget instructione, vt interrogatus possit respondere. Est autem differentia inter proferentem propositionem ambiguam,& hæreticam, seu clare falsam, quod ambigua declarari potest per ipsum reum, cui est credendum, cum aliud illi non potest obiici, hæretica verò, seu aliter suspecta constituit reum ex præsumptione iuris habuisse malam, & hæreticam intentionem, vnde eam purgare debet per torturam, quæ dicitur dari super intentione, neque enim ei creditur asserenti, se habuisse Catholicam intentionem, sicut creditur asserenti se suam propositionem intellexisse in bono sensu Catholico, quem in suo esse obiectiuo habere potest, propositio autem hæretica, seu de hæresi suspecta non potest habere bonum sensum cum semper sit falsa & ratione sui, & ratione intentionis ex præsumptione.

86 Quod propositio ambigua, & æquiuoca possit & habeat interpretari in bonum sensum. Probatur. *Tum quia*, non est verisimile, quod quis huiusmodi verba protulerit secundum vtrunque sensum simul, cum pugnent ad inuicem sensus Catholicus, & hæreticus, vt notum est; ergo proferens huiusmodi propositiones dubias, & ambiguas ex duplici sensu ens intellexit sub vno sensu, & non sub alio; & cum delicta non præsumantur, l. *Merito* 51.*ff.pro Socio. cap.2.de Reg. iur.*vbi dicitur, quòd quādo dubium est quo animo aliquid factum sit, in meliorem partem interpretari debemus. Quod idem intelligitur etiam de verbis prolatis, quæ dici possunt bono, vel malo animo. Verba prolata à iudice, & consultoribus interpretanda sunt in bonum & Catholicum sensum, non in hæreticum. *Tum quia*, in obscuris fauendum est reo magis, quam actori, dubia enim in benigniorem partem sunt interpretanda *l.57.ff.de reg. iur.vbi l.*153. dicitur, quod in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quam tutius, quia in obscuris sequimur quod minimum est. *Reg.* 30.*in* 6. *l. semper* 9. *ff. eod.* idest, quod minus nocet reo, aut ei nihil præiudicat, sed quod bonum, & vtile eidem esse potest, vnde l. Si quis 66. ff. de indic. dicitur: *Si quis intentione ambigua, vel oratione vsus sit, id quod vtilius est ei, accipiendum est.* Nulli autem dubium est, propositiones dubias, & æquiuocas ex duplici sensu Catholico, & hæretico, interpretatas, & restrictas ad sensum Catholicum prodesse, & esse vtiles proferenti, qui à mente iudicis euacuat suspicionem de sensu hæretico. *Tum quia*, verba non sunt intelligenda secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis, *cap. Intelligentia 6. cap. Propterea 8.cap.In iis.*15 *de verb.signif.* quia mens est potentior verbis, *l. Labeo 7.in fine,ff.de suppell.legat.* Sed mentem, & animum mentis nemo nouit, nisi ipse loquens, ergo eidem standum est in interpretatione suorum verborum.

Nec his obstat, quod verba dubia interpretanda sunt contra proferentem l. Veteribus 40. ff. de pactis. Quia id intelligitur de contractibus, non autem respectu eorum, quæ pendent à mente proferentis maxime in ordine ad excludendum delictum, locutio enim ambigua accipienda est in eo sensu, quem dat ille, qui eam protulit, vt dicitur l.79.ff.de reg. iur. *In ambiguis orationibus maxime sententia eius spectanda est, qui eam protulisset.* In terminis nostris *Nauar. consil.6.de hæret. num.6.*

Et ita sentiunt præter *Nauarrum*, *Lazarius de Blasphemia q.3. num.* 8. dum quoad significatum horum verborum. *Ad Corpo di Dio*, ait standum esse menti proferentis an illa protulerit de Deo incarnato, an ante incarnationem, *Ricciull. lib.* 5. *de iure eorum, qui sunt extra Grem.cap.6.num.* 7. & 8. *Albertinus de cathol. assert.q.*34 *num.*48. *Farinac. q.l.*87.*num.*11.& alij communiter, *Carena part.2.tit.*16.*n.*21.

Dixi, standum esse interpretationi Catholicæ ipsius proferentis, nisi aliud obstet, vt quia alias reus fuit in S. Officio, vel quia est malæ famæ, vt quia est de genere infidelium, vel quia est de aliquo loco infecto, & huius generis, in his enim casibus non est credendum eius assertioni, quod habuerit Catholicam intentionem. Ita *Royas de hæret. part.* 1. *num.* 205. *Direct. part.* 3.*quæst.*62. *Comment.*111. & *illis* Farin.*q.*187. *num.*14.

Est autem differentia inter propositiones damnabiles, & hanc mixtam, quod illæ in seipsis falsæ sunt continentes sensum hæreticum vel expressè, vel implicite, adeo quod nullum sensum Catholicum habere possunt, quia vnico constant, & eo quidem digno censura. Mixtæ verò ex vtroque sensu participant positiue de vtroque sensu, Catholico scilicet, & hæretico, ratione sensus Catholici qualificantur in bonam partem, & inter gradus Catholicarum numerantur; vnde nec damnabiles appellantur, nec censurabiles nuncupantur, quia isti termini sonant in malam partem. Ratione verò sensus hæretici referentur inter propositiones censura,& damnatione dignas, ideo cognoscuntur à iudicibus S. Officij.

Restat agendum de aliis speciebus, seu gradibus propositionum quæ sunt censurabiles, & damnabiles cum personis eas proferentibus.

Quæres 35. de gradibus, seu speciebus aliarum propositionum censurabilium fauentium hæresibus an dentur.

℞. Affirmatiue, qui sunt Temeraria, Malesonans, seu piarum aurium offensiua, Scandalosa, Periculosa, Arrogans, Seditiosa, Schismatica, Blasphema, Maledica, Iniuriosa, & Improbabilis. Vndecim gradus, præter supra explicatos. 87

Temeraria propositio est illa, quæ caret ratione, & auctoritate, ac proinde aduersatur auctoribus, & talis est naturæ, quod nulla ratione probari potest: Becanus vocat eam impudentem, seu insolentem. Huius generis sunt omnes propositiones hæreticæ, quæ nulla ratione, nullo auctore probato sustineri possunt. Item *Mundus cessabit infra centum annos. Christus post resurrectionem fuit in arca fœderis per quadraginta dies. Discipuli Ioannes clamauerunt Crucifige, Crucifige.* Alfonsus de Castro *lib.* 1. *de iusta hæret.cap.*2. *Albertin.de Agnoscend.assert. q.* 6. *Alberghin.cap.*12.*n.*11.

Confirmatur ea definitio sequentibus rationibus, nam primo id dicitur fieri temere, quod fit sine rationabili causa, Instit. de pœnis temere litigant l. Eum qui temere ff. de indic. *Secundo* temere dictum, seu factum dicitur illud, quod per dolum, negligentiam, fatuitatem, & inconsiderate fit, gl. temerarius cap. 1. de sent. excom. in 6. *Tertia*, Temere dictum, seu factum, quod fit stulte, sine causa, sine consilio, & indiscretè, gl.11. Porro in fine Clem. 1. de sum. Trinit. Nauar. consil.3.de clerico non ordin.min.gl.11.temere cap.3.22.q.2.Cicer. lib.3. de orator. ibi? *Plerique temere, & nulla ratione causas in foro dictitant. Quarto*, significat aliquid facere propria auctoritate, qua caret *arg. d. penul.& l.fin.ff.ad legem Iuliam de adulter.* vnde temeritas in lege reprobatur, cap. Quanto 4. de consuet. & ille dicitur temerarius, qui facit actum à lege

lege reprobatum, Archid. in cap. Auaritiæ de elect. in 6. *Quinto*, temere factum, vel dictum scienter, *Cardin. in Clem.* 1. §. *si quis, de statu monach. not.* 1. *Suar. tom.* 5. *in part.* 3. *disp.* 4. *sect.* 10. *num.* 3. vbi ait idem esse, quod consulto, & præsumendo, nec minorem energiam habet, quam verbum *præsumo* vt docet *disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 29. *Sexto*, temere importat dicere, vel facere aliquid in contemptum legis, *Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 43. *ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 53. *ad* 2. Ex his patet quadrare definitionem datam cum his significatis dictionis Temere, maxime applicando propositionibus hæreticis, vel hæresim fouentibus, sunt enim irrationabiles, dolosæ, fatuæ, indecretæ, Præsumptuosæ & in contemptum legis diuinæ, & fidei. Demum *Nauar. tom.* 2. *de incompatib. benef.* ait, illos dici temerarios, qui propositiones Patrum vocant erroneas.

Male sonans est illa, quæ est offensiua piarum aurium. Seu secundum Becannm, quæ sensum habet absurdum, & alienum à communi, & vsitato modo loquendi Patrum, & Doctorum exempla. *Saluantur plures seculares, quam Ecclesiastici. Deus facit malum. Voluntas Dei cæca est* continent absurdum sensum. Male sonans à Lorca, Suar. & aliis vocatur quæ potest habere sensum Catholicum & hæreticum; vt *Filius est minor Patre.* Aliquando male sonat non ex se, sed ex conditione proferentis, vt si Luteranus dicat: *sola fides sufficit*, hæresis excludens opera, Paramus lib. 3. q. 3. n. 107.

Scandalosa est illa, quæ dat causam, seu occasionem aliis male agendi, & sentiendi de fide, & aliis misteriis; vt, *comedi possunt carnes, & lacticinia in Quadragesima. Ieiunium nihil prodest fidelibus. Hæretici non sunt puniendi.* Hæ & similes dant occasionem scandali, cum quo nihil faciendum, nihil dicendum est, c. 2. de præscript. committitur autem scandalum cum dicto, aut facto notorio *cap. Cum illorum, de sent. excom. gl.* 11. *Mutilationem M. Anton. lib.* 3. *resol.* 11. *num.* 9. Scandalosæ igitur propositiones tales sunt, cum proferuntur coram multis, vt inde scandalum sumere possint. Ita supracitati Doctores. Becanus scandalosam vocat, quæ tametsi cum est, occasionem tamen ruinæ affert auditoribus. In exemplis allatis non video veritatem, cum omnes sint falsæ. Alberghinus cap. 12. num. 12. alia affert exempla ex Castro, quæ veritate carent, ergo scandalosa, quam dictus Albeghinus vocat offensiuam piarum aurium, non constat veritate.

Periculosa est illa, quæ potest esse euasio periculi in doctrina fidei, seu morum, vt, *Homo potest esse perfectus sine externa pœnitentia.* Ita Becanus Adde tu. *Sufficit pœnitentia in extremis. Papa potest errare in canonizatione sanctorum.* Arrogans est illa, in qua plus tribuitur, quam oportet; vt si quis dicat, se viribus propriis consequi gratiam, & gloriam Dei. Becanus eam vocat, quæ plus assent, quam possit probare. Deus in hac vita à nobis videri potest.

Seditiosa dicitur illa, quæ seminat zizaniam, & discordiam; vt, *Ius est in armis. Inimici sunt occidendi. Non est parendum loquacibus. Quisque potest sibi iustitiam facere. Resistendum est superiori non obediendo.*

Schismatica, quæ tollit vnionem membrorum à capite, vt, *Non est obediendum Papæ. Papa non est legitimus superior. Duo Pontifices necessarij sunt.* Ita Simanch. Alphonsus, & Albert. cum aliis, qui apud Alberghin. cap. 12. num. 15. confundunt Schismaticam cum seditiosa.

Blasphema est illa, quæ continet falsam locutionem contra Deum, sanctos eius, & res Sacras; vt *Deus iniquus est, peccator, partialis.* Alberghinus, *cap.* 12. *num.* 16. Aliquando est cum hæresi, sicut & præcedentes, aliquando non.

Iniuriosa, seu maledica, quæ continet proximi iniuriam, vt, *Clerici omnes simoniaci. Episcopi sunt tyranni. Religiosi sunt in statu peccati. Ecclesia Romana est synagoga Diaboli.* Similes sunt maledicæ, sicut & aliæ contra Sanctos, vt, si quis dicat *Ignatius non est sanctus. B. Virgo fuit peccatrix.* Quæ omnes sunt quoque hæreticæ.

Improbabilis propositio est illa, quæ est reprobata 88
ab Ecclesia, vel à Sanctis Patribus, vel à Doctoribus, & quod nullo nititur solido fundamento. Olim ante Clementem VIII. sustinebatur opinio asserens licere confiteri per literas, quam ipse reprobauit. Item Vrbanus pariter VIII. sustulit opinionem saltem quoad praxim recipiendi plures eleemosynas pro vnica missa, qua satisfiebat tunc pluribus obligationibus. Ecclesia autem opiniones non reprobat nisi exprimat, licet aliter respondeat, vt dicitur cap. literas 13. de restitut. Spoliat. ab Innoc. III. his verbis: *Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus, nec cuiquam earum aliquod præiudicium ex nostra responsione volumus generari.* Quia periculosum est inquit D. Hieron. super Daniel. de magistrorum Ecclesiæ iudicare sententiis, qui tamen in alio loco scribens ad Alex. dixit: Non doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est, & merito, quia non doctor, sed firma ratio facit opinionem probabilem. Afferenda sunt nonnulla hac occasione de opinionibus.

Primo, opinio probabilis opposita improbabili, est assensus rationabilis vnius partis contradictionis cum formidine, ne opposita sit vera. Nauar. cap. 27. n. 279. Assensus aliquam habet certitudinem sed formidolosam, ne coincidat cum scientia, vnde est assensus vnius partis non firmus, non certus, sed cum formidine alterius, ne sit vera D. Anton. part. 1. tit. 3. cap. 10. Silu. 11. eod. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. §. Tunc ergo, Nauar. tom. 3. in cap. Si quis autem n. 11. Corduba lib. 3. q. 2.

Secundo opinio cedit veritati, *cap. Veritate* 4. *dist.* 8 *cap. Nuper* 4. *de ligam. cap. Per. suas* 12. *Qui filij sint legit. Couar.* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 3. §. 7. *num.* 2. *Sanch. lib.* 2. *disp.* 33. *num.* 4. neque enim opinio debet præiudicare veritati, *cap. Cum Bartolus* 18. *post med. de sent. Puteus lib.* 3. *decis.* 288. *num.* 6. ait, quod opinio præualet veritati in iis, quæ pendent ab animo; vnde *in l. Seruo manu misso ff. de condit. indeb. & ex Aymon. consil.* 88. *n.* 15. *apud Rotam vol.* 1. *decis.* 795. *num.* 17. dicitur, quod in interpretanda mente testatoris attenditur magis eius opinio, quam veritas. Hæc propositio, opinio cedit veritati, maxime locum habet in materia de fide, per quam excluditur omnis opinio, impossibile enim est, quod opinio habeat consortium cum fide, hæc enim est certissima cognitio, & infallibilis, opinio verò vix cognitio est carens certitudine, & veritate, cum habeat formidinem oppositæ partis.

Tertio, opinio doctorum non necessitat, sed tantum probat. *Modicius* §. *Prudentum responsa dubit.* 6. *num.* 2. & 3. *cum Abbate in cap. Vestra, de cohabit. cler. not.* 1. *Azor. in summa C. de legib. num.* 12. nemo enim additus est iurare in verba magistri. Præterea Doctores non habent potestatem condendi leges, & obligandi, cum eius officium non sit publicum, sed priuatum, *Sanch. lib.* 5. *disp.* 22. *num.* 49. vnde nec est administrationis ius, *Cardin. in Clem.* 1. *de regular.* 11. *Ad prioratus q.* 5. *num.* 4. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 131. *in fine & ab Alex. in l. Post dotem ff. solut. matr. num.* 9. Doctores vocantur legis, & iuris testes, non autem legislatores. Quare eorum opinio probabilis non necessaria vocatur *à Curtio iun. consil.* 160. *n.* 4. *& consil.* 136. *n.* 8. *Villal. lit. A. num.* 162.

Quinto, opinio, quæ fauet Ecclesiæ, & eius immunitati tenenda est. *Gratian. cap.* 88. *n.* 6. *cap.* 131. *num.* 2. *Paccian. resp.* 7. *num.* 123. *Diana part.* 6. *tract.* 1. *resol.* 24. *& tract.* 2. *resolut.* 4. *& tractat.* 8. *resol.* 4.

Valenzola in defens. monit. Pauli V. part. 1. *num.* 43. ad quod facit *gl.* 11. *humanus cap. Si quis* 41. 24. *q.* 1. dicens, eam opinionem esse præponendam, quæ maiori nititur pietate, talis est, quæ fauet Ecclesiæ, quæ est nostra mater pia Hinc est, quod si hinc inde sunt opiniones, an aliqua propositio sit de fide? fauendum est opinioni affirmatiuæ magis, quam contrariæ, & negatiuæ, quia ex affirmatiua multa sequuntur vtilia toti Ecclesiæ, & multa euitantur absurda ex negatiua, patet id manifestè in duobus exemplis, vnum sit de persona Pontificis Romani, si hic numero creditur verus Papa, alterum, si credatur, illum non posse errare in canonizatione Sanctorum, positis enim his duabus propositionibus de fide, magnam Ecclesia recipit vtilitatem & tranquillitatem, ex apposito facile perturbatur respublica catholica, & multi titubare possunt in sui, & aliorum ruinam.

Quinto, opinio mutari potest cum expedit *cap. certe* 18. 12. *q.* 1. *cap. Vides* 3. 23. *q.* 6. *Faciunt, quæ habet Sanch. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 19. *&* 24. *Nauar. de electione opiniones cap.* 27. *num.* 285. *Lazar. in fine tractatus de Blasphemia.* Ratio est, quia alia opinio est probabilis, ergo cum in vtraque reperitur ratio probabilitatis, mutatio non nisi pendenter sit, ergo ea licita est.

Sexto, opinio glosæ præfertur aliis. Butrius, & Angel. l. 1. C. qui per sua. iurisd. *Moditius* §. *Principum placita dubitat.* 125. *num.* 6. *per Bald. in l. Hæreditas C. depos. & in l. Precib. C. de impuber.* & est maior, quam aliorum doctorum, ex eodem Moditio, Prudentum responsa dubit. 6. num. 10. in dubio autem ab ea recedendum non est, quia est maxime auctoritatis inquit idem *Moditius lib.* 1. §. *Lex est dubit.* 57. *n.* 5. Procedunt dicta, nisi glosæ opinio conuincatur rationibus, & auctoritatibus inquit Thomaset. reg. 133. quando ponit plures opiniones, & nullam eligit, nec reprobat, videtur transire cum vltima, *Euer. in loco ab auctor. idem Moditius* §. *Lex est lib.* 1. *dub.* 57. *num.* 6.

Septimo, opinio distinguens præsumitur verior. *Moditius* §. *Prudentum responsa dubit.* 20. *num.* 16. *gl. fin. in fine cap. Scientes de censib. Imola in cap. Super literis, de reser. num.* 2. *Alex. lib.* 7 *consil.* 50. *num.* 7. *Sigism. de elect. dub.* 26. *num.* 9. §. *At reuera. Vecchius in praxi Nouit. disp.* 2. *dub.* 13. *num.* 10. *Gregorius XV. decis.* 574. *num.* 6.

Octauo, opinio vnius viri docti excusat à peccato. *Nauar. consil.* 4. *de Vsur. & consil.* 3. *de cler. non ordin.*

Nono, opinio putata probabilis licet alias falsa excusat à peccato: *Nauar. tom.* 3. *in cap. Si quis, num.* 7. *& consil.* 10. *de consang. num.* 5. *Moditius* §. *Prudentum responsa dubit.* 8. *num.* 2.

Decimo, communis opinio, quæ constat septem doctoribus grauioribus. *Moditius* §. *Prudentum responsa dub.* 19. *n.* 12. *Nauar. c.* 27. *n.* 289. ait, eam existimari opinionem communem, quæ approbatur à sex doctoribus ex professo eam tractantibus, quam à quinquaginta sola auctoritate priorum ductis, quem *ex Alciato de præsumpt. reg.* 1. *præsumpt.* 51. *num.* 2. *sequitur Sanch. l.* 3. *disp.* 44. *n.* 2. *Menoch. l.* 2. *præsumpt.* 7. *n.* 39. Illa ergo opinio non est communis, quæ ab vno vel altero scholastico tractatur, & à quampluribus aliis subscribitur.

Vndecimo, communis opinio est sequenda, & ab ea non est recedendum sine lege, aut efficaci ratione, *Nauar. tom.* 2 *in com. de reddit. monit.* 48. *& consil.* 1. *de condit. appos. Vasq. l.* 2. *q.* 19. *art.* 6. *disp.* 62. *c.* 4. *initio, Azor. tom.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *q.* 6, *Sanch. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 9. dicentes, licere viro docto, qui vtriusque partis fundamenta recte expenderit, suam singularem opinionem iudicare probabiliorem, cum non dicatur agere imprudenter.

Duodecimo, opinio consuetudine firmata præualet aliis *cap. cum dilecti, de consuet. M. Anton. lib.* 2. *res.* 38. *n.* 16. *Megal. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 41.

Ex dictis deducitur, opinionem non posse qualificare propositiones de fide, quia opinio certitudinem non habet cum stet cum formidine, quod pars opposita sit vera, fides verò cum sit certa veritas, & infallibilis, ac proinde carens formidine, nō potest stare cum opinione, neque proinde ab ea qualificari; Inseruiet ergo opinio aliis propositionibus, quas potest qualificare circa qualitatem peccati, nam alia opinio excusat à peccato; alias, igitur qualificatio restringetur ad id. Propositiones verò hæreticæ, & aliæ supradictæ hæresim fouentes non nisi ratione falsitatis, & improbabilitatis qualificari possunt, non verò per opinionem, cum careant probabilitate.

Pro perfecta notitia eorum, quæ spectant ad opinionem, præter dicta hic, & sub q. 8. adde sequentia nec interim amice lector sibi displiceat: *Si non stilus fortaße probabitur, solatij loco erit probari argumentum.* Dixit quidam de meo Sacro Tribunali iudex Siculus.

Nota triplex genus opinionis bonæ. Probabilem, Probabiliorem, & Probabilissimam. Probabilis est illa, 89
quæ nititur solida ratione. Probabilior solidiore. Probabilissima ratione solidissima. Conueniunt in eo, quod indifferenter amplecti possunt ab omnibus in praxi, quia eas sequens cum prudenter se gerat, dicitur bene agere, quod sufficit, quia nemo tenetur melius, vel optime agere in moralibus *gl.* 11. *qui præstantior cap. Licet ergo* 15. 8. *n.* 1. Differunt verò in eo, quod in probabili est coniunctus gradus positiuus prudentiæ, in probabiliore gradus comparatiuus, & in probabilissima gradus superlatiuus, qui omnes gradus specificantur à maiori, vel minori firmitate rationis, cui opiniones nituntur. Improbabilis opinio est illa, quæ caret ratione, quam ideo nemo sequi debet, quia est actus imprudentiæ nociuus cuique adhærenti illi.

Quæres 36. An vna, & eadem propositio possit qualificari pluribus ex supradictis gradibus.

℞. Loquendo de propositionibus Catholicis omnes 90
possunt vocari piæ, quia pietatem religionis Christianę fouent; omnes possunt denominari Theologicæ in eo, quod referuntur ad Deum auctorem Catholicæ religionis. Est quoque certum, nullas ex propositionibus bonis, & Catholicis qualificari posse per oppositas malas, seu hæreticas, propter oppositas rationes, quæ ad inuicem coniungi non possunt in eodem obiecto, neque enim virtus, & vitium de eodem subiecto prædicantur, Reg. veritas & falsitas simul esse possunt de eadem, sed vna formaliter destruit alteram.

Si vero loquamur de gradibus propositionum malarum, & damnabilium certum quoque eamdem propositionem qualificari posse per omnes gradus supradictos iuxta definitionem, quæ illis applicari potest, vna enim aliorum imbibit defectus, vitium enim vitio non aduersatur, sed virtutibus, & sicut virtutes ad inuicem coniunguntur, ita vnū vitium sequitur aliud, vnde de hæreticis, & hæresib. dicitur cap. Excōmunicamus 13. de hæret. F*acies quidē diuersas habentes, sed caudas* i. hæreses *ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum.* Pono exēplum in hac hæretica. *Deus est iniquus* quæ erronea, quia continet errorē; est temeraria, quia nulla ratione asseritur, est impia, quia negat pietatē à Deo; est male sonans, quia offendit aures fidelium; scandalosa, quia dat aliis occasionem ruinę; iniuriosa, quia detrahit ęquitati Dei; blasphema quia derogat iustitiæ Dei, &c. Ita sentiunt omnes cum Castro, *Suar. Car. p.* 2. *tit.* 16. *n.* 14. *Alberghin. c.* 12. *n.* 17.

Quæres 37. An omnes propositiones malæ in ordine ad voluntatem, sint etiam falsæ in ordine ad intellectum? Bonæ verò Catholicæ sint semper veræ.

℞. Omnes propositiones malæ sunt falsæ, de quibus
dictum fuit *sub q.* 19. 20. & 35. Bonæ verò & Catholicæ, exclusis opinatiuis, semper sunt veræ. Probatur vtrumque simul. Tum quia omnis propositio 91

 de

de fide semper est vera, cum nulli possit subesse falsum, vt de fide docent omnes; ergo omnis hæretica semper est falsa, contrariorum enim contraria sunt prædicata, ergo & propositiones hæresim fouentes sunt falsæ, quia istæ non possunt fouere hæresim ratione veritatis, quæ inimica est hæresi, ergo non nisi ratione falsitatis, ac proinde omnes sic fouentes hæresim falsæ sunt, non enim simul veræ, & falsæ esse possunt. *Tum quia*, propositio sicut ideo dicitur mala, vel bona ex parte voluntatis, quia voluntas fertur in obiectum disconueniens, & turpe, vel in obiectum conueniens, & honestum, ex parte verò intellectus, vera, vel falsa, quia potentia intellectiua in operando conformatur obiecto, vel in illud difformiter tendit, intellectus autem voluntati, quæ cæca dicitur sine auxilio illius, proponit obiectum honestum quidem & conueniens de se, ac proinde non nisi per veritatem, ex quo voluntas dicitur bene operari, intellectu dirigente illam in bonum; cum verò idem intellectus voluntati proponit obiectum turpe, & disconueniens, semper in eo perspicitur aliquis defectus in ordine ad peccatum, quia voluntas, quando peccatum non est ex malitia non potest peccare, nisi aliquis defectus præcedat in intellectu, vnde Prouerb. 14. dicitur *Errant, qui operantur malum* omne enim peccatum oritur ex ignorantia, ac proinde supponit falsitatem, cum errare sit vnum pro alio putare, *secundum August. relatum in cap. In quibus 6. 22. quæst. 2.* ad quod bene dixit *Clemens Alex. part. 3. de offic. Sacerd.* quod ignorantia totius mali origo est. Quare cum huiusmodi defectus intellectus in ordine ad peccatum in voluntate, nil aliud esse possit, quam falsitas, hæc enim est illius defectus sola, sequitur omnem propositionem malam esse quasi falsam dependenter ab illo defectu intellectu. *Tum quia*, sicut ex bono infertur verum, ita ex malo infertur falsum, nam sicut perfectio perfectioni non aduersatur, ita nec imperfectum contrariatur imperfecto; hanc illationem docuit Aristoteles, dum recensendo passiones entis, præmisit bonum vero, quod rationabiliter fecit, tunc enim esse dicitur bonum, quando constat ex omnibus perfectionibus sibi debitis, nam bonum est ex integra causa, sicut malum ex quolibet defectu, ex quo sequitur, ens ex quo bonum est, esse etiam verum, quia si constat ex omnibus suis perfectionibus, necesse quoque est, quod de illo prædicetur veritas, nam prædicari sequitur ad inesse; ex alia verò parte necesse est, quod ex malo sequatur falsum, ac proinde omnes propositiones malas esse falsas, siquidem malæ propositiones in genere moris, & peccati dicunt carentiam, & probationem rectitudinis debitæ actui, si ergo actus caret sua bonitate, & perfectione, consequenter caret veritate, quæ de illo affirmaretur, in cuius locum succedit falsitas consequens ad malum, sicut veritas consequitur ad bonum. Demum confirmatur in exemplis allatis *sub quæst. 19. 20. & 29.* nam omnes propositiones ibi in exemplum adductæ falsæ sunt, vt patet legenti eas, ergo omnis propositio siue hæretica, siue fouens hæresim falsa est.

92 Quæres 38. An per locos Theologicos qualificentur propositiones de fide, & oppositæ eidem de hæresi.

℞. Loci Theologici qualificant propositiones de fide, & ex eorum oppositione qualificantur propositiones de hæresi. Primum suadetur auctoritate sacræ Scripturæ Epist. 2. ad Timoth. 3. 16. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Ex vtilitate doctrinæ, & eruditionis sequitur qualificatio propositionum, nam Sacra Scriptura est inter locos Theologicos principale, consequenter si hominem docet & erudit, hoc non nisi facit, vt cognoscat, quæ ad ipsam spectant in qualificandis propositionibus, nam certa est regula, quod propositiones qualificantur in esse fidei ex eo quod à Deo cognoscuntur reuelatæ immediate, & hæ omnes, præter Traditiones, reperiuntur expressæ in sacra Scriptura, ergo per hanc specificantur, & qualificantur, vnde Ioannes Apostolus & Euangelista *cap. 5. num. 39.* hortatur fideles ad intelligentiam Scripturarum, illis verbis: *Scrutamini scripturas*, vt ex illarum doctrina scire possint specificare propositiones de fide. Idem docuit D. Hilarius lib. 8. de Trinit. *Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tunc perfecta fidei officio fungemur.* Duo sunt necessaria ad qualificandas propositiones, legere Sacram Scripturam, & illam intelligere, ex quibus fungemur officio fidei i. specificabimus, & qualificemus propositiones de fide.

Alterum de qualificatione propositionum de hæresi probatur ex eadem auctoritate, vbi dicitur, quod sacra Scriptura vtilis est ad arguendum, & corripiendum nimirum hæreticos, qui aliter intelligentes sacram Scriptura, contra verum sensum, seu in ea contenta negantes, hac peruersa ratione qualificant propositiones de hæresi, dum negant veritatem propositionum de fide, vel asserunt propositiones de fide non esse tales, nam ex hoc sequitur esse de hæresi, cum ex negatione, vel mala interpretatione aduersentur propositionibus de fide. Hac occasione dicendum est aliquid de locis Theologicis.

Locus Theologicus est sedes in qua continentur argumenta, & principia, ex quibus cognoscuntur quænam propositiones sint de fide. Variant autem doctores in assignando eorum numero, nam aliqui assignant viginti *ex Becano de natura Theologiæ Schol. q. 5. art. 2.* alij recensent octo, quos vocant gradus cum Alberghino cap. 13. alij assignant tantum duos, nempe diuinam legem scriptam, & non scriptam, seu Traditiones Christi. Et cum his.

Sentio, duos tantum esse locos indicantes propositiones de fide, Sacram nimirum Scripturam, & Traditiones Christi, ex his duobus principiis specificantur propositiones de fide, omnes enim propositiones in libris canonicis, & traditionibus Christi expressæ iuxta quod dixi sub q. 22. sunt de fide eo quod à Deo immediate reuelatæ, consequenter hæ propositiones sunt de fide: *Aaron habuit barbam* Psal. 132. 2. *Abel est frater Cain* Genes. 4. 1. *Tobia habuit canem.* Tob. 6. 1. & c. 11. 9. Negatiuæ verò earum sunt hæreticæ. Regula ergo, & principium qualificandi propositiones tam de fide, quam de hæresi, desumitur ex sacra Scriptura, & Traditionibus Christi, cum ea differentia, quod Scriptura, & Traditio sunt regula positiua directe constituens propositiones de fide, respectu verò hæresum non est regula directa, sed indirecta, & negatiua, in quantum homo pertinax negat ea, quæ scit esse reuelata ac Deo in Scripturis, vel Traditionibus.

Notandum autem est hos tantum duos Scripturam, & Triditiones proprie dici locos Theologicos, ex quibus, tamquam ex sedibus, fontibus, & seminariis deducitur materia propositionum de fide. Alia autem loca sunt potius regula interpretandi sacram Scripturam, & causa declaratiua dubiorum occurrentium in Ecclesia circa fidem, nam Summus Pontifex, & Concilium Generale ab eo dependenter sunt causa efficiens, & decisiua dubiorum fidei, doctrina Patrum est regula, qua diriguntur ad veram cognitionem sensus sacræ Scripturæ, quorum etiam auctoritas circa Traditiones multum efficax est ad discernendum eas, quæ originem habent ab aliis, quam à Christo.

Cōtingere autem potest qualificatio propositionum de fide tripliciter, primo per causam materialem, qua ratione specificantur per sacram Scripturam, & Traditionem,

ditionem, nam hæc duo sunt causa materialis continens propositionem de fide; secundo per causam formalem, secundum quam datur esse propositioni materiali per diuinam nempe reuelationem, in qua consistit potissimum ratio formalis specificantis, & qualificantis propositionem in esse fidei; tertiò, per causam efficientem, qui est Deus prima veritas reuelans quod exprimitur in Scriptura, & Traditione; & quoniam quandoque vertitur in dubium aliquod pertinens ad fidem, religionem, & bonos mores, ideo Summus Pontifex Romanus, qui vicem gerit Dei, qui inuisibiliter apud nos manet, controuersias dirimit per suam sententiam definitiuam, & irreuocabilem sibi diuinitùs inspiratam, ex quo sequitur propositionem de dubia certificari, & qualificari sub specie propositionis de fide. Itaque propositio qualificatur de fide materialiter ex lege diuina scripta, & non scripta formaliter ex reuelatione diuina, efficienter à Deo, ministerialiter, & declaratiuè à Pontifice Romano.

Quæres 39. An, & quomodo propositiones de fide specificentur, & qualificentur ex Traditionibus Christi.

93 ℞. Ex cognitione, Traditione, de quibus fusè egi sub cap. 7. quilibet potest venire in cognitionem qualificationum earundem propositionum.

Quæres 40. Ad quos spectet qualificare propositiones tam catholicas, quam hæreticas?

94 ℞. Spectat ad Summum Pontificem, ad Concilium generale, & ad iudices huius sacri tribunalis cum suis Ministris qui nuncupantur ex hoc officio Qualificatores, seu Consultores.

Quod apud istos stet facultas qualificandi propositiones in confesso est apud omnes, quia qualificare secundum subiectam materiam est declarare aliquam propositionem esse vel Catholicam, aut hæreticam, aut adhærere vni ex his in suo gradu qualitatis, ordinando huiusmodi interpretationem ad conseruationem fidei, & destructionem errorum contra fidem; sed id munus pertinet ad prædictos, vt notum est, ergo eorum est qualificare eiusmodi propositiones.

In qualificandis autem propositionibus vbi non distinguntur Qualificatores à Consultoribus, ad hos id munus pertinet, vt plurimum enim in iudiciis, & Congregationibus S. Officij difficultates permixtæ proponuntur, ideo indifferenter resoluuntur ab eisdem Consultoribus tam Theologis, quam Canonistis, & Legistis.

Quando isti ad inuicem discrepant quibusnam magis adhærendum est?

℞. Illi parti, quæ respondet ad difficultatem pertinentem ad suam professionem; quia vnicuique in propria arte, & professione magis credēdum est, quam aliis alterius professionis, si vere est doctus, & doctor, inspicitur enim doctrina, non Doctor, nisi quando assumitur in Consultorem, debet enim recipiendus esse graduatus; quod vnicuique in sua arte experto credendum sit, deducunt Doctores *ex l. Septimo 12. ff. de statu homin.* alij enim præsumantur ignorare eam scientiam, quam non didicerunt. Quare in qualificandis propositionibus Theologus præfertur cæteris, quia qualificantur per scientiam Theologicam, quæ per se inest Theologis. In aliis vero difficultatibus, quæ controuertuntur in causa processus, an sit bene instructus, an constet de corpore delicti, an reus sit torturandus &c. magis credendum est Legistis. An sit irregularis, an excommunicatus &c. magis credendum Canonistis, de hac enim materia tractatur in sacris Canonibus. Nihilominus, quia Consultores indifferenter sunt instructi in omnibus his sciētiis ex lectione librorum huius materiæ S. Inquisitionis, omnibus vt plurimum solet credi sine vlla exceptione.

Vnusquisque ergo præferendus est in sua arte alteri, qui non est eius professionis, vnde *Hostiensis in cap. 1. de consang. & ibidem Abbas*, dicunt, vbi plures sunt hæretici, Theologus ad Episcopatum præfertur Canonistæ, vbi vero causæ alterius generis tractantur Canonista præponitur Theologo ob prædictam rationem.

Quæres 41. An Theologi in qualificandis propositionibus habeant votum decisiuum, cui standum sit per iudices Inquisitores?

℞. Eorum votum est decisiuum à iudicibus sequendum, quia ipsi determinant, & definiunt propositionem in suo genere, & gradu qualificante, adeo quod ex parte iudicis nihil aliud remanet agendum, nisi quod exequatur officium suum condemnando, vel absoluendo denuntiatum ad tenorem propositionis qualificatæ. Ita docet *Royas p. 1. de hæret. n. 384. & ex illo Alberghinus cap. 14. num. 5.* Probantes ex supradicto axiomate, quod vnicuique experto in sua arte credendum sit, approbato *per cap. Praposuisti de probat. cap. Fraternitatis, cap. fin. de frigidis.* Ex quibus colligitur, iudices in illis causis stetisse iudicio medicorum. Nec obstat, quod omnes Inquisitores ratione sui muneris supponantur omnes Theologi, ac proinde ex hoc non videantur esse deterioris conditionis, cuius essent, si tenerentur iudicare secundum aliorum Theologorum sententiam, & non secundum propriam. Quia respondeo, quod cum in exercitio qualificationis se habeat vt alter Qualificator, non plus valet in hoc eius votum, quam aliorum Theologorum, ideo tunc standum est maiori parti. 95

Quæres 42. An indicenda sit abiuratio proferentibus propositiones in omnibus earum gradibus supra enumeratis sub. q. 35.

℞. Affirmatiuè, supponendo primum Inquisitores esse iudices competentes contra proferentes propositiones suspectas, scandalosas, periculosas, & omnes continentes christianæ pietati, & bonis moribus minime conformet, prout hæc facultas eisdem delegatur à Paulo III. Bulla 30. incip. *In Apostolici culminis.* Abiuratio igitur istis indicenda est, vel de vehementi, vel de leui, iuxta qualitatem propositionis, quæ enim approximatur hæresi abiuranda est de vehementi, quæ elongatur ab eadem de leui; quæ vero multum remota est, non eget abiuratione; quia videtur carere suspicione hæresis, vel parum omnino habere, quæ pro nihilo reputanda sit à iudice. *Carena part. 2. tit. 16. num. 22.* ait, quod quando quis non potest cogi ad abiurandum, in eo casu cogendus est ad reuocandas propositiones, & detestandum suum errorem, eo modo, quo protulit. Vnde si Concionator errauit in suggestu prædicando, ibidem suum errorem reuocare tenetur, nec excusari potest prætextu infamandi suam religionem, quia non religio errauit, sed ipse, nec qui reuocat infamat religionem, dum non infamet seipsum, siquidem id est actus virtutis, & prudentiæ, ad quem Imperator in Authent. de Nuptiis in fine 2. col. collat. 4. Inquisit. *Non enim erubescimus corrigere, quæ prius diximus, nec ab aliis corrigi expectare volumus.* Et cap. Magnæ 10. 22. q. 3. dicetur, hominem reuocare, quod male locutus fuit, magnæ sapientiæ est. 96

Quæres 43. Qualiter sicut qualificandæ propositiones in quibus miscentur profana sacris? sunt aliqui insolentes homines, qui verbis sacræ Scripturæ iungunt verba obscœna, vel iocosa, vt fecit quidam apud Locatum fol. 477. miscendo impudica verba Hymno: *Iam lucis orto sydere*; qui propter hoc fustigatus fuit in Palatio S. Officij Romæ cum aliis pœnis. Quidam Cantionem recitando dicebat: *Tangentem turpiter mulierem lucrari indulgentiam plenariam, osculantem* 97

vero remissionem peccatorum. Quid dicendum de sequentibus versibus ad me alias transmissis.

Corri al Corpo di Christo,
Che chiuso in questo pane è tuo s'el vor.
Mortal ch' aspiti à vn sacro santo aquisto,
Al conspetto di Dio
Inuita il suo desio
Che qui conceder puoi
Vero il sangue di Christo al suo palato,
Che per l' Ostia di Dio viurai beato.

Quæritur ergo an, & quomodo censurandæ sint hæ propositiones.

℞. Mixtionem huiusmodi esse peccaminosam mortaliter vel, venialiter iuxta qualitatem mixtionis. Locutionem autem esse scandalosam, temerariam, male sonantem, & impiam. Et sic obloquentem esse suspectum de hæresi vehementer, vel leuiter iuxta quod dicetur infrà.

Primum de peccato colligitur ex Tridentino sess. 4. in fine. *Post hac temeritatem illam volens, qua ad profana quaque conuertuntur, & torquentur verba, & sententia sacra Scriptura ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & pracipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum, ne de catero quisquam quomodolibet verba Sacra Scriptura ad hac, & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines temerarios, & violatores verbi Dei, iuris, & arbitrij pœnis per Episcopos coërceantur.*

Ex dispositione huius textus clare patet ita obloquentem esse temerarios, & violatores verbi Dei, & sacra abuti Scriptura, quod contingere non potest, nisi cum peccato mortali. *Azor. part. 1. lib. 8. cap. 2. quæst. 4. Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 13. num. 96. Nauar. consil. 8. de haret.*

Secundum de oblocutione deducitur etiam ex Tridentino, dum vocantur temerarij, violatores, & irreuerentes; nulli dubium est conuenire illis definitiones datas propositionibus huiusmodi sub q. 35.

Tertium de suspicione hæresis probatur cap. fin. 24. quæst. 3. extremis verbis: *Sed & quicumque aliter scripturam sanctam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hareticus appellari potest.* Dicit *potest appellari* non simpliciter *est hareticus*, quia potest esse, quod non habeat prauam intentionem, quæ hominem facit formaliter hæreticum, sed cum ex prauis verbis præsumatur contra sic obloquentem, ideo pro suspecto habendus est: Facit illud D. Hieronymi: *Ex verbis inordinate prolatis oritur haresis.* Ita Pegna *com.* 17. §. *Postremo, Carena part. 2. tit. 7. p. 36.* cum aliis dicentes hunc casum pertinere ad Inquisitorem, & non tantum ad Episcopum ex Tridentino præcitato.

98 Ad primum exemplum de tangente, & osculante lasciue mulierem lucrante indulgentiam, & remissionem peccatorum respondeo, eius compositorem esse vehementer suspectum de hæresi, recitantem verò ex ioco esse tantum leuiter suspectum. Probatur, quia pro nihilo habet indulgentiam, dum enim dicit Indulgentiam lucrari ex his actis peccaminosis, supponit Indulgentiam non habere vim destruendi peccata, sed è contra peccatum producere Indulgentiam, quod est illius naturam destruere, vt faciunt hæretici Valdenses, Vigleph, & Luterani, qui Indulgentias irrident, sicut faciunt supradicti. Maior autem suspicio præsumitur in compositore, qui videtur asserere id, quod scribit, quam in eo qui recitat, se habens tantum narratiue, qui etiam excitari potest à leui suspicione, quia in eo potius attenditur iocosa recitatio, quam praua intentio.

In alio exemplo vulgari idiomate expresso noto quatuor iuramenta, & vnam hæresim; iuramenta sunt: *Al corpo di Christo. Al coulpello di Dio. Al. sangue di Christo. Per l' Hostia di Dio.* Quamuis ad sententiam materiæ spectari possint sine iuramento, cum assertiua habeat suum effectum, nihilominus proposita fuerunt ea carmina potius in eum modum, vt etiam in iuramentum sonarent ex artificiosa locutione, aliter enim sententia, & effectus huius sacrosancti sacramenti explicari poterat etiam in versu. Quod autem compositor eam habuerit intentionem artificiosam, probatur, tum quia sententiam aliter exponere poterat; tum quia in penultimo versu dixit: *Vero il sangue di Christo*, poterat absque læsione versus dicere: I*l vero sangue di Christo.* Sed tunc non sonaret in iuramentum, quia vsus aliter se habet. Miscet ergo sacra sacris sine necessitate, eo fine, vt carmina legantur festiuè, & facetè.

Hæresis expressa vt in secundo versu: *che Christo in questo pane è suo, s'el voi.* Verba hæc supponunt, post consecrationem remanere panem materialem, quod est hæresis damnata sess. 13. can. 2. his verbis. 99 *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistia sacramento remanere substantiam panis, & vini, vna cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi &c.* Ea ergo verba: *Corpo di Christo chiaso in questo pane*, de se præferunt dictam hæresim, clauditur enim Corpus Christi sub pane materiali ex illis verbis, quæ alium sensum habere non possunt, nisi hunc hæreticum. Nec dicas, eam dictionem. *In questo pane* interpretari *sotto le specie del pane*, aut pro pane spirituali. Nam contra primum est, quia aliud est panis, aliud ipsius panis species, has debebat exprimere, & si competunt legi carminis, alia ratione debebat componere versum, & non abuti verbo in re grauis momenti, & hæc interpretatio ab eo facta est merè subterfugium, & sola ignorantia excusari potest, si non est Theologus. Contra secundum est, etsi enim Corpus Christi consecratum dicitur panis iuxta illa eiusdem verba: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*, tamen futilis est responsio, & omnino indocta, cum idem in seipso non claudatur, nec abscondatur.

Numquid casus iste est huius tribunalis? Sic, ratione præsertim illius hæresis, & videtur suspectus non vehementer, sed tantum leuiter, quia intentionem videtur magis habuisse venustæ, & artificiosæ locutionis, quam prauam, & contra mysteria fidei de sacramento Eucharistiæ.

Quæres 44. Quid dicendum super sequentibus propositionibus? *Primo*, contra Deum sunt hæc. 100 Dio non ha che far meco, ho lascio in vn cansone. State nel vostro Cansone, io starò nel mio. Non mi rompete il culo. Non voglio far à vostro modo. Io son patrone, Iddio è in cielo. *Secundo* qualis sit sequens cantilena. Ti scongiuro te cordella per il ciel, & per la terra e per la professione di Giosesfo, e per l'oglio, e per la cresima, & per la Quadragesima, e per il sale, e per le messe di Natale, & per li sette appica, & per le sette squartà, & per li sette condannà, che tu faci vedere il vero, e la verità. Quædam mulier hæc dicebat habens in manu cordellam vnius vlnæ cum dimidia, quam nodis nonnullis conuinxerat in extremitatibus, & in medio. *Tertio*, dum in missa dicebatur *Credo* mulier tres nodos fecit in cordula Camiseo dum Sacerdos dicebat ea verba *Et incarnatus est &c.* proferendo hęc verba: si posta in carnare il cuore di N. nel mio, come s'incarnò pesu Christo nel ventre della

vergine Maria. Dixit hæc verba quia amore ardebat erga suum amasium. *Quartò*, quales sunt sequentes propositiones. Deus, & sol sunt vna, & eadem res. *Quinto*, Sacerdotes dum sunt in peccato mortali minime consecrant hostiam in Missa. *Sexto*, omnes Presbiteri, Fratres, Moniales, & diuites damnantur, quia grauamina non soluunt, nec adimplent Domini præceptum, quod iubet, decimas solui debere. *Septimo*, Quando sara morto il mio Cane li voglio far fare vn' officio piu bello di quello, che hanno fatto à quel Frate poltrone, & voglio pigliar venticinque Preti, che li facino Officio doppo, che sarà morto. Figliol mio impastato di gloria, Angelo del Paradiso, carne mia battezata. La barba del mio cane è come quella di Dio. Singulis sigillatim respondendum est per ordinem.

Primo dictæ propositiones omnes sunt blasphemæ, quia per eas loquens aufert à Deo, quod ei conuenit, nam aufertur ei quod sit auctor naturæ; quod sit creator generis humani, dum dicit *Dio non ha da far meco*, ergo negat Deum sui creatorem. *Ho lascio in vn cantone*. Contemnis eius prouidentiam, & pro nihilo eum habes, *State nel vostro cantone, che io staro nel mio*. In tuis actionibus non ius dependere à Deo, qui te mouet ad quæcumque bona. *Non mi rompete il culo*. Maximum conuitium, & contemptum contra Deum, qui pro nihil habetur. *Non voglio far à vostro modo*. Intēdit resistere diuinæ voluntati, derogando eius omnipotentiæ, qui voluntates etiam rebelles comprimit. *Io son patrone, Dio in cielo*. Arguunt diuisionem dominij, & quod ad eum non pertinet de duobus, & terrestris. Omnes igitur supradictæ propositiones sunt blasphemæ hæreticales, ex quibus inferuntur hæreses contra eius omnipotentiam, creationem, dominium, & gubernationem totius mundi.

Eas autem proferens est vehementer suspectus de hæresi, ex eo, quod blasphemiæ hæreticales inducunt vehementem suspicionem de hæresi, iuxta quod docui cap. 26. n. 19. dummodo sit consuetudinarius in his, aliter est tantum leuiter suspectus.

Secundo respondetur. Eam Cantilenam esse sortilegium hæreticale, quia in eo inuocantur crisma, quadragesima, & missæ Natalis Domini. Suspicio autem hic est tantum leuis, non proxime abutitur rebus sacris in seipsis, sed in earum voce tantum.

Tertio respondetur, illud esse sortilegium hæreticale, & blasphemiam execrabilem, dum comparationem, & similitudinem facit sui amoris cum amore diuino, quo Verbum assumpsit carnem humanam, quo nihil turpius dici potest, cū diuina incarnatio sit purissima, & castissima, istius autem feminæ cum viro fœdissima coniunctio. Et licet non abutatur immediate sacra re, sed tantum per cōparationem exoptet rem veneream, crederem hanc fœminam esse suspectam vehementer de hæresi, quia præsumptio est contra illam quod credat diuini Verbi Incarnationem non esse purissimam: Attento etiam, quod ea verba potulerit, dum in Missa sacerdos recitauit *Credo*, quasi illud sacrosanctū Missæ sacrificium posit ad impudicum amorē recōciliandum.

101 Quarto, ea propositio, *Deus & sol sunt vna, & eadem res*, est omnino hæretica, cum certum sit solem esse creaturam, ac proinde non potest esse idem, quod creator, qui sui ipsius creator non est, sed alterius. Vnde ad rem nostram D. August. relatus in Homilia Sabbati ante Dominicam Passionis Domini ait, *Manichæi solem istum oculis carneis visibilem expositum, & publicum non tantum hominibus, sed etiam pecoribus ad videndum, Christum Dominum esse putauerunt.* Et paulo infra. *Non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol est factus.* Vir doctus id asserens est hæreticus formalis. Nisi se declaret intelligendo solem metaphorice iuxta illud: *Sol iustitiæ Christus Deus noster*, Deus ergo est sol non quilibet, sed sol iustitiæ, nō autē ille, inquit S. Aug. qui ortu, & occasu peragit diem.

Quinto, ea propositio: Sacerdos in mortali existens non consecrat, est hæretica Viglephi sub n. 4. eius hæresum condemnata in Concilio Constantiensi; postea in Concil. Tridentino, vbi sess. 7. anatematizantur can. 12. dicentes, Ministrum in peccato mortali existentem non conficere, nec conferre sacramentū sess. 14. can. 10. excommunicat asserentes Confessarium existentem in peccato mortali non habere potestatem legendi, atque soluendi.

Sexto, quod damnentur Ecclesiastici non soluentes grauamina, & decimas, id asserens non est hæreticus, immo potest esse vera posita sequenti doctrina, nam probabilis est opinio asserentium Ecclesiasticos teneri ad onera ordinaria, non verò ad extraordinaria, de qua re vide Decisionem Merlini extentam *apud Dianam p. 5. in fine*. Illi ergo Ecclesiastici, qui non soluunt grauamina ordinaria Principi laico peccant, ac proinde cum peccato, quod est mortale, decedentes damnantur. Ea ergo propositio vitiosa non est, nec damnabilis.

Septimo, illæ propositiones de cane vocari possunt 102 Male sonantes, sunt enim offensiuæ piarum aurium, & sensum habent alienum à veritate, & contra proferentem illas faciunt verba Matthæi 7. *Nolite dare sanctum canibus* vbi sermo est de hæreticis *ex D. Thoma p. 1. q. 1. art. 9. ad secundum argumentum*, hæretici latrant contra fidem, & lacerāt Ecclesiam Dei, cum istis ergo communicandū non est in sacramentis, quæ spernunt tamquam canes rationis incapaces Nolite sanctū dare canibus, hoc est, comparare canibus, & vt assimilare res sanctas, quia id est illudere rebus sacris, quæ in reuerentiam habendæ sunt, non in derisum, & improperium. Hæc autem persona est suspecta de hæresi tātum leuiter, quia suffragia, quæ dixit velle facere suo cani non fecit, & comparationes ab ea prolatæ potius indicant inordinatum affectum erga suum canem, quam quod serio ea protulerit. Per huiusmodi ergo verba demonstrabat intensum amorem, quem habebat erga suum canem, ex quo amorē vti inordinato oritur suspicio hæresis. Quare interrogād a est super suffragiis, & aliis, an credat canem suum esse capacem suffragiorum, gloriæ, Baptismatis, & in quo sensu Deus barbam habeat &c. Canis coram ipsa omnino occidendus est.

Quæres 45. Qualis sit hæc propositio Defunctus 103 in Purgatorio non manet vltra decennium? Sotus in 4. disp. 19. q. 3. art. 2. fine dicit hæc. *Quapropter crediderint nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitisse, immo, vt mea fert opinio nec decem. Nam cum nemo illic sit, nisi Dei amicus, contritio eius, & post Christum passum, sacramenta, suffragia, & bona, quæ egit, opera, ad cumulum ei satisfactionis accedunt.* Eum sequuntur Ioannes Cruz, Conradus, & Viualdus apud Dianam part. 4. tract. 8. resol. 101.

℟. Est temeraria, scandalosa, & impia, quia nulli sufficienti ratione probatur, esto enim sacramenta sint efficacissima præsertim sacrificium Missæ, & alia suffragia, tamen nobis non constat ad quot gradus pœnarum se extendant. Et cum onera Missarum ex probatissimo vsu Ecclesiæ alia sint ad tempus, alia perpetua, infertur nullum esse limitatum tēpus patiendi in Purgatorio, sed nostra crimina aliquando exigere perennem pœnarum vexationē vsque ad diem iudicij, vnde fertur de quodam Pontifice Romano vsque ad diem iudicij detinendo in Purgatorio, & dicunt, hunc esse Innocentium, tertium, an quartum ignoratur. Est scandalosa, & impia, quia retrahit fideles à suffragiis, & orationibus pro mortuis contra officium pietatis debitum animabus fidelium in Purgatorio existentium. Et ita docent *Naldus*, & *Henriquez ex Diana loco citato, vbi Suarez* vocat eam voluntariam, & incertam. Immo *Ciarlinius part. 1. cap. 143. num. 29.* aliam opinionem, quod animæ non manent in

Purgatorio vltra centum annos, vocat incertissimam, quia potest esse, quod anima ibi purgetur vsque ad diem iudicij, vt probat *Bellarminus de Purgat. lib. 2. cap. 9. Gratianus decis. 22. à num. 13.*

Necessaria facit pro Soto, quod anima in Purgatorio existens sit amica Dei, & releuetur à pœnis propter bona opera, quæ in vita fecit, & ex sacramentis, atque thesauro Ecclesiæ. Quia sola amicitia non tollit pœnas debitas, sed satisfactio, quæ per alios impenditur, illas paulatim extinguit, & sicut pro vero mortali non remisso anima perpetuo cruciatur, ita consentaneum est, vt pro vno mortali anima purgetur ad tempus iuxta Dei præfinitionem, & exigentiam culpæ. Certum autem est peccatum mortale mœreri pœnam æternam tam damni, quam sensus, nam in peccato duo sunt, auersio à Deo, cui respondet pœna damni non videre Deum, à quo peccator se auertit, & conuersio ad creaturas, cui refertur pœna sensus; mœretur ergo peccatum mortale pœnam æternam, vnde Matthæi 25. 46. dicitur. *Ibunt hi in supplicium æternum.* Decedentes ergo in peccato mortali perpetuo cruciandi sunt in inferno. Qui verò confitentur sua peccata per absolutionem sacramentalem recipiunt eorum remissionem totaliter quoad culpam, reatus verò pœnæ perpetuæ mutatur in temporalem, intellige vsque ad diem vltimum iudicij, vltra quem non erit amplius locus Purgatorij, adeo quod decedentes sine peccato sed in Dei gratia deberent pro quolibet mortali sufferre pœnas Purgatorij, vsque ad diem iudicij, quia pœnæ debitum remansit quantum est ex se paulatim exoluendum vsque ad finem seculi, animæ nihilominus ibi existentes releuantur ab illis miseriis, & pœnis mediantibus Ecclesiæ suffragiis, quæ pro defunctis offeruntur Deo. Hinc deducitur Soti opinionis improbabilitas, cum enim pœna peccati mortalis ex se sit perpetua absque limitatione in Inferno, in Purgatorio verò sit quidem perpetua, sed cum limitatione temporis, quousque scilicet durabit ille locus, ideo nulla ratione restringi potest illud tempus ad censum, ad viginti, aut decem annos. Nec his obstat, quod Papa concedat Indulgentiam aut plenariam, aut tot annorum ac proinde animas citius liberari. Quia præscindimus à suffragiis, & indulgentiis, dum diximus, pœnam ex se perpetuam esse, ac proinde nullum tempus limitandum esse.

Hinc colligitur non solum Soti propositionem esse improbabilem ob rationes adductas, verum aliorum asserentium animas vltra centum annos in Purgatorio vlterius non cruciari, quia isti negant perpetuitatem in peccato mortali, quod est hæreticum.

105 Quæres 46. An asserens, repetendas esse confessiones factas coram regularibus Sacerdotibus vti hæreticus sit puniendus? Seu an ea propositio sit hæretica.

℞. Propositio non est hæretica, sed tantum temeraria, & erronea, ac scandalosa. Quod probatur per extrau. Ioannis XXII. Confirmatam per Sixtum IV. in Bulla nuncupata Mare magnum, extensa apud Confessionum, quæ apud ipsum est prima huius Pontificis illis verbis. *Contra talia asserentes tanquam de hæresi suspectos per locorum ordinarios inquiri, & procedi mandauerit.* Supple Ioann. XXII. cuius literas præfatus Sixtus extendi ad Inquisitores, qui procedant contra huiusmodi assertores eadem auctoritate, qua possint inquirere Episcopi. Consequenter alter iudex sine altero videtur posse procedere in hac causa. Ita docet aliis allegatis. Diana *part. 4. tract.* 102. non tamen exprimit huiusmodi iudicum diuisionem. Ea assertio temeraria est. Tum quia est contra communem Ecclesiæ sensum. Tum quia inducit maximam perturbationem inter fideles. Tum quia derogat potestati pontificiæ. Tum quia non ita frequentarentur Sacramenta, vt fit. Tum quia fideles paterentur grauissima incommoda in receptione Sacramentorum, pauci enim sunt Parochi respectiuè ad religiosos. An id asserens sit vehementer de hæresi suspectus? sic, tum quia videtur dubitare de potestate Pontificia in re tam clara. Tum quia videtur ponere in discrimen potestatem ordinis ad remittenda peccata.

Quæres 47. An dicens non esse peccatum id, quod verè constat esse peccatum sit hæreticus? vel saltem punibilis ab Inquisitore. 106

℞. Est propositio hæretica dicere, id, quod est peccatum, non esse peccatum, quia aduersatur Sacræ Scripturæ vbi agitur de multis peccatis. Ita docet Farinac. *q.* 178. *num.* 82. Ex his deducitur illum esse hæreticum, qui negat fornicationem esse peccatum, contra plures auctoritates Sacræ Scripturæ Tobiæ *c.* 4. *epist.* 1. ad Corinth. 6. Glosa *ver. Non est*, Clem. 3. *de hæret.* Farinac. *cit. num.* 83. item negans periurium esse peccatum, contra. Psal. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: periurium autem non est sine mendacio, cum sit falsum iurare, doctores ad hoc citat. Farin. *cit. n.* 84. Similiter hæreticus est negans vsuras esse peccatum, seu illas exercere, definitum fuit Clem. de Vsuris §. Sanè contra illud. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Farin. *num.* 85. Item *num.* 88. hæreticus est asserens copulam matrimonialem esse peccatum, contra illud: *Crescite, & multiplicamini.* Non enim Deus præcipit illicita, sed tantum licita. Obserua quoad vsuram, & matrimonium assertionem procedere in genere, & simpliciter, nam in casibus particularibus, aliquando copula matrimonialis indebitè facta est peccatum, & casus reputatus vsurarius aliquando reuera talis non est ob circumstantias excusantes, vitium igitur hæresis in similibus contingit in genere.

Quæres 48. de qualificatione huius. *Io non tengo la Vergine di S Gioseffo per quella madre di Dio, che esse non mi fa palese la verita, che io non ho strupato quella puta, si come io ne son à torto incolpato.* Quæritur, an hæc sit hæretica, an sub alio genere seu gradu propositionum suspectarum de fide comprehendatur.

Proferens hanc propositionem demonstrat prauum affectum, quem habet contra Virginem nolendi eam fateri Matrem Dei, quamuis sciat, illam esse veram Dei Matrem, nisi faciat illi gratiam manifestandi suam innocentiam in causa stupri, protestatur ergo per ea verba, se velle euadere hæreticum, & nolle credere Maternitatem Dei in Virgine, nisi propalet suam innocentiam; & cum iste sit de præsenti affectus ad hæresim, habendus est pro hæretico, licet non hæretico formali, sed tantum conditionato, quia simpliciter hæresim non asserit, sed tantum conditionate. Eam autem propositionem esse hæreticam nemo Catholicus negat, & de se patet. Si spectemus modum, quo profertur, est execratoria, quia affectum habet ad hæresim, & quodammodo Virginem audet tentare, dum ab ea petit manifestationem innocentiæ assertæ, & quasi citare in testem pro se in facto stupri, à quo se immunem dicit esse. Hæc autem conditio reputatur impossibilis, cum eius euentus non sit in potestate eam proferentis, sed in voluntate Principis, & ideo impossibilis arg. l. Continuus 137. §. Cum quis ff. de verb. obligat. consequenter cum nunquam sit habitura suum effectum patefactionis, sequitur hunc habendum esse hæreticum non solum secundum affectum, sed etiam secundum effectum, sed non simpliciter, sed cum addito, & conditionate, & eo magis pro tali habendus est. quia in genere luxuriæ est malæ famæ, & meretricem habet; ideo contra ipsum præsumendum est, puellam stuprasse, consequenter, negare maternitatem Virginis sub ea conditione, & limitatione. Censeo quoque illum esse vehementer suspectum de hæresi, de qua abiurare cogendus est; puniedus carcere sex mensium.

Quæres 49. De immaculata Conceptione Virginis his

his verbis : Primo *E cosa certa, & indubitata, che Maria Vergine fu conceputa senza peccato originale.* Hæc potest habere duplicem sensum, iuxta duplicem certitudinem, alia enim est certitudo fidei, alia certitudo moralis illa pendet ex diuina reuelatione, hæc verò ex sententia hominum, & virorum doctorum, qui fere idem sentiunt. Ea propositio intelligenda est secundum certitudinem moralem, non certitudine fidei, & talem fuisse mentem proferentis præsumendum est, quia iste Concionator bene scit Bullas Pontificias, quæ expresse protestantur, rem hanc nondum de fide definitam esse, ideo cum Catholicè loquutus fuerit nulla reprehensione, nulla pœna est dignus, quia non errauit sed bene loquutus fuit, est enim ea sententia indubitata, & certa morali certitudine, nam vniuersa Ecclesia, exceptis Dominicanis, sicut veneratur Conceptionem vti sine macula originali, ita tenet Virginem gloriosam præseruatam fuisse in sua Conceptione à peccato originali; & quod Ecclesia Romana hanc veneretur clare deducitur ex Gregorio X V. Bulla 29. incip. *Sanctissimus* §. 4. illis verbis. *Sanctitas sua, cum S. R. E. de beatissima Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter, & officium celebret, omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam secularibus, quam cuiusuis ordinis, & instituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publice, quam priuatim, non alio, quam Conceptionis nomine vti debeant.* Quo nomine Conceptionis sine dubio venit immaculata, quia Ecclesia non colit rem maculatam. Nec id potest intelligi de Conceptione sanctificata, quia Sanctificatio, & Conceptio sunt omnino diuersa, adeo quod qui colit Conceptionem, non dicitur venerari Sanctificationem, vt expresse docuit Sixtus V. in sua Bulla in incip. *Graue nimis* 8. apud Confect. fol. 99. ibi : *Huiusmodi assertiones, qui affirmare præsumerent eamdem S.R.E. de Spirituali dumtaxat Conceptione, & Sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, reprobamus, & damnamus. Et contra transgressores statuit excommunicationem* sibi reseruatam. Clarum ergo est, Ecclesiam venerari non Conceptionem Spiritualem, seu eius sanctificationem, quæ supponit peccatum originale, sed Conceptionem immaculatam excludentem omnino illud; vnde Papa Conceptionem colendam, vocat immaculatam i. sine macula peccati originalis, & de hac quoque loquitur Gregorius XV. vt manifestum est ex illis verbis. *Cum S. R. E. de Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter, & officium celebret.* Ex hoc igitur capite denuntiatus Concionator liber dimittēdus est, & ab hac impetitione omnino absoluendus, cum laudes Virginis, quæ omni laude est dignissima ex iudicio legitimo sanctæ Ecclesiæ, extulerit, vt facere debeat.

Secunda propositio etiam in hac materia Conceptionis est hæc *Deuesi tenere, che Maria Vergine fu nella sua Concettione preseruata dal peccato originale, che in niuna maniera contrasse.* Difficultatem facit verbum *Deuesi*, quia nullibi hoc debitum exprimitur. Nihilominus in bonum sensum interpretari potest verbum *debet*, quod significet non præceptum, sed honestatem, decentiam, & vrbanitatem gl. 1 1. debet c. 1. de desponsat. impub. Barbosa dict. hac n. 9. nam honestum, decens, & vrbanum est, Virginem extollere in omnibus prærogatiuis, quæ illi non repugnant, vt hæc de præseruatione à peccato originali. Immo hoc idem verbum *debet*, quod importat necessitatem, gl. 1 1. Debent Clem. 2. Attendentes, de statu monach. referri potest etiam ad cultum, & venerationem, attenta Bulla Gregoriana, quæ mandat, omnes debere colere Virginem Mariam in Missa, & officio sub nomine tantum Conceptionis.

Dices, in opinionibus datur libertas cuique tenendum, quod sibi placet, quod verum quoque est in materia Conceptionis, vt colligitur ex Bullis Sixti I V. Alexandri V I. Pij V. Pauli V. & Gregorij X V. dum neutram damnant, immo præcipiunt, ne quis de alterutra obloquatur, sed permaneant in suo statu, & terminis, quibus ambæ reperiuntur.

℞. Per illud verbum *debet* non negari libertatem secundum responsionem, in quantum importat honestatem, neque iuxta secundam, quia Gregorius mandauit omnibus cultum sub nomine Conceptionis, ideo quod ad hoc sustulit libertatem.

Et quod iste Concionator non sit reus Bullarum probatur referendo quicquid statuerunt summi Pontifices super hac materia.

Sixtus IV. in sua incip. *Graue nimis* subsic de Reliquiis extr. com. excommunicatione reseruata affligit quoscumque asserentes sequentes propositiones. *Prima.* Credentes, aut tenentes, Mariam esse præseruatam à peccato originali, sunt hæretici, aut peccant mortaliter. *Secunda.* Officium Conceptionis celebrans peccat mortaliter. *Tertia.* Audientes sermones de Conceptione alicuius peccati sunt rei. Papa prædictas propositiones vti falsas, & erroneas damnat cum libris de illis agentibus, & contrarium sentientes excommunicat vt supra. *Quarta* Credentes, autem tenentes, Mariam fuisse conceptam in peccato originali, sunt hæretici, aut peccant mortaliter. Hanc igitur, & prædictas asserentes sunt ipso iure excommunicati. Nihil autem horum dixit Concionator, ergo huius Bullæ non est transgressor, dum enim dixit: Omnes debent tenere, quod præseruata fuerit à peccato originali, non ideo dixit, peccare mortaliter, aut esse hæreticos, qui aliter sentiunt, vt clarum est.

Pius V. in sua 1 14. incip. *Super specula*, §. 2. sub pœna suspensionis à diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrit, & priuationem cuiuscumque gradus, dignitatis, aut administrationis cū inhabilitate ad quæcumque, omnibus reseruatis, quicumque, qui in popularibus cōcionibus, vel vbicumque promiscua virorū, & mulierum multitudo conuenire solet de huiusmodi controuersiæ alterutra parte disputare rationibus, vel doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumit. *Subditur* §. 3. Liceat iuris doctis in publicis disputationibus, vbi nulla scandali habet occasio, de illa quæstionem facere, & argumentis vtramque partem asserere, vel impugnare, seruatis supradictis à Sixto V. cuius pœnæ in hac innouantur. Concionator iste prædicauit quidem de Conceptione immaculata, sed oppositam partem non impugnauit, neque vti erroneam depressit, ideo nō fuit huius Bullæ transgressor.

Paulus V. in sua 97. incip. *Regis pacifici* §. 6. & 7. supradictas Bullas cum suis pœnis in omnibus innouat, & præterea alias addit, nempe priuationem vocis actiuæ, & passiuæ, atque facultatis interpretandi, cum inhabilitate ad prædicta, omnibus reseruatis contra concionatores, aut publice legentes, seu docentes contra præscriptum Bullarum suorum prædecessorem, & transgressores subiicit ordinariis, & Inquisitoribus.

Gregorius tandem X V. in sua 29. præcitata, constitutionem Pij V. innouatam, in qua prohibuit, ne de huiusmodi controuersia vulgariter disputaretur in cōcionibus, & publicè, extēdit etiam ad colloquia priuata quoad partem affirmatiuā, ne quis scilicet in posterū audeat in publicis concionibus, lectionibus cōclusionibus, & aliis quibuscumque ausibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, ac etiam in priuatis colloquiis, & scriptis, de hac ergo parte affirmatiua non est amplius mutandum, sed illi silentium omnino imponen-

dum. Constat autem ex his, nostrum concionatorem in nullo violasse prædictas Bullas, dum solum Beatam Virginem laudauit à Conceptione immaculata, nulla facta mentione de maculata. Itaque mens huius Pontificis fuit vt huiusmodi perpetuo silentio opinio affirmatiua abiret è memoria hominum, ideo & sub nomine Conceptionis hoc mysterium coli ab omnibus mandauit.

Quæres 50. Super sequens factum. Aderant sculptæ duæ figuræ præsereferentes duos religiosos cum habitu ordinis Capucinorum in actu venerantes Beatam Virginem Mariam in superiori situ sculptam. Abrasa fuerunt eorum Caputia acuminata in rotunda versa, & tandem eorum capita detruncata fuerunt. Dubitatum fuit, an essent duo sancti nimirum S. Franciscus, & S. Antonius, & non potuit sciri, quia carebant ille sacris stigmatibus, & iste lilio suæ virginitatis, sed habiti fuerunt pro duobus religiosis non sanctis deuotis Mariæ Virginis. Quæritur quid super hoc respondendum.

Factum hoc resoluitur ex doctrina de Blasphemia in facto & ex conceptione finis, propter quem detruncata fuerunt capita illarum duarum statuarum.

Certum est de fide in Ecclesia Dei dari cultum sacrarum imaginum, vt sancti Patres definierunt in secundo Concilio Nicæno, de quarum cultu, & veneratione agitur etiam in Tridentino sess. 25. initio sub titulo de inuocat. vener. & Relig. Vide Doctores, quos ibidem Barbosa citat.

Blasphemia autem duplex est verbalis, & factalis, vt ita loquar, illa est falsa locutio contra res sacras per modum conuitij, & contemptus contra Deum, & eius res sacras, de qua late dixi in Sacro Tribun. cap. 26. vbi sub num. 22. Blasphemia etiam facto committitur, cum scilicet aliqua imago sacra i. alicuius sancti deturpatur, laceratur, abraditur, vel decollatur, pedibus conculcatur in contemptum, & conuitium ipsum, vel eius sancti, quem repræsentant. Dico in contemptum, quia si laceratur, abraditur, conteritur aut comburitur aliquo honesto fine, is actus non sapit blasphemiam, finis enim si est bonus qualificat, & viuificat actiones humanas, quæ à fine specificantur, & ab eo sumunt malitiam, vel bonitatem; nam imago ne pedibus conculcetur igni traditur, & quandoque laceratur, vel abraditur, quia vetustate paulatim deficit.

Qui ergo in contemptum prædicta præstat in sententia omnium est vehementer suspectus de hæresi, cum per tale factum præsumatur negare cultum sacris imaginibus debitum. Ita Alphons à *Castro lib. 1. de vita heret. punit. cap. 12. & 15. Genuens. in praxi Neapol. cap. 18. n. 11. Zanardus de precept. cap. 64. ex illis Carena part. 2. tit. 7. num. 38.*

An autem in hoc facto fuerit contemptus? Ex narratione finis, propter quem contigit hoc factum, cognoscitur, illud non fuisse blasphemiam facti. Nam inter Conuentuales, & Capucinos Franciscanos leue est certamen, sed dirum circa formam Caputij, quam detulit S. Pater, quando vixit, fueritne rotundum, sub qua forma gestatur à Conuentualibus an acuminatum, & quadratum, quem gestant Capucini; his negantibus S. Patrem detulisse rotundum, illis verò affirmantib. prolixum, digladiationem inter se habent defunctus Bouerius Capucinus, & olim Generalis Catalanus Conuentualis, qui satis acute, sed acriter mordendo ius suum tuetur solidis rationibus, & argumentis ad hominem. Qui autem abraserunt statuas, & postmodum eas decollauerunt, id fecerunt non in contemptum sacrarum Imaginum, sed ne Capucini aliquando illis vti possent in testimonium sui iuris, quia vt dictum fuit, erant multum antiquæ, & cum Caputio acuminato, & pyramidali, ergo cum huic absit contemptus non sunt rei huius criminis, sed absoluendi sunt ab hac impetitione, & imputatione. Præterquam quod non constat, illas figuras esse sanctorum, cum illis nullum appareat signum demonstratiuum sanctitatis, ideo ex hoc etiam capite immunes sunt ab hoc crimine.

Quæres 51. De hac propositione: *Non è alcuno, che facci maggiori heresie del Papa.* Reprehensus contentiose confirmauit *Diremi vn poco Monsignore hauendo vno preso per moglie vna donna, & doppo la morte di quella, dispensandolo il Papa, di pigliare vn'* 112
altra, sorella per quadagnar danari, non è heresia questa? E può il Pape far questo? Al conspetto di Dio il Papa fa lui dell'heresie. Quæritur an hæc propositio sit hæretica, ac proinde hæreticus, qui eam protulit.

Respondetur eam non esse hæreticam, ea vnica ratione quia nullibi reperitur definitum, eum, qui asserit Papam dispẽsando super hoc speciali impedimento imposita dispensato pœnitentia pecuniaria, committere heresim esse hæreticum, ergo id asserens non est hæreticus, cum hæc propositio nulli opponatur de fide.

Dices cum Tridentino sess. 24. can. 3. ita definitur. *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Leuitio exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant, anathema sit.* Et in Can. 12. qui est vltimus sic definitur. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Casus supradictus comprehenditur sub his decretis, nam asseruit iste, Papam facere maiores hæreses aliis, quod probauit exemplo eius, cum quo Papa dispensauit, vt duceret in vxorem sororem prioris defunctæ vxoris, quod est impedimentum affinitatis in primo gradu, de quo in primo decreto, negando Papam id facere posse contra vtrumque decretum, ergo iste, qui ita asseruit hæreticus est tenens contra has duas Ecclesiæ definitiones.

℞. Per prædicta asserta non negauit simpliciter potestatem dispensandi super gradibus affinitatis, sed tantum in hoc casu speciali, & quidem simpliciter Papæ potestatem non negauit, sed quoad modum, nimirum cum taxatione pecuniæ asseruit enim ipse, dispensare non posse propter pecuniam, & lucrum, hoc enim verissimum est, quod Papa non potest dispensare propter lucrum pecuniæ. Definitio autem fidei super hac materia est, vt ille sit hæreticus, qui absolute, & simpliciter negat hanc potestatem dispensandi super impedimentis consanguinitatis, & affinitatis, adeo quod fides nõ se extendit super modum, sed solum super facultatem dispensandi super dictis impedimentis.

Collige ex dictis definitionibus Tridentini, esse errorem, asserere impedimentum affinitatis in linea transuersa esse de iure naturæ, vt multi tenuerunt, quos citat *Sanchez lib. 7. disput. 52. num. 5. vbi num. 6.* verissimum putat contrarium, & multis probat, non esse impedimentum iure naturæ inductum, sed tantum ab Ecclesia productum, quod magis confirmat disput. 66 num. 11.

Itaque Papa super hoc impedimento dispensare potest, vt idem vir ducat secundam sororem, defuncta priore, quia impedimentum est de iure Ecclesiastico, & posse definitur loco citato in Tridentino, & Pontifices id præstiterunt, insinuant idem *Sanch. lib. 7. disp. 66. num. 11. Bonac. q. 3 de Matrim. p. 13. num. 7.* neque hoc negauit supradictus, sed tantum de modo dispensandi propter lucrum abloquutus fuit.

Notandum quoque est pro excusatione huius hominis ab hæresi, quam nullo modo contraxit, asserendo, Papam committere hæresim in ea dispensatione, Papam spectari posse duobus modis, *primo*, vt doctor, vt persona priuata, in quo sensu controuertitur apud Theologos an errare possit in fide vt alter homo discredendo,

credendo, quod credendum est, vel vt doctor docendo hæreses, communiter id asserunt, quia illud priuilegium: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua* concessum dicitur ab illis dignitati, & officio, non personæ. Alij multum probabiliter putant non posse errare, quia priuilegium etiam personæ fuit communicatum. Vide *Bonac. disp.* 1. *Bullæ, Cœnæ q.* 2. *p.* 1. *num.* 12. alios citaui in hoc Tribunali cap. 5. q. 37. *Secundo*, vt persona publica, dum suum exercet officium, respectu cuius spectari potest dupliciter, *primo*, vt legislator definiendo præcise controuersias fidei, & morem spectantium ad vniuersam Ecclesiam, & in his non potest hæreticari, vt de fide certum est apud omnes Catholicos cum *Bellarm. lib.* 4. *de Pontif. Rom. cap.* 3. *Corduba lib.* 4. *q.* 3. Secundo vt index, dispensando, agitando causas iustitiæ, & gratiæ in particularibus causis, & in his, quæ dicuntur quæstiones facti errare potest, vel ex ignorantia, vel ex passione, & interesse, vel ex mala informatione, in his enim non habet assistentiam Spiritus sancti illuminantis eum ad intellectum veritatis, & ita docent omnes cum prædictis *Bellarmino, Corduba, & aliis*, nec tunc dicitur hæreticari, quia huiusmodi causæ facti non sunt obiectum fidei, sed tantum virtutis prudentiæ. Certum autem est supradictas propositiones non posse intelligi de Papa vt persona priuata, neque vt doctore, sed tantum de eadem non vt legislatore, sed tantum vt iudice dispensatore, nam in dispensando vtitur potestate, quæ respicit personam tantum publicam; nec tunc decidit punctum iuris ex cathedra, sed factum proximo administrat vti iudex dispensator, ergo in hoc casu non potest assignari aliqua species hæresis non solum ex parte Papæ, sed neque ex parte huius hominis ita obloquentis, cum nihil asserat contra fidem, quæ in hac dispensatione locum habere non potest.

Remanet ergo ea propositio sub alia censura, vnde dicenda est esse iniuriosa potestati Pontificiæ, cuius bono regimini, quod in eo præsumendum est, infert notabile præiudicium ac si esset homo sordidus, & mercator rerum spiritualium, atque turpis lucri amator. Scandalosa est, quia aliis dat occasionem murmurandi Temeraria est, quia nullo fulcitur fundamento, & nititur iudicio falso, & temerario, dum asserit Papam dispensare ob lucrum pecuniæ, quod omnino falsum esse debet, quia taxatio pecuniæ aut est in pœnam delicti, si coniunctum est impedimento, vel ad sustinenda onera officij, officiales enim ad hæc deputati gratis laborare debent, nec suis militare stipendiis, vt naturæ dictat ratio.

Hunc non iudico vehementer de hæresi suspectum, quia potestati non derogat, cum modum dispensandi carpat, adeo quod ista oblocutio potius referenda est in conditionem personæ Pontificis, quam in officium directe, ideo hæc suspicio leuis censenda est, cum sit oblocutio potius murmuratio, quam depressio potestatis.

Quæres 52. Qualis sit hæc propositio S. *Marco si dipinge con vna meretrice da vna parte, & vn ragazzo dall' altra.*

℞. Distinguenda sunt tria tempora in S. Marco, 113
primum à natiuitate eius ad vocationem; secundum à vocatione ad mortem; tertium à morte, & deinceps. Dicta propositio respectu primi, & secundi temporis, quatenus arguit impudicitiam in S. Marco est iniuriosa, & temeraria, iniuriosa quidem, quia derogat famæ illius, temeraria verò, quia nulla ratione, nec autoritate historica constat ipsum fuisse impudicum, immo fuisse continentem, refertur in eius lectione IV. his verbis: *Constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vita continentia.* Si verò spectetur respectu secundi temporis à vocatione, multi Theologi tenent Apostolos, & Euangelistas à Christo confirmatos fuisse in gratia in festo Pentecostes cum dono perseuerantiæ, vt non possent amplius peccare, vt docui hic c. 5. q. 18. ex quo magis affirmatur temeritas, & iniuria huius propositionis.

Loquendo verò respectu tertij temporis, propositio est blasphema, & hæretica, blasphema quidem, quia per eam impudicitiam derogat sanctitati S. Marci; hæretica verò, quia sanctum facit peccatorem, ac proinde defectibilem à sanctitate, & gloria, contra illud Sap. 5. 16. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Quare qui hæc verba protulit respectu tertij temporis est blasphumus hæreticalis, non enim possunt intelligi probata respectu aliorum temporum, cum in illis non fuerit sanctus formaliter quo seruus Dei solum post mortem qualificatur.

Nec ita oblocutus tueri se potest explicando se locutum fuisse de S. Marco ante vocationem, aut etiam ante mortem, quia in propositione sumitur nomen Marci, qualificatus sanctitate, & solum spectatur sub tempore tertio, ante quod non poterat dici sanctus.

Demum nota, hunc casum spectare ad sacrum tribunal respectu tertij temporis, non autem respectu aliorum, quia in his dari non potest aliqua suspicio hæresis.

INDEX

dum. Constat autem ex his, nostrum concionatorem in nullo violasse prædictas Bullas, dum solum Beatam Virginem laudauit à Conceptione immaculata, nulla facta mentione de maculata. Itaque mens huius Pontificis fuit vt huiusmodi perpetuo silentio opinio affirmatiua abiret è memoria hominum, ideo & sub nomine Conceptionis hoc mysterium coli ab omnibus mandauit.

Quæres 50. Super sequens factum. Aderant sculptæ duæ figuræ præsereferentes duos religiosos cum habitu ordinis Capucinorum in actu venerantes Beatam Virginem Mariam in superiori situ sculptam. Abrasa fuerunt eorum Caputia acuminata in rotunda versa, & tandem eorum capita detruncata fuerunt. Dubitatum fuit, an essent duo sancti nimirum S. Franciscus, & S. Antonius, & non potuit sciri, quia carebant ille, sacris stigmatibus, & iste lilio suæ virginitatis, sed habiti fuerunt pro duobus religiosis non sanctis deuotis Mariæ Virginis. Quæritur quid super hoc respondendum.

Factum hoc resoluitur ex doctrina de Blasphemia in facto & ex conceptione finis, propter quem detruncata fuerunt capita illarum duarum statuarum.

Certum est de fide in Ecclesia Dei dari cultum sacrarum imaginum, vt sancti Patres definierunt in secundo Concilio Nicæno, de quarum cultu, & veneratione agitur etiam in Tridentino sess. 25. initio sub titulo de inuocat. vener. & Relig. Vide Doctores, quos ibidem Barbosa citat.

Blasphemia autem duplex est verbalis, & factalis, vt ita loquar, illa est falsa locutio contra res sacras per modum conuitij, & contemptus contra Deum, & eius res sacras, de qua late dixi in Sacro Tribun. cap. 26. vbi sub num. 22. Blasphemia etiam facto committitur, cum scilicet aliqua imago sacra 1. alicuius sancti deturpatur, laceratur, abraditur, vel decollatur, pedibus conculcatur in contemptum, & conuitium ipsum, vel eius sancti, quem repræsentant. Dico in contemptum, quia si laceratur, abraditur, conteritur aut comburitur aliquo honesto fine, is actus non sapit blasphemiam, finis enim si est bonus qualificat, & viuificat actiones humanas, quæ à fine specificantur, & ab eo sumunt malitiam, vel bonitatem; nam imago ne pedibus conculcetur igni traditur, & quandoque laceratur, vel abraditur, quia vetustate paulatim deficit.

Qui ergo in contemptum prædicta præstat in sententia omnium est vehementer suspectus de hæresi, cum per tale factum præsumatur negare cultum sacris imaginibus debitum. Ita Alphons. à *Castro lib. 1. de vita haeret. punit. cap. 12. & 15. Genuens. in praxi Neapol. cap. 18. n. 11. Zanardus de praecept. cap. 64. ex illis Carena part. 2. tit. 7. num.* 38.

An autem in hoc facto fuerit contemptus? Ex narratione finis, propter quem contigit hoc factum, cognoscitur, illud non fuisse blasphemiam facti. Nam inter Conuentuales, & Capucinos Franciscanos leue est certamen, sed dirum circa formam Caputij, quam detulit S. Pater, quando vixit, fueritne rotundum, sub qua forma gestatur à Conuentualibus an acuminatum, & quadratum, quem gestant Capucini; his negantibus S. Patrem detulisse rotundum, illis verò affirmantib. prolixum, digladiationem inter se habent defunctus Bouerius Capucinus, & olim Generalis Catalanus Conuentualis, qui satis acute, sed acriter mordendo ius suum tuetur solidis rationibus, & argumentis ad hominem. Qui autem abraserunt statuas, & postmodum eas decollauerunt, id fecerunt non in contemptum sacrarum Imaginum, sed ne Capucini aliquando illis vti possent in testimonium sui iuris, quia vt dictum fuit, erant multum antiquæ, & cum Caputio acuminato, & pyramidali, ergo cum huic absit contemptus non sunt rei huius criminis, sed absoluendi sunt ab hac impetitione, & imputatione. Præterquam quod non constat, illas figuras esse sanctorum, cum illis nullum appareat signum demonstratiuum sanctitatis, ideo ex hoc etiam capite immunes sunt ab hoc crimine.

Quæres 51. De hac propositione: *Non è alcuno, che facci maggiori heresie del Papa.* Reprehensus contentiose confirmauit *Diremi vn poco Monsignore hauendo vno preso per moglie vna donna, & doppo la morte di quella, dispensandolo il Papa, di pigliare vn' altra, sorella per quadagnar danari, non è heresia questa? E può il Pape far questo? Al conspetto di Dio il Papa fa lui dell'heresie.* Quæritur an hæc propositio sit hæretica, ac proinde hæreticus, qui eam protulit. 112

Respondetur eam non esse hæreticam, ea vnica ratione quia nullibi reperitur definitum, eum, qui asserit Papam dispẽsando super hoc speciali impedimento imposita dispensato pœnitentia pecuniaria, committere heresim esse hæreticum, ergo id asserens non est hæreticus, cum hæc propositio nulli opponatur de fide.

Dices cum Tridentino sess. 24. can. 3. ita definitur. *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Leuitio exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant, anathema sit.* Et in Can. 12. qui est vltimus sic definitur. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Casus supradictus comprehenditur sub his decretis, nam asseruit iste, Papam facere maiores hæreses aliis, quod probauit exemplo eius, cum quo Papa dispensauit, vt duceret in vxorem sororem prioris defunctæ vxoris, quod est impedimentum affinitatis in primo gradu, de quo in primo decreto, negando Papam id facere posse contra vtrumque decretum, ergo iste, qui ita asseruit hæreticus est tenens contra has duas Ecclesiæ definitiones.

℞. Per prædicta asserta non negauit simpliciter potestatem dispensandi super gradibus affinitatis, sed tantum in hoc casu speciali, & quidem simpliciter Papæ potestatem non negauit, sed quoad modum, nimirum cum taxatione pecuniæ asseruit enim ipse, dispensare non posse propter pecuniam, & lucrum, hoc enim verissimum est, quod Papa non potest dispensare propter lucrum pecuniæ. Definitio autem fidei super hac materia est, vt ille sit hæreticus, qui absolute, & simpliciter negat hanc potestatem dispensandi super impedimentis consanguinitatis, & affinitatis, adeo quod fides nõ se extendit super modum, sed solum super facultatem dispensandi super dictis impedimentis.

Collige ex dictis definitionibus Tridentini, esse errorem, asserere impedimentum affinitatis in linea transuersa esse de iure naturæ, vt multi tenuerunt, quos citat *Sanchez lib. 7. disput. 52. num. 5. vbi num. 6.* verissimum putat contrarium, & multis probat, non esse impedimentum iure naturæ inductum, sed tantum ab Ecclesia productum, quod magis confirmat disput. 66 num. 11.

Itaque Papa super hoc impedimento dispensare potest, vt idem vir ducat secundam sororem, defuncta priore, quia impedimentum est de iure Ecclesiastico, & posse definitur loco citato in Tridentino, & Pontifices id præstiterunt, insinuant idem *Sanch. lib. 7. disp. 66. num. 11. Bonac. q. 3. de Matrim. p. 13. num.* 7. neque hoc negauit supradictus, sed tantum de modo dispensandi propter lucrum abloquutus fuit.

Notandum quoque est pro excusatione huius hominis ab hæresi, quam nullo modo contraxit, asserendo, Papam committere hæresim in ea dispensatione, Papam spectari posse duobus modis, *primo*, vt doctor, vt persona priuata, in quo sensu controuertitur apud Theologos an errare possit in fide vt alter homo discredendo,

credendo, quod credendum est, vel vt doctor docendo hæreses, communiter id asserunt, quia illud priuilegium: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua* concessum dicitur ab illis dignitati, & officio, non personæ. Alij multum probabiliter putant non posse errare, quia priuilegium etiam personæ fuit communicatum. Vide *Bonac. disp. 1. Bullæ, Cœnæ q. 2. p. 1. num. 12.* alios citaui in hoc Tribunali cap. 5. q. 37. *Secundo*, vt persona publica, dum suum exercet officium, respectu cuius spectari potest dupliciter, *primo*, vt legislator definiendo præcise controuersias fidei, & morem spectantium ad vniuersam Ecclesiam, & in his non potest hæreticari, vt de fide certum est apud omnes Catholicos cum *Bellarm. lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 3. Corduba lib. 4. q. 3.* Secundo vt index, dispensando, agitando causas iustitiæ, & gratiæ in particularibus causis, & in his, quæ dicuntur quæstiones facti errare potest, vel ex ignorantia, vel ex passione, & interesse, vel ex mala informatione, in his enim non habet assistentiam Spiritus sancti illuminantis eum ad intellectum veritatis, & ita docent omnes cum prædictis *Bellarmino, Corduba, & aliis*, nec tunc dicitur hæreticari, quia huiusmodi causæ facti non sunt obiectum fidei, sed tantum virtutis prudentiæ. Certum autem est supradictas propositiones non posse intelligi de Papa vt persona priuata, neque vt doctore, sed tantum de eadem non vt legislatore, sed tantum vt iudice dispensatore, nam in dispensando vtitur potestate, quæ respicit personam tantum publicam; nec tunc decidit punctum iuris ex cathedra, sed factum proximo administrat vti iudex dispensator, ergo in hoc casu non potest assignari aliqua species hæresis non solum ex parte Papæ, sed neque ex parte huius hominis ita obloquentis, cum nihil asserat contra fidem, quæ in hac dispensatione locum habere non potest.

Remanet ergo ea propositio sub alia censura, vnde dicenda est esse iniuriosa potestati Pontificiæ, cuius bono regimini, quod in eo præsumendum est, infert notabile præiudicium ac si esset homo sordidus, & mercator rerum spiritualium, atque turpis lucri amator. Scandalosa est, quia aliis dat occasionem murmurandi Temeraria est, quia nullo fulcitur fundamento, & nititur iudicio falso, & temerario, dum asserit Papam dispensare ob lucrum pecuniæ, quod omnino falsum esse debet, quia taxatio pecuniæ aut est in pœnam delicti, si coniunctum est impedimento, vel ad sustinenda onera officij, officiales enim ad hæc deputati gratis laborare debent, nec suis militare stipendiis, vt naturæ dictat ratio.

Hunc non iudico vehementer de hæresi suspectum, quia potestati non derogat, cum modum dispensandi carpat, adeo quod ista oblocutio potius referenda est in conditionem personæ Pontificis, quam in officium directe, ideo hæc suspicio leuis censenda est, cum sit oblocutio potius murmuratio, quam depressio potestatis.

Quæres 52. Qualis sit hæc propositio *S. Marco si dipinge con vna meretrice da vna parte, & vn ragazzo dall' altra.*

℞. Distinguenda sunt tria tempora in S. Marco, 113
primum à natiuitate eius ad vocationem; secundum à vocatione ad mortem; tertium à morte, & deinceps. Dicta propositio respectu primi, & secundi temporis, quatenus arguit impudicitiam in S. Marco est iniuriosa, & temeraria, iniuriosa quidem, quia derogat famæ illius, temeraria verò, quia nulla ratione, nec autoritate historica constat ipsum fuisse impudicum, immo fuisse continentem, refertur in eius lectione IV. his verbis: *Constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vita continentia.* Si verò spectetur respectu secundi temporis à vocatione, multi Theologi tenent Apostolos, & Euangelistas à Christo confirmatos fuisse in gratia in festo Pentecostes cum dono perseuerantiæ, vt non possent amplius peccare, vt docui hic c. 5. q. 18. ex quo magis affirmatur temeritas, & iniuria huius propositionis.

Loquendo verò respectu tertij temporis, propositio est blasphema, & hæretica, blasphema quidem, quia per eam impudicitiam derogat sanctitati S. Marci; hæretica verò, quia sanctum facit peccatorem, ac proinde defectibilem à sanctitate, & gloria, contra illud Sap. 5. 16. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Quare qui hæc verba protulit respectu tertij temporis est blasphumus hæreticalis, non enim possunt intelligi probata respectu aliorum temporum, cum in illis non fuerit sanctus formaliter quo seruus Dei solum post mortem qualificatur.

Nec ita oblocutus tueri se potest explicando se locutum fuisse de S. Marco ante vocationem, aut etiam ante mortem, quia in propositione sumitur nomen Marci, qualificatus sanctitate, & solum spectatur sub tempore tertio, ante quod non poterat dici sanctus.

Demum nota, hunc casum spectare ad sacrum tribunal respectu tertij temporis, non autem respectu aliorum, quia in his dari non potest aliqua suspicio hæresis.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

Primus numerus indicat caput, Secundus marginalem.

A

ABBATES votum decisiuum habent in Conciliis cap. 6. num. 148.
Abbatissa habet potestatem iurisdictionis fundatam in electione, non in omine 2. 24. non fit ex parentibus hæreticis 12. 245.
Abiurationis materia cap. 11. per totum.
Absolutio sacramentalis est actus iudicialis 2. 86. & ideo fundatur in ordine sacerdotali 2. 87. alia ordinaria, alia delegata 2. 88. absolutio ab hæresi reseruatur Papæ 12. 42. quænam maior absolutio, an dispensatio 12. 66. & 67. non datur absenti 22. 38.
Absoluens non Sacerdos punitur 22. 12. ad 20. laicus absoluens ab excommunicatione non est suspectus de hæresi 22. 44.
Abusus in sacramentis quid 22. 1. abusus, & vsus illicitus in sacramentis differunt 22. 20.
Adam fidem habuit 8. 136.
Adductio de minori ad maiorem fit 4. 12.
Adiuratio rite facta excludit suspicionem 17. 14. non licet directe adiurare irrationalia 17. 38.
Adoratio quid, & quotuplex 5. 293. de adoratione Papæ in fine capitis.
Aduena citatione præuentus censuratur 2. 243.
Adultera cur non fuit à Christo lapidata 7. 48.
Actus attentatus sine debita potestate est nullus 2. 66. contra formam gestus est nullus 2. 105. contra omne ius est nullus 5. 72. contra formam mandati nullus est 6. 115. Valor eius pendet à voluntate, & potestate agentis 6. 120.
Actus humanus quando voluntarius & liber 41. à num. 19. vbi multa de actibus humanis.
Ædificium duo debet 1. 17.
Æquiuocatio quando liceat reo 34. 26. Æquiuoca propositio 41. 86.
Agni nomine veniunt Iudæi, & Gentiles 4. 76.
Alius refert dictum antecedenter 4. 9.
Alternatiua dat electionem debitori 10. 64.
Ambigua in bonum sensum tractantur 9. sect. 3. 79.
Amentia non facit perdere dignitatem 5. 90. electio eius est nulla 5. 96.
Amoueatur indicat sententiam ferendam 12. 102.
Ananias primus peccator in Ecclesia 1. 107.
Anathema sit latæ sententiæ 21. 3.
Angeli omnes fidem habuerunt 8. 90. sunt in loco per substantiam, non per operationem 16. 12.
Anima vltra decennium non purgatur, est temeraria propositio 41. 103.
Antecedens vult petens consequens 17. 20.
Antichristus non est Papa 5. 238. ad 242.
Antipapa quis dicatur 5. 254. per ipsum manifestum gesta non valent 5. 258. Schismaticus 9. sect. 1. 14. per verum Papam expellitur num. 19. gesta illorum quando valent 9. sect. 1. 31.
Appellatio ab omnibus fieri potest ad Papam 2. 183. cap. 5. 210. ad 216. Quomodo locum habeat in Concilio 6. 143.
Apostasia quod per totum cap. 9. sect. 2.
Approbatur ab omnibus quod omnes tangit 6. 183.
Apostolorum materia fusè tractatur cap. 3.
Apostolorum Canones ab aliquibus vocantur apocriphi 7. 22.
Apostoli fundarunt Ecclesiam 1. 31. sunt duodecim lapides. 1. 32. æquale prædicationis officium habuerunt 1. 36. eis perhibita pecunia, sed non vbique 1. 202. nihil proprij habebant vt patronæ priuatæ 1. 204. in cœna fuerunt ordinati Sacerdotes, sed non confessarij 2. 70. à Christo æqualiter receperunt potestatem ordinis & iurisdictionis 2. 119. cum dependentia à Petro 2. 120. à Christo immediate omnibus potestas collata fuit 2. 214. in exercitio à Petro pendebant 2. 215. cæteri à Petro recipiunt potestatem iurisdictionis 2. 216. Fidem habuerunt 8. 87. & ea fuit perfectissima 8. 106.
Aquæ inuentio per virgam non est sortilegium 18. 28.
Arbitrium, & iudicium deferunt 2. 92. Iurisdictio est maior arbitrio 2. 94.
Archimandrita Princeps Monachorum 6. 150.
Argumentum ab autoritate negatiua valet 4. 14. à literis Iudæorum ad Canonicos non valet 7. 21.
Arma portant officiales Inquisitionis 10. 90. cap. 40. 24. Consultores 38. 28. Armorum abusus 38. 32.
Ars quid sit 8. 48.
Articulum nonum Papa facere non potest 5. 247.
Ascendere aliunde quam per ostium quid 5. 233.
Astra inclinant non cogant 20. 19.
Astrologia iudiciaria prohibita 20. per totum, pœnæ contra eos 21. per totum.
Attentare quid 40. 43.
Auctoritas, & potestas differunt 2. 206.
Augustinus præfertur in disputando 6. 172.
Auxiliorum gratiæ libri quomodo imprimendi 15. 29.

B

BAptismus triplex 1. 92. cap. 8. 77. adultis tria sunt necessaria in receptione Baptismi 1. 103. Nullus ex quatuor defectibus 1. 104. Nulliter

baptizatus non cogitur remanere 1. 105. confertur à laico 2. 58. ad 60. inbaptizatus incapax potestatis ecclesiasticæ 2. 220. Fundamentum omnis spiritualis 2. 221. inbaptizatus item ordinatur 2. 222. eius collatio non requirit potestatem 2. 223. nemo se baptizare potest 2. 224. de fide est valere collatum ab hæreticis 2. 227. cap. 8. 153. in solo nomine Christi ab initio dabatur 5. 176. cur dicatur sacramentum fidei. 8. 78. differens illum non est suspectus 22. 3. non leuatur ab hæretico 24. 9. Iudæi non coguntur baptizari adulti, vtique infantes 25. 29. & 30.

Beati carent fide 8. 91.

Beatitudinis ratio posterior ad sanctitatem 5. 288. Papa sine errore beatificat 5. 287. quomodo eorum acta imprimenda, & de eorum imaginibus 15. 16.

Bellum indicere potest Papa 5. 291. & tenetur defendere Ecclesiam 5. 292.

Beneficium quid sit 5. 6. priuati sunt hæreticis cum aliis fautoribus 12. 76.

Biblia idest duplex liber 71.

Birgittæ sanctæ reuelationes quomodo credendæ 8. 258.

Blasphemiæ materia cap. 26.

Bona temporalia possidentur ab Ecclesia 5. 223. hæreticorum confiscantur 12. 109. ad 116. clericorum quadruplicis generis 12. 124.

Bonitas naturalis, & moralis 41. 49. vbi multa de morali.

Breuium vsus an liceat 18. 33.

Bullæ S. Officij legendæ apud Regulares cap. 28.

C

CAlendarium Gregorianum seruandum 10. 40.

Camera Principis est puteus clausus 5. 152.

Canibus nolite sanctum dare 41. 102.

Canonizandi potestas est in Ecclesia 2. 274. competens soli Petro 3. 96. sine errore 5. 282.

Canonicè, & capitulariter factum quid dicatur 6. 31.

Capitulum, & Collegium differunt 5. 132.

Capitulum Generale est super Generalem 6. 65.

Caput Ecclesiæ Christus, & Petrus 1. 54. & 55. capita duo subordinata non faciunt monstrum 4. 109.

Captura, & de Carceratis 32.

Carceratis, & de Captura 32.

Caracter fundamentum potestatis ordinis 2. 52. hunc non habuit Christus 2. 53. habilitat personam ad spirituale manus 2. 54. est sub genere potentiæ fundamentaliter 2. 56.

Cardinales tantum Papam eligunt 5. 44. iure diuino 5. 50. nunquam intelliguntur exclusi à voce actiua 5. 53. sede vacante non moderantur auctoritatem pontificiam 5. 249.

Carnem manducabant Apostoli 3. 53. carnem manducans diebus vetitis suspectus de hæresi 12. 25.

Catechumenus contritus saluatur 1. 95. quis dicatur 1. 117. baptismate fidem recipit 8. 86.

Causa proximior attenditur 21. 26.

Celebrans his eadem die non subditur Inquisitoribus 22. 7. non sacerdos celebrans punitur ab illis 22. 12. ad 20. suspectus celebrans non subditur 22. 19. malus sacerdos quotidie celebrans sine confessione est suspectus 22. 46.

Cephas idest Petrus 4. 3.

Certitudo scientiæ quod 8. 46. triplex 8. 109.

Ceræmonialia legis vocantur infirma 7. 41.

Charitas aliud à fide 8. 96. hæc sine illa esse potest 8. 116.

Christus vocatur Apostolus 1. 49. Caput visibile vsque ad Ascensionem 1. 54. rex etiam vt homo 2. 165. & 171. regnum eius quomodo non est de hoc mundo 2. 168. & 199. Dei filius naturalis 2. 188. cap. 3. 39. cap. 5. 158. quomodo fuit ei data omnis potestas 2. 189. omnia de Christo dicta non competunt Petro 2. 190. Dominus mundi etiam in temporalibus 2. 198. exercuit dominium temporale 2. 170. diues, sed voluntate pauper 3. 38. verus religiosus 3. 52. impeccabilis 5. 157. cur voluit baptizari à Ioanne 7. 71. venit vt redemptor, & vt legislator 7. 72. nonquam fidem habuit 8. 85. Christi risibilitatem negans suspectus de hæresi 9. sect. 3. num. 77. cap. 41. 74. non est sub pane, sed sub eius speciebus 41. 99.

Circuncisio vocatur signaculum fidei 8. 81.

Citatio quid sit 32. 2. & seq.

Clauis Ecclesiæ quod, & quotuplex 2. 133. ad 147. mortuo Papa remanent apud Christum 4. 57. primo datæ Petro, deinde aliis 4. 60. 61. eorum nomine intelligitur Papatus 4. 62.

Clementina *Dudum* pro confessariis regularibus reuocata 2. 148.

Clemens Romanus successor Petri 4. 122. ad 127. vbi eius epistola probatur electus iussione Dei 5. 83.

Clemens VIII. Bullæ prohibet aditum ad hæreticorum terram 10. 55.

Clericatus probatur exhibitione literarum Episcopalium 2. 15. clerici nomine venit religiosus, & tonsuratus 2. 156.

Clethus, & Linus coadiutores S. Petri 4. 126.

Coadiutor dicitur prælati inutilis 5. 91.

Collegium plus sapit quam caput 5. 80. quomodo differat à capitulo 5. 132. Collegium Cardinalium non succedit in potestatem Papæ defuncti 5. 131.

Collega quis dicitur 5. 222.

Communicans seipsum non Sacerdos non est suspectus de hæresi 22. 41. non communicans in Paschate est suspectus de hæresi 22. 50.

Comparere sponte quis dicatur 30. 23.

Concilia quatuor egerunt Apostoli 386. habebant votum decisiuum dependenter à Petro 3. 91. & 92. indicere competit tantum Petro 3. 93. contenta in Conciliis non omnia sunt de fide 8. 229. Sexta synodus constat tantum ex Actionibus 5. 26.

Concilium Tridentinum quid statuerit pro confessariis 2. 101. ad 198.

Conciliorum materia tractatur cap. 5. per totum.

Conclusio ex præmissis mixtis non est de fide 41. 73. sed tantum Theologica 41. 78. ex ambabus de fide est de fide 41. 72. conclusiones singulares non sunt de fide 41. 75. an dentur contrariæ de fide 41. 60.

Concubinæ non est credendum 23. 138.

Conditio nihil ponit in esse exponitur 26. 11.

Confessariorum approbatio 2. 101. ad 120.

Confessarius frangens sigillum non est suspectus de hæresi 22. 47.

Confessio facta religiosis valet, aliter asserens est temerarius 41. 505.

Confessio reorum 34. per totum, nulla verior confessio, quam proprij oris 9. sect. 3. 94.

Confestim, & incontinenti quoad 9. sect. 3. 121.

Confirmationis sacramentum delegari potest à Papa simplici sacerdoti 5. 170.

Confirmatio est actus superioritatis 5. 63. cap. 6. 62. & 94.

94. rem facit confirmantis 6. 105. Confirmabile supponitur esse 6.93.
Congregatio componitur ex duobus 1.12.
Congregationis responsa non possunt imprimi sine eius licentia 2.105.ad 118.
Connexa ad eundem iudicem pertinent. 40. 29. & 30.
Concilium audiendum,sed non semper sequendum 6. 138. diuersum à præcepto 7.74.sine consilio nihil deliberandum 8. 216. quæ ex consilio sciuntur dicuntur ignorari 23.95.additum habent facultatem non est de forma 38.18.
Constantini priuilegium supponit Papatum 5. 35. eius donatio vera, & realis 5.201. fuit potius restitutio 5. 202. vltimo loco sedit in Nicæno 6. 110. confessus, se non posse esse iudicem clericorum 6.175.
Consuetudine ordinis potestas non acquiritur 2.230. vtique iurisdictio 2.231. sed non per laicos 2.232. aliquando sumitur pro vsu legis, & ius vocatur 5. 277. parem inducit obligationem cum lege 7. 6. contra legem Dei non valet 8.237.
Consules veteres erant actu,noui habitu 5.75.
Consultores S.Officij cap.38.
Conuersare cum hæreticis est prohibitum 10.87.
Continuo quid importet 9. sect. 3.121.
Correctio duplex 4. 84. Sapientis est corrigere se 9. sect. 3.82.Euangelicæ tres gradus 31. 1.
Cordis nomen supponit pro voluntate 8. 113.
Corpus non datur sine capite 5.38.
Cosmæ & Damiani sanctorum Ecclesia Tertij ordinis S.Francisci in Vrbe 4.156.
Credens cito leuis est corde 8. 70. & 161. & 197. cap.9.sect. 3.58. Credere Deum,Deo,& in Deum 8.129. Credentes hæreticis 10.86.
Cuiusuis conditionis & status explicatur 10. 58.
Curiæ seculari traditur hæreticus 12. 133.

D

DAmnati sunt extra Ecclesiam 1. 142. quomodo credant 1.143.carent fide 8.88.
Dat nemo quod non habet 2. 268.
Declarare aliquem censuratum,& censurare spectant ad eamdem potestatem 2.244.
Declaratio triplex 6.97.& 98.11.Interpretatio.
Defensio reum tractatur cap. 36. quales testes defendant 23. 129. defensus non semper declaratur innocens 23. 125. defensor hæreticorum 10.84.
Degradatus valide consecrat 2.19.
Delegatus nihil proprij habet 6. 80.
Delictum non præsumitur 4.43.cap. 10.12.non probatur per solam inquisitionem 12. 143. vbi commissum ibi iudicandum 6.202.
Dæmonum potestas cap.16. de eius inuocatione c.17. licet imperare ne noceat 19.12.
Deus non est ille sol materialis 41. 101.pœnæ contra negantem vnitatem,Trinitatem,& Incarnationem cap.13.
Diaconorum septem electio ex Actis Apostolorum 2.131.
Dies fausti,& infausti 18.41.
Difficile multum,& impossibile æquiparantur 7.39.
Diffidentia est incredulitas 8.114.
Dignitas nunquam moritur 1.62.quid sit 5. 12. omnes à Papa creantur 5. 217.
Dij vocantur ministri Ecclesiæ 5.243.
Discessio quid 1.178.
Disputare de fide quibus liceat 8. 186.ad 190.
Dispensatio quando maior absolutione 12. 66.& 67.
Distinctio est causa trium bonorum 7.140.
Distincte mandat & præcipit. quid importet 28. 10.
Diuinationis materia tractatur cap.20.
Doctores in Conciliis habent votum consultiuum 6. 168. sunt testes iuris 6. 170. vnus alteri præfertur 6.171.
Domini duo in solidum esse non possunt 5. 87.
Donum quid sit 8. 64.
Dubia in meliorem partem sunt trahenda 41. vbi multa de dubiis 53.ad 60.dubius in fide est hæreticus 9.sect. 3. 74. dubitans,an teneatur denuntiare, non tenetur 23,101.

E

EBrietas triplex 26.17.
Ecclesia quid sit,& ad eam spectantia cap. 1. per totum fungitur iure reipublicæ 2. 123. dicitur regnum 2. 126. quomodo differt à republica 2. 127.eius membra alij clerici,alij laici 2. 155. Romana monarchia regitur 2. 234. non iudicat de occultis 2.238.iudicat defunctos 2.241.Constantinopolitana gaudet priuilegiis Romanæ 5. 27. est maior Papa 5.226.errat in facto particulari 5.283. & 284.
Edicta Inquisitorum exponuntur cap.30.per totum.
Eligendorum pluralitas necessaria non electorum 5. 88.
Electionis est de essentia libertas 5.67. si valet statim sortitur suum effectum 5. 74. electus statim quærit suum officium 5.16. nulla est electio amentis 5. 96.conuentus electi & electio tempore distant. 5. 97.in electione minor pars obtinet contra maiorem eligentem indignum 6.135.
Emendatus non ita facile cognoscitur 23. 99. post triennium quis præsumitur 31.5.
Episcopus est sponsus Ecclesiæ 1. 198. potest esse sine ea 1. 200. nondum Sacerdos non potest esse episcopus 2.76. eius potestas maior sacerdotali 2. 78. ad tria se extendit 2. 80. solus sacerdotem ordinat 2.81.an distincta à sacerdotio 3.74.à Papa ordinatur 5.22. & 171. ab eo pendet in iurisdictione 5. 218.dicuntur patres Papæ 5. 220. non possunt dici eius collegæ 5.221.à solo Papa deponuntur 5.280. votum habent decisiuum in Conciliis 6. 148. prohibentur fauere hæreticis 10.92. sunt excommunicati testantes pro illis 10.88.
Error non nisi alio errore tegitur 7. 103. proximum non reuocans ab errore committit errorem 10.93.
Etiam dictio implicatiua 7.77.
Euentus non existens in nostra potestate est impossibilis 41.109.
Euidentia scientiæ quid 8.47.& 57.
Excommunicatus est in Ecclesia quoad odiosa 1.121. ad 127. excommunicatio supponit mortale 2. 250. excommunicatus ex causa fide non semper suspectus de vehementi 10.73.in sordescentia quid 10. 74. excommunicatio Bullæ contra legentes libros hæreticorum 14.55.
Eximere à iurisdictione est actus iurisdictionis 9. sect.3.137.
Ex illis i. aliqui illorum 4. 149.
Exorcista multis modis peccare potest 17.36. non potest à dæmone quærere auctorem maleficij 17.42.
Extorquere quid 4.149.

F

FAcultas tripliciter dicitur 2.6.
Fallunt sæpe etiam prudentes quæ sunt facti 5.156.

Fama mala tollitur per bonam conuersationem triennalem 10.20.quomodo probatur 35. 24.

Fauori publico non renuntiatur 6. 78. Fautor hæreticorum quis dicatur 10.68.

Fictus actus non habet locum in pœnis 23. 50.

Fidei tractatum habes cap. 8. per totum.

Fidem profitetur infans per os Ecclesiæ 1.26.adultus per os proprium 1.28. solus Papa controuersiarum fidei iudex 5. 133. & sine consilio potest definire 5. 139. delegat soli concilio 5. 141. ad omnes fides pertinet quoad salutem non quoad decisionem 6 155. & 181. dubia resoluuntur ad normam scripturæ, & sacrorum canonum 6.207.terminantur suffragiis 6.208.

Fides alia infusa, alia acquisita 1. 144. ex sua natura ducit ad salutem non ad receptionem clauium 4. 56. fidei definitio vnum supponit, & duo operatur 5. 248. fidei propositiones latè exponuntur 41. à num. 70. data hostibus seruanda 6. 193. cap.24.22.

Fiducia quid sit 8. 19. spectat ad spem,non ad fidem 8.112.

Filius Dei est omnis homo 1.90.

Filij hæreticorum , & fautorum puniuntur 12. 77. & 96.liberantur à patria potestate 12. 98. solum filij, & nepotes subiiciuntur pœnis 12. 144.

Fomes inclinat non cogit. 7. 80.

Foris sunt non baptizati 25.9. vbi explicatur dictum S.Pauli cap.2.208.

Fornicationis nomen notat idolatriam 10. 52. fornicans cum Iudæa punitur ab Episcopo 25. 11. non ab Inquisitore 25.41

Forum sacramentale iudicat etiam secreta cordium 2. 236. externum nequaquam 2.237.

Fuga quibus sit licita 8.166.quid operetur 32. 23. fuga ante querelam 35.25.

G

GEnerales votum habent decisiuum in Conciliis 6. 148.repræsentant suam Ecclesiam 6.152. an subdantur Inquisitoribus 27. 23.

Gentiles conuersi non cogebantur circuncidi 3. 89.

Gladius potestatis temporalis à Papa datur Imperatori 2.150. gladius est sub gladio 2.151. Papa habet vtrumque directe & immediate per vniuersum orbem 2. 172. ad 200. non est medium ad spiritualem 2. 186. finis supernaturalis tollit gladij temporalitatem 2. 193. vterque gladius est à Deo 2.211.vtroque vsi sunt Christus,& Papa 2.210.

Gloria Patri &c. reiicitur ab hæreticis 7.20.

Graduum,& officiorum nomine quid 27. 42.

Gratia vocatur potestas spiritualis 2. 213. hæc in ea non fundatur 2.267.cap.5.230.nemo potest scire, se eam habere 8.121.facta non expirat morte concedentis 38.5.

Græci fere semper subiecti Papæ 5.237.

Gregorij X V. Bulla de libris prohibitis 14. 30. contra Astrologos 21.23.

H

HAbeatur pro non Episcopo,irritat 5. 73.

Habitare non dicitur breui reuersurus 10.59.

Habitus alij infusi,alij acquisiti 8. 104.

Hæresis materia tractatur cap.9.sect.3.

Hæreticorum conuersatio cap. 24. de eorum suspectione cap.10.per totum,de eorum pœnis cap. 12. per totum.

Hæresis absolutio à quo tollatur 12.42.ad 50.crimen hæresis non venit sub aliorum concessione 12.50. hæresis suspectus est , qui non se conformat cum aliis in vita, & moribus 7.14.

Hæretici non sunt in Ecclesia nisi quoad odiosa 1. 127. ad 134. retinent potestatem ordinis 2. 225. vnde valide consecrant 2.226.in eius manet etiam iurisdictio ante damnationem 2. 228. valent ideo eorum gesta 2.229. hæreticus Papa quomodo deponendus 5.190. est intra Ecclesiam donec reiiciatur 5. 192. Præcursores antichristi 5. 239. nullus vnquam electus in Papam 5. 245. hæresis casus non facit,vt Concilium sit supra Papam 6. 69. sunt superbi , & ambitiosi 7. 101. falsificant scripturas 7.102. pro fundamento habent mendacium 7. 104. non habent rationem fidei articuli apud ipsos 8.203. nullos habent sanctos 8. 204. perdit conditionem personæ publicæ 8. 214. hæreticus non dicitur carens fide 9.sect.3.131.

Hæretici relapsi 9. sect. 3. à num. 100. materialis,& formalis quis dicatur 9. sect.3.num. 36. & 59. & 60.cap.10.1.

Hæresiarcha quis dicatur 9. sect.3.97.

Herbas colligere superstitiose 18. 34.

Homo omnis quomodo mendax 1. 112. quomodo inutilis 1.113.totus homo est in capite 5.228.

Honor cæteris præfertur etiam vitæ 4. 31.

Hostia, & sacrificium cessabit in medio hebdomadæ 1.179.quot modis spectatur 18. 28.

I

IAcobus non habuit primatum in Ecclesia 4. 117.

Ideo dictio causalis 2.176.

Idololatria quid 12.2.

Ieremiæ citatio apud Matthæum non est falsa 7.52.

Ignorantia inuincibilis datur circa res fidei 8. 139. quid negatiua, & contraria 8. 142. ignorare non licet, quæ publicè fiunt 8.145. ignorantia fidei in iudæis,& hæreticis non probatur 8.146.

Ignorantia quid, & quotuplex 9.sect. 3. num. 26. ad 46.latius cap.41. à num. 30. ignorantia in fautoria quomodo probetur 17.2.

Imago etiam in seipsa adoratur 5. 298. repræsentat imaginatum delineatiue 5. 301.seruorum Dei quomodo pingantur 15.26. deturpantes imagines puniuntur ab Inquisitoribus 25. 25. sunt blasphemi 26.22.de sculptis imaginibus 41.111.

Immediato,& incontinenti idem 23.36.

Immunitas non licet promittere pro charitate eruenda 34.32.

Impedientes S. Officium sunt suspecti de hæresi 10. 89.

Imperator filius Ecclesiæ 2. 203. nullam habet spiritualem potestatem 5.34.non confirmat Papam electum 5. 62. olim Papam eligebat 5. 51. ad 60.vocatur Dominus à Papa 5.207. minor Papa 5.224. ideo ab eo dependet 5.225. Rex Romanorum,vbi nihil habet 1. 199. numerus electorum recensetur 2.180.à Papa constituti 5. 275.

Imperium merum,& mixtum.2.46.& 47.

Imperfectum reducitur ad perfectum 2. 182.

Incredulo non infundetur fides 8.79.

Incontinenti,& immediate idem 23.36.

Indefinita æquiualet vni venali 4.79.

Indulgentiæ à Papa conceduntur defunctis eadem potestate,qua viuis 2. 247. à solo Petro dantur 3. 97.non lucratur per actus peccaminosos 41.98.

Indiciorum materia tractatur cap. 35.

Infans fidem protestatur per os Ecclesiæ 1. 26. 140. & 181.cap.5.235.infans hæretici baptizatus educatur

tur apud Catholicos 10. 61.
Infideles pascuntur cum virga ferrea 4. 74. sola infidelitas facit perdere fidem 8. 125.triplex 9.sect.3. 1.est subiectus Papæ 2. 275.
Infirmus infirmum non curat 10.63.
Infra quid 30.22.
Innocentes sunt in Ecclesia 1.99.& 101.
Inquisitoris materia 40. prohibentur fauere hæreticis 10.92.censuram sibi reseruat non peccatum 12.14.
In solidum quid 5.109.
Intellectus non meretur neque demeretur 8. 72.
Intentionem suam fundans in iure habet meliora merita 5.154.
Interpretatio triplex 6. 97.& 98. cap. 7. 84. eius est interpretari, cuius est condere 7. 85. promulganda sicut ipsa lex 7.86. scriptura interpretatur ad mentem patrum 7.88.
Intrinseca subintelliguntur licet non exprimantur 12. 51.
Inutilis dicitur homo quoad proprias vires 1.171.
Ioannes Baptista minor Apostolis 3. 119. differt ab aliis prophetis 7. 60. eius baptismus,& pœnitentia non erant sacramentum 7.69. vox in deserto,præco in populo 7.70.Christum cur baptizauit 7. 71. quomodo exultauit in vtero matris 8.103.
Ioco facta peccatum,nec pœnā inducunt 9.sect.3.80.
Ipsa dictio personalissima 6.68.
Ira est appetitus iustitiæ vindicatiuæ 7.43.
Irregularis est hæreticus formalis externus 12. 58. cum suis fautoribus 12.19. & eius filij 12.61.
Italiæ nomine veniunt insulæ 10. 56.
Iudæis fides infundebatur in circuncisione 8. 80. subiiciuntur Papæ 2.275.de Iudæis agitur cap. 25. per totum.
Iudex dicitur, qui habet iurisdictionem 2. 29.& 84. incipit esse à die datæ commissionis 2. 91. malus non perdit iurisdictionem 4. 71. omnes iudicantur à Papa 5. 205. arbiter, & iudex differunt 6. 75. consilium quærere tenetur, sed non sequi 6. 147. non debet currere ad locum vbi sunt partes 6.198. idem potest esse iudex & reus in causa communi 6. 204. ad 206. non præsumitur deficere in suo officio 31.22.
Iudicum S.Officij materia cap.40. per totum.
Iudicium, & arbitrium diuersa 2.92. non potest fieri super incognita 2. 239. duplex proprium, & improprium 6.73.
Iuramentum non firmat contractus contra bonos mores, & in præiudicium tertij 5.250. non est vinculum iniquitatis 5. 251. in eo reseruatur auctoritas superioris 5. 252. à iuramento fidelitatis nemo liberatur quando dominus non demeruit 6. 209. probat latentia in animo 12.9.
Iurisdictionis potestas quid 2. 21. ea supponit saltem primam tonsuram 2. 22. iurisdictionem habent etiam non clerici superiores 2. 23. non datur sine coactione 2. 85. priuatus homo non potest conferre iurisdictionem 2. 93. est maior arbitrio 2. 94. non perditur nisi per sententiam, aut extincto officio 2.266. suppletur per Ecclesiam 2. 269. ad 273. non suppletur potestas ordinis 2. 237. æreticus perdit iurisdictionem post sententiam 12.89.
Ius nemo sibi dicere potest 2. 96. definitur quid sit ius naturale, diuinum,& humanum 2. 212.

L

LAicus fit clericus per primam Tonsuram 2. 14. & 51. quæ sacramenta conferat in casu necessitatis 2. 58. incapax potestate spirituali 2. 157. eam consuetudine quærere sibi non potest 2. 159. iure positiuo inductum,ne laicus vtatur iurisdictione spirituali 2. 261. non potest eligi in Papam 5.43.ordinare non potest 5.272.semper,est ouis 6. 156.& 177. non potest disputare de fide 6. 174. celebrans vel absoluens à peccatis est irregularis 22.35. arcendus ab exercitiis spiritualibus 22. 43. absoluens ab excommunicatione non est suspectus de hæresi 22.44.
Latro bonus dicitur martyr 8.223.
Legalia post mortem Christi per aliquot tempus seruata fuerunt 3. 111. erant mortua, sed non statim mortifera 4. 24.
Legislator contra suam legem valide licet, non licitè agit 2.44.& 45.est persona publica 8.213.
Lex vna aliam declarat 1. 35. canonica corrigit ciuilem 2. 154. potestas in Ecclesia est ferendi leges 2. 248. possunt obligare in conscientia 2. 249. transgressio contingere potest sine scandalo, raro cum contemptu 2. 252. quomodo non est posita iusto 7. 82. Concilians vocatur etiam Papalis 6. 104. legis verba impropriantur ad vitandum absurdum 7.31.eius rigor dicitur à pœna 7.33.pœna legis duo operatur 7.35.licet dura adhuc obligat 7. 38. obligat illos, quibus promulgatur 7. 58. Lex diuina,& Ecclesiastica 7.7.
Lex vetus,& noua 11. Scriptura, Lex Dei sancta, & bona 7. 27. vetus solum Hebræos obligabat 7.56. abrogata in morte Christi 7. 59. eius præcepta reducuntur ad tria capita 7.56.& 67.in æternum stat 7. 61. moralia non fuerunt abrogata 7. 62. non erant figura sed regula 7.63.cæpit esse mortifera facta sufficienti promulgatione Euangelij 7.66.
Lex noua continet tria præcepta 7. 68. præter Euangelium continet alia 7.73.
Lex positiua non extenditur pœnalis 23. 47. etiam ex omnimoda ratione 23.51. si voluisset expressisset 23.48.quod non dicit,neque res 23. 49.
Liber quis dicatur 6.49.
Libellum repudij non potest dare Ecclesia Papæ 5. 196.
Libere quid importet 5.193.
Libertas conscientiæ nulli conceditur 9. sect. 3. 145. maxime in causis fidei 10.91.est illicita 24.31.
Liberum, & voluntarium quid 41.23.
Libris vtiliter adiungitur protestatio fidei 9.sect.3.83. ad 90. libro damnato non ideo est damnatus eius auctor 9.sect. 3. 88. an hæresis fiat manifesta approbatione operis 9.sect.3.96.
Librorum prohibitio agitur cap.14.per totum.
Librorum impressio cap.15.per totum.
Licentiare licet ad aliquid, quod ipse facere non potest 5.82.
Linguam ream facit rea mens 9.sect.3.81.
Lites breuiter terminandæ,ne fiant immortales 6.212.
Linus & Clethus Petri coadiutores 4. 126.
Loci Theologici referuntur 41.92.
Locum tenens honorandus sicut ille, cuius locum tenet 5.294.
Lucerna super Candelabrum non sub modio 1.51.
Luminare maius,& minus,Papa,& Imperator 2.149.
Luxuriare cum Iudæa non est casus Inquisitoris 25. 41.

M

MAgister est super discipulum 6.46.
Maius vnum alio dicitur quantitatiuè, & qualitatiuè

litatiue 1. 188. maioritate perfectionis, vel potestatis 2. 77. maioritas arguitur ex superioritate 2. 79. maior mittit minorem 4. 85. maioritas quomodo cognoscatur 4. 106. maiora censentur prohibita, quibus vetantur minora 12. 66. vna res alia maior duobus modis 7. 105.
Malus semper præsumitur malus 10. 19. mali propter duo tolerantur 1. 110. permittere minus malum ad euitandum maius non est peccatum 7. 47.
Malum cadurum quomodo accidat 18. 45.
Maleficiorum materia cap. 19. de eorum pœnis c. 21.
Malitia in actibus humanis quid sit 41. 59.
Mandans non includitur in lege facientis delictum nisi exprimatur 23. 30. mandare non est proprie facere 23. 31. accessoriè punitur cum faciente 23. 32.
Manifestum dicitur factum coram sex &c. 9. sect. 3. 92.
Manus dextera indicat maioritatem 4. 119. aliquando seruitutem 4. 121.
Marcellinus Papa confitendo suum errorem renuntiauit Papatui 6. 63.
Maritus demens non reparatur ab vxore 5. 92. prohibitum vni alteri censetur vetitum 10. 60.
Mariæ sacra Scriptura applicatur ex mente Spiritus sancti 7. 118. quo in ea sola fides fuit, & mansit 8. 67. habuit perfectissimam 8. 83. à Christo baptizata 8. 84. puniuntur negantes eius virginitatem 13. 5. nonnullæ propositiones de eius Conceptione 41. 110.
Martyrium supplet vicem baptismi 1. 96. non est extra Ecclesiam 1. 100. & 154. cap. 8. 209. hæretici patientes non dicuntur martyres 1. 101. monens pro peste non est martyr 8. 224.
Mater non subiicitur filiis 2. 204.
Matthæi electio in Apostolum 2. 130.
Matrimonium sine copula non repugnat statui religioso 1. 45. nulli personaliter præcipitur 3. 45. contrahens cum hæretica suspectus 10. 51. non valet cum non baptizato 10. 54. cum hæreticis prohibetur 24. 7. religiosus illud contrahens est suspectus 22. 53. cap. 27. 49.
Maxime i. tantum 30. 11.
Mediocritas sequenda 6. 199.
Medico hæretico non vtédum 10. 62. c. 24. 10. c. 25. 18.
Mediorum electio est eiusdem rationis cum fine 41. 51.
Mendacium quid 8. 175.
Mendicitas non laudatur 3. 46. non est actus vilis sed honestus 3. 49.
Meretrix quænam dicatur 23. 132. cum seq.
Metus quid 29. 15. leuis non consideratur à iure 29. 14. quid, & quotuplex 41. 42.
Ministri mali à Deo promittuntur, boni eliguntur 2. 18.
Ministri dicuntur Christi, non Ecclesiæ 2. 129.
Miracula vera sunt solum intra Ecclesiam 1. 155. & 165. fidem requirunt 1. 166. potestas eorum ab Ecclesia 1. 16. ea non recipientes sunt hostes Ecclesiæ 1. 168. nullum fecerunt Apostoli ante Pentecosten 3. 99. primus fuit Petrus 3. 100. dant cognoscere veram fidem 8. 207. etiam à malis fiunt 8. 208.
Missam valide celebrat hæreticus 12. 88. & 115. de mortuis pro viuis non licet celebrare 18. 59.
Missio Apostolorum duplex 1. 202. cap. 3. 106. maior mittit minorem 4. 85. & 116. alia consultiua, alia præceptiua 4. 86. & 115. alia honorifica, alia deprecatiua, alia præceptiua 6. 187.
Monarchia regitur Ecclesia 6. 52.
Monetam cudendi Ecclesia ius habet 2. 263.
Mora nocet in electionibus 5. 67.
Moralia non fuerunt abrogata in morte Christi 7. 62. erant enim regula, non figura 7. 63.
Moralitas in actibus humanis quid sit 41. 46.
Moritur ciuiliter quis multis modis 38. 6.
Mors duplex animæ, & corporis 1. 68.
Mortui iudicantur per Ecclesiam 2. 241. quomodo dicuntur excommunicari 12. 136. mortuorum ossa superstitiose adhibentur 18. 46.
Morum nomine in quibus Papa non errat quid 5. 142.
Motus est forma intrinseca mobili 16. 13.
Mulier inhabilis ad dignitates Ecclesiasticas 5. 94. nulla fuit Papissa 5. 246. testis inhabilis 23. 118. admittitur in delictis difficilis probationis 23. 119.
Multi, & omnes confunduntur 1. 111.
Multitudo in congregationibus generat confusionem 6. 157.

N

NArratiua non facit ius, exponitur 23. 68.
Naturæ aliquid potest repugnare duobus modis 22. 60.
Necessarium necessitate medij, & præcepti 8. 131.
Negare, & omittere differunt 7. 23.
Negatiuus hæreticus quis dicatur 9. sect. 3. 124.
Negotiari cum hæreticis quomodo liceat 24. 21.
Nobilitas alia virtutis, alia sanguinis 3. 21.
Nominatus prior dignior 4. 8.
Non potest negat omnem potestatem 2. 106. indicat nullitatem actus 6. 119.
Non obstantibus priuilegiis non tollit insertum in corpore iuris 2. 111.
Notorium quid 9. sect. 3. 90.
Nouitates sunt fugiendæ 4. 144.
Nouitiatum fecerunt Apostoli 4. 10.
Numerorum Pontificum mutatio cur 5. 269.
Nuptiæ Cana Galileæ quales fuerint 8. 202.

O

OBedientiæ votum non tollit liberum arbitrium 3. 51. differt obedientia à fide 8. 96.
Obliuio præsumitur spatio decennij 9. sect. 3. 126.
Occulta non iudicat Ecclesia 1. 211. cap. 2. 238.
Offendens in vno quomodo sit reus omnium 1. 139.
Offendentes sanctum officium, & eius officiales cap. 29. per totum.
Officiorum, & graduum nomine quid 27. 42.
Omnes & multi confundantur 1. in. vis huius dictionis *omnis* 2. 98. c. 643. *quodcumque & omnes* differunt 2. 174.
Omnino quid importat 8. 151.
Omousion, omiousion, & omiusion differunt 6. 161.
Omittere, & negare differunt 7. 23.
Opera lex dierum in momento facta 7. 50.
Opinio quid 41. 58. triplicis generis 41. 89.
Orbis maior vrbe extensiue 6. 139.
Ordinis potestas v. Potestas.
Ordinare quid 3. 77. cap. 5. 274.
Ordines suscipiens vxoratus non est suspectus 22. 57.
Ordinarij nomine quinam veniat in causis fidei 10. 65.
Oracula viuæ vocis reuocata 28. 30.
Ouium nomine boni & mali 1. 89. cap. 4. 72.

P

PActum expressum, & tacitum cum dæmone 17. 17.
Pagani quomodo subduntur Inquisitoribus c. 25. per totum.
Paleæ decreti non sunt apocryphæ 5. 200.
Papa quomodo dicitur vniuersalis 1. 174. delegat

suum confessarium 2.sect.95.cap.5.209. dat potestatem gladij temporalis Imperatori 2. 150. laico potest delegare potestatem spiritualem 2.160.habet directè vtrunque gladium 2. 172.ad 200.imperiali modo operatur 2. 178. vtitur aliquando gladio temporali 2.179. prima dignitas 2.192. est sol, & truncus arboris,alij radij, & rami 2.217.duo Papæ simul esse nequeunt 4.130.hoc de fide 4.132.quomodo cognoscatur diuersus ab aliis potestatibus 4. 135. sedem Romæ fixam habet 4.151.tria in Papatus spectantur 4.152.

De Papa agitur fusè cap.5.per totum.

Primatum Papæ à quo originem traxit supra Concilium 6.34.& 40. prædicata Christi tribuuntur Papæ 6.56. nulli potest se subiicere nisi ex arbitrio 6.76.

Paradisi portam solus Christus potuit aperire 1. 116.

Paritas vbi est, non potest esse dependentia vnius ab alio 3.114.

Pascere quid importat 4.67.ad 78.

Pater in diuinis sumitur essentialiter, & relatiue 7. 135.

Pater secundum omne ius maior filiis 6. 44. impium est, filium sibi patrem subiicere 6.45. maior in domo sua 6.53.

Patres veteris testamenti non sunt de nostra Ecclesia 1.114.

Pattum nomine veniunt congregati in Concilio 7. 89.

Paulus Apostolus fuit ouis Petri 4.82.cur dictus Apostolus 4. 118. nunquam Papa 4.131. cur circuncidit Timotheum 6.163. qualis eius raptus 8.94.

Pauli III. Bulla contra negantes Vnitatem, Trinitatem, & Incarnationem Verbi cap.13.per totum.

Paupertas quid sit 3.30.alia necessitatis, alia voluntatis 3.47.

Pœna legis duo operatur 7.35. est metus multorum 7.36. contra fautores 12.142. afficit attentantes actum nullum 23.65. ordinaria non punitur conuictus nisi sit etiam confessus 23.109. non incurritur ante sententiam 28.16. in multis casibus minuitur 36.31.

Pœnitens quid dicatur 9.sect.3.120.

Pœnitentiæ sacramentum institutum in octaua Paschatis 3.66. nondum Sacerdos ministrans punitur 22.12.ad 20.

Peccata venialia non tolluntur sine iurisdictione 2. 100.peccatum non facit perdere potestatem 2.264. mortale dubium interpretatur veniale 4.44. nemo præsumitur peccator 4.45. non ita facile asserendum mortale 4.46. originale vocatur concupiscentia 7.45.dicitur vanitas 7.81. peccatum remissum habere perpetuam pœnam dicere est temerarium 41.104.negare peccatum quod est,hæretici est 41. 106.

Peccator primus in Ecclesia fuit Ananias 1.107. simplex peccator cur non dicitur esse extra Ecclesiam 1.147.

Peculium castrense,vel quasi 12.120.aduentitium,& profectitium 12.122.

Pecunia possidetur ab Ecclesia,non vbique prohibita Apostolis 1.202.Ecclesia imponit pœnam pecuniariam 2.262.causa pecuniaria est ciuilis 6.129.

Perpetua vocabatur vxor Petri 3.33.

Petronilla filia Petri 3.32. naturalis legitima 4.161.

Persecutio contra iustitiam est tantum in Ecclesia 1. 153.

Persona definitio corrigitur 8.58.

Petra quid significat 4.97.

Petrus primus lapis 1.14. promulgauit Ecclesiam 1. 16.& 33. distribuit Apostolis prouincias ad prædicandum 2. 90. cur ei interdictus gladij vsus 2. 261.Petro intelliguntur dicta Christo cæteris Pontificibus 5.122.cur Ierosolymus non sedarit 5.242. De eodem Petro plura c.4.quod est totum de ipso.

Plebs postulat,non sibi eligit pastorem 2.132.

Plena potestas quid 6.48.plenum ius 6.50.

Plures facilius inueniunt veritatem, quam vnus 6. 159.

Poculum amatorium 18.40.

Poligamia quid 22.58.

Populus facile causat tumultum 5.48. voces eius vanæ sunt 5.49.dicit multitudinem 8.67.

Possidentis in pari causa potior conditio, exponitur 34.5.

Potentia, & potestas differunt 2.1. omnis à Deo est 2.8.abutens potestate non dicitur minister Christi 2.9. potestas triplex 2. 11. late in sequentibus per totum cap.2.

Potestas non dependet ab exercitio, & vsu,sed è contra 4.70. ordinaria nunquam censetur ablata si alteri communicetur 5.54. suppletur ab Ecclesia data ab eadem 5.95.ordinaria quid sit 5.126. ad 130.plenariam quis dicatur habere 6.48.

Præcedentia Ecclesiarum 1.214. quærere iuste non est ambitio 4.29.ad 33.

Præceptorum duo sunt genera in Ecclesia 1. 193.tria in lege veteri 3.110. Præcepta Dei negans negat obedientiam creaturæ ad Deum 7.75.non sunt impossibilia 7.76. obseruatione probantur possibilia 7.78.

Prædicare non supponit ordinem, nec ordinis actus est 2.71.mouet ad reconciliationem cum Deo, sed non reconciliat 4.64. contorquentes sacram scripturam sunt excommunicati 7.94.

Prædicti quid importet 27.4.

Prædecessor,& successor idem in omnibus 5.78.

Prælatus se debet gerere vt minor 4.108.

Præscriptio non habet locum in hæresi 12.137.

Præsumptio,& suspicio idem 10.13. quid, & quotuplex 10.15.multa de præsumptione 10.16.ad 30. ex præsumptione præsumptio non oritur 10.98.

Primus dicitur, quem nemo præcessit 6.42.

Principium ponens & reliqua 6.92. male principiata non possunt habere bonum finem 8.218.

Principia duo syllogistica non habent locum in rebus fidei 41.76.

Principes Papa creare potest 5.218.

Priuatio non incurritur ante sententiam 28.16. priuandus nemo iure suo sine culpa, nisi subsit causa 6.203.

Priuatus homo non potest conferre conditionem 2.93.

Priuilegium communicatum idem est ac si primo fuisset concertum ei, cui communicatur 2.212. Papa concedit sine præiudicio tertij 5.55. priuilegia remuneratoria sunt reuocatoria 5.65.& 68. cessante causa expirant 5.66.

Prius,& posterius distinguit 2.55.

Processus nullus multis modis 36.19.

Procurator pro absente reo non admittitur 36.81.

Propositiones singulares intelliguntur reuelatæ in vniuersali reuelata 5.285. particulares inducunt vniuersalem 6.60.de illis multa dixi c.41. à num.60.

Profana sacris non sunt miscenda 41.97.

Protestatio fidei erga auctores librorum 9. sect.3.83 ad 90.contraria facto non prodest 17.21.

Prudentia quid sit 8.48.

Punitur pœna extraordinaria confessus qualificatè 22.28.

Qua

Q

QValificationis materia latè tractatur cap. 41.
Qualificata confessio excusat à pœna ordinaria 22.28.
Quæstio alia iuris, alia facti 5.150.
Quacumque quid importet 2.109.cap. 28. 26. latius verbo *quis* 29.4.
Quicunque omne genus personarum 12.107. cap.23. 46.
Quilibet omnes comprehendit 29.23.
Quiuis quid importet 28.26.
Quodcunque & *omne* differunt 2.174.
Quorum tenores efficacia 2.110.cap.27.6.

R

REceptator hæreticorum 10.81.
Reconciliatio quomodo noceat filiis 12. 146.
Reformatio dicit mutationem, & restitutionem in pristinum 1. 194. supponit potestatem in reformante 1.195.
Regimen monarchicum perfectius aliis 2. 177. triplex est 2.235.
Regis nomine canit Papa 2. 178.Papa creat reges 5. 278.
Regularis commune vtrique sexui 29.7.
Reipublicæ iure vtitur Ecclesia 2.123.
Relapsus 9.sect.3.num.100.
Religionis solemnitas non fuit ab initio Ecclesiæ 3. 28.approbatur sine errore 5.289. alia à fide 8.96.
Religiosus quando iudicandus suspectus de hæresi 14. 52. contrahens matrimonium est suspectus de hæresi 22.53.sponsalia leuiter tantum 22. 56. subiectus sancto Inquisitionis officio cap.27.per totum. Non possunt renuntiare suis priuilegiis 6.77.
Rerum confessio cap. 34. per totum.
Repetitio eiusdem verbi denotat misterium 7.55.
Respondere tenetur dubitans an rite interrogetur 34.4.
Reuelatio fidei quid 41.71.
Reuocatio confessionis non admittitur 9.sect.3.129.
Roma vocatur Babylon 4.138. ibidem sedit,& moritur Petrus 4.141.
Rubrica est in gratiam nigri 22.36.

S

SAcerdos dicitur quilibet baptizatus 2. 68.quilibet pro articulo mortis habet iurisdictionem 2.97. etiam Sacerdos simplex 2. 99. existens in mortali conficit valide,& ministrat fructuose 2.265.Sacerdotij qualitas quomodo probetur 22. 26.
Sacramenta quoad confectionem, & ministrationem possunt esse extra Ecclesiam 1.152. quænam conferantur à laico in casu necessitatis 2. 58. non omnia requirunt potestatem ordinis 2. 58. nec iurisdictionis 2. 118.addiscenda antequam recipiantur 8.159.
Sacramentorum abusus tractatur cap. 22. per totum Vsus illicitus, & abusus sacramentorum differunt 22.20.
Sacramentalia quænam sint 2. 20. ad sui confectionem petunt sacerdotium 2.67.
Saltatio significat honorem cum gaudio 18.44.
Salus non est extra Ecclesiam 1.115.& 151.
Saluus conductus quid 24. 27.est stricti iuris 6. 190. quibus datur 6.191.hæreticis 9.sect.3.152.
Sanctus quomodo dicatur deficere 1.170.& 178.
Sanctitatis fama decedentium quomodo imprimenda 15.15.
Sanguinis ius est in Ecclesia 2.260.
Scriptum indicat potestatem 2.134.
Scientia in tota sua latitudine quomodo definitur 8. 55.ad 63.Scire,& deserere scire paria 9.sect.3.51. dicitur scire qui fecit 23. 94. scitum per modum consilij dicitur ignorari 23.96.
Schismatici sunt in Ecclesia 1. 135. schisma,& hæresis differunt 1.136. plures Papæ dicuntur schismatici 5. 253. Tractatus de schismate,& schismaticis 9.sect.1.Schismata cum Papis narrantur 5.263.facit vt Papa sit sub Concilio 6.70.schismatici arcentur à conciliis 6.188.
Scriptura non est maior Papa, Ecclesia, aut concilio 1.191.
Scriptura primo intendit sensum literalem 1. 175. quomodo ei nihil addendum, nec detrahendum 2. 251. earum vera interpretatio est solum intra Ecclesiam 2. 254. ad 260. eius quatuor sensus ab Apostolis fuerunt prædicati 3. 108. est regula,per quam Papa dirigitur ad definiendum res fidei 5. 135.non est iudex fidei 1. 137. falsificatur ab hæreticis 7. 102. Scriptura sacra cum traditionibus late cap. 7. explicantur nonnulla loca,quæ videntur contraria ad inuicem 7.49.
Secreta cordium forum sacramentale indicat 2.236.
Sedes Papatus à Deo fixa Romæ in Petro 4.151. est immutabilis 5. 112. sedes patriarchales distributæ in conciliis 5.28.nunquam moritur 5.41.cap 6.98. arguit superioritatem 6. 36. eam non habet concilium 6.37.
Senibus credendum 4.145.
Senioris nomen quid 6.154.
Sensus sacræ Scripturæ quot sunt 7.109.
Sententiarum ferendarum materia cap.37. per totum.
Sepeliens hæreticum non est excommunicatus Bulla 12.56. sepultura Ecclesiastica arcentur hæretici 12.97.
Sigillum confessionis frangens non subditur sancto officio 22.47.
Simbolum triplex 3.83.
Similitudo in aliquo attenditur 1.70.
Simulatio ex causa licet 4.23.
Sinagoga fuit vera Ecclesia vsque ad Christum 1. 5. dupliciter spectatur 1.9. fundata ab origine mundi 1.11. ab hac ad Ecclesiam non valet argumentum 1.149.cum honore sepulta 7.65.
Si quis omnes comprehendit 22.37.
Sixti V. Bulla contra Astrologos 21.6.
Socius in minis quomodo probet in solicitatione 23. 126.de dicto socij 35.13.
Solicitationis materia c.23. per totum.
Somnia aliquando à Deo, aliquando à dæmone 20.5.
Sorores in ratione testimonij excipiuntur 23.128.
Sortilegiorum materia cap.18. per totum.
Spiritus sanctus quid 3. 79. eius gratia duplex 3. 80. duobus modis mittitur 6. 121. Assistit concilio 6. 124.cum dependentia à Papa 6.125.
Spiritus preciosus hæreticorum 5.136.
Status hominis sunt quatuor 8.136.
Sponsalia religiosus contrahens suspectus 22. 56. item vxoratus ea contrahens vouente altero 22. 74.
Subrogatus sapit naturam eius, cui subrogatur 5. 124.
Subditus quis dicitur pluribus modis 2. 242. semper oues 6.256.
Successor idem quod prædecessor 5.78. quis dicatur 5.105. & 116. nullius vices gerit 5.118. eodem iure

iure vtitur, quo prædecessor 4. 123. quis succedere potest alteri quatuor modis 5.106. successorem non habet concilium 6. 39.
Summarie, & de plano 34. 28.
Superflua vitanda sunt 7. 32.
Superstitio quid 17.1. sine abusu sacramentorum non denuntiatur 30.15.
Suspectus de hæresi cap. 10.
Suspectus Papa non recusatur 5. 290.

T

Temerarius est recedens à communi consuetudine 7.15.
Termini formaliter sunt semper intelligendi 12. 29.
Testamentum de libris prohibitis non valet 14. 21. relinquens hæretico est suspectus, & excommunicatus 10.88. testari non potest hæreticus, nec eius fautor 12.99.
Testibus oculatis magis creditur 4. 146. testes singulares, & contestes 22.22. quid agendum, quando testes negant suam depositionem 22.81. de testibus in solicitatione 23. 118. testes pro innocente quicunque valent 23. 129. idem & denuntiator 31. 26. Testium materia tractatur cap. 33. per totum.
Theologia habet sua loca ad probandum 8.233.
Thesauros scit eruere dæmon 16.39.
Torturæ materia tractatur cap. 35. per totum, sustinens torturam rigorosam absoluitur 23. 110.
Totum est maius sua parte 5.227.6.64.
Traditionum materia tractatur cap. 17. per totum.
Tributum non soluit Ecclesia 1.205. est signum subiectionis 1.206. cap. 2.205. datur à Christo, & Petro ad euitandum scandalum 1. 208. aliud est à recognitione 1. 209. hæreticum est dicere Ecclesiam dare tributum 1.210. datum à Christo & Petro de facto non de iure 2. 212. exemplum illud soluens non sibi præiudicat in futurum 5. 151.
Tumultus facile causatur à populo 5.48.
Turba constat ex hominibus idiotis 6. 182.
Turpitudinem suam quis denuntiat, quando est contagiosa 31.17.
Tuum indicat dominium 2.187.

V

Venenum cecidit super Ecclesiam in donatione Constantini fabulosum est 1. 203.
Venerei actus cur vocantur inhonesti 23. 24.
Veritas à pluribus facilius inuenitur 6. 159. vbique reperiri potest 6.200.
Verba impropriantur, ne sequatur absurdum 5. 119.
Vicarij S. Officij materia tractatur cap. 29. per totum, quis proprie dicatur Vicarius 5. 117. honorandus sicut ille, cuius vices gerit 5.294. cap. 6.51.
Vinum materia consecrationis, medium superstitionis 18.28.
Virga significat potestatem 4.68.
Virtus intellectiua diuiditur in quinque species 8. 44. virtutes omnes vnum patitur vitium 8. 118. vnam habens omnes habet 8.119.
Visio beata, & fides quomodo differunt 8. 92. non repugnant in eodem 8.93.
Vis, & violentia quid 41.38.
Vniuersale multum operatur 12.52.
Vota alia consultiua, alia decisiua 6.146.
Voce carent hæretici 12.95.
Voluntatis, & voluntarij materia cap. 41. num. 4. & sequentibus.
Vrbani VIII. Bulla de libris prohibitis 14. 25. contra Astrologos 21.14.
Vrbs vetus, & noua 1.169.
Vsura cum extraneis permittebatur Iudeis 7.46.

Nota pro intelligentia citatarum Decisionum, quas Collegit Paulus Rubeus distinctas in octo volumina, seu tomos, iuxta quos eas citaui expeditius.

Primus tomus inscribitur. *Pars tertia Recentiorum.*
Secundus. *Pars quarta Recentiorum.*
Tertius. *Partis quartæ tomus secundus.*
Quartus. *Partis quartæ tomus tertius.*
Quintus. *Tomus primus Nouissimarum.*
Sextus. *Tomi primi pars secunda.*
Septimus. *Tomus tertius Nouissimarum.*
Octauus. *Diuersorum.*